I. GRVTERI
THESAVRVS
CRITICVS
TOM. II.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
E
30
NAPOLI

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele II
XLII
E
50
NAPOLI

Digitized by Google

J. GRVTERI
THESAVRVS
CRITICVS
TOM. II.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
E
50
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
E
50
NAPOLI

XLI
8
50

LAMPAS, SIVE
FAX ARTIVM LIBERALIVM,
HOC EST,
THESAVRVS CRITICVS,

IN QVO INFINITIS LOCIS THEOlogorum, Iurisconsultorum, Medicorum, Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poetarum, Grammaticorum, scripta supplentur, corriguntur, illustrantur, notantur.

Tomus Secundus.

Ex otiosa Bibliothecarum custodia erutus, & foras prodire iussus,

A IANO GRVTERO.

Cum Indice & Locorum & Memorabilium.

PRODIT FRANCOFVRTI

E Collegio Paltheniano, Sumtibus Ionæ Rhodii Bibliopolæ.

ANNO M.DC.IV.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ILL. AC GENEROSIS SVMMÆQ. EXspectationis Fratribus

DN. ABRAHAMO, DN. CHRISTOPHORO SIENIVTIS BARONIBVS DE LAchovvtze &c. Polonis

IANVS GRVTERVS.

VERBA sunt Hippocratis: *Ἰητρικὴ τεχνέων μὲν πασέων ὅσον ὑπερέχει ἐστὶν· διὰ δὲ ἀμαθίην τῶν τε χρεομένων αὐτῇ, καὶ τῶν εἰκῇ τοὺς τοιούσδε κρινόντων, πολὺ πασέων ἤδη τῶν τεχνέων ἀπολείπεται: Omnium profecto artium Medicina nobilissima. verum propter eorum, qui eam exercent, ignorantiam, eorumq; qui temere de his iudicant, omnibus artibus iam longe inferior habetur.* quæ totidem literis merito quis de Critica pronúciauerit. traducitur enim per calumnias, tamquam aut noxia, aut superuacua; quæ tamé reuera etiã ipsa est medicina, hoc est, Sol ac Sal literarum, diuinarum iuxta atq; humanarum; cuiq; vni debemus, quod in hunc diem optimis quibus scriptoribus

lethi præclusa est ianua;

certe, quod modo vigeant exultentq; disciplinæ liberaliores per Europæ orbem cultiorem,

Quaq; patet ortus, & qua fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

Nam quod ſtudium iſtud male vulgo audiat ob calorem vecordiamq; aliquot, ſiue Adoleſcentum, ſiue Senum; quorum hi iam ceperũt eſſe bis pueri, illi nondum adhuc ſemel eſſe pueri deſierunt; nulla erat cauſſa. præcipue quum hi ſpurii a legitimis Criticis internoſci queant nota non vna; ſicq; alioqui inſcite atq; indecore aſſumtam perſonam ſuſtineant, vt vel per ipſam *meræ* appareant *ſimiæ*. At quod iidem vitilitigatores ſtudium iſtud eleuent omni eius detracto vſu, næ ſuam heic produ͂t ſiue inſcitiam ſiue malitiam, ſiue vtrumq;. Si enim vel per tranſennam cõſuluiſſent aut manuſcriptos codices, aut Typographię recenter natę fœtus primores; palam profiterentur, nutricis pallium non æque maculoſum, quam illos ipſos. Vt enim norint: adeo vtrobique omnia leguntur, temporum ne an hominum fatali iniuria, deprauata ac corrupta, addo etiam trunca ac mutila, vt in vnaquaque pagina tenere liceat theſaurum mẽdorum. quem quod iactent facile etiam a quouis profligari poſſe; & ſe fallunt & alios; idque

—*Credat Iudæus apelles;*

Non ego:

cui plane conſtat, in deſcribendis & excudendis libris, ita diſceſſum ab archetypis exemplaribus, partim ignorantia antiquitatis, partim arrogantia; vt eos vix vlla legat Sibylla, vix vllus intelligat Oedipus. Verum me dicere, fatebuntur omnes, qui humanioribus his artibus & diu & ſerio incubuerunt. qui idem præterea, non ſine gemitu, teſtabun-

ſtabuntur; vnius interdum literulæ luxationē, (quam vel puer aliquis primis literis imbutus redintegrare poſſe videbatur) tantas ipſis offudiſſe tenebras, vt errantes, tamquam in nocte illuni, quouis potius peruenirent, quam quo debebant. Quæ cum ita ſint, nō niſi vtiliter admodum in omniū verſentur manibus iſti Correctores, qui moleſtiam & difficultatem legentibus obiici ſolitam ſuo labore ſuſtulerunt. id quo prōtius fieret, quotquot eruere potui e Librariorum latebris in vnius quaſi corporis compagem cooptaui. quorum partem cum inſcripſerim generoſis cognatis veſtris, fratribus ſcil. Firleiis, viderer non ſimpliciter peccaturus in decorum, ſed & in neceſſitudinem veſtram, niſi hanc alteram partem exire paterer in publicum auſpicio nominis veſtri: tanto quidē magis, quia in me amando atq; ęſtimando nihil cedatis ipſis Firleiis; libriq; alioqui argumentum veſtris item ſtudiis, ętate hac teneriore, proprie factum videatur: vtpote quo non tantum claſſici quiq; Scriptores emendentur, ac ſuppleantur, ſed vero illuſtrentur atq; explicentur: adeo vt quaſi vomere aliquo ingenii veſtri felix alioqui ſolum præparare queat ad recipiēda Virtutis ac Sapientię ſemina illa ſaluberrima auctorū antiquorum monumentis concluſa. quo ipſo lectiſſimæ feminæ matri veſtræ Tutoribusq; veſtris, agnatis ſapiētiſſimis etiam ſatisfieri poſſe, inde liqueat, quod vtrumq; veſtrum adhuc intra pubertatis annos, longius tamen a ſe in Ger-

maniam noſtram, vnicam modo meliorum ſtudiorum matrem, ablegandum putauerint: vtpote quibus perſuaſum illud Senecæ: *Virtus non contingit animo niſi inſtituto & edocto, & ad ſummum aſſidua exercitatione perducto &c.* Perniciosa enim eorum eſt opinio, qui arbitrantur doctrinam dedecere Nobilitati. nam ſi rem ipſam excutiamus, reperiemus ornamētum liberalium artium nulli hominum generi magis propriū. Sane non dubitat aſſeuerare Vegetius: *Neminem magis decet, vel meliora ſcire vel plura, quam Principem; cuius doctrina omnibus poteſt prodeſſe ſubiectis &c.* Hinc alibi Ammianus de Orphito præfecto vrbis: *Vir quidem prudens & forenſium negotiorum oppido gnarus. ſed ſplendiore liberalium doctrinarum minus, quam nobilem decuerat, inſtitutus.* deque Arbogaſto Sidonius Apollinaris: *Par Ducibus antiquis lingua manuq; quorum dextra ſolebat nō minus ſtylum tractare, quam gladium.* quod ne cui Poetice dictum videatur; audiamus Ioh. Sariſberienſem: *Romanos Imperatores aut Duces, dum eorum Reſpublica viguit, illiteratos extitiſſe non memini.* Quod ipſum ex vero dictum, procliue erat oſtendere, niſi id abunde quotidie audiretis ex ore Ephori veſtri, viri non moribus modo ſed & literis antiquis ornatiſſimi Ioannis Grotcouii, qui proculdubio vobis ſubinde ob oculos ponit maiorum veſtrorum bellica togataq; laude florentiſſima exempla. valet enim heic illud Ciceronis: *Eſt hoc generi hominum proprie natura datum, vti, qua in familia laus aliqua forte floruerit,*

ruerit, hanc fere, qui sunt eius stirpis, cupidissime persequantur. Contigit autem vobis, d u na benignitate, præter fortunam opimam, genus haud vnis nominibus splendidissimũ quodq; in Volinia iam ab aliquot sæculis in honore & dignitate ob scientiam vsumque rei militaris; vnde ei prouinciæ tam bello, quam pace grande obueniret pręsidium atq; ornamentum. Quare, tantum nominis atq; auctoritatis sibi comparauit proauus vester Georgius Sieniuta, vt Sigismundus I. Poloniæ rex eum domesticis suis purpuratis adscriptum, nullo non dignationis genere prosecutus fuerit, eiq; plurima extraordinariæ cuiusdam propensionis testimonia, grauissima priuilegiorum regiorum fide communita, vltro oggesserit. Nec desciuit ab hac familiæ suæ prærogatiua auus Gregorius Sieniuta: sed domi forisque Martis artibus celeberrimus, in ore, in oculis, in animis omnium optime vbique audiit: in tantum quidem, vt familiaritatem amicitiamq; eius minimi maximi certatim appeterent; nec vllus esset in patria vestra, aut antiquis opibus, aut stirpe veteri florentior, quin eidem affinitate connecti magni muneris loco putaret. Quorum maiorum vestigiis tam firmo pede institit pater vester Theodor⁹, vt trãsacta ferme ætate viridiori, aut inter discrimina bellica, aut in aulis virorum Principum, emeruerit facile fauorem nunquam satis laudandi Regis Stephani, a quo non tam commendatione bene meritæ stirpis, quam virtutis propriæ,

ſtatim adſcriptus fuit inter Tribunos militares, præfectus tractui Krzemieniecenſi, quam prouinciam tanta obiit induſtria atq; abſtinentia, vt publico ſuo bono natum libenter profiteretur veſtra Volinia; attributo præterea hoc fortitudinis elogio: huic vni, tantum non præ ceteris, acceptum ferendum, quod Scytha barbarus vaga ſua incurſione ipſis quidem hactenus ferro flammaq; nocere quidem frequenter voluerit, potuerit vero nunquam: cui ſucceſſui, an maius attulerit momentum obiectu corporis ſui, an arcis Lachovvtze, ambiguũ fuerit. his profecto de cauſſis habitus maxime dignus, cui Illuſtris Regni Poloniæ Senator, Nicolaus Firleius Palatinus Lublinenſis, filiam ſuam de manu in manum liberum quærendorum ergo traderet. e qua cum ortum ducatis, duplex fuerit dedecus veſtrum degenerare: cum gemino ſtimulo vtrumq; veſtrum tum ad omnem literatę nobilitatis gloriam, tum

----in antiquam virtutem animoſq; viriles
Et pater AEneas & auunculus excitet Hector.

Quam enim Muſis ac Palladi addictus fuerit auus ille maternus, quam earum artes item promouerit, docet ſatis excitata non exiguis ſumtibus ſchola Leuartouiana, e qua velut ex equo Troiano plurimi eruditione ac virtute clari per totam diffuſi Poloniam, regno illi nõ mediocre peperere decus. quos ipſos, tãto maiore interuallo præcedere debebitis, quanto vobis ſuppetunt vberiora ad literarum iſtũ curſum per-

ſum perſequendum, liberaliſſime a parentibus ſuggeſta, ſubſidia. Cui rei ſi & momentum aliquod attulerit iſtud Criticorũ opus, erit quod lætet. Certe quicquid in me eſt ingenii aut diligentiæ, id vobis ita patet, vt quouis tempore, quouis loco, eo vti liceat, ac ſi ab omni antiquitate optimo iure veſtrum eſſet.

IVSTI LIPSII DE CRITICIS operibus Iudicium e Libro Electorum exceptum.

LIBRO huic Electorum, neque iusto plane operi, neque exasciato, feci lucem, mi Lector: præpropere, & fortasse ante legitimas dies partionis. Sed caussa festinandi, præter has quibus iactamur turbis, etiam valetudo. quæ pertinaciter aduersa, aurem mihi vellit vt vasa colligam, & cogitem de discessu. Inscripsi Electa: non abhorrenti a re nomine, quia pleraq; varie elegimus & decerpsimus: & Plinii exemplo, quem Commentarios CXX. Electorum reliquisse, docuit me alibi eius nepos. Reperies correctiones, sed non solas. quia enim plerique delicati hoc Criticum genus adspernantur, quasi ludum aliquem nugarum: feci, quod antiquus quispiam Medicus, & callide miscui ritus. Medicum aiunt, in puella regia curanda, quæ abhorrebat sectionem, scalpellum spongia tectum intulisse, & vber dum leniter fouet, incidisse: ego velo rituũ publicorum correctiones aliquot texi non publici gustus. Ita manum adii suauiludiis istis: nec metuam formulam, Quod dolo malo. Tu fruere, bone Lector.

In tres

In tres Tomos Criticorum,

AVCTORE

IANO GRVTERO IC. & Poeta celeberrimo conſcriptos

EPIGRAMMATA.

I.

HVc adſit lector, Criticos qui peruolat hor-
Ala Dædalei præpete iudicii. (tos
Viderit hic Ianum Gruterum, dicet: o arbos
Artis inexhauſta fertilitate grauis!
Vincit Amalthææ cornu tua copia fructus:
Hortos Alcinoi vincit & Heſperidum.
A te qui quicquam decerpunt Hercule dextro,
Optent vt vireas fructificesq; diu.

II.

Nobilis auctorum cenſor Grutere, ferendam
De te cenſuram ducis an eſſe meam?
Quos finxit melior natura fauente Minerua,
Inter Lipſicolas tu loca ſumma tenes.
Belgica terra plagis te noſtris inuidet: aſtrum
Es Criticiq; poli legiferiq; ſimul.
Oſtia doctarum per te reſerata ſororum
Nunc hos admittunt, quos repulere prius.

III.

Tres vno partu tantas potes edere natas
Iane cerebrigenas? plus Ioue Iane potes.

IV.

Sunt nihil ad Phœbũ fora Francfurtenſia: Lipſi
Agnoſcis ſchedii verba recocta tui?

Non ea per iugulum tibi ſunt reditura? labores
Grutero Criticos hic publicante ſuos.
Artis Chalcographæ Palthenius auctor honor*
Aonidum peſſum non ſinit ire decus.
Non ſe Plantinus tuus aut Raphelengius illi
Præferat; eſt ſtudiis is celeberq; typis.
Suaſor vt es felix! in Muſas impetus illi
Eſt ab epiſtolio ſubditus iſte tuo.
Ergo tuis ſcriptis in vatum commoda natis
Acceptum triplex hoc referemus opus.

V.

Anagramma in idem Criticum opus.

IANVS GRVTERVS.

In verſu gratus.

IN verſu gratus Gruterus & arte forenſi
Non omen IANI dulce bifrontis habet?
Qui decredis, opus triplex euolue, putabis
Ingenium ſuperos huic tribuiſſe triplex.

Ioannes Hofmannus Huſanus Poeta & Theologiæ candidatus Neoxilnaf. ipſis Iani Calendis. Anno 1603.

Idem

Idem ad PALTHENIVM.

Z Enonem, Stoæ caput id memorabile sectæ,
A tticæ sic vrbs est deuenerata Sophum:
C laues prona suos vt ad hunc deponeret vnum,
H aud secus ac gereret regia fræna loci.
A ureolum diadema tulit: quin eius imago
R eddita de solido sculptilis ære fuit.
I psa tibi similes, Paltheni, præstet honores,
A Francis sedes vestra vocata vadis.
S umma magistratus Clarii tibi debita, certæ
P alladii felix institor esse fori.
A rces Cecropias & amœna palatia Graiæ
L ibertatis habes, quo reserare queas.
T u vigiles rerum custos & ianitor harum,
H ærent in quarum mercibus artis opes.
E minet illustri tua gloria fronte, celebris
N am legum doctor chalcographusq; clues.
I n sua regna suos moderatrix Attica claues
V sibus indulsit, rector Achiue, tuis.
S ed tibi quis statuam dabit ex auroq; coronam?
D ant tibi præstantes hæc bona bina typi.
O vel Cæsareis æquanda tiara galeris,
C onsultrix æqui quam tibi diua fauet!
T emporis o patiens monumentum, neue terendum
OR e vetustatis, quod stat in arte, libris!

EPIGRAMMA

In Antiquarum Lectionum Commentarios tres.

Ad Zachariam Palthenium D. Typographum.

Ἐννέα Ἡροδότῳ Μοῦσαι τὸ πάλαι κατ' ἔδωκαν
    Ἐννέα μὲν βίβλους ἀντὶ φιλοξενίης,
Νῦν δέ σοι πὰρ Γρουτήρου βιβλιακωτάτου ἀνδρὸς
    Βιβλιοκάπηλ' ἄνερ τρεῖς ἴχα δῶρα φέρεις,
Τῶν γ' ἀρίστων τρισσῶν τάδε βιβλία τρισσὰ μεγίστης
    Σεῖο δὲ τῆς φιλίης εἵνεκα καὶ σοφίης.

Τοῦ αὐτοῦ.

Μοῦσαι καὶ Χάριτες, Φοῖβος, Παλλάς τε καὶ Ἑρμῆς
    Ὤμοσαν ἀλλήλοις ἐνθάδε ναιετάειν.

EPI-

EPIGRAMMA
Anonymi cuiusdam Philologi, ad D. Paltheniúm.

HErodoto ter tres ter terna volumina Musæ
Hospitii meritó Pierides dederunt.
Ast tibi librorum, Paltheni, candide Scriba
Gruterus Phœbi saxq; decusq; legit
Tres libros, Charitum ternarum munera, raræ
Doctrinæ pignus, pignus amicitiæ.

Eiusdem.

Musæ, Gratiæ, Apollo, Mineruaq;, Mercuriusq;
Hic se iurarunt velle habitare simul.

SYLLABVS CRITICORVM VOlumine isto contentorum.

FR. *Robortellus de conuenientia supputationis Liuianæ &c.*

Idem De arte siue ratione corrigendi antiquorum libros.

Eiusd. Annotationum seu Emendationum lib. II.

Caroli Sigonii emendationum libri II.

Antonii Bendinelli loci controuersi XXVI.

Bernardini Realini, in varia scriptorum loca Annotationes.

Iohannis Brodæi Miscellaneorum libri VI. infinitis locis aucti emendatiq; ante obitum, ipsius manu.

Christophori Rufi Antexegemata.

Iohannis Hartungi locorum memorabiliũ, decuriæ IV.

Petri Pithœi Aduersariorum subsecivorum libri II.

Lucæ Fruterii verisimilium libri III.

Achillis Statii Lusitani Obseruationes difficilium aliquot locorum Græcolatinorum: nunc primum excusæ.

Marci Antonii Mureti variarum lectionum lib. XIX.

Hieronymi Magii Miscellaneorum seu variarum lectionum lib. VI.

THESAV-

THESAVRI CRITICI

Pars altera.

CONTINENS

FRANCISCVM ROBORTELLVM VTINENSEM DE CONVENIENTIA SVPputationis Liuianæ, Ann. cum marmoribus Romæ, quæ in capitolio sunt, & Dionysii Halicarnassei.

Ad Ioannem Donatum Patritium Venetum.

Cum ab hinc, opinor, annos decem, Clarissime Vir, Romæ, imperante PAVLO III. Pont. Max. reperta & effossa fuissent, quamuis fracta & disiecta propter incendia, & ruinas urbis, marmora, quibus singulorum annorum magistratus continebantur ab ur. cond. usque ad Aug. mortem, qui annus est DCCVII. sumtuque ac iussu Alexandri Farnesii S. R. E. Cardinalis, viri ampliss. PAVLI Pont. nepotis, opera autem & industria viri doctissimi Barthol. Marliani in unum corpus redacta, ac concinnata essent, ut in capitolio collocata ab omnibus legi possent, magnam ex ea recepi voluptatem: sperabam enim Liuium, qui culpa librariorum, & indoctorum hominum nomina Consulum corrupta, & numerum annorum sibi non constantem habebat, aliosque Ro. historiæ auctores facile sanari, & emendari posse, tollique omnem controuersiam, quæ ante extiterat inter viros doctos, dum alius hanc, alius illam coniecturam secutus, multiplici ratione corrigere loca suspecta studuerunt. Tantum iudicio bene firmo erat opus in iis supplendis. Neque id ego difficile factu unquam existimaui homini nauo, & in industrio, antiquitatisque Reperito. Primus, qui supplere hos fastos conatus fuerit, extitit Carolus Sigonius Mutinensis. Atque eius supplementorum duæ sunt editiones: altera Mutinensis Gadaldina: altera Veneta Aldina. In priore

illa quamplurima errata, quæ tamen illi condonanda fuerunt, ut iuueni, si tantum sibi non tribueret in ea re, atq; cum supplementis marmorum adiecisset disputationem de Nominibus Romanis, me, qui illi amicissimus semper fueram, ut omnes sciunt, clam carpere non esset conatus. Sed ego id non animaduerteram, & ante est meo maximo beneficio affectus, quam sensi illum animo esse in me exulcerato: legi. n. postea per otiū ea, quæ scripserat. Leuiter ob id nō multo post hominem pupugi in epistola, quā præposui Fastis Rom. a me editis, ut me prælegēte a meis auditoribus suppleri in Patauino gymnasio ante tres annos possent, quanquam antiquum ederatur, morē ut gererē Gabrieli Falloppia Mutinensi medico præstantissimo, mihiq; amicissimo, uerba illa omnia sustuleram. In altera editione colligere ex meis scriptis multa studuit, in quibus me lapsum esse demonstrare conatus est. Coactus igitur ego nunc fui magno ipsius conuitio iterum lacessitus hæc scribere, tū, ut me tuerer, tū, ut illum nullo neq; firmo, neq; certo iudicio in literis esse ostenderem. Quare primum agam de cōuenientia supputationis Lucianæ, cum marmorum Ro. supputatione, aduersus illius sententiam: etsi enim fracta sunt, tamen facile id cognosci potest, ut postea dicam. Deinde de ratione corrigendi antiquorum libros subiiciamque Emendationum libros duos, plures additurus, cum erit otium. Et quoniam Manutius et nihil unquam edidit ante quatuor annos, in quo me modo clam, modo aperte non carperet: illius quoq; errata multa demonstrabo. Ego, ut tu quoq; scis clarissime, & optime uir, qui me iam diu nosti, & in fidem, ac clientelam recepisti tuam, ab hoc genere contentionum semper alienus fui, nec ullum unquam prouocaui, sed a multis prouocatus tacui: nunc quid agerem, cum circūferri uiderem illorum libros plenos aculeorū in me? Homines, qui aliquem reprehēdi audiunt, sæpe putant iure reprehensum, etiamsi falso fuerit reprehensus: cū caussam ille suam non agit. Nunc igitur postquam me prouocarunt, poterunt ad singula loca, quæ ego ordine ipsis prescripsi, respondere: ut eruditi iudicent iure ne fuerint reprehensi. Te ego, præstantissime Donate, non modo iudicem constituo pro tua singulari doctrina, & acri iudicio, sed etiam oratum uelim pro tua humanitate, ut statuas, uter prior lacessierit, & an iure ego hoc onus scribendi susceperim: quod cum feceris, tum demum iudices uelim, qualia sint ea, quæ scribuntur: mihi enim etsi fuit in animo illos reprehendere, non tamen id fecissem, si nō sperassem me studiosis bonarum disciplinarum aliquam utilitatem allaturum: cognoscendis enim aliorū erratis tum ueritas perspicitur, tum est iudicium confirmatur magis. Potuissem hoc loco tibi commemorare, quam multa protulerint aduersus me: sed omnes norunt, tuque in primis, uir clarissime, qui pro tua singulari bonitate, & summa erga me beneuolentia sæpe quantum dolores patefecisti. Nolim autem, ut dixi, ut aut tu, aut ceteri, qui hæc nostra legent, tam considerent, quo commotus sim irritatus, quam perpendant ea, quæ a me prolata fuerunt, qualia sint. Verum iam ad rem propositam aggredior.

A Regibus

A Regibus vsque ad Coss.

CAPVT I.

INter Liuium, & Dionysium videtur dissensio esse; nam Dionysius ait anno CCXLIV. consules primum post exactos Reges creati cœpisse. Apud Liuium autem sub finem libri primi scriptum est, *Regnatum Romæ regnasse annis* CCXLIV. Ideo Sigonius orditur Liuianam Chronologiam suam ab anno CCXLV. Marmorum vero Rom. siue fastorum capitolinorum supputationem orditur ab anno CCXLIV. Ita fit, vt differant anno vno. Ego eas inter se consentire existimo, & ostendo Sigonium deceptum esse, ac pueriliter omnia scribere. Primum illum annum, quo creati sunt Coss. Romæ post exactos Reges, scribit Dionysius quatuor mensium fuisse extremorum, sed continuatum vsque ad initium insequentis: ita completum annum spatio XVI. mensium. Cum Halicarnasseo autem consentiunt & marmora Ro. nam etiam ipsa ordiuntur ab anno CCXLIV. Etsi enim fracta sunt eo loco, ex numero tamen annorum, qui postea adnotatus visitur, id colligi potest. Liuius annos, quibus Romæ regnatum fuit, ita enumerat.

Romulus regnauit	*annos* XXXVII.
Interreges	*an.* I.
Numa	*annos* XLIII.
Tullus Hostilius	*annos* XXXIV.
Ancus	*annos* XXII.
Tarquinius Priscus	*annos* XXXVIII.
Ser. Tullius	*annos* XLIV.
Tarquin. superb.	*annos* XXV.

Summa hæc, si numeres annos, quibus regnauit Priscus, XXXVII. continebit annos CCXLIII.

Sed Liuius ait, duodequadragesimo fere anno, quod ita accipiendum est, vt numeres tantum annos 37. nam reliqui qui superfuerant menses, connumerari cœperunt cum insequenti anno, sicut in illo, qui fuit, vt ex Dionysio retuli, mensium XVI.

Sigonius in Chronologia Liuiana Prisco assignat annos 38. nec animaduertit Liuium scribere, duodequadragesimo fere anno, quod ita debet accipi, *vt paulo ante dixi.* Ita nulla controuersia fuerit inter Liuium, & Halicarnasseum, atque Rom. marmora de annis Regum, vsque ad primos Coss.

A Coss. primis vsque ad Xros.

CAPVT II.

QVia supputatio Ro. marmorum, & Halicarnassei habet duos consulatus annos, scilicet 264. & 265 qui a Liuio videntur prætermissi, putat Sigonius discrepare Liuium etiam a marmoribus Romanis, & ab Halicarnasseo annis duobus, qui additi ad illum primum conficiunt annos treis. Ita a primis Coss. vsque ad Xros differunt inter se supputationes prædictæ, si Sigonio credas, annis tribus.

Sed illi duo consulatus ann. 264 & 265 vbi de rebus a Coriolano gestis loquitur: omnino sunt reponendi apud Liuium: nam culpa librariorum prætermissi fuerunt, quo autem loco reponi debeat, ego facile perspexi: nam mutilus esse videbatur cōtextus. Id sib hinc paucis mensibus post omnes intelligent, cum legēt Liuium a me emendatum, & digestum in annos, vnacum chronologia alia lōnge ratione confecta, quam Sigonius confecit. Est enim iam sub prælo, & instant impressores, vt quamprimum edatur. Fuit enim necesse, vt, si, quantum in me est, studiosorum antiquitatis commoditati consulere vellem, reiectis pluribus quam mille in locis emendationibus Sigonii, eum pristino nitori redderē. Sed redeo ad rem. Nec me mouet Cassiodorus. Is n. fortasse aut suo iudicio sustulit, quē ceteri postea secuti sunt, aut incidit in libros, in quibus omissa illorum Coss. fuerant nomina. De numeris annorum, qui sunt apud Liuium nunc solicitus non sum: nam ostēdam postea quomodo sese res habeat. A primis igitur Coss. vsq; ad Xros, nihil fuerit controuersiæ inter Liuianam, summā, & marm. Romanorum atq; Halicarnassei. Quod inseri debeant illi duo consulatus in chronologiam Liuianam patet ex eo, quod postea ait, Liuius anno trecentesimo altero primos Xros Consulares iniisse magistratum, & octauo anno post Tribunos Militares cons. pot. creatos, trecentesimo decimo: si enim de medio tollantur illi cōsulatus *vt Sigonius censet*, aliam supputationem Liuianam statuens ab ea, quæ est Halicarnassei, & marmorum Romanorum, quomodo ille numerus bene sese habebit?

Q. Minutio. C. Horatio Coss. apud Liuium scriptum est, tribb. pl. decem factos esse ann. 36. post primos, qui creati fuerunt anno 260 Coss. A. Virginio, & T. Veturio. Sed quia interseri debeat illi duo consulatus ann. 263. & 264. scribe an. 38. post primos, qui creati fuerunt; & ille annus 297. debet appellari.

Liuius ait Xros creatos Ap. Claudio, T. Genutio Coss. anno trecentesimo altero. Vide quam recte Liuio cum marmoribus cōueniat: nam trecentesimo altero tantūdem est ac si dicas CCCII. & hic modus loquendi non percipitur a Sigonio: putat enim significare CCCI. quod est falsum.

A Xuiris vsq; ad Trib. Milit.

CAPVT III.

Liuius annum primum Xuirorum vocat trecentesimum alterum. Postea ait, octauo anno post tribb. militares iniisse magistratum, trecentesimo decimo. In sua chronologia Sigonius pagina 27 post [illegible] Liuiana, ait. *Nullus est locus apud Liuium, in quo [illegible] quod [illegible], [illegible], quam in hoc, quem nunc tractamus: est enim necesse [illegible] interponere, vt numerorum Liuianorum [illegible].* paulo post. *Neque vero [illegible] numerum [illegible]: nam in [illegible] vetustis libris ita est.*

E. si

Et si eum numerum mutes, qui deinceps ab eo nominantur, omnes erunt mutandi, & mira numerorum orietur confusio. Miror autem Liuium in tam paucis annis rectam supputationem tenere non potuisse, & reliqua. Risi cum primum vidi laborantem hoc loco Sigonium. Dii boni, quam desudat, nec tamen efficit quod vult. Liuium accusat etiam ipsum. Sic solent indocti homines, cum se extricare nesciunt. Ego trecentesimo altero, aio idem significare, ac CCCII. Sicque sæpe loqui solitos veteres, vt alibi demonstratum est a me. *Octauo anno post.* ait Liuius, *hoc est, trecentesimo decimo Trib. militares inisse magistratum.* Recte sane, nam si ad CCCII. addas octo, erunt CCCX. Quid ais o Sigoni? Vides ne iam quam sis imperitus, & nullo iudicio præditus in veterum scriptis perpendendis? Omnia vero conueniunt, & quadrant cũ supputatione marmorum Ro. nam CCC. annus scalptus ibi est. SEX. QVINCTILIVS SEX. F. P. N. duobus autem annis post, id est, vt Liuius loquitur, trecentesimo altero ibidem est Consules abdicasse se, & DECEMVIROS CONSVLARES creatos.

Hactenus consentiunt mar. Ro. cum Liuio. Sigonius cum trecentesimo altero non intelligeret CCC II. id est, duos significare, cogitur paulo post, vt tueatur illum locum apud Liuium, vbi ait, trecentesimo decimo anno creatos Tribb. militares, id est, anno octauo post, interserere continuationem Consulatus, quem gesserunt L. Valerius, & M. Horatius, his verbis, in chronologia Liuiana anno 305. iidem consules continuasse videntur in hunc annum. Dii boni quale somnium est hoc? quam inane? quam falsum? nec alia de caussa excogitatum, nisi vt adderet annum vnum, quod necesse non erat, si intellexisset loquendi illam formam, vt toties dixi. Vbique damnosa est inscitia, sed præsertim in chronologiis, & supputationibus annorum: si enim vno numero decidas, maxima consequantur errata, est necesse.

Nunc a Tribb. militarib. primis an. CCCX vsq; ad ann. CDXL. quo Coss. fuerunt L. Papirius SP. F. L. N. Cursor V. C. Iunius C. F. C. N. Bubulcus Brutus II. (nam ibi in margine scalptus est annus CDXL.) ostendo non dissentire Liuium a marmoribus Romanis.

Hi sunt omnes anni CXXX qui, si totidem erunt apud Liuiũ, satis erit apertum Liuium consentire cum Ro. marmoribus: agedum igitur ostendamus.

CCCX	*A. Sempronius Atratinus* *T. Cloelius, Siculus* *L. Atilius Longus*	Hi primi fuerunt Trib. mil. Coss. potestate.

COSS *L. Papirius Mugillanus L. Sempronius Atratinus vitio facti abdicarunt in E. L. F. &c.*

Hunc annum Sigonius CCCIX. appellat falso, quia putat Liuium lapsum, vt in sua chronologia asserit *pagin.* 97. post scho-

lia in Liuium. Verum ego hunc errorem ante satis demonstraui. Idem Sigonius, vt est imperitus, nulloque iudicio præditus, in supplendis marmoribus Rom. numero CCCX vsque ad numerum CCCXX collocauit consulatus decem, cum tantū nouem essent collocandi, ita factum est, vt vnus supersit, hic. s.

C. IVLIVS Iulus III.
L. VIRGINIVS Tricostus II.

Hic consulatus additus præter rationem facit, vt numeri annorum sibi non cōstent, nec adæquari possint numeris antiquis, qui scalpti in margine adhuc visuntur. Quare ego censeo hunc consulatum tollendum.

Nec vero auctoritate vllius idonei auctoris innixus hunc interposuit Sigonius. Nam Liuius de eo ita scribit. *Eosdem consules insequenti anno refectos Iulium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium inuenio. Valerius Antias, & Q. Tubero M. Manlium, & Q. Sulpitium consules in eum annum edunt, ceterum in tam discrepanti editione & Tubero, & Macer libros linteos auctores profitentur. Neuter tribunos militum eo anno fuisse traditum a superioribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet, & Tubero incertus veri est: sed inter cetera vetustate incomperta hoc quoque in incerto positum.* Hæc sunt ipsius verba, ex quibus facile quiuis intelligere possit, Liuium non probare hunc consulatum. Diodorus Siculus homo Græcus arripiens illa nomina Manlium, & Sulpitium, quæ in ambiguo ponit Liuius, & addens tertium Maluginensem, hoc anno non consules, sed tribunos mil. recenset. Id tamen falsum est, nec Liuius probasse videtur. Cassiodorus Coss. ipsos nominat C. Iulium Iulum III. & L. Virginium Tricostum II. Ait Sigonius in comm. suis in fastos & triumphos, se secutum auctoritatem Cassiodori, hos suppleuisse in fastis Ro. Itane vero Sigoni? ita es addictus Cassiodoro, vt, quid Liuius dicat, nō attendas? Non animaduertit Cassiodorus Liuium eos non reposuisse, sed recitare opinionem veterum historicorum, qui reposuerant. Ita Cassiodorus impulit Sigonium in errorem tam magnū. Videsne, o Sigoni, verum esse, quod toties dixi, te nullo iudicio in literis esse præditum? Tolli debent igitur hi consules ex chronologia Liuiana, etiam ex marmoribus Romanis: Patet enim si interserantur superesse annum vnum. Quod si tollatur, vt etiam Liuius censet, belle conueniet Liuio cum marmoribus ipsis.

Nunc operæ pretium me facturum existimo, si hic subscripsero veluti in tabula numerum annorum, res vt tota perspici possit.

In ipsis mar. CCC *Sex. Quinctilius Sex. F. P. N. in M. M E.*
P. Horatius Tergeminus.
1 *P. Sestius Q. F. vbi N. Capitolinus. T. Menenius T. F. Agrip. N. Lanatus.*

2 *Ap.*

2 *Ap. Claudius Ap. F. M. N. Crassinus T. Genucius Augurinus, abdicarunt* Liuius ait trecentesimo altero anno creatos Decemuiros 1. CCII.

Eodem anno Decemuiri legum ferendarum caussa creati.

3 *Decemuiri, quorum nomina vide in historia.* 1 Hæc enumeratio facit vt
4 *Decemuiri, quorum nomina vide in historia.* 2 cognoscas octo annos post Xuiros creatos Tribb. mil.

Digredi libet aliquantum hoc loco, *libr.* 3. de Decemuiris agit Liuius, vbi errat Sigonius, quia verba latina non satis percipit, & locum emendando corrũpit. Verba Liuii sunt hæc vbi loquẽtem facit M. Cornelium. Ceterum neminem maiore cura occupatis animis verum esse præiudicium tantę rei afferre. Ita enim se habẽt in veteribus libris, quorum verborum hæc est sententia. Non esse verum, id est, non esse æquum afferre præiudicium tantæ rei, ita proferunt loquẽdi hanc formulam omnes veteres. Horatius Cæsar, Cicero, & alii, vti notum est: id non intelligens Sigonius meras affert nugas, vt quilibet videre potest. Nam ita emendat. Ceterum neminem maiore cura occupatis animis verum esse præiudicium rei tantæ differri posse, sibi posse paulo post, id est, neminem vere sentiat dicere, quid afferret in mediũ Sigonius cõtra hęc, aut quomodo iã inficiari poterit, se indoctũ esse? nã locũ hũc ita explicat. Neminẽ in senatu, cũ occupati sint animi in maiore cura, dicere, quid vero sentiat. Eodem lib. III. paulo ante. Sigonius corrumpit locũ hunc, nã legit. *Et in vnica concordia inter ipsos, qui consensus in priuatis interdum consiliis vtilis, summa aduersus alios æquitas erat.* Verba autẽ ipsius in scholiis pag. 10. nu. 42. hæc sunt. *Vetus liber vnus habet, in priuatis, alter priuatis consiliis interdum vtilis vt videatur legendum esse. Qui consensus in priuatis interdum consiliis vtilis esset.* Hæc ille. Sed omnes vetusti libri, quos ego hactenus vidi, manuscripti, & is, qui a Vendelino impressus fuit MCCCCLXX. ex Victorini Feltrensis exemplari; in quo fere vbiq; antiquę lectionis veritas, aut saltem vestigia apparent, ita habent. Et in vnica cõcordia inter ipsos, qui cõsensus in priuatis interdum inutilis esset, summa aduersus alios æquitas erat. Vnde pulcerrima elicitur sententia Si inter se cõsentiant priuati homines interdum id magno aliorum malo fieri.

COSS.	L.	*Valerius*	M.	*Horatius*	3
6	L. AR.	*Herminius*	T.	*Virginius Calimõtanus*	4
7	M.	*Geganius*	C.	*Iulus*	5
8	T.	*Quinctius*		*Agrip. Furius*	6
9	M.	*Genucius*	C.	*Curtius*	7

	A. *Sempronius*	*Tribb. Mil. primi consulari potestate.*		Liuius ait trib. mil.
CCCX.	T. *Cloelius*		8	creatos an. CCCX.
	L. *Atilius*			id est, octauo anno

Vitio facti abdicarunt in E.L.F. post Decemuiros.

COSS.	*L. Papirius Mugillanus.*	*L. Sempronius Atratinus.*
1	*M. Geganius,*	*T. Quinctius*
2	*M. Fabius,*	*Posthumius Æbutius*
3	*C. Furius*	*M. Papirius.*
4	*Proculus Geganius*	*L. Menenius.*
5	*T. Quinctius*	*Agrip. Menenius.*
	Mam. Æmilius,	
6	*L. Quinctius,*	TRIB. MIL.
	L. Iulius	
7	*M. Geganius*	*L. Sergius*
8	*M. Cornelius*	*L. Papirius*
9	*C. Iulius*	*L. Virginius.*
	Post hos Coss Sigonius collocat	
*	*C. Iulius Iulus III.*	*L. Virginius Tricostus II.*
	M. Fabius.	
CCCXX.	*M. Foslius,*	*Trib. mil.*
	L. Sergius.	

Ita numerauit annos Sigonius a CCCX. vsque ad CCCXX. sed quis non videt ipsum decipi, pluresque quam decem esse, vnumque superesse, id est, C. iulius Iulus III. L. Virginius II vt ante demonstraui. Ego igitur hos Coss. delendos puto. Sed etiam in aliis decem, qui consequuntur, enumerandis lapsus est Sigonius.

Anno CDXX. A. Cornelius Cossus II. Cn. Domitius : Ibi signat annum Sigonius, sed si numeres vsque ad alium numerum denarium CDXXX. non inuenies plures, quam VIII. consulatus; ita vnus deerit. Ego igitur censeo annum CDXX. collocari debere anno vno ante, vbi ait, Hoc anno sine Coss. resp. fuit.

Nam si in chronologia Liuiana collocat interreges hoc anno, nescio cur in Capitolinis marmoribus hunc annum omittere velit: Ita si faciat, ipse dici poterit distraxisse in diuersas partes supputationes Liuii, & marmorum alioqui inter se consentientes, data opera, vt assereret, quod non est. Reliqui omnes anni bene se habent vsque ad CDXL. quem numerum mihi proposueram ab initio tanquam metam, quia ipse est scalptus in marmoribus Romanis, quæ reliqua sunt, & ex eo diiudicari possunt, qui, & quot sint ante supplendi. Sigonius ergo ab initio cum non intelligeret an. CCCX. esse collocandos primos Tribb mil. ex sententia Liuii, & collocasset trecentesimo nono, coactus fuit, cõsulatũ, qui neq; a Liuio recipitur, neq; a marmoribus inserere, vt annũ illũ suppleret, præter omnem rationem antiquitatis, & fidẽ historiæ. Ita error ex errore deinceps prouenit, si quis in numeris semel labitur. Quare nihil magis est in chronologia vitãdum. Ostendi hactenus a CCCX. anno (qui a Liuio nominatur, cum primi Tribb. mil. creati

creati sunt consulari potestate vsque ad Coss. L. Papirium Cursorem V. C. Iunium Brutum II. quæ nomina iam non in supplementis, sed in ipsis marmoribus Rom. scalpta visuntur, e quorum regione in margine etiā scalptus est annus CDXL. numerari annos CDXXX. in ipsa supputatione marmorum Ro. Nunc ostendendum totidem numerari in supputatione Liuiana, vt conuenire hanc cum illa cognosci possit, quod ab initio mihi proposui declarandum.

CCC. *Annum ab vrbe condita ego colloco, ex priore supputatione,*

COSS. *P. Curatio.*
Sex Quinctilio.

CCCII. *Id est, trecentesimum alterum, quo anno creati sunt Xviri.*

COSS. *Ap. Claudio.*
T. Genucio.

CCCX. *A. Sempronio* / *T. Cloelio* / *L. Atilio.* primis Tribb. mil.

Sic enim Liuius scribit.

CCCXX. *M. Fabio.* / *L. Sergio* / *M. Foslio.* Tribb. mil.

CCCXXX. COSS. *C. Sempronio Atratino.* / *Q. Fabio Vibulano.*

Sigonius præcurrit hanc nostram summā anno vno, quia præter omnem fidem historiæ inserere voluit annum 305. his verbis: Iidem Coss. continuasse videntur in hunc annum: quare autem hoc somnium excogitare sit coactus, dixi ante.

CCCXL. COSS. *A. Cornelio Cosso.* / *L. Furio Medullino.*

Sigonius intra illos numeros denarios collocat annum CCCXXXIV. quem ego tollendum puto. nam ait: *Interreges vno anno regnarunt.* Non debet autem interponi hic annus, quia Liuius ita scribit. *Cum maior pars anni per nouos tribb. pl. & aliquot interreges certaminibus extracta esset.* paulo post. *Papirius Mugillanus Interrex obtinuit, vt tribunicia comitia haberentur.* Hæc verba certe nō significant illum annum sine magistratu fuisse, imo longe aliter. Miror Sigonium tam nullo iudicio esse prædictum.

Sustulimus iam annos duos ex chronologia Liuiana Sigonii, qui totam summam perturbabant, & faciebant, vt Liuius falso præcurreret annis duobus summam Marm. Romanorum.

CCCL. *M. Æmilio* / *L. Valerio* / *Ap. Claudio* — *M. Quinctilio Varo.* / *L. Iulio Iulo* / *M. Posthumio.* — Tribb. mil.

Nam alii duo Tribb. addi non debent, & si Liuius asserit octo eo anno creatos. Quis enim nō videt Liuium deceptum fuisse? dum

non animaduerteret in fastis Rom. illos duos, quos addit ad sex Tribb. M. Furium scilicet, Camillum, M' Posthumium censores fuisse: fortasse in illis fastis, quos inspexit Liuius, propter vetustatem erat deleta illa dictio C E S, vel C E N S. quæ censores e regione posita, sicuti fit, significabat.

CCC.LX.	COSS.	*L. Lucretio Flauo.*	
		Ser. Sulpicio Camerino.	
CCC.LXX.	*Ser. Cornelio III.* / *M. Furio Camillo V.* / *C. Papirio*	*P. Valerio II.* / *Ser. Sulpicio II.* / *T. Quinctio II.*	Tribb. mil.
CCC.LXXX.	*L. Sextio* / *C. Licinio Stolone*	*Tribb. pl. anno*	III.
CCC.XC.	COSS.	*L. Æmilio* / *Cn. Genucio.*	II.
CCCC.	COSS.	*C. Sulpicio Petico*	IV.
		M. Valerio Poplicola.	III.
CDX.	COSS.	*M. Valerio Coruo*	III.
		A. Cornelio Cosso.	
CDXX.	*Interregnum fuit pestilentiæ caussa.*		

Ita Liuius: quare ex ipsius sententia ego annum hunc reponendum sentio, nec verum est, quod scribit Sigonius, de eo Liuium non esse locutum. Quid enim apertius his verbis? *Et quia pestilentia insecuta est, velut omnibus eo vitio contactis auspiciis res ad interregnum rediit.* Ad interregnum addi potest etiam dictatura, quæ præcesserat eodem anno. Ita annus postea sine coss. fuit: sed numerandus omnino, ac laudandus Haloander, qui hoc primum animaduertit ex Liuii verbis.

CDXXIX. *Debet reponi dictatura Papirii. Sine coss.* Et miror, cur Sigonius, cum in tabulis capitolinis supplendis hanc dictaturam reposuerit pro vno consulatu: in chronologia Liuiana id prætermiserit, cum satis verba Liuii ostendant esse annumerandum. Glareanus & Haloander viri doctissimi in suis chronologiis hoc multo ante animaduerterunt, quam marmora Ro. effoderentur, Liuium & alios secuti.

CDXXX. *Consequitur ergo, ut hic annus notari debeat coss.*

		C. Sulpicio II.	
		Q. Æmilio, vel AulioCeretano.	
DCXL.	COSS.	*L. Papirius Cursor*	V.
		C. Iunius Bubulcus	II.

Ex his, opinor, satis patet, verum esse id, quod ab initio diximus, Liuianam summam conuenire cum Ro. marmoribus ab anno CCCX. vsque ad annum CDXL qui numerus scalptus visitur in ipsis marmoribus.

CDXLI.	*M. Valerius*	*P. Decius.*	
CDXLII.	*C. Iunius Bubulc. III.*	*Q. Æmilius*	II.

CDXLIII.

CDXLIII. *C. Martius Rutilus. Q. Fabius.*

Post hos cõsules debet inferi dictatura Papirii, nã fuit annus sine coss. & miror Sigoniũ in chronologia Liuiana hũc prætermisisse: nam ex Liuio id elici facile potest, neq; me mouet, q eodem anno coss. Fabiũ dimicasse cum Etruscis. Et paulo post Fabio cõtinuatum consulatũ ait, nam consul vocatur vt proximi anni, & continuatus dicitur consulatus: fuerat enim interiecta dictatura tantum Papirii vno anno, & recte continuatus dici potuit.

CDLI. *M. Liuius Denter M. Æmilius*

Post hos coss. debet omnino reponi dictatura duplex. Altera consulatus eius anni tempore, quæ breuis fuit Iunii Bubulci. Altera sine coss. pro anno vno M. Valerii Maximi, in qua non Q. Fabium Maximũ magistrum equitum (neq; enim par erat, hominẽ ea ætate, & honoribus illi subiectũ esse) habuit, sed M. Æmilium. Hæc est Liuii sententia, & annus fuerit hic 452 hoc est,

CDLII. *ita duæ dictaturæ erunt.* Altera anno 451. vna cum coss. connumerata. Altera 452. sine coss. Sed hæc posterior ambigitur, an fuerit gesta a Q. Fabio Max. an a Valerio Max. Et sane marmora capitolina quamuis fracta numero 7. (qui numerus debet postponi octauo) nam sequor Marliani dispositionem per numeros ita signatam, videntur dictatorem præterferre Q. Fabium Maximum, non Valerium. Verum esto, de nominibus nunc non laboro, nam sæpe video dissentire Liuium a ceteris; sed de annis mihi propositum est quærere. Vel igitur Valerius fuerit, vel Q. Fabius dictator, satis constat eum annum connumerari debere pro vno consulatu, & satis id demonstrat Liuius, cum per interregem comitia habita ait, & ipsum dictatorem absentem creatum Consulem, quod in M. Valerio Coruo erit verum, in Q. Fabio non erit.

Iam vero Liuii decẽ libri primi, qui vulgo dictam primã conficiunt decadem, clauduntur consulatu *Q. Fabii Gurgitis* qui est

& Iunii Scæuæ. annus

CCCCLXXI. Nec est vlla dissensio inter ipsum, & fragmenta, quæ exstant, marmorum, in quibus perspiciuntur & Consulũ, & Censorũ nomina, etsi non integra. Quare patet, summam Liuianam, & marmorum Romanorum eandem esse.

Correctio numerorum apud Liuium.

CAPVT IV.

Cum hæc ita sese habeant, corrigendi numeri apud Liuium, & primum lib. 10. vbi ait: *Supersunt etiam nunc Samnitium bella, quæ continua per quartum iam volumen, annumque sextum, & quadragesimum a M. Valerio, A. Cornelio Coss. qui primi Samnio arma intulerunt, agimus.* Erat autem is consulatus Q. Fabii Max. V. & P. Decii IIII. quo anno se deuouit. Legendum: *non annum XLVI. sed XLIX. vel XLVIII.* Fuerunt enim a li-

brariis corrupti hi numeri vel potius a Cassiodoro, & aliis, qui Liuii summam non exquisite collegerunt.

Sigonius totum se addixit Cassiodoro, etsi velit, nolit, cogitur interdum ab eo discedere. Memini cum totum se addixerat Eusebio, ac Venetias cum aliquando venisset, me non sine admiratione audiisse illum, dum mecum colloqueretur numerantem annos ad normam Eusebii chronologiæ, monuisseque ne id faceret, quia sciebam esse corruptissimum illius librum. Moriar, si vera non narro. Omnino Cassiodori chronologia minus est corrupta, sed & in ea iudicio opus est. Potuit enim is in enumerandis annis labi: nihil enim difficilius, quam ex Liuio annos exquisite colligere, quia non exprimit singulos semper, nec appellat euidenter, potuisset que faciliorem viam inire ad conficiendos annales: sed veritus est, credo, ne historia videretur esse, si eam non intexeret ambitu verborum; verum insisteret, breuiter que, ac concise loqueretur, vt in fastis fiebat, vbi breuiter erant omnia annotata.

Apud Liuium etiam Coss. M Fabio Arabusto III. T. Quinctio, numeratur annus post Romam captam XXXV. sed corrigendus locus, & legendum XXXI.

Romam captam scriptū est apud Liuium CCCLXV. Tu emenda ex priore nostra supputatione CCCLXIII. Fuit autem capta Tribb. mil. cos. pot Q. Fabio Ambusto Q. Sulpicio Longo. Itidem altero Ambusto Fabio fratre, & aliis.

Apud Liuium Coss. *Q. Seruilio Ahala* / *L. Genucio II.* nominatur annus post Romam captam XXV. ibi emendandum, & legendum XXIII.

Et hæc hactenus a nobis dicta sunt de conuenientia annorum Liuianæ chronologiæ cum marmoribus Ro. vsque ad annum CDLXXI. quo finiuntur decem libri ab vrbe cond. a Liuio scripti, qui exstant.

Liuii alteram decadem librorum, quam vocant, vsque ad XX. non habemus: Quare plura non dicam, tantum hoc consentire Liuium cum mar. Ro. de initio primi belli punici & exitu: nam de exitu locus est lib. XXIX. sub finem his verbis. Annis ante XL. pax cum Carthaginiensibus postremo facta erat Q. Luctatio. M. Manlio Coss. Bellum initum annis post tribus & XX. P. Cornelio. T. Sempronio Coss. Finitum est XVII. anno, Cn. Cornelio. P. Pæto Coss.

Annis ante XL.) diligenter si supputes, anni sunt XLI. Quare ita emenda, quia videtur Liuius exquisitam summam sequi.

Bellū initū annis post III. & XX.) Hic numerus recte sese habet.

Finitum est XVII. anno) & hic numerus recte se habet.

Verba Liuii in proœmio libri XXXI. siue primi de bello Maced. sunt hæc: *cum in mentē mihi venit tres & LX. annos (tot enim sunt*

sunt a primo Punico ad secundum bellum finitum) aque multa volumina occupasse mihi, quã occuparint CCCCLXXVIII. anni ab vrbe cond. ad Appium Claudium Cos. qui primus Carthaginiensibus intulit bellum.

LXIII. annos) & hic numerus recte se habet.

CCCLXXVIII.) Emenda CCCCLXXXVIII. ab vrbe cond. vsque ad Appium.

Sigonius perperam in suo emendat LXXXVI. suã secutus summã.

Nihil autem certius his numerorum emẽdationibus esse potest: nam ipsa marmora integra sunt, vbi horum annorum Coss. scalpti sunt, & denarii numeri ipsorum annorum, ex quibus reliquos, qui pauci desunt, facile supplere est.

COSS. *D. Iunius, N. Fabius* annum 485 vocat Sigonius in Liuiana chronologia.

COSS. *Ap. Claudius M Fuluius.* annum hunc ibidem vocat Sigonius 486

In medio horum duorum consulatuum collocat Sigonius

COSS. *Q. Fabium P. Decium* quos Cassiodorus omittit, & reprehenditur a Sigonio in comment. fastorum: cur igitur omiserit in Liuiana chronologia, satis mirari non possum. Etsi enim eam describit ex Cassiodori præscripto, non debet tamen illum sequi, vbi errasse animaduertit. Sed ego insero, & tres illos consulatus ita adnoto deinceps. 487. 488. 489. aliter, quam Sigonius.

COSS. *P. Claudius. L. Iunius* vocatur in vulg. Liuii libris annus hic DI. Tu emenda ex nostra, & marmorũ summa, quæ eadem est cum Liuiana DIIII.

COSS. *C. Lutatius A. Posthumius.* finis primi belli Punici.

COSS. *P. Valerius. M. Atilius* hunc annum videas vocari apud A. Gellium in vulgatis libris *DXXII.* Tu emenda ex nostra summa *DXXVI.*

COSS. *P. Cornelius Scipio. Ti Sempronius Lõgus* hoc anno ait Liuius cõfectum II. bellum Pun. anno 23 post pacem datam Coss. Lutatio: Id verum est etiam in mea summa.

COSS. *Cn Cornelius Lentulus P. Ælius Paetus.* hi consules nominantur a Liuio. nam eo anno ait finitum bellum II. Punicum. LXII. annis a primo bello Pun. Id verum est etiam in mea summa.

COSS. *P. Sulpitius Galba. C. Aurelius Cotta.* His Coss. bellum extitit Macedonicum contra Philippum, anno, si Sigonio credas, 550. sed marmora Ro. statuunt anno 553. nec dissentit Liuius de initio huius belli. nam lib. 31. iis consulibus ait susceptum.

De bello itidem Antiochino, quando geri ceperit, quando desierit: marmora consentiunt cum Liuio. nam susceptum est

M' Acilio Glabrione, & P. Cornelio Nasica: debellatum autem post duos annos a Scipione Asiatico.

M. Iunius Brutus, A. Manlius Vulso. His consulibus clauditur vltimus liber Liuii de bello Macedonico, ann. 575.

COSS. *L. Marcius Censorinus.* *M. Manlius.* Annus hic est. 604. In epitome Liuiana scribitur, lib. 49. initium tertii belli Pun. anno altero & sexcentesimo, id est, DCII. sed scribendum est anno DCIV. vt alibi etiam dicemus, demonstrando hunc errorem a librariis prouenisse.

Quo loco Liuius lib. 34. annum, quo P. Africanus Cos. fuit, vocat DVIII. vt est in vulgatis, non, vt emendat Sigonius in chronologiæ suæ scholiis DLVI. sed DLIX. legendum est: error autem ita ortus fuit, D VIII. scripserunt librarii, omittentes quinquagesimo. i. L. vt etiam ante. Has numerorum emendationes ratione factas etsi quiuis cognoscere potest, demonstrabo tamen ego copiosius in mea chronologia, nam omnis error in his scribendis fluxit a Cassiodoro, & aliis, qui Liuianos annos non exquisite numerarunt: ideo coacti sunt ad suam summam numeros immutare, etsi non omnes immutarunt, obliti opinor, vnde cognosci potest, id ita factum.

FRANCISCI ROBORTELLI VTINENSIS,

De arte siue ratione corrigendi antiquorum libros, Disputatio.

ARS hæc corrigendi veteres auctores a nullo ante tradita fuit, sed nunc primum a me excogitata, nec temere tamen, verum bene & ratione (*vt res ipsa demonstrabit*) confecta. Multa enim adhuc restant, quæ ad certam rationem & artem redigi possunt. Atque vtinam ego is essem, qui possem hoc præstare; in eo enim multum operæ ponerem. Sed efficiam quod potero, nec patiar vlla in re meam a bonis & cupidis discendi adolescentibus operam desiderari. Effeci hoc ante & sæpe; nam de Historica facultate, de Satyra, de Elegia, de Epigrammate cum nullus apte disseruisset, in iis ego artem constituere conatus sum, vt facilius percipi possent. Iisdem de imitatione, de ratione vertendi, de aliis multis rebus cum fuit in hoc ipso loco disputandum, nihil perturbate, nihil confuse est a me vnquam dictum, vt iam perspicere quiuis possit non magnarum tantum rerum, sed & harum, quæ ad sermonem spectant, artem tradi posse. Sed iam rem ipsam aggredior, de qua heri pollicitus sum me disputaturum, & explico, qua ratione possint veterum auctorum loca corrigi. Neque inutilis ars dici debet, quod difficile est præstare id, quod arte traditur: nam qui intelligit, & perspicit τὰ καθόλου, quibus

quibus ars constat, facile potest ad suum genus quælibet redigere, & videre cuiusmodi sit illud de quo iudicandum est. Diceret ergo aliquis, & artem militarem esse inutilem, item nauticam, & alias, quæ suis præceptionibus constant, ob hoc ipsum, quod facilius est præcepta tradere, quam ipsa arte vti. Id quidem minime verum, nam ars perdiscenda primum, atque efficiendum, vt eius habitum animo veluti quendam geras, quod diuturno vsu, & exercitatione facile poteris consequi, tum demum arte vti licet. Finem si intuearis artis huius, quam in præsentia tradituri sumus, dicas esse: pristino nitori veteres restituere scriptores. Magnam vtilitatem afferunt hominibus, qui veterum libros emendant, cum enim res verbis significentur, rem sæpe ignores necesse est, si verba corrupta sint: ignoratio autem rei quantum damni attulerit, quis est qui non videat, in maximis præsertim disciplinis? Præclara igitur professio est, libros veterum (neque enim in omnibus emendandis est opera ponenda) corrigendi, suo enim nitori cum fuerint restituti, facilius intelligi possunt, & sæpe dictio vna emendata notionem rei alicuius magnæ, quam habemus tectam & inuolutam, aperit. Sed non quiuis id præstare potest: At ii tantum, qui multarum & maximarum rerum disciplinis fuerint instructi: Quare perridiculi multi nostra ætate videri possunt, qui cum nullius rei notitiam habeant: profiteri se librorum correctores audent, cum tamen corruptores potius sint appellandi. Atque vtinam lege aliqua esset interdictum, ne omnibus id liceret. Primum igitur illud statuamus in hac nostra arte, requiri infinitam quandam eruditionem in eo, qui emendatorem se librorum dici cupit, multa legerit oportet, multa cogitarit, multa audierit, multa triuerit vsu, recentiores etiam euoluerit: contingit enim, si id non fecerit, vt eadē dicat, & scribat, quę aliena, ac noua esse putet, quę sunt vetera, vt qui M. primo Manium (quod prænomen est veterum Rom.) significare, se deprehendisse, ac declarasse iactant, nam P. Cōsentius Rom. vir clarissimus (Senator enim fuit) in sua Grammatice dē ea re ita locutus est: *Eademque prænomina aut una litera significantur, vt P. aut duabus, vt Cn. & Sp. aut tribus, vt Sex. & Man. id est, Manius, quod & M. lineo superposita scribitur, idque ipsum a nobis non etiam a Græcis obseruatur.* Quæ verba Consentii ita sunt intelligenda, vt dicat, Græcos historicos, si quādo Manium prænomen scriberent, tribus literis *Man.* scribere solitos, non M. sicuti Romani solebant, quod adhuc obseruari potest in Dionis, & Dionysii codicibus, etsi magna etiam ex parte integrū scribitur *Μάνιος*. Ego olim Mimnermi duos versus protuleram conferens cum illis Horatianis Ep. lib. 1.

Si Mimnermus vti censet sine amore iocisque
Nil est iucundum, viuas in amore, iocisque.

Exstitit superiore anno, qui eos sibi vendicaret. Et quoniam corrupta auctorum loca emendantur aut coniectura, aut ex veterum librorum, qui manuscripti sunt, aut impressi, scriptione. De vtroque modo nobis est dicendum: ac primum de manuscriptis libris. Manu auctorum scripti antiquorum si exstarent libri, minus laboraremus, quam emendatissime enim illi scribebant. Peruenisse ii videntur ad manus hominum etiam post annos ducentos. Id colliges ex Plin. lib. 13. cap. 12 sub finem vbi ait: *Ita sunt longinqua monimenta Tiberii, Caiique Gracchorum manus, quæ apud Pomponium Secundum vatem, ciuemque clarissimum vidi annis ferè post CC. Iam verò Ciceronis ac Diui Augusti, Vergiliique sæpenumero videmus.* Nunc vix ausim dicere, eius notæ libros vllo loco reperiri post tot secula, post tot bellorum motus, post tot vrbium incendia, & ruinas. Exstant tamen nostra ætate adhuc Longobardorum libri, qui quã emendatissimi esse videntur: cum enim pacis, & otii alumnæ sint disciplinæ, & artes omnes, quæ literis continentur: postquam illi ab hinc, opinor, annos DCCC. in Italiam venissent, imperiumque constituissent, quod diu vsque ad Carolum Magnũ perdurauit, qui eos ex Italia expulit, victo ipsorum Rege Desiderio, qui Ticini commorari solitus erat, rebus compositis cum summum in Italia esset otium: excolere ingeniũ artibus, & disciplinis ceperunt. Itaque praeclarissimi quique libri ab illis descripti fuerunt, quorum ego quam plurimos vidi, nonnullos etiam habeo domi in mea bibliotheca repositos: Literæ multum dissimiles nostris, sed quas facile internoscas. Mirum dictu, illis libris nihil emendatius, nihil purius. Est & aliud librorum genus manuscriptorum, qui a nostris Italicis videntur fuisse descripti, sæpe appositum legas nomen IVLII CELSI sub finem librorum, vel q; librarius is esse, vel dominus potius librorum. Hi omnes in membranis descripti sunt, & facile dignoscuntur a posterioris ætatis libris: illi enim lineas superpositas nullas habent, & accurate omnia descripta sunt: Inualuit enim postea scribendi mos, quo nunc & indocti vtuntur, vel occupatissimi homines in foro, vos etiam in scholis: ob angustiam enim temporis cogimur interdum ita scribere. Sicuti Plutar. in Cæsare refert a notariis summorum virorum excipi solitas orationes in curia, & foro, quod a Cicerone primum excogitatum fuit, & ego de hac re alias copiose disserui. Græcorum autem libri tum membranis descripti sunt, tum alio chartarum genere, quod nostrati non est dissimile. De chartarum generibus lege Plin. lib. 13. cap. 12. ex Varrone narrat cõdita in Ægypto Alexandria [illegible] primũ chartarum vsum, Alexandri Magni [illegible] temporibus: antea scriptitatum in palmarum foliis & quarundam arborum libris. Publica autem monumenta confici solita plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis: de libris linteis [illegible] Liuius mentionem facit. Papyrum

pyrum chartæ vsum præbuisse, & ex eo præparari solitas glutino superposito, subiectas prælis, & turbidam Nili aquã vim habuisse glutini, quod etiã scribit Plutar. in libro aduersus Coloten Epicureum. καὶ ἔτι περὶ ἐκλιπεῖν τὸ κῶλον φέροντα τὰς βίβλους. Ibidem de nominibus ipsarum multa legi possunt Augusta in epistolis præterea Liuiana, Claudia, Emporetica, Fanniana ab officina Fannii, qui amphitheatricam recusare solebat, & tenuare. Tænioti-ca, Amphitheatrica a loco cõfecturæ ita dicta. Varronem refellit Plin & ante Alexandri ætatem chartas in vsu fuisse, ostendit testimonio librorum Numæ, qui Coss. Cethego, & Tampilo reperti sunt in arca, & effossi post *DXXXV.* annũ Hermogenis vetustissimum ego librum habeo, cuius chartam si spectes crassitudinem admireris & leuorem, in quo glutinũ perspicitur. Eumenes Pergami Rex membranas primus dicitur inuenisse, cum bibliotheca pararet, & Ptolemeus Ægypti Rex chartas supprimeret. Membranis postea vti coeperunt plurimi Romæ, qui elegantius scribere soliti sunt Hinc Horatius.

Sic raro scribis, vt toto non quater anno
Membranam pos.ce.

Et illa est, quam Catullus Regiam vocat. Eradi hæc solita interdum, & Palimpsestus dicta a re ipsa. Nec, vt fit in Palimpsesto, ait idem Catullus. De Palimpsesto locus est apud Plutar in libro, qui inscribitur ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι δεῖ τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι, ἀλλ' ὥσπερ τὸ Διονύσιον ὥσπερ βιβλίον παλίμψηστον ἤδη μολυσμῶν ἀνάπλεων, καὶ τὴν βαφὴν οὐκ ἀνιεὶς τῆς τυραννίδος ἐν πολλῷ χρόνῳ δευσοποιὸν οὖσαν, καὶ δυσέκπλυτον. Ibi de Dionysio tyranno loquitur, & lituras Palimpsesti cũ vitiis illius Regis confert, quæ animo adhuc adhærescebãt, quod aboleri, & eradi non potuissent a Platone, qui illũ instituere conatus erat. Hæc ego de generibus chartarum dicere volui, vt intelligatis omnem illarum vsum, & antiquitatem. Quare perridiculus est is, qui nuperrime editis quibusdã insulsi hominis Græci lusibus, Anacreontis odas esse scribit, hoc vtens argumento, quod in cortice essent descripti, vt hac ratione scilicet nobis imponeret. Quantum vero sit tribuendum antiquis αὐτογράφοις, videte. Refert Athenæus, Ptolemæum Ægypti Regem, qui bibliothecam illam insignem instruxit omni librorum genere, ab Atheniensibus postulasse, vt sibi αὐτόγραφα Sophoclis darent, sed pernegãtibus id Atheniensibus, frumentum interdixit Rex, ne ex Ægypto in Atticam exportarent, ita coacti sunt Athenienses αὐτόγραφα Sophoclis eius sui ad Regem mittere. Nũc redeo vnde digressus sui. Horum librorum auxilio vtendũ est. Quisquiliæ autem quædam librorũ, & nugæ reiiciendæ. Sunt enim inuolucris apti scombrorum, pleni thuris & inscitiarũ, *vt Catullus ait*: Sunt, qui colligant huiusmodi quisquilias, seque & amicos decipiunt inscitiane dixerim, an calliditate. Castigaui ego, & quidem iure, ni fallor,

quendam, qui nuper Horatium emendare frustra conatus est, nam vbi libro tertio odarum ait ad Faunum scribens. *Vacat otioso cum boue pagus.* emendat sic, & legit, *Vacat otioso cum boue pardus.* quasi in Italia pardi vspiam sint. Nam Plinius lib 8. cap 17. in Africa, & Syria tantum nasci scribit. & tamen manuscriptum, & antiquissimum vocat librum ad se Patauio missum a quodã Lusitano: proferat quæso librum ipsum, vt videamus qualis sit. vix risum tenebimus. sat scio: Sunt igitur hæ quisquiliæ librorum prosus amandandæ. Dixi de primo genere emendandi. Altera est emendandi ratio, quæ nititur coniectura. Ea duplici modo necessaria, vel cum destituti sumus præsidio optimorum librorũ, vel cum optimi libri etiam interdum deprauati sunt: dormitant enim interdum librarii, & errant in scribendo. Si destituti sumus, iudicio opus est magno, auditores: periculum enim est, ne labamur, & coniectura nos fallat, nõ est igitur recedendum longe a vestigio, quod apparet aliqua ex parte, veræ lectionis. Exemplum fuerit apud Ciceronem in oratione pro P. Sestio; vbi hæc sunt verba: *studio literarum se subito dedidit, nihil a te iuuabantur, anagnostæ, libelli sæpe pro vino oppignorabantur.* Sunt qui ex coniectura emendent *ATTÆ.* Sic, *Nihil Atta iuuabant Anagnostæ.* Fuit enim Atta epigrammatum scriptor, vt illius Anagnostes Atta diceretur. Ego sic, *Nihil te iuuabant Anagnostæ.* Hæ coniecturæ sunt primi generis, quibus quantum sit credendum videtis: non enim confirmantur testimonio vllo, tantum metimur illas nostro sensu, & ingenio. Est tamen interdum firmior in hoc genere coniectura, vt illa nostra apud Quintilianum libro 8. cap. 2. *de perspicuitate sub initium. vt ille, qui in actione.* Ibericas herbas herbasse se solo, nequaquam intelligenter dicebat, nisi irridens hanc vanitatem Cassius Seuerus spartum illum dicere velle dixisset. Camerarius adnotat locum hunc & ait: *Herbasse non habent pleraque exemplaria. quod tamen additum mirum in modum adiuuat loci intellectum.* Ego quid adiuuet non video. legendum igitur, *qui in actione. Ibericas herbas aquasse se solo.* nam Quintilianus agit de iis, qui reformidant omnia verba, quæ sunt in vsu. Ibericas herbas is dicebat, nos spartum, & æquare solo, quod nos recidere, aut secare. Nunc libet hic paulisper, veluti in medio cursu consistere, & breuiter repetere, quæ hactenus dicta sunt, vt reliqua facilius intelligantur. Cum de ratione corrigendi veteres auctores esset a nobis instituta disputatio, vellemusque certam artem ordine vobis de ea re tradere, vt ad suum veluti caput quoddam, & fontem omnia redigi possent. Primum dictum est de fine huius artis, qui est, vt pristino nitori, & elegantiæ vetusti scriptores reddantur. Ad hoc autem efficiendũ multis adiumentis opus esse docuimus, quorũ alia in eo ipso insunt, qui profitetur se maculas abstergere posse ex veterũ libris: alia extra posita esse intel-

lexistis.

lexistis. nam ingenium habere bene subactum, & excultum, multis esse instructum disciplinis, perlegisse antiquos Grammaticos, qui veterum loquendi rationem obseruarunt, euoluisse ipsos auctores diligenter antiquitatis totius notionem habere, interiora hæc sunt, in animoque eius sita, qui hoc profitetur. At bonam habere librorum copiam antiquorum, ingentem possidere chartarum supellectilem, extrinsecus hæc posita sunt, & copiarum, non virtutis: nam etiam indoctis & malis hæc suppeditare possunt. De vtroque genere adiumentorum a nobis est dictum, & nonnulla etiam addita, quæ propius rem ipsam attingunt: Nam illa est a nobis primum facta distributio, vnde nostra fluxit disputatio, & caput artis huius est constitutum. Iam vero emendationes, quæ rectæ sunt, antiquis codicibus confirmantur triplici modo, notione antiquitatis, notione scriptionis antiquę notione locutionum & verborum antiquorum. nam totidem etiam corrumpuntur modis ignoratione scilicet antiquitatis, ignoratione scriptionis veterum, ignoratione locutionum, ac verborum. Ignoratione antiquitatis, vt apud Ciceronem in Epist. ad Atticum lib. 6. *Cælius libertum ad me misit, & literas accuratè scriptas de ciuitatibus:* Multi cibyratibus emendant, nec intelligunt, ibi Ciceronem loqui de ædilitiorum illo vectigali, de quo in lib. Ep. ad Q. Fratrē Ep. 1. est facta mentio, vbi ait: *queritur te, quod edixeris ne ad ludos pecuniæ decernerentur, HS. CC sibi eripuisse.* Notione antiquitatis corrigi potest & reponi vera lectio apud Sex. Pompeium vici lugarii, vbi vitiligarii corrupte legitur: locum vide, vbi de Seruilio lacu loquitur, item in dictione lugarius vicus, vt docte postea animaduerti adnotasse Petrum Victorium lib. 22. cap. 21. & emendatum in libr. Varronis edito Romæ ab eruditissimo, & amplissimo viro Antonio Augustino. Sed de vico lugario lege apud Liuium lib. 4. secundi belli Punici. Notione locutionum, ac verborum antiquorum, vt iam diu nos emendauimus apud Catullum in coma Berenices. *Anne bonum oblita es facinus quod regium adepta es Coniugium, quod non fortior aut sit alis;* pro alius. nam alis, alid dicebant veteres, & ausit pro audeat. Ignoratione rationis veterum in scribendo labi aliquis potest, vt lapsus est Sigonius, qui putat apud Liuium vbique legendum Crustomerium, Crustomerinos. Attendite, quia inquit, apud Halicarnasi κρουστομερίον, & κρουστομερίνους video semper scribi. Imperitus hic ignorat, Græcos certam rationem secutos in dictionibus Rom. vertendis. Longum esset si singula nunc vellem persequi: Sed quatenus ad rem propositam spectat, quotiescunque erat Latina dictio vertenda in Græcam, quæ literam haberet, u longam vertebant in ου. Si autem u, breue fuisset, in ο μικρὸν. hinc videas eos eundem ποτίλους dici Rutulos: κορυκάνους, Coruncanos, quod autem in Crustumerii nomine, u, sit breue, Vergilii testimonio probatur.

tur, ait enim: *Ardea, crustameriique, & turrigera Antemna. & Nemus Numa.* Vergilius idem libro IX *Serranoq; Numaque.* Etiam ignoratione notionis veterum in scribendo sæpe peccarunt librarii: quare tali notione possunt loca emendari quam plurima, vt cum ego illud ex Asconio erratum sustuli in oratione in competitores *pag. 66. Piso autem, cum hæc dicerentur, perierat in Hispania, missus a Senatu per honorem legationis, vt auus suus ablegaretur* Hæc verba perturbata erant. Cum igitur scirem hunc ab vrbe fuisse ablegatum per speciē legationis: nam etiam Salust. rem narrat, deprehendi erratum librarii, sic, ab *ur.* veteres ita scribebant, id nō intelligens librarius, ab *us.* scripsit, alius, auus, putans aliquid deesse alius, auus suus. Ignoratione etiam locutionum, & vetusti sermonis peccari solet, vt apud Liu. in Epit. lib. 58. vbi de Agraria lege a Gracchis lata, loquitur. Sigonius locum se corrigere putans, deprauauit. Verba sunt hæc Liuii *Quoniam eos ad cupiditatem amplam modo sperandi incitauerat, legem se promulgaturum ostendit.* nam est legēdum, *amplum modum* Modus enim de agris, dicitur mensura. Horatius, *Hoc erat in votis modus agri non ita magnus.* & Plini. libro 18 cap. 2 *Bina tum iugera pop. Rom. satis erant, nullumque maiorem modum attribuit.* Idem cap. 6. *modus hic probatur, vt neque fundus villam, neque villa fundum quærat:* & Liu lib. VI. *ab vr. con latam legem de modo agrorum* Ignoratione etiam vetusti verbi erat corruptus ille locus apud Catullum in Aty. *Ferus ille.* pro *leo.* nam etiam Theocritus λις protulit, quod est a Victorio adnotatum. Quod si emendationes rectæ non sint in antiquis libris & ex coniectura fiant, octo modis fieri necesse est. Additione, Ablatione, Transpositione, Extensione, Contractione, Distinctione, Copulatione, Mutatione. Si mutatione (qui vltimus est modus) fit, ea vel accentus, vel puncti, vel literarum, vel dictionum, vt sit, necesse est. Si literarum, vel vnius, vel plurium: si dictionum, vel vnius, vel plurium. Nunc singulis modis sua apponemus exempla, vt res ita intelligi possit. Additione puncti corriguntur loca deprauata, vt nos lib. 2 annotationum emendauimus, vel illustrauimus potius Horatii versus illos, qui confusam ante, nec certam habebant sententiam.

Quis desiderio sit pudor, aut modus
Tam cari capitis?

Additione dictionum, & vnius tantum corrigi debet locus ille, qui corruptus est apud Plutarch in Ciceronis vita, vbi de Verris nomine loquitur: βέῤῥην γὰρ οἱ ῥωμαῖοι τὸν ἐκτετμημένον χοῖρον καλοῦσι nam addi debet οὐκ vel μὴ additione etiam vnius dictionis τὸ. correctus olim a me fuit locus apud eundē in vita Pauli Æmylii: vbi ait sub initium τὸ μὲν πρεσβύτερον ἀπὸ μαξίμου φαβίου est legendum interposito art culo τὸ sic ἀπὸ μαξίμου τοῦ φαβίου ... ὑπατεύσαντος, &c. de quo loco, quia eleganter, & docte disserit vir erudi-

eruditus & optimus, Antonius Bendinellus Lucẽsis, in suo libello de vita Scipionis, mihiq; pro sua humanitate correctionẽ huius loci acceptam tulit, plura non dicam. Satis enim patet, illum adoptatũ fuisse a Fabio Maximi illius Fabii filio. ABLATIONE (qui secundus modus est) dictionis corrigitur locus ille deprauatus apud Cic. in oratore, non longe ab initio: *Vt igitur in formis, ac figuris est aliquid perfectum, cuius ad cogitatam speciem referuntur ea, quæ sub oculos ipsa non cadunt*: debet enim tolli, *Non*: alioqui sententia inanis & falsa fuerit, vt quiuis cognoscere potest. Animaduerti locum hunc a Perionio ante multos annos fuisse emendatum quare illi sua laus tribuẽda. Itidem ablatione dictionis corrigitur locus apud Plin. lib. 10 cap. 37 vbi loquitur de cognominib. Ro. ductis a naribus, & ait. *Hinc cognomina Simorum, Simonum, Silorum*. Nimirum *Silorum* est legendum, *Simonum, &* *Silonũ* ac *Simorum* vocabula deleri debent, ac tolli: inducta enim fuerunt ex glossemate (*vt nunc vocant*) & addita a librariis imperitis, qui cum esset scriptum. *Silorum*, non intelligentes, Silos dici solitos eos, qui repandis essent naribus: ibi, *SIMORVM* emendarunt: locum corrumpentes Mox alii, cum istis eam emendationem non probarent, scripserunt *Simonum*, & *Silonum*, quæ dictiones postea omnes in contextum irrepserunt. Quare reprehẽdẽdus est Sigonius, qui in lib. de nominibus Ro. cap. 26. quod inscribitur a corporis partibus, statuit Silos, & Simos a naso dici, atque de Simis cum afferre vult testimonium, citat Plin. lib. 11. ca. 37. vbi leguntur verba illa, quæ ego superius adscripsi. Certe Simos nullus veterum, qui Latine locuti sunt, protulit, vt cognomentum: nec enim vnquam apud Ro. fuit in vsu. Quid igitur nugatur Sigonius? vel quis illius nõ perspiciat inscitiam? Nunc redeo ad rem. Ablatione itidem corrigi debet locus ille apud Aristotelem lib. 3 Rhetoricorum, vbi de Hexametro, siue Heroo loquitur. & ait: ὁ δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς, καὶ λεκτικός, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. obrepsit in contextũ dictio οὐ sic, ὁ οὐ λεκτικός. Maioragius Mediolanensis in Comm. suis in oratorem Cic. tollit οὐ, & λεκτικὸν electum, hoc selectum, interpretatur, quasi Herous pes ab Aristotele selectus dicatur. Ego tolli debere οὐ (nec enim est in antiquis libris, *vt etiam Petrus Victorius vir doctiss. testatur*) censeo: nec tamen Maioragii interpretationem probo, sicuti etiam ad illum scripsi, cum adhuc viueret ante biennium: nam quis eo modo protulit dictionem illam? λεκτικὸ solet vocare Aristoteles ea, quæ in communi, & quotidiano sermone proferuntur, vt etiam in Poetice, loco satis noto, vbi de iambo loquitur. Debet igitur tolli οὐ, & ita intelligi locus Aristotelis, quo modo Cicero intellexisse videtur libro de Or. III. vbi ait: *Quare primum nos ad Heroum Dactyli, Anapesti, &* Spondei *pedem inuitat, in quo impune progredi licet, duos duntaxat pedes, aut paulo plus, ne plane in*

versum, aut similitudinem versuum incidamus. Sed quand[o]
h[u]c re institui sermonem, non alienũ a re proposita erit, [si]
hunc totum, de quo sæpe pollicitus vobis fui me dicturu[m]
sentiã, vberius exposuero. Aduersari sibi M. Cicero videtu[r]
ter Aristotelis locum hunc intelligere in eo libro, qui in[s]
Orator: nam ait, *Aristoteli videtur secus, qui iudicat Hero[um nu]merum grandiorem, quam desideret soluta oratio.* Ego tam[en exi]stimo, Ciceronem non loqui inter se pugnantia, nam ita [il]lius verba hæc accipienda, vt dicat lib. de Or. II. Heroum [numerum] conuenire solutæ orationi, & ad eum nos inuitare Arist[oteles], quod grandem faciat orationem, modo ne vltra duos pro[grediamur]. In libro autem, qui inscribitur Orator, non de pede, [...] sed de numero loquitur Heroo, & ait, grandiorem illum e[sse, quam] soluta desideret oratio. Differt autem pes a numero: n[am pedem] vocamus metrum vnum, partem scilicet numeri, seu ῥυ[θμοῦ, vt] Græci vocant. Sicuti etiam declarauit Aristoteles in libro [de] poetica. Numerum vero accipimus pro rhythmo, seu q[...] composito ex multis pedibus, qui, quales fuerint, talis etia[m con]stit numerus, siue rhythmus. Hæc autem ita sese habere, ex [locis] ex Cic. prolatis comprobabimus Eodẽ lib 3 de Or. vbi de [numeris] loquitur Cic. ait: *Sed sunt insignes percussiones eorum nume[rorum] & minuti pedes.* Idem ibidem: *Ad anapesti & spondei pedẽ.* [Et pau]lo post: *hi tres Heroi pedes.* & paulo post: *Post anapestus pr[ocerior] quidam numerus efflorüit: Inde ille licentior, & diuitior [fluxit di]thyrambus: cuius membra, & pedes,* & quæ sequitur. Et paul[o post:] *Numerus autem in continuatione nullus inest* Vide reliquã [...] annotari possent exempla, sed hæc satis rem demonstrant. [Nunc] explico Aristotelis locum. Verba Aristotelis libro 3. Rhe[toricorum] sunt: ἡρῷος μὲν σεμνὸς, καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. Qu[is non] videt, per librariorum inscitiam esse corruptam dictionem [illam] καὶ ἁρμ. non enim καὶ, sed ἀλλ' est legendum, & facilis fuit p[ropter] similitudinem scriptionis lapsus, ἀλλ', & καὶ: sic enim scrib[untur] vt omnes norunt, vt sit sententia Aristotelis hæc. Herous q[uidem] numerus (nam de numero hoc loco loquitur) grandis est, [et ca]dit in sermonem nostrum. solet enim, ac potest facile profe[rri in] sermone quotidiano, si modo paulo grandior sit, verum ha[rmo]nia, siue concentu eget, id est, grandior est, & accomm[oda]tur ad res grandes, in quibus proferendis sono opus est mag[no:] ideo poesis Epica ipsum arripuit, quia grandis est. At solut[a ora]tio sonum hunc, & harmoniam non requirit: ideo ipsi non [ap]petit. Libro autem II. de Or. idipsum sentit, nam quatenu[s Ari]stoteles ipsum vocauit λεκτικὸν, ait Cicero illum nos inuita[re ad] Heroum. Quatenus vero Aristoteles idẽ ait, ἀλλ' ἁρμονίας δεό[μενος], dixit Cicer. vt id exprimeret, non oportere nos vltra duos [pro]gredi pedes, ne incidamus in similitudinẽ versuum. Atq; sic

nor, patet, Ciceronẽ inter se pugnantia non loqui. Non se astringit in vertendo verbis totidem Cicero, sed sententiam exprimere studet, vt multis aliis in locis Demetrius Phalerius (si modo illius liber est, qui circumfertur) Aristotelis locum hũc, sicuti alia multa, totidem pene verbis protulit. Ait enim ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς καὶ οὐ λογικὸς, ἀλλ' ἠχώδης. Nec perturbare vllum debet, quod ait, οὐ λογικὸς, cum Aristoteles dixerit τὸ λεκτικός. Nec n. sibi aduersantur: nã Demetrius inquit οὐ λογικὸς, quia in humili non apparet sermone quotidiano (fere enim semper humilis est is sermo, quo inter nos vtimur) ἀλλ' ἠχώδης, quia in grandem sermonem tantum cadit: quod idem est ab Aristotele dictum his verbis, καὶ λεκτικὸς ἀλλ' ἁρμονίας δεόμενος. Vterque igitur illum excludit a sermone humili & quotidiano. Non excludunt tamen a sermone ἁπλῶς (vt aiunt) quia cadit in grandem & sonorum sermonem: quem Aristot. ἁρμονίας δεόμενον vocant: Demetrius vero ἠχώδη. Quamuis autem οὐ negationem apponat Demetrius ad dictionem λογικὸς, non tamen apponi debet apud Aristotelem ad dictionem λεκτικὸς, nam sententia vtriusque aperta est. Verba vero illa, quæ sequuntur οὐ δ' ἔνρυθμος, ἀλλ' ἀνάρυθμος, ita in manuscripto & quidem. perantiquo, qui est apud me, leguntur. & id ostendi sæpe nobili, ac docto iuueni Francisco Maslonio Polono auditori meo, qui nuper Demetrii Phalerei librum in Latinum tam apte, & eleganter vertit, vt nihil addi possit: nec aliter debere legi puto: nam sæpe veteres Grammatici, & Musici has dictiones protulerunt ἔνρυθμον, & ἀνρυθμινόν. Sic vero ait Demetrius. Herous non est ἔνρυθμος; id est, non est intra rhythmum, sed est ἀνάρυθμος, id est, supra rhythmũ, quia excedit omnem rhythmum, siue numerum: qui sit in hominum sermone, vt etiam ipse Demetrius paulo post allato exemplo huiusmodi ἤκει ἡμῶν εἰς τὴν χώραν. subdit verba hæc: ἡ γὰρ πυκνότης τῶν μακρῶν ὑπερεκπίπτει τοῦ λογικοῦ μέτρου, id est, frequentia. & crebritas longarum syllabarum (quæ ex Heroo proueniunt) excedit & superat metra, siue numerum eius sermonis, quo vtimur. Ἀνὰ vero interdum in compositione habere vim τοῦ ὑπὲρ, satis est notum: & alii ante me adnotarant. Hæc ego dixisse volui, vt ne vobis efflagitantibus satisfacere noluisse viderer: ita tamẽ dicta accipiatis velim, vt si quis probabiliora, ac veriora attulerit, illi me statim assensurum sciatis: neque enim si quando obscura incurrunt loca, & perplexa, pugnax vllus esse debet in sua sentẽtia, nec ægre ferre, si quis meliora in mediũ proferre studeat. Habetis sententiã meam: nunc eam perpendite, & conferte cum aliorum sententia, vt diiudicare possitis vtra verior. Ego me victum non ægre feram: sed lætabor vix tandem aliquando locum tam obscurum illustratum fuisse. Nunc redeo vnde sum digressus. ABLATIONE, de qua loquebamur, in corrigẽdo caute est vtendũ, ne nobis accidat, quod correctori Liuii nouo, qui corrũpit verba Liuii, vbi de

anno a Numa Rege instituto loquitur libro 1. & putat legendum, *Vicesimo quoque anno*, non, *vicesimo quoque quarto anno*. Nam (inquit) annus fuit institutus Lunaris, non *CCCLV*. sed *CCCLIV*. Hoc aduersatur Macrobio, & Censorino, qui imparis numeri habitam rationem a Numa docent in anno instituendo. Tu igitur audes hoc tollere o Sigoni? Ad ABLATIONEM & ADDITIONEM spectat etiam ille locus apud Liuium, vbi sic legendum est, & interpungendum. *Dextra Herculis data, accipere se omen ait, impleturumq; fata. Ara condita, atque dicata.* Nouus hic corrector Liuii, ne corruptorem dicam, ita legit. *Dextra Herculi data, accipere se omen impleturumq; fata, ara condita, atque dicata.* o hominem imperitum, qui non videt, quam multa, quæ absurda maxime sunt, sequantur, si ita legatur & interpungatur locus ille: Sed nos alibi de hac re copiosius. Additione etiam, *Non*, emendatur locus libro 3. apud Liu. pag. 36. ab eodem imperito correctore corruptus. *Ecce Hernici nunciant Volscos, & Equos, & si accisæ res sint, reficere exercitus, Antii summam rei positam. Ecetra Antiates palam concilia facere. Id caput, eas vires belli esse.* nam est legendum, *Antii summam rei positam, non Ecetra, Antiates*, & quæ sequuntur. Ex qua lectione pulcerrimus exsistit sensus. nam indignissimum videbatur, si Antii, quæ Colonia erat Ro. ante deducta, summa belli esset posita, non Ecetræ, sicuti ante, vbi hostes tantum habitarant. Hic fit additio, *Non*. & mutatur punctum. TRANSPOSITIONE corriguntur loca interdum, sed raro. In Poetarum vero libris id perspicue magis, ac facile fit, propter pedes, & numeros. EXTENSIONE, vt apud Asconium in 1. in Ver. pag. :. Ibi enim peccatum est a librario extensione, quod non intelligeret antiquam scribendi rationem. Nec miror, Manutium hunc locum, sicuti alia multa, non potuisse emendare: non est enim instructus iis rebus, quibus instructum esse oportet veterum librorum correctorem: & si aliter iactant ab eo operæ conductæ quædam, & emti laudatores. Verba Asconii, vbi loquitur de Sylla, hæc sunt. *Spoliatus est Pop. Rom. ab eo iudicandi iure, quod habuit per equites Romanos militaris.* Hic me locus diu torsit: tandem emendaui *per Equites Rom. annos IIIL.* & verum id est: sed de hac re postea copiose in annotationibus. CONTRACTIONE, vt apud Asconium eundem, sub finem Diuinationis: sic enim legendum. P. LENTVLVS) auus hic est Lentuli Suræ pr.) librarius non intelligens PR. prætorem significare, scripserat, pater. sic enim solet vulgo scribi, pr. & sustulerat, auus. Manutius tanta sibi videtur esse auctoritate præditus, vt audeat Asconium reprehendere, quasi in re tantilla, quę omnibus est nota, errare potuerit vir doctissimus: quod cum ego legi, risum tenere non potui: est enim habenda ratio summorum virorum,

torum, & antiquorum: nec temere reprehendi debent: quod video enim ab illo fuisse sæpe factum in libro, quem nuper compilatis Zasii, Grucchii, & Balduini de eadem re commentariis, edidit, de legibus Romanis: nam Velleium, Plutarchum, Asconium & alios temere carpit; quod ego postea copiose demonstrabo. Hic locum appono vnum in præsentia, vt eius temeritas, & inscitia in scribendo cognosci possit, de legibus illis, quæ ad iudicia spectāt, vbi loquitur, ait, Plutarchum negligentem sibi videri, quod de lege a C. Graccho lata, nihil dixerit, cum tamen alias omnes exposuerit, quas idem tulit. Certe Manutius antiquos auctores non legit, nec euoluit diligenter: sed, opinor, sæpe ad indices recurrit: in quibus, si quid non inuenit, statim ait non esse: nam si ordine legeret libros, minus illam subterfugeret. Insignis est locus ille apud Plutarc. si quis alius, vbi legem latam a C. Graccho narrat, ne quis indicta caussa Ciuem Rom. perimeret, aut damnaret: atque adeo illustris, vt ne dormitantem quidem lectorem subterfugere possit. Verba sunt hæc: δύο νόμους εἰσέφερε, τὸν μὲν εἴ τινος ἄρχοντος ἀφῄρητο τὴν ἀρχὴν ὁ δῆμος, οὐκ ἐῶντα τούτῳ δευτέρας ἀρχῆς μετουσίαν εἶναι. τὸν δὲ εἴ τις ἄρχων ἄκριτον ἐκκεκηρύχοι πολίτην, κατ' τούτου κρίσιν διδόντα τῷ δήμῳ. Sed redeo ad rem. Locum hunc Asconii, vbi de iura pr. fit mentio, ita a me correctum, cum esset prætermissus ab aliis, imo reprehensus, & notatus, omnes sciunt, nec est, quod clam quidam sibi vendicare studeat: verum quis hic sit, & quomodo res tota sese habeat, postea declarabo. CONTRACTIONE: de hac enim postulat ordo, vt dicamus, corruptus olim a librariis, vt multis video; iacere doctis viris, grauissimos auctores in errorem impulit locus apud Homerum, vbi ait, εἰν Ἀρίμοις vel Ἀρίμοις. Cum enim ita scribi debuisset, εἰν Ἀρίμοις, coniunctim scripsit librarius, ita factum est, vt vsque ad Vergilium perstiterit error inueteratus: nam non quidem Arimen, sed Inarimen omnes insulam hanc vocarunt, quod velim obseruent ii, qui tam temere antiquos carpunt, præsertim graues & illustres auctores. Vergilium secuti Ouidius, & alii omnes. Inarimen, eodem modo protulerunt, maluerunt que cum eo, & aliis, qui ante illum ita scripserant, errare, quam emendatam rationem sequi. Verg. l. lib. 9 ait.

Inarime Iouis imperiis imposta Typhœo.

Plura qui vult scire, legat Erythræi annotationes in Vergil. vbi copiose de dictione hac disserit, veterumq; loca perpēdit omnia: plane enim satis constat, duas esse dictiones apud Homerum. DISTINCTIONE, vt lib 3. de legibus apud Cic. vbi de sepulcris loquitur, AST IM cum auro sepelito. nam distinctione facta, AST IM. est legendum, pro AST EVM: IM enim pro eum antiquos dixisse, scribit etiam Sex. Pom. Sed Manutius in suis illis præclaris annotationibus emendat. In Astico, & Asticum ait locum fuisse Athenis. Verba ipsius sunt hæc, *Asticum autem locum erat Athenis,*

vbi liberi homines sepeliebantur, cum alibi mercedem pro sepulcro penderent. Verum dicat, si potest, vbi est istud Asticum, aut quale, aut quis meminit? sed Astim legi debere, non Asticum eo loco adnotarunt etiam alii ante me. DISTINCTIONE. item, vt in illa nostra animaduersione in Æschylum, *βορβόροις ὄνειμασι* pro, *ἐν εἵμασι* coaluerant enim dictiones duæ, & fuerunt distinguendæ. Item apud Asconium pag. 17. num. 70 *Vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ, quam priuatæ, vt pro eo censu priuato ærarium dicitur pro loculis, & arca thesauri, pro sacello fiscus.* Locus ita debet distingui. *Vnde, quia maior summa est pecuniæ publicæ, quam priuatæ, & P. O. RO. census priuato, ærarium dicitur pro loculis: pro arca thesauri: pro sacello fiscus* COPVLATIONE. vt apud Æschylum *φίλας φόρων* cum legeretur: *φιλασφόρων* ego copulando scripsi. Eodem modo corrigi debet apud Asconium locus in Verrem pag. 16. numer 69. in Aldinis. quem Paulus Manutius sua inscitia, sicuti alia multa, corrupit. Necesse fuerat eos primum decuria senatoria describi. del et autem legi. ex decuria senatoria. legebantur enim siue sorte ducebantur iudices ex decuriis: & vna harum erat Senatoria, vt nos alibi copiose ostendimus, vbi de iudiciis Rom. locuti sumus, & numero decuriarum MVTATIONE literæ vnius, vel plurium apud Æschylum numer. 12. in Agam. Scriptio vetusta est *πιτρανημύθον* pro *μιτρανημύθον*. Itidem in oratione Cic. V. in Verr. *Vnus inuentus est Verres tot annis, atque adeo seculis, qui hæc non commutaret, sed euerteret.* nam mutatione vnius literæ facta, *euerreret* est legendum, & paulo post, non *conuerteret*, sed *conuerreret*. & in eadem oratione, vbi sunt hæc verba. *Cum ad eum Nymphodorus venisset Ætnam.* nam legendum *Ennam*. Est enim Enna in mediterraneo Siciliæ vrbs. Ætna mons in ora maris. Itidem mutatione literæ, vt apud Liuium lib. 1. vbi de cõsualibus loquitur. *Solenne notum erat.* Sigonius non intelligens locum hunc literam mutat, & legit, *Solenne votum*: ignorat scilicet Solenne aliquando vt substantiuum poni. nam alibi etiam Liu. lib. 5. *ab V. C. & pontifices, flaminesque negligentiores publicarum religionum esse, quam priuatus in solenni gentis fuerit.* itidem lib. eodem, *Inuentumque tandem est, vbi neglectas cerimonias, intermissum solenne Dii arguerent.* & in proœmio bello potius. nam legendum potitus. Etiam mutatione literarum illud apud Liu. libr. 1. in verbis Horatii. *Sic eat quæcunque Romana lugebit hostem.* emendant isti, *quæcunque Romanum lugebit hostem:* nec sentiunt tolli omnem vim ex eo dicto. & ibidem, vbi de Suffetii morte loquitur. *Immemor legum Romanarum*, Emendant isti noui correctores, *humanarum*. (etsi omnes ita habent impressi etiam Melchioris Sessæ) & afferunt locum Varronis ex Nonio. *Metium Suffetium propter perfidiam interfecit plane imperiosius, quam humanius*: cum sit ibi legendum, *immanius*. sic autem etiam Cic. in eam sententiam in Catil. ait.

Sic

Si te comprehendi iussero, Catilina, seu interfici, credo erit verendum mihi, ne non potius omnes boni serius quam quisquam crudelius factum putet. & ita locum totidem verbis recitat Quintilianus lib. 9. sed ita loquitur & A. Gel libr. 20 capit 1. vbi de sectione addictorum loquitur. *nihil profecto immitius, nihil immanius, nisi vt re ipsa appareret eo consilio tanta immanitas pœnæ denuntiata est, ne ad eam vnquam deueniretur.* In primis vero in emendatore librorum requiritur fides, vt ne fucum faciat vllum, vt ne lectori imponat, si dixerit se in manuscriptis libris inuenisse, quod ipse excogitarit, possit fortasse decipere imperitos: at peritis necesse est, vt se deridendum præbeat. Quanta fides, Dii immortales, in Politiano? cuius intueri licet adhuc Florentiæ in Medicea, & Marciana bibliotheca manuscriptos libros, vbi publice asseruantur, quibus vsus est: eadem fides in sanctissimo illo ac doctissimo sene, qui Vergilium ex Romano codice emendauit, Io. Pierio Valeriano, viro dignissimo, qui ab omnibus ametur, & colatur. Nec secus egit Petrus Victorius meus qui ex hac emendandi professione non tam doctrinæ magnæ quam magnæ bonitatis, & fidei laudem quæsiuit. quibus sit vsus libris, vbi sint: Longobardicis ne scripti, an Romanis literis, semper patefacit. Sed vir bonus (nam licet Platonis illud dictum proferam) canibus ossa ostendit. Non possum nō ingemiscere ob cōmunem iacturam, nam: sed mihi temperabo. Eandem fidem agnoscas in Hieronymo Ferrario, qui Philippicas orationes Cic. expurgauit. Nec dissimili ratione vsus est beatus Rhenanus vir doctissimus, qui in eluendis maculis ex Liuio, ex Tacito, ex Velleio, & ex aliis tam multis pręclaram omnibus bonis nauauit operam. Itidem & Glareanus, & Camerarius, omnesq; alii, qui librorum auctoritate manuscriptorum nituntur. Nunc exstiterunt (si diis placet) qui excitant ab inferis Anacreontas, Halicarnasseos: breui etiam reuixisse audietis Sappho illam, & Menādrū: ne dubitate. Exstiterunt, inquam, qui manuscriptos libros citant, nec tamen proferunt qui sint, vbi sint, cuius notæ sint. Ecquis scit, an somnia illa sint, an quisquiliæ, meræque nugæ? quæ tandem igitur his est habenda fides? Ego, vt de me aliquid dicam, cum Æschylum adeo corruptum superioribus annis emendaui: cū Dionysium Longinum περὶ ὕψους, & Ælianum de exercitu instruēdo, more Græcorum: edidi, & in latinum verti, cum librum Aristotelis de arte Poetica expurgaui, & illustraui, nonne protuli semper nomina illorum, a quibus libros accepi, & bibliothecas nominaui, vbi asseruantur? Quare non sine risu miratus sum superioribus annis Vincentium Madium Brixianum Philosophum, in suis annotationib. in Poeticam Arist. dicere ausum secus legi in Mediceo libro Florētiæ, ac ego testatus fueram, verba illa quæ sunt pagin. 1. *οἱ μὲν χρώμασι καὶ σχήμασι, ἕτεροι δὲ διὰ φωνῆς.* Ego in Mediceo libro ita legi dixi. Madius Simonis Portu testimonio vtēs, ait, in eodem

libro, quo ego sum vsus legi τῇ φωνῇ. Id si verum esset, non laboraremus: & ego, opinor, vidissem, qui libros eos, cum in Hetruria essem tunc & operam nauarem in Academia Pisana potentissimo & optimo Duci Florentiæ Cosmo, sæpe inspectaui, & euolui. Sed aliter sese res habet: nec Portius Philosophus summus, & optimus vir vnquam ad illum scripsit: nam cum ego per literas eiusdem cum eo conquestus, scripsit ad me, se nihil tale vnquam dixisse, aut scripsisse. Præterea Henricus Mallesius medicus, vir doctissimus, Portii familiaris, suis literis postea idem mihi significauit. Quare non est, quod miretur Madius, si ego illius obtrectatione ne tantillum quidem moueor. Videat ipse, si in meis commentariis, qui superiore anno iterū Basileæ impressi fuerūt, aliquid immutaui, quod iure ab eo fuerit reprehensum, & subodoretur diligentius, quid docti viri de suis annotationibus & commentariis meis sentiant, quidque iudicent de tota re: nam & eisdē verbis descripsit quam plurima de meo commentario, & veterum loca eadem recitauit, quæ ego protuleram. Illi autem venire in mentem ne auctorum quidem ipsorum nomina potuissent, quos nunquam legit, nec attigit, cum vix literis Græcis sit tinctus, nec eam notionem rerū vnquam parare sibi studuerit, in qua ego omnem ætatem cōsumsi. Sed redeo ad rem. Ita sane decet auditores: & castigandi sunt iure merito, qui emendando fucum faciunt. Versus est apud Terentium. *Benignitatem nuncubi meam sensisti in te claudier*, ibi, non *claudier*, sed *caluier* legi; quidam Terentii nouus emendator affirmat in codice Romano. hæc sibi Manutium retulisse, qui id accepisset ex Faerno. Id falsissimum est, nec vera referunt: nec Faernus id, opinor, dixit. Scilicet Bembus ante dictionem tam insignem non vidisset. Sed credo ipsos obaudire solitos, vel obliuisci potius eorum, quæ ex viris doctis interdum audiunt: nam de verbo *caluier*, multa disserit Non. Mar. & exempla plura affert, ac fortasse per coniecturam. Faernus dixit ita posse legi in Terentio, sed codex Romanus id non habet, vt multi ad me nuper scripserunt. Quid autem sentiam de tota hac re, dicam in Annotationibus postea: nam *claudier* omnino legendū est, & ita Ciceronem ipsum locutum, demonstrabo.

FRANCISCI ROBORTELLI VTInensis, variorum locorum in antiquis scriptoribus, tum Græcis, tum Latinis, ANNOTATIONES.

Græca Ode Sapphus restituta, ac emendata, quam Catullus in Latinum verterat.

CAPVT I.

Dionysius Longinus doctiss. Rhetor, in suo libro, quem scripsit

psit περὶ ὕψους, Oden recitat Sapphus, quo loco ostēdere conatur, quale sit sermonis illud genus, quod ducitur ἐκ τῶν ἄκρων, quæ in singulis rebus sunt. Ea corruptissima est in manuscriptis libris, atque ita descripta, vt ne metra quidem agnoscere possis. Nos, cum superiore anno edidimus Longini libellum, emēdare pulcerrimam hanc Oden conati sumus, & redigere ad formam suorum metrorum. Quoniam vero Catullus doctissimus, ac vetustissimus Poeta eam Oden mihi visus est vertisse totidem pene versibus, operæ precium putaui fore, si hic illam apponeremus vna cum Catulliana versione, vt quilibet perspicere possit, quā festiuo ingenio fuerit Catullus noster, & quam polite veterum Græcorum scripta interdum vertere soleret, quod exercitationis genus vtinam a nostræ ætatis hominibus non negligeretur. Ode Sapphus hæc est.

κεῖνος ἴσος θεοῖσιν
ἔμμεναι ὤνηρ, ὅς ἐναντίος τοι
ἰζάνει καὶ πλησίον ἁδὺ φωνού-
σας ὑπακούει.
καὶ γελαῖς ἱμερόεν, τό μοι καρ-
δίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν:
ὡς γὰρ ἴδω σε βρόχεως με φωνᾶς
οὐδὲν ἔθ' ἥκει.
ἡ αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδράμηκεν,
ὀμμάτεσσιν δ' οὐδὲν ὁρῶμι *
ἐπιβομβεῦσι δ' ἀκοαί *
ἐκ δὲ μου *
ψυχρὸς ἱδρὼς κακχέεται, τρόμος δὲ
πᾶσαν ἀγρεῖ, χλωροτέρα δὲ ποίας
ἔμμι, τεθνάκην δ' ὀλίγω δέω, κἠν
* φαίνομαι
ἀλλὰ πᾶν τολματὸν, ἐπεὶ πέ-
νητα θαυμάζεις.

Malui vero in ea describenda, loca, quæ mihi manca esse videbantur, signare, quam aliquid addere: qualecumq; enim tandem fuerit hoc fragmentum, studiosis bonarum literarum poterit magnam afferre voluptatem. Cum prætertim ea pars, quam a Catullo versam adhuc habemus, integra sit, & emendata. Catullus ita vertit, ad Lesbiam scribens.

Ille mi par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare diuos,
Qui sedens aduersus identidem te
Spectat, & audit,
Dulce ridentem, misero quod omneis
Eripit sensus mihi, nam simul te
Lesbia aspexi, nihil est super mi

Quod loquar amens.
Lingua sed torpet, tenuis sub artus
Flamma demanat, sonitu suapte
Tinniunt aures, gemina teguntur
Lumina nocte.

Iam vero illa, quæ sequuntur, & connexa sunt cum recitatis versibus.

Otium Catulle tibi molestum est.
Otio exultas, nimiumque gestis.
Otium & Reges prius, & beatas
Perdidit urbes.

Satis patet: non pertinere ad eandem Oden: Dissimile enim est argumentum, nec cohærent. Nimirum multis in locis præfracta sunt huius venustissimi Poetæ epigrammata, quod etiam eo nomine magis dolendum est, quod caremus vetustis exemplaribus, quorum ope sanari potuissent.

Locus Demosthenis correctus & declaratus.

CAPVT II.

MVlta sunt in orationibus Demosthenis corrupta vitio librariorum, multo etiam plura negligentia impressorum nostræ ætatis, quorum præclaras epistolas, quas libris, quos imprimunt præfigere solent, si quis legat, facile credat omnia quam emendatissima ab illis edita: at si quis introrsum spectet (vtar enim Horatiano verbo) statim cognoscet, quam negligẽtes sint in eo, vbi se maxime diligentes profitentur: Verba sunt hæc in oratione prima in Philippũ (sequor nũc peruulgatam inscriptionem) vbi Orator Atheniensib. suadet, vt ex ciuibus suis milites conscribant, qui cum externis cõmisceãtur: sic. n. firmiorem fore exercitum, mox etiam de equitibus eadem ratione conscribendis loquitur, adeo vt inter CC. externos L. Athenienses censeantur. Quam rationem militãdi etiam Xenophõ sub finem eius libri, qui ἱππαρχικὸς inscribitur, probare videtur, nam ait fideliores futuros, si cum externis commisceantur, quamuis idem Xenophon in ipso statim initio libri περὶ τῶν πόρων secus sentire videatur: ait enim ciuitati vtilius fore, si ciues cum ciuibus coniuncti militẽt, quam si cũ illis instruantur, vt tunc erat mos, Lydi, Phryges, Syri, & alii cuiuscunq; generis. Sed redeo ad Demosthenem, & illius verba profero. καὶ μετὰ τούτων ἱππέας διακοσίους, καὶ τούτων πεντήκοντα Ἀθηναίους τοὐλάχιστον, ὥσπερ τοὺς πεζοὺς τὸν αὐτὸν τῆς στρατευομένους, καὶ ἱππαγωγοὺς τούτοις αἴειν. Postrema verba, in quibus de hippaginibus loquitur Demosthenes, quibus vehi equites oportebat, corrupta sunt. Vt vnusquisque facile perspicere potest, neque cohærent, aut vllam rem certam significant, nam sicuti numerum antea & post in singulis rebus præscribere conatur Orator, nam ait ταχείας τριήρεις δέκα. ita etiam transuehendis equitibus quot hippagines instruendæ essent, declarare

declarare ipsum erat necesse. *Legendum igitur est*, καὶ ἱππαγωγοὶ ϛ' τούτοις εἶεν. vt hippagines dicat sex instrui debere. nam nota illa ϛ' talem numerum, vt omnes sciunt, significat. Puto ego antiquissimos libros manuscriptos ἓξ habuisse: sed postea librarii, vt solent, breuitatem in scribendo affectantes, notã illam iam vsitatam apposuerunt. Imperiti postea alii scriptores non intelligentes ἱππαγωγοὶ ϛ' vnam dictionem efficere sic, ἱππαγωγοὺς. Hinc nimirũ fluxit error: qui etiam in manuscriptis non admodum vetustis perspicitur: nam ego aliquot vidi. Ita vero apte legi, sicuti nos emendauimus, demonstrat locus apud Thucydidem lib. 6. vbi de classe in Syracusanos missa loquitur, eiusq; omni apparatu: nam ait singulas hippagines triceaos equites vehere solitas, qui numerus nõ valde discrepat ab hoc Demosthenis: nam CC cum sint equites vehendi, & in sex hippagines distribui velit, nimirum XXXIII. vehentur singulis hippaginibus: sed de hoc genere nauigii meminit Liuius lib. 4 decados V. & Lazarus Bayfius vir doctissimus plura de iis in suo libello de re nauali scripsit, qui etiam verba Demosth. ex hac eadem oratione desumta non multo ante ea, quæ nos protulimus, interpũgit. sic πρὸς δὲ τούτοις ταῖς ἡμίσεσι τῶν ἱππέων ἱππαγωγοὺς, τριήρεις, καὶ πλοῖα ἱκανὰ εὐτρεπῆ ἰσχυκέναι: nam ante coniunctè legebantur hæc duo nomina ἱππαγωγοὺς τριήρεις, quasi idem significarent. Præclara igitur, & vere ita distinxit Bayfius.

Pauli Manutii errores demonstrati in Demosthenis oratione vertenda.

CAPVT III.

LEgebamus nuper domi meæ, ego & aliquot familiares mei orationes Demosthen. quæ Philippicæ vocantur, & oratoris vim, atque artificium admirabamur. Tum vnus ex iis ait: *Paulus Manutius ante aliquos annos has vertit.* Hic ego. Verum id quidem, sed quam apte? Tum ille. *Non fuit otium legendi eas accurate.* Nimirum, *inquam*, nimirum sæpe in vertendo mihi videtur esse lapsus. nam plura quam quinquaginta in quatuor tãtum orationibus errata diuersorum generum, quæ in vertendo admitti solent, adnotaui. *Hem*, inquit, *ille*, *tam multa.* *Et fortasse*, inquam *plura*: sed alius erit locus de his loquendi. Tum omnes simul, minime vero, inquiunt, nihil enim nobis hoc tempore gratius facere potes, vt post hac sciamus quid in vertendo sit vitandum. Non ego, inquam, sane o amici hoc onus in præsentia suscipiam, sed vnum aut alterum proferam locum, in quo illius inscitiam cognoscatis. In oratione prima in Philippum, vbi enumerat commoda consecutura, si eo modo bellũ gerant, quo ipse suadet: ait Demosthe. *Philippum ante facultatibus ipsorum sociorũ Reip. Atheniẽsium Remp. oppugnasse: quos semper ante nauigantes mare vexarat; & exagitarat, nec tuto nauigare erat passus, & sic loquitur* ἄγων καὶ φέρων. Manutius vertit, dũ eos mare nauigãtes capit, atq; abducit. Tum

vnus ex iis, qui audiebant, sane puerilis hic est error. Quis enim nescit ἄγειν καὶ φέρειν figuram esse loquendi Atticorum, & omnium Græcorum peculiarem: cum significare volunt, aliquem huc & illuc iactare, ac vexare, siue exagitare? sane, inquam, recte, sed, vt testimonio aliquo locus comprobetur, proferam Plutarch. verba. Is in eo libro qui inscribitur πρὸς τοὺς στωικοὺς περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν, ait, μηδ' ἀλλήλους ἡμῶν ἀγόντων, καὶ φερόντων, καὶ συκοφαντούντων. id est, si nos inter nos mutuo non agitemus, & vexemus, conuitioque afficiamus.

Non multo post, vbi Demost. in eadem oratione reprehendit segnitiem Atheniensium in deliberando, & agendo: dum, inquit, Philippus rem gerit, nos tempus protrahimus præfectos triremium creando, καὶ ἀντιδόσεις ποιούμενοι: hęc verba Manutius vertit sic, & retributiones facimus. Dii boni, ait vnus illorum, qui aderant, quid hoc monstri est? Primum ignorat Atheniensium consuetudinem, quæ vel mediocriter doctis, ac versatis in Græcorum libris nota est. Deinde latine non loquitur, cum tamen se vbique Ciceronis imitatorem in loquendo profiteatur. Quis enim Retributionem protulit? aut quis Retributionem facere dixit? Primum peccat in simplici dictione proferenda, quæ latina non est: deinde in coniunctis verbis. Solebant Athenienses ex lege Solonis, cũ instruerent triremes priuato sumtu pro censu quisque suo, vel duas, vel tres, vel vnam: agere cum eo, qui instruere tam multas recusasset, de permutando patrimonio, & actionem hanc ἀντίδοσιν appellabant, vt stimulos adderent omnibus ad instruendas triremes. Si tu recusas instruere triremes duas, aut tres? agedum permuta patrimonium. Ego tuo accepto instruam. Contendit cum Demosth. hac actione Midias, vt ipse copiose in oratione in eundem narrat: Extat etiam oratio nominatim περὶ ἀντιδόσεως apud Isocratem. Quid multis? Demosth. de hac sexcentis in locis meminit. Sed, quod Manutius talia ignoret, non est mirandum, qui Græcos auctores non legit, nec intelligit. His dictis, omnes risere. Tum ego, vos oratos velim mihi ignoscatis, si plura in præsentia non profero: sum enim occupatus, sed profecto efficiam, cum per occupationes mihi licuerit, vt omnia exquisite illius errata in his orationibus vertendis, me recensentem audiatis. Ita discessimus.

Declaratio nonnullorum locorum Epist. 1. libri primi ad Atticum, & locus Asconii emendatus.

CAPVT IV.

P*Ropius abes.*) Nam gerebat bellum Pompeius eo tempore in Asia aduersus Mithridatem. Præter alios etiam Salustius in coniur. Catil. Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat.

Curium.) Hic est Q. Curius, de quo Salustius in coniur. Catilinæ, Senator, quem Censores probri caussa Senatu mouerant. Si hic

hic Curius ille est quæstiorius aleator, de quo Asconius in Commen in Or. Cic. in compet. loquitur, quo modo Consulatum petere poterat?

Catilinam defendere cogitamus.) Fenestella scripserat, Catilinam fuisse a Cicerone defensum. Refellit illum multis rationibus Asconius in Commen. in or. Cic. in competitores. Hoc loco ait, se cogitare defendere, non defendisse. Quare omnia quadrant.

Defendere) Erat reus repetundarum Catilina, Volcatio, & Æmylio Coss. Salustius in Catil. Ideo petere ipsi non licuit consulatum. Nec debet Salustii ille locus aliter interpungi, sicut censet Paulus Manutius, qui non intelligit. Dion in consulatu Figuli & L. Cæsaris ait inter sicarios delatum Catilinæ nomen, sed fuisse statim absolutum. De hac accusatione loquitur Asco. in or. in compet. nec consentit cum Dione. Ait enim L. Lucullum fecisse reum inter sicarios Catilinam, post effecta comitia consularia, & post repulsam, & paucos menses post illam orationem a Cicerone habitam, vti ego videor mihi percipere ex illius verbis. quę sunt hæc: *Huius autem criminis periculum, quod obiicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit: post effecta enim comitia consularia, & Catilina repulsam, fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus paratus, eruditusque, qui postea Consulatum quoque petiit.* Sed Ciceronis verba, quæ sunt illic paulo ante, satis demonstrant, non post comitia, neque post repulsam accusatum Catilinam a Lucullo, sed ante, atque etiam fuisse absolutum. Verba autem sunt hæc: *Denique illi negare potuerunt, & negauerunt: Tu tibi ne infitiandi quidem impudentiæ locum reliquisti. Quare præclara dicentur iudicia tulisse, si qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absoluerint confitentem.* Quare Asconius repugnat Ciceroni, post comitia consularia, & post repulsam illum fuisse reum factum inter sicarios. Nam de illa ipsa accusatione loquebatur Cicero, nec de alia, vt satis patet. Dion igitur, qui in consulatu Cæsaris & Figuli ait illum inter sicarios accusatum, & paulo post absolutum, astipulatur Ciceroni ipsi, cuius verba paulo ante recitaui ex Or. in compet: & sunt illa quæ interpretationi Asconianæ præposita leguntur. Quare ego crediderim, Asconium virum alioqui doctissimum, & antiquitatis totius peritissimum minime potuisse in re tam facili errare, sed potius corruptũ vitio temporum & impressorum ipsius librum, atque esse legendum sic: *Huius autem criminis periculum, quod obiicit Cicero, paucos ante menses Catilina subiit: Post effecta enim comitia & Catilina repulsam, fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus.* Illa verba, *Post effecta comitia*, mihi suspecta sunt, & videntur ex alicuius imperiti glossula irrepsisse in contextum. Totus autem locus ita debet legi: *Huius autem criminis periculum, quod obiicit Cicero, paucos ante menses Catilina subiit:*

Post effecta enim comitia & Catilinæ repulsam, fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus. Illa verba. *Post effecta comitia*, mihi suspecta sunt & videntur ex alicuius imperiti glossula irrepsisse in contextum. Totus autem locus ita debet legi: *Huius autem criminis periculum quod obiecit Cicero, paucos ante menses Catilina subiit. Eum enim reum fecit inter sicarios L. Lucullus*, & quæ sequuntur. Nā si quis forrasse diceret, post effecta comitia consularia intelligi illa prima Volcatio & Æmylio Coss. habita, satis patet, hoc probari non posse. Nam repulsam tunc non tulit Catilina, sed prohibitus fuit petere, quia erat reus repetundarum, & hoc non est repulsam ferre. Sed si talem repulsam ab Asconio dictam improprie affirmes, nihil pugnauero: Et ita intelliges repulsam in prima petitione, Volcatio & Æmilio Coss. Sed certe legendum, *Paucos ante menses.* Vel si *paucos post menses legas*, intellige post damnationem L. Bellieni, & L. Luscii centurionis, de quibus paulo ante locutus erat. Sed hic facere satius, vt loquamur de petitionibus Catilinæ, & de repulsis, item de accusationibus, vt omnia liquido cognosci ab omnibus possint. Ter consulatum petiit Catilina. Primum Coss. Volcatio Tullo, & Æmylio Lepido, quo tempore prohibitus est petere, quia erat reus repetundarum, accusante P. Clodio. Et de hac re Salust. in Catil. ita locutus est: *Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat petere consulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiuerit.* Et Asc. in com. Or. in compet. Cic. Petiit iterum consulatum Catilina Coss. Figulo, & L. Cæsare, quo tempore etiam Cicero petebat. Asconius in argumento Or. Cic. in compet. quæ non extat, & Salust. in Cat. vbi ait, *Petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem & familiarem & omnibus necessitudinibus circumuentum.* Et sane in ea petitione coierunt ambo, vt Ciceronem deiicerent, auctoribus vsi M. Crasso & C. Cæsare, vt ait Asc. in eodem argumento Or. in compet. Sed creati sunt Coss. M. Tullius Cicero, C. Antonius. Catilina autem repulsam tulit, vt iidem auctores narrant. Tertio petiit consulatum Catilina M. Tullio Cic. & C. Antonio Coss. De hac tertia petitione loquitur Salust. in coniur. Cat. his verbis: *His rebus comparatis Catilina nihilominus in proximum annum consulatum petebat, sperans si designatus esset, facile ex voluntate Antonio vsurum.* Paulo post, *Postquam dies comitiorum venit, & Catilinæ neque petitio, neque insidiæ, quas Consuli fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere.*

Hæ sunt Catilinæ petitiones tres. Nunc dicamus de repulsa. Bis repulsam tulit Catilina in petitione consulatus. Primum Coss. Figulo & Cæsare, cum erat competitor Cic. De hac loquitur Salust. in coniur. Cat. vbi ait, *Ea res in primis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni.* Paulo post: *Igitur comitiis habitis, Consules declarantur M. Tullius, & C. Antonius.*

tonius. Quod factum primo popularis coniurationis concusserat neque tamen Catilinae furor minuebatur. Reliqua lege ibi. Etiam Asc. sub finem enarr. Or. Cic. in competit. *Ceterum Cicero consul est factus omnium consensu. Antonius paululum conturbis Catilinam superauit, cum ei propter patris nomen paulo speciosior manus,* &c. Iterum repulsam tulit Catilina in petitione consulatus, Coss. M. Cicerone & C. Antonio, cum consules creati sunt D. Iunius S. Iunius, & Murena. De hac loquitur idem Salust. in coniur. Cat. *Postquam dies comitiorum venit, & Catilinae neque petitio, neque insidiae, quas consuli fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere.* Ideo in Epitome lib. CII apud Liuiu verissime scriptu est, bis repulsa tulisse.

Nunc reliquum est, vt dicamus de accusationibus ipsius. Primum accusatus fuit Catilina a P. Clodio adolescente, quem etiam praeuaricatum scimus, & ob id infamem fuisse, ex Asconio in com. Or. Cic. in compet. Fuit autem hoc crimen repetundarum, quia Africam, quam ex praetura obtinuerat, expilauerat. De hac loquitur etiam Salust in coniur. Cat. vbi ait: *Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere consulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiuerit.* Idem asserit Asconius in Or. in comp. Legati Afri de eo grauiter in Senatu questi. *Professus est deinde Catilina petere se consulatum. L. Volcatius Tullus Consul consilium publicum habuit, an rationem Catilinae habere deberet, si peteret consulatum, nam quaerebatur repetundarum.* Catilina ob eam destitit a petitione. Altera accusatio fuit, cum relatus est inter sicarios a L. Lucullo, vt refert Dion in consulatu Figuli, & L. Caesaris. lib. 37. & Asc. in Or. Cic. in com. Crimen autem fuit hoc, quia Sylla dominante multos peremerat. Nam de Marii etiam Gratidiani caede, cuius caput abscissum adhuc plenum animae & spiritus ad Syllam vsque suis manibus detulit a Ianiculo ad aedem Apollinis extra portam Carmentalem, satis constat.

Error Caroli Sigonii demonstratus.

POst illam meam editionem fastorum Ro. sine supplementis vllis, vt liberum esset mihi, & auditoribus meis, dum Liuianam historiam percurrere, supplere: nec Sigonii erratis quae multa esse animaduerteram, impingerent: ne temere id a me factum videretur, in publicis meis historiarum explicationib. patefeci loca aliquot, in quibus erat lapsus Sigonius: & plura patefecissem indies, si mihi per vacationes licuisset longius progredi, nunc etiam possem: sed quia superiore aestate, postquam a me reprehensus fuit, alteram editionem imprimendam curauit, in qua errores a me publice in gymnasio Patauino demonstratos, & alios multos abstersit, hoc illi ego libentissimo animo largior, vt immunis sit ab omni reprehensione. Nec ego prior s... editionis Mutinensis postea vidi ... mentionem: sed alteram, hoc est, Venetam tantum, in qua ... sunt in me aculei, excutiam diligenter ... tamen

duobus, aut tribus locis, quæ annotaram, antequam posterior editio fieret, multis audiëtibus in gymnasio Patauino. Is igitur pueriliter errat in priore editione suorum fastorum dū supplet Ro. marmora, quod ludos seculares primos collocat in primo consulatu P. Valerii Poplicolæ, sic, LVDI SECVLARES PRIMI, quæ res tota, vt magis perspiciatur, sciendum, de ludis his secularibus Dionysium, & Liuium nihil prorsus dixisse. Censorinus autem in libro de natali die, ait. *At enim temporum veterum si reuoluantur annales, longe magis incertum inuenietur.* Primos enim ludos seculares exactis Regibus constat post Roman. cond. annis CCLV. a Valerio Poplicola institutos esse, ita sese habent codices Aldini, qui corruptissimi sunt, cum legendum sit, annis CCXLIX: Nam in quarto consulatu Ludos hos instituit Poplicola, vt scribit aperte Plutar. his verbis, in ipsius vita.

τῷ δ' ἑξῆς ἔτει πάλιν ὑπατεύοντο Ποπλικόλας τὸ τέταρτον, paulo post. *καί τις ἅμα δεισιδαιμονία τῆς πόλεως ἥψατο· πᾶσαι γὰρ αἱ κύουσαι τότε γυναῖκες ἐξέβαλλον ἀτελῆ, καὶ τέλος οὐδεμία γένεσιν ἔσχεν, ὅθεν ἐκ τῶν συβυλλείων ὁ Ποπλικόλας ἱλασάμενος τὸν ᾅδην, καί τινας ἀγῶνας πυθοχρήστους ἀναλαβὼν*, & quæ sequuntur, de qua re etiam Valerius Max. scribit multa lib. 2. cap. 1. Quod igitur erat signandum in quarto consulatu Poplicolæ, Carolus Sigonius collocat in primo, qui error non aliunde nascitur, quam quod veteres scriptores diligenter non legit.

Alius error Sigonii.

CAPVT VI.

SEd idem vir mirificus cur sibi videtur in historia, cum animaduertisset se in priore editione temere in primo cōsulatu Popl. ludos primos seculares collocasse, reprehensus a me publice in gymnasio Patauino, & iure castigatus, vt omnes sciunt, sustulit ex suis supplementis fastorum Ludos seculares, nec apposuit in posteriore editione Veneta Aldina, puto quod statuisse sequi Liuium vnum in supplendis fastis: Ideo neque secundos, neque quartos, neque quintos adnotat Ludos seculares: Sed quis hoc ferat æquo animo? in historia Romana non adnotentur seculares Ludi? At Liuius, *inquit*, non adnotauit, quem ego sequor primum inficior, Liuium de iis non esse locutum. Deinde assero, marmorum Rom. debuisse habere illum rationem, in quibus Ludorum secularium fit mentio. Non meminerat, opinor, se supplere marmora Rom. vt enim in scriptione ipsa libri perspici potest, ait. *Regum, Consulum, Dictatorum, ac Censorum Rom. Fasti vna cum triumphis actis a Romulo rege vsque ad Ti. Cæsarem, Carolo Sigonio Auctore.* Ergo se auctorem appellat? Tu auctor o Sigoni horum fastorum? Nonne Romæ in marmoribus descripti fuerant? Nonne ætate nostra effossi, & collocati in capitolio? An parum tibi videbatur, si diceres te suppleuisse? Nimium tibi tribuis, mihi crede: sed his omissis, nūc ostendo Liuium de ludis secularibus fuisse locutum,

quod

quod & tu non ignoras, sed si scis, eo magis reprehendendus es, qui in tuis supplementis id non adnotas. Liuius igitur lib. XLIX. vt in epitome legi potest, ait. *Diti patri ap. Terentum ex praecepto librorum Sibyllinorum facti, qui anno primo primi belli Punici, quingentesimo & altero anno ab vrbe condita facti erant.*

Alius error Sigonii in emendando Liuii.

CAPVT VII.

Locum hunc (quod postea legi) Sigonius, putat esse corruptum (vt videre potest quiuis in scholiis ipsius in Epitomen lib. XLIX.) & legi debere. Qui anno centesimo, primo bello Punico, quingentesimo & altero anno ab vrbe condita facti erant. Interpretatur autem sic. *Centesimo anno*, id est, *centesimum ante annum, dum primum bellum Punicum gerebatur.* Sed ego primum quæro, vnde tanta dictionum varietas, vt cum primo anno legeretur, Sigonius inuenerit in vetere libro (vt ait) centesimo. Veterum librum, *opinor*, intelligit impressum iam multis annis ante, sic enim solet appellare, vt distinguat a manuscriptis. Ego omnes veteres fere, quicumque impressi fuerunt, habeo, nec vllus tamen, centesimo, habet, sed omnes primo. Cur si ibi fidem haberi volebat, non proferebat, cuius essent notæ veteres illi libri, quorum testimonio vtitur: & manuscripti itidem vbi asseruarentur? Sed maluit reticere, vt aliquando posset delitescere, si fucum faceret in emendando. Deinde velim mihi ostendat, si potest, Latini ne vnquam ita locuti sint, *centesimo anno*, id est, *ante centesimum annum* Ego ex marmoribus ipsis Romanis, & Censorino cap. 15. coniecturam ducens puto esse legendum *anno XVI. primi belli Punici.* Censorinus tertios ludos seculares ait factos, Antiate, & Liuio auctoribus P. Claudio pulcro. L. Iunio Pullo consulibus. Marmora autem ipsa, vbi BELLVM primum Punicum habent scalptum, consulesque deinceps, qui eo bello perdurante creati fuerunt, hos XVI. an. eius belli habent. Sic.

P. CLAVDIVS AP. F. C. N. Pulcer.
L. Iunius C. F. L N. Pullus.

An vero Liuius Belli primi Punici annos aliter enumerarit, ac marmora ipsa habent mihi non liquet, nam periere illius libri, in quibus initia illius belli explicabantur, Epitomasque tantum habemus, ex quibus hoc cognosci non potest, sed ego crediderim Liuium cum ipsis marmoribus consensisse, quæ Ti. Cæsaris ætate videntur fuisse sculpta. Huc accedit, quod iisdem Coss. initium illius belli etiam Polybius narrat, vt satis est notum omnibus, qui ipsum legerunt. Librarii igitur antiqui describentes illum locum, omiserunt numerum, & sic scripsere, *Anno primi belli Punici,* postea aliqui suppleuerunt primo, ducti opinor, coniectura, quod ludi quarti seculares primo etiam anno tertii belli Punici relati sunt, vt ex ipsis marmoribus, itidem ex Epitome Liuii libr. XLIX.

cognosci potest, qui locus etiam magis opinionem meam confirmat. Sicut enim Liuius non marmoribus consensit de initio belli tertij Punici, quod fuit L. Martio Censorino. M. Manilio, sic se credi potest etiam cum marmoribus consensisse in explicando initio primi belli Punici.

Alius Sigonij error ibidem.

CAPVT VIII.

AIt Sigonius in scholiis eodem loco, in Ep. lib. XLIX. *Nam si* anno ab V.C. DI illi facti sunt profecto P. Claudio Pulcro, L. Iunio Pullo consulibus facti sunt. Nam in eos Coss. incidit hic numerus ad summam Liuianam. Cum veteres ita loquuntur centesimo altero quingentesimo altero, non centesimum primum, sed centesimum secundum significant & quingentesimum secundum. Alter enim duo, siue secundum significat in ordine numerorum. Sic se rem habere demonstrat alter Liuij locus libr. 3 ab vrb. cond. vbi ait, *Anno trecentesimo altero, quam condita Roma erat, iterum mutatur forma ciuitatis a consulibus ad decemuiros: & paulo post in marmoribus Rom. est scalptum CCC. & post duos annos in eos ex decemuiros hos*, de quibus Liuius. Hoc non intelligens Sigonius ait, *DI*. cum dicere deberet, *DII*. Sed adhuc hic numerus non consentit cum marmoribus Romanis illic videas esse hos cõsules anno *DIV*. Ostendat si potest Sigonius exacte hanc summam marmorum non conuenire cum Liuiana duobus annis, vel, vt ipse ait, tribus. Scio equidem videri duos consulatus a Liuio esse prætermissos, vbi de Coriolani rebus gestis loquitur libr. 2. sed addi debere & fuisse a librariis omissos, ego alibi ostendam. Plinius consules prædictos nominat lib. XV. cap. 1. vbi de copia olei loquitur, & ait *Vrbis anno quingentesimoquinto*. Diceret hic Sigonius aliam summam esse annorum apud Plinium, aliam apud alios. Ego assero locum Plinij a librariis fuisse corruptum, cum enim more antiquo esset scriptum *DIV*. id est, *quingentesimo quarto*: ipsi nõ intelligentes *quingentesimum quintum* scripserunt. Eodem modo crediderim in loco illo in Epitome lib. *XLIX*. contigisse. Cum enim scriptum esset anno *DIV*. id est, quingentesimo quarto, librarii, quod illa litera *V*. esset deleta in altero crure, putarũt esse I. & scripserunt *DII*. vnde postea descriptum fuit, quingentesimo & altero.

Alius error Sigonij ibidem.

CAPVT IX.

AIt Sigonius in scholiis ibidem paulo post *Præterea si post cẽtum annos quam illi facti erant, relati sunt, profecto anno DCI. hi facti sint necesse est, qui annus consules habuit L. Marcium Censorinum, & M. Manilium, itaq; Censorinus idem ait. De quartorum ludorum anno triplex opinio est. Antias enim & Varro, & Liuius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. Manilio Coss. post Romam conditam anno DCV. Sequitur autem in numerandis annis*

nis alios auctores quam Liuium. Quis non videt hic falsa dicere Sigonium. Si enim centum annos postquam illi facti erant, relati sunt, profecto non anno DCI. hi facti fuerunt, vt tu narras, *Coss. Marcio, & Manlio.* Sed anno DCV. oporteret dicere. Eo enim anno fuere *Coss Marcius, & Manlius*. anno scilicet primo tertii Punici belli, vt ex ipsis marmoribus patet: marmora cum ego cito, non tua supplementa cito sed ipsam vetustam sculpturam Et sic non confirmantur his tuis somnijs illa verba Liuiana in Epitome lib. XLIX vbi ait, *anno altero & sexcentesimo* Oporteret enim legi *anno quarto & sexcentesimo*, & sic essent centum anni. Nam anno ab vrbe cond DLV. Coss fuerunt *Claudius, & Iunius*, quibus Coss. tertii ludi seculares facti fuerunt: iam ab his vsque ad Marcium, & Manlium, qui consules fuerunt an DCV. vt diximus, dinumerabuntur anni centum Non video igitur, quomodo tueri potest Sigonius talem lectionem apud Liuium in illa Epitome *altero & sexcentesimo.* Ergo igitur puto legendum, *quarto & sexcentesimo*, & ostendo vnde fluxerit error sicuti prius: Erat scriptũ apud Liuium. *Tertii Punici belli initium IV. & DC*. anno ab vrbe condita: non intelligentes librarii, qui postea descripserunt, illis notis IV significari quatuor, putarunt II. id est, duos significari, & ita scripserunt *altero, & sexcentesimo anno*, sed adhuc illis librariis est indoctior Sigonius, qui sexcentesimo altero intelligit DI quod esse falsum vel pueri ipsi sciunt. Loca Censorini ego corrigerem, nisi ante me correxisset doctissimus Cuspinianus in suis comentarius in Cassiodori fastos, vt videre quilibet poterit eo loco, quo Consules prædicti nominantur.

Alius error Sigonii ibidem.

CAPVT X.

NEc erat quod angeretur Sigonius in enumerandis annis centum adeo exquisite. quamuis ne id quidem scierit, aut si sciuit, non ideo tamen potuit Liuii locum confirmare: nam veteres aperte ostendunt in ludis secularibus faciendis, nõ semper spectari solere centum annorum numerum. Censorinus id satis demõstrat vbi aliorum historicorum recenset opinionem, & ait. *At Piso Censorius, & Cn. Gellius, sed & Cassius Hemina, qui illo tempore viuebat post annum tertium factos, affirmant Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Coss. id est, DC. & VIII. anno* (sic enim legi debet) *In Xvum autem commentariis notantur suo annis DCXXVII.* Sic enim etiam eo loco scribendum.)

Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreste Coss.

Si igitur quarti ludi, aut DC. & VII. aut DC. & XXVII. anno ab vrbe condita, patet multo post centũ annos elapsos factos fuisse, siquidem tertii seculares facti fuerunt, aut anno ab vrbe cond. DIV. aut D. & XVIII. vel, vt ego puto legendum, DXVII. Coss. P. Cornelio L. F. Ti. N. Lentul. Caudin. C. Licinio P. T. P. N

Varo. Sic enim emendari contextus Censorini debet ex marmoribus ipsis Capitolinis. Sed paulo post ipse Censorinus rem declarat his verbis. *Hinc animaduertere licet, neque post C. annos vti referuntur ludi, statutum esse seculum, neque post CX.* & quæ sequuntur. Et paulo post vbi Pisonis verba recitat. *Testis est Piso, in cuius annali septimo sic scriptum est. Roma condita anno DXXI.* (Ita enim legendum est, non, vt Aldini codices habent, *DVII.*) seculū accipit his Coss. qui proximi consules sunt *M. Æmilius, M. F. M. N. Lepidus. M. Poblicius L. F. L. N. Malleolus.* Vulgati codices Aldini corruptissimi sunt, sed ita legendum, vt ego ex marmoribus ipsis Capitolinis descripsi. Si illis consulibus seculum numerare incipiebat, patet adhuc plures annos esse, nam hi Coss. tribus annis post fuere, quam P. Cornelius Lentulus, C. Licinius Varus, de quibus ante dictum est. Nec vero Censorinus tantum id tradit, sed etiam Horatius innuit in seculari carmine, vbi ait.

Certus vt denos decies per annos
Orbis & cantus, referatque ludos.

Alius Sigonii error.

CAPVT XI.

SIgonius quartos ludos seculares collocat anno *DCXXVII.* Æmilio Lepido, & L. Aurelio Oreste Coss. secutus, opinor, Xvirū libros, quos legit, & asseruat diligenter vna cum Sibyllinis, ne quis alius præter se & suum bibliopolam Calendarii illius, quod vetus non est, explicatorem ipsos legat. Atqui Liuium secutus potuisset eos collocare anno ab vrbe condita *DCV.* L. Marcio Censorino, M. Manilio Consulibus, nam præter Censorinum, etiam Epitome libri XLIX. ita habet, vt ante nos retulimus.

Alius Sigonii error.

CAPVT XII.

TErtios seculares ludos collocat Sigonius anno *DXXXIII. Coss. L. Veturio, & C. Lutatio.* Quos tamen testatur Censorinus a Liuio fuisse collocatos anno *DIV. P. Claudio Pulcro, & L. Iunio Pullo,* nam alii collocarant *DXVII. P. Cornelio Lentulo. C. Licinio Varo Coss.*

Alius Sigonii error.

CAPVT XIII.

SEcundos seculares ludos collocat Sigonius anno *CCCCIX. C. Poetelio Visolo, & M. Valerio Coruo II. Coss.* & secutus est Cēsorinum referentem sententiam hanc ex commentariis XV. virum. ibi corruptus est contextūs, nam legitur anno CCCCX. cum legi debeat CCCCVII. Præterea & cognomen Valerii, nam Coruinum habet, cum Coruus diceretur, ex marmoribus ipsis Capitolinis rem disces. Nec tamen scio, cur Sigonius potius illorum commentariorum sentētiam sequi voluerit, quam historicorum: nam

nam ex aliis Historicis refert Censorinus (etsi mutilus ibi est cõtextus) secundos ludos seculares *M. Valerio & Sp. Verginio Coss.* factos anno ab vrbe condita *CCXCVII.* Etsi aliter habent Aldini codices, qui ab omni parte corruptissimi sunt. Credo Sigonium, cum videret parum temporis interualli inter primos & secundos ludos seculares esse interpositum, existimasse absurdum, si eo anno dicerentur facti, nam primi facti sunt ann. ab vrbe condita *CCXLIX.* in consulatu IV. scilicet P. Valerii Poplicolæ, vt ante ex Plutarcho retulimus, & ideo sequi illum maluisse commentarios Xuirum, quos fortasse bibliopola ille mirificus asseruat, nec edere vult.

Censorini contextus emendatus.

CAPVT XIV.

NVnc, postquam Sigonii errores patefeci, operę pretium, opinor, faciam, si Censorini contextum totum cap. XIII. vbi explicat hæc omnia, hoc loco descripsero eo modo, quo censeo supplenda, distinguendum, & corrigendum esse, sic enim perspicient omnes, quales Aldini libri sint, hoc est, quam corrupti. *Primos enim ludos seculares exactis Regibus constat post Romam conditam annis CCXLIX. a Valerio Poplicola institutos esse ad XL virorum commentarios. Secundi autem ludi fuerunt, vt multi tradunt, anno ab vrbe condita CCXCVII. M. Valerio, M' F. Volusi, N. Maximo, Sp. Verginio Coss. anno post vrbem conditam CCXCVII. vt vero in commentariis XVuirorum scriptum est, anno CCCC. VII. M. Valerio Coruo, & C. Petelio Coss. Tertii ludi fuerunt Antiate, Liuioque auctoribus, P. Claudio Pulcro. L. Iunio Pullo Coss. anno DIV. vel vt alii, anno DXVII. P. Cornelio Lentulo, C. Licinio Varo Coss. De quartorum ludorum anno triplex opinio est. Antias enim, & Varro, & Liuius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M. Manlio Coss. post Romam conditam DCV. At Piso Censorius, & Cn. Gellius, sed & Cassius Hemina, qui illo tempore viuebat, post annum factos tertium affirmant, Cn. Cornelio Lentulo. L. Mumio Achaico Coss. idest, DC & VIII. In XVirorum autem commentariis notantur sub annis DCXXVII. Æmilio Lepido, Aurelio Oreste Coss. Quintos ludos Furnio & Iunio Siliano Coss. anno DCCXXXVI Cæsar, Augustus & Agrippa fecerunt. Sextos autem fecit Ti. Cæsar, se III. & L. Vitellio Coss. Atque hæc quidem ita emendari debent.* Quod si quis hæc nostra conferat cum impressis libris, videbit, quam multæ mendæ sublatæ sint, & qua ratione.

Alius error Sigonii demonstratus.

CAPVT XV.

IDem Carolus Sigonius ait, Secundo anno a liberata vrbe Coss. P. Valerio II. T. Lucretio lustrum factum. Vt quæras apud Liuium libr. II. nihil inuenies. Est quidem apud Dionysium Halicarnasseum mentio facta de censu a Coss. acto. Sed de lustro ni-

liil. Ego enim didici, Censum sine lustro fieri solitum, cum præsertim annus esset funestus ob mortem Consulis, id declarat Liu. libro 3. vbi ait: *Census actus eo anno. Lustrum propter Capitolinum captum: Consulem occisum condi religiosum erat*. Lustrum autem conditum & censum actum a Quintio Cos. idem Liuius refert Lib. 3.

Alius Sigonii error demonstratus.

CAPVT XVI.

Sigonius anno DXXXIII. collocat fragmentū marmoris antiqui, in quo de ludis secularibus I e.c. fit mentio. Sic. LVDI SECVLARES TERT.

M' ÆMILIO M' F. Mag. XVir.
M. LIVIO M. F. M N. Salinator.

Quam vero inepte hoc loco collocati sint, quilibet iam ex iis, quæ a me superius dicta sunt ex Censorino cognoscere potest, quo autem loco verba hæc antiqua in marmoribus scalpta sint reponēda, satis patet ex iis, quæ diximus ante. Nec vero non perspicio, quid in hunc errorem impulerit Sigonium: Mag XVIR. nominabatur illic M. Liuius Salinator: vbi primum igitur Sigonius Salinatoris Cos. mentio est facta & Æmilii, ibi collocādum marmoris fragmentum indicauit. Quam pueriliter quis non videt? quasi Mag. XVir. non differat a Cos. & Consul fuerit in consulatū mag XVir. de hac re nos alio loco copiosius loquemur, cum de magistratibus. & sacerdotiis Rom. agemus.

Alii errores quamplurimi eiusdem demonstrati.

CAPVT XVII.

Rutiliam, Cæsellliam, Rhodocillā, Mutrullam, Burram, putat Sigonius, auctore Val Probo in suis Epitomis, esse mulierū Romanarum prænomina. Ego hæc cognomina quædam, aut nomina ab amatoribus efficta, & a colore ducta esse existimo: & Valerium Probum corruptum esse scio. Præterea Sigonium damno, qui professus est se intra Augusti ætatem illa persequi: nec tamen vllo exemplo probat ita rem se habere. Syllæ dictatoris filiā Faustam prænomine dictam asserit idem Sigonius. Ego id prænomen esse nego: sed non est mirum existimasse illum Faustā Corneliæ prænomen esse, qui etiam Faustum fratris eiusdem prænomen esse dixerit, testimonio vtens Asconii, quod nusquam est. A Cælio in Epist. fam. Paullam Valeriam eodem modo dici, vt Paulla eius sit prænomen, sicuti ille scribit, prorsus nego. Tertia Iunia nominatur a Suetonio in Cæsare, & a Macrobio lib. 2 Saturn. Sed prænomen etiam illud esse, vt asserit Sigonius, nego. Apud Liuium itidem libro XL. quartam Hostiliam eodem modo dictam scio, sed Quartam prænomen esse nego. Apud Ciceronem in Or. pro M. Cælio, & de Responsis Aruſp. Q. Claudiam scio legi, sed non Q. vt prænomen esse videatur, debet scribi, verum

ram Quintam. Fuit enim vna ex filiabus Appii illius Cæci, de quibus etiam Cicero loquitur in lib. de senectute, cum ait: *Quatuor robustos filios & quinque filias Appius reliquerat, &c. & cæcus.*

Alius error Sigonii demonstratus.

CAPVT XVIII.

Octauo die fœminis nomina imponi solita ait Plutar. in problem. de nominibus. vbi verba hæc profert, τὰ ὀνόματα τίθενται. Eodem modo Sex. Pompeius, vbi de lustricis diebus loquitur, ait: *Nomina imponuntur.* Valerius vero in Epitome scribit, non ante prænomina imponi solita, quam togam virilem sumerent: Credit Sigonius aduersari sibi hos: Ego non video. nam Plutarch. & Pompeius de nominibus loquuntur, non de prænominibus. At Valerius de prænominibus. Quis ferre iam possit tantam Sigonii inscitiam, qui omnia suis nugis confundit? Nec vero hoc nouus erratum est in priore tantum editione, sed etiam in posteriore, & tertia.

Alius error Sigonii demonstratus.

CAPVT XIX.

HÆc ego in priore editione (quæ tamen non omnia correxit in posteriore) errata Sigonii in gymnasio Patauino, cum de iis rebus incidisset mentio. dum historias Romanorum explicarem superiore anno, demonstraui: quæ totidem verbis retuli, vt omnes intelligant, quam iure fuerit a me reprehensus. Nunc finē facio persequendi errata primæ editionis, & sane condono ipsi libenter reliqua. Non enim desunt eiusdem multo maiora errata in posteriore editione, & tertia, quæ demonstrem. Primum igitur cap. 1. Sigonius, vbi caussam explicare conatur, cur multis nominibus Romani vsi sint, ait: *Cum autem Romanos hominēs duobus primum, post etiam tribus nominibus vsos esse reperiamus, quorum vnum præcipue nomen, alterum prænomen, tertium cognomen, aut agnomen appellauerunt, ideirco nobis danda est opera*, vt, &c. Romanos ait, duobus nominibus ab initio vsos, quæro ego quomodo dicerentur tunc? Cur id non declarat Sigonius? Postea tribus, quæ cum explicat, primum ait, nomen dici. Secundū prænomen, quod est falsum, nam prænomen primum dicitur, nō secundum. Secundum vero nomen, non autem prænomen appellatur. Sed fortasse putauit hoc loco Sigonius id sese habere, sicuti etiam in suis annotationibus Liuianis ait lib. 7 pagella 101. vbi asserit nomen & prænomen confundi, & prænomē nomen dici interdum. Agedum vt sit hæc confusio, non tamen nomen prænomen vnquam appellatur, sicuti etiam nunc affirmare videris, cum secundo loco prænomen enumeras, ac collocas. Rursus Sigonius in iisdem verbis, quæ ante recitaui. quia ait, tertium fuisse dictum cognomen, aut agnomen. Ergo o Sigoni cognomen, & agnomen

idem sunt, nec differunt? Vnde tu talia depromsisti? ex auctoribusne? at nullus est qui agnomen protulerit vnquam. An ex Grammaticis? sed Grammatici cognomine distinguunt. Sicuti tu ipse paulo post capite 2. retulisti, ex Probo, Diomede, & aliis.

Alius error Sigonii.

CAPVT XX.

EOdem capite Sigonius cum sibi in animum induxisset sequi potius Valerium Probum, quã Varronem in origine duplicandorum nominum demonstranda, qui ab Albanis, & Sabinis, a quibus potissimum traxerant Romani originem, hanc quoque consuetudinem eos accepisse existimat, multum aberrat a vero. Ego nunc non disputo de hac re: tantum profero Caroli verba, quæ sunt sub finem. *Atque huic quidem ego etiam assentior, quippe qui & hanc rationem apud Italos populos fuisse, & aliis præterea eos quibusdam prænominibus a Romanis vsos esse comperiam, & Remũ, ac Romulum, aut quia spurii fuerunt, gentis nomine caruisse, aut certe ex Syluia gente, cuius & mater erat, extitisse existimem. Romulus & Remus, quia ipsorum mater erat initiata sacris Vestæ, nothi vtique fuerunt. Sed quia patrem habuerunt Martem, varii dici non possunt, quales his literis* S. P. (in repunctis tamen) ait significatis olim a Ro. Plutar. in problematibus, nam spurii postea per errorem dicti sunt nothi ab iis, qui prænomen hoc Sp. non distinguebant a literis his S. P. etsi de literis ita interpunctis nihil scribit eo loco Plutarchus, quare nescio quid nugarum proferat Sigonius cap. 3. vbi ait: *Spurius dictus, qui sine patre esset, antiqui enim iisdem literis* S. P. *& sine patre scripserunt.* Hæc ille Verũ esto, spurium significare nothũ, nam id est postea factum: illud ego quæro ex te, an Spurius prænomen, vt dicis, significaret eos qui sine patre essent, hoc est, vulgo conceptos, & varios, quo id auctore asseris? Ergo tam multi præclari viri apud Liuiũ, & alios, qui Spurii prænomine dicuntur, omnes vulgo concepti fuerũt, & nothi? Erras mi Sigoni: nam res longe aliter sese habet, nec pluribus est opus ad refellendum hoc erratum tuum tam puerile. Miror te, qui Liuium legisti, id nõ obseruasse: quod ab aliis etiam, qui minus in hoc genere literarum sunt versati, obseruatum fuit. Quod vero scribis, Romulum, ac Remum ideo Syluios nõ fuisse dictos, quod, cum nothi essent, eius gentis nomine caruerint. Ostende, si potes, olim apud Roma. florente rep. (nam intra id tempus concludis tuam disputationem) eos, qui nothi essent: ex gente fuisse repulsos, nec gentilitia suorum nomina retinuisse. Id quidem factũ postea fortasse, sed ea ætate hoc in consuetudine non fuit positum. Vide quid dicere audeam: tu contra affert o, si potes, aliquid. Is Romanus erat ciuis, qui ex ingenuo, & ingenua esset ortus, nec aliud præterea requirebatur, si modo pater Rom. erat, &

mater

mater Ro. aut etiam peregrina. ex iis, qui ius ciuitatis habebant. Liuius id declarat lib 6 ab vrbe cond. his verbis in cõcione Appii. *An hoc si Claudia familia non sim nec ex patritio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & uiuere in libera ciuitate sciam.* Papia autem lex fuit, quæ peregrinos a iure ciuitatis Ro. repellebat. vt Cic. explicat in lib. de off. & Valerius Maximus lib. 3 cap. 4. in exemplo de Perpenna, quem ait ante fuisse Cos. quam ciuem, quoniã ipsius pater irrepserat clam in ciuitatis Rom iuris possessionem. Sed non inutile fuerit subiicere distributionem quãdam, qua genera filiorum demonstrã- tur, a me certa cum ratione factã, ac desumtam tum ex veterum consuetudine. Filii sunt hominum & parentum, aut ingenuorũ, aut seruorum. Si ingenuorum, aut amborum, aut vnius. Si amborum, aut ciuium Romanorum, & horum vel e plebe, vel patritiorum, aut latinorum, aut peregrinorum. Si vnius aut patris tantum, aut matris vel ciuis Rom. vel iuris Latini, vel peregrinæ. Si ciuis Rom aut de plebe, aut de patritia gente. Si seruorum (nam redeo ad partem primæ diuisionis) aut amborum, aut vnius. Si vnius, vel matris, vel patris. Hinc licebit cognoscere, quod sint apud veteres Rom filiorum differentiæ. Et cum filii patrem sequantur, quo iure singuli fuerint. Multa Iureconsulti etiam de hac re loquuntur in dig. titulo de Senatoribus. Exstat liber subtilissime, & doctissime scriptus de nothis, & spuriis, Gabrielis Paleotti nobilissimi viri, Iureconsulti Bononiensis, qui etiam persequitur differentias filiorum legitimorum, & illegitimorum ex consuetudine nostræ ætatis, & religionis. Quod vero attinet ad rem propositam, Iureconsulti satis explicant spurios & nothos, nec nomen, neq; insignia familiæ retinere, in suis commentariis *Digest. tit. de verborum signific.* in legẽ pronuntiatio, & *in Cod. lege vlt. de verborum significatione.* Sed ante Augustorum tempora talia fuisse in vsu, nullus quidem veterum scripsit. Quare tempora ego censeo diligenter distingui debere, ante quam de re aliqua statuamus aliquid.

Alius Sigonii error demonstratus.

CAPVT XXI.

Multa ridicula sunt & puerilia, quę scribit Sigonius capite secundo suæ disputationis, in quo quærit, quid sit nomen, prænomen, & cognomen. Primum enim statuit, Romanos non contentos nomine, & prænomine, cognomina quoque, & agnomina adiunxisse, quod testimonio etiam Pausaniæ comprobare conatur, verba ex Atticis illius proferens huiusmodi *καλοῦνται γε οὐ ... οἱ ῥωμαῖοι κατὰ ... , ἀλλὰ καὶ τρία ὁ πάντων ὀλίγιστα, καὶ ἐπὶ ... .* Primum errat Sigonius, qui in Atticis ... hæc a Pausania esse scripta, cum in Achaicis legantur, vbi de ...io loquitur, quem Ro. in Græciam miserunt, vt disceptantes

Græcos audiret. Nec hoc Caroli Sigonii erratum adnotassem, si non animaduertissem, ipsum sæpe recitãdis veterum testimoniis lectorem decipere. Sicut in priore editione cum imponere nobis vellet, & persuadere, FAVSTVM esse prænomen. Asconium ibi citat in commen. in or. Cic. pro Milone, nec tamẽ vllum verbum de ea re profert Asconius, ex quo cognoscas, Faustum esse prænomen. Sed Pausaniæ etiam locũ hunc ante protulerat Lilius Giraldus in suo dialogismo IV. nam nondum sua tunc edidisse Sigonium, ipse Lilius sub finem demonstrat his verbis. *Nec his pauciora Carolus Sigonius, iuuenis Mutinensis, in eo suo commẽtario, quem de prænominibus habet in manibus, hac de re plura complectitur.* Enumerat autem eo loco Lilius omnes, qui de nominibus Romanorum scripserunt: me quoque non prætermittit, qui multo ante scripseram. Hæc ideo a me dicta sunt, quia nihil omnino protulit Sigonius, quod ab aliis ante non esset dictum, vt paulo post singula enumerans patefaciam, sed nunc redeo ad institutum sermonem. Errat etiam Sigonius in verbis, quæ ego ante protuli, ex II. cap. ipsius disputationis, quod ait, Romanos ad nomen & prænomen, cognomen etiam iunxisse & agnomen. Nam Agnominis vox a nullo ex veteribus auctoribus vnquam prolata fuit, quod etiam copiose a me demonstratum fuit in meo libello de Ro. nominibus. Nam cum semel legeretur tantum apud Cic. lib. 2. de inuentione apud Ciceronem, & apud Iustinianum in institutionibus, quid de vtroque loco esset iudicandum, dixi aperte: & equidem sententiam totidem pene verbis protulit post me Lilius Giraldus vir doctissimus, etiam ipse, sicuti ego ante feceram reiiciẽs Grammaticorum illam rationem, agnominis in arte sua constituendi, cum nullus vnquam tali vocabulo ad id genus cognomẽti declarandum, ex antiquis vsus fuerit. Nam in his P. Cornelius Scipio Africanus, tã Scipio, quam Africanus cognomen, aut cognomentum a Cicer. & aliis antiquis auctoribus dicitur. Sed Sigonius ex Grammaticorum sententia ait: *Africanum, esse agnomen, quod nunquam veterum testimonio comprobare poterit.* Liu. lib. 4. L. Sergium Fidenatem a bello, quod gessit aduersus Fidenates, cognomento dictum fuisse scribit. Idem lib. eod. T. Quintium Cincinnatum L. F. Pœnum esse altero cognomine dictum testatur, cui (inquit) & Pœno cognomen additur. & Cicero in somnio Scipionis. Eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes nũc a me hereditarium & Valerius Maximus lib. 3. cap. 5. vbi de Africani filio loquitur. *Inter duo fulgentissima cognomina patris & patrui, altero oppressa Africa in parte, altero tam maiore ex parte recuperata Asia, urgere incipient.* Non est opus pluribus: nullus veterum agnomen appellat. Ecce in superioribus exemplis, Fidenas, Pœnus, Africanus, Asiaticus cognomina dicuntur: Sigonius vero agnomina vult appellari, nam ait hoc eodem capite secundo, sic,

Præno-

Prænomen, Nomen Cognomen, Agnomen. Prænomen, *quod nominibus gentilitiis præponitur, vt Publius.* Nomen, *quod originem gentis declarat, vt Cornelius.* Cognomen *quod nominibus gentilitiis subiungitur, vt Scipio.* Agnomen, *quod extrinsecus addi solet aliqua ratione, vel euentu quasi-uno, vt Africanus.* Ecce vt Africanus agnomen a Sigonio dicitur ex sententia Grammaticorum. Dii boni quantum ego laboraui in euellenda hac opinione ex hominum animis: & quantum Grammaticos exagitaui hac de caussa in meo libello de Nominibus Ro. Et tamen non est deterritus Sigonius, tam nullo est præditus iudicio in literis. Et si in hac eadem posteriore editione cap. 9 vbi de vsu cognominum, & agnominum disserit: veritatem eadem perspiciens protertur [illegible] tus, opinor, agnomen non differre a cognomine. *Qui* (inquit) *agnomen aliud esse a cognomine tradiderunt, ii mihi falsa, quæ sentiunt, non probant.* paulo post. *nam ea agnomina vocant Africanum, Asiaticum.* Nondum mihi satis fecisti o Sigoni Nolo tantum dicas cognomē, & agnomen idem esse, sed agnomen non esse vocem vetustam, nec debere vsurpari sed tolli prorsus, cum temere sit a Grammaticis inuecta. Cur non percipis tandem id quod verum est? ne te ipsum, & alios simul qui te audiunt, aut tua scripta legunt, decipias, & deridendum præbeas.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXII.

EOdem capite me carpere conatur his verbis. *Cur autem quidam in his [illegible] nominibus, prænomen, ac nomen idem esse dicat, idque superiore loco Plutarchi confirmens, miror. Neque enim ea est Plutarchi sententia* Ego hæc scripseram ante in mea disputatione, cum esset mihi in animo Grammaticorum illam falsam opinionem refellere, qui statuebant Prænomen, Nomen, Cognomē, & Agnomen, & dixeram vel debere nos tollere de medio hāc vocem (quod inusitata esset) Agnomen, aut si retinere vellemus satius esse familiæ nomen per ipsam significare, quia agnati dicuntur, & agnatio, vnde deducta videri possit etiam hæc vox agnomē. Atque vt inueherem hanc sententiam, protuli exempla: præterea, id vt commode fieri posset, statui prænomen, & nomen, quæ separata ante a Grammaticis proferebantur, vnum & idem significare posse, vt *C. P. L. Cn.* & prænomina dicerentur & nomina: Atque ne id videretur absurdum, testimonio Græcorum probabam, qui illa nomina appellabant Nunc Sigonius me reprehēdit, quia nullo iudicio (vt sæpe dixi) præditus est in literis, nec satis attendere videtur, quid alii, quave ratione scribant Sed quid ego pluribus ago de hac re? Ipse Sigonius in suis scholiis Liuianis ob. [illegible] num. 101. ait, nomen & prænomen confundi & prænomen nomen dici interdum. Imo & ipsum cognomen his verbis. *Nomen autem & prænominis congruit, ac cognominis.* Eodem modo in Epi-

tome lib. VI. vbi de Manlio loquitur, legimus, *ne cui de Manlia gente Marco nomē esset.* Satis enim patet, odio illius abrogatum in gente Manliorum hoc prænomen M. Ergo ibi nomen dicitur, sicuti ipse emendat, nam ante cognomen legebatur. Itidem & libro 7. nu. 101. eodem modo. Quam autē recte, videbimus postea. Tam igitur absurdum fuit, si ego statueram, vt in suum locum Agnomen ad gentem significandam restitueretur? Prænomen, & nomen idem esse posse, etsi aliam quoque rationem, quam veteres probarunt, ostendi, & probaui: Sciendum autem est, Dionysium Halicar. vocare *L. P. C. Cn.* κοινὸν ὄνομα, quo loco de Lucumone loquitur, q; Plut. in Coriol. vocat ἴδιον ὄνομα, vt facile perspicias, hos inter se non conuenire: sed vtriusque sententia probari potest. Nam prænomina sunt κοινὰ, quia omnes gentes vtuntur, & diuersi homines eiusdem gentis. Sunt itidem ἴδια, quia hūc hominem peculiari appellatione ab illo distinguunt. Sed idem Sigonius pueriliter loquitur, cum ait eodem cap. II *Quod si quis hos fortasse, vt leues huiusce rei auctores repudiauerit, nunc animum referat ad ea, quæ scripta sunt apud Dionysium, Plutarchum, Ciceronem, & Suetonium, auctores grauissimos, a quibus hæc opinio confirmatur.* Statuerat Sigonius ex Grammaticorum sententia, Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomen. Pollicetur se testimoniis illorum grauissimorum scriptorum probaturum, rem ita se habere: Audi o Sigoni. Proba, si potes, horum testimonio, Agnomen ita proferri, vt Grammatici, quorum sententiam paulo ante recensueras, sentiunt, tum mihi denique satisfacies Quod si non probaueris, non ægre feres postea, si te omnes illudent, vt indoctum. Nullus certe illorum auctorū, quos tu nominasti de Agnomine ita locutus est Quid igitur te in eo tantopere iactas? quid frustra desudas? Hoc ego a te postulo, vt vnum comprobetur, de aliis nulla controuersia est.

Alius error Sigonii demonstratus.

CAPVT XXIII.

EMendat Sigonius libr. 7. num. 101. illa Liuii verba. Quidam Cæsonem, alii Caium cognomen Quintio adiciunt, & putat legendum nomen illic, non cognomen. Itidem in Epitom. lib. VI vbi loquitur de Manlio. *Ne cui de Manlia gente Marco cognomen esset,* putat legendum *nomen*, non *cognomen*. Verum ego Carolo oppono alium locum ex Valerio Max. libr. 3. cap. 4. ex 3. vbi loquitur de Ser. Tullio Rege Romanorum, his verbis: *Statua ipsius titulus abunde testatur seruili cognomine, & regia appellatione perplexus:* hic consideret velim, quomodo Ser cognomen dicatur a Valerio: nam præponi solere, sicuti M. & C. nemo nescit. Et quamuis ibi ita proferat Valerius Maximus; *in Tullio vero Seruio*, non tamen possum adduci, vt credam existimasse ipsum ita dici, sed potius ex vsu loquendi ita inuersa protulisse.

Sæpe

Sæpe enim prænomen post nomen proferri solet ab antiquis, & quidem [illegible] hoc [illegible] factum, tum etiam de hoc Valerii loco postea copiosius dicemus.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXIV.

Sigonius capite 3. [illegible] prænomina Rom. enumerat, & diuidit in Romana, & peregrina. Inter peregrina postremo loco statuit, FAVSTVS & VOLVSVS. Quis vnquam ex veteribus [illegible] Faustum esse vocem peregrinam? Vnde hæc [illegible] Sigoni? Atqui erat tibi ignoscendum, si semel tantum in [illegible] lapsus: nam in priore editione cum idipsum scripsisses, & [illegible] a me iure optimo reprehensus: debebas sententiam mutare, nec esse adeo pugnax in re præsertim tam aperta. Nescio [illegible] affert postea ad se purgandum, quod connexas syllabas [illegible] in marmoribus scalptas VSTI. & Marlianum in [illegible], me quoque in meo, quasi vero tantillo spatio [illegible] summa eruditione & iudicio acerrimo decipi [illegible]. Si in Scholiis Livianis locum emendasti, postquam [illegible] a me fuisti, bene est, prudenter egisti, sicuti adolescentem [illegible] decet: teque ego de eo [illegible] modum a[illegible]. Verum in hac posteriore editione DE Nominibus [illegible] tollere erratum illud debebas; & eradere FAVSTVS e numero prænominum, nedum inter peregrina collocare. At [illegible] esse Valerio auctore id fecisse, qui Faustum prænomen [illegible] fauore dictum. Valerii ego illum libellum [illegible] corruptum esse, si modo etiam Valerii est: nec temere Grammaticis credendum, si quæ scribunt testimonio antiquorum non confirmant.

Alius error Sigonii demonstratus.

CAPVT XXV.

IN enumeratione prænominum Rom. cap. 3. eodem, vbi de prænomine PVBLIVS disserit, ait Sigonius. *Publii, ait Valerius, [illegible] pupilli facti erant, quam prænomina haberent.* Hic locus [illegible] declarat existimasse Valerium Probum Romanos prænomina habere tunc cœpisse, cum virilem togam sumerent. Si enim in pupillari ætate ea non iam habebant, satis patet res tota. Quare satis mirari non possum, quomodo Carolus Sigonius capite [illegible] quod inscribitur de prænominibus imponendis, tam pueriliter lapsus sit, qui crediderit Probum a Plutarcho, & a Festo dissentire, quorum ille in Problem. Rom. ait, [illegible]. Festus vero hic: *Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octauus: puerorum nonus, quia his lustrantur, atque iis nomina imponuntur.* Hi enim duo de nominibus loquuntur, quæ primum imponebantur infantibus pueris, & puellis lustrico die. Puto autem tu-

iſte conſuetudinem, ne ignoraretur quis, e qua eſſet ortus familia, & an liber eſſet, ac ciuis, vt luſtrico die infantibus nomina imponerentur, imponebantur autem eadem, quæ & patrum erant, hoc eſt, gentilitia. Atque hæc ſatis indicabant, illum & ciuem eſſe, & illius gentis. Sed Valerius Probus loquitur de prænomine imponendo: Solebat enim imponi adoleſcentibus eo die, quo togam virilem ſumebant. hoc eſt, poſt pupillarem ætatē, cum non eſſent amplius in tutela, ſi patrem non habebant. Hunc ego errorem Sigonii etiam ſuperius demōſtraui, ſed vt magis illius inſcitiam patefacerē, rurſus de eadē re verba feci, cum præſertim in poſteriore editione eſſet, etiā ſicut in priore, lapſus iſ, imo vero & in tertia tamq; negligens fuerit in ſcribendo, vt Probi verba, quo loco de prænomine PVBLIVS, loquitur, nō animaduerterit eo ſpectare. Ego certe maiora errata in hoc genere excogitari poſſe non puto, quare quantum Sigonio ſit tribuendum facile quiuis iudicare poterit: nam in repetendis iis, quę ab aliis dicta ſunt, non labitur ille quidem: ſi quando autem ipſe aliquid proferre ſtudet, ſemper hallucinatur, & impingit.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXVI.

PVeriliter, vt ſolet, errat Sigonius eodem capite, in prænomine Lartis explicando. Nam Priſciani lib. 5. quæ leguntur hæc verba ita profert. *Lar, ſi familiaris eſt, facit Laris, ſi Tolumnii Porſenæ, Lartis.* Seruii quoque in VI. librum Æneidos. *Lar Tolumnius a Coſſo occiſus a loco dictus. flectitur autem Lar Lartis.* Priſciani locum cum non animaduerteret Sigonius eſſe mutilum, deſiderarique particulam Et, vt ſic legatur. *Si Tolumnii, & Porſenæ Lartis.* Ait enim Priſcianus, *Lar*, ſi dicitur de Tolumnio rege Veientum, & de Porſena rege Cluſinorum, flectitur *LAR LARTIS.* Duos enim Reges nominauit Grammaticus inſignis, qui illud habuerant prænomen. Credit Sigonius Tolumnium & Porſenam non differre, ſed Porſenam non duobus tantum nominibus eſſe vſum, LAR Porſena vt diceretur, ſed e gēte Tolumnia fuiſſe, & dictum LARTEM TOLVMNIVM PORSENAM. Verba Sigonii ſunt hæc. *Neque enim LARTES PORSENA duobus tantum nominibus vſus eſt, cum ex Tolumnia gente fuerit, Seruio quem ante nominaui auctore.* Ego vero didici a veteribus duos hos eſſe Reges, & illum dictum LARTEM PORSENAM. Alterum vero LARTEM TOLVMNIVM. Rex ille fuit Cluſinorum, de quo Liu. lib. ſecundo, & Dionyſius libr. 5. hic vero Veientum, de quo idem Liu. libr. 4. & fuit a Cornelio Coſſo peremtus. De eodem loquitur Cicer. in Philippica IX. vbi ait, *LAR Tolumnius Veientum Rex.* Et Seruius in 6. Æn. *LAR Tolumnius a Coſſo occiſus a loco dictus.* Iam vero Sigonius, auctore Seruio, ſtatuit Lartem Porſenam non duobus

bus tantum vsum nominibus, sed e gente Tolumnia fuisse. Nimirum Seruius eo loco non loquitur de Larte Porsena, sed de Larte Tolumnio. nec video quomodo ex Seruii verbis id elici possit. Locum vero Prisciani, vnde id elicere fortasse potuisset, quis non videt mutilum esse, & deesse illam coniunctionem, sicut ante dixi, ET. Eum conuincere etiam possunt Dionysii ipsius verba lib. 5. ait, λ. de Larte Porsena Clusinorum Rege loquens, [illegible] Nam cum de nominibus eius Regis loquatur, si e Tolumniorum genere fuisset, non vtique praetermisisset. Hæc ita sese habent, & satis, opinor, patet Sigonii erratum. Hunc, quia eodem loco me reprehēdit pauca dicam mei defendendi caussa. primū in his verbis, quæ sunt in meo libello de nominibus Ro. me carpere conatur. Seruius interpres Vergilianus ab oppido dictum hoc prænomen putat. Ait Sigonius errasse me, quia Seruius non ab oppido, sed a loco dictum scribit. Dii boni qualis est hæc reprehensio, quam grauis: me pudet plura dicere de hac re, ne cum eo, qui pueriliter me reprehendit pueriliter contendere velle videar, & quærere vtrum a LOCO, & ab OPPIDO diuersa sint, cum præsertim sententiam Seruii ego referrem tunc, non verba. Deinde me reprehendit quod scripserim LARTES Porsena, cum LAR Porsena ex Grammaticorum sententia dici debeat. Nimirum ego scripseram LAR Porsena. & paulo post: In quo Prænomine LARTES, sed impressores cum LARTES legissent. putarunt etiam priore loco syllabam deesse. & vbi LAR erat, ibi LARTES reposuerunt. Et bene memini me, cum Mutinæ essem ab hinc VII. annos ante, & incidisset sermo de hoc meo libello, & aliis Florentiæ impressis, multa me illi dixisse de librariorum negligentia, qua factum erat, vt multa perperam legerentur, ac longe aliter, quam a me fuerant descripta: Nec est vllus inter legendum, quid non possit animaduertere. Cum vero illa verba protul, *IDEM PLVTARCHVS existimat in Poplicola.* non quidem Plutarchum ab oppido dictum Lartem significasse dixi. sed Plutarchum videri existimasse LARTEM esse prænomen; quando coniunctum cum Porsena, & ante quidem positum profert. Qui tamen [illegible] seu λάρτην scribit, sed male. Ego ita scripsi: nam prorsus existimo eum, qui Plutarchum vertit eo loco vidisse multos codices habere λάρτην. & ideo Lartem vertisse. Cum præsertim eadem vox ita fuisset prolata a Valerio Probo Grammatico antiquo. & si corruptus debet potius dici liber. Ego tamen, qui Græcos sæpe obseruaui nomina Romanorum [illegible] non proferre [illegible] ptorum culpa aliquando [illegible] non in[illegible]gerent satis Romanorum linguam, id esse factum. [illegible] [illegible] etiam librariis, & [illegible] librorum [illegible] [illegible]dum, non repugno, vt apud Plutarchum in [illegible]

de nomine Verris loquitur. Nam si quis illa verba ita legat, existimet ipsum ignorasse vim vocabuli huius, VERRES: quare satius fuerit credere librariorum vitio id factum, qui omiserint particulam, vt ante est a nobis demonstratum, cum de ratione corrigendi loqueremur.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXVII.

EOdem capite 3. ait Sigonius, vbi de FAVSTI vocabulo disputat, quod ipse prænomen existimat esse. *FAVSTVM a fauore dictum, prænomen esse scribit Valerius, cuius ego auctoritate adductus, cum in fragmentum Consulis cuiusdam Capitolini quinquennio ante incidissem VS TI. F. M. N. interpretatus sum, M. VETVRIVS FAVSTI F. M. N.* Ita ne vero Sigoni tu Grammaticis tantum tribuis, vt etiamsi cum antiquis auctoribus non conueniant putes illorum sententiam esse probandam? Ego Grammaticos magni facio, atque illis habendam fidem censeo, si modo exempla ex vetustis scriptoribus protulerint. Poteras quidem tu *Probi* locum demonstrare, vbi Faustum prænomen esse ait, sed debebas subdere, te id nunquam apud vllum Rom. historiæ auctorem, aut scriptorem aliquem antiquum legisse: ita esses boni adolescentis officio functus. Nunc vero præterquam quod locum corrumpis in Capitolinis fastis: etiam Liuium fœdas, quam tamen maculam postea a me admonitus, & reprehensus sustulisti. Et quod intolerandum est, Asconium citas auctorem in or. Cicer. pro Milone, & in Pisonem. Vt enim diligentissime quæras de Fausto in or. Cicer. in Pison. apud Asconium nihil inuenies. In or. autem in Mil. illum quidem nominat Asconius in argumento, sed si prænomen esse FAVSTVM dicit Asconius, aut vllo modo innuit, ego homo non sum. Est quidem mentio huius etiam apud Asconium in orat. pro Mil. Scauro pag 71. Sed prænomen esse Faustum, vt tu asseris, non declarat Asconius. An vero eius sororis Fausta fuerit prænomen, disces a me postea, cum suo loco de nominibus mulierum disputabo, & tua errata patefaciam. Debes mihi agnoscere Sigoni, si ego consulens vtilitati studiosorum antiquitatis non passus sum te illis imponere, Asconii dum testimonio, quod nusquam est, somnia tua comprobare vis: verum de hac re satis.

Sua annotationis defensio aduersus Sigonium.

CAPVT XXVIII.

CVm tam turpe erratum, de quo locuti sumus, suum tueri, aut tegere vlla ratione non posset Sigonius, eodem capit. 3. carpere conatur, quasi remordens, annotationem meam, in qua ego iam multos annos scripsi, apud Cæsarem lib. 3 comm. de bello Gallico, vbi de pugna nauali cum Venetis commissa legitur, ex fide nonnullorum librorum manuscriptorum esse legendum,

calcium

Falcium ruralium, non *muralium*. Manuscriptus liber, quem secutus sum, est Lucae apud nobilem virum Michaelem Michaelli[illegible] Lucensem Canonicum, qui olim fuit Petri Nucetti, viri doctissimi [illegible] Lucae publice professus est & vixit aetate Politiani. Ali[illegible] [illegible] manuscriptos vidimus, in quibus ruralium le[illegible] [illegible] impulit haec vt crederem talem lectionem non [illegible] contemnendam, quod videbam longius praefigi illas falces, [illegible] loquitur, cum murales trabibus annecterentur, vt Ve[illegible] [illegible] Praeterea, quod animaduertebam praeacutas [illegible] appellari, quod ad incidendum spectat, cum talem vsum [illegible] rurales falces. Nam etiam Vegetius ipse lib. 4 cap. [illegible] *Falx autem dicitur ferrum acutissimum, curuatum ad si[illegible] [illegible] funes, [illegible] repente praecidit, collapsis quae velis libur[illegible]* Hac [illegible] Columella lib. 4. cap 25. [illegible] describit diligenter, ea[illegible] formam talem fuisse demonstrat [illegible] credi posse non absimili forma fuisse [illegible] paratas ad [illegible] Quod ait Sigonius, RVRALIVM non [illegible] antiquam, nec vllum ex veteribus [illegible] protulisse, errat. Nam Varro ea vsus est in inscriptione [illegible] libri: id si nesciit, qui erat [illegible] & iuuenis [illegible] etiam me auctore. Nec vero est quod more suo excitiat aut Nicolios, aut Thesauros aut Doletos. Sic enim non inueniet, sed si inuenire non poterit, ego tum demum demonstrabo locum.



Alterius annotat. sua defensio aduersus Sigonium.

CAPVT XXIX.

DVm mihi iratus, quod se tueri nō posset Sigonius, me in alia re, ac diuersa remordere vult: eo de loco reprehendere conatur annotationē illam meam, quae est lib. 2. c. 13. in qua ego Ciceronis locum de [illegible] lib de or. 2 explicare volui, vbi verba sunt haec: *Est autem ex hoc genere vetus illud, quod aiunt, Malugnensem illum M. Scipionem, cum ex centuria sua renunciaret Acidinū Consulem, Praeco dixisset: Dic de L. Manlio. Virum bonum*, inquit, *egregiumque ciuem arbitror.* Ego haec verba aliter interpungenda esse di[illegible] *Cum ex centuria sua renunciaret Acidinum Consulem praeco, dixissetque, Dic de L. Manlio*: & quae sequuntur. Atque, vt sic interpungerem, ea sum ratione adductus, quod praecones olim Consules, &

prætores, aliosq; qui magistratū essent adepti, in comitiis renun-tiare soliti erant, ipsorumq; hoc erat munus vt illic comprobatū fuit a me auctoritate Ciceronis in or. contra Rullum ad pop. Li. ipsum etiam ostendit Cic. in orat. in Verrem 7. his verbis. *Tu cum prætor renuntiatus esses, non ipsa præconis voce excitatus es, qui te to-ties senatorum sumpriūq; centuriis illo honore affici pronuntiauit.* Existimat Sigonius, si ita ea verba, vt ego ante interpunxi, legantur, consequi hoc, quod maxime absurdum videtur, vt dictum illud, quod laudat tantopere Cic. attribuatur præconi, non Malugi-nensi. Ego id non video quomodo consequi possit: nam inquit Cic. *cum præco renuntiaret Acidinum Consulem dixissetq; Maluginensis* (sic verba dictabat ipsi præconi) *Dic de L. Manlio*, & quæ sequun-tur. Sic patet illud dictum non attribui præconi, quod consequi-tur. *Virum bonū arbitror, & ciuem egregium*, sed ipsi Maluginensi. Hæc tum mihi venerunt in mentem cum illa scripsi, quæ cum nō videat Sigonius quo spectent, quomodoq; sint accipienda, nuga-tur præter rem. Illud potius erat explicandum, quod spectat ad rem, illud dictum Maluginensis. *Virum bonum arbitror & ciuem egregium*, ex antiqua consuetudine prolatum: Erat enim mos in comitiis exquirere sententiam optimorum ciuium de candida-tis, vt cū populus audiret qui illi sentirent, suffragio suo eos cre-aret Consules, quos laudari videret ab optimis viris. Quasi igitur præco quæsiuisset sententiam suam, cum dixit. *Dic de L. Manlio*, non autem instaret, vt nomina proferret, quæ cum cognomine Acidini coniungerentur dissimulans se intelligere, ait *Virum bo-num. & ciuem egregium esse arbitror*, quæ verba nimirum sunt re-spondentis ei, qui sententiam exquireret de illo candidato, cum præsertim ea formula vsus esset præco, *Dic de L. Manlio*, quæ pro-pria erat exquirentium sententiam. Rem totam hanc, & cōsuetu-dinem declarat Cic. lib. de legibus tertio in copiosiore explicatio-ne legis ante propositæ, his verbis: *Nonne vides si ambitus silenti-quæris in suffragiis quid optimi viri sentiant.* Quod spectat ad Cæpi-onis, & Maluginensis nomen, si mihi probare volueris legendum esse Scipionem Maluginensem, ostendere debebis, an cognomen Scipionis, & Maluginensis coniuncta reperiantur, quod non ostenda-des, opinor, vnquam: nam esto Cornelii dicti sunt Maluginenses, sed non ii, qui Scipiones. Varia enim cognomina sunt Corneliorum, & diuersæ familiæ. Tu hoc ostēde, si potes, nam cum de aliis rebus loqueris, nugaris præter rem. Itidem ostende, si forte legisti aliquando, an prænomē M. Scipionibus vnquam fuerit inditum. Tum demum ego adducar, vt credam ibi apud Ciceronē esse le-gendum M. Scipionem Maluginensem. Itidem cum ostenderis mihi, quando Corneliis hoc est inditū cognomen, Scipio. Osten-de etiam simul an Maluginensibus dictis sit adiunctum. Sed au-di, cum M. prænomen, quod neque tu inficiaris, Seruiliorum fue-

rit.

Digitized by Google

[illegible] si mos fuerit in adoptionib⁹ nomina immutare, sicuti scimus [illegible] M. Iunium Brutum adoptatum a Q. Seruilio Cæpione dictum fuisse Q. Seruilium Cæpionem Brutu, cur eadem ratione dici se non possumus M. Seruilius Cæpio Maluginensis, cũ M. Seruiliorum fuerit prænomẽ sæpe, Corneliorum autem nunquam? & in adoptione etiam ipsum prænomen immutari soleat, [illegible] nomine, & retineri tantum cognomen postpositum cognomini illius qui adoptarit: adeo, vt postea duo sint in eo, qui fuerit adoptatus, cognomina. Quod autem ais, te non intelligere cur ego dixerim me vnquam Scipionem familiæ nomen inuenisse, sed pro cognomine tantum, scito me id dixisse, tum vt ne quis ignarus forte antiquitatis suspicaretur, Scipionem in eo ordine nominum, cum sequatur Maluginensis, nomen familiæ esse, tum quia significare volui duo hæc cognomina SCIPIO MALVGINENSIS, nunquam ita coniuncta legi apud veteres: quod tu demonstrabis, si poteris.

Alius error Caroli Sigonii.

CAPVT XXX.

IDem Sigonius cap. 4 suæ disputationis de nominibus Rom. vbi ait, *Prænominum alia singulis, alia binis, alia ternis literis scribebantur*, quia prætermisit partẽ vnam in hac diuisione: nam addere debebat, *alia pluribus, alia etiam integra scribuntur.* nam VIBIVS, AGRIPPA. POSTHVMVS Hostus. Volusus Vopiscus, quæ omnia aut pluribus, quam tribus literis, aut etiam integra scribuntur.

Alii multi errores Sigonii.

CAPVT XXXI.

EOdem capite sub finem me reprehendit Sigonius his verbis, *Inter prænomina statuit ea etiam, quæ prænomina non sunt, vt* LICINIVS. Id quidem verum est o Sigoni: nam ostendi in mea disputatione ea, quæ prænomina aliquando fuerunt, postea facta nomina & exemplo protuli. Tu qui id non probas, vide quam pueriliter conaris omnia redigere ad illam certam rationem nominum proferendorum, quæ postea in vsu fuit: nam etiam in tuis scholiis Liuianis libro 2. numer. 20. Valerio Probo [illegible] est liber, qui circumfertur, credis, qui scribit, Attium prænomen fuisse olim apud Sabinos, & tamen postea in Attio Tullio [illegible], & legendum putas, Tullo Attio, vt Attius sit nomen, non prænomen. Verba hæc tua sunt eodem lib. num. 26. *Hic vir Attius Tullus dictus est, ita vt Tullus prænomen, Attius nomen gentis esset, vt in Tullo Hostilio.* Idipsum etiam in tuis in nominibus hic OCTAVIVS MAMILIVS TVSCVLANVS libr. primo num. 14. in iisdem tuis scholiis, vbi scribis. *Si nomen gentis huius est Mamilius, vt Dionysius & Festus scribunt. Ergo* OCTAVIVS *prænomen est, quod alius Octauia gentis no-*

men est, quia vero nusquam praenomina loco nominum usurpata sunt, praeterea [illegible], ut OCTAVIO MAMILIO sit legendum, ut [illegible] praenomen, perinde ac in viris Quintus, Sextus. Dii [illegible]. Dii immortales, quale somnium hoc est? quae nugae? Eodem modo dum insulse reuocat ad eandem normam nomina haec ACCIUS NAVIUS, errat Sigonius lib. 1 nu. 10. ubi censet legendum NEVS ATTIVS, ex Valerio Probo ducta coniectura, qui ait: *Genus praenomen varia scriptura notatur, alii enim Neuum, alii Gnaeum, alii Cnaeum scribunt,* & quae sequuntur. At qui [illegible] ex Neuio Gneum non dici deduci, at Carolus Sigonius [illegible] acuti ingenii, *Nestor* hunc [illegible] viderat appellatum a Dionysio Halicar. ideo Neuium Latine dictum mendose pro NEVM, ex quo colligit [illegible] seu Neum Attium illum debere dici: o rem ridiculam [illegible] & iocosam: quid enim vetat, quin illud usurpem Catullianum in Sigonio illudendo, qui tales nugas profert? Nam etsi NEVM, Gneum, Cneum etiam dici a veteribus, [illegible]. Quorsum tamen haec? aut quid ad [illegible] ab Halicarnasseo vocatum. Quaeso hic perpende Sigonium ipse, quam nullo sis iudicio praeditus. Nam [illegible] apud Dionysium scribere debuerat librarius, cum a Romanis hic semper sit dictus Accius Nauius. Graecos autem scire pro suo arbitratu literam hanc *u*, cum consonans est in dictionibus Latinis, vel vertere in *β*, vel in *ου*, satis patet: nam Strabo modo [illegible] scribit, modo [illegible]. Dionysius etiam & alii variant in hoc nomine scribendo: nam & [illegible] scribunt & [illegible]. Ita illi quidem; sed nos Romanorum consuetudinem sequi debemus: nam si quis Rabennam [illegible] dixerit, ridicule egerit. Dionysii autem illa verba de hoc augure [illegible] nominibus, [illegible], ita quidem sunt intelligenda, ut NAVIUS sit praenomen, ATTIUS autem, siue ACCIUS nomen familiae: nam, ut ego in meo libello de nominibus Romanorum docui, illum locum ex eodem Dionys. recitans ubi disserit de nominibus L. Tarquinii Prisci Regis, [illegible] vocat praenomen [illegible] autem ipsum [illegible] nomen. Quod si quis offendatur, quod praepostero ordine, hic Accius Nauius [illegible] Romanos [illegible] praenomen post [illegible] in Manlio Caeco. [illegible] in eodem lib. & numero, [illegible] hereditatem, dividendam [illegible] de praepostera illa collocatione praenominis & nominis nihil ambigo.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXXII.

Maxime reprehendendus est Sigonius, qui tam pueriliter Nauium in Cneum vertit, nec legit, quae tentata sunt a [illegible]

[illegible]

[illegible] rerum Romanarum in dictione NAVIA. libr. 12. *Nauia [illegible] cauatum, vt nauis, quo vtuntur aluea in vindemia, [illegible] appellatur Nauia a Actio Nauio augure. Nam [illegible] ue,&* Hæc si legisset Sigonius, non tam puerili [illegible] elus. Nam si Nauiam a Naui dictam refert Festus, & [illegible] dici a Nauio, plane patet nullam suspicionem [illegible] potuisse. Cum hæc scripsissem hactenus animaduerti Sigonium [illegible] beum hunc, vt patet in scholiis Liuianis loco [illegible] 9. Quare eo magis est reprehendendus: Cneum [illegible] quem Sigonius Valerium Probum appellat, [illegible], eo [illegible] genitus sit. Satis me continere non possum a [illegible], cum hæc lego. Quasi vero in nautica, aut in cramena, aut cistula [illegible] gignantur, & Cneii tantum in corporibus: nam si [illegible] quo [illegible], si Mani quod mane geniti sint peculiari quadam [illegible] dicantur Cneii dicantur, qui in corporibus gignuntur, [illegible] nota peculiaris non est, cum homines, imo etiam pecudes ita gignantur, præterquam [illegible] Aristotele vocata: Sequatur igitur [illegible] hunc auctorem Sigonius, & (per me enim licet) ipsum Probum appellet: cum tamen mendax multis in locis sit.

Alter error Sigonii.

CAPVT XXXIII.

EXciderat fere mihi, quod Sigonius me tam acriter reprehendit [illegible] Licinium dixeram exemplum ex Liuio proferens, olim [illegible] men fuisse, & postea in nomen transisse, in sua editione priore [illegible] totidem verbis asserit, vbi de prænominibus ipsis loquitur: *LICINIOS tradunt dictos esse, qui paruis oculis nascerentur, [illegible] vsus est Licinius [illegible] Lanatus, vir consularis.* [illegible] deprehendisti Sigoni? Profer auctorem si habes: nam si [illegible] moraris: si non habes, cur id protulisti tunc tam temere. At Diodorum se qui [illegible], qui eo loco, quo Licinium [illegible] Lanatum nominat a Liuio dictum, scribit [illegible] [illegible]. Ego manuscriptum habeo Diodori librum, in [illegible] scribitur. Quare ita omnino legendum. Quod ait eodem capite [illegible] me multa prætermisisse, miror, cum intelligere potuerit ex lectione mei libelli, non fuisse mihi propositū omnia [illegible], sed tantum regulas generales proferre ad dignoscenda veterum Ro. nomina & eorum vsum. Vter nostrum prudentius egerit [illegible]. Ego, ne repeterem, quæ ab aliis ante me dicta fuerunt, ita [illegible]. Tu quæ ab aliis, & in primis a me fuerunt ex Græcis auctoribus [illegible] omnia repetis, & profers quasi a te primum inuenta. Nam ne discedam ab hoc ipso capite 4 quæ tu de prænomine DECIMI scribis, his verbis. *Ac primam quidem quoniā multos esse animaduerti, qui D. Decium interpretarentur, notum quidem [illegible] sed errorem tamen tollere volui. Nam præterquam quod Decius est gentis nomen, Græcorum etiam monimenta satis indicant.*

Ego vero idem scripseram his verbis. *D. id est, Decimus, non Decim[...] vt multi inepte proferunt.* Sed quæ tu omnia, aut mihi, aut iis, qu[...] ante me scripserunt surripuisti, ostendam postea: *nam*, vt inqui[t] Catullus, *dextra non belle vteris, in describendis aliorum annotatio-nibus.*

Asconii locus emendatus.

CAPVT XXXIV.

Asconium illum vestrum cum edidistis superiore anno, tu [&] Manutius tuus communi labore emendatum, percurri ego statim, nec sine multo risu animaduerti, quanta cum grauitate non quidem emendare, sed reprehendere Asconium Paulus Manutius conatur. Locus est in diuinatione, prima Cic. scilicet oratione in Verrem sub finem. Verba Cic. hæc. ACCVSABAT M' AQVILIVM. hæc verba interpretatur Asconius sic. *Hic M' Aquilius de pecuniis repetundis accusatus est, hic est igitur Lentuli Suræ pater in carcere strangulati propter coniurationem.* Paulus Manutius, vt videre est in scholiis in Pædianum, ita ipsum reprehendit: *Imo auus*, quod significat Dion lib. 46. Cic. in Catil. 3. & Valerius. Hæc ille, quasi hoc ignorarit Asconius historiæ Ro. peritissimus, si quis alius est. Sed locus totus ita legendus, quod non animaduertit Manutius. ACCVSABAT M' AQVILIVM) *Hic M' Aquilius de pecuniis repetundis accusatus est.* P. LENTVLVS) *Auus hic est Lentuli Suræ pr. in carcere strangulati propter coniurationem.* Locus hic fuerat a librariis corruptus, tum, quia non intellexerunt Pr. Prætorem significare, vnde pater descripserunt, & fortasse hoc primum manauit a Manutio ipso, tum quia omiserant Cicer. verba, quæ solent præcedere Asconii interpretationem: omiserant itidem hæc Asconii verba, *Auus hic est*, quod ego ita esse deprehendi, quia ibidem cum Aquilius nominatur, ait. *Hic M' Aquilius*, & ante aliquanto: Cato hic & post vbi de L. Cotta loquitur. *Hunc P. Africanus.* Semper enim Asconius cum nomen apposuit ex contextu Cic. illius viri, quem appellat, declarans, quis ille sit, vsurpat hæc verba. *Hic est Hunc*, Hic quasi ostendat, quis ille fuerit. Ego cum primum editus fuisset Asconius cum scholiis typographi tui, & tuis, hæc & alia multa a vobis prætermissa, & non animaduersa protuli tum publice, tum priuatim multis audientibus: Soleo enim interdum, vt communi vtilitati consulam, vestram inscitiam detegere, & vestros errores patefacere. Quid? quod quamplurimi hæc a me descripta acceperunt. Angelus Floridus Sabinus, iuuenis perhumanus & doctus, Francisci illius Floridi viri doctissimi frater, Patauium cum venisset, quo tempore RINVTIVS Farnesius Cardinalis amplissimus, nam eius in aula versatur Floridus, Venetiis commorabatur ab hinc annis duobus, hoc a me audiuit sæpe & alia multa, cumq; Patauio decederet, ipsi loca descripta in pagella tradidi, [...] vobis præclara emenda-

emendatoribus Asconii ostenderet. Tu vt impiger es, mi Sigoni, [illegible] locum, vt opinor, loco, qui opportunus est vilos [illegible] in Liuium inseruisti. Nam lib. 28. pagel. 54. b. [illegible] verba declaras & emendas Liuii, *Q. Fabius Maximus* [illegible] *scribit*. Itaque quoniam vox, prætor, locum non habet, pater legendum est, paulo post. *Errandi caussa profecta est a* [illegible] *Pr. & pater, quarum altera prætorem, altera patrem significamus*. Sic apud Pædianum in Diuinatione. *Hic est igitur Lentuli Suræ pater in carcere strangulatus propter cõiurationem.* Pater enim legendum. *Hic est auus Lentuli Suræ prætoris in carcere. Etenim P. Lentulus vero Suræ non pater, sed auus fuit*, Auctore Cicerone, *& Sura in coniuratione iterum erat prætor*, teste Dione. Hæc tu eo loco. Sed age dum Sigoni, quomodo sperasti te delitescere in hoc tuo posse? An putabas me hoc tibi condonaturum? Atqui condonassem, si mihi esses amicus. An tibi in animum induxeras me id publice non protulisse, aut priuatim multis audientibus non explicasse? Vide quam tibi inimicus non sim, si alii multi, qui a me audierant illud, furtum istud tuum mihi non significassent, & palam dictitassent se hoc æquo animo nõ laturos, de hac re ne verbum quidem eram facturus: Sed veritus ne illi iracundius tecum agerent: quam ego, hæc quam lenissime potui proferenda duxi: Tu æqui bonique consule, & posthac manum intra sinum memor statuæ Solonis, de qua Demosth. in oratione περὶ παραπρεσβ. dices forsasse hoc tibi in mentem venisse postea, quam a vobis editus est ille Asconius. Crederem si ego statim vt editus est, non demonstrassem a vobis locũ non animaduersum fuisse. Quid multis? Nõne Venetus ea æstate cum essem apud Michaelem Tramezinum virum optimum: atque illic adesset Vincentius Riccius Venetus vir clarissimus, [illegible] quos honoris caussa nomino, [illegible] integri eruditione præditus, aliique multi, & incidisset mentio de Asconio a vobis tum edito, famulum cum [illegible] in [illegible], vbi commorari solitus sum, proximum [illegible], vt librum Asconii, quem tum mecum attuleram, afferret, statim illum locum in corona plurimorum indicaui, & alia nonnulla, quæ nunc libet hic adscribere, antequam alia errata tua persequor.

Asconii locus emendatus.

CAPVT XXXV.

Asconii verba hæc sunt in Diuin. in Verrem pagella 3 b. in vestro Aldino postremo, vbi de iudiciis Po. Ro. loquitur. *Hic etenim X. annis victore Sylla ciuilibus bellis spoliatus est Pop. Romanus potestate tribunitia, iudicandi iure, quod habuit per equites Romanos, militaris arbitrio creandorum Sacerdotum.* Satis notum est equitibus, qui ante iudicabant, Syllam, cum rerum esset potitus, potestatem iudicandi eripuisse, & transtulisse ad Senatum:

Populumque Rom. (plebem intelligo) cui erat infestus Sylla. eripuisset alia multa. De his loquitur Asconius illic. Sed locus est corruptus adeo, vt intelligi non possint illa verba *PER equites Romanos militaris*. Paulus Manutius simul, & Carolus Sigonius asteriscos duos ibi apponendos curarunt: nec potuerunt locum [illegible] restituere. Ego igitur quomodo legi debeat, ac locus [illegible] demonstrabo: Fuerat scriptum ab Asconio. *PER equites Romanos IVL.* Imperiti librarii cum non intelligerent ita descripserunt. *PER Equites Romanos*, commiscentes scilicet duas illas dictiones *Roman. annos*, Iam vero *IVL* (qui numerus quadraginta sex designat) iidem non intelligentes *mil* scripserunt. Postea vero [illegible] *militares*. Sic enim sane erratum ex errato nascitur, & libri veteres inscitia librariorum corrumpuntur. Quod si quis [illegible] verum [illegible] sit totidem annos, hoc est quadraginta sex iudicasse equites, [illegible] numeret annos a Coss. C. Cassio Longino, & C. Sextio Caluino anno ab vrb cond. DCXXIX. vsque ad Coss. P. Seruilium Vaciam, qui Isauricus est postea dictus, & Ap. Claudium Pulcrum, anno DCLXXIV. & colliget summam illam annorum XLVI. sicuti nos ante statuimus. Eo enim vsque dictatura peruenit Syllæ. Et quamuis historici in rebus gestis digerendis in consulatus interdum non consentiant inter se, nullius tamen momenti res existimari debet. Plura ego hic apponerem ad sententiam meam comprobādam ex veterum libris historicorum. Sed quia IOANNIS Cuspiniani extat commentarius in Cassiodori Consules, & omnia ferme collegit ex antiquis historicis, atque in suos consulatus digessit, poterit quilibet apud ipsum intueri. Ignoscendum quippe docto viro est, si nomina protulit consulum corrupta: nō enim visum habuit adiumentum, quale postea ætate nostra (Deo fauente) exstitit, effossis Romæ marmoribus illis, quæ impulsu Amplissimi Cardinalis Alexandri Farnesii a Marliano viro doctissimo concinnata, & in Capitolio collocata visuntur. Faciet [illegible] nunc Sigonius in Fastorum commentariis describendis quantum velit: nam habemus, quod optabamus, & quilibet in historia legenda versans conficere sibi eos debebat, nec enim aliter aut legi historiam debere, aut intelligi posse puto. Ego certe non dissimiles cōmentarios mihi confeceram, quos ad meum vsum retinerem cum esset opus, vt multi familiares mei sciunt, quibus ostendi. Hæc a me dicta sunt, vt historiarum studiosi Ro[illegible] hoc adiumentum sibi parent, & negligant inuidulos hos, qui aliena corrogantes sibi omnia vēdicant. Addi certe aliquid potest, & in eo desudare omnes debent: nam vt etiam præclare inquit Aristoteles lib. 1. ethicōr. ad Nicomachum [illegible]. Possuntq; expoliri facile, & elimari, quæ ab aliis primum rudia edita sunt.

Pauli Manutii error.

CA-

CAPVT XXXVI.

VErum, his omissis, Manutii typographi errorem demonstremus. Is Asconii locum alterum eadem pagella 3. adnotat, vbi de eadem re loquitur his verbis. C. *Gracchus legem tulerat, vt equites [illegible] iudicarent. [illegible] iudicauerunt per annos XL. sine infamia.* At Manutius in [illegible] scholiis *Paulo plures fuerint, si subtilius numerentur: tulit enim [illegible] C. Gracchus in tribunatu primo*, idest, *Q. Metello T. Flaminino Coss.* & Cice. confirmat lib. in Verrem 2. 73. *Cum equestrem ordinem per annos prope quinquaginta iudicasse dicit, [illegible] Senatus inuidiam annos prope quinquaginta [illegible] plures quadraginta fuerint, quanquam ibi Pedianus [illegible] quadraginta videtur subscribere.* Hæc Manutius. [illegible] ait *Pedianum subscribere de annis prope quadraginta:* [illegible] hæc sunt, quibus illa Ciceronis interpretatur in [illegible] Verr. pag. 22. in Ald. *ANNOS prope quinquaginta)* Tan[illegible] tempore equester ordo iudicauit lege Sempronia. [illegible] *quadraginta, sed de quinquaginta* ferè subscribit Pæ[illegible] Verum est, [illegible] inter scribendum lapsus est me[illegible] Manutii. Nunc ego illud quæro, quomodo illam lectionem [illegible] apud Asconium potest eo modo, quo tue[illegible] XL. modo L. prope, dicere non videtur conse[illegible] Vel [illegible] cendum sine infamia XL. annos iudicasse [illegible] dicere [illegible] reliquis annis sex, cum infamia. Quod [illegible] placet: Nam Sylla iudicia eripuit equitibus, quod ple[illegible], non quod cum infamia iudicassent: quod ipsum [illegible] Asconius ait illos *sine infamia iudicasse.* Vel cor[illegible] omnino ille numerus XL. & legendum *VL.* vel *IVL.* id [illegible] ginta sex. Totidem enim annos numerari a lege Sem[illegible] ad Cornelium a Sylla latam superius demonstraui. [illegible] Manutius debet ordiri a Coss. Q. Metello. T. Flaminino, sed [illegible] C. Cassio & C. Sextio, vt ante ego demonstraui. Iulius enim Obsequens in [illegible] prodigiis his Coss. ait leges latas a C. Graccho, his verbis. *Sub his Coss. In Græcostasi lacte pluit. fulmine Crotone grex ouium cum cane, & tribus pastoribus exanimatus, Saturæ vitulus biceps natus, tumultus in vrbe fuit Graccho leges ferente* Vide o Manuti, hoc in tuis Aldinis pag. 505. & corrige nomē alterius Coss. non enim *Sextilius*, sed *Sextius* legi debet. vel *Sestius* potius. Hic est enim ille C. Sestius, qui postea in sequenti anno Proconsul Sal[illegible] vicit & Coloniam deduxit Aquas Sestias. Vide in Epitomis Liuianis lib. LXI. vbi ita scriptū est. *C. Sestius Proconsul victa Salluuiorum gente, Coloniam Aquas Sestias condidit ob aquarum copiam, [illegible] fontibus, atq; a nomine suo ita appellatas.* Ibidem in Epit. coniectura cōlegi [illegible] his Coss. leges latas a Gracch[illegible] Epit. lib. LX. ait: *præterea res a Q. Metello Consule aduersus Baleares gestas continet, sed Metellus fuit Cos. anno in-*

sequenti, quo anno Procos, postea ex consulatu cum abiisset, Sesis ue bellum gessit. Leges vero ante nominata Graccho latas, v illic legi potest, tali autem coniectura vti opus est, quia auctor ille Epit. nõ persequitur exacte consulatus. Sed vt res gestas exponit, ita etiam vel ambos, vel alterum tantum Consulem nominat. Si igitur ordiendum a Coss. Cassio, & Sextio, & progrediendum vsq; ad Coss. P. Seruilium, & App. Claudium, quo anno lex Cornelia lata est, vt ante demonstraui, numerum XLVI. anni dinumerentur est necesse. & ita emendandus Asconii locus. Hoc autem ipsum loquẽdi genus, prope quinquaginta, non posse accommodari ad numerum XL. nec defendi illa inani ratione, quam affert Manutius, quod Cicero non ad veritatem, (hæc illius verba sunt) sed ad consuetudinem locutus sit: demonstrandum mihi est ex alio Asconii loco. Is igitur in comm. or. Cic. L. Pisonem in libris Aldinis pag. 80. Ascon. vero pag 73. vbi Cic. ait *Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante me Consulem, &c.* Asconius interpretans locum hunc scribit. *Possit aliquis credere lapsum memoria Ciceronem, qui dicat XL. annis ante se Cos. factum esse S. C. aduersus L. Apuleium Saturninum Tribunum Pl. cum XXXVI. anni a C. Mario, & L. Valerio Flacco Coss. numerentur.* Sed hic non subtilis cõputatio annorum facta est, verum summatim tempus comprehẽsum est, & perinde accipiendum, ac si dixerit prope XL. annis: nam enim consuetudo est ipsius Ciceronis. Itaque idem in ea quoque, quam habuit in Catilinam in Senatu, cum octauus decimus dies esset, posteaquam factum S. C. vt viderent Coss. ne quid resp. detrimenti caperet, dixit. *Vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis:* Vides o Manuti, quomodo hæc prolata sint ex non subtili computatione: cuius rationem nullo pacto dices tuæ conuenire: Tu enim XL. annos apud Asconium pro XLVI. accipi vis, quæ computatio non eo modo fit, quo illæ Ciceronis factæ sunt: nam Cicero plures annos & dies, pro paucioribus profert, & addit, prope, præterea quatuor tantum addit, aut duos. Tu demi vis, & ex maiore numero minorem effici, & quidem demi VI. nec alio spectat illud exemplum, quod tu profers ex orat. Cic. in Pisonem. *Quadraginta annis ante me Consulem, Cum vix triginta septem fuerint.* Ecce, vt locus hic persimilem habet computationem superioribus. Nunc tu, si potes aliam huic contrariam supputationis formulam profer: in qua oratores nõ ad veritatem sed ad consuetudinem loquantur. Quamuis quis credat Asconium cum interpres sit, & historiam proferat, oratores imitari voluisse, qui subtilem non sequuntur computationem: cum præsertim ipse, vt historicus, & interpres tante pere laboret in illo, quem ego paulo ante protuli Ciceronis loco, vt ipsum tueatur. Quam nullo autem præditus sis iudicio, qui hæc non consideraris, facile cognosci potest.

Aliud

Alius error Manutii.

CAPVT XXXVII.

QVod orationes in Verrem a Cicerone habitas in Antonium, ac Catilinam competitores suos: in Pisonem etiam, Paulus Manutius nuper cum inscriptione hac CONTRA ediderit in Asconii libro, satis mirari non possum, cum inscriptio IN, & inscriptio CONTRA multum inter se distent. Nam si quando accusat Cicero, & reprehendit aliquem acrius nominatim, tunc inscribit orationes suas IN. vt IN Vatinium. IN M. Antonium. IN Pisonem. IN Verrem. Si quando autem disseritur aduersus aliquem in Senatu, dum dicuntur sententiæ, videtur idem Cicero existimasse CONTRA debere tunc orationem inscribi: quod confirmatur testimonio, & verbis ipsius, quæ subiiciam, vt res facilius tota perspiciatur. In eo igitur libro, qui inscribitur Orator, ait. *Multa sunt eius tota orationes subtiles, vt contra Leptinem, multa & tota grauis, vt quadam Philippica.* Demosthenis oratio inscribitur πρὸς Λεπτίνην, in qua disserit cõtra illum de lege immunitatis: nulla est accusatio, sed dictio tantum sententiæ apud populum. Multæ sunt aliæ apud Demosth. eundem ita inscriptæ, vt πρὸς κάλλιππον, πρὸς νικόστρατον, πρὸς πολυκλέα. Videat Manutius quales hæ sint. Demosth. suas accusationes inscribit κατὰ, quæ respondent Ciceronis inscriptioni IN. vt κατὰ ἀφόβου, κατὰ ἀριστογείτονος. κατὰ κόνωνος. κατὰ μειδίου, & aliæ. Plutarch. etiam in vita Demosthe. vbi loquitur de ista oratione, quæ inscribitur, περὶ στεφάνου, ait εἰσήχθη δὲ τότε καὶ ὁ περὶ τοῦ στεφάνου γραφὴ κατὰ κτησιφῶντος. Idem aliquanto ante, ὁ δὲ κατ' αἰσχίνου περὶ παραπρεσβείας ἄδηλον εἰ λέλεκται. Videat Manutius quomodo hæc a Plutarcho κατ' αἰσχίνου dicuntur: nam in impressis non adduntur hæc verba. Quid dicam de Philippicis, quæ κατὰ φιλίππου inscribuntur? Interpres autem Demosth. Libanius, seu alius, quisquis ille sit. in Arg. orat. contra Leptinem ait de hoc genere inscriptionis πρὸς loquẽs, ὁ πρὸς λεπτίνην λόγος ἐπιγραφὴν ἔχει ταύτην ἐπειδὴ γὰρ παρεληλυθότος τοῦ χρόνου, ἐν ᾧ ὑπεύθυνος ἦν κρίσει, καὶ κατηγορία γράφειν τις τολμᾷ ἐφαίνετο λεπτίνης ἀκίνδυνος, ὅθεν πρὸς αὐτὸν, οὐ κατ' αὐτοῦ ὁ λόγος. Nec vero me latet Cic. in or. etiam scribere, vt contra Æschinem falsæ legationis, vt contra eundem pro causa Ctesiphontis. Sed duos ego manuscriptos habeo, in quibus nõ CONtra, sed IN est scriptũ, & ita omnino legi debere affirmo.

Locus Asconii emendatus.

CAPVT XXXVIII.

ASconii hæc verba sunt in or. in Verrem 2. pag. 17. in Aldinis libris vbi Manutius, quod nõ intelligeret, asteriscum posuit. FISCOS complures) *Sporta, Sportula, Sportella nummum sunt receptacula, & sacci, sacculi, sacelli & crumena & vellera, & scortea, & manica, & marsupia. Ita fisci, fiscina, fiscella spartea sunt vtensilia ad maioris summa pecunias capiendas. Vnde quia maior summa* [illegible]

pecuniæ publicæ, quam priuatæ, vt pro censu priuato ærarium dicitur pro loculis, & arca thesauri, pro sacello fiscus, vnde fiscus pecunia publica & confiscare dici solet. Primum igitur vbi legitur *& crumena, & vellerea & scortea,* legendum est: *& crumena, aut vellerea, aut scortea.* Duplex enim genus significat crumenarum Asconius. Alterum ex vellere alterum ex corio. Deinde vbi legitur. *Vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ, quam priuatæ, vt pro cens.: priuato.* Legendum est, *Vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ, quam priuatæ, & Po. Ro. census priuato,* quo loco perspiciant velim bonarum literarum studiosi, quomodo a librariis indoctis libri corrumpantur: nam cum esset scriptum ab Asconio, Po.Ro. id est, populi Romani, non intelligentes, pro. scripserunt. Ait igitur Asconius, quia publicæ pecuniæ summa maior est, quam priuatæ, & Po. Romani census maior est censu priuato, ærarium dicitur pecuniæ publicæ receptaculum, sicuti loculi priuatæ: itidem thesauri publicæ, sicuti arca priuatæ. Hinc Catullus: *Plenus sacculus est araneorum:* & Horatius

Nil erat in loculis. & Cic. ad Att. lib. 1. arcæ nostræ confidito. Vergilius lib. 1. Æneid.

Tellure recludit

Thesauros: de pecunia publica loquens, & regia. sicuti Horatius & Cicero de priuata loquentes alter *loculos*, alter *arcam dixit.* Sic, opinor, iam emendatus est Asconii locus, quem aut corruperat Manutius: aut corruptum neglexerat.

Ex alio Asconii loco sublatus asteriscus.

CAPVT XXXIX.

IN commentatio eiusdem Asconii or. Cicc. in Verrem 2. pag. 19. numer. autem 71. in Aldinis libris, vbi Asconius hæc Ciceronis verba exponit. CVM filio blando, & gratioso) *Fœminis (inquit) ac maxime meretricibus blanditia conueniunt: gratia vero, qua potest … adolescentibus esse sine infamia? Gratia enim amicorum copiam modo ducit.* Nescio cur Manutius hoc loco asteriscum ponat, cum omnia sint integra, & perspicua. Ait enim Asconius recte, Ciceronem magnum conuitium facere adolescenti filio, de quo loquitur, cum ipsum blandum vocat & gratiosum: nam blandæ meretrices dicuntur proprie, & iis blanditiæ conueniunt. Hinc apud Catullum amatorius ille loquendi modus, *dicere blanditias.* Gratiosi vero etsi cum laude dicuntur viri, qui multos amicos habent, & ab omnibus diliguntur: non tamen honorifice puer, & adolescens gratiosus dici potest. Hinc Horatius in Ep. lib. 1. ad Tibullum recte vsurpat hoc nomen Gratia, vbi ait, *& cui*

Gratia, fama, valetudo contingat abunde.

Quid igitur requirat hoc loco Manutius plane nescio, cum apposuerit asteriscum. Non amo nimium diligentes impressores ego, si præsertim ab inscitia proficiscetur dil gentia tam magna.

FINIS LIBRI PRIMI.

HIE-

FRANCISCI RO-BORTELLI VTINENSIS

Annotationum siue Emendationum LIBER SECVNDVS.

Alius locus Asconii emendatus

CAPVT I.

MVltis aliis in locis appositæ sunt stellulæ a Manutio, vt indicaret aliquam dictionem esse corruptam, cum tamen facile potuisset emendari. Verba Asconii hęc sunt in arg. orationis pro Cornelio. *Cornelius [illegible] Senatus, quæstus est de ea re, exhauriri Prouincias vsuris.* Ego ita puto legendum, *quæstus est in concione exhauriri prouincias.* In illa enim dictione, *re*, relictum vestigium dictionis corruptæ a librariis, & ab imperitioribus, CONCIONE. Solitos autem Tribb. pl. antequam legem promulgarent, concionem habere, esse notissimum est, proferam tamen ex antiquis authoribus locum aliquem, in quo id perspici possit. Cicero igitur in oratione ad popu. de lege agraria, ait. *Inuenit tandem magistratum [illegible] Rullo exspectatam, quo de erat Princeps agrariæ legis.* Liuius etiam in lib. 4. ab vrbe cond. vbi de accusatione A. Sempronii Cos. loquitur. *C. Iunius vnus ex Tribb. [illegible] concionem vocauit [illegible]*, & quæ sequuntur. Solebant enim has conciones habere ad pertentandam populi voluntatem: nec enim sciebat quid [illegible] in concione populus: hinc A. Gel. lib. 13 cap. 14 ait ex [illegible] verba recitans. *Aliud est agere cum populo, aliud concionem habere: nam cum populo agere est rogare populum, quod suis [illegible] suffragiis: Concionem autem habere, est verba facere ad populum sine vlla rogatione.* Quid itidem concio significet, vide eundem A. Gellium lib. 18. cap. 7.

Alius locus Asconii restitutus.

CAPVT II.

TOllendus est etiam asteriscus ex verbis paulo post consequentibus, vbi ait Asconius. *Prouidendum, vt legati haberent, vnde præsentia darent. Nam sua lege, cum videret Cornelius exhauriri prouincias vsuris, quod legatis nationum exterarum pecunia Romæ numeraretur a fœneratoribus, turpe hoc lucrum [illegible], [illegible] S. C. illo, ne quis Cretensibus mutuam pecuniam daret.* Ait igitur Asconius in concione Galbam dixisse, prouidendum esse, vt haberent legati, vnde pecuniam præsentem soluerent: quæ loquendi [illegible] frequens est, & vsitata apud Ciceronem [illegible] qui [illegible] aliquando pecuniam dari. [illegible] quod Asconius ait, VNDE præsentia darent, quæ loquendi figura,

& si distat aliquantulum a Ciceronis figura, rem tamen satis explicat, nec erat quod Manutius locum haberet suspectum.

Alius locus Asconii consideratus, in quo Sigonii, & Manutii error demonstratur.

CAPVT II.

ASconius in Diuin. pag. 6. & 7. in Aldinis libris, vbi Cicer. verba hæc interpretatur. (ceratam vnicuique tabellam dari legitima cera) ait. *Varro consobrinus frater huic censi reus ex Asia apud L. Furium prætorem primo de pecuniis repetundis: Deinde,* & quæ sequuntur. Multo erat satius, sic corruptum locũ relinquere, quam perperam emendare ex coniectura Caroli Sigonii. Nam in suis scholiis ita scribit Manutius. *Valde probo coniecturam Caroli Sigonii summo ingenio, doctrinaque præstantissimi, qui e Ciceronis libr. 2. de oratore legendum putat Cicerones.* Hæc Manutius. Puto autem ipsum innuere verba Ciceronis, quæ sunt sub initium libr. 2. de orat. vbi ait. *Quos tum, vt pueri refutare domesticis testibus patre, & C. Aculeone propinquo nostro, & L. Cicerone patruo solebamus, quod de Crasso pater, & Aculeo, quo cum erat nostra matertera, quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, & patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus vna decesserat, multa nobis de eius studio, & doctrina sæpe narrauit, & cum nos cum consobrinis nostris Aculeonis filiis, & ea disceremus, quæ Crasso placerent,* & quæ sequuntur. Ex his Ciceronis verbis percipere possumus, Aculeonis filios, M. Ciceronis, & Q. fuisse consobrinos: de Varrone autem nulla mentio hoc loco Ciceronis consobrino. Sed de eo loquitur Cicero in Bruto 281. pag. in Iunctarum libris notæ Victorianæ, vbi ait. *Erat etiam vir doctus in primis C. Visellius Varro consobrinus meus, qui fuit cum Sicinio ætate coniunctus: Is cum post curulem ædilitatem Iudex quæstionis esset, est mortuus.* Et paulo post. *Aculeonis filium hunc fuisse demonstrat, iurisque iam a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam.* Hæc ita sese habent apud Ciceronem. At Asconius in eadem diuin. pagin. 6. in libris Aldinis, de eadem accusatione loquens Varronis, de qua etiam in loco recitato prius a me loquitur, ait, Ciceronis interpretans verba (A PVERIS: Nobilibus) *App. Claudio adolescenti nobili, qui cum accusasset Terentium Varronem repetundarum ex Asia, victus ab Hortensio est, in quo iudicio discoloribus ceris signa sententiarum notabantur,* & paulo post de discoloribus hisce ceris ita ait. in loco, quem [illegible] pagin. 7. Vide etiam [illegible] ab Asconio dici in comm. 2. or. in Verr. pag 21. b. in Aldinis libris, [illegible] 72 & Terentium Varronem nominari: Si igitur ille TERENTIVS Varro nominatur, cur postea idem [illegible] Ciceronis VISELLIVS Varro dicendus sit, non video [illegible] Paulum Manutium, nec Carolum Sigonium [illegible] corruptum [illegible] suspexisse, cum [illegible] emendationem.

Atque

[illegible] et aliquid etiam ipse [illegible] de loco illo [illegible] vbi dicto [illegible] corruptæ sunt [illegible] legendum, [illegible] Et si in [illegible] nihil mihi venit in mentem, quo comprobem [illegible] fratres fuisse. Quærendum igitur diligentius, aut si inde [illegible] potest, tacus est [illegible] coniectura locus relinquendus: cum illa, quæ ab [illegible] proferentur, sint aperte falsa.

Alius Asconii locus restitutus.

CAPVT IV.

IN comm. or. Cic. in C. An. L. Catil. competitores suos pag 63. [illegible] Catilinam a Cicerone nō fuisse defensum [illegible] pro [illegible] castella, ait. *Præterea monet me, quod* [illegible] *Ciceronis* [illegible] *defensionem.* Commentarii [illegible]: *Quod iudicio absolutus est Catilina, Vt Clo* [illegible] *prævaricatus est: nam* [illegible] *ad* [illegible]. Asterisco signat locum hunc Ma[illegible] tolli potest, si apponas dictionem, *Quod*, vbi [illegible] *Quod iudicio absolutus est Catilina,* [illegible] *quod prævaricatus est,* & reliqua. Cōtexerat [illegible] Cicero, in quibus [illegible] annotabat [illegible] se obiicere posse sperabat: quale genus commentarii [illegible] Demosth. condict, cum in illius ædes [illegible] in lib. de decem oratoribus Atheniensibus, [illegible] aliquod [illegible] ipsius describebat, [illegible] cilent [illegible], in se [illegible] in suis commentariis [illegible] nostro Ca[illegible] quo illam [illegible] Clodi[illegible] prævaricatum. Verum de hac re satis.

Aliis Asconii locus [illegible].

CAPVT V.

VErba hec ita leguntur apud Asconium in comm. or. Cic pro Milone pag [illegible] in Aldinis libris. *Eodem T.* [illegible] *L. Plancus* [illegible]*, & Q. Pompeius Rufus* [illegible] [illegible] *corpus nudum caldatum, sicut in lecto* [illegible] *in forum detulit,* [illegible]. Nil opus est [illegible] Manutii hoc loco [illegible] annotatione [illegible] GAL. tantum scribi [illegible] legendum Caldeatum [illegible] [illegible] Vergilium [illegible], cum

Corculque [illegible]

[illegible] Vulnera [illegible] illud apud eundem.

Nec vulnera laui.

Iam vero caldum, pro calidum dici, satis est notum. Varro lib. [illegible] de re rust. capit. 2 *Cum sole caldo constitit adilitiis ego & Q. Axi[illegible] Senator tribulis suffragium tul[illegible]ssemus.* Quintilianus libr. 1. capit [illegible] vsum huius vocis demonstrat, adeo vt Augustus in Epistolis ad C. Cæsarem dicatur emendatus fuisse, quod calidum, non caldum diceret. Verba Quintiliani sunt hæc. *Sed Augustus quoque in Epistolis ad C. Cæsarem scriptis emendatur, quod is calidum dicere, quam caldum malit, non quia non sit latinum, sed quia sit odiosum. & vt ipse Græco verbo significauit, περίεργον.* Hinc caldarium videas appellari a Vitruuio balnei partem, vbi se calda lauabant: sicuti a frigida frigidarium, & a tepida tepidarium. Et Non. Marcellus in libr. de proprietate sermonis, in dictione Muginari. Atta. aquis caldis: Sic enim ille inscripserat opus suum. Nunc videamus quid dicat Manutius in suis scholiis nu 9. Verba illius hæc sunt. *Caldatum, Calciatum mallem, vnde & calciamentum Sic & Valerius Maximus lib. 4 de amore coniugali. M. Plautius vxore Horestilla funerata, & in rogum imposita, inter officium vngendi, & osculandi stricto ferro incubuit, quem amici sicut erat, togatum, & calciatum corpori coniugis iunxerunt.* O inane somnium Manutii. Quorsum hæc? quis calciatum dicat cadauer Clodii in forum fuisse delatum, vt vulnera possent videri? Nihil certe magis absurdum, aut insulsum dici potest.

Alius Asconii locus emendatus.

CAPVT VI.

AB imperitis librariis, & typographis omnino veterum libri corrumpuntur: ideo necesse est, vt viri eruditi multum operæ ponant in ipsis emendandis: maxima vero erratorum pars inde videtur enata, quod similitudine literarum decepti, aut rationem veteris scriptionis non intelligentes, diuersa ipsi scripserunt. Id nunc facile poteris perspicere in hoc Asconii loco, quem sumus emendaturi. Asconius igitur in com. or. Cic. in competitores, verba sunt hæc pag. 66. in [illegible] libris *Quos nominat intelligere [illegible] omnis, Catilinam, & Cn. Pisonem adolescentem [illegible] ad cædem Senatus faciendam ante annum, quam hæc dicta sunt Cotta, & Torquato Coss. namque eam [illegible] factam, quod prius, quam parati essent, commatis signum dedisset Catilina. [illegible] tam, cum hæc dicerentur, [illegible] in [illegible] Hispaniam [illegible] a Senatu per honorem legationis, vt [illegible] abligaretur, [illegible] dum [illegible] facit, [illegible] vt quidam credebant [illegible] Pompeiano [illegible].* Hæc dicit [illegible] de C. Pisone, quem cum Catilina primum [illegible] Salustius, his verbis. *Erat eodem tempore Cn. Piso [illegible] nobilis, [illegible] egens, factiosus, quem ad perturbandam [illegible] inopia atque mali mores stimulabant.* Cum hoc Catilina, & [illegible]

[illegible]

Digitized by Google

coniuratio prior: nam his coniurasse Catilinam, idem Salustius habet. Corrigendus igitur Asconii locus sic. *Piso autem, cum hac damnatus erat in Hispania, missus a Senatu per honorem legatus* VT AB VR. ablegaretur, vbi enim corrupte legitur auus suus, ab vr id est, ab vrbe, legi debet. Demonstro autem vnde enata sit haec menda. Asconii liber (opinor) habebat ab vr. Librarii non intelligentes *ab vs*, scripserunt. Alii mox emendare studentes habere coeperunt, *auus*. Postea alii *suus*, addiderunt: Sic factum vt legeretur, *vt auus suus ablegaretur*. Ita ignoratio historiarum, & antiquitatis impellit librarios interdum in maxima errata. Planetrogatam vbi placuit in veterum libris emendandis, nunc demum in hoc loco corrigendo mihi placeo: Video enim quasi, quae ostendere mentur, originem huius tam foedae mendae, qua erat inquinatus Asconii contextus. Hanc ego emendationem protuli multis audientibus tum publice, tum priuatim Patauii, subito cum Asconium ediderunt Manutius, & Sigonius. Venetiis etiam in officina Michaelis Tramezini, clarissimo viro Vincentio Riccio, cum de Asconio emendato ab illis esset inter nos ortus sermo, exposui. Angelo itidem Florido declaram dedi, sicuti alias multas, de quibus ante locuti sumus. Nobilissimi praeterea adolescentes, omnique liberali eruditione instructi patricii Veneti, Daniel Sanutus & Leonardus Donatus auditores mei fidē omnibus faciēt, me haec palam eum dixisse. Dicere autem hoc, & tam multorum testimonio meam emendationem munire ideo volui, quia vereor, ne Sigonius in suo aliquo volumine inseruerit, quemadmodum ante ipsum fecisse demonstraui. Nunc apponam Salustii verba, ex quibus cognosci possit. Pisonem in Hispaniam missum, vt ablegaretur ab vrbe, & a clientibus Pompeii fuisse peremtum: Ait igitur in Cat. Salustius. *Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro Praetore missus est, adnitente Crasso, quod eum infestum Cn. Pompeio cognouerat. Neque tamen Senatus prouinciam inuitus dederat: quippe foedum hominem a rep. procul esse volebat.* paulo post. *Sed is Piso in prouinciam ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt qui ita dicunt, imperia eius iniusta, superba, crudelia barbaros nequiuisse pati. Alii autem equites illos, Cn. Pompeii veteres fidosque clientes voluntate eius Pisonem aggressos*, & quae sequuntur. Iam vero hanc illam esse Catilinae coniurationem priorem Coss. Torquato, & Cotta idem declarat Salustius his verbis. *Cum hoc Catilina, & Autronius circiter nonas Decembris communicato consilio parabant in Capitolio Cal. Ianuariis L. Torquatum & L. Cottam Coss. interficere*: Paulo post *Quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam vrbem Romā pessimū facinus patratum foret, quia nondum frequentes armati conuenerant, ea res consilium diremit.* Haec omnia Asconius ex Salustio opinor. Quare ita emendandus locus, quem ab initio proposuimus.

Digitized by Google

Error Pauli Manutii demonstratus.

CAPVT VII.

VErba Asconii hæc sunt in comm. [illegible] or. in Verr. pag. [illegible] [illegible] nis libris DE ANTONIO. Hic est M. Antonius dissolutissimus curator totius oræ maritimæ, Cretæ mortuus, de quo [illegible] dicet. *Postquam M. Antonius infinitum illud imperium [illegible] quem Salust. ut ait perdundæ pecuniæ genitum, & vacuum a curis [illegible] instantibus.* Paulus Manutius audet in suis scholiis Asconium reprehendere his verbis. *Error [illegible] est enim hic Antonius [illegible] tor, de quo in dialogis de oratore, in quibus etiam ipse lib. 2 de [illegible] nibus se collectis, contra hominum opinionem testatur.* Hæc ille. [illegible] boni quanta cum grauitate, profert aduersus Asconium [illegible] mum & antiquissimum Ciceronis interpretem, qui in [illegible] rum, & totius antiquitatis explicatione ita excellit, vt cum eo nullus sit conferendus. Scimus Asconii scripta, quæ habemus [illegible] vberiora peruenisse opera, & beneficio Poggii Florentini [illegible] ctissimi, qui primum ea dicitur reperisse in Monasterio Sancti Galli prope Constantiam XX. millibus passuum: & quæcumque ex [illegible] cum ferri cœperunt, qualia nunc habemus impressa, ex illius exemplari fuisse descripta. Scimus etiam multis in locis manca esse, & corrupta culpa impressorum, qui aut addentes, aut prætermittentes aliquid miris modis librum Asconii fœdarunt. Videre est in eo, qui Florentiæ impressus fuit, hunc locum ita legi. Hic est M. Antonius dissolutissimus curator largitatis oræ maritimæ, Cretæ mortuus. In alio itidem impresso Cremonæ multo ante, sic. Hic est M. Antonius prætor dissolutiss. vel curator largit. [illegible] oræ maritimæ. Prætorem hunc etiam vocat Liuius in epit. [illegible] libr. 97 his verbis. *M. Antonius prætor bellum aduersus Cretenses parum prospere gestum morte sua finiuit.* Alibi Asconius ipsum vocat curatorem oræ maritimæ, vt satis est notum. Ego [illegible] cam quod sentio. Cum Asconius scripsisset hoc loco sic: *Hic est M. Antonius pater dissolutiss. illius Curatoris oræ maritimæ, qui Cretæ mortuus est.* Librarii postea illam dictionem, pater, ita scriptam pr. Vnde alii, prætor, emendarunt, putantes de eo Asconium loqui, de quo & Liuius libro 97. & addiderunt, vel ad illam [illegible] tionem Curator, qui ante ita ipsum appellat Asconius. Ita locus est corruptus, sed legendum est, vt ego ante dixi. Nec enim in [illegible] tam nota decipi potuisse Asconium, credibile est, vt putat Manutius, qui antiquorum auctorum existimationis rationem non [illegible] [illegible] librariorumque & impressorum errata ipsis attribuit. Verba Ciceronis libro de or. II. vbi M. Antonium Oratorem patrem [illegible] lius M. Antonii curatoris facit loquentem, sunt hæc. in Victorinus [illegible] 175. *Sed tamen ne tabulas quidem [illegible] exigimus: verum & in hoc ex re familiari mea, & in illo ex eo, quod dico [illegible] cumque est quid faciam, iudicari potest. M. Anton[illegible]*

illum

[illegible] satis demonstrat Volaterranus. Sed multo plura [illegible], cum [illegible] a nobis emendatum, & declaratum ede-[illegible]: quod propediem spero futurum: nihil enim [illegible] quicquam me derogare Petro Danesio, viro doctissi-[illegible], qui hoc emendando multum desudauit: scio enim quid [illegible]: sed ego de Manutii, & Sigonii emendationibus [illegible] instituceram, quas facile dignoscere iam quiuis po-[illegible].

Terentii locus explicatus, & emendatus sine fuco.

CAPVT VIII.

M. Antonius Muretus Gallus, qui in vna tribu Venetiis docebat, in suis annotationibus in Terentium, vbi explicare conatur & emendare verba hæc.

Nunc ubi meam
Benignitatem sensisti in te claudier?

ait accepisse se a Paulo Manutio, in libro, qui in bibliotheca Romana [illegible], legi. TE CALuier. Sed verba ipsius Mureti subiiciam. Attingitur pag. 13. b. in Aldinis nuper impressis M.D.LV. *Nullum [illegible] fateram, qui hoc quidem loco a vulgatis discreparet, adeoque [illegible] coniiciebam, vt ille ait, suspicatus fueram ullam eum correctione [illegible], donec mihi Paulus Manutius, nunquam satis homo laudatus, [illegible] in antiquissimo, eodemque omnium qui exstant, [illegible] Romano libro aperte legi,*

Nunc ubi meam
Benignitatem sensisti te caluier?

Id autem aiebat, non quidem vidisse se, sed quod perinde est, pro certo exploratoque accepisse a Gabriele Faerno, cuius hominis incredibilem eruditionem, summam in iudicando acrimoniam, indefessam in euoluendis veterum monumentis diligentiam, spectatam in rebus non temere affirmandis religionem ac fidem, & quæ sequuntur. Et paulo post *Est autem caluor, antiquum verbum, idem valens, quod frustror: aut frustra habeo.* Plautus.

Nam vbi domi sum sola, sopor caluitur manus. Hæc ille. Quod si hæc non legerentur apud Nonium Marcellum, facile crederem, Manutium hæc cogitasse, vt est doctus & multa legit. Sed cum Nonius Mar. in lib. de proprietate sermonis hæc protulerit: neque verum esse, quod Manutius retulit, puto, in codice Romano [illegible] legi: nam id ante animaduertisset doctissimus vir Petrus Bembus Cardinalis, qui Terentium summo studio emendare conatus est: neque Faernum id dixisse, cum sit, vt multi sæpe mihi narrarunt, & eruditus, & candido ingenio. Sed obaudit sæpe Manutius, nec percipit, quæ a viris doctis explicantur: quorum sermonibus si quando interest, conatur quidem ille aliquid arripere, quod postea sibi arroget, sed sæpe aliter explicat, illo ipso versu Plauti Nonius Mar. q. Plauti locu citat: vt n. doctus est Faernus,

sic omnium horum veterum scripta diligenter legisse illum credo, aut hoc, sicuti alia multa, per somnium retulit Manutius, qui nihil vnquam ipse legit, sed aliena intercipit tantū si potest. Nunc ipsius Nonii Marcelli verba subiiciam, vt res tota palliat ante il...
Is igitur in libro de proprietate sermonis in dictione, Caluitur, ait, Caluitur dictum est, frustratur, tractum a caluis mimis, quod sit ... frustratui. Plautus Cassina. Nam vbi domi sola sum, sopor manus caluitur. Pacuu Medo, *sentio pater te vocis caluit sim titudine ... quid cor specto? Num me lucit ... s caluitur aetas.* Accius Eurylace, *ad memet caluor, vos istum, vt iussi, ocyus abstrahite.* Lucilius Satyrarum lib. 17. *Sed concapite, inquit, eum. Et si caluitur ergo ...* minum. Pacuuius Duloreste. *Ne caluitur suspicio. hoc est ... quod fore occulte Aiax praedixit.* Salustius historiarum libr. 3. ... caluitratus. Haec Nonius. Nunc expono breuiter quid sentiam de Terentii loco. Ego nihil censeo immutandum & legendum sicuti ante, *Claudier.* Video enim metaphora simili etiam Ciceronem vsum, cum de ipsa benignitate, hoc est, liberalitate loqueretur. Locus est lib. de off. 2 vbi ait. *Nec ita claudenda est res familiaris, vt eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, vt pateat omnibus.* Ciceronis locum explicat Nonius in lib. de proprietate sermonis in dictione, REserare. Nunc velim consideret Marcus, quid egerit: cum versum protulit Plauti, cur locum non indicauit? Si legerat Nonium, cur tacuit? Sed certe non legerat. Attulit quae Manutius narrarat: non ita tamen exquisite, vt audierat a Faerno viro docto. Neque enim is dixit, opinor, ita legi in libro Romano, cum id verum non sit. Sed totum hoc figmentum Manutii est.

Maximus error Sigonii demonstratus.

CAPVT IX.

NVnc redeo ad Sigonium. Is capt. 7. suae disputationis, vbi de praenominibus faeminarum Rom. loquitur, nonnulla tam indocte profert, tam non consentanea veritati, tam aliena a Graecorum testimonio, quo vtitur, vt mireris hominis tantam esse inscitiam. Mulieres praenomine vsus vario, sicuti viri, ostendere conatur testimonio Varronis & Plutarchi. Sed consideremus primum Plutarchi locum, & subiiciamus ipsius Sigonii verba. *... Possidonium Plutarchus in Mario reprehendit: qui cum primum nomen proprium esse diceret, nulli tamen mulieri. Primum nomen esse dicebat: ex quo efficiebatur, mulieres proprio nomine caruisse.* Omnino Sigonius, vel Plutarchum non legit, vel si legit, non intellexit: nec vero mirum: nam vix Graecas literas attigit, nec potest omne genus auctorum Graecorum explicare, vt multi mihi graues viri retulerunt. Hic est ille Sigonius, qui reprehendit alios & iactat eos Graecorum libros non inspicere, ipse nunc de se ipso sententiam ferat, & iudicet qualis tandem sit, aut quantum sibi tribui velit in

literis

Digitized by Google

literis. Verba Plutarchi sunt hæc, quæ ego subiiciam, vt res tota lucidius perspici possit. [illegible] γὰρ τὸ [illegible] καὶ ὁ Μακεδονικὸς Μετέλλῳ, [illegible] Ποσειδώνιος [illegible] ῥωμαίοις [illegible] Μάρκελλον, καὶ τὸν Κάτωνα. [illegible] γὰρ [illegible] γυναικὶ τίθεται τῶν [illegible] ὄνομα ῥωμαίοις ὑπάρχειν ὁ Ποσειδώνιος. Hæc Plutarchus. nunc explico sententiam ipsius. Posidonius refellebat eos, qui *CATONEM, CAMILLVM, MARCELLVM* dicebant propria esse Romanorum nomina, & statuebat propria esse nomina ipsorũ illa, quæ prænomina dicuntur, vt *C. L. M.* Refellit Posidonium Plutarchus, & ait, si hæc propria sunt, absurdum sequitur hoc, quia nulli mulieri imponitur primum nomen, id est, prænomẽ, quod Posidonius proprium esse dicebat, mulieres ipsæ nomen proprium non habebunt. Ex his Plutarchi verbis elice, mulieres non habuisse prænomen: sed gentilitiũ tantummodo nomen, & aliquãdo tertium, vt *PAVLLA, METELLA.* Atque hæc quidem ita se habent: Nunc Sigonius Plutarchum nõ intelligens, testimonio illius probare conatur, mulieres prænomen habuisse, cum nominatim dicat Plutarchus ipsas prænomine caruisse. Satis mirari non possum, vnde tanta inscitia hominis: Credo ipsum iam iure castigatum a me tonce cautius posthac calamum arrepturum, vt scribat, ne ab omnibus irrideatur: Nec ego illi non ignoscerem, si tantum sibi in literis non arrogaret, quod pueriliter sane facit, cum iudicio nullo, vt tam sæpe dixi, & re ipsa demonstraui, præditus sit.

Alius error Sigonii.

CAPVT X.

Alias Sigonius ibidem. Itaque idem in Problematis aperte scribit mulieres duobus, viros tribus nominibus esse visos. Sic enim ait: [illegible] δυσὶν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄρρενες. Statuit Sigonius, feminas Romanas vti duobus nominibus, prænomine & nomine, vt si dicas M'. Æciliam. Ego hoc falsum esse assero, nam si duobus vtuntur, nõ de prænomine id voluit intelligi Plutarchus & nomine, sed de nomine & cognomine, quod interdum tamen nõ semper fiebat, vt nos postea ostendemus. Alias in meo libello ego scripsi, vno, aut duobus mulieres vti nominibus, secutus Plutarchi testimonium: nam bene emendati codices habent [illegible] ὀνόμασιν αἱ θήλειαι. Atque sic etiã vertit olim Petrus Lucensis vir doctus, qui ante centum annos fere Lucæ vixit, & professus est. Nec aliter sane sese res habet: nam si respicias [illegible]nam, videas, Iuliam, Tulliam, Cæciliam, Semproniam, Corneliam mulieres vno nomine dici: qua in re, si opus esset exemplis, non grauarer proferre quam plurima. Addebantur interdum

cognomina hæc MINOR, MAIOR, ætatis distinguendæ caussa. Atque hæc inter cognomina fœminarum fuisse, scribit etiam Festus libro 11. Quare respiciens ad cognomina Plutarchus fœminarum: duobus ipsas nominibus appellari ait: sed id rarum est: si præsertim Ciceronem, & alios antiquos scriptores legas: propterea ego scripseram in meo libello, ante id me raro obseruasse. Sigonius cum locum Plutarchi adducit in medium, ex eo demonstrare conatus, fœminas etiā prænomine vsas, præter gentilitium nomen, quod aperte negat Plutarchus in Mario, vt ante diximus.

Alius error Sigonii.

CAPVT XI.

ATq; cum Plutarchi locū nō intellexisset Sigonius in Mario, multa falsa protulit. Nam primum ait, fœminas hoc prænomine vsas PRIMA, ac testimonium profert ex vita Romuli, vbi Plutarchus Romuli filiam, Primam, appellat ex Hersilia coniuge susceptam. Hoc aptius, vt diiudicare possimus, qui sit hic locus, Plutar. verba apponere καὶ γενέσθαι παῖδας αὐτῷ μίαν μὲν θυγατέρα Πρίμαν τῇ τάξει τῆς γενέσεως, οὕτω προσαγορευθεῖσαν, ἕνα δὲ μόνον υἱόν, ὃν Ἀόλλιον μὲν ἐκεῖνος ἀπὸ τῆς γενομένης ἀθροίσεως ὑπ' αὐτοῦ τῶν πολιτῶν ὠνόμασεν· οἱ δ' ὕστερον Ἀβίλλιον. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἱστορῶν Ζηνόδοτος ὁ Τροιζήνιος πολλοὺς ἔχει τοὺς ἀντιλέγοντας. Hæc Plutarchus scribit in Romulo de Prima, & Abillio liberis, ex Hersilia susceptis, ex Zenodoti sententia, quam etiam non probare multos ait. Errat igitur primum Sigonius, qui, dum PRIMAM prænomen fœminę probare esse vult, nugas Zenodoti, quas nullas veterum probandas censuit, profert tanquam Plutarchi grauissimi auctoris testimonium. Deinde, quia prænomen id esse ibi nō apparet, cum nullum aliud subsequatur nomen gentilitium.

Alius error Sigonii.

CAPVT XII.

IDem Sigonius affirmat ibidem, SECVNDAM, TERTIAM, QVARTAM, QVINTAM prænomina esse fœminarum. Ac de SECVNDA affert probationem huiusmodi: *In multis epigrammatis antiquæ vrbis IVLIA SECVNDA, CORNELIA SECVNDA.* Quis risum teneat hæc legens, sub finē sui libelli, me, opinor, imitatus, ait, se Augusti tempora nō trāsire. Ostēdat si potest illa vigente rep. ita scripta fuisse, sed esto. Si in illis inscriptionibus Secūda prænomē dicitur, cur postea collocatur, non prius, sicuti prænomina solent? Quod si dicat Sigonius prænomen postponi, vt hoc ipsi concedamus etiam, tamen consideret velim, si in illa inscriptione Mutinensi, quam affert ex ædibus nobilissimi, ac doctissimi viri Ludouici Castelutrei, SALVIA C. F. PRIMA FECIT. potest dici prænomen ita collocatum post illa verba, C. F. nam in inscriptionibus Epitaphiorum

rum

[illegible] Ciceronis quam plurimarum: item in marmoribus consu-[illegible] quis non videt post, C. F. id est, *Caii filius*, vel [illegible] *filium* semper apponi cognomina ipsa, vt Crassus, [illegible], [illegible]appius & similia: me certe pudet talia loqui, quæ [illegible] sunt: sed satis mirari non possum, quomodo [illegible] his la[illegible]tur Sigonius. Adducet fortasse con-[illegible] inscriptionem Mutinensem ex ædibus eius-[illegible]

SEX. TVLLIVS SEX. F. V. SIBI
ET SVIS, ET PRIMÆ VALE-
RIÆ SP. F.

[illegible] *PRIMÆ VALERIÆ* quod scriptum est, putat fortasse *PRIMÆ* prænomen esse: erras Sigoni, si id credis: nam conse-[illegible] quod est maxime absurdum, *PRIMAM* modo prænomen esse, modo cognomen: nam ego cognomen esse ante tibi [illegible] Sed ego te conuincam tua ratione. Nonne scripsi[illegible] cognomina reperiri collocata interdum ante gentilitia nomina? Ita quidem sese res habet: & tu meminisse debebas: sed [illegible] annotaras hoc, quod postea credo tibi in mentem ve-[illegible] Idem dicendum est de *QVARTA, TERTIA, QVINTA*. Cum enim eiusdem patris essent multæ filiæ, & omnes gentilitio appellarentur nomine, vti mos erat, discernebatur cognominibus veluti quodam (sic enim est appellandum) Primæ, Secundæ, Tertiæ, Quartæ, Quintæ. Quid cogitares cum inscriptionem Pa-[illegible] protulisti, non possum intelligere, aduersatur enim tibi: [illegible] perspice. Inscriptio hæc est:

V. F.
T. LIVIVS
LIVIÆ T. F.
QVARTÆ 7.
HALYS
CONCORDIALIS
IAIA[illegible]
SIBI ET SVIS
OMNIBVS.

Appianus p. 339.

Nonne vides Sigoni *QVARTÆ* postponi illis literis *T. F.* id est, *T[illegible]*, & esse cognomen, sicuti paulo ante tibi ostendi. [illegible] inscriptiones Regienses apud Horatium Malegutium nobilem [illegible] sunt eiusdem generis, nec est, quod te torque-[illegible]: nunquam enim peruinces *QVINTAM, QVARTAM* prænomina esse: sunt enim cognomina, ea de caussa imposita, quam ante exposui. Libet nunc apponere alias, ex quibus id ipsum cognosces. In Hispania Tarracone est hæc, quam mihi describendam tradidit ex suo commentariolo Lusitanus quidam amicus meus.

Digitized by Google

D. M.
MANLIÆ
QVINTÆ
MANLIA
SEVERA
PATRONA.

Exstat etiam Patauii hæc in ædibus Liuianis.

T. LIVIVS C. F.
SIBI ET SVIS
T. LIVIO T. F. PRISCO
ET LIVIO
T. F. LONGO
ET CASSIÆ SEX. FILIÆ
PRIMÆ VXORI.

Sunt Patauii itidem aliæ duæ, in quibus, etsi marmor fractum est, idipsum cognosci potest. Altera quidem est in iisdem ædibus Liuianis.

C. SAVFEIVS
CLEMENS
SIBI ET
V——PRIMÆ.

Altera vero in ædibus Quirinorum, his verbis:

P. FLAVIVS Q. F. ROM.
STABILIS
ADLECTVS DECVR
SIBI ET
P. FLAVIO P. F. FESTO
FILIO ADLECTO DECVR
ET
LI———TERTIÆ
VX———— F. I.

His persimilis est Mutinensis illa in turri Diui Geminiani.

C. SALVIVS C. F.
VRBANVS
APOLL.

SALVIA C. F.
PRIMA FECIT.
SOSIA ⁊ L.
AMARYLLIS.

Duo igitur cognominum genera fœminarum sunt. Alterum cum discerni eas erat necesse a suis sororibus, quæ gentilitio nomine omnes appellabantur, & hæc sunt: PRIMA, SECVNDA, TERTIA, QVARTA, QVINTA. Si plures essent Sorores, si duo tantum, MAIOR, & MINOR. Alterum vero genus, si gentilitium nomen in diuersis familiis erat cognomine distinctis. Gentilitio nomini (nam eo omnes fœminæ appellari erat necesse) addebatur cognomen eius familiæ peculiare, vt discerni possent ab aliis, quæ eodem gentis nomine vocabantur.

bantur. Prioris generis sunt illa apud Liuium libr. 40 *Quarta Hostilia* & apud eundem libr. 28 *& Tertia Scæuolæ filia* apud Asconium. *Quinta Claudia*. Itidem apud Ciceronem hoc in Or. pro Cælio, & de respons. aruspicum, & *tertia Iunia* apud Suetonium in Cæsare. Item de tertia Pauli Æmylii libr. de Diu. primo. Alterius generis sunt illa. *Paulla Valeria* in Epist. Cælii, quæ etiam Polla a Cicerone vocatur. πῶλλαν vocat Agrippæ sororem Dion libro 55 376 Et quamuis nullam Valeriorum familiam tunc hoc cognomine *PAVLLI* dictam, crediderim tamen aliquam subesse, aut aliud quiduis, propter quod illa Valeria cognomento Paulla dicta est: quam idem perspicere potest in sorore Agrippæ, de qua Dion, nisi forte ita dictæ quid peculiare. Ex hoc genere sunt illa in inscriptionibus Hispanicis in valle Saguntina.

SERGIÆ M F
PEREGRINÆ
THEOMNESTVS ET LAIS
ET DIDYME LIBERTI

& in illa ibidem est

SERGIÆ
M. F.
PEREGRINÆ
L. IVLIVS ACTIVS

Rursus illa

POPILLIÆ
RECTINÆ AN. XVII.
C. LICINIVS C F
GAL MARINVS
VOCONIVS ROMANVS
VXORI

Rursus etiam in illa quæ est Compluti in Hispania,

FVLVIÆ PROCV-
LÆ C. F.
CELSA FLAVINA
MATER FIL.
CARISSIMÆ

Est etiam aliud cognomentorum genus fictum a blandientibus, quale illud in Hispania.

Saguntii

D. M.
TERENTIÆ
NIGELLÆ
AN. LX.
VETTI
VS
MATRI
PIENTIS.
P.

Et illud itidem in Hispania.

Tarracone.

VENERI
LATINILLÆ
SPEDIVS MA-
TERNIANVS
MARITVS.

Et illud ibidem.

D. M. S.
IVLIO FRONTONI
SALMANTIC.
ANN. LXX.
IVLIA RVSTICILLA
SOROR
PIENTISSIMA
F. C.
H. S. E. S. T. T. L.

Digitized by Google

Et illud in valle Sagūtina.

ANTONIÆ L. F
SERGILLÆ
VEGETVS
LIBERT.

Et illud Patauii in ædib. Quirinorū.

LVSCA
QVADRA
TILLA H. S. EST
ANN. XXV.
M. IX. D. XXIII.

Et illud Mutinæ in ædibus, opinor, Ludouici Casteluitrei.

Q. AMBILIVS T. F.
POL. TIRO MVTIN.
MILES COHOT. VII PRÆT.
7 GRÆCINI. VIXIT ANN.
XXXII. MILITAVIT ANN. XII.
ARBITRATV.
MYRMELIÆ VERECVNDÆ
SORORIS
T. F. I

Item illud Mutinæ in foro ad ædem Diui Geminiani.

DECIMIÆ L. F. PHILEMATION
ROMANI MATRI
IN FR. P. XVII. IN A. P. XVII.

Nam cognomina hæc *Rectina, Flauilla, Nigella, Latinilla, Venus, Rusticilla, Sergilla, Verecunda.* Philemation satis constat ita fuisse ficta ob blanditias, vel a parentibus, vel ab amatoribus, qualia illa sunt apud auctorem qui Probus vocatur. *Rutilia, Cæsellia, Rodocilla, Mutrulla, Burra,* quæ quidē prænomina non sunt, vt Sigonius putat, secutus nescio quem. Vsum mihi demonstret, si potest.

De quibusdam fœminarum Romanarum prænominibus.

CAPVT XIII.

CVm ego de mulierum Rom. nominibus differerē ante multos annos, vsum spectaui magis, quam nugas Grammaticorum: & Plutarch. auctoris grauissimi sentētiam secutus fui, cum præsertim Augusti ætatem, & florentis Reip. tempora professus essem me nolle transgredi, quia postea omnis ratio nominum confusa apparet. Ideo dixi prænomina mulierum nulla fuisse, præter Caiam, quod omnium commune fuit mulierum. Plutarch. [illegible] prænominum [illegible] a prædictum est: sed cognomina tantum, [illegible] quibus est etiam a me disputatum copiose. Nunc non [illegible] sententiam mutaui. Id enim verum est, quod dixi. Sed in animo habeo aliter dicere, ex veterum inscriptionibus quibusdam [illegible] aliquando habuisse. Verum in [illegible] quæ [illegible] prænomines factæ fuerint: non florente Rep. [illegible] ego addi [illegible] non possum vt credam. Si enim id fuisset, Plutarchus non ita [illegible]

in Ma-

[illegible] Mario, & in Probl. nec Possidonium ea ratione refutasset, [illegible] cererent.

In Hispania [illegible] Saguntí hæc.

L. NVMERIO
L. F. FELICI
ÆMILIA
PRISCA MARITO
OPTIMO.

Et hæc.

VALERIVS MAXIMVS
TI. ÆLIA M. F.

Est etiam Patauii in Liuianis ædibus hæc. Supra quam equi [illegible] sculpti sunt, qui currum trahunt, in quo auriga & virgo [illegible].

P. SERVILIÆ VIRG——
P. SEXTILIA
V.R. VEST. ET SIBI
[illegible] V. F.

Hæc ita se habent. Nec tamen liquet, qua ætate scalpta fuerint monumenta hæc. Quare nihil temere affirmandum puto, cum [illegible] apud veteres prænominum in fœminis; & nominatim Plutarchus in Mario Possidonium refellens dicat eas prænomina non habuisse.

Locus Varronis peperam prolatus, & declaratus a Sigonio quomodo interpungi, & intelligi debeat.

CAPVT XIV.

Propositum est Varroni disserere aduersus eos, qui analogiam tollebant. Et quam multis modis analogia fit, de ea loquitur etiam, quæ consistit in tribus nominū generibus, & ostendit tolli non debere. nam ait, Quod [illegible] in tribus generibus nominū [illegible] tollunt analogias, quę verba proferuntur paulo post illa, quę Sigonius protulit cap. 7. suæ disputationis de nominibus. Libro [illegible] Varronis posita sunt de analogia, non longe a media parte libri. Rationes tollentium analogias in generibus profert has Varro. Negant cum omnis natura sit aut mas, aut fœmina, aut neutrum, debuisse ex singulis vocibus ternas figuras vocabuli [illegible], vt albus, alba, album. Nūc fieri in multis rebus binas vt *Metellum, Metellam, Ennium, Enniam.* Nonnulla singula, vt *tragœdia, comœdia.* Sic esse *Marcum, Numerium,* at *Marcam, Numeriam* non esse, dici coruū turdum, coruam turdam nō dici. Contra *Pantheram, merulam* non dici *Pantherū, merulum.* Refellit hos Varro his [illegible]. *Ad hæc dicimus. Omnis orationis, quamuis res natura subsit, tamen si ea in usum non peruenerit, eo non peruenire verba.* Et quæ [illegible] Videtur [illegible] sentire Varro, duo requiri, vt appareat analogia [illegible] natura [illegible]

cabulum quidem esse potest: Vsu, quamuis enim natura sit, si in vsum & notionē non venerit, æque est ac si natura nō esset. Olim columbæ genere fœminino tam mares, quā fœminæ dicebantur, quod nō erant in eo vsu domestico, sed postea ex eo factum est, vt internoscerent, & dicerent columbū marem, columbam fœminā. Itaq;, inquit Varro, in quibus rebus non subest similis natura, aut vsus, huiusmodi ratio quæri non debet. Paulo post addit, *Marem & fœminam habere inter se quandam societatē, a qua disiuncta sunt neutra*. Ideo in vocabula *marium & fœminarum* cadere analogiā generis, quæ nō cadit in neutra. Seruorum aūt nomina, q; non ita transeant ad communitatem cum fœminis (nec enim serui gentē habent) nō posse habere analogiam. Liberorum vero hominum, qui erant in Latio, quoniam hi gentem habebāt, nomina habere analogiam, & transire etiam ad fœminas. Quod itidem fieret in nominibus seruorum, si gentilitia natura in vsu subesset. Quare in nominib⁹ gentilitiis apparet analogia generis necessario, nam *Claudius* dicitur *vir*, *Claudia fœmina*, *Claudium genus*: eodē modo in aliis. Hoc tamen non fit in prænominibus: quia instituta sunt ad vsum, vt discernerentur singularium hominum gentilitia nomina: exēpli caussa, omnes *Claudii* dicuntur, qui e gente *Claudia* orti sunt: omnes *Terentii*, qui e *Terentia*. Nec hoc in prænominibus tantum, sed etiam in aliis (vtpote cognominibus) quot quot instituta sunt, vt discerni possent gentilitia nomina. Exēpli caussa, Cornelius hic vocatur, itidem & alter, huic cognomen est Lentulus, alteri, cognomē est Scipio. Sic in mulieribus etiam cōtingit, nam hæc cognomen arripiet suæ familiæ, illa suæ. Ideo ait Varro ibidem, *Vt Metellus Metella*. Qualia sunt illa a nobis paulo ante declarata apud Ciceronem, ac *Paula Valeria*, & *Pola*, Agrippæ soror apud Dionem: interdum tamē omisso cognomine, aut nomine patris, aut nomine filiorum distinguuntur, vt Cornelia Gracchorum mater, & huiusmodi. Eædem mulieres, si gentilitio nomine eodem appellātur, distingui solent cognomine a numero ducto, vt secūda, tertia, quarta, quinta. In viris tamen cū *Quintum* dicimus & *Sextum*, aut *Decimū*, prænomina sunt: tam tamen illa gentilitia nomina distinguūt, quam hæc: tam illa numerū signant in cognominibus, quam hæc in prænominibus. Nec vero a numero tantum distinguuntur gentilitia nomina, sed vt singulare aliquod haberēt notari, inde ab euentu aliquis, ex quo distingueretur prænomen. Vt *Lucius*, qui luce, *Manius*, qui mane esset ortus, *Postumus*, qui post mortem patris est procreatus. fiebant etiam in fœminas ex analogia, cum subesset natura & vsus: nam *Mania* est dicta mater Larū, *Lucia* Volumnia in saliaribus carminibus etiam appellabantur, quæ quidem vetusta sunt, & in vsu non remanserunt. At *postumia* in vsu adhuc est apud multos. Cum aūt analogia sit in prænominibus ex genere, inter viros & fœminas, sciendum

Digitized by Google

ſciendum tamen, non in omnibus prænominibus eſſe: nam nulla mulier *Marca* dicitur, nec *Numeria*, quamuis *Marcus* & *Numerius* prænomina ſint virorum. Eodem modo *Quintum*, *Sextum*, *Decimum* dicimus prænomina in viris, nõ tamẽ in mulieribus cognomen hoc, *Sextam*, *Decimam*, nec in viris *Secundũ*, *Tertium*, *Quartum*: etsi enim natura ſubeſt, non eſt tamen vſus. Regula enim Varronis eſt, ad efficiendam in vocabulis analogiam, requiri vtrunque, & naturam, & vſum ſimul. Ita mihi videtur locus Varronis explicandus, & intelligendus. Nunc verba ipſa appono, quæ corruptiſſima ſunt in vulgatis omnibus codicibus, vt perſpici etiam poſſit (nec vero me latet in Ant. Auguſtini libro ita legi) cõfirmari non poſſe teſtimonio Varronis hanc ſententiam. *In nostris nominibus, qui ſumus in Latio, & liberi neceſſaria: itaq; ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia fœmina, Terentiũ genus: in prænominibus ideo non fit. Item quod ad hæc inſtitutá ad vſum ſingularia, quibus diſcernerẽtur nomina gentilitia, vt a numero ſecunda, tertia, & quæ ſequuntur. Sigonius ita profert ex Auguſtini, opinor, libro. In prænominibus ideo non fit item, quod hæc inſtituta ad vſum ſingularia, &c. Noua hæc eſt interpungendi ratio. Ego longe aliter hunc legendum, nec muto interpunctionem peruulgatam omnium librorum. In prænominibus id non fit: Item quotquot inſtituta ad vſum ſingularium, quibus diſcernerentur nomina gentilitia, vt cum a numero in fœminis, Secunda, Tertia, Quarta, & in viris, Quintus, Sextus, Decimus: ſic ab aliis rebus, cum eſſent duo Terentii, aut plures diſcernendi cauſſa, vt aliquid ſingulare haberent, notabant forſitan ab eo, quod mane natus diceretur, vt is Manius eſſet: qui luci, Lucius: qui poſt patris mortem, poſthumus: e quibus quædam itidem fœminis accidiſſe proportione appellata, declarãt prænomina antiqua mulierum Mania, Lucia, Poſthuma. Videmus enim, Maniam matrem Larum dici, Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari, Poſthumam a mulieris poſt patris mortem etiam nunc appellari.* Ita legendus eſt Varronis locus. Sed vtinam haberemus Varronis hos libros emendatiores (etſi præclaram operam nauauit Auguſtinus) aut alicũde exiret manuſcriptus alius liber, cuius ope reliqua vlcera ſanari poſſent: ea enim diſputatione nihil ingenioſius, nihil acutius dici poteſt. De Varronis autem opinione quid ſentiã, alias copioſius declarabo. Nunc redeo ad Sigonium, qui teſtimonio Varronis probare conatur, fœminas Ro. prænominibus vti conſueuiſſe: Ego præter illa *Luciam*, *Poſthumam*, & *Maniam* nihil video elici ex Varrone poſſe: quæ tamen vetuſtate obliterata eſſe ait. Sed quomodo Sigonius coniungit cum loco Varronis Plutarchi locum ex Mario prolatum, vbi Poſidonius reprehenditur, cum aperte Plut. ſcribat, vt nos ante oſtendimus, cum erratum Sigonii grauiſſimum patefactum eſt, fœminas Rom. prænomina non habuiſſe? Eſto, dicat Varro, Rom. fœminas prænomina

habuisse: non tamen idem dicit Plutarch imo diuersa, ait enim ipsas prænomen non habuisse. Verum sic Varronis l. cum ita interpungi, vti ille censet: vtri magis credemus, Varroni, an Plutarcho? Varroni dicat Sigonius, quia Romanus ipse est. Itane vero Sigoni, iam tibi extorsimus hoc, Plutarchum non astipulari Varroni, quod tu temere loca non perpendens affirmasti. Bene se habet. Modo dices Varroni potius credendum quam Plutarcho. Si hoc etiam tibi extorsero, quid dices? Censeo ego in hac re maiorem habendam esse fidem Plutarcho quam Varroni. Et audi cur id censeam. Vsus confirmat opinionem Plutarchi. Omnes enim auctores Romanos, ac Latinos vt euolu[a]s nu[n]quam obseruabis Romanas mulieres cum p[r]ænomine vllo ab ipsis nominari: non Liuius, non Suetonius, non Cicero, nullus [d]en[i]que. Quare Plutarchi sententia verior vt sit, necesse est, cum vsu ipso sit comprobata. Hæc ego ita statuo: tu si quid habes, afferto in medium, modo ne temere prolatum sit ex loco alicuius auctoris a te non diligenter lecto & perspecto: quod tibi iam toties accidisse demonstraui: vt in eo iam [illegible] itura potius & inscitia, quam negligentia, aut sorte labi videaris.

Alia ratione demonstratur erratum idem Sigonii.

CAPVT XV.

Ostendimus hactenus Plutarchum in Mario non astipulari Varroni, statuereque Romanas fœminas prænomina nō habuisse, cum Plutarchi testimonio Sigonius vtens cōtrarium asse-reret, vt est imperitus, nec veterū scripta plerumq; intelligit. Iam vero idipsum comprobari potest auctoritate Sex. Pompeii: nam is lib. 11 ait: *Minores & Maiores inter cognomina fœminarum poni solebant.* Censet vir doctus MAIOREM & MINOREM cognomina esse. Atqui si hæc cognomina sunt, etiam illa vt sint cognomina, necesse est, *PRIMA, SECVNDA, TERTIA, QVARTA, QVINTA.* Nā a numero deducta sunt. Cum duas sorores distinguere vellent, apponebant cognomina hæc, *Maiorem, Minorem*, cum plures illa. Si igitur a numero tam hæc, quā illa deducuntur, non video cur hæc prænomina, illa cognomina dici debeant. De Octauia Maiore & Minore sororibus loquitur Suetonius in Augusto nū. 4.

De cognominibus fœminarum.

CAPVT XVI.

Libet hoc loco apponere ex vetustis marmorum inscriptionibus exempla aliquot cognominū quæ fœminarum erant. In Noricis igitur Bellunensium montibus, vbi nunc ciuitas est præclara BELLVNVM, est hæc inscriptio.

D. M.
QVINCTA MA-
XIMA SIBI ET

Ibidem hæc.
M. PRÆLLIVS Q. F.
PAP. VITVLVS

CON-

CONIVGI SVO
CVSONIO SEVERINO
V. F.

SIBI ET
DVRENIÆ L. F.
SECVNDÆ
VXORI ET SVIS
V. F.

Ibidem & hæc.

T. TVRRANIVS SEVERINVS
CONIVGI SVÆ. CARISS.
POBLICIÆ CONSTANTINÆ VIVVS
F.

Idem hæc.

C DVRENIO SECVN-
DO DORIFERO O-
MNIBVS HONORI-
BVS M. F.
PRÆCELLIA PROCVLA
MARITO OPTIMO

Has autem mihi descriptas dedit vna cũ aliis multis Florius Maresius Bellunensis Archipresbyter iuuenis optimus, omnique liberali disciplina instructus. qui nunc Patauii est, & iuri ciuili nauat operam.

Error Pauli Manutii demonstratus, & locus Ciceronis emendatus, ac declaratus.

CAPVT XVII.

MAnutius in suo commentario in Epist. Cic. ad Q. F. Ep. prima vbi Cicero de annulo Prætoris loquitur, & proferũtur hæc verba. *Sit annulus tuus non vt vas aliquod, sed tanquam ipse tu, non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ*: ait ita debere intelligi, vt dicat Cicero: *Non debere esse annulum tanquam vas quoddã, quod circumfertur*. Putat enim a vase similitudinem duci, aut a dolio aliquo, quod perquam ridiculum est. Verba Manutii hæc sunt: *non vt vas aliquod, quod assidue circumfertur, sed vide quibus illum tradideris: ne quis, accepta pecunia, signet ea, quæ tu non probares.* Ego locum Ciceronis primum puto non carere menda. Non enim ALIQVOD, sed ALIQVIS legi debet. Erratum autem inde fluxit, quod aliqui eodem modo, quo Manutius a vase deductam similitudinem existimantes, *Aliquis*, in *aliquod*, mutarunt. Deinde assero, Ciceronem non ad dolium aliquod (esset enim perridiculum) sed ad sponsorem respexisse: Nam vas si facit vadis, sponsorem significat, etsi aliquantulum differt: declarat Varro in lib. de lingua Latina V. vbi hæc sunt verba. *Vas appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat. Consuetudo erat, cum reus parum esset idoneus inceptis rebus, ut pro se alterum daret; a quo caueri postea lege cœptum est ab his, qui prædia venderent, vadem ne darent: ab eo scribi cœptum in lege mancipiorum. Vadem ne poscerent, nec dabitur.* Ait igitur Cicero ad fratrem Quintum, ne annulus tuus sit tanquam vas alienæ voluntatis: id est, ne [illegible] quæstum hac ratione faciat in prouincia: [illegible] annulo tuo [illegible] signat te [illegible]

fuisset igitur annulus tunc vere sponsor, & vas voluntatis alienæ, est, eorum, qui corrupti fuerant: nam sicuti creditores vadem postulant, ita illi prouinciales, ne temere pecuniam darent iis, qui pollicerent se obsignaturos Prætoris edictum, aut interdictum aliquod: postulabant ante vadem, ac veluti sponsorem quendam. Is autem erat Prætoris annulus: Obsignationem enim vbi viderant, se decipi posse posse non credebant. Hæc est Ciceronis sententia in illis verbis, non illa, quam affert Manutius De Annulo autem, quo obsignabant, Valerius Maxi. lib. 8. cap. de gloriæ cupiditate. Exemplo s *Vt annulo signatorio, quo vtebatur, scalptum haberet.* Et Liuius libro 7. II. belli Punici. *Cum Marcelli corpore, & annulo esset potitus Annibal. Crispinus collega scripsit ad ciuitates, vt cauerent, ne quid Annibalis literis crederent.* Itidem & Vall. Maxi. libr. 3. cap. de iis, qui degenerarunt: *e manu Scipionis annulũ detractum,* ait, *in quo caput Africani patris erat, scalptum,* & Cicero in 3. in Catilinam inquit, *Cognouit manum, & signum suum:* & paulo post, *Imago aui tui.* Sed & Salustius in coniur. Cat. *Igitur perlectis literis, cum prius omnes sua signa cognouissent.* Et Suetonius in Aug. vbi Sphinge Augustum signare solitum ait: aliisque. Itidem Vopiscus in Diuo Aureliano sub finem, ait: *Vxori, & filiæ annulũ sigillaticium quasi prima' ius instituit.* Itidem Ascon. in comm. 3 in Verrem sub finem. *Et obsignauit annulo non solum suo, sed etiam Scribæ sui.* Loquitur autem ibi de Varo Prætore.

Alius error eiusdem Pauli Manutii, & locus Dionis emendatus: item locus Cicer. declaratus.

CAPVT XVIII.

EPistola est octaua ad Brutum a Cicerone scripta, qua illum consolatur ob mortem præclari viri, quem alieno tempore amiserat Brutus, cum in Macedonia esset, & copias colligeret aduersus M. Antonium, & Octauium. Paulo post enim inter se conspirarunt vna cum Lepido. Orditur autem ab his verbis. *FVNGERER OFFICIO.* Paulus Manutius in suo commentario ait: *Assequi non possum, qua in re tantam iacturam fecisset Brutus, aut quod accepisset tantum vulnus, vt hac tam exquisita consolatione indigeret. Suspicaret aliquid de Porcia vxore, quam Nicolaus Philosophus,* & quæ sequuntur. Paulo post: *Quid igitur? Omnino sciri posse non arbitror, nisi quidquid est magnum aliquid sit necesse est, cum & et Cicer. nihil in terris dicat simile fuisse.* & quæ sequuntur. Paulo post: *Quid autem fuerit, cum diligenter, & accurate cogitauerim, reperire, verum vt fatear non possum.* Hæc Manutius. Ego vt hominem laudo, qui ingenue fatetur se ignorare hoc quid sit: reprehendo tamen, quod diligenter non legit veterum libros: Si enim perlegeret totos, non vnam, aut alteram pagellam percurreret, nihil illum subterfugeret, vt etiam ante dixi. Ego puerum domi habeo, qui omnes consulatus, quidque singu ii

aunis

annis gestum sit facile recensere potest, ita omnia memoriæ mandauit: illum igitur, sicuti in Menone Socrates facit, cum constituissem in medio, audientibus aliquot meis familiaribus, qui aderant, iussi vt legeret Manutii commentarium. Cum legisset: *An, inquam, tibi aliquid venit in mentem, quod proferas ad locum hunc intelligendum ex historia?* Inquit ille, *fortasse veniet, si consulatum mihi præscripseris.* Tum ego Is est annus, quo periere ambo Consules Hirtius, & Pansa ad Mutinam in prœlio Alter enim cæsus, alter vulneratus paulo post obiit. Statim ille, cum paullisper memoria repetiuisset tempus illud: Nimirum, inquit, tunc Publius ille Seruilius cognomento Isauricus, quem Dion scribit eo anno Romæ periisse virum magna dignitate, & auctoritate: se verba ipsa recitauit correcta, vti ego declarans ipsi ante demonstraram esse legenda. Sunt autem hæc, pagina 84. libro XLV. *Ἐκείνου μὲν οὖν τοῦ ἔτους ταῦτ' ἐπράχθη, καὶ ὁ Ἰσαυρικὸς ὑπεργήρως ἀπέθανε. δηλώσω δὲ οὖν τοῦτο ἐμνημόνευσα αὐτοῦ καὶ ὅτι οὕτως οἱ τότε Ῥωμαῖοι τοὺς τι τῶν ἀγαθῶν προτιμήσαντας ᾐδοῦντο, καὶ τοὺς κακοήθεις τινὰς ἀνθρώπους, καὶ ἐπὶ ταῖς ἐλαχίσταις ἐμίσουν ὥστ' ἐπειδὴ ἐκεῖνός ποτε ἐν τῇ ὁδῷ ἀναστρέφοντι οἱ βαδίζοντες ἐκ καθέδρας ἵππου, καὶ μετὰ διὰ τῶν ποδῶν ἐστησάντο, καὶ οὔτ' ἀπὸ ἐπιστρέψαντος ἐκ τῶν ἐγνωρίσθη τε μετὰ τοῦτο ἐν δικαστηρίῳ ὑπὸ αὐτοῦ ἐπὶ δικαστῆς τὸ γεγραμμένον, οὔτε λόγον ἐπ' αὐτῷ ἐδέοντο, καὶ κατεψηφίσαντο πάντες.* Valerius Maximus libr. 8 cap 5. Exemplo vltimo id plenum refert: & quia vtile est, conferre Græca cum Latinis, etiam ipsius apponam verba. *P. Seruilius Consularis, Censorius triumphalis, qui maiorum suorum titulis Isaurici cognomen adiecit, cum forum prateriens testes in reum dari vidisset, loco testis constitit, ac per summam inter patronorum pariter & accusatorum admirationem sic orsus. Hunc ego, iudices, qui causam dicit, cuias sit, aut quam vitam egerit, quamque merito, vel iniuria accusetur, ignoro. Illud tantum scio cum occurrisset mihi Laurentina viam iter facienti admodum angusto loco, equo descendere noluisse. Quod an aliquid ad religionem nostram pertineat, ipsi æstimabitis: Ego id supprimendum non putaui. Iudices reum vix auditis ceteris testibus, damnauerunt.* Cum igitur eo tempore talem virum amisisset Brutus, ex qua gente Seruiliam matrem habebat, quid mirum si tantopere dolebat? Fuisse autem Brutum a Seruilio etiam Quinto adoptatum Cæpione, satis notũ est: nam declarat Cicero in Philipp. Orat. X. vbi *Q. Seruilium Cæpionem Brutum* appellat In dicenda autem sententia quanta fuerit auctoritate etiam tunc, satis perspici potest apud eundem Ciceronem in oratione Philipp. XIV. & aliis. Sed menda debet tolli ex Dionis verbis, quæ ante protulimus. Non enim *σευλπίκιος ὁ ἰσαυρικός*, sed *σερουίλιος ἰσαυρικός* legi debet, vel *σερουΐλιος ὁ ἰσαυρικός*. Hunc igitur mortuum lugebat Brutus: & ideo Cicero ipsum consolatur, monetque vt populo & scenæ seruiat (vt aiebant) agens scilicet ea, quæ ad di-

gnitatem,& reip. salutem spectabant: nec fracto sit animo: & si sua auctoritate P. Seruilius plurimum prodesse Reipub. poterat, non deerant tamen alii, qui ipsius causam susciperent. Spectabat fortasse Brutus tanti viri auctoritate Pop. Romanū facile adduci posse ad suas hoc est, libertatis partes tuendas. Hic est igitur ille, quem Cic. laudat in Epistola ad Brutum, de qua nobis est ab initio propositum loqui. & cui nihil dicit in terris fuisse simile propter singularem virtutem, & summam dignitatem, & auctoritatem: non Portia (sicuti scribit Manutius) quæ nondum perierat, aut alia quæuis muliercula, cuius mors animum Bruti tantopere non potuisset perturbare. I nunc Minuti (per me enim licet, atque tuo hæc (vtar Horatii verbis) subscribe libello.

Menda sublata ex verbis Valerii Maximi & declaratus locus.

CAPVT XIX.

IN iis verbis. quæ paulo ante protulimus ex Valerio Maximo, vbi de testimonio loquitur P. Isaurici, puto esse mendam, quæ facit vt sententia sit obscurior. *QVOD an aliquid ad religionem nostram pertineat ipsi æstimabitis.* Verba hæc sunt Seruilii alloquētis iudices, apud quos contra reum illum testimonium dixit. Sed non *NOSTRAM*, verum *VESTRAM*, legi debere. Etsi enim Religionē ad testes etiam, sicuti ad ipsos iudices referri posse scio, qui iurati testimonium dicebant, vt Cicer. innuit in III. Orat. in Verrem. vbi ait, *Religione adducti*, quæ ita explicat Asconius. *quia iurati testes produci solent, non solum, ne falsa dicant, verum etiam, ne, quæ vera sunt taceant.* Libentius tamen retulerim ad ipsos Iudices, qui iurati iudicabant. vt sit sententia illorum verborum hæc. *Vos æstimabitis* (inquit Seruilius) *o Iudices, an vos pro religione, & iureiurando, quo estis astricti, quanti hoc sit faciendum.* Si autem *Nostram*, legas, non video quæ sententia elici possit. Nulla enim religio dici poterat in Seruilio, qui iniuratus erat testis, ac minime productus ab accusatore: nisi forte dixeris iuratum talia dixisse pro testimonio: & monuisse Iudices, vt viderent, ne parui fecisse religionem suam viderentur: quasi multum honori esset detrahendum Seruilii si reum non damnassent Iudices. Sed mihi magis prior probatur sententia: proinde existimo legendum, *VESTRAM*.

Ciceronis locus emendatus, ac interpunctus.

CAPVT XX

VErba Ciceronis sunt hæc libro primo Epistolarum ad Q. Fratrem, Epistol. prima, vbi loquitur de C. Octauio, qui Macedoniam administrabat. *His rebus nuper C. Octauius iucundissimus fuit, apud quem primus lictor quiefuit, tacuit accensus quoties quisque voluit dixit. & quam voluit diu.* Quæ quidem, quoniam culpa librariorum perperam interpuncta fuerunt, multis iniectus

... est scrupulus, nam suspicati sunt mendam subesse. Ideo Manutius illa verba, *QVI FVIT*, corrupta esse ait & legi debere, *QVIEVIT*. Etsi autem hanc suam emendationem muniuit testimonio grauissimorum & doctissimorum virorum, quorum alter mortuus est, alter Romæ adhuc viuit, floretque, si quis alius, propter singularem doctrinam, & probitatem gloria: non tamen debeo tacere quid sentiam de toto hoc loco, cum præsertim id quod dic. in præstantissimo, & doctissimi viri sententia fuerit comprobatum. Ego igitur nihil immutandum censeo sed legi debere, *QVI FVIT*. Verba hæc si nullis distincta interpunctis proferantur primum, mox interpungantur, facilius res cognosci poterit. Cum igitur librarius sine interpunctis ita scripsisset. *Apud quem primus lictor qui fuit, tacuit accensus quoties quisque voluit, dixit & quã voluit diu.* fuere in peritis nonnulli postea, qui perperam interpunxerunt, sic, *Apud quem primus lictor qui fuit, tacuit accensus: quoties quisque voluit dixit & quã diu.* Nũc Manutius interpunctum non mutans, cogitur mutare illas dictiones, *QVI FVIT* in *QVIEVIT*. Ego dictiones non muto, sed interpunctum sic, *Apud quem primus lictor qui fuit, tacuit. Accensus quoties quisque voluit dixit; & quam diu.* Ita nihil scrupuli residet: nam lictoris munus cum sit ligare ad palum, & virgis cædere, C. Octauius, qui recte prouinciam administrabat, cum loqui vetabat, cum id ipsius non esset munus, ad tribunal si accederet, & cogebat tacere. Accensum autem, quia est ipsius munus loqui, & citare nullo prætereis, ita in officio contineri solitum ab eo Cicero demonstrat, vt nunquam iniussu suo aliquid diceret. Quod autem Cicero ait: *PRIMVS LICTOR*, puto considerandum diligenter, nam primus dicebatur, sicuti Pont. Maximus, & Vestalis maxima, qui ceteris præerat lictoribus. Argumentum igitur est a maiori. Si primus lictor qui fuit, tacuit, quanto magis ceteri. Sic audiui locum hunc esse declaratum, cum admodum essem adolescens, a Romulo Amasæo Vtinensi ciue, & præceptore meo, viro eloquentissimo & doctissimo. Atque de ea re superioribus diebus cum essem locutus cum Frãcisco Philomelo erudito homine, & acri iudicio prædito, non in hoc genere tantum emendandi, sed etiam in iis, quæ ad artem dicendi, & antiquitatem, omneque genus literarum spectant: facile mihi assensus est. quare lætatus sum meam sententiam illi probatam fuisse, eoque libentius hic appoui.

Alius Manutii error eodem loco demonstratus.

CAPVT XXI.

Paulus Manutius ibidem, cum quis sit accensus apud Ciceronem declarat, ait: *Accensus autem nomen ordinis fuit, & gradus honoris in militia,* vt Pædiani verbis vtar. Verum id quidem est, o Manuti, sed si putas, Accensum ita accipi hoc loco apud

Ciceronem, deciperis: nec videris intelligere, Accensum etiam eum dici solitum, qui ciere, seu citare solitus erat præconis munu. huius rei testem, & auctorem habeo Varronem. Nam is in libro quinto de lingua Latina ait. In commentariis consularibus scriptum sic inueni. *Qui exercitum imperaturus erit, accenso dicit hoc. Calpurni voca inlicium omnes Quirites huc ad me.* Accensus dicit sic. *Omnes Quirites inlicium visite huc ad iudices.* C. Calpurius dicit. *Voca ad conuentionem omneis Quiriteis huc ad me.* Accensus dicit sic, *Omnes Quirites ite ad conuentionem huc ad iudices.* Deinde Consul loquitur ad exercitum. *Impero qua conuenit ad comitia Centuriata* Præter Varronem autem & Liuius testatur Comitia centuriata speciem habuisse exercitus, quia ex classibus, & centuriis, quæ ad rem militarem spectabant, cõuocabantur: ideo in vrbe haberi non poterant. Itidem Iudices Consules initio dictos idem Liuius scribit libr. 4. Differre autem præconem ab accenso, & vnde dictus sit accensus, idẽ Varro explicat Quare hic accenso, illic præconi dicit, hæc est caussa. *In aliquot rebus idem, vt præco, accensus acciebat, a quo accensus quoque dictus.* Paulo post: *Vbi primum accensus inclamarit meridiem.* Hoc idem Cosconius in actionibus scribit, prætorem accensum solitum tum esse iubere, vbi ei videbatur horam esse tertiam, inclamare horam esse tertiam, itemque meridiem & horam nonam. Ex quibus omnibus satis patet, quale esset Accensi munus, de quo loquitur etiam Cicer. hoc loco.

Valerii Maximi locus emendatus.
CAPVT XXII.

Tantum sibi tribuit Manutius, vt ne veterum quidem auctorum putet habendam esse rationem, ac dicat eos esse lapsos, non equidem hæc dico, quod labi eos non potuisse credam in scribẽdo, sed loca ipsa indicant, potuerint ne ipsi labi, aut potius menda sit librariis attribuenda. Manutius ergo in lib. de legib. Ro. quem compilauit ex Balduini, Gruchii, & Zasii de eadem re commentariis pag. 28. vbi leges agrarias explicat & loquitur de ea primum quam tulit Sp. Cassius in 3. consulatu, vt narrat Liuius lib. 2. ab vrbe condita. Ait, in quo fœdissimum in Valerio erratum deprehendi. Nam lib. II. vbi de parentum seueritate aduersus liberos agit ita scribit, *Cassius filium, qui Tribunus plebis agrariam legem primus tulerat, adhibito propinquorum, & amicorum consilio affectati regni crimine damnauit, verberibusq; affectum necari iussit, ac peculium eius Cereri consecrauit, trib. pleb. ait fuisse Cassium, qui agrariam legem promulgauit: quod aperte falsum esse Liu. & Dionysius demonstrant, tulit enim de agro Hernicorum diuidendo in III. consulatu.* Hæc ille. Sed Valerii locus hic non est, vt ipse ait. lib. 2 verum. V. cap. 8. exemplo 2. ita negligens est in veterum locis demonstrandis. Verba Valerii sunt hæc: *Huius æmulatus exemplum*

ipsum Cassium fuisse qui Trib. pleb. agrariam legem primus tulerat. Sebastianus Corradus ante Manutium locum hunc Valerii annotauit: his verbis Liuius lib. 2. & Dionys. lib 8. Cos. fuisse scribunt & quidem vt & ille libro 6. cap 3. Cum igitur Valerius altero loco dicat, libro 6 cap. 3. Cassium hanc legem tulisse, & consulatus ipsius meminerit, satis patet illum historiam hanc non ignorasse. Verba sunt haec. *Par indignatio aduersus Sp. Cassium erupit, cui plus suspicio concupitae dominationis nocuit, quam tres magnifici consulatus, ac duo speciosissimi triumphi profuerant.* Vide, vt illius honores enumerans, & consulatus tres, & triumphum nominat: atqui de Tribunatu nihil. Quare libro 5 cap. 8. illa verba *Trib. Pl.* deleri debẽt. Fuerunt enim ex glossemate imperiti alicuius, vt fit, addita. Habeo ego domi duos manuscripto libros Valerii Max. in quibus illa verba sunt quidem, sed postea interuallum nescio quod, ex quo suspicatus sum aliquid deesse, & legi debere, *Coss* non *Trib. pl.* vide pulcerrima & acuta existit sententia, nam quod Cos. legem eam tulit, mirum, cum esset patritius. Quod enim postea Trib. pleb. tulerint toties mirum non fuit, quia plebi fauebant, & illius commoda procurabant. Adde quod ait Valerius, quod Cos. primus eam legem tulit, non Trib. pleb. tolerabilius enim foret, si lationem agrariae legis fuisset a Trib. procurante plebis commoda. Ostendi autem Francisco Maslouio Polono iuueni nobili & docto, & aliis multis: qui fidem dent rem ita sese habere. Nimirum facile erat videre, Valerium, qui alio loco recte rem exposuerat eandem, labi non potuisse. Sed Manutius gloriosum sibi fore putat, librariorũ errata, & fortasse patris sui, & sua antiquis auctoribus ipsis ascribit

Locus in Velleii posteriore volumine emendatus.

CAPVT XXIII.

QVo loco Velleius loquitur de C. Octauio Caesare, & honoribus illi a Senatu tributis, ait. Eum Senatus honoratum equestri statua, quae hodieque in rostris posita, aetatem eius scriptura indicat; qui honor non alii per CCC. annos, quam L. Syllae, & Cn. Pompeio & C. Caesari contigerat. pro Pop. Ro. vna cum Coss. designatis Hirtio & Pansa bellum cum Antonio gerere iussit. Quis non videt. non pro Pop. Romano. aut vt alibi scribitur addito interpuncto pro. P. R. sed Pro praetore esse legendum Error autem inde manat, quod veteres ita scribere soliti erant PROPR. vel PROPRAET. Sic autem, praeter omnes Historicos, rem se habere narrat, etiam Cicc. multis in locis in Orat. Philipp. Nec ego de hac re plura. Satis enim patet per inscitiam librariorum locum fuisse corruptum.

Error Sigonii.

CAPVT XXIV.

CVm video antiquos auctores reprehendi ab hominibus no-

suæ ætatis, non equidem ægre feremus: nam etiam illos errare potuisse credendum est. Sunt enim *μνημονικὰ ἁμαρτήματα*, & ea multa, quæ vix vitari possunt: sed doleo tum reprehendi, cum non errarunt: miror que in primis, ni historiarum scriptores inter se dissentiunt, vel hos, vel illos, quibus minus credere alicui venerit in mentem, pro arbitratu accusari, cum potius dici debeat hunc alios in historia scribenda secutum esse, illum alios. Adde quod quæ librariorum errata sunt, sæpe parum periti homines ascribunt antiquis ipsis auctoribus, vt facile me demonstraturum nunc spero. Carolus Sigonius reprehendit L. Florum & auctorem, qui librum de viris illustribus Romæ conscripsit, in suo commentario in fastos Ro. Coss. anno CCLVII. quod vterque scripserit Magistrum equitum bello Latino ad lacum Regillum fuisse Cossum, vbi explicant illud stratagema, de quo Liuius meminit anno CCCXXVI. totidem enim fere sunt ipsius verba. Falsa refert Sigonius, nam Plinius in libr. de viris Illustribus, seu quisquis ille auctor est, in capit. de A. Posthumio ita scribit. *A. Posthumius dictator dictus, apud Regilli lacum cum hostibus conflixit, vbi cum victoria nutaret, Magister equitum equis frenos detrahi iussit, vt irreuocabili impetu ferrentur, vbi & aciem Latinorum fuderunt, & castra cœperunt.* Ego hic non video Cossi fieri mentionem vllam. Videat Sigonius, si mihi non credit, Aldinos ipsos libros, quibus tantum tribuit, & animaduertet in illis non esse Cossi nomen. In L. Flori libris ita quidem scribitur. *Apud Regilli lacum dimicatum eo die marte vario, donec Posthumius ipse dictator signum in hostes iaculatus est.* Nouum, & insigne commentum, vti peteretur cursu; Cossus equitum magister exuere frenos imperauit, & hoc nouum, quo acrius incurrerent. Liuius libr. 2. de re hac ita scribit. *Tum ad equites dictator aduolat obtestans, vt fesso iam pedite descendant ab equis, & pugnam capessant, desiliunt ex equis.* Ego in Lucii Flori libro delendam puto dictionem, COSSVS, irrepsit enim ex glossemate alicuius imperiti. Ita quidem inter se conueniunt Auctor de viris Illustribus, & Florus, quatenus narrant, magistrum equitum iussisse frenos detrahi equis. Dissidebunt autem a Liuio & Halicarnass. quatenus hi narrant, non equis frenos detractos, sed equites ab equis descendere iussos. Nam Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. exemplo primo de hac re nihil, tantum de religione, & miraculo loquitur. Detractos equis frenos iussu Corn. Cossi magistri equitum dictatore Æmylio Mamerco, narrat Liu. libro 4. Quid mirum? hi alios auctores secuti, illi alios. De Cosso tamen Plinius, siue alius, quicunque is fuit, auctor libri de viris illustribus, ne verbum quidem protulit, vt Sigonius falso narrat. Flori contextum corruptum esse satis constat. Nunc audet Sigonius temere antiquos carpere auctores historiæ, quasi vero omnes inter se consentiant: nec diiudicat, quæ potuerint esse librariorum errata:

etiam quodq; eius est narrat id, quod non est etiam in vulgo impressis.

Error Pauli Manutii demonstratus.

CAPVT XXV.

Eiusdem generis error est Manutii in libro de legibus Rom. vbi Asconium carpere conatur: quo loco de ampliatione, & comperendinatione loquitur, in Aldinis ipsius pag. 29. & 30. in comperendinatione notat Cicer. in Verr. 3. Verba Ciceronis sunt hæc, ADIMO COMPERENDINATVM quæ exponit Asconius. *Comperendinatum pro comperendinatione* posuit, & est sensus. Aufero totum etiam bis dicendi, & quæ sequuntur. Hæc quidem recte habent, vsque ad illa verba. GLAVCIA PRIMVS TVLIT. *Ante legem Glauciam de comperendinatione, aut statim sententia dicebatur si absoluendus esset reus, aut amplius pronuntiabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent iudices, non liquet, hoc est, obscura caussa est. Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas: Comperendinatio autem vtriusque partis recitatio est.* Hactenus Asconius. Ego nunquam tam fui puer, quin viderim hunc Asconii locum esse corruptum: est enim & mutilus, & inuersus, quare apponi debent asterisci, primum super illis verbis, aut amplius. Nec enim verum est amplius pronunciari tunc solitum, cum esset reus damnandus. Deinde illa verba quæ sequuntur. *Si videretur esse damnandus, cum dixissent iudices, Non liquet, hoc est, obscura est caussa. Quis non videt non cohærere cum superioribus, nullumque idoneum sensum efficere posse?* Adde quod falsum est, videri tunc iudicibus esse reum damnandum, cum dixerunt. Non liquet: nam alio spectabant illa verba, vt postea declarabo. Item illa verba Asconii, quæ statim subsequuntur. Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas, signāda sunt asterisco: nam, vt satis constat, & reus, & accusator, postquam iudices pronuntiassent. Non liquet. bis vterque dicebat, sed reus prior. Agedum igitur apponamus primum asteriscos, vt nequis decipi possit, & omnes videant locum esse mutilum, & inuersum, vt dixi. Deinde emendemus, & corrigamus, quod gratum omnibus puto fore, vt temeritas eorum perspici possit, qui reprehendere malunt antiquos auctores, quam corrigere, aut si corrigere non possunt, dicere esse corruptos: sed dicerent, opinor, si cognoscerent: non cognoscunt autem, quia nullo præditi sunt iudicio. Verba igitur hæc asteriscis quattuor appositis ita signari debent. *Ante legem Glauciam de comperendinatione, aut statim sententia dicebatur si absoluendus esset reus,* aut amplius pronūtiabatur,* si videretur esse damnādus,* cum dixissent iudices* Non liquet, hoc est, *obscura est caussa. Itaque ea pars* interposita dilatione dicebat, in cuius* peroratione videbatur obscuritas. Comperendinatio vero vtriusque partis est recitatio.*

Nunc quomodo inuersa sint culpa librariorum, & mutila, quo-
modoque corrigi debeant demonstro sublatis asteriscis. *Ante*
legem Glauciam de comperendinatione statim sententia dicebatur, si
aut absoluendus esset reus, aut si videretur esse damnandus. Aut, Am-
plius, pronunciabatur, cum dixissent iudices. Non liquet, hoc est, ob-
scura caussa est, itaque ea pars prior interposita dilatione dicebat, in
cuius oratione videbatur obscuritas. Comperendinatio autem vtri-
usque partis est Nunc explico rationem huius meæ emendationis.
Satis constat Comperendinatum, siue comperendinationem, di-
lationem fuisse vadimonii. Nam etiam Macr. lib. primo Satur.
ita explicare videtur Comperendinos dies, vti satis notum est. 2.
De Comperendinatione autem primus legem tulit Glaucia, vt
Cic. testatur in Or. III. in Verrem his verbis. *Verum, vt opinor,*
primus Glaucia tulit, vt comperendinaretur reus 3. Comperendina-
tio fiebat, vt bis caussa diceretur. Cicero idem in eadem oratio-
ne paulo ante, *quod habet in se lex molestissimum, bis, vt caussa di-*
catur. 4. *Comperendinatio fiebat a reo.* Cicero ibidem, *vt comperen-*
dinaretur reus nam reorum caussa fuit excogitata, vt patet. 5. Fa-
ciebat comperendinatio interdum, vt reus subterfugeret vel Præ-
torem, vel iudices, quorum seueritatem timebat. Cicero paulo
post, vbi ait. *Deinde ita tempus duceretur, vt a M'. Glabrione Præt.*
& a magna parte horum iudicum ad Prætorem alium; iudicesque a-
lios veniremus. Et paulo post, *ne ego bis accusare non possem.* 6 Cō-
perendinatio etsi proficiscebatur primum a reo, cui indulgebat Glau-
cia lex, non ab accusatore: tamen accusator bis caussam dicebat. Ci-
cer. in eadem oratione, vbi sunt illa verba *aut nihilo potius tua*
caussa, quam mea, nam si bis dicere commodum est, certe vtriusque
est commune 7. *Comperendinatus cum erat reus, habebatur pro da-*
mnato. Cicero id declarat in VI. in Verrem, vbi reprehendit Ver-
rem, quod postquam esset comperendinatus, auderet prodire in
publicum his verbis. *Videte hominis amentiam. Postquam est com-*
perendinatus, cum iam pro damnato, mortuoque esset, ludis Circensi-
bus mane apud Sisennam virum primarium, cum essent triclinia stra-
ta, argentumque expositum, contemplari vnumquodque cœpit: 8 Cō-
perendinationem excipiebat lex Acilia in caussa repetundarum. Cic.
in 2. & 3. Or. in Verrem. & Asconius in comment. in 2. Or. Cic.
in Verr. pagel. 23. in Aldinis. *M'. Acilius Glabrio legem Aciliam tu-*
lit de pecuniis repetundis seuerissimam, qua ne comperendinari quidem
liceret reum. Et idem in III. pagella 30. *Quæ neque comperendina-*
tionem, neque ampliationem habet. Quæ verba Asconii ego censeo
corrigi debere, nam verum non est, aciliam legem in caussa repe-
tundarum non concessisse ampliationem. Cicc. id declarat in III.
in Verrem, vbi sunt hæc verba: *testibus editis ita mittam in consiliū,*
vt etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi exi-
stiment non primo iudicare. Quare tollenda sunt illa verba, neque
ampliā-

ampliationem, quæ ab aliquo fuerunt librario addita, & ita legẽdum. *Qua lex comperendinationem non habet.* 8. *Comperendinare cum vellet reus, cogebatur iudex illi petenti hoc concedere ex lege Glaucia.* Quod cum erat concessum, etiam accusator cogebatur bis caussam dicere: sed alio ordine, vt declarat Asconius his verbis in II. in Verr. pagel. 29. *si numerum dicendi consideres* (post comperendinationem intellige) *ex æquo res est. Si ordinem, ego sum prior, & vltimus: nam simul accusator dixerit, respondet prima actione defensor: & rursus comperendinato iudicio dicit prior defensor, & defensionem tanquam duplicem in medio positam obruit vltimus accusator.* 9. *Comperendinatio faciebat, vt iudicari primo non posset.* Cicero in III. in Verrem ibidem. *antea vel iudicari primo poterat.* Quod ita est intelligendum, *cum caussa erat acta, antequam lex de comperendinatione esset lata, statim iudicabatur. Sed postquam lata esset, & reus perspiceret, vtilem sibi fore vadimonii dilationem, comperendinabatur, nec primo iudicabatur*, id est, *post primam actionem caussæ.* Nunc dicamus de ampliatione 1. *Ampliatio ante fuit vsitata quam Comperendinatio.* Cic. in III. in Verr. *antea vel iudicari primo poterat, vel amplius pronuntiari.* 2. Ampliatio fiebat a Iudicibus ipsis per tabellam N. L. Asconius in III. in Verrem pagella 29 & 30. 3. *Ampliatio fiebat propter obscuritatem caussæ.* Asconius ibidem in oratione reorum, vnde rei ampliari dicebantur Liuius lib. 43. sub initium *Bis ampliatus, tertio absolutus est reus* Et ibidem paulo post: *Grauissimis criminibus accusati ambo, ampliati, cum dicenda de integro caussa esset, excusati exilii caussa solum vertisse Furius Præneste, Matienus Tibur exulatum abire.* Hunc locum citat Manutius in suo lib. de leg Rom. vbi carpere conatur Asconium, & ostendere vult, nõ accusatorem solum, vt credit Asconium velle, sed etiam defensorem iterum caussam egisse. Certe Liuii locus id non aperte demonstrat, sicuti Manutius ait pag. 53. Liuius libro 43. caussam de repetundis ex ampliatione vtrinque ait esse actam. Videat verba Liuii, consideretque an dicat vtrinque. Id enim non expressit Liuius, & si non ea ratione ego tueor Asconium. sicuti enim paulo post ostendam. Asconii locus, quem citat Manutius corruptus est, & mancus. 3. Ampliationem sequebatur interdum absolutio. Valerius Max. lib. 8. cap 1 exemplo 11. *Lucius Scipio Cottam accusauit, cuius caussa grauissimis testimoniis est confossa, septies ampliata, & ad vltimum octauo iudicio absoluta* 4. Ampliationem interdum sequebatur damnatio. Liuius lib. 45. in loco prius recitato. 5. *Ampliare poterant iudices vt reo indulgerent, vt si vellet, solum verteret: & periculum subterfugeret, sed in caussis apertis erat turpe Iudicibus id facere.* Cic. in III in Verr. *etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe putent non primo iudicare.* 6 *Ampliatio fiebat aliquando propter vtramque partem, præsertim in caussis, quæ non erant publicæ, ne-*

quæ erant capitales. Id demonstrat Asconius in III. in Verrem, in verbis, quæ ab initio nobis proposuimus emendanda: *Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas. Vel si hoc in capitali, ut tantum iudiciis usurpatum. Licuit? si quærendus qui demonstret. Ego id non puto verum esse. Petit [illegible]tatem aliquis ab altero. Agitur utrimque caussa, tam potest obscuritas esse in huius, qui petit, quam in illius, a quo petitur, oratione: Iudices igitur cum pronuntiarent non liquet, significabant in cuius oratione esset obscuritas: Quare interposita dilatione is prior dicebat: Postea alter rursus caussam agebat. In capitalibus caussis puto non postulasse Iudices ab accusatore, ut apertius diceret: fuisset enim hoc inhumanitatis, vel etiam, quoniam pertinebat ad Resp. incolumitatem, ulcisci studentes improbum aliquem, pronuntiantes N. L. ab ipso accusatore flagitabant, ut liquidius diceret de tota caussa.* Quare verissimum est id, quod ait Asconius. *Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas.* Verba quæ sequuntur Asconii sunt hæc, quibus, quid differat comperendinatio ab ampliatione, significat. Comperendinatio vero utriusque partis recitatio est. R*ecte, & præclare, nam in ampliatione, in alterius tantum partis oratione obscuritas significabatur esse a iudicibus: nam si quis dicat in utriusque partis oratione fuisse obscuritatem absurdum dicet. Iam vero in comperendinatione, quæ non fiebat propter obscuritatem, sed quia vel reus, vel accusator postulabat, sed imprimis reus, quoniam ordo dicendi immutabatur, ut ante dictum est necesse erat, ut uterque rursus caussam diceret.* Cicero id declarat in III. in Verrem, & Asconius. Cur igitur carpere conatur Manutius Asconium tam temere? cum dicit, Ampliationem non fuisse alterius tantum partis, sed utriusque: nec alium habet locum, quam illum ex Liuio ante prolatum (& si ille verba Liuii non ascribit, sed tantum aliis verbis sententiam recitat) in quo id minime videtur exprimi: incertum igitur afferat Manutius, aduersus certa? & suis somniis reprehendat Asconium, virum grauissimum, & doctissimum, qui in antiquitatis notione omnibus anteponendus est?

Alius Asconii locus ibidem declaratus.

CAPVT XXVI.

Eodem loco Asconius, quo de comperendinatione, & ampliatione loquitur, alteram eiusdem rei affert explicationem his verbis. Alii sic adnotant, *Comperendinatio est secunda actio.* Id quidem verum est & Cicero declarat ipse in III. Or. in Ver. Subiungit postea, item, *comperendinatio est ut utrique litigatori in vicem sibi denuntiatio in perendinum diem.* Et quæ sequuntur. Et hæc vera sunt, patet ex Macrobio, ubi declarat, qui comperendini dicantur dies. Subiungit deinde. *Quo cum esset ventum, quasi per iudicem, rem explicabant, antequam in caussa ageretur, quod ipsum dicebatur caussæ coniectio, quasi caussæ suæ in breue coactio.* De hac

hac expositione caussæ, & coniectione in breue, vt vocat Asconius, nihil aliud legi: nisi forte illa sit, quæ explicatur apud Cice. in Or. in Verr. II. sub finem, his verbis *Dico te C. Verrem, cum multa libidinose, multa crudeliter in ciues Rom. atque in socios, multa in Deos, hominesque nefarie feceris, tum praeterea quadringenties sestertium ex Sicilia contra leges abstulisse hoc testibus, hoc tabulis priuatis, publicisque auctoritatibus ita vobis planum faciemus* & quæ sequuntur, qualis apud Demosthenem in orat. one περὶ στεφάνου illa, quæ vocatur χειροτονία. Cuius formula non dissimilis huic illic explicatur. Cum itaque esset delatum nomen alicuius, dicebatur illi dies, qua se sisteret, & hoc est, quod Asconius ait, comperendinationis nomine dici. *Comperendinatio igitur duo significat, actionem secundam, quæ ex lege Glaucia fuerat introducta, & denuntiationem in perendinum, quæ fiebat, cum alicui dies dicebatur.* Verum de his copiosius agemus in libro de iudiciis Roman. quem propediem editurı sumus, vna cum aliis multis disputationibus, quæ ad antiquitatis notionem spectant.

Alius Asconii locus ibidem declaratus.

CAPVT XXVII.

EOdem loco Asconius conatur explicare, quid intersit inter comperendinationem & ampliationem: nec tamen suam: sed aliorum explicat sententiam his verbis. Alii sic. *inter comperendinationem, & ampliationem hoc interest, quod comperendinatio ex vna tantum re dabatur, cum caussam iudex non intelligeret, & omnino si videbatur iudicibus bona caussa, absoluebant reum,* & reliqua. Ego puto hunc contextum esse mutilum, & signari debere asterisco in his verbis. *QVOD comperendinatio * ex vna tantum re dabatur, cum caussam iudex non intelligeret.* Falsum enim est comperendinari solitum in caussis propter obscuritatem. Quippe dicebatur Ampliatio proprie, non Comperendinatio: & inducebatur a iudicibus per N. L. Satis vero patet, mutilum hunc esse contextũ: nam cum Asconius ex aliorum sententia sibi proposuisset explicare vtramque, & comperendinationem, & ampliationem: cœpissetq. declarare primum, quid esset comperendinatio, statim subiunguntur verba, quæ ad ampliationem spectant, desunt igitur hoc loco multa verba. Nonnulli codices Asconii habent, vbi scribitur ex vna re, *Reo*, quod etiam ostendit lacerum esse, & mancum contextum. Verba quæ sequuntur. *Et omnino si videbatur iudicibus bona caussa, absoluebant reum, si mala, non statim damnabant, sed hac excusatione parcebant: nam cum condemnandi nota esset C. litera: Absoluendi, A. Ampliandi signum, N. L. dabant quæ significabant, non liquere, vnde ampliatio nascebatur.* Omnia spectant ad ampliationem non ad comperendinationem, vt satis patet ex iis quæ ante a me dicta sunt. ex quo liquido cognosci potest contextum hunc esse lacerum, & mancum. Hoc si perspexisset

Manutius, non tam temere reprehendere ausus esset Asconium nam in lib. suo de leg. Romanis pagella 53. recitat & apponit contextum hunc totum vti sese habet, quasi integer sit, & elicit ex eo hæc duo, quæ totidem verbis explicat. *Ex quibus primum illud intelligitur in ampliatione aut accusatorem solum, aut defensorem vtrum caussam egisse. deinde etiam hoc constat, esse, Amplius, pronuntiatum, non cum ambigeretur, absoluendus, an condemnandus esset reus, sed cum ita dilucide pateret culpa, vt condemnandus omnino videretur, in quo tamen, vt quasi ad excusandam dilationem speciem aliquam dubitationis præ se ferrent, ampliandi signum in tabellis dabant*: & quæ sequuntur. Et si posterius hoc non asserit Asconius, sed refert ab aliis dictum, ait enim. Alii sic. neque debet ipsi ascribi, si quid in eo est perperam prolatum, ostēdo tamen nec eos, qui ita sentiebant, male omnino sensisse: nam Cic. eius sententiæ videtur esse auctor in oratione III. in Verr pagel 81. in Aldinis. *Vtram igitur putas legem molliorem? opinor illam veterem, qua vel cito absolui, vel tarde condemnari licebat*. Loquitur autem Cicer. de ampliatione eo loco, & veterem appellat legem, ac molliorem, vt patet. Quatenus vero ibi ait, *TARDE CONDEMNARI*. Quis non videt, interdum non ampliationem quidem fuisse a iudicibus factam eo cōsilio, vt declararent se esse eo animo, vt damnare vellent, sed vt monerēt caussam esse obscurā adhuc, quam cum postea non probaret, damnabatur reus, & quidem tarde. Euentum igitur hunc respicit Cicero ibi. Et Liuii locus ille libr. 45. satis ostendit, post ampliationem factam illos solum vertisse exilii caussa: Etsi, vt ante diximus, absolutio sæpe sequebatur ampliationem, quod postea caussa esset magis probata a reo. Certe quodam modo ampliatio magis ostendebat damnatum iri reum, nisi firmioribus argumentis caussam comprobasset suam: sed ideo id arripit Cic. & oratorio more ait, *tarde condemnari*. Et comperendinatio signum videbatur potius damnationis esse: Quare Cicero vt ante dixi in VI. orat. in Verrem, cū increpat, quod post comperendinationem quasi damnatus, & vt ipse vocat mortuus prodire in forum esset ausus: sed etiam illic oratorio more loquitur, arripitque quod suæ caussæ conducit. Verum de hac re satis. Quilibet enim perspicere iam potest, quomodo sese res habeat, quamque falso Asconium, qui ex aliorum sententia id retulit, reprehendere conetur Manutius: nihilque quod aut apud ipsum sit, aut apud Ciceronem & Liuium apte proferat.

CAPVT XXVIII.

Sigonii errata.

CArolus Sigonius in suis scholiis in Liuium, pagella 8. nume. 31. vbi illa verba Liuii interpretatur. CONSVL *lictorem ad tribunum priuatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu*. Ex Plutarcho problema recitat, quod ad eandem rem pertinet intelligēdam. Tribunum scilicet magistratum dici vix posse, quia iurisdictionem

[illegible] non habebat, neque principio anni inibat magistratum, neque creato dictatore se abdicabant, neque purpura vtebantur. [illegible] est, quod ait, creato dictatore consules abdicare se solitos [illegible] Plutarchus, enim ipse ait [illegible] quod non abdicare se, [illegible] desisse, vt potestate & iure suo, dum dictatoris esset. Solebant enim Romæ Consules dictatore creato, non quidem abdicare se consulatu, sed parere ipsi dictatori, quod si dictator se abdicasset, antequam exitus anni esset, vt sæpe contingebat, Consules [illegible] potestatem pristinam. Sed si verum esset, quod scribit Sigonius, abdicare se solitos, non vtique resumpsissent. Rem totam cognoscere possumus ex Liuio lib. 2 vbi de M. Valerio, qui primus dictator creatus fuit, loquitur. Coss. Verginio, & Vetusio. [illegible] *Dictator legiones decem conscripsisse, ternas datas, [illegible] sibi dictatorem reseruasse.* Ex quo patet *Consules [illegible] sed Dictatorem illorum opera vsum in bello gerendo, [illegible] ipsum essent.* Et paulo post, *Dictator triumphans [illegible] inuehitur*, & paulo post, *dictator, prius quam Coss. [illegible] magistratu abiret.* Et paulo post, *cum se abdicat [illegible] ipse frustra Dictator ero.* Et paulo post, *Ita curia [illegible] se abdicauit. Consul vero in vrbem redierat, & postquam [illegible] abdicauit Dictator magistratum gessit.* Iam vero errat etiam [illegible], cum purpuram vetuit, nam [illegible] περιφόρφυρον habet Plutarchi liber, & satis notum est hanc a Plutarcho dici, quam prætextam Latini vocant.

Aliud Sigonii erratum.

CAPVT XXIX.

QVo loco Liuius de Tribunis primum creatis loquitur libr. 2. [illegible] consulatu, de quo ante locuti sumus, nomina hæc [illegible] eorum tribunorum C. Licinium, & L. Albinum. Sigonius in suis scholiis in Liuium pagi. 7. num. 25. ait. *Dissentit Liuius a ceteris scriptoribus omnibus in horum Tribunorum recitandis nominibus.* [illegible] *Λεύκιον [illegible] Βρούτον, γάϊον [illegible]* [illegible] Plutarchus in Popl. & Suidas in voce [illegible], pariq; ratione Asconius in Corneliana, C. Sicinium, L. F. Bellutum. L. Iunium C. F. [illegible] De duobus autem Trib. creatis citat Liuium [illegible] Pædianos. O Sigoni, si Liuium citat auctorem Pædianus [illegible] a Pædiano illa proferuntur ex Liuio, quo modo [illegible] potest Liuius ab eo. Cur igitur non dicebas, vel [illegible], corrupta fuisse hæc nomina apud Liuium a librariis [illegible] ex SICINIO per erratum scriptum esse; [illegible], & ex [illegible], ALBINIVM, vel ALBINVM vel alio quouis modo [illegible].

Aliud Sigonii erratum.

CAPVT XXX.

LOcus est apud Liuium [illegible]. Multiplicatur in medio or-

dinibus. Loquitur autẽ ibi de Ccc. Fabiis. Sigonius in suis scholis pag. 8. num 30. ait *Hoc quid sibi velit Glareanus, homo ingenua profitetur se nescire, est autem sic, ut. Acies quo breuiore in spatio cogitur, & orbem colligit, eo plures ordines habere, quo maiore in spatio explicatur, eo pauciores.* Ego quale sit hoc, quod Sigonius profert, non percipio, nec vllum puto esse, qui percipere possit. ... vero longe secus se res habet, quo enim breuiore in spatio cogitur acies, eo pauciores ordines esse, necesse est. Quo autem maiore spatio explicatur, eo plures: Sed Sigonius Liuii verba non intelligit, multiplicatis enim cum dixit, idem est, ac si dixisset condensatis vt sit sententia multiplicatis in arcto ordinibus, id est, densatis. factum est, vt Fabii, qui erant CCC. tantum pauciores viderentur Hostes vero, qui plurimi erant, & ante dispersi fuerant videbanturque pauci, postquam in vnum collecti sunt ... tio, plures videbantur. Ita sunt intelligenda Liuii verba ... hæc. *Quare & paucitatem eorum insignem, & multitudinem Etruscorum, multiplicatis in arcto ordinibus, faciebat.* Verum ... tam explicat Ælianus in libro de acie more Græcorum ... pag. 56 in iis, quos ego Venetiis curaui imprimendos, cum ... nullo editi fuissent, & in Latinum iterum verti ... ζεται ἡ φάλαγξ ἐκ πυκνώσεως, ἡ τόπῳ. & paulo ante, vbi loquitur ... ἐξελιγμοῦ. Sed non est necesse vt plura dicam. Liuium tantum co modo locutum esse etiam libr. primo ostendam, vbi loquitur de centuriis pag. 12 in Sessæ libris. *Duplicato earum numero, id est, ... cto & condensato. Non enim plures equitum Centuriæ sunt factæ, sed eorum equitum, qui in singulis erant, numerus auctus est, & duplicatus.* Aliter enim intelligi locus non debet.

Aliud erratum Sigonii.

CAPVT XXXI.

Liuius lib. 27. vbi loquitur de Q. Fabio, & Q. Fuluio, qui Coss. in alterum annum reficiebantur, aduersus legem, quæ vetabat continuari magistratus, ait. *Centuria Iuniorum, quæ sorte prærogatiua erat, Q. Fuluium, & Q. Fabium Consules dixerat, eodemque iure vocata inclinassent, ni tribuni plebis,* & quæ sequuntur. Carolus autem Sigonius in suis scholiis pagella 51. b. ait, hunc locum ... rigere se putat *Galeria autem nomen est centuriæ, ... supra.* Dii boni quam imperitus est hic Sigonius, quam nullo iudicio præditus: Non est igitur mirandum, ... correxit, sed corrupit sexcentis in locis. Atque ego ... lem, sed me continere non possum, tum, quia illud ... tiquitatis vtilitati est consulendum, tum quia video, ... eo in emendando Liuio temere iactare, & alios reprehendere. Qui adeo leuiter degustauit notionem antiquitatis Romanæ, qui nesciat, Centurias, quæ erant Classium partes ... VI. ex quibus conuocari solita sunt comitia Centuriata dicta, nomina non habuisse

Digitized by Google

...e illa, quibus vocarentur, sicuti tribus illæ XXXV. Vbi legit ...nus hic Liuii corrector nomina hæc centuriarum? quod id au... potest? Atqui nonaginta tres erant, nec tamen vllum no... habebant centuriæ, vt dicet Halicarnasseus, omnium classi... ...mentio horum nominum, si re spondeat Sigonius, si potes. ...go quidem sæpe legi in antiquis marmorum inscriptionibus, vt ...quæ in Hispania est, Saguti quam mihi quidam amici mei ...cum aliis multis dederunt descriptas a se, in ea loca cum ali... ...do essent profecti & antiquitatem exquirerent, cuius pluri... ...in Hispania vbique extant monumenta.

C. VOCONIO C. F.
GAL. PLACIDO ÆD.
II VIRO II. FLAMINI II.
QVÆSTORI.
... SALIORVM MAGISTRO.

Nam illa dictio GAL. Galeriam tribum significat GAL. autem ...tribum Galeriam significare, nullus ambigere potest: sic enim semper apponere veteres soliti sunt tribuū nomina ante cognomen ... exempla multa possent afferri: sed ego duo tantum, aut ... subscribam. Inscriptio hæc est in Noricis ad Bellunum, quam ... tradidit idem de quo ante loquutus sum, Florius Marcellus, ...uenis honoratus, & mihi amicissimus.

C. FL. HOSTILIVS
PAP. SERTORIANVS
LAVR. LAV. P E Q. R M.
SIBI ET DOMITIÆ
T. FILIÆ SEVERÆ.
CONIVGI INCOMPARA-
BILI
V. F.

Est & hæc Patauii ad Diuæ Sophiæ in ædibus nobilis viri Ludouici a Valle ciuis Patauini.

T. MVSIIO C. F. FAB. HOSTILIO
FABRITIO MEDVLLÆ AVGVRINO
ALLECTO INTER TRIBVNITIOS AB
IMP. NERVA CÆSARE AVGVST. PRÆT.
———— VR. ÆR. PONTIFICI

Est & hæc Patauii in ædibus Liuianis.

C. LVCILI. P. F.
FAB. XX. P. QV.
Q... E VERS.
... QV...
... POSTER.

Iisdem hæc in ... Patauii

M. ALLENIVS M. F. FAB.
CRASSVS CÆSONIVS
TR. MIL. PRÆF. FABR.
IV. VIR.

Hæc ita sese habent. Nunc proferat Sigonius cuius testimoni nixus protulerit Galeriam esse centuriam, & dicat si potest, qui veterum scripserit Centurias classium habuisse nomina.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXXII.

Eiusdem generis error est & ille, ex ignoratione antiquitatis. Nam quo loco Liuii hæc verba sunt lib. 6. II. belli Punici, *Fuluius Romam comitiorum caussa accersitus quum comitia Coss. rogandis haberet, prærogatiua centuria iuniorum declarauit T. Manlium Torquatum, & T. Octacilium*: Sigonius non *Centuriam*, sed *Veturiam*, legit. Itidem paulo post vbi Liuii hæc sunt verba. *Tum Centuria & auctoritate mota viri, & admirantium circa fremitu, petit a Consule, vt centuriam iuniorum citaret.* Sigonius vtroque loco legit nō, Centuriam sed, Veturiam, vt ante, itidem paulo post, vbi legitur. *Citatæ centuriæ seniorebus, datum secreto in ouile cum iis colloquendi tempus.* Emendat etiam hoc loco Sigonius VETVRIÆ. Verba Sigonii sunt hæc in scholiis pagella 49. *Vt hoc loco in vet. libro est pro Centuria, Veturia, sic supra Redire in suffragium Veturiam iuniorum. Item Veturiam Seniorem citaret. Item etiam Veturia cum senioribus. Loquor vt ego censeo, recte. Est enim Veturia centuria nomen, vt Galeria, cuius meminit libro 27. his verbis Galeria iuniorum, quæ sorte prærogatiua erat.* Risum quis continere possit, cum videat Sigonium ex loco quem ipse deprauat, velle corrigere alterum? Sed proferat quæso librum hunc vetustum, dicat vbi asseruatur, qualis notæ sit, in quo Veturiam legi affirmat. Ego decem habeo, nec tamen in vllo ita scriptum est. Sed [illegible] esse scriptum. Tu o Sigoni, qui antiquitatis adeo peritus [illegible] Romanæ, Veturiam nomen esse centuriæ asseris: cuius est centuriæ? An ne vnius ex illis tribus equitum centuriis, quas instituit Romulus, Lucerum, Ramnensium, & Tatiensium. At [illegible] hoc dicere non potes. An vnius ex illis, quæ erant partes classium institutarum a Ser. Tullio Rege, quæ ferebant [illegible] centuriatis comitiis, quæ numero erant omnes XCI [illegible] suffragia eo ordine, quo & Halicarnass[illegible] prima, quæ inibat sorte ducta vel [illegible] prærogatiua dicebatur, vt Asconius, Cicero, Liuius [illegible] An [illegible] Pro[illegible] [illegible] Ego certe puto [illegible] [illegible] Sigonius [illegible]

[illegible]

qua[illegible] cogerer enim vera dicere, ne tuis istis correctionibus alicui [illegible] cauto impenas.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXXIII.

ETiam ex hoc facile perspicient omnes, quam imperitus sit Sigonius, quam nullo, vt toties dixi, iudicio præditus in literis. In [illegible] scholiis in Liuium lib. 7 pag. 21. schol. Liuii autem pag. 96. [illegible] *explicetur, qui ab Aristot. in poeticis [illegible]. [illegible] histriones imitatores [illegible]* [illegible] λόγῳ, id *est saltu, concentu, & versu, atque eorum primum duo genera exstitisse. Vnum eorum, qui [illegible] modis, alterum eorum, qui pedem [illegible] imitarentur, deinde vero tria euasisse, tum [illegible] canere cœpit, cuius initium moris tribuit Liuio Poetæ [illegible] auctor.* Sophocli autem in Tragœdia Aristoteles, cum ait ab eo esse inuentum [illegible]. Aristoteles quidem ô Sigoni in Poetice ait, Sophoclem auxisse numerum histrionum [illegible]. Cum enim Æschylus ante primus auxisset vsque ad duos, Sophocles tertium addit. Sic [illegible] tres histriones primarum, secundarum, & tertiarum partium [illegible] arunt. Verba Aristo. sunt hæc. καὶ τὸ [illegible] ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, [illegible] τρεῖς δὲ καὶ [illegible]. hæc quidem ita sese habent, sed aliud est, quod narrat ab Andronico [illegible] Liuius: Cum enim vnus esset qui imitaretur cantu, & [illegible] separare is cœpit, quia impediri illum, qui duo simul faceret, videbat. Aristot. vero histriones tres fuisse introductos primum à Sophocle, qui sermone imitarentur, vt hic esset primarum partium, alter secundarum, tertius tertiarum. Vide vt nihil intelligis [illegible] quidem in lib. de arte poet. nominat Arist. sed [illegible] non nominat, etsi innuit. Verum longe alius est [illegible], & tertiarum partium histrio, ab eo de quo loquutus Liuius. Si hoc etiam ignoras, nescio certe, quid de te iudicare homines debeant.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXXIV.

DVm non agnoscit Sigonius loquendi formulas, quibus est vsus Liuius, vt grande[illegible] faceret orationem in historia scribenda, [illegible] putat locum [illegible] supra esse, & corrigendum esse putat, quod perquam ridiculum est. Vnum ego locum nunc proferam, in quo res [illegible] perspici poterit. Liuii verba sunt hæc lib. II. *[illegible] A. Verginio & T. [illegible], [illegible] seditione [illegible] orta, [illegible] nomina nollet, deque senatu ob id [illegible], atque de nexu. Tres [illegible] sententiæ. P. Verginius rem non vulgabat, de iis tantum, qui [illegible] secuti P. Seruilii Coss. Volsco, Sabino, Auruncoque militassent [illegible], agendum censebat. T. Largius, totam plebem ære alieno esse [illegible], nec [illegible] posse in omnibus consulatur.* & quæ sequuntur. pau-

lo post. *Ap. Claudius & natura immitis, & efferatus. Age* [illegible] *inquit, dictatorem, a quo prouocatio non est, creemus* [illegible] *runt omnia ardent, conticescet furor, pu*[illegible] *tum mihi* [illegible] *iciet ius de tergo, vitaque suæ penes vnum illum esse, cuius* [illegible] *tem violauis.* Postquam his verbis tres illas sententias dictas in senatu de Nexis Liuius recitauit, narrat, quales singulæ visæ fuerint his verbis. *Multis vt erat horrida, & atrox videbatur Appij* [illegible] *tia, rursus Virginij Largiique exemplo, haud salubrem vtique* [illegible] *putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret: medium maxime, & moderatum vtroque consilium Virginij habebatur,* & quæ sequuntur. Hæc verba ita leguntur in omnibus, quos ego vidi, nec [illegible] cior confusa esse: sed vno interpuncto mutato, aperta erunt omnia. [illegible] quantum momenti sit positum in vno interpuncto [illegible] & perspicua. Interpunctum autem debet poni ante illam dictionem exemplo, sic. *Multis, vt erat, horrida & atrox videbatur Appij sententia: Rursus Virginij, Largiique exemplo haud salubrem vtique Largij putabant sententiam,* & quæ sequuntur. Est enim [illegible] quendi ratio eleganter per collectionem primo, mox per [illegible] tionem, vt Grammatici vocant: perplexa quidem, & obliqua, [illegible] apta ad orationem grandem conficiendam, vt omnes [illegible] qui rhetores tradiderunt: nominatim Hermogenes lib. 1. [illegible] περιόδων; eo autem genere sæpe vsus est Liuius in historia [illegible] da, vt ego alibi copiose demonstraui. Sed hæc ignorat Sigonius [illegible] est imperitus, omniaque confundit, quia veterum loquendi rationem & artificium non cognoscit. Subijciam hoc loco correctionem illius præclaram: deinde verba ex scholiis, vt [illegible] possit. In suo igitur Ald. nostra scribendum curauit. *MVLTIS, vt erat horrida, & atrox videbatur Appij sententia: & rursus, Virginij Veturijque exempla perniciosa. Haud salubrem vtique Largij putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret, medium maxime, & moderatum vtroque consilium Virginij habebatur.* Iam vero in [illegible] scholiis ita scribit pagel. 7. nu. 24. Cum hunc locum mendose legi animaduerteret Rhenanus, homo de T. Liuio optime meritus, hunc in modum demum emendauit, & interpunxit, [illegible] *Appij atrox sententia videbatur. Virginij,* [illegible] *plo haud salubres erant. Largij sententia* [illegible] *ratum erat Virginij consilium.* Non intellexit autem Virginij sententiam, si sic legatur, modo probari, modo improbari. [illegible] gitur lectio est ea, quam ipse in vetustis exemplaribus reperi. Rhenanus vero sicuti ego ante descripsi, locum totum & paulo post [illegible] *quam non Virginij Largiique exemplo* [illegible] *tusijque. Hi enim hoc anno Consules cum coercendæ plebis* [illegible] *lectum haberent, in maiorem seditionem fecerunt,* & quæ sequuntur. Ibi enim legi possunt. Mirari satis non possum, cur Sigonius [illegible] ter fidem omnium exemplarium, hoc loco addiderit nomen Ve-

[illegible] cum ante Liuius eius sententiam in Senatu non recita-[illegible]. Ita ne o Sig. [illegible] libros antiquorum corrigis? Mitto reliqua, [illegible] prorsus ridicula sunt, ne longior sim, & corrigo locũ hũc. Ita [illegible] legi debet: *Multis, ut erat, horrida & atrox Appii sententia vi-[illegible] Verginii, Lartiique: exemplo haud salubrem utique [illegible] sententiam, qua,* & reliqua. Tali autem genere cõ-[illegible] saepe veteres esse vsos qs nescit, vt oratio-[illegible] expolitam & grandiorem facerent. Sed & Aristoteles, [illegible] sermonem, in libro de arte poe. [illegible] agit Tragœdiæ & Comediæ. [illegible] καὶ αὐτὴ, καὶ ἡ κωμῳδία, ἡ μὲν [illegible], ἡ δὲ ἀπὸ τῶν φαλλικῶν, ἃ ἔτι καὶ [illegible] νομιζόμενα, κατὰ μικρὸν ηὐξήθη προαγόν-[illegible] [illegible]

[illegible] apud Vergilium libro quarto Georgic.

Cydippeque & flaua Lycorias altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores.

Et apud eundem Ecloga VII.

Compulerantq; greges Corydon, & Thyrsis in unum
Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.

Item apud eundem lib. XI. Æneid.

———— donec curuata coirent.
Inter se capita & manibus iam tangeret æquis,
Læua aciem ferri, dextra, neruoque papillam:

Item apud eundem libro vndecimo.

Iamque [illegible] Sthenelumq; dedit, Thamyrinque Polumq;,
Hunc [illegible], & hunc, illum eminus, eminus ambo.
Imbrasidas Glaucum atq; Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia.

Idem libro vndecimo.

Protinus Orsilochum, & Buten, duo maxima Teucrum
Corpora, sed Buten auersum cuspide figit,
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, & læuo dependet palma lacerto.
Orsilochum fugiens.

Quis non videt structuræ hoc genus Liuianæ illi esse prorsus si-[illegible] venustatis habere?

Accipe etiam & aliud exemplum ex eodem Verg. lib. X.

———— [illegible] Latagum, Palmumq; fugacem.
Sed Latagum saxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat os, faciemq; aduersam, poplite palmum
Succiso voluit segnem sinit.

Item aliud ex eodem lib. X.

Interea biiugis infert se Lucagus albis.
In medios, fraterque Liger: sed frater habenis

Digitized by Google

stiæ ætatis, non equidem ægre fero: nam etiam illos errare potuisse credendum est. Sunt enim μνημονικὰ ἁμαρτήματα. & ab illis multa, quæ vix vitari possunt: sed doleo tum reprehendi, cum non errarunt: miror que in primis, ut historiarum scriptores inter se dissentiunt, vel hos, vel illos, quibus minus credere alicui venerit in mentem, pro arbitratu accusari, cum potius dici debeat hunc alios in historia scribenda secutum esse, illum alios. Adde quod quæ librariorum errata sunt, sæpe parum periti homines ascribunt antiquis ipsis auctoribus, ut facile me demonstraturum nunc spero. Carolus Sigonius reprehendit L. Florum & auctorem, qui librum de viris illustribus Romæ conscripsit, in suo commentario in fastos Ro. Coss. anno CCLVII. quod vterque scripserit Magistrum equitum bello latino ad lacum Regillum fuisse C. ssum, vbi explicat illud stratagema, de quo Liuius meminit anno CCCXXVI. totidem enim fere sunt ipsius verba. Falsa refert Sigonius, nam Plinius in libr. de viris Illustribus, seu quisquis ille auctor est, in capit. de A. Posthumio ita scribit. *A. Posthumius dictator dictus, apud Regilli lacum cum hostibus conflixit, vbi cum victoria nutaret, Magister equitum equis frenos detrahi iussit, ut irreno abile impetu ferrentur, vbi & aciem Latinorum fuderunt & castra ceperunt.* Ego hic non video Cossi fieri mentionem vllam. Videat Sigonius, si mihi non credit, Aldinos ipsos libros, quibus tantum tribuit, & animaduertet in illis non esse Cossi nomen. In L. Flori libris ita quidem scribitur. *Apud Regilli lacum dimicatum eo diu marte vario, donec Posthumius ipse dictator signum in hostes iaculatus est.* Nouum, & insigne commentum, vti peteretur cursu, Cossus equitum magister exuere frenos imperauit, & hoc nouum, quo acrius incurrerent. Liuius libr. 2. de re hac ita scribit. *Tum ad equites dictator aduolat obtestans, vt fesso iam pedite descendant ab equis, & pugnam capessant, desiliunt ex equis.* Ego in Lucii Flori libro delendam puto dictionem, COSSVS, irrepsit enim ex glossemate alicuius imperiti. Ita quidem inter se conueniunt Auctor de viris Illustribus, & Florus, quatenus narrant, magistrum equitum iussisse frenos detrahi equis. Dissidebunt autem a Liuio & Halicarnass. quatenus hi narrant, non equis frenos detractos, sed equites ab equis descendere iussos. Nam Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. exemplo primo de hac re nihil, tantum de religione, & miraculo loquitur. Detractos equis frenos iussu Corn. Cossi magistri equitum dictatore Æmylio Mamerco, narrat Liu. libro 4. Quid mirum? hi alios auctores secuti, illi alios. De Cosso tamen Plinius, siue alius, quicunque is fuit, auctor libri de viris illustribus, ne verbum quidem protulit, vt Sigonius falso narrat. Flori contextum corruptum esse satis constat. Nunc audet Sigonius temere antiquos carpere auctores historiæ, quasi vero omnes inter se consentiant: nec diiudicat, quæ potuerint esse librariorum errata:

etatis: quodq; eius est narrat id, quod non est etiam in vulgo impressis.

Error Pauli Manutii demonstratus.

CAPVT XXV.

Eiusdem generis error est Manutii in libro de legibus Rom vbi Asconium carpere conatur in quo loco de ampliatione, & comperendinatione loquitur, in Aldinis ipsius pag. 19. & 30. in commitent in orat. Cicer. in Verr. 3. Verba Cicer. sunt hæc, ADIMO COMPERENDINATVM quæ exponit Asconius. *Comperendinatum pro comperendinatione posuit*, & est sensus. Aufero vobis molestiam bis dicendi, & quæ sequuntur. Hæc quidem recte ita habent, vsque ad illa verba. GLAVCIA PRIMVS TVLIT. *Ante legem Glauciam de comperendinatione, aut statim sententia dicebatur si absolu-ndus esset reus, aut amplius pronunciabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent iudices, non liquet, hoc est, obscura caussa est. Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas: Comperendinatio autem vtriusque partis recitatio est.* Hactenus Asconius. Ego nunquam tam fui puer, quin viderim hunc Asconii locum esse corruptum: est enim & mutilus, & inuersus, quare apponi debent asterisci. Primum super illis verbis, aut amplius. Nec enim verum est amplius pronunciari tunc solitum. cum esset reus damnandus. Deinde illa verba quæ sequuntur. *Si videretur esse damnandus, cum dixissent iudices, Non liquet, hoc est, obscura est caussa. Quis non videt non cohærere cum superioribus, nullumque idoneum sensum elici posse?* Adde quod falsum est, videri tunc iudicibus esse reum damnandum, cum dixerunt. Non liquet: nam alio spectabant illa verba, vt postea declarabo. Itidem illa verba Asconii, quæ statim subsequuntur. Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas, signāda sunt asterisco: nam, vt satis constat. & reus, & accusator, postquam iudices pronuntiassent. Non liquet. bis vterque dicebat, sed reus prior. Agedum igitur apponamus primum asteriscos, vt nequis decipi possit, & omnes videant locum esse mutilum, & inuersum, vti dixi. Deinde emendemus, & corrigamus, quod gratum omnibus puto fore, vt temeritas eorū perspici possit, qui reprehendere malunt antiquos auctores, quam corrigere, aut si corrigere non possunt, dicere esse corruptos. sed dicerent, opinor, si cognoscerent: non cognoscunt autem, quia nullo præditi sunt iudicio. Verba igitur hæc asteriscis quatuor appositis ita signari debent. *Ante legem Glauciam de comperendinatione, aut statim sententia dicebatur si absoluendus esset reus,* * *aut amplius pronūtiabatur,* * *si videretur esse damnādus,* * *cum dixissent iudices* Non liquet, hoc est, *obscura est caussa. Itaque ea pars* * *interposita dilatione dicebat, in cuius* * *peroratione videbatur obscuritas. Comperendinatio vero vtriusque partis est recitatio.*

Nunc quomodo inuersa sint culpa librariorum, & mutila, quomodoque corrigi debeant demonstro sublatis asteriscis. *Ante legem Glauciam de comperendinatione statim sententia dicebatur, si aut absoluendus esset reus, aut si videretur esse damnandus.* Aut, *Amplius, pronunciabatur, cum dixissent iudices. Non liquet, hoc est, obscura caussa est, itaque ea pars prior interposita dilatione dicebat, in cuius oratione videbatur obscuritas. Comperendinatio autem vtriusque partis est* Nunc explico rationem huius meæ emendationis. Satis constat Comperendinatum, siue comperendinationem, dilationem fuisse vadimonii. Nam etiam Macr. lib. primo Saturn. ita explicare videtur Comperendinos dies, vti satis notum est. 2. De Comperendinatione autem primus legem tulit Glaucia, vt Cic. testatur in Or. III. in Verrem his verbis. *Verum, vt opinor, primus Glaucia tulit, vt comperendinaretur reus* 3. Comperendinatio faciebat, vt bis caussa diceretur. Cicero idem in eadem oratione paulo ante, *quod habet in se lex molestissimum, bis, vt caussa dicatur.* 4. *Comperendinatio fiebat a reo.* Cicero ibidem, *vt comperendinaretur reus* nam reorum caussa fuit excogitata, vt patet. 5. Faciebat comperendinatio interdum, vt reus subterfugeret vel Prætorem, vel iudices, quorum seueritatem timebat. Cicero paulo post, vbi ait. *Deinde ita tempus duceretur, vt a M'. Glabrione Prat. & a magna parte horum iudicum ad Pretorem alium; iudicesque alios veniremus.* Et paulo post, *ne ego bis accusare non possem.* 6 *Cōperendinatio etsi proficiscebatur primum a reo, cui indulgebat Glaucia lex, non ab accusatore: tamen accusator bis caussam dicebat.* Cicer. in eadem oratione, vbi sunt illa verba *aut nihilo potius tua caussa, quam mea, nam si bis dicere commodum est, certe vtriusque est commune* 7. *Comperendinatus cum erat reus, habebatur pro damnato.* Cicero id declarat in VI. in Verrem, vbi reprehendit Verrem, quod postquam esset comperendinatus, auderet prodire in publicum: his verbis. *Videte hominis amentiam. Postquam est comperendinatus, cum iam pro damnato, mortuoque esset, ludis Circensibus mane apud Sisennam virum primarium, cum essent triclinia strata, argentumque expositum, contemplari vnumquodque cœpit:* 8. *Cōperendinationem excipiebat lex Acilia in caussa repetundarum.* Cic. in 2. & 3. Or. in Verrem. & Asconius in comment. in 2. Or. Cic. in Verr. pagel. 23. in Aldinis. *M'. Acilius Glabrio legem Aciliam tulit de pecuniis repetundis seuerissimam, qua ne comperendinare quidem liceret reum.* Et idem in III. pagella 30. *Qua neque comperendinationem, neque ampliationem habet* Quæ verba Asconii ego censeo corrigi debere, nam verum non est, Aciliam legem in caussa repetundarum non concessisse ampliationem. Cice. id declarat in III. in Verrem, vbi sunt hæc verba: *testibus editis ita mittam in consilium, vt etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment non primo iudicare.* Quare tollenda sunt illa verba, neque amplia-

ampliationem, quæ ab aliquo fuerunt librario addita, & ita legẽdum. *Quæ lex comperendinationem non habet.* 8. *Comperendinari cum vellet reum, cogebatur Iudex illi petenti hoc concedere ex lege Glaucia.* Quod cum erat concessum, etiam accusator cogebatur bis caussam dicere: sed alio ordine, vt declarat Asconius his verbis in III. in Verr. pagel. 29. *si numerum dicendi consideres* (post comperendinationem intellige) *ex æquo res est. Si ordinem, ego sum prior, & vltimus: nam simul accusator dixerit, respondet prima actione defensor, & rursus comperendinato iudicio dicit prior defensor, & defensionem tanquam duplicem in medio positam obruit vltimus accusator.* 9. *Comperendinatio faciebat, vt iudicari primo non posset.* Cicero in III. in Verrem ibidem. *antea vel iudicari primo poterat.* Quod ita est intelligendum, *cum caussa erat acta, antequam lex de comperendinatione esset lata, statim iudicabatur. Sed postquam lata esset, & reus perspiceret, vtilem sibi fore vadimonii dilationem, comperendinabatur, nec primo iudicabatur,* id est, *post primam actionem caussæ.* Nunc dicamus de ampliatione 1. *Ampliatio ante fuit vsurpata quam Comperendinatio.* Cic. in III. in Verr. *antea vel iudicari primo poterat, vel amplius pronuntiari.* 2. Ampliatio fiebat a Iudicibus ipsis per tabellam N. L. Asconius in III. in Verrem pagella 29 & 30. 3. *Ampliatio fiebat propter obscuritatem caussæ.* Asconius ibidem in oratione reorum, vnde rei ampliari dicebantur Liuius lib. 43. sub initium *Bis ampliatus, tertio absolutus est reus* Et ibidem paulo post: *Grauissimis criminibus accusati ambo ampliati, cum dicenda de integro caussa esset, excusati exilii caussa solum vertisse Furius Præneste, Matienus Tibur exulatum abire.* Hunc locum citat Manutius in suo lib. de leg Rom. vbi carpere conatur Asconium, & ostendere vult, nõ accusatorem solum, vt credit Asconium velle, sed etiam defensorem iterum caussam egisse. Certe Liuii locus id non aperte demonstrat, sicuti Manutius ait pag 53. Liuius libro 43. caussam de repetundis ex ampliatione vtrinque ait esse actam. Videat verba Liuii, consideretque an dicat vtrinque. Id enim non expressit Liuius, & si non ea ratione ego tuear Asconium. sicuti enim paulo post ostendam. Asconii locus, quem citat Manutius corruptus est, & mancus. 3. Ampliationem sequebatur interdum absolutio. Valerius Max. lib. 8. cap 1 exemplo 11. *Lucius Scipio Cottam accusauit, cuius caussa grauissimis testimoniis est confossa, septies ampliata, & ad vltimum octauo iudicio absoluta* 4. Ampliationem interdum sequebatur damnatio. Liuius lib. 43. in loco prius recitato. 5. *Ampliare poterant Iudices vt reo indulgerent, vt si vellet, solum verteret: & periculum subterfugeret, sed in caussa aperta erat turpe Iudicibus id facere.* Cic. in III in Verr. *etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe putent non primo iudicare.* 6 *Ampliatio fiebat aliquando propter vtramque partem, præsertim in caussis, quæ non erant publicæ, ne-*

quae erant capitales. Id demonstrat Asconius in III. in Verrem, iis verbis, quae ab initio nobis proposuimus emendanda: *Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas. Vel si hoc in capitalibus tantum iudiciis usurpatum, locus quaerendus qui demonstret. Ego id non puto verum esse. Petit hereditatem aliquis ab altero. Agitur utrimque caussa, tam potest obscuritas esse in huius qui petit, quam in illius, a quo petitur, oratione. Iudices igitur cum pronuntiarent non liquet, significabant in cuius oratione esset obscuritas: Quare interposita dilatione is prior dicebat. Postea alter rursus caussam agebat. In capitalibus caussis puto non postulasse Iudices ab accusatore, ut apertius diceret: fuisset enim hoc inhumanitatis, vel etiam quoniam pertinebat ad Reip. incolumitatem, ulcisci studentes improbum aliquem, pronuntiantes N. L. ab ipso accusatore flagitabant, ut liquidius diceret de tota caussa.* Quare verissimum est id, quod ait Asconius. *Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas.* Verba quae sequuntur Asconii sunt haec, quibus, quid differat comperendinatio ab ampliatione, significat. Comperendinatio vero utriusque partis recitatio est. Recte, *& praeclare, nam in ampliatione, in alterius tantum partis oratione obscuritas significabatur esse a iudicibus: nam si quis dicat in utriusque partis oratione fuisse obscuritatem absurdum dicet. Iam vero in comperendinatione, quae non fiebat propter obscuritatem, sed quia vel reus, vel accusator postulabat, sed in primis reus, quoniam ordo dicendi immutabatur, ut ante dictum est necesse erat, ut uterque rursus caussam diceret.* Cicero id declarat in III. in Verrem, & Asconius. Cur igitur carpere conatur Manutius Asconium tam temere? cum dicit, Ampliationem non fuisse alterius tantum partis, sed utriusque: nec alium habet locum, quam illum ex Liuio ante prolatum (& si ille verba Liuii non ascribit, sed tantum aliis verbis sententiam recitat) in quo id minime videtur exprimi. Incertum igitur afferat Manutius aduersus certa? & suis somniis reprehendat Asconium, virum grauissimum, & doctissimum, qui in antiquitatis notione omnibus anteponendus est?

Alius Asconii locus ibidem declaratus.

CAPVT XXVI.

EOdem loco Asconius, quo de comperendinatione, & ampliatione loquitur, alteram eiusdem rei affert explicationem his verbis. Aliis sic adnotant, *Comperendinatio est, secunda actio.* Id quidem verum est & Cicero declarat ipse in III. Or. in Ver. Subiungit postea, *Item comperendinatio est, ubi utrisque litigatoribus* [illegible] *comperendinatio in* [illegible]. Et quae sequuntur. Et haec vera sunt, patet ex Macrobio, ubi declarat, qui comperendinati [illegible]. Subiungit deinde. *Quae cum esset verum, quae* [illegible] *in caussa ageretur, quod* [illegible] *iudicium, rem* [illegible] *quasi caussam* [illegible] De hac

hac expositione caussæ, & coniectione in breue, vt vocat Asconius, nihil aliud lego: nisi forte illa sit quæ explicatur apud Cice. in Or. in Verr. II. sub finem, his verbis *Dico me C. Verrem, cum multa libidinose, multa crudeliter in ciues Rom. atque in socios, multa in Deos, hominesque nefarie fecerit, tum præterea quadringenties sestertium ex Sicilia contra leges abstulisse. hoc testibus, hoc tabulis priuatis, publicisque auctoritatibus, ita vobis planum faciemus* & quæ sequuntur, qualis apud Demosthenem in oratione περὶ στεφάνου illa, quæ vocatur χρῆσις. Cuius formula non dissimilis huic illic explicatur. Cum itaque esset delatum nomen alicuius, dicebatur illi dies, qua se sisteret, & hoc est quod Asconius ait, comperendinationis nomine dictum *Comperendinatio igitur duo significat, actionem secundam, quæ ex lege Glaucia fuerat introducta, & denuntiationem in perendinum, quæ fiebat, cum aberat dies dicebatur.* Verum de his copiosius agemus in libro de Iudiciis Roman. quem propediem editurí sumus, vna cum aliis multis disputationibus, quæ ad antiquitatis notionem spectant.

Alius Asconii locus ibidem declaratus.

CAPVT XXVII.

EOdem loco Asconius conatur explicare, quid intersit inter comperendinationem & ampliationem: nec tamen suam: sed aliorum explicat sententiam his verbis. Alii sic. *inter comperendinationem, & ampliationem hoc interest, quod comperendinatio ex vna tantum re dabatur, cum caussam iudex non intelligeret, & omnino si videbatur iudicibus bona caussa, absoluebant reum,* & reliqua. Ego puto hunc contextum esse mutilum, & signari debere asterisco in his verbis. *QVOD comperendinatio * ex vna tantum re dabatur, cum caussam iudex non intelligeret*. Falsum enim est comperendinari solitum in caussis propter obscuritatem. Quippe dicebatur Ampliatio proprie, non Comperendinatio: & inducebatur a iudicibus per N. L. Satis vero patet, mutilum hunc esse contextũ: nam cum Asconius ex aliorum sententia sibi proposuisset explicare vtramque, & comperendinationem, & ampliationem: cœpissetq. declarare primum, quid esset comperendinatio, statim subiunguntur verba, quæ ad ampliationem spectant. desunt igitur hoc loco multa verba. Nonnulli codices Asconii habent, vbi scribitur ex vna re, *Reo*, quod etiam ostendit lacerum esse, & mãcum contextum. Verba quæ sequuntur. *Et omnino si videbatur iudicibus bona caussa, absoluebant reum, si mala, non statim damnabant, sed hac excusatione parcebant: nam cum condemnandi nota esset C. litera: Absoluendi, A. Ampliandi signum, N. L. dabant quæ significabant, non liquere, vnde ampliatio nascebatur.* Omnia spectant ad ampliationem non ad comperendinationem, vt satis patet ex iis quæ ante a me dicta sunt. ex quo liquido cognosci potest contextum hunc esse lacerum, & mancum. Hoc si perspexisset

Manutius, non tam temere reprehendere ausus esset Asconium: nam in lib. suo de leg. Romanis pagella 53. recitat & apponit contextum hunc totum vti sese habet, quasi integer sit, & elicit ex eo hæc duo, quæ totidem verbis explicat. *Ex quibus primum illud intelligitur in ampliatione aut accusatorem solum, aut defensorem iterum caussam egisse, deinde etiam hoc constat, esse, Amplius, pronuntiatum, non cum ambigeretur, absoluendus, an condemnandus esset reus, sed cum ita dilucide pateret culpa, vt condemnandus omnino videretur, in quo tamen, vt quasi ad excusandam dilationem speciem aliquam dubitationis præ se ferrent, ampliandi signum in tabellis dabant*: & quæ sequuntur. Et si posterius hoc non asserit Asconius, sed refert ab aliis dictum, ait enim. Alii hoc: neque debet ipsi ascribi, si quid in eo est perperam prolatum, attēdo tamen nec eos, qui ita sentiebant, male omnino sensisse: nam Cice. eius sententiæ videtur esse auctor in oratione III. in Verr pagel 81. in Aldinis. *Vtram igitur putas legem molliorem? opinor illam veterem, qua vel cito absolui, vel tarde condemnari licebat*. Loquitur autem Cicer. de ampliatione eo loco, & veterem appellat legem, ac molliorem, vt patet. Quatenus vero ibi ait, *TARDE CONDEMNARE*. Quis non videt, interdum non ampliationem quidem fuisse a iudicibus factam eo cōsilio, vt declararent se esse eo animo, vt damnare vellent, sed vt monerēt caussam esse obscurā adhuc, quam cum postea non probaret, damnabatur reus, & quidem tarde. Euentum igitur hunc respicit Cicero ibi. Et Liuii locus ille libr. 43: satis ostendit, post ampliationem factam illos solum vertisse exilii caussa: Etsi, vt ante diximus, absolutio sæpe sequebatur ampliationem, quod postea caussa esset magis probata a reo. Certe quodam modo ampliatio magis ostendebat damnatum iri reum, nisi firmioribus argumentis caussam comprobasset suam: sed ideo id arripit Cic. & oratorio more ait, *tarde condemnari*. Et comperendinatio signum videbatur potius damnationis esse: Quare Cicero vt ante dixi in VI. orat. in Verrem. cū increpat, quod post comperendinationem quasi damnatus, & vt ipse vocat mortuus prodire in forum esset ausus: sed etiam illic oratorio more loquitur, arripitque quod suæ caussæ conducit. Verum de hac re satis. Quilibet enim perspicere iam potest, quomodo sese res habeat, quamque falso Asconium, qui ex aliorum sententia id retulit, reprehendere conetur Manutius: nihilque quod aut apud ipsum sit, aut apud Ciceronem & Liuium apte proferat.

CAPVT XXVIII. *Sigonii errata.*

CArolus Sigonius in suis scholiis in Liuium, pagella 8. nume. 31. vbi illa verba Liuii interpretatur. *CONSVL lictorem ad tribunum priuatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu* Ex Plutarcho problema recitat, quod ad eandem rem pertinet intelligendam. Tribunum scilicet magistratum dici vix posse, quia iurisdictionem

ctionem non habebat, neque principio anni inibat magistratum, neque creato dictatore se abdicabant, neque purpura vtebatur. Sed falsum est, quod ait, creato dictatore consules abdicare se [illegible] narrare Plutarchum: nam ipse ait [illegible] quod non abdicare se, sed interim desistere, vti potestate & iure suo, dum dictatoris est. Solebant enim Romæ Consules dictatore creato, non quidem abdicare se consulatu, sed parere ipsi dictatori, quod si dictator se abdicasset, antequam exitus anni esset, vt sæpe contingebat. Consules resumebant potestatem pristinam. Sed si verum esset, quod scribit Sigonius, abdicare se solitos, non vtique resumsissent. Rem totam cognoscere possumus ex Liuio lib. 2 vbi de M. Valerio, qui primus dictator creatus fuit, loquitur. Coss. Verginio, & Vetusio. ait [illegible] *Dictator legiones decem conscripsisse, ternas datas, Coss. [illegible] ipsum sibi dictatorem reseruasse.* Ex quo patet Consules non quidem abdicasse se: sed *Dictatorem illorum opera vsum in bello gerendo, [illegible] legati ipsius essent.* Et paulo post, *Dictator triumphans Romam [illegible]*, & paulo post, *dictator, prius quam Coss. [illegible] magistratu abiret.* Et paulo post, *cum se abdicare [illegible] Dictator ero.* Et paulo post, *Ita curia egressus dictatura se abdicauit. Consul vero in vrbem redierat, & postquam se abdicauit Dictator magistratum gessit.* Iam vero errat etiam Sigonius, cum purpuram vertit, nam περιπόρφυρον habet Plutarch. liber, & satis notum est hanc a Plutarcho dici, quam prætextam Latini vocant.

Aliud Sigonii erratum.

CAPVT XXIX.

Quo loco Liuius de Tribunis primum creatis loquitur libr. 2. eodem consulatu, de quo ante locuti sumus. nomina hæc refert duorum tribunorum C. Licinium, & L. Albinum. Sigonius in [illegible] in Liuium pagella 7. num. 25. ait. *Dissentit Liuius [illegible] omnibus in horum Tribunorum recitandis nominibus.* Nam Dionysius Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον. Γάιον Σικίνιον Βελλοῦτον. Itemque Plutarch in Popl. & Suidas in voce δήμαρχοι. pariq; ratione Asconius in Corneliana, C. Sicinium, L. F. Bellutum. L. Iunium C. F. Paterculum edit. De duobus autem Trib. creatis citat [illegible] auctorem Pedianus. O Sigoni, si Liuium citat auctorem Pedianus & nomina a Pediano illa proferuntur ex Liuio, quo [illegible] potest Liuius ab eo. Cur igitur non dicebas, vti [illegible] corrupta fuisse hæc nomina apud Liuium a [illegible] quis non videt ex SICINIO per erratum scriptum esse, [illegible], & ex IVNIO, ALBINIVM, vel ALBINIVM vel alio [illegible] modo [illegible] mendum.

Aliud Sigonii erratum.

CAPVT XXX.

Ocus est apud Liuium lib. 2. [illegible] Multiplicatis in [illegible]

dinibus. Loquitur autẽ ibi de CCC. Fabiis. Sigonius in suis scholiis pag. 8. num. 30. ait: *Hoc quod pro vero Glareanus, homo ingenuo [illegible] est autem [illegible]. Aciem quo breuiore in spatio cogitur, & orbem colligit, eo plures ordines habere, quo maiore in spatio explicatur, eo pauciores.* Ego quale sit hoc, quod Sigonius profert, non percipio, nec vllum puto esse qui percipere possit. Imo vero longe secus se res habet; quo enim breuiore in spatio cogitur acies, eo pauciores ordines esse, necesse est. Quo autem maiore in spatio explicatur, eo plures? Sed Sigonius Liuii verba non intelligit, multiplicatis enim cum dixit, idem est, ac si dixisset condensatis vt hic [illegible] multiplicatis in arcto ordinibus, id est, densatis. factum est, vt Fabii, qui erant C C C. tantum pauciores viderentur. Hostes vero, qui plurimi erant, & ante dispersi fuerant videbanturque pauci postquam in vnum collecti sunt breuiore spatio, plures videbantur. Ita sunt intelligenda Liuii verba quae sunt haec. *Quare & paucitatem eorum insignem, & multitudinem Etruscorum, multiplicatis in arcto ordinibus, faciebat.* Verum rem totam explicat Aelianus in libro de acie more Graecorum instruenda pag. 16 in iis quos ego Venetiis curaui imprimendos, cum ante a [illegible] & in Latinum iterum verti [illegible] & paulo ante, vbi loquitur [illegible]. Sed non est necesse vt plura dicam. Liuium tamen eo modo locutum esse etiam lib. primo ostendam, vbi loquitur de centuriis pag. 12 in Sessae libris. *Duplicato earum numero, id est, insto & condensato. Non enim plures equitum Centuriae sunt factae, sed eorum equitum, qui in singulis erant, numerus auctus est, & duplicatus.* Aliter enim intelligi locus non debet.

Aliud erratum Sigonii.

CAPVT XXXI.

Liuius lib. 27. vbi loquitur de Q. Fabio, & Q. Fuluio, qui Coss. in alterum annum reficiebantur, aduersus legem, quę vetabat continuari magistratus, ait. *Centuria iuniorum, quae sorte praerogatiua erat, Q. Fuluium & Q. Fabium Consules dixerat, eodemque iure vocata inclinassent, ni tribuni plebis.* & quae sequuntur. Carolus autem Sigonius in suis scholiis pag. 51 b. ait, hunc locum corrigere se putat *Galeria autem nomen est centuriae, [illegible] supra.* Dii boni quam imperitus est hic Sigonius, quam nullo iudicio praeditus: Non est igitur mirandum, si Liuium non [illegible] correxit, sed corrupit sexcentis in locis. Atque ego sane [illegible] nollem, sed me continere non possum, tum, quia illud [illegible] antiquitatis veritati est consulendum, tum quia video [illegible] se ad eo in emendando Liuio temere iactare, & alios reprehendere. Qui adeo leuiter degustauit notionem antiquitatis Romanae, quin ne sciat, Centurias, quae erant Classium partes illarum VI. ex quibus conuocari solita sunt comitia Centuriata dicta, nomina non habuisse

buisse

buisse illa, quibus vocarentur, sicuti tribus illæ XXXV. Vbi legit nouus hic Liuii corrector nomina hæc centuriarum? q[illegible] au-ctore profert? Atqui nonaginta tres erant, nec tamen vllum no-men habebant, centuriæ, vt d. cet [illegible] carnassæus, omnium clarissi-mus. Vbi mentio horum nominum? Responde o Sigoni, si potes. Ego quidem sæpe legi in antiquis marmorum inscriptionibus, vt in hac, quæ in Hispania est, Saguiti quam mihi quidam amici mei vna cum aliis multis dederunt descriptas à se, in ea loca cum ali-quando essent profecti & antiquitatem exquirerent, cuius plurima in Hispania vbique extant monimenta.

C. VOCONIO C. F.
GAL. PLACIDO ÆD.
II. VIRO II. FLAMINI II.
QVÆSTORI.
SALIORVM MAGISTRO.

Nam illa dictio GAL Galeriam tribum significat GAL. autem ibi tribum Galeriam significare, nullus ambigere potest: sic enim semper apponere veteres soliti sunt tribuũ nomina ante cogno men. Exempla multa possent afferri: sed ego duo tantum, aut tria subscribam. Inscriptio hæc est in Noricis ad Bellunum, quam nobis tradidit idem de quo ante loquutus sum, Florius Marcellus, iuuenis honoratus, & mihi amicissimus.

C. FL. HOSTILIVS
PAP. SERTORIANVS
LAVR. LAV. PEQ. RM.
SIBI ET DOMITIÆ
F. FILIÆ SEVERÆ.
CONIVGI INCOMPARA-
BILI
V. F.

Est & hæc Patauii ad Diuæ Sophiæ in ædibus nobilis viri Lu-douici a Valle ciuis Patauini.

T. MVSIIO C. F. FAB. HOSTILIO
FABRITIO MEDVLLÆ AVGVRINO
ALLECTO INTER TRIBVNITIOS AB
IMP. NERVA CÆSARE AVGVST. PRÆF.
———— VR. ÆR. PONTIFICI

Est & hæc Patauii in ædibus Liuianis.

C. LVCILI. P. F.
FAB. XX. P. Q[illegible]
Q[illegible]E [illegible]ENS.
F[illegible]III. Q[illegible]
LIVS POSTER.

Itidem hæc in æde maxima Patauii.

Digitized by Google

M. ALLENIVS M. F. FAB.
CRASSVS CÆSONIVS
TR. MIL. PRÆF. FABR.
IV. VIR.

Hæc ita sese habent. Nunc proferat Sigonius cuius testimonio nixus protulerit Galeriam esse centuriam, & dicat si potest, quis veterum scripserit Centurias classium habuisse nomina.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXXII.

EIusdem generis error est & ille, ex ignoratione antiquitatis. Nam quo loco Liuii hæc verba sunt lib. 6. II. belli Punici: *Fuluius Romam comitiorum caussa accersitus quum comitia Coss. rogandis haberet, prærogatiua centuria iuniorum declarauit T. Manlium Torquatum, & T. Otacilium*: Sigonius non Centuriam, sed Veturiam legit. Itidem paulo post vbi Liuii hæc sunt verba. *Tum Centuria & auctoritate mota viri, & admirantium circa fremitu, petit a Consule, vt centuriam seniorum citaret.* Sigonius vtroque loco legit nō, Centuriam sed, Veturiam, vt & te, itidem paulo post, vbi legitur. *Citatis centuriæ senioribus, datum secreto in ouili cum iis colloquendi tempus.* Emendat etiam hoc loco Sigonius VETVRIÆ. Verba Sigonii sunt hæc in scholiis pagella 49. *Vt hoc loco in vet. libro est pro Centuria, Veturia, sic infra. Redire in suffragium Veturiam iuniorum.* Item *Veturiam seniorem citaret.* Item *citatis Veturiæ senioribus. Idque vt ego censeo, recte. Est enim Veturia centuriæ nomen, vt Galeria,* cuius meminit libro 27. his verbis *Galeria iuniorum, quæ sorte prærogatiua erat.* Risum quis continere possit, cum videat Sigonium ex loco quem ipse deprauat, velle corrigere alterum: Sed proferat quæso librum hunc vetustum, dicat vbi asseruatur, qualis nota sit, in quo Veturiam legi affirmat. Ego decem habeo, nec tamen in vllo ita scriptum est. Sed facit [illegible] Tu o Sigoni, qui antiquitatis adeo peritus es, [illegible] scriptum. Veturiam nomen esse centuriæ asseris? At cuius [illegible] Romanæ, centuriæ? An ne vnius ex illis tribus equitum centuriis, quas instituit Romulus, Lucerum, Ramnensium, & Tatiensium. [illegible] hoc dicere non potes. An vnius ex illis, quæ erant partes classium institutarum a Ser. Tullio Rege, quæ ferrent suffragium [illegible] omnes XCIII. [illegible] iis comitiis, quæ numero erant [illegible] & Halicarnass. & Liuius [illegible] eo ordine, quo [illegible] prærogatiua [illegible] dicebatur, vt Asconius, Cicero, Liuius [illegible] An [illegible] etiam [illegible] Ego certe puto [illegible] [illegible]

quæso: cogor enim vera dicere, ne tuis istis correctionibus alicui parum cauto imponas.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXXIII.

ETiam ex hoc facile perspicient omnes, quam imperitus sit Sigonius, quam nullo (ut sæpius dixi) iudicio præditus in literis. In suis scholiis in Liuium lib. 7 pag. 21. schol. Liuii autem pag. 96. ait: *Quæritur, ut mos ille explicetur, qui ab Aristot. in poetica traditur. Veteres numerum histriones imitatos esse ῥυθμῷ ἁρμονίᾳ καὶ λόγῳ, id est saltu, concentu, & versu, atque eorum primum duo genera extitisse. Unum eorum, qui saltarent modis, alterum eorum, qui pedum motibus, utrisque imitarentur, deinde vero tria euasisse, tum enim alium saltare, alium canere cœpisse, cuius initium moris tribuit Liuio Poetæ [illegible] hic auctor.* Sophocli autem in Tragœdia Aristoteles, cum ait ab eo esse inuentum τριταγωνιστήν. Aristoteles quidem o Sigoni in Poetice ait, Sophoclem auxisse numerum histrionum: Cum enim Æschylus ante primus auxisset usque ad duos, Sophocles tertium addit. Sic que tres histriones primarum, secundarum, & tertiarum partium esse cœperunt. Verba Aristo. sunt hæc. καὶ τὸ τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστεῖν παρεσκεύασε. τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς. Hæc quidem ita se se habent, sed aliud est, quod narrat ab Andronico factum Liuius: Cum enim unus esset qui imitaretur cantu, & sermone, separare is cœpit, quia impediri illum, qui duo simul faceret, videbat. Aristot. vero histriones tres fuisse introductos primum a Sophocle qui sermone imitarentur, ut hic esset primarum partium, alter secundarum, tertius tertiarum. Vides ut nihil intelligis: πρωταγωνιστήν quidem in lib. de arte poet. nominat Arist. sed τριταγωνιστὴν non nominat, etsi innuit. Verum longe alius est τριταγωνιστής, & tertiarum partium histrio, ab eo de quo loquitur Liuius. Si hoc etiam ignoras, nescio certe, quid de te iudicare homines debeant.

Alius error Sigonii.

CAPVT XXXIV.

DVm non agnoscit Sigonius loquendi formulas, quibus est usus Liuius, ut grandem faceret orationem in historia scribenda, sæpe putat locos corruptos esse, & corrigendos se putat, quod perquam ridiculum est: Unum ego locum nunc proferam, in quo res tota perspici poterit. Liuii verba sunt hæc lib. 2. *introductis A. Verginio & T. Vetusio, [illegible] de seditione loquuntur orta, quod plebs dare nomina nollet, deque senatu ob id ipsum habito, atque de nexis. Tres fuere sententiæ. P. Verginius rem non vulgabat, de iis tantum, qui fidem secuti P. Seruilii Coss. Volsco Sabino, Auruncoque militassent, agendum censebat. T. Largius, totam plebem ære alieno esse demersam, nec sisti posse in omnibus consulatur* & quæ sequuntur pau-

lo post. *Ap. Claudius & natura immitis, & efferatus. Agedum, inquit, dictatorem, a quo prouocatio non est, creemus: iam hic, quo nunc omnia ardent, conticescet furor, pulset tum mihi lictorem, qui sciet ius de tergo, vitaque sua penes vnum illum esse, cuius maiestatem violarit.* Postquam his verbis tres illas sententias dictas in senatu de Nexis Liuius recitauit, narrat, quales singulæ visæ fuerint, his verbis. *Multis vt erat horrida, & atrox videbatur Appi sententia, rursus Virgini Largiique exemplo haud salubrem, vtique Largii putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret: medium maxime, & moderatum vtroque consilium Virginii habebatur*, & quæ sequuntur. Hæc verba ita leguntur in omnibus, quos ego vidi, nec inficior confusa esse. sed vno interpuncto mutato, aperta erūt omnia: (vide quantum momenti sit positum in vno interpuncto) integra, & perspicua. Interpunctum autem debet poni ante illam dictionem exemplo: sic. *Multis, vt erat, horrida & atrox videbatur Appi sententia: Rursus Virginii, Largiique exemplo haud salubrem vtique Largii putabant sententiam*, & quæ sequuntur. Est enim loquendi ratio eleganter per collectionem primo, mox per distinctionem: vt Grammatici vocant: perplexa quidem, & obliqua, sed apta ad orationem grandem conficiendam, vt omnes antiqui Rhetores tradiderunt: nominatim Hermogenes lib. 1. [illegible] cap. [illegible]; eo autem genere sæpe vsus est Liuius in histor. a scriptis da, vt ego alibi copiose demonstraui. Sed hæc ignorat Sigonius vt est imperitus, omniaque confundit, quia veterum loquendi rationem & artificium non cognoscit. Subiiciam hoc loco correctionem illius præclaram: deinde verba ex scholiis, vt res tota perspici possit. In suo igitur Aldino ita scribendum curauit. *MVLTIS, vt erat horrida, & atrox videbatur Appii sententia: & rursus, Virginii Largiique exemplo perniciosa. Haud salubrem vtique Largii putabant sententiam, quæ totam fidem tolleret, medium maxime & moderatum vtroque consilium Virginii habebatur.* Iam vero in suis scholiis ita scribit pag. 7. nu. 24. Cum hunc locum mendose legi animaduerteret Rhenanus, homo de T. Liuio optime meritus, hunc in modum demum emendauit, & interpunxit, [illegible] *Appii atrox sententia videbatur. Virginii, Largiique sententiæ exemplo haud salubres erant. Largii sententia totam fidem tollebat. Moderatum erat Virginii consilium*. Non intellexit autem Virginii sententiam si sic legatur, modo probari, modo improbari. Hieronymi lectio est ea, quam ipse in vetustis exemplaribus reperit. Rhenanus vero sicuti ego ante descripsi, locū totum & paulo post [illegible] *quam non Virginii Largiique exemplo [illegible] Virginii [illegible] susque. Hi enim hoc anno Consules cum coercenda plebis causa delectum haberent, maiorem seditionem fecerunt*, & quæ sequuntur. Ibi enim legi possunt. Mirari satis non possum, cur Sigonius [illegible] fidem omnium exemplarium, hoc loco addiderit nomen VETVSII.

[illegible] cum ante Liuius eius sententiam in Senatu non recitauerit: ita ne o Sig. ut libros antiquorum corrigis? Mitto reliqua, quę prorsus ridicula sunt, ne longior sim, & corrigo locũ hũc. Ita [illegible] debet: *Multis, ut erat, horrida & atrox Appii sentẽtia visa est; tamen Verginius, Largiusque: exemplo haud salubrem utique [illegible] sententiam, qua,* & reliqua. Tali autem genere cõ[illegible], seu [illegible] sæpe veteres esse visos q̃s nescit, ut orationem [illegible] suam & grandiorem facerent. Sed & Aristoteles, [illegible] hoc genus structurę [illegible] sermonem, in libro de arte poe. [illegible], ubi de incremento agit Tragœdiæ & Comediæ. [illegible] αὐτὴ καὶ ἡ κωμῳδία, ἡ μὲν [illegible], ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικά. [illegible] ἐκ μικρῶν ηὐξήθη προαγόν-[illegible] & quæ sequuntur.

Tale etiam illud apud Vergilium libro quarto Georgic.

Cydippe & flaua Lycorias, altera virgo,
Altera tum primos Lucinę experta labores.

Et apud eundem Ecloga VII.

Compulerantq; greges Corydon, & Thyrsis in unum
Thyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.

Item apud eundem lib. XI. Æneid.

——— *donec curuata coirent*
Inter se capita & manibus iam tangeret aquis,
Laua aciem ferri, dextra, neruoque papillam:

Item apud eundem libro vndecimo.

Iamq; neci Sthenelumq; dedit, Thamyrinque Polumq;,
Hunc congressus, & hunc, illum eminus, eminus ambo.
Imbrasidas Glaucum atq; Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia.

Idem libro vndecimo.

Protinus Orsilochum, & Buten, duo maxima Teucrum
Corpora, sed Buten aduersum cuspide figit,
Loricam galeamque inter, qua colla sedentis
Lucent, & laeuo dependet palma lacerto.
Orsilochum fugiens.

Quis non videt structuræ hoc genus Liuianæ illi esse prorsus simile, atque plus etiam venustatis habere?

Aliud exemplum ex eodem Verg. lib. X.

——— *tum Lagum, Palmumq; fugacem,*
Sed Lagum iaculo, atque ingenti fragmine montis
Occupat os, faciemq; aduersam, poplite Palmum
Succiso volui segnem sinit.

Item aliud ex eodem lib. X.

Interea biiugis infert se Lucagus albis.
In medios, fraterque Liger: sed frater habenis

Flectit equos strictum rotat acer Lucagus ensem.

Item aliud ex eodem libro X.

Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in aruis
Daucia, Laride, Tymberque simillima proles.
Indiscreta suis, gratusq; parentibus error.
At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas.
Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis,
Te decisa suum Laride dextera quaeret.

Finem non faciam, si huiusmodi structuræ exempla apponere velim. Consideret velim Sigonius qualia hæc sint, & posthac cautior sit in emendandis veterum libris. Nam vt ne discedam ab hoc loco, quid erat opus o Sigoni illam addere dictionem VETVSI. Ait autem in scholiis *Quanquam non Virginii Larsiique exemplo, legendum est, sed Virginii, Vetusiique: hi enim hoc anno consules,* & quæ sequuntur. Nimirum pueriliter agis o Sigoni, qui libros ita corrigere audes addendo, mutando, tollendo, vt tibi libuerit, contra fidem omnium exemplarium, quę exstant: cum præsertim nullam idoneam afferas caussam, cur id a te sic factum.

Aliud Sigonii erratum.

CAPVT XXXV.

VErba Liuii sunt libr. 2. vbi loquitur de seditione orta propter nexos. *Ad hæc visa auditaque clamor ingens oritur, & non iam foro se tumultus continet: sed passim tota vrbe nexu vincti, solutique se undique in publicum proripiunt.* Sigonius dum se emendare credit, locum hunc corrumpit: recte enim sese habet, quia ait Liuius, in eo tumultu omnes, qui erant tunc nexu vincti, id est quorum corpus ob æs alienum erat traditum creditori in seruitium, præterea & qui soluti fuerant nexu, in publicum concurrisse. Nã qui obligati erant nexu poterant solui dissoluto ære alieno. Hos igitur solutos vocat Liuius nexu, qui scilicet ante mancipio, & nexu in seruitium ducti erant a creditoribus. Erant vtque hi expertimala teterrimæ illius seruitutis, ideo vna cum nexu [illegible] in publicum prodierunt. Corrumpit autem pulcerrimum hunc Liuii locum Sigonius, dum emendat. *NEXI vincti, solutique se in publicum proripiunt.* Nam primum ego scire velim, quomodo distinguat Nexos a vinctis. Deinde si non dissentiet, cur Liuius vtrunque dixerit per [illegible] tamen [illegible] vt Nexos vocet mancipia ob æs alienum, sed non vinctos: vinctos autem, qui in vinculis erant: dicat quomodo vincti potuerint se in publicum proripere, dicat etiam cur illam dictionem NEXV, immutandam censuerit: an quia non est vsitata apud veteres, at Cicero ea vsus est, itidem Varro, & alii declararunt. [illegible] etiam ipse scit, sed non intelligit. An quia, NEXV vincti, non putat recte dici: at Cicero, nexu obligatos, vocat in orat. pro Muræna. De Nexu autem ipse Varro (vt dixi etiam ante) multa disserit lib. 6. de lingua

de lingua Latina D[illegible] autem, an aliquid dicatur suum, vel mu[illegible] [illegible] an nexu. Nam sua mancipio dicuntur, quæ in sua [illegible] sunt, [illegible] ab alienas, possis [illegible], & [illegible] de [illegible] loquens Aristoteles libro 1. Rheto. app[illegible] vbi decla[illegible] [illegible]. Nexu vero sua dicuntur, quæ tantum per sua [illegible] permissum est lege [illegible], quæ sibi addixit. Liber igitur, [illegible], qui suas operas in seruitute dat alteri pro pecunia, [illegible] creditori, [illegible] dicitur. Ex quo patet NEXOS [illegible] non amittere solitos, sed liberos fuisse. Sed quando [illegible] est a me disputatum, subiiciam verba Sigonii, vt il[illegible] [illegible] pici possit in hoc loco corrigendo. Ait igitur in suis [illegible] pag. 7. nu. 22. *Non vereor, ne legendum sit, Nexi vin[illegible]*. Sic [illegible] locutus est lib. 8 *Ita nexi soluti, cautumque [illegible] ne [illegible]erentur* & quæ sequuntur. O mirificum cor[illegible] dum vult probare hoc loco lib. 2. non, *nexu vincti*, le[illegible], sed *nexi vincti*, recitat locum ex libro 8. qui, mea sen[illegible] potest comprobare: Ait enim ibi Liuius, [illegible], id est, *liberatos nexu, & cautum lege, ne postea [illegible]. [illegible], ne quis liber operam suam pro pecunia creditori[illegible]*. [illegible] quidem satis patet, quare plura non dicam: [illegible] Sigonium, dum suo vsus est iudicio in emē[illegible] non illum quidem emendasse, sed corrupisse in plu[illegible], quam mille, & sexcentis in locis, quod ego propediem pa[illegible] [illegible].

Alius error Sigonii.

CAPVT XXXVI.

Videar etiam Sigonius, quam non correxerit, sed corruperit [illegible] pagella eadem, & numero eodem. Verba hæc [illegible] *[illegible] imperatum*. Hæc verba profe[illegible] seditione [illegible], de qua ante locutus sum: [illegible], quod æs alienum dissoluere non potuisset: [illegible] populationes agri non modo fructu caruerat, [illegible] fuerat, [illegible] erepta omnia, pecora abacta, tum, [illegible] fuerat imperatum tributum iniquo suo tem[illegible], id est, [illegible] superius enarratis malis conflictatus premere[illegible] [illegible], tributum se persoluere Reipubl. coa[illegible]. Hæc [illegible] verborum sententia. Nunc Sigonius emē[illegible] INIQVISSIMO tempore. Ita si legas, tollitur omnis [illegible], & decor: nam non [illegible] quidē conquerebatur, quod ini[illegible] tempore esset imperatum tributum, cum Reipubl. ne[illegible] ob bellum gerendum postularet, sed tum imperatū, cum [illegible] inops erat, non collectis fructibus ex agro propter popula[illegible]. Quare omnino legendum est, vt in omnibus tum manu[illegible], tum impressis ante legitur, iniquo suo tempore. Nec [illegible] cur Sigonius offendatur hoc genere loquendi. Solent enim

veteres ad hæc pronomina meum, tuum, suum, sæpe addere aliud adiectiuum vt illud apud Terentium. *Parmenonem summum suum*, & illud apud Virgilium *mea magna potentia* & Ciceronis Epist. fam. *Tristissimo meo tempore* quod est simillimum huic de quo loquimur *unquo suo tempore*. verum de hac re satis. Ita enim prorsus legendum.

Antiqua inscriptio declarata.

CAPVT XXXVII.

QVia paulo ante, vbi Sigonii illud erratum deteximus, cum GALERIAM Centuriæ nomen esse affirmaret. Aliquot vetustas marmorum inscriptiones protulimus, in quibus nomina tribuum perspiciuntur: nam & Patauinas duas apposuimus, in quibus est FAB. id est, Fabiæ tribus nomen. Libet hoc loco etiam aliam inscriptionem subiicere, quæ Romæ est in ædibus Illustrissimi & Amplissimi viri Federici a Cæsis, S. Ro. Ec. Cardinalis, tum vt idem cognosci possit, tum etiam vt tribus locales fuisse probemus.

M. POMPEIO M. F. ANI. ASPRO
7 LEG XV APOLLINAR. 7 COHOR III. PR.
PRIMOP. LEG III. CYREN. PRÆF. CASTR.
LEG. XX VICTR
ATIMETVS LIB. PVLLARIVS
FECIT ET SIBI ET CINCIÆ
M. POMPEIO M. F. SATVRNINÆ.
COL ASPRO VXORI SVÆ.
FILIO SVO ET
M POMPEIO M. F. COL ASPRO FILIO MI-
NORI.

Illa dictio AN. Aniensem tribum significat, & ante cognomen ponitur, sicuti in alia inscriptione. Rursus illa COL. Collinam tribum. Sed mirari possit aliquis, & quærere, cur in hac inscriptione filius non eiusdem tribus nomine appelletur, quo & pater, sed ille AN. hic vero COL. Sciendum igitur distributionem tribuum fuisse secundum loca & regiones vrbis, & ideo ipsam Dionys. Halicarnass. vocat τοπικήν. A. Gellius etiam libr. decimo quinto, cap. 27. ait: *Cum ex regionibus & locis suffragium feratur, tributa comitia sunt. Distributio autem populi in classes & centurias fiebat ex ætate, & censu.* Vocatur ab eodem Dionysio λόχους. & A. Gellius ibidem inquit, *Cum ex censu, & ætate, centuriata comitia dicuntur.* Quod igitur M. Pompeius F. migrarat e domo paterna in aliam, quæ non eadem tribu continebatur, ideo factum est, vt ipse COL. dicatur, etsi pater ipsius, dicatur AN. Nunc vereor, ne Sigonius hæc dicat esse centuriatum nomina, sicuti de Gal. dixit, & Veturia.

Digitized by Google

Pauli Manutii error demonstratus.

CAPVT XXXVIII

VErba Cic. sunt hæc lib. Ep. ad Att. 12. *Fanum fieri volo, neque [illegible] potest. Sepulcri similitudinem effugere non tam [illegible] quam ut maxime assequar ἀποθέωσιν,* [illegible] Cicero de fano extruendo in honorem Tulliolæ [illegible], & relata inter Deos videretur. Manutius in suo cō[illegible] pag. 341 b. ait, exponens illa Ciceronis verba *Recte, quod [illegible] religionem habere: quod sepulcri, non* [illegible] est. quis enim nescit religiosa apud Rom. fuisse [illegible]? Multa legi possunt apud Cicer. lib. de leg. II. sub finem. [illegible] apud [illegible] in digestis tit. 7. de religiosis & sumtibus [illegible] multa scripta sunt. *Sepulcrum est vbi corpus, ossave [illegible] condita sunt.* vt autem Celsus ait, *non totus, qui sepulturæ est [illegible] locus, religiosus fit. Sed quatenus corpus humanum est.* [illegible] *Purus locus est, qui neque sanctus, neque religiosus, sed ab o[illegible] nominibus vocare videtur.* In sepulcris vete[illegible] In Fron. P. X in Agro P. XII. vt ipsis [illegible] & quæstio est apud Ciceronem, Quo tempore [illegible] esse sepulcrum. Nimirum vt sciri posset, quando inciperet locus esse religiosus. Quid igitur nugatur Manutius? Ego [illegible] apponerem multa alia, si rem satis apertam esse non viderem. De fanis, [illegible] templis, quæ exstrui solita sunt postea in honorem [illegible] vbique legi potest, & Suetonius præter alios id scribit, in [illegible] num. 59. Etiam Proconsulibus in prouinciis templa de[illegible] solita [illegible] constat, & Augustum templa sibi decerni non [illegible], scribit Suetonius in Augusto numer. 52. Decerni au[illegible] a prouincialibus pecuniam in templum, siue statu[illegible] aliquid & ea capere lege licuisse Cicero de[illegible] prima libr. primi ad Q. Fr. Itidem Epist. II eiusdem [illegible] & in Epist. Familiaribus ad Appium. Itidem libr. 6 Epist. ad Att. *Nam, [illegible] Appium sibi monimentum ædificasse.* Sa[illegible] erant qualia Mutia, & Marcellea, & Ver[illegible], de quibus Cicero in IV. or. in Verrem. Templa non omnia [illegible] appellantur esse sancta, quæque sancta sint docet Varro lib. 6 de lingua Latina. *Nam curia Hostilia templum est, & sanctum [illegible] ædes esse Romæ sacras, quæ sunt templa, eas[illegible] sanctas.* Sed hæc diligentius alibi a nobis declarata sunt. [illegible] autem [illegible] satis patet: nam id Cic. dixit nominatim [illegible] in Proœ. lib. II. de inuen. propter fani religionē. De Apotheosi autem multa veteres dixerunt: nominatim de ea locutus est Herodianus, quomodoque fieret, docet, vbi de Seueri morte loquitur. Hanc CONSECRATIONEM, in numi[illegible] deo appellari, & Cicer. libr. 12. Epistol. ad Att. Epist. 12 eodem verbo vtitur, dum de ea loquitur. Verū de hac re satis multa

diximus: nam alibi in nostro commentario in librum Ciceronis II. de leg. quæ esset hæc consecratio, & qualis, quamque vim haberet, quomodoque fieret, & fana quæ dicerentur, quomodo ex iis tolli religio posset in vrbe, si esset: in agris vero nō posset, quamuis facta mutatione dominorum. copiosius explicauimus, loca omnia Cic. quæ huc spectant declarantes.

Locus Cic. in Epist. ad Q. Fr. explicatus, & collatus cum Græco.

CAPVT XXXIX.

PAulus Manutius in suo commentario in Epist. Cic. ad Q. F. libro 3 Epist. dum explicat sententiam Ciceronis, quæ, sicuti plurimæ apud ipsum sunt, plena grauitatis est, & prudentiæ, pagella 1.0. tam præter rem, tam falso nonnulla profert, & se ita eo iactitat in quo minime opus est, vt mireris: Ait enim, si sibi per valetudinem liceret Patauii, ac Venetiis profiteri bonas artes, effecturum se, vt biennii spatio eloquentiam pararent adolescentes, damnatque eos, etiam me, opinor, qui id efficere non student, & in rebus leuissimis operam ponunt suam. O Manuti nimium certe tibi tribuis, aliisque iniuriam facis, quorum in primis rationem habere deberes. Nam quid tibi venit in mentem, vt diceres eo loco, te, si Patauii esses, longe aliam rationem docendi te initurum fuisse, quam aut ego, aut ceteri: biennioq; effecturum, sententias quasdā Cic. demonstrando, vt adolescentes sibi eloquentiam pararent. Videris o Manuti ignorare, quod ego, aut ceteri etiam efficere soleant: nimiumque te iactas, qui aut mihi, aut aliis docendi rationem præscribere velis. Ego, si nescis, in arte dicendi tradēda, cuius hic multi percupidi sunt, qui ex vniuerso orbe conueniunt: Ciceronem, Aristotelem, Hermogenem, Quintilianum, & alios sequor, eaque explico, quæ tu, si adesses, sat scio probares, etiam si non intelligeres: Edidisti superiore anno libellum filioli tui nomine, quo elegantias, vt vocas sermonis Romani ex Ciceronis epistolis collegisti. Quid putas Manuti? nos de tua hac ratione sentire? Quod formas Italici sermonis exprimere studes, recte facis, ad easque accommodas Latinum, nō improbo: id enim vbique fit a ludimagistris, qui pueros docent: Vnum hoc displicet, quod translationes, quibus omnia ornamēta orationis continentur, Ciceronis suo illo genere non exprimis: sed semper eodem modo vteris, perinde ac si semper propriis esset vtendum, quasi vero idem & propriis verbis, & translatis dici non possit, quo autem loco his, aut illis vtendum sit, non magnopere differat. Ego, Manuti, video te neque Aristotelem, neque Ciceronem sequi: probare igitur non possum. Nostra ratio longe melior, quam propediem efficiam, vt cognoscas. Quod autem ais nos tempus terere historiis explicandis, inique agis: nam id in Cicerone explicādo facimus cum est opus, nec aliter fieri potest, aut debet.

debet. De figuris, quas ego in oratoribus explicandis ostendere [illegible], cum dicis, [illegible], quae ne per somnium quidem illi [illegible] [illegible]: nam e praescripto antiquorum Rhetor[illegible] discedimus: & Aristotelem, Ciceronem, qui de il[illegible] [illegible] lib. 3, de or & in or. Quintilianū, Hermogenem, [illegible] & reliquos, qui a Quintiliano nominantur [illegible] neque aliter artem dicendi tradi posse censemus: [illegible] non est mirum, qui Rhetores nunquā inspexisti. Ve[illegible] [illegible] propediem libros editurū [illegible] non dicam hoc tempore: tunc spero te perspecturum [illegible], ut maxime conueniant cum antiquorū scriptorum [illegible] sententiamque esse mutaturum: & si satis scio, [illegible] omnia: Tunc homines docti iudicabunt, [illegible] animo sis, quamque non vere ea protuleris ad[illegible] Patauium, ut doceres te mittere voluerūt Gymnasii [illegible] clarissimi, facile sciemus, cum percūctabimur [illegible] viros, quos dignitatis & honoris caussa nomino: [illegible] Cabalium, Dominicum Maurocenum, Dominicum [illegible] Equites; Vincentium Diedum etiam, virum, Dii immortales [illegible] qui nunc Patriarcha est Venetae ciuitatis Hi, opi[illegible] Lazari, te vocarunt. Cum eo tempore Academiae [illegible] nec opinor exspectas, [illegible] hominem alterum virum praestantissimum & doctissimum Petrum Franciscum Contarenum Patriarcham, postea a Senatu creatum: cuius etiam iudicio [illegible] qui Patauii publice docerem in locum Lazari Bonamici [illegible] is certe dum viuebat, rogatus aliquando a me de hac re [illegible], ac miratus est te talia dicere. Sciebat enim onus hoc a te sustineri non posse. O si Patauii esses Manuti, ac in tanto eruditorum coetu, qui vndique conueniunt, esset de literis disserendum, quam desudares totus, quam titubares, & expallesceres miser: cum nihil haberes, quod afferres in medium praeter vocabula quaedam, & elegantias, quas tu vocas, quas ipsi multo melius tenent, quam tu: Solidam, si nescis, hi quaerunt eruditionē. Quid si te audirent declarantem ENTERCISOS dies in calendario illo tuo per E, non per I, his verbis: *Mirarer Exercisos dies, si ne* [illegible] *diei, quod est ab interiora* [illegible] [illegible]. Sciunt enim ipsi qui Graecas [illegible], [illegible] Graecam esse dictionem [illegible] Latinos, & [illegible] medullam diei [illegible]. Qu[illegible] velim Manuti [illegible] [illegible] conuitiis lacessas: scio te haec [illegible] [illegible] me coactum a te talia dicere. Tu [illegible] [illegible] quam [illegible] [illegible] Verum [illegible] [illegible] & [illegible] agere, & ipse [illegible]

agis. Nunc redeo ad rem, & profero locum Ciceronis ex Epist. penultima ad Q. Fr. libr. primo. *Quid filium venustissimum, mihi dulcissimú quem ego ferus, ac ferreus e complexu dimisi meo, sapientiorem puerum, quam vellem: sentiebat enim miser iam quid ageretur.* Audi o Manuti: Tu si Patauii cites explicares sententias Ciceronis, eo quo dixisti modo in loco prius recitato, & demonstrares, quam graues, quamque bellæ sint. Cur hanc igitur non explicasti, quæ multo grauior est, quam illa, quam protulisti, vt me carperes? Nimirum prætermitti hæc non debuerat ab eo, qui profitetur se sententias perpendere Ciceronis. Age dum ego perpendam, vt scias, qualem ego in docendo rationem sequar, quidque in Cicerone explicando meis auditoribus ostendere soleam. Tu postea conferto hæc nostra, quæ infinita sunt pene, vt omnes sciunt, cum tuis illis nugis. M. Cicer. videtur locum hunc, desumsisse ex Lysiæ oratione funebri. Is enim ita ait, πολλῶν δὲ καὶ δεινῶν ὑπαρχόντων τοὺς μὲν παῖδας αὐτῶν ζηλῶ, ὅτι νεώτεροι εἰσὶν ἢ ὥστε εἰδέναι οἵων πατέρων ἐστέρηνται. ἐξ ὧν δὲ οὗτοι γεγόνασιν οἰκτείρω ὅτι πρεσβύτεροι, ἢ ὥστε ἐπιλαθέσθαι τῆς δυστυχίας τῆς αὐτῶν, τί γὰρ ἂν τούτων ἀνιαρότερον γένοιτο. Verterem in Latinum, sed quia semper professus sum me scribere hæc iis, qui etiam Græcas callent literas, supersedebo his vertendis. Sed hæc notiora sunt, quam vt a me dici debeat. Nunc consideres velim, qualis illa Ciceronis sit sententia ex Lysia Græco oratore depromta tam apte. Ego talia soleo explicare Patauii, cum de hoc genere differendum est, & Ciceronis sententias non solum perpendo quales sint, sed etiam vnde depromtæ sint declaro, & confero cum Græcis: quod in primis requirendum puto in eo, qui Ciceronem explanare se posse profitetur. Nam de formis ipsarum sententiarum, & ornamẽtis quod nugaris, quanti sit faciendum quantumque in eo patefacias tuam inscitiam, facile omnes intelligunt, qui sciunt Cic. in lib de or. II. ita ornatum partiri, vt contineatur locis communibus, figuris verborum, & figuris sententiarum, atque de ipsis diligenter loqui. Miror sane, quid tibi tum venerit in mentem vt diceres: nihil enim ego profero vnquam, quod a veteribus nõ sit dictum. Sed quia iam sub prælo sunt SCHOLÆ PATAVINÆ meæ, in quibus de toto hoc genere copiosius disserui, plura non dicam in præsentia.

Locus Ciceronis emendatus.

CAPVT XL.

VErba hæc sunt Cicer. in orat. pro domo sua ad pontifices, in Aldinis Manutii pag. [illegible]. *L. P. [illegible] nomine nominatim [illegible] [illegible] S. C. [illegible] [illegible], [illegible] liberatos vinctos, & conscriptos tradunt [illegible]?* Menda est in his verbis orta ex ignoratione rei: nam [illegible] legitur [illegible] [illegible] [illegible] genere loquitur enim de Cæsare, quem satis constat [illegible] fuisse generum: nam Calpur-

Calpurniam duxerat vxorem Pisonis filiam, de quo autem hac re loquitur copiose Cicero in orat. de prouinciis consularibus pag. 70 b. in Aldinis, & illic generum vocat, sicuti erat. Verba sunt hæc, *grandi pecunia emisti, vt tibi de pecuniis creditis in liberos populos contra S. C. & contra legem generi tui dicere liceret: id emptum ita vendidisti, vt*, & quæ sequuntur. Iam anni sunt quatuor, postquam ego locum hunc ita publice emendaui Patauii, dum explicarem orationem hanc: vt omnes sciunt, & exagitaui, sicuti debui, Manutii inscitiam, qui locum istum corrupit, atque ita impressit in suis.

Ciceronis locus emendatus.

CAPVT XLI.

IN oratione Cic. pro P. Sestio pagel. 25. in Aldinis Manutii, verba sunt hæc, *Adest igitur T. Annius ad caussam resp. sicut ciuem patria recuperare vellet: Resp. tam simplex caussa, constans ratio, plena consensionis omnium, plena concordia collegas adiutores habebat.* apposuit aliterisćum hoc loco Manutius, nec scio cur id fecerit: non enim *sicut*, sed *sic, vt* legi debet, quod ego ante tres annos, cum publice Patauii explicarem orationem hanc, multis audientibus dixi. Postea animaduerti Manutium ita distinxisse in suo commentario in eam orat. quam edidit. Quare ipsum laudo. Sed miror cur coniectura vtens inani consequẽtia verba corrumpat in eodem suo commentario, & quærat in scirpo nodum: nam ait legendum *sic, vt ciuem patria recuperare vellet, resp. virum.* & explicat sic, *vt quemadmodum cum patria ciuis, sic cum resp. vir cõiungatur.* & affert exempla, quæ ad rem non pertinent. *vir o fortissime, prestantissimo ciuis*, erat ostendendum o Manuti redditionem hanc ita fieri, *patria ciuem, resp. virum.* Sed secus Cic. pro Mil. vbi ait: *Hiccine vir patria natus vsquam nisi in patria morietur.* & aliis in locis semper ciuem cum rep. coniungit, nec vero vnquam ait ciuem patriæ. Hæc ego putabam tibi iam esse nota: sed video non esse: quare miror. Sed redeo ad Cicer. locum. Is ita debet legi, *Resp. tam simplex caussa, constans ratio, plena consensionis omnium, plena concordia collegas adiutores habebat*, nihil autem venustius, nihil apertius hac sententia, vt omnes videre possunt. Quare reiici debet illa Manutii emendatio.

Loca multa Ciceronis emendata in orat. pro P. Sestio.

CAPVT XLII.

IN eadem oratione Ciceronis pag. 4. verba hæc sunt: *Duxit vxorem, patre viuo, optimi & calamitosissimi viri filiam L. Scipionis.* Ego legendum puto, *optimi, at calamitosissimi.* Sic enim sententia solutior fuerit & grauior. Item pagella eadem paulo post, vbi hæc sunt verba: *M. Antonium trib. mil. Antonii Capua prætermissi*: Ego puto legendum, *Autronii*, qui vnus erat ex coniuratis, nec debere referri ad C. Antonium collegam Ciceronis. In

eadem etiam oratione pagella 5. b. vbi hæc sunt verba corrupta; *de quo tribunatu ita dictum est a Q. Hortensio vt eius oratio nõ defensionem modo criminum videretur continere. Sed etiam memoria digna vti reip. capessendæ auctoritatem, disciplinamq́; præscribere* ita legi debet, *Sed etiam memoria dignam in rep. capessendæ auctoritatem*: ex quibus verbis exsistit sententia apta, & elegans, vt perspicere omnes possunt. illa dictio *vti* debet verti in *IN*: per errorẽ enim librariorũ ita sæpe animaduerti corrupta loca in antiquis scriptoribus. Itidem pag. 6. vbi hæc sunt verba; *Fuerat ille annus in magno metu*: ego *motu* legi debere existimo, & sic tunc emendaui. nam sic loquitur etiam Cicero in or. in Pisonem pag. 31. b. *Dormienti in maximo reip. motu Consuli*. In eadem oratione, vbi sunt illa verba: *in quo tamen est ne vllus, cum illo reo inimicis est meus suauiatus*; ego ante annos nouem, opinor, aut decem in meis explicationibus de salibus, & de comœdia Florentiæ impressis, testatus sum, hunc locum ad maleolẽtiam oris ipsius Gellii referri debere, de quo etiam Catullus, quamuis ibi *Leskius* per errorem librariorum legatur. Audiui vero admodum adolescẽs locum hunc ita emendari a Romulo Amasæo Vtinensi ciue meo, viro eloquentissimo, quo tunc ego præceptore vtebar, est ne vllus, ita cum illo ore inimicos est meos suauiatus, audiui postea ab aliis multis locum proferri, a Flaminio, a Pierio Valeriano, a Petro etiam Victorio, cum Florentiam fuissemus ego, & Iosephus Ionius Lucensis, vir optimus ac doctissimus: Nunc eam emendationem Manutius acceptam refert alii viro erudito: nec ego repugno: scio enim illum maiora multo præstare posse pro sua incredibili doctrina, & ingenio: sed rem, vt est, narro: nec alicui horum, aut eripio quod suum est, aut tribuo, quod suum non est. Non silebo, legisse me apud Non. Marcellum in dictione, *VLLO*. veteres *vllo* dicere solitos pro, *vllus fuero* quare suspicatus sum, *VILVS* apud Ciceronem ideo scriptum a librariis pro, *vltus*, vnde postea error defluxit. Sed hæc coniectura est.

Locus Ciceronis emendatus.

CAPVT XLIII.

VErba hæc sunt in or. Ciceronis pro Rege Deiotaro pag. 152. in Aldinis *Quæ si in [illegible] gloria [illegible] multo magis commemorabuntur in Regibus. Semper regium nomen in [illegible] sanctum fuit, sociorum vero Regum [illegible]* [illegible] hæc tonces [illegible] N[illegible] hunc locum non corrupissent [illegible] Regum nomen in hac [illegible] fuit, sociorum vero Regum, & amicorum [illegible]. Si autem legas *semper Regium* [illegible] M[illegible], tollet omnis [illegible] sententia Ciceronis. In eadem oratione pagella 147. b. refert Cic. historiam his verbis, *quem Rex [illegible] fuit, cum magnificentissima dona*, vt scriptum legimus, [illegible] ad *Numantiam*

mentiam misit ex Asia, qua Africanus inspectante exercitu accepit. In Epitome Liuii eadem historia ita narratur libr. 57 *Scipio amplissima munera sibi ab Antiocho Rege Syria, cum celare aliis Imperatoribus Regum munera mos esset, pro tribunali ea se accepturum dixit.* Bendinellus Lucensis, vir doctus in suis scholiis in vitam Scipionis a se scriptam, apud Cicer. legendum putat *Attalum*, vt etiam emendauit Manutius. Ego etiam ab *Antiocho* scribi posse video: nam postquam Alexander ille homo ignotus, & incertæ stirpis Demetrium peremit: est etiam ipse peremtus ab eius filio Demetrio: post hunc vero regnauit Antiochus, qui bellum gessit aduersus Phraaten Parthorum Regem, vt in Epit. Liuiana legi potest, lib. 59. de illorum autem cæde lib. 52. Et is Antiochus munera misit ad Scipionem.

Locus Ciceronis emendatus.

CAPVT XLIV.

IN oratione Ciceronis pro Milone in Aldinis pagel. 119. verba hæc sunt: *Deinde quis in eo pratore Consul fortis esset, per quem Tribunum virum consularem crudelissime necatum esse meminisset.* Velim manutius, sicuti corrumpit imprimendo Ciceronis loca quamplurima, etiam conetur explicare, si forte potest. Hic locus difficilimus est, si ita legas, & obscurus, multosque torsit. Dubium enim est, quem Cicero vocet Tribunum virum consularem. Quomodo enim Tribunus vir consularis esse dicitur, cum tanto ante consulatum gereretur tribunatus plebis. Alii aliter emendant, sed ego puto legendum, *Tribunum, & virum consularem*, addita in medio particula *&* declaro autem locum. Cicero vtitur oratoria illa μετασάσει, de qua Quintilianus libro 8. & considerat quid futurum fuisset, si Milo non peremisset Clodium, verum Clodius vt petebat eo anno præturam, sic etiam fuisset renuntiatus Prætor. Atqui, inquit Consules illum coercere non potuissent, per quem ante meminissent crudelissime necatum Tribunum, id est, Sestium, quem multis vulneribus confossum seminecem reliquit, & Q. Fabritium illum, de quo in oratione, pro P. Sestio, qui Ciceronem reuocare studebat ab exilio. Res illic exponitur tota pag. 21. & 22. & virum consularem, id est, Milonem ipsum, cui eo anno petenti consulatum, & semel renuntiato Consuli fecerat insidias Clodius, vt Cicer. ait in illa oratione, prior vt perimeret. Fuisse autem consulem Milonem creatum, quamuis voce præconis non fuisset renuntiatus, ipse Cicero ait, post in epilogo, vbi sunt hæc verba. *Meminit etiam sibi vocem praconis defuisse, quam minime desideraret, populi vero cunctu suffragiis, quod vnum cuperit, se Consulem declaratum.* Quod ego ita intelligedum puto, vt sit factum propter dilationem Comitiorum, sicuti etiam in orat. pro lege Manilia ait: *Ter prator primus propter dilationem comitiorum, qua quidem renuntio fiebat*

propter obnuntiationes Consularem vero Milonem vocat, quia iam creatus fuerat Consul, oratorio more, rem vt augeret. Nisi eum per seditionem improborum stetisset, fuisset consularis. Paulo post hæc verba in eadem oratione. *An ille prætor, ille vero Consul* (*si modo hæc templa, atque ipsa mœnia stare eo viuo tandiu, & exspectare illius consulatum potuissent*) Ille denique viuus nihil mali fecisset? qui mortuus vno *ex suis satellitibus curiam incendit*: Tolli debet illa dictio, *vero*, & legi sic *An ille Prætor, ille Consul, ille denique viuus*, de Clodio autem omnia dicuntur per *μιμήσεως*.

Locus Ciceronis emendatus.

CAPVT XLV.

VErba Ciceronis hæc sunt in oratore *Cum sint luminosæ, & quasi actuosæ partes duæ.* Si Nonio Marcello credas menda est in hoc loco & legi debet *Cum sint luminosæ & iactuosæ partes duæ.* Vide Non Marc. in dictione, *iactanter*, & rursus in dictione, *luminosum.* Placet hæc lectio comprobata testimonio viri doctissimi, quamuis sciam dictionem alteram, Actuosam, a Cicerone semel dictam, cum de virtute loquitur. Cur autem iactuosæ dicantur, dictum est a me alibi.

Error Sigonii

CAPVT XLVI.

IN Epitome Liuiana lib. 50. sunt hæc verba. *P. Scipio Æmylianus cum ædilitatem peteret, Cos. a populo dictus, quoniam per decem annos consulem fieri minime licebat, cum maximo certamine suffragantibus plebeis, & repugnantibus aliquantulum patribus legibus solutus est, & Consul creatus*, Sigonius quoniam videbat verum non esse post ædilitatem X. annos connumerari caute egit, & sustulit dictionem illam, siue notam, X. & legit, *quoniam per annos consulem fieri minime licebat*, quæ loquendi forma inusitata est, dicimus enim per ætatem, non per annos. Ego censeo legendum sic. *quoniam per V. annos Consulem fieri non licebat*, nam per legem annalem Consules creabantur 43. ætatis suæ anno. Inter consulatum, & præturam erat biennium. Itidem anni duo inter ædilitatem, & præturam. Quare omnia se recte habent, nec difficile est agnoscere librarii erratum. Animaduerti tamen postquam hæc scripsissem, ita etiam adnotatum a Gruchio in libro de comitiis. Ac sane in vetusto Liuio, qui est apud me, in quo fere omnia sunt vestigia veræ ac sanæ lectionis. Lacuna quædam interiacet, puto quod librarius ambigeret.

Locus in poet. Aristotelis emendatus.

CAPVT XLVII.

ARistoteles in libro de arte poetica, vbi loquitur de agnitione, quam ipse *ἀναγνώρισιν* appellat, duplici modo fieri tradit, tum ex signis innatis, quæ *σύμφυτα* ab eo vocantur, tum ex iis quæ

iis quæ extrinsecus adduntur. affertque exemplum, τῶν συμφύτων huiusmodi οἵαν λόγχην ἣν φορέουσι οἱ γηγενεῖς, ἢ ἀστέρας, οἵους ἐν Θυέστῃ Καρκῖνος. Ope antiquorum librorum, quibus ante multos annos, cum conscriberem commentarios in illum Aristotelis librum, a nullo ante declaratum, sanare non potui locum corruptum, quem mihi videor nunc coniectura admodum firma, & certa sanare posse. Cum enim Aristoteles loquatur de insitis signis, affert duo exempla deprompta ex veteribus Poetis. Alterum quidem lanceæ, quæ erat σύμφυτος eorum corpori, qui Gigantes dicebant, siue σπαρτοὶ ab antiquis. Alterum vero, si vulgatam lectionem sequaris, astrorum, vt Carcinus in Thyeste: de vtroque genere nihil mihi venit in mentem tunc, quod proferrem. Nunc non modo de priore genere, quod solum est adnotatum postea a Petro Victorio libro 8. variarum lectionum cap. 16. sed etiam de posteriore dicam, opinor, apte, & locum Aristotelis emendabo, adhuc a nullo, quod sciam, correctum. Quo loco igitur Lycophron Poeta vetustissimus de Tantalo loquitur, eodem loco Interpres ipsius fabulam narrans totam, ait: αὐτῇ δὲ βιαθείσης ὠμοπλάτης ἐλεφαντίνην ὀστοῦν ἔθεντο, ὃ καὶ σύμφυτον ἦν πλείοσιν ἐγγόνοις γνώρισμα, καθάπερ καὶ τοῖς σπαρτοῖς ἡ λόγχη. id est, Pelopidis eburneum ossa signum fuisse σύμφυτον ait, sicuti lancea τοῖς σπαρτοῖς. Puto igitur quo loco scriptum est apud Aristotelem in libr. de arte poet. superius recitato, καὶ ἀστέρας esse legendum καὶ ὀστᾶ, vel ὀστοῦν. Facilis enim fuit lapsus in scribendo, & librarij non intelligentes ἀστέρας scripserunt. Patet id esse verissimum, quia Carcini Thyesten nominat illic Aristoteles: qui vnus ex Pelopidis erat, eius vero nomine suam appellarat Tragœdiam Carcinus. Puto omnino emendationem hanc nostram omnibus doctis probatum iri.

Locus in comm. Cæsaris de bello Ciuili emendatus.

CAPVT XLVIII.

VErba hæc Cæsaris sunt lib. 3. de bello Ciuili, *Pompeiani, quod is mons erat sine aqua: diffisi ei loco, relicto monte, vniuersi simul Larissam versus se recipere cœperunt. Qua re animaduersa Cæsar copias suas diuisit.* In aliis libris ita legitur. *Vniuersi iuris eius Larissam versus se recipere cœperunt.* Varietas lectionis est in illis verbis IVRIS EIVS. Quæ ego suspicor per errorem a librario commissum in scribendo irrepsisse in contextum postea. Cum enim, opinor, in antiquo libro scriptum esset *Lariss.* Nec intelligeret librarius, *iterum*, scripsit, mox vt fit, inter scribendum, cum *Lariss.* id est *Larissam*, animaduertisset significare, illa priore dictione non deleta, *Lariss am.* scripsit, quod si deleuisset illam priorem, nihil maculæ reliquisset. Alius postea librarius errorem non perspiciens, *iuris eius Larissam*, scripsit. Ita ex *Lariss iuris eius*, licentia librariorum in emendando, cum per inscitiam a ve-

mo librario ita esset scriptū, & deleri debuisset, scribi cœpit. Quare ego, vt dixi, tollendas has puto dictiones: nec enim vlla sententia ex illis elici potest.

Locus apud Quintilianum emendatus in oratione Cælii.

CAPVT XLIX.

QVintilianus libr. 4 cap. 2. vbi de narratione agit, ex M. Cælii oratione in Antonium verba multa recitat, quibus illius temulentiam describit. Ego omnia hoc loco non subscribam: quia illic legi possunt. Tantum illa profero, quæ corrupta esse existimo: & coniectura satis certa sanari posse credo: liber enim quid sentiam proferre *Quarum cum omnium vocem, tactumque noscitaret, proxima cuiusque collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat*, & quæ sequuntur. Ego puto legi debere. *Quarum cum omnium voce, cantuque excitaretur*: nam quadrabit belle quod postea sequitur, *nec dormire excitatus*. Quod si quis repugnet, & dicat cantu concubinarum temulentum excitari non potuisse, cum cantus somnum adducat potius, possit dici, cantum inconditum significari, non suauem: nam alia dictio, *tactu*, eo loco non placet: Librarius vero facile labi potuit, cum esset scribendum, *excitaretur*, vt scriberet, *oscitaret*: nam pro *x*, interdum *cs*, veteres scribebāt: Sic ecscitaretur, vnde postea scriptio hæc manauit, *Noscitaret*, & illæ voces ad id accommodatæ postea: nam ex, *voce* & *tactu*, *vocem* & *tactum*, scribi cœpit. Mea hæc est coniectura. Aliorum esto iudicium.

Locus Euripidis emendatus ac declaratus.

CAPVT L.

VErsus hi Euripidis sunt in ea Tragœdia, quæ inscribitur Helena in choro, vbi ipsam facit ita loquentem.

ὦ μάκαρ Ἀρκαδίᾳ ποτὲ παρθένε
καλλιστοῖ, διὸς ἃ λεχέων ἐπέβας τετραβάμοσι γυίοις.
ὡς πολὺ ματρὸς ἐμᾶς ἔλαχες πλέον
Ἅ μορφᾷ θηρῶν λαχναγυίων
ὄμματι λάβρῳ σχῆμα λεαίνης
ἐξαλλάξασ᾽ ἄχθεα λύπης.
ἅν τέ ποτ᾽. Ἄρτεμις ἐξεχορεύσατο
χρυσόκερατ᾽ ἔλαφον μέροπος
τιτανίδα κούραν καλλοσύνας ἕνεκα.

Corrupti sunt nimirū multis in locis hi versus, nec certa sententia percipi potest ex ipsis, vt quiuis periculum facere poterit, de Callistone autem loquitur, eamq; matre sua Leda multo fortunatiorem fuisse ait. Magnam igitur gratiam habeo Ludouico Casteluitreo Mutinensi, viro nobiliss. omnique virtutis, & doctrinæ genere ornatissimo. Is enim cum superioribus annis Patauiū venisset, deque hoc loco incidisset inter nos sermo, dixit, putare se locū esse corruptū culpa librariorum, sed facile posse emendari.

Nam

Nam quo loco legitur λιαίνης, legendum λεαίνῃ, ita vt verbum sit ἀλλαξαμένη. Ne quis forte putaret esse nomen λιαινα λεαίνης. Itidē vbi ἔλαφον scribitur, scribendum est ἐλάσσον. Nam ibi ponitur ἐλάσσον pro ὑπελάσσον, vel ὑπελαμβάνοντο. Id est, putabant: Est & alia menda quæ tolli debet. Nam non μέροπος scribendū, sed μέροπας, id est, homines. Posset enim existimare aliquis Meropem significari aut aliud quiduis, Τιτανίδα κούραν, id est, Dianā. Ait enim Euripides, cum ante in choro Dianæ esset Callisto homines sæpe deceptos forma existimasse illā esse Dianam. Illa vero verba ita cōnectenda, λεαίνῃ, vel λεαίνας σχῆμα ὄμμασι λαβοῦσα. Villosum corpus Vrsæ & asperum leue erat redditum, & illustratum stellis, cum in cœlo fuisset collocata. Nec vero mirandum Euripidem Epico, & Homerico verbo vsum fuisse, μέροπας, pro homines: id enim licuit ipsi in eo genere versus, cum præsertim Heroum proferat eo loco. Sic opinor, nihil restat scrupuli: nam ante nescio quid de leæna, & de cerua, ac de merope loqui præter rem videbatur Euripides, cum receptæ semel fabulæ non sint mutādæ, vt etiam Aristoteles ait in lib. de arte poetica. Quod autem inquit Euripides λεχέων ἐξέβας ita quoque noster Virgilius locutus est.

Mortalem Iouis ingratum ascendisse cubile.

Ego certe nihil amplius hoc loco desiderari posse video, gratiam semper habebo Ludouico Casteluitreo viro acerrimi iudicii, & singularis doctrinæ: Idque ideo hoc ipsum literis testatum relinquere volui.

Error Sigonii.

CAPVT LI.

Eodem modo errat Sigonius, & corrumpit Liuii verba libr. 1. dum ad sententiam Plutarchi ipsa vult accommodare, cum tamen vterque diuersa protulerit alios secutus auctores. Liuii verba sunt hæc, vbi loquitur de Curtio. *Equus Curtium in vado statuit*, quorum verborum hæc est sententia, ***equum emersisse ex palude illa & statuisse Curtium in vado***, id est, ***in loco tuto, ac minime profundo***. Plutarch vero ita rem narrat, καὶ τέως τὸν ἵππον ἑαυτὸν ἔσωσε. id est, *Curtius relicto equo, seipsum seruauit*. Nimirum diuersum hoc est, quod narrat Plutarchus. Sigonius dum accommodat Liuii verba ad Plutarch sententiam, ita emendat temere, coniectura vtens. *Equum Curtius in vado destituit*. Nec videtur intelligere quid *vadum* significet Sed hæ meræ sunt nugæ, nam omnes vetusti libri habent, vt ante ego retuli. De Curtio quæ narrat Varro, si satis nota non essent omnibus apponerem, vt perspici posset id, quod narratur de eo vario modo prolatum ab historicis. Dionysius peditem illum pugnasse ait.

Error Sigonii.

CAPVT LII.

IDem nescio quam nouam inuehere conatur scriptionem

hoc nomine Metii Suffetii, nam & μέττιον, quia videt mendose scribi apud Græcos, Mettium dici debere putat: quod quam sit falsum Virgilii versus ostendit.

Haud procul inde citæ Metium in diversa quadrigæ Distulerant.

FVFETIVM etiam scribendum censet, & ita in primi iussit in suo, quia φουφέτιον videt scribi ab Halicarnasseo. Sed cur non Bubetium etiam scribit Sigonius secutus Plutarch. qui scribit vbique βουβέτιον? Cur Halicarnasseum potius, quam Plutarchum sequitur? A. Gellius libr. 14 cap. 5 ait: *Nam Divus, Rivus, Clivus, non u syllaba terminantur, seu ea, quæ per duo u, scribenda est: propter cuius syllabæ sonum declarandum reperta erat noua litera F, quæ digamma appellabatur.* Talem videntur literam exprimere voluisse in Suff. tii nomine scribendo Plutarchus, & Halicarnasseus, & si postea culpa librariorum scriptio corrupta est. Quintilianus libro 1 cap. 5. Nam mertare, pultare dicebant quomodo fœdum, fœdusque, pro aspiratione uau simili litera vtentes, nam contra Græci aspirare hæc solent: vt pro Fundanio Cicero testem, qui primam eius literam dicere non posset, irridet. Ex quibus verbis apparet digamma illud Æolicum vim aspirationis habere solitum olim. Sed vetusta recenset Quintilianus, non quæ tunc essent in vsu. Halicarnasseus quoque libro Historiarum primo pag. 12 in Frobenianis a Gelenio versis in Latinum. *Quorum pleraque loca palustria dicta nunc iuxta proprietatem antiquæ linguæ, Velia. Solebant enim prisci illi Græci nominibus a vocali incipientibus præponere ου scriptum vno charactere. Is erat similis Γ duplici, ad rectam lineam duabus obliquis additis.* Sic Fελένη, Fάναξ, Fοῖκος, Fανήρ, & multa similia. Sic credibile est, cum Vfetius olim diceretur, Fufetium per digamma dici cepisse: erat enim loco aspirationis positum. Sed perantiqua hæc, vt dixi, sunt. Latini postea cœperunt aspirationis notam per H, signare, vt Helena, aliquãdo per S, vertere, vt ὗς sus, ἡμὶ semi. Sic in his dictionibus factum esse credibile est ENETI, VENETI, HENETI, eodem modo βουβέτιος, φουφέτιος, ꝗ uffetius, Vffetius, Hufferius, Suffetius. Sequi deinde cœperunt homines, quod lenius & vsitatius. Quare ego in scriptione Suffetii nihil immutandum censeo. Ita profert Quintilianus libro primo cap. 9 vbi de barbarismo loquitur. At in eadem vitii geminatione Metio Suffetio, dicens Ennius poetico iure defenditur. Apud Varronem, & alios ita passim scribitur. Sufeten Magistratum, qui ius dicebat Carthagine, etiam Liuius appellat, ex quo cognosci potest nõ inusitatam talem esse pronuntiandi, & scribendi rationem.

Error Sigonii.

CAPVT LIII.

NOuos homines non tantum e plebe, sed etiam patritios dici scribit

scribit Sigonius nu. 36. de nominibus Rom sub finem, nec intelligit Asconii locum, vbi de Scauro loquitur, *Æque illi laborandum fuit, ac nouo homini* Nam Asconius non ait, *illum fuisse nouum*, sed æque illi laborandum, ac si fuisset nouus, nec vllas maiorum habuisset imagines.

Numisma argenteum, in quo Elephas est, cum hac subscriptione. CÆSAR, ego domi habeo, & multi viderunt: a cuius altera parte scalptum, malleus, & veru sunt instrumenta, quibus olim Romani vsi sunt in elephantis perimendis, vt Liuius, & alii testantur. Nec est quod Sigonius laboret in alio numismate peruulgato, & omnibus noto proferendo, in quo simpulum, & aspergillū, aliaque, quæ spectant ad sacrificia, sunt: ante ipsum alii hæc exposuerunt, & cognita sunt passim.

Error Sigonii.

CAPVT LIV.

Liuii verba lib 3. vbi loquitur de cæde Virginiæ hæc sunt. *Strictum etiam telum, respersusque ipse cruore tota in se castra conuertit.* Ait Sigonius ex vetustis libris esse legendum. *Strictum etiam telum tenens, respersusque ipse cr.* quia etiam Halicar. habet ἔχων. Quorsum hoc o Sigoni, an putas totidem verbis Halicarnassæ vertisse locum Liuii? Imo omnes veteres libri, quos vidi, & is, cui ego multum tribuo, qui a Victorino Feltrensi fuit correctus, & impressus a Vendelino MCDLXX nā ex antiquissimis libris eū describēdum curauit. Sententia autem venusta est, & grauis, nam ait Liuius. *Telum strictum ipsum etiam Virginium, qui erat respersus cruore, conuertisse in se oculos militum: Duo enim admirationem inicicbant militibus. Primum telum strictum. Deinde ipse Virginium, qui erat respersus cruore.* Quod si addatur illa dictio, *tenens*, non video quomodo locum habere possit altera dictio, ipse, quæ alioqui vim magnam habet in eā periodo.

Error Sigonii.

CAPVT LV.

VErba Liuii hæc sunt libr. 1. *Centum creat patres, siue quia is numerus satis erat, siue quia soli centum erant, qui creari patres possent.* Sigonius emendat perperam in scholiis pag 2 nu. 3. sic. *Sane legendum videtur. Qui ciere patres possent*, Sic enim scribit lib 10 *Qui patrem ciere possent, eos patritios appellatos.* Dionysius etiam, & Plutarch. &c. Sed, o Sigoni, esto, patricios ita dictos: non tamen patres, nec ea de caussa primum ita appellari, hoc sentit Liuius, nec sibi repugnat Dionysius lib. 2 multa de hac re pag. 61. scribit, & refellit eos nominatim, qui patritios dictos asserebant, quia patrem ciere possent. Quid igitur nugaris contra fidem omnium antiquorum librorum?

Eadem pag num. 1. vbi Liuius ait in procemio. *Velut dissidentes primo mores.* Sigonius ita emendat. *Probo quorundam docto-*

rum hominum coniecturam, qui Desidentes legunt, etenim subsequitur, lapsi sint, &c. Nescio quos doctos appellet hoc loco. Certe liber a Melchiore Sessa editus, & emendatus a viris doctis, *Desidentes*, habet, quem tu si legisses, animaduertisses multa ibi correcta, quale illud est, in quo te tantopere iactas, libro 2 pag. in tuis scholiis 6. num 10 vbi emendas. *Vicus publicus*, ita enim in lib. Sessæ iam ante multos annos scripsit emendator vir eruditus, nec tu eius emédationis es auctor. Dicis enim te in omnibus vetustis legisse, *Via publica*, nescio quas librorum quisquilias secutus sis. Certe quos ego habeo, omnes habent, *Vicus publicus*. Sed redeo ad id de quo loquebar. *Desidentes*, ego non probo, sed, *Dissidentes* legi malim, vt est in vulgatis omnibus libris: vocat enim Liuius *dissidentes mores, in diuersa euntes, nec æqualitatem seruantes*, sic etiam de toga dixit Horatius,

Si toga dissidet impar.

Alia errata Sigonii.

CAPVT LVI.

VErba illa Liuii libr 1. *vt tua signa nobis certa ac clara sint.* ita habent omnes vetusti, & manuscripti libri. Sigonius tamen ait in suis scholiis pag 2 b. num 5. *Vetus liber quidam, vt audio, acclarat sint, habet. quod est verbum venustum.* Vide qualia sint verba præclari huius emendatoris, liber quidam, vt audio. Meræ nugæ, omnes habent sicuti in vulgatis legitur, nec illud verbum nouum, quod omni ratione, & analogia caret, recipi debet. Ibidem in illis verbis, *Augur ad lauam, eius capite velato, sedem cepit.* Cælius Rhodiginus ita emendauit interpungens hunc locum, quia Plutarchus de eadem re loquens ait. τῶν μάντεων ὁ ἐπιφανέστατος τὴν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παρεστὼς ἐξόπισθεν. Sed verba Liuii ita debent interpungi. *Augur ad lauam eius, capite velato, sedem cepit.* Nam Augures ipsi caput suum velabant. Nec Plutarch. dissentit a Liuio, sicuti Sigonius existimat. Nam legi debent illa verba. & interpungi sic, ex vetusto codice. τὴν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας, ἐγκεκαλυμμένος αὐτὸς, καὶ παρεστὼς ἐξόπισθεν.

Itidem in illis verbis: *Et soli fidei solenne instituit.* Putat Sigonius esse mẽdam in illa dictione, soli, & ait. In quibusdã manuscriptis, vt audio est simul, quod non improbo. O præclarum correctoré. Ego, *soli*, legendum puto, quia non instituerat aliis Diis solenne sacrum, id est, anniuersarium, vt vocat Varr. in libris de lin Lati & Verg. lib. 3. vbi ait, *Solennes tum forte dapes*, & Liu. lib. 1 *Solenne notum erat*, non *votum*, vt Sigonius legit.

Item lib 5. *Intermissum solenne.* pag 4. in libris Sessæ.

Itidem lib. eod pag 54. *Solenne gentis*, de anniuersariis loquitur sacris, quæ semel quotannis fiebant, statis diebus.

FINIS

CAROLI

CAROLI SIGONII EMENDATIONVM LIBER PRIMVS.

AD CLARISSIMVM VIRVM BERnardum Naugerium, Senatus Veneti apud Pont. Max. legatum.

Non dubito, quin audieris, Bernarde Naugeri, vir clarissime, quibus in me, proximis his diebus, librorum voluminibus Franciscus Robortellus inuaserit, & cum id audieris, quin maximam etiam ex ea re admirationem pro tua sapientia ceperis. Etenim quanquam alienum ille nihil a suo siue ingenio, siue consuetudine fecit, ut qui Erasmum quondam, post Alciatum, aliosque clarissimos nostra memoria homines sibi lacerandos maledictis sumpsisset, nunc denique mortuis illis proximum sibi quemque adoriatur, tamen cum ne ulla quidem eum a me iniuria prouocari potuisse intelligas, pro certo habeo, te, unde tantus in eo furor exstiterit, miraturum. Omnino igitur ille, si quaeris, nec ulla contumelia mea adductus, neque ullae veritatis indagandae cupiditate attractus est. Etenim qui ego eum, quem amicum demens putabam, aut iure lacessere poteram, aut iniuste debebam? aut cur ille, si ita sensisset, contumeliarum me potius, quam argumentorum robore perstrinxisset? Verum immoderata una, ut opinor, obtrectandi libido, natura excitata, consuetudine confirmata eum, ut in me, quem sibi propiorem esse sentiebat, effrenate ferretur, induxit. auxit deinde, credo, animos singularis quaedam, qua ipse omnes a se homines superari putat, dicendi facultas, & copia, qua me ipsum in primis, non ita fortasse ad scribendum paratum, neque ad respondendum instructum, facile a se oppressum iri existimauit. Huic ergo homini, clarissime Naugeri, si ego respondeam, multos fore video, qui me reprehendant; si non respondeam, multo plures. Nam si vera sint illa, quae ab inuido homine obiiciuntur, ea mihi aequo animo, quoquo modo dicuntur, veritatis caussa esse ferenda; si falsa, non admodum esse curanda: omnino autem totam hanc obtrectandi rationem, cum in veris etiam criminibus reprehendenda sit, in fictis multo magis esse defugiendam; neque errorem errore cumulandum, sed stultitiam sapientia, dementiam prudentia, intemperantiam moderatione animi corrigendam. Si quae ingenii viribus decertandum sit, non adeo expeditam harum literarum rationem esse, ut non maxima cum industriae gloria, famae iacturam, quam maledictis Robortellianis me fecisse suspicer, facile possim alio monumento-

rum genere resarcire. Atque hæc quidem & ego scio, & quantum res ipsa postulat, probo. verum nescio quomodo contrariis rationibus magis, vt mihi respondendum esse putem, adducor. Etenim, si me veritatis amor stimulat, eniti me oportere existimo, ne ab homine non omnino imperito rectissima hæc literarum studia, in quibus & ipse ab ineunte ætate versatus sum oppugnentur: si honoris, vt & contra hunc, & contra eiusmodi alios integram opinionum mearum famam; si quam excitaui, tuear, ac defendam. si iræ locus dandus est, debeo, quoad possum, efficere, vt quam inimicus meus male mihi dicendo voluptatem, ac gloriam se assequuturum esse sperauit, eandem non solum de se male audiendo amittat, sed perpetuæ se vanitatis, atq; inscitiæ coniunctum notis intelligat. Accedit postremo, id, quod caput est, tuum Bernarde, vir doctissime, & totius senatus Veneti semper apud me grauissimum iudicium, ac testimonium. video enim quem vos sæpe studiis, ac sententiis vestris ornastis, eum ab homine ad male dicendum non temperato, sine caussa violari. Itaque nisi me priuata ratio adduceret, vestra certe, ne impunitam tantam licentiam tacitus dimitterem, sed vt vestram auctoritatem vna cum mea fama defenderem, excitaret. Quamobrem respondebo homini isti, vt dixi, ita, vt primum nullum eius in me maledictum omittam, quod non aut ratione, aut auctoritate refellam, deinde vero præclara illius scripta quædam & ipse excutiam. Neque enim vereor ne ipse, hac me secum ratione agere moleste pro sua animi moderatione ferat, vt quibus me armis prouocauit, iisdem a me, vt voluit, repellatur. Quod me tamen, quia a moribus meis abhorret, inuitum facturum esse confiteor. Itaq; in summo dolore, quem ex hac contentione capio, maxime scilicet hæc spes consolatur, quod te, si non totius rei genus probaturum, at certe meam caussam, quem ad hoc certamen reluctantem attrahi vides, non admodum improbaturũ esse confido. Vt n. scio, te, cũ non maledicẽdo, sed optime semper agẽdo, nec fucatis honorib. sed solidis laudib. nec virtutis simulatione sed virtute ipsa gloriã semper quæsieris, eãq; omniũ hominũ iudicio tibi maximam compararis, totum hoc inanis concertationis studium reprehẽsurum; sic contra cum me ab eo asperius appellatum, & grauius lacessitum intelliges, & quidem iis contumeliis, quæ non modo nomen meũ, sed etiam præclarum iudicium tuum, atque grauissimum totius senatus deformare testimonium possint: te eundem credo, ceterosque pro vestra humanitate, & prudentia factum meum maxime laudaturos. Quod ipsum vtinam facere ante mihi venisset in mentem, vt cũ eum ex inferiore, & ex superiore loco, & priuatim, & publice in me disserentem audiebam, quam acerrime refutarem. neq; enim ille hoc tempore aut se in me tam effrenate intulisset, cum iniquam hanc luctandi conditionem expertus esset, aut vestrum de me iudicium, ne idem de se reprehenderetur, aliqua ratione vituperare ausus esset. Sed iam ad propositum aggrediamur.

IN

IN LIBRVM DE CONVENIENTIA SVPPVTATIONIS.

Liuianorum annorum ab vrbe condita summam cum Capitolina discrepare demonstratum. & Liuiani loci multi a turpissimis expositionibus, & correctionibus vindicati.

CAPVT I.

QVod scripsi in commentario Fastorum Capitolinorum, idem hoc quoque loco necessario mihi repetendum videtur: magnam in annis ab vrbe condita numerandis, ac digerendis inter antiquos scriptores dissensionem fuisse. Hoc enim & tradit Cicero in Bruto, & nos ita esse ex variarum supputationum obseruatione deprehendimus, omnis autẽ huius controuersiæ caussa inde oritur, quod quos alii consules, & sine consulibus dictatores sæpe interserunt, eos omnino alii prętereunt. Quod & in commentario Fastorum, & in Chronologia Liuiana ostendi. Est autem varia, & inconstans annorum apud omnes ratio vsque ad quingentesimum ferme annum ab vrbe condita. ab eo vero hanc constantem inter eos esse controuersiam inuenio, quod alii alios vno, alii duobus, alii tribus, alii quatuor annis antecedunt, aut subsequuntur. Verba vero Ciceronis. quibus hoc confirmatur, sunt hæc: *Liuius primus fabulam C. Clodio Cæci filio, & M. Tuditano cos. docuit post Romam conditam anno quingentesimo decimo*, vt hic ait, quem nos sequimur. est enim inter scriptores de numero annorũ controuersia. Atqui annus ille in fastis est quingentesimus decimus tertius; at vero apud Plinium, & Ciceronem ipsum quingentesimus decimus quartus; apud Liuium, vt ego subduxi, quingentesimus decimus. sic tamen, vt malim eo loco legere, quingentesimo quarto decimo, vt est in manuscriptis libris, quoniam Plinium, & Ciceronem eam annorum descriptionem, quæ Capitolinam vno anno antecedit, sequi animaduerti. Quod cum ita sit, equidem satis mirari non possum, vnde necessarius meus Franciscus Robortellus ad eam opinionem venerit, vt summam annorum Liuianam, & Dionysianam ad antiquam Capitolinam redigendam putarit, cumque ipsæ inter se dissimillimæ sint, me qui dissimilitudinem illam senserim, & demonstrarim, coarguẽdum, atque inscitiæ nomine accusandum existimarit. Quamobrem feram hanc etiam amici iniuriam, vt alias, æquo animo, atque ipsum toto cœlo errantem, dum maledictis eius in me respõdebo, puer senem in rectam aliquando viam deducam: Quid igitur ille ait? Liuius, Dionysius, Fasti Capitolini in numerandis ab vrbe cõdita annis inter se conueniunt. quid ego? imo maxime discrepant. Vnde hoc confirmari potest? vnde, nisi ex verbis eorum? Qui ergo verbis auctorum seruatis sententiam suam firmauit, is caussam suam, vt opinor, egregie probarit; qui vt probet, quod

vult, omnia annalium ipsorum verba subuerterit, is merito in hac disputatione audiendus non erit. Quod si ita est, nihil dico amplius. ego enim in mea Liuiana summa constituenda nullum Liuii verbum muto, ille omnia. Audiamus ipsum argumentantem. Sic enim de annis regum disputat. *Ex Fastorum Capitolinorum sententia consules primi inierunt anno ab V.C. ducentesimo quadragesimo quarto, regesque regnarunt annos ducentos & quadraginta tres.* idem sentit Dionysius, idem Liuius; ergo omnes conueniunt. Ego Robortelle de calculis Capitolinis nihil dico. est enim is labor meus, iam satis iusto commentario comprobatus. De Dionysio, & Liuio respondeo; vtrunq; eorum Romæ regnatum esse annos ducentos quadraginta quatuor, consules autem primos iniisse anno ipso ducentesimo quadragesimo quincto sensisse. Dicam primum de Dionysio, qui primo libro ita loquitur: *Spatium, quod est ab exactione regum vsque ad Romulum, qui primus Romæ imperauit, annos complectitur ducentos quadraginta quatuor. Romulus enim regnauit annos XXXVII. Interreges annum vnum, Numa XXXIII. Tullus XXXII. Ancus XXIV. Priscus XXXVIII. Seruius XLIV. Superbus XXV.* & libro 2. *Regium imperium cum Romæ annos CCXLIV. post V.C. stetisset, dissolutum est.* Hic opponit Robortellus, Dionysiũ dixisse anno ipso ducentesimo quadragesimo quarto primos consules iniisse, quod nec ille dixit, nec dicere potuit. quid autem dixit? tum cum consules inierunt quatuor menses anno illi debuisse; ita vt extremus regum annus non, vt ille vult, quatuor, sed octo mensium fuerit, primus consulum sexdecim, verum non ita accepit illum annum Dionysius, vt annum ipsum ducentesimum quadragesimumquartum consulibus assignarit, sed regibus, ducentesimum autem quadragesimum quintum consulibus. Indicant hoc verba eius, quibus docet spatium regni annos ducentos quadraginta quatuor cõsumsisse. indicat ipsarum olympiadum ratio. inquit enim *Superbum regem inisse regnum anno IV. olympiadis LXI regnum eius annos XXV. absumsisse, regnum Romæ dissolutum sexagesima octaua instante olympiade, id est vigesimo quinto anno, quam Superbus inierat, quatuor quibusdam mensibus ante sexagesimamoctauam olympiadem.* sic.n. legendũ est. nã, vt scis, hic Dionysii locus in vulgatis libris mutilus est, at in libro, q in bibliotheca Diui Marci asseruatur, integer hoc modo: ἡ μὲν δὴ βασιλικὴ ῥωμαίων πολιτεία διαμείνασα μετὰ τὸν οἰκισμὸν τῆς ῥώμης ἐτῶν τεττάρων, καὶ τετταράκοντα καὶ διακοσίων ἀριθμὸν, ἐπὶ δὲ τοῦ τελευταίου βασιλέως τυραννὶς γενομένη, διὰ ταύτας τὰς προφάσεις ὑπὸ τούτων κατελύθη τῶν ἀνδρῶν, ὀλυμπιάδος μὲν ὀγδόης, καὶ ἑξηκοστῆς ἐνεστώσης, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον ἰσχόμαχος κροτωνιάτης, ἀθήνησι τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν ἔχοντος ἰσαγόρου. ἀριστοκρατίας δὲ γενομένης οἱ πρῶτοι τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν παραλαβόντες ὕπατοι τεττάρων πρὶν μηνῶν εἰς τὸν ἐκεῖνον ἀπολειπομένων λεύκιος ἰούνιος βροῦτος, καὶ λεύκιος ταρκύνιος κολλατῖνος. Vt autem

autem hoc factum sit, planius a me in Fastorum commentario demonstratum est. Indicat etiam, quod M. Valerii, & P. Posthumii consulatum, qui est annus post reges exactos quintus, Dionysius confert in annum primum sexagesimæ nonæ olympiadis, cum is in annum quartum sexagesimæ octauæ deberet incurrere. Indicat consulatus A. Virginii, & T. Vetusii, quem idem ille in annum ab V.C. ducentesimum sexagesimum coniicit. Indicat consulatus L. Æmilii, & Cæsonis Fabii, quem idem initum esse anno ducentesimo septuagesimo scribit: cum tamen si primos consules occepisse magistratum anno CCXLIV. dicas quinquagesimo nono illi, & sexagesimo nono anno inerint, necesse sit. Dixi de Dionysio: nunc dicam de Liuio, qui libro primo ait, *regnatum Romæ ab vrbe condita ad liberatam annos CCXLIV duos inde consules esse creatos*, id est, vt ego interpretor, anno CCXLV. Hunc autem numerum recte habere, apparet ex annis, quos eosdem ipse cũ Dionysio singulis regibus tribuit. Hoc loco occurrit Robortellus, & ait, *Liuium Prisco regi non XXXVIII. annos, sed XXXVII. tantum assignasse ita Romani regni spatium CCLXIII. annis includi.* quid ad hoc dicam? nihil tale sensisse Liuium, cum ita scripsit: Duodequadragesimo ferme anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius, non apud regem modo, sed patres, plebemque longe maximo honore Ser. Tullius erat. Neque enim ibi de regno Prisci expleto loquitur; quanquam haud ita multo post eum morte affectum esse innuere videtur. neque si Priscum regnasse annos XXXVII. voluisset, post in extremo libro Romæ regnatum esse annos CCXLIV. scribere potuisset. Conueniunt ergo inter se de regum annis Liuius & Dionysius, verum cum Capitolinis tabulis discrepant. Quid sit autem, quod Robortellus modestissime, vt cetera, me pueriliter hæc scribere ait, non video. Vter nostrum rectius horum auctorum verba perpenderit, alii viderint. Pergimus ad alia.

Primum ergo consulum annum ex Dionysii, & Liuii sententia ducentesimum quadragesimumquintum, vt dixi, constituo, ille Dionysio, Liuioq; non intellecto, ex eorũ item sentẽtia CCXLIV. Post autem anno CCLXIV. & CCLXV. duos annos ille cum duobus consulatibus interserit, qui non sunt apud Liuium. Hic ille quanta cum grauitate dii immortales? at debent reponi, inquit. Ego contra reponendos esse ex Liuii sententia non existimo. me vero, vt ita credam, tres potissimum rationes adducunt: vna, quod quas res Dionysius in quatuor his duobus interiectis, annos dispensauit, easdem Liuius in duos extremos, mediis ipsis duobus sublatis, contulit, ac nullam eius historiæ partem, quæ a Dionysio maximo duorum horum consulatuum auctore narratur, prætermisit. altera, quod Cassiodorus, qui tabulas suas consulares ex Liuianis annalibus videtur digessisse, ne hos quidem consules profi-

tetur. tertia, quod Liuius Q. Minucio, C. Horatio cos. tribunos pl. decem factos esse scriptum reliquit, anno trigesimo sexto post primos quinque, qui facti sunt A. Virginio, & T. Vetulio cos. anno ab V.C. CCLX. qui numerus anni tricesimi sexti nullo modo quadrabit, si duos hos annos interposueris, verum tricesimo octauo erit reponendum, quemadmodum ille contra omnium librorum & scriptorum, & impressorum consensum censet esse faciendum, tantam ei libertatem dat ars ab eo primum emendandi excogitata. Accedit annus, quo X. viri consulares inierunt, quem Liuius alterum & trecentesimum ab V.C. vocat, id est, vt ego interpretor, vnum & trecentesimum, qui numerus ne ipse quidem congruet, si duorum illorum annorum rationem habueris, verum trecentesimus tertius erit reponendus. *Non est ita*, inquit, *imo trecentesimus alter retineri debet, sed pro trecentesimo secundo, non trecentesimo primo accipiendus est.* cur ita? *quia Fasti Capitolini Xuiros in annum trecentesimum secundum eunt.* non est hoc satis: iam enim ex Ciceronis sententia diximus, inter scriptores magnam esse de numero annorum controuersiam. Addit, *quia alter dicitur de duobus ergo trecentesimus alter est trecentesimus secundus.* Ego contra: Alter dicitur de duobus, ergo alter a trecentesimo, est trecentesimus primus. vt enim Virgilius dixit:

Tu nunc eris alter ab illo.

Id est, secundus, non tertius; & annum alterum ab vndecimo, pro duodecimo. (nam qui aliter sentiunt, probabilem caussam nullam, cur ita sentiant, afferunt:) sic trecentesimus alter est trecentesimus primus. Argumento sunt aliquot manuscripti, quos ego habeo, Liuianarum epitomarum libri, in quibus scriptum est *Xuiros creatos esse vno & trecentesimo anno ab vrbe condita.* argumento sunt eædem epitomæ, in quibus legitur lib. XLIX. *Anno quingentesimo, & altero ludos Terentinos factos, anno sexcentesimo, & altero tertium Punicum bellum esse initum*, id est, quingentesimo, & sexcentesimo primo, vt a me in Chronologia Liuiana planissime demonstratum est. quid plura? Bellum ciuile vltimum initum esse Lentulo, & Marcello cos. confectum autem Cæsare IV. & M. Crasso, in omnibus annalibus scriptum est. numera annos, XX. efficies. Itaque Velleius, qui idem Lentulo & Marcello cos. ad arma ciuilia primum itum esse tradiderat, vicesimo anno ciuilia bella finita esse literis prodidit. At vero Liuius, qui bellum ipsum armis positis, sed Cæsaris triumphis actis terminauit, Cæsarem scribit tribus, etiam, his in vrbem inuectis finem bellis ciuilibus imposuisse anno altero & vicesimo, eo nimirum, qui ipsius, & Crassi consulatum proxime consequutus est, quo inter omnes constat Cæsarem ter gloriosissime triumphasse. Hos vero annos nulla vnquam interpretatione viginti duos reddideris, atque hoc in epitome CXXIII. scriptum est, quas epitomas ex Liuia-

nis

nis ipsis fere verbis contextas videmus. Cum ergo hanc locutionem Liuio familiarem esse videamus, vt quingentesimum, sexcentesimum, & vicesimum alterum annum pro vno & siue quingentesimo, siue sexcentesimo, siue vicesimo vsurparit, etsi aliter interpreteris, reliquos omnes eius numeros labefactes necesse sit, quos hac expositione conserues; cur non apud eundem etiam trecentesimo & altero interpretabimur, trecentesimo vno, praesertim vero cum veteres epitomarum eius libri eo in loco consentiant? nec in alium annum decemuiri apud eum incidere possint? nisi consulatus aliquot contra sententiam eius interponas. id quod ei faciundum non est, qui ad Liuianos calculos reuocare hanc annorum, temporumque descriptionem velit. His ille perculsus argumentis ad artem suam confugit, reperit praeceptum, quo facultas datur quemcunque cuiuslibet auctoris locum pro libidine deformandi, vtitur eo contra me, & ait, *qua fiducia, imo potius confidentia dii boni? Aristarchum esse diceres. Legendum est, quingentesimo quarto, legendum est sexcentesimo quarto* Cur Robortelle? *quia illi consulatus in eum numerum in Fastis Capitolinis incurrunt.* At hoc suscepisti probandum ex verbis Liuii, Liuium ipsum cum fastis concordare. nihil ergo fasti ad Liuium. Sed sit hoc artificii tui.

Sequitur annus, quo primi tribuni militares consulari potestate facti sunt, quem trecentesimum decimum numerat Liuius, Atque hunc numerum vterque nostrum tuetur, tu quidem ex Liuii, & Dionysii sententia, ego ex Liuii tantum. Neque enim ipse attendis, si annum, quem tu numeras CCXLIV. Dionysius CCXLV. quem tu CCLIX. ille CCLX. quem tu CCLXIX. ille CCLXX appellat, cum demum quem tu CCCX. nominas, ex eius esse sententia CCCXI. nominandum. Quod autem hunc annum a me CCCIX. numerari apud Liuium arguis, iniustissime hercule facis. qui enim possum eum CCCIX. vocare, si sequentes Liuianos annorum numeros tueri volo? Patet hoc ex mea chronologia. patet etiã ex eo, quod tu me inter CCCI. & CCCX. incertum annum intericcisse insimulas. si ergo interieci annum, at ad numerum hunc CCCX non perueni? quem tamen cur interiecerim, satis nosti. Dices, seruasti in Liuiana, non seruasti in Capitolina summa constituenda, diuersa ratio est. Liuius enim tres annos Xuiris ipsis attribuit, at vero L. Valerio, & M. Horatio consulibus duos Ita fit, vt tribuni militares ibi anno CCCIX. sint, hic anno CCCX. quod, vt planius intelligatur, subscribam omnes has annorum descriptiones.

Capitolina descriptio.

Sex. Quinctilius Sex. F. P. N. Varus.
COSS. *P. Horatius Tergeminus.*

P. Sextius Q. F. Vbi N. Capitolinus.

301 *T. Menenius T. F. Agrip. N. Lanatus.*

Ap. Claudius Ap. F. M. N. Crassinus.

302 *T. Genutius L. F. L. N. Augurinus.*

Decemuiri primi in locum consulum facti.

303 *Decemuiri secundi.*

Iidem decemuiri in hunc annum continuarunt. quibus ab dicare coactis in eius locum facti sunt cos.

304 *L. Valerius. Peplicola Potitus.*
M. Horatius Barbatus.

305 *Lar. Herminius.*
T. Virginius.

306 *M. Geganius.*
C. Iulius.

307 *T. Quinctius.*
Agrippa Furius.

308 *M. Genutius.*
C. Curtius.

309 *A Sempronius.*
T. Cloelius Tribuni mil. cons potestate primi.
L. Atilius.

310 *M. Geganius.*
T. Quinctius.

Mea Liuiana.

299 *Sex. Quinctius. P. Curatius.*
300 *T. Menenius P. Sestius.*
301 *Ap. Claudius. T. Genutius.*
Decemuiri consulares primi.
302 *Decemuiri consulares secundi.*
303 *Decemuiri consulares tertii.*
304 *L. Valerius M. Horatius.*
305 *Iidem consules videntur continuasse in hunc annum.*
305 *Lar. Herminius V. Virginius.*
307 *M. Geganius. C. Iulius.*
308 *T. Quinctius. Agrippa Furius.*
309 *M. Genucius. C. Curtius.*
A Sempronius.
310 *T. Cloelius Tribuni militares primi.*
L. Atilius.
311 *M. Geganius. T. Quinctius.*

Robortel-iana.

300 *Sex Quinctilius P. Curiatius.*
301 *T. Menenius. P. Sestius.*
302 *Ap. Claudius. T. Genucius.*
Decemuiri consulares primi.

303 De-

303 *Decemuiri consulares secundi.*
304 *Decemuiri consulares tertii.*
305 *L. Valerius.* *M. Horatius.*
306 *Lar Herminius.* *T. Virginius.*
307 *M. Geganius.* *C. Iulius.*
308 *T. Quinctius.* *Agrippa Furius S.*
309 *M Genutius.* *C. Curtius.*
A Sempronius
310 *T. Cloelius* *Tribuni milit. cos pot. primi*
L. Atilius.

Quorsum hæc? vt intelligas, te, si fastos Capitolinos sequi auctores velis, non posse tribunos militares in annum CCCX. conferre. Nam vt dixi, illi duos tantum annos dant Xuiris, tu Liuium sequutus tres concessisti. non esse autem tibi annum CCCIV. decemuiris, sed Valerio, & Horatio cos tribuendum, ex eo discere potes, quod in triumphalibus tabulis Capitolinis consules illi scribuntur triumphasse anno ipso CCCIV. Horatius quidē VII. K. Sept. Valerius vero Idibus Sext. nisi forte eximia tua ista arte lapides etiam illos corrigas, aut eos cōsules ante consulatum triumphasse exponas quo nihil peruersius. Si ergo, Valerius, & Horatius consules triumpharunt mense Sextili anno CCCIV. quo tempore Idus Maiæ solemnes ineundo consulatui erant, profecto si diligenter annorum rationem subduxeris, tribunos militares primos nisi in annum CCCIX. conicere non poteris. nisi forte & tu continuasse in alterum annum consulatum eos volueris quod nec concedis, nec concedi in fastis Capitolinis oportere existimo. imo vero anno CCCIX. sunt collocandi, sed C. Iulii III. & L. Virginii II. cōsulatus, cuius auctores multi sunt, non est a te postea omittendus. Quam lynceus ergo sit oportet, qui annorum descriptiones instituere velit, & vt Capitolina summa nullo modo cum Liuiana congruere possit, & vt eam ipse non intellexeris, iam vides. Sed pergamus ad alia. Cum ergo summus mihi tecum sit in Liuiana Chronologia concinnanda in anno tribunorum militarium numerando consensus, (*nam vterque eum* CCCX. *vocat*) quæres fortasse, cur si in trecentesimo decimo anno conuenimus, in reliquis deinceps annis discrepemus? nimirum, quia tu alios annos collis, alios addis, idque contra Liuii, quam assequi non potes sententiam. audi autem quo modo. Anno CCCXIX. consules sunt apud Liuium L. Iulius II. L. Virginius. Eosdem ego in annum CCCXX. refectos esse scribo ex Liuii, & Cassiodori sententia, quos tu transcendis. Verba Liuii sunt hæc. *Eosdem consules insequenti anno refectos Iulium tertium, Virginium iterum apud Macrum Licinium inuenio. Valerius Antias, & Q. Tubero M. Manlium, & Q. Sulpitium consules in eum annum edunt. ceterum in tam discrepanti editione & Tubero, & Macer libros linteos auctores profitentur.*

mo librario ita esset scriptū, & deleri debuisset, scribi cœpit. Quare ego, vt dixi, tollendas has puto dictiones: nec enim vlla sententia ex illis elici potest.

Locus apud Quintilianum emendatus in oratione Cælii.

CAPVT XLIX.

QVintilianus libr. 4 cap. 2. vbi de narratione agit, ex M. Cælii oratione in Antonium verba multa recitat, quibus illius temulentiam describit. Ego omnia hoc loco non subscribam: quæ illic legi possunt. Tantum illa profero, quæ corrupta esse existimo: & coniectura satis certa sanari posse credo: libet enim quid sentiam proferre *Quarum cum omnium vocem, tactumque noscitaret, proxima cuiusque collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat*, & quæ sequuntur. Ego puto legi debere. *Quarum cum omnium voce, cantuque excitaretur*: nam quadrabit belle q̄ postea sequitur, *nec dormire excitatus*. Quod si quis repugnet, & dicat cantu concubinarum temulentum excitari non potuisse, cum cantus somnum adducat potius, posset dici, cantum inconditum significari, non suauem: nam illa dictio, *tactu*, eo loco non placet: Librarius vero facile labi potuit, cum esset scribendum, *excitaretur*, vt scriberet, *ocitaret*: nam pro *x*, interdum *cs*, veteres scribebāt: Sic ecscitaretur, vnde postea scriptio hæc manauit, *Noscitaret*, & illæ voces ad id accommodatæ postea: nam ex, *voce & tactu*, *vocem & tactum*, scribi cœpit. Mea hæc est coniectura. Aliorum esto iudicium.

Locus Euripidis emendatus ac declaratus.

CAPVT L.

VErsus hi Euripidis sunt in ea Tragœdia, quæ inscribitur Helena in choro, vbi ipsam facit ita loquentem.

ὦ μάκαρ Ἀρκαδίᾳ ποτὲ παρθένε
καλλιστοῖ, διὸς ἃ λεχέων ἐπέβας τετραβάμοσι γυίοις.
ὡς πολὺ ματρὸς ἐμᾶς ἔλαχες πλέον
Ἁ μορφᾷ θηρῶν λάχνα γυίων
ὄμματι λάβρῳ σχῆμα λεαίνης
ἐξαλλάξασ' ἄχθεα λύπης.
ἄντε ποτ'. Ἄρτεμις ἐξεχορεύσατο
χρυσόκερων τ' ἔλαφον μέροπος
τιτανίδα κούραν καλλοσύνας ἕνεκα.

Corrupti sunt nimiū multis in locis hi versus, nec certa sententia percipi potest ex ipsis, vt quiuis periculum facere poterit, de Callistone autem loquitur, eamq; matre sua Leda multo fortunatiorem fuisse ait. Magnam igitur gratiam habeo Ludouico Castelutreo Mutinensi, viro nobiliss. omnique virtutis, & doctrinæ genere ornatissimo. Is enim cum superioribus annis Patauiū venisset, deque hoc loco incidisset inter nos sermo, dixit, putare se locū esse corruptū culpa librariorum, sed facile posse emendari.

Nam

Nam quo loco legitur λεαίνης, legendum λεαίνη, ita vt verbum sit à λεαίνομαι. Ne quis forte putaret esse nomen λέαινα λεαίνης. Itidẽ vbi ἔλαφον scribitur, scribendum est ἔλαβον. Nam ibi ponitur ἔλαβον pro ὑπέλαβον, vel ὑπελαμβάνοντο. Id est, putabant: Est & alia menda, quę tolli debet. Nam non μέροπος scribendũ, sed μέροπες, id est, homines. Posset enim existimare aliquis Meropem significari, aut aliud quiduis, Τιτανίδα κούραν, id est, Dianā. Ait enim Euripides, cum ante in choro Dianæ esset Callisto, homines sæpe deceptos forma existimasse illā esse Dianam. Illa vero verba ita cõnectenda, λεαίνει, vel λεαίνεις σχῆμα ὄμμασι λαόρφ. Villosum corpus Vrsæ & asperum leue erat redditum, & illustratum stellis, cum in cœlo fuisset collocata. Nec vero mirandum Euripidem Epico, & Homerico verbo vsum fuisse, μέροπες, pro homines: id enim licuit ipsi in eo genere versus, cum præsertim Heroum proferat eo loco. Sic opinor, nihil restat scrupuli: nam ante nescio quid de leæna, & de cerua, ac de merope loqui præter rem videbatur Euripides, cum receptæ semel fabulæ non sint mutādæ, vt etiam Aristoteles ait in lib. de arte poetica. Quod autem inquit Euripides λεχέων ἐπέβας ita quoque noster Virgilius locutus est.

Magnanimi Iouis ingratum ascendisse cubile.

Ego certe nihil amplius hoc loco desiderari posse video, gratiam semper habebo Ludouico Casteluitreo viro acerrimi iudicii, & singularis doctrinæ: Idque ideo hoc ipsum literis testatum relinquere volui.

Error Sigonii.

CAPVT LI.

EOdem modo errat Sigonius, & corrumpit Liuii verba libr. 1. dum ad sententiam Plutarchi ipsa vult accommodare, cum tamen vterque diuersa protulerit alios secutus auctores. Liuii verba sunt hæc, vbi loquitur de Curtio. *Equus Curtium in vado statuit*, quorum verborum hæc est sententia, *equum emersisse ex palude illa. & statuisse Curtium in vado*, id est, *in loco tuto, ac minime profundo.* Plutarch vero ita rem narrat, καὶ ἐάσας τὸν ἵππον ἑαυτὸν ἔσωσε. id est, *Curtius relicto equo, seipsum seruauit*. Nimirum diuersum hoc est, quod narrat Plutarchus. Sigonius dum accommodat Liuii verba ad Plutarch sententiam, ita emendat temere, coniectura vtens. *Equum Curtius in vado destituit.* Nec videtur intelligere quid *vadum* significet. Sed hæ meræ sunt nugæ, nam omnes vetusti libri habet, vt ante ego retuli. De Curtio quæ narrat Varro, si satis nota non essent omnibus apponerem, vt perspici posset id, quod narratur de eo vario modo prolatum ab historicis. Dionysius peditem illum pugnasse ait.

Error Sigonii.

CAPVT LII.

IDem nescio quam nouam inuehere conatur scriptionem a

hoc nomine Metii Suffetii, nam & μέτιον, quia videt mendose scribi apud Græcos, Mettium dici debere putat: quod quam sit falsum Virgilii versus ostendit.

Haud procul inde citæ Metium in diuersa quadrigæ
Distulerant.

FVFETIVM etiam scribendum censet, & ita imprimi iussit in suo, quia φουφέτιος videt scribi ab Halicarnasseo. Sed cur non Bubetium etiam scribit Sigonius secutus Plutarch. qui scribit vbique Βουβέτιος? Cur Halicarnasseum potius, quam Plutarchum sequitur? A. Gellius libr. 14 cap. 5 ait: *Nam Diuus, Riuus, Cliuus, non us syllaba terminantur, sed ea, quæ per duo u, scribenda est: propter cuius syllabæ sonum declarandum reperta erat noua litera F, quæ digamma appellabatur.* Talem videntur literam exprimere voluisse in Suffetii nomine scribendo Plutarchus, & Halicarnasseus, & si postea culpa librariorum scriptio corrupta est. Quintilianus libro 1 cap. 5. Nam mertare, pultare dicebant quomodo fœdum, fœdusque, pro aspiratione uau simili litera vtentes. nam contra Græci aspirare hæc solent: vt pro Fundanio Cicero testem, qui primam eius literam dicere non posset, irridet. Ex quibus verbis apparet digamma illud Æolicum vim aspirationis habere solitum olim. Sed vetusta recenset Quintilianus, non quæ tunc essent in vsu. Halicarnasseus quoque libro Historiarum primo pag. 12 in Frobenianis a Gelenio versis in Latinum *Quorum pleraque loca palustria dicta nunc iuxta proprietatem antiquæ linguæ, Velia. Solebant enim prisci illi Græci nominibus a vocali incipientibus præponere ου scriptum vno charactere. Is erat similis Γ duplici, ad rectam lineam duabus obliquis additis.* Sic Fελένη, Fάναξ, Fοῖκος, Fαήρ, & multa similia. Sic credibile est, cum Vfetius olim diceretur, Futetium per digamma dici cepisse: erat enim loco aspirationis positum. Sed perantiqua hæc, vt dixi, sunt Latini postea cœperunt aspirationis notam per H, signare, vt Helena, aliquando per S, vertere, vt ὗς sus, ἡμὶ semi. Sic in his dictionibus factum esse credibile est ϜENETI, VENETI, HENETI, eodem modo Βουβέτιος, φουφέτιος, Fuffetius, Vuffetius, Huffetius, Suffetius. Sequi deinde cœperunt homines, quod lenius & vsitatius. Quare ego in scriptione Suffetii nihil immutandum censeo. Ita profert Quintilianus libro primo cap. 9 vbi de barbarismo loquitur. At in eadem vitii geminatione Metieo Suffetieo, dicens Ennius poetico iure defenditur. Apud Varronem, & alios ita passim scribitur. Sufeten Magistratum, qui ius dicebat Carthagine, etiam Liuius appellat, ex quo cognosci potest nō inusitatam talem esse pronuntiandi, & scribendi rationem.

Error Sigonii.

CAPVT LIII.

NOuos homines non tantum e plebe, sed etiam patritios dici

scribit

scribit Sigonius nu. 36. de nominibus Rom sub finem, nec intelligit Asconii locum, vbi de Scauro loquitur, *Æque illi laborãdum fuit, ac nouo homini* Nam Asconius non ait, *illum fuisse nouum*, sed æque illi laborandum, ac si fuisset nouus, nec vllas maiorum habuisset imagines.

Numisma argenteum, in quo Elephas est, cum hac subscriptione. CÆSAR, ego domi habeo, & multi viderunt: a cuius altera parte scalprum, malleus, & vetu sunt instrumenta, quibus olim Romani vsi sunt in elephantis perimendis, vt Liuius, & alii testantur. Nec est quod Sigonius laboret in alio numismate peruulgato, & omnibus noto proferendo, in quo simpulum, & aspergillũ, aliaque, quæ spectant ad sacrificia, sunt: ante ipsum alii hæc exposuerunt, & cognita sunt passim.

Error Sigonii.

CAPVT LIV.

Liuii verba lib 3. vbi loquitur de cæde Virginiæ hæc sunt. *Strictum etiam telum, respersusque ipse cruore tota in se castra conuertit* Ait Sigonius ex vetustis libris esse legendum. *Strictum etiam telum tenens, respersusque ipse cr.* quia etiam Halicar. habet ἔχων. Quorsum hoc o Sigoni, an putas totidem verbis Halicarnassi vertisse locum Liuii? Imo omnes veteres libri, quos vidi, & is, cui ego multum tribuo, qui a Victorino Feltrensi fuit correctus, & impressus a Vendelino MCDLXX nã ex antiquissimis libris eũ describẽdum curauit. Sententia autem venusta est, & grauis, nam ait Liuius. *Telum strictum ipsum etiam Virginium, qui erat respersus cruore, conuertisse in se oculos militum: Duo enim admirationem iniiciebant militibus. Primum telum strictum. Deinde ipse Virginius, qui erat respersus cruore.* Quod si addatur illa dictio, *tenens*, non video quomodo locum habere possit altera dictio, ipse, quæ alioqui vim magnam habet in eã periodo.

Error Sigonii.

CAPVT LV.

Verba Liuii hæc sunt libr. 1. *Centum creat patres, siue quia is numerus satis erat, siue quia soli centum erant, qui creari patres possent.* Sigonius emendat perperam in scholiis pag 2 nu. 3. sic. *Sane legendum videtur. Qui ciere patres possent*, Sic enim scribit lib 10 *Qui patrem ciere possent, eos patritios appellatos.* Dionysius etiam, & Plutarch. &c. Sed, o Sigoni, esto, patritios ita dictos: non tamen patres, nec ea de caussa primum ita appellati, hoc sentit Liuius, nec sibi repugnat Dionysius lib. 2 multa de hac re pag. 61. scribit, & refellit eos nominatim, qui patritios dictos asserebant, quia patrem ciere possent. Quid igitur nugaris contra fidem omnium antiquorum librorum?

Eadem pag num. 1. vbi Liuius ait in procemio. *Velut diffidentes primo metus.* Sigonius ita emendat. *Probo quorundam docto-*

rum hominum coniecturam, qui Desidentes legunt, etenim subsequitur, lapsi sint, &c. Nescio quos doctos appellet hoc loco. Certe liber a Melchiore Sessa editus, & emendatus a viris doctis, *Desidentes*, habet, quem tu si legisses, animaduertisses multa ibi correcta, quale illud est, in quo te tantopere iactas, libro 2 pag. in tuis scholiis 6. num 10 vbi emendas. *Vicus publicus*, ita enim in lib. Sessæ iam ante multos annos scripsit emendator vir eruditus, nec tu eius emẽdationis es auctor. Dicis enim te in omnibus vetustis legisse, *Via publica*, nescio quas librorum quisquilias secutus sis. Certe quos ego habeo, omnes habent, *Vicus publicus*. Sed redeo ad id de quo loquebar. *Desidentes*, ego non probo, sed, *Dissidentes* legi malim, vt est in vulgatis omnibus libris: vocat enim Liuius *dissidentes mores, in diuersa euntes, nec æqualitatem seruantes*, sic etiam de toga dixit Horatius,

Si toga dissidet impar.

Alia errata Sigonii.

CAPVT LVI.

VErba illa Liuii libr 1. *vt tua signa nobis certa ac clara sint.* ita habent omnes vetusti, & manuscripti libri. Sigonius tamen ait in suis scholiis pag 2. b. num 5. *Vetus liber quidam, vt audio, acclarata sint, habet. quod est verbum venustum.* Vide qualia sint verba præclari huius emendatoris, liber quidam, vt audio. Meræ nugæ, omnes habent sicuti in vulgatis legitur, nec illud verbum nouum, quod omni ratione, & analogia caret. recipi debet. Ibidem in illis verbis, *Augur ad lauam, eius capite velato, sedem cepit.* Cælius Rhodiginus ita emendauit interpungens hunc locum, quia Plutarchus de eadem re loquens ait τῶν μάντεων ὁ προεστὼς τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παρεστὼς ἐξόπισθεν. Sed verba Liuii ita debent interpungi. *Augur ad lauam eius, capite velato, sedem cepit.* Nam Augures ipsi caput suum velabant. Nec Plutarch. dissentit a Liuio, sicuti Sigonius existimat. Nam legi debent illa verba. & interpungi sic, ex vetusto codice. τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας, ἐγκεκαλυμμένος αὐτὸς, καὶ παρεστὼς ἐξόπισθεν.

Iisdem in illis verbis: *Et soli sidi solenne instituit.* Putat Sigonius esse mẽdam in illa dictione, soli, & ait. In quibusdã manuscriptis, vt audio est simul, quod non improbo. O præclarum correctoré. Ego, *soli*, legendum puto, quia non instituerat aliis Diis solenne sacrum, id est, anniuersarium, vt vocat Varr in libris de lin Lat. & Verg. lib. 3. vbi ait, *Solennes tum forte dapes*, & Liu. lib. 1 *Solenne notum erat*, non *votum*, vt Sigonius legit.

Item lib 5. *Intermissum solenne.* pag. 4. in libris Sessæ.

Iisdem lib. eod pag 54. *Solenne gentis*, de anniuersariis loquitur sacris, quæ semel quotannis fiebant, statis diebus.

FINIS

CAROLI

CAROLI SIGONII EMENDATIONVM LIBER PRIMVS.

AD CLARISSIMVM VIRVM BERnardum Naugerium, Senatus Veneti apud Pont. Max. legatum.

NOn dubito, quin audieris, Bernarde Naugeri, vir clarissime, quibus in me, proximis his diebus, librorum voluminibus Franciscus Robortellus inuaserit, & cum id audieris, quin maximam etiam ex ea re admirationem pro tua sapientia ceperis. Etenim quanquam alienum ille nihil a suo sine ingenio, sine consuetudine fecit, vt qui Erasmum quondam, post Alciatum, aliosque clarissimos nostra memoria homines sibi lacerandos maledictis suis elegisset, nunc demum mortuis illis proximum sibi quemque adoriatur, tamen cum ne vlla quidem eum a me iniuria prouocari potuisse intelligas, pro certo habeo, te, vnde tãtus in eo furor exstiterit, miraturum. Omnino igitur ille, si quaeris, nec vlla contumelia mea adductus, neque vllae veritatis indagandae cupiditate attractus est. Etenim qui ego eum, quem amicum demens putabam, aut iure lacessere poteram, aut iniuste debebam? aut cur ille, si ita sensisset, contumeliarum me potius, quam argumentorum robore perstrinxisset? Verum immoderata vna, vt opinor, obtrectandi libido, natura excitata, consuetudine cõfirmata eum, vt in me, quem sibi propiorem esse sentiebat, effrenate ferretur, induxit. auxit deinde, credo, animos singularis quaedam, qua ipse omnes a se homines superari putat, dicendi facultas, & copia, qua me ipsum in primis, non ita fortasse ad scribẽdum paratum, neque ad respondendum instructum, facile a se oppressum iri existimauit. Huic ergo homini, clarissime Naugeri, si ego respondeam, multos fore video, qui me reprehendant, si non respondeam, multo plures. Nam si vera sint illa, quae ab inuido homine obiiciuntur, ea mihi aequo animo, quoquo modo dicuntur, veritatis caussa esse ferenda; si falsa, non admodum esse curanda: omnino autem totam hanc obtrectandi rationem, cum in veris etiam criminibus reprehendenda sit, in fictis multo magis esse defugiendam; neque errorem errore cumulandum, sed stultitiam sapientia, dementiam prudentia, intemperantiam moderatione animi corrigendam. Siquae ingenii viribus decertandum sit, non adeo expeditam harum literarum rationem esse, vt non maxima cum industriae gloria, famae iacturam, quam maledictis Robortellianis me fecisse suspicor, facile possim alio monimento-

rum genere resarcire. Atque haec quidem & ego scio, & quantum res ipse postulat, probo. verum nescio quomodo contrariis rationibus magis, ut mihi respondendum esse putem, adducor. Etenim, si me vetustatis amor stimulat, eniti me oportere existimo, ne ab homine non omnino imperito rectissima haec literarum studia, in quibus & ipse ab ineunte aetate versatus sum oppugnentur: si honoris, ut & contra hunc, & contra eiusmodi alios integram opinionum mearum famam; si quam excitasti, tuear, ac defendam. si ira locus dandus est, debeo, quoad possum, efficere, ut quam inimicus meus male mihi dicendo voluptatem, ac gloriam se assequuturum esse speravit, eandem non solum de se male audiendo amittat, sed perpetuae se vanitatis, atq; inscitiae compunctum notis intelligat: Accedit postremo, id, quod caput est, tuum Bernarde, vir doctissime, & totius senatus Veneti semper apud me gravissimum iudicium, ac testimonium. video enim quem vos saepe studiis, ac sententiis vestris ornastis, eum ab homine ad male dicendum non imperato sine caussa violari. Itaque nisi me privata ratio adduceret, vestra certe, ne impunitam tantam licentiam tacitus dimitterem, sed ut vestram auctoritatem una cum mea fama defenderem, excitaret. Quamobrem respondebo homini isti, ut dixi, ita, ut primum nullum eius in me maledictum omittam, quod non aut ratione, aut auctoritate refellam, deinde vero praeclara illius scripta quaedam & ipse excutiam. Neque enim vereor ne ipse, hac me secum ratione agere moleste pro sua animi moderatione ferat, ut quibus me armis provocavit, iisdem a me, ut voluit, repellatur. Quod me tamen, quia a moribus meis abhorret, invitum facturum esse confiteor. Itaq; in summo dolore, quem ex hac contentione capio, maxime scilicet haec spes consolatur, quod te, si non totius rei genus probaturum, at certe meam caussam, quem ad hoc certamen reluctantem attrahi vides, non admodum improbaturum esse confido. Ut n. scio, te, cũ non maledicẽdo, sed optime semper agẽdo, nec fucatis honorib. sed solidis laudib. nec virtutis simulatione sed virtute ipsa gloriã semper quaesieris, eãq; omniũ hominũ iudicio tibi maximam compararis, totum hoc inanis concertationis studium reprehẽsurum; sic contra cum me ab eo asperius appellatum, & gravius lacessitum intelliges, & quidem iis contumeliis, quae non modo nomen meũ, sed etiam praeclarum iudicium tuum, atque gravissimum totius senatus deformare testimonium possint: te eundem credo, ceterosque pro vestra humanitate, & prudentia factum meum maxime laudaturos. Quod ipsum utinam facere ante mihi venisset in mentem, ut cũ eum ex inferiore, & ex superiore loco, & privatim, & publice in me disserentem audiebam, quam acerrime refutarem. neq; enim ille hoc tempore aut se in me tam effrenate intulisset, cum iniquam hanc luctandi conditionem expertus esset, aut vestrum de me iudicium, ne idem de se reprehenderetur, aliqua ratione vituperare ausus esset. Sed iam ad propositum aggrediamur.

IN LIBRVM DE CONVENIENTIA SVPPVTATIONIS.

Liuianam annorum ab vrbe condita summam cum Capitolina discrepare demonstratum. & Liuiani loci multi a turpissimis expositionibus, & correctionibus vindicati.

CAPVT I.

Quod scripsi in commentario Fastorum Capitolinorum, idem hoc quoque loco necessario mihi repetendum videtur: magnam in annis ab vrbe condita numerandis, ac digerendis inter antiquos scriptores dissensionem fuisse. Hoc enim & tradit Cicero in Bruto, & nos ita esse ex variarum supputationum obseruatione deprehendimus, omnis autẽ huius controuersiæ caussa inde oritur, quod quos alii consules, & sine consulibus dictatores sæpe interserunt, eos omnino alii prætereunt. Quod & in commentario Fastorum, & in Chronologia Liuiana ostendi. Est autem varia, & inconstans annorum apud omnes ratio vsque ad quingentesimum ferme annum ab vrbe condita. ab eo vero hanc constantem inter eos esse controuersiam inuenio, quod alii alios vno, alii duobus, alii tribus, alii quatuor annis antecedunt, aut subsequuntur. Verba vero Ciceronis, quibus hoc confirmatur, sunt hæc: *Liuius primus fabulam C. Clodio Cæci filio, & M. Tuditano cos. docuit post Romam conditam anno quingentesimo decimo*, vt hic ait, quem nos sequimur. est enim inter scriptores de numero annorũ controuersia. Atqui annus ille in fastis est quingentesimus decimus tertius; at vero apud Plinium, & Ciceronem ipsum quingentesimus decimus quartus; apud Liuium, vt ego subduxi, quingentesimus decimus. ut tamen, vt malim eo loco legere, quingentesimo quarto decimo, vt est in manuscriptis libris, quoniam Plinium, & Ciceronem eam annorum descriptionem, quæ Capitolinam vno anno antecedit, sequi animaduerti. Quod cum ita sit, equidem satis mirari non possum, vnde necessarius meus Franciscus Robortellus ad eam opinionem venerit, vt summam annorum Liuianam, & Dionysianam ad antiquam Capitolinam redigendam putarit, cumque ipsæ inter se dissimillimæ sint, me qui dissimilitudinem illam senserim, & demonstrarim, coarguẽdum, atque inscitiæ nomine accusandum existimarit. Quamobrem feram hanc etiam amici iniuriam, vt alias, æquo animo, atque ipsum toto cœlo errantem, dum maledictis eius in me respõdebo, puer senem in rectam aliquando viam deducam: Quid igitur ille ait? Liuius, Dionysius, Fasti Capitolini in numerandis ab vrbe cõdita annis inter se conueniunt. quid ego? imo maxime discrepant. Vnde hoc confirmari potest? vnde, nisi ex verbis eorum? Qui ergo verbis auctorum seruatis sententiam suam firmauit, is caussam suam, vt opinor, egregie probarit; qui vt probet, quod

vult, omnia annalium ipsorum verba subuerterit, is merito in hac disputatione audiendus non erit. Quod si ita est, nihil dico amplius. ego enim in mea Liuiana summa constituenda nullum Liuii verbum muto, ille omnia. Audiamus ipsum argumentantem. Sic enim de annis regum disputat. *Ex Fastorum Capitolinorum sententia consules primi inierunt anno ab V.C. ducentesimo quadragesimo quarto, regesque regnarunt annos ducentos & quadraginta tres.* idem sentit Dionysius, idem Liuius; ergo omnes conueniunt. Ego Robortelle de calculis Capitolinis nihil dico. est enim is labor meus, iam satis iusto commentario comprobatus. De Dionysio, & Liuio respondeo; vtrunq; eorum Romae regnatum esse annos ducentos quadraginta quatuor, consules autem primos iniisse anno ipso ducentesimo quadragesimo quincto sensisse. Dicam primum de Dionysio, qui primo libro ita loquitur: *Spatium, quod est ab exactione regum vsque ad Romulum, qui primus Romae imperauit, annos complectitur ducentos quadraginta quatuor. Romulus enim regnauit annos XXXVII. Interreges annum vnum, Numa XXXIII. Tullus XXXII. Ancus XXIV. Priscus XXXVIII. Seruius XLIV. Superbus XXV.* & libro 2. *Regium imperium cum Romae annos CCXLIV. post V.C. stetisset, dissolutum est.* Hic opponit Robortellus, Dionysiũ dixisse anno ipso ducentesimo quadragesimo quarto primos consules iniisse, quod nec ille dixit, nec dicere potuit. quid autem dixit? tum cum consules inierunt quatuor menses anno illi debuisse; ita vt extremus regum annus non, vt ille vult, quatuor, sed octo mensium fuerit, primus consulum sexdecim, verum non ita accepit illum annum Dionysius, vt annum ipsum ducentesimum quadragesimumquartum consulibus assignarit, sed regibus, ducentesimum autem quadragesimum quintum consulibus. Indicant hoc verba eius, quibus docet spatium regni annos ducentos quadraginta quatuor cõsumsisse. indicat ipsarum olympiadum ratio. inquit enim *Superbum regem iniisse regnum anno IV. olympiadis LXI regnum eius annos XXV. absumsisse, regnum Romae dissolutum sexagesima octaua instante olympiade, id est vigesimo quinto anno, quam Superbus inierat, quatuor quibusdam mensibus ante sexagesimamoctauam olympiadem.* sic n. legendũ est. nã, vt scis, hic Dionysii locus in vulgatis libris mutilus est, at in libro, q in bibliotheca Diui Marci asseruatur, integer hoc modo: ἡ μὲν δὴ βασιλικὴ ῥωμαίων πολιτεία διαμείνασα μετὰ τὸν οἰκισμὸν τῆς ῥώμης ἐτῶν τεττάρων, καὶ τετταράκοντα καὶ διακοσίων ἀριθμόν, ἐπὶ δὲ τοῦ τελευταίου βασιλέως τυραννὶς γενομένη, διὰ ταύτας τὰς προφάσεις ὑπὸ τούτων κατελύθη τῶν ἀνδρῶν, ὀλυμπιάδος μὲν ὀγδόης, καὶ ἑξηκοστῆς ἐνεστώσης, καθ᾽ ἣν ἐνίκα στάδιον ἰσχόμαχος κροτωνιάτης, ἀθήνησι τὴν ἐνιαύσιον ἀρχὴν ἔχοντος ἰσαγόρου. ἀριστοκρατίας δὲ γενομένης οἱ πρῶτοι τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν παραλαβόντες ὕπατοι τεττάρων τινῶν μηνῶν εἰς τὸν ἐκεῖνον ὑπολειπομένων λεύκιος ἰούνιος βροῦτος, καὶ λεύκιος ταρκύνιος κολλατῖνος. Vt autem

autem hoc factum sit, planius a me in Fastorum commentario demonstratum est. Indicat etiam, quod M. Valerii, & P. Posthumii consulatum, qui est annus post reges exactos quintus, Dionysius confert in annum primum sexagesimæ nonæ olympiadis, cum is in annum quartum sexagesimæ octauæ deberet incurrere. Indicat consulatus A. Virginii, & T. Vetusii, quem idem ille in annum ab V. C. ducentesimum sexagesimum coniicit. Indicat consulatus L. Æmilii, & Cæsonis Fabii, quem idem initum esse anno ducentesimo septuagesimo scribit: cum tamen si primos consules occepisse magistratum anno CCXLIV. dicas quinquagesimo nono illi, hi sexagesimo nono anno inierint, necesse sit. Dixi de Dionysio: nunc dicam de Liuio, qui libro primo ait, *regnatum Romæ ab vrbe condita ad liberatam annos CCXLIV duos inde consules esse creatos*, id est, vt ego interpretor, anno CCXLV. Hanc autem numerum recte habere, apparet ex annis, quos eosdem ipse cũ Dionysio singulis regibus tribuit. Hoc loco occurrit Robortellus, & ait, *Liuium Prisco regi non XXXVIII. annos, sed XXXVII. tantum assignasse ita Romani regni spatium CCLXIII. annis includi.* quid ad hoc dicam? nihil tale sensisse Liuium, cum ita scripsit: Duodequadragesimo ferme anno, ex quo regnare cœperat Tarquinius, non apud regem modo, sed patres, plebemque longe maximo honore Ser. Tullius erat. Neque enim ibi de regno Prisci expleto loquitur; quanquam haud ita multo post eum morte affectum esse innuere videtur. neque si Priscum regnasse annos XXXVII. voluisset, post in extremo libro Romæ regnatum esse annos CCXLIV. scribere potuisset. Conueniunt ergo inter se de regum annis Liuius & Dionysius, verum cum Capitolinis tabulis discrepant. Quid sit autem, quod Robortellus modestissime, & cetera, me pueriliter hæc scribere ait, non video. Vter nostrum rectius horum auctorum verba perpenderit, alii viderint. Pergamus ad alia.

Primum ergo consulum annum ex Dionysii, & Liuii sententia ducentesimum quadragesimumquintum, vt dixi, constituo, ille Dionysio, Liuioque in intellecto, ex eorũ item sententia CCXLIV. Post autem anno CCLXIV. & CCLXV. duos annos ille cum duobus consulatibus interserit, qui non sunt apud Liuium. Hic ille quanta cum grauitate dii immortales? at debent reponi, inquit. Ego contra reponendos esse ex Liuii sententia non existimo. me vero, vt ita credam, tres potissimum rationes adducunt: vna, quod quas res Dionysius in quatuor his duobus interiectis annos dispensauit, easdem Liuius in duos extremos medis ipsis duobus sublatis, contulit, ac nullam eius historiæ partem, quæ a Dionysio maximo dictorum horum consulatuum auctore narratur, prætermisit. altera, quod Cassiodorus qui tabulas suas consulares ex Liuianis annalibus videtur digessisse ut hos quidem consules profi-

tetur. tertia, quod Liuius Q. Minucio, C. Horatio cos. tribunos pl. decem factos esse scriptum reliquit, anno trigesimo sexto post primos quinque, qui facti sunt A. Virginio, & T. Vetulio cos anno ab V.C. CCLX. qui numerus anni tricesimi sexti nullo modo quadrabit, si duos hos annos interposueris, verū tricesimo octauo erit reponendum, quemadmodum ille contra omnium librorum & scriptorum, & impressorum consensum censet esse faciendum, tantam ei libertatem dat ars ab eo primum emendandi excogitata. Accedit annus, quo X. viri consulares inierunt, quem Liuius alterum & trecentesimum ab V.C. vocat, id est, vt ego interpretor, vnum & trecentesimum, qui numerus ne ipse quidem congruet, si duorum illorum annorum rationem habueris, verum trecentesimus tertius erit reponendus. *Non est ita*, inquit, *imo trecentesimus alter retinere debet, sed pro trecentesimo secundo, non trecentesimo primo accipiendus est.* cur ita? *quia Fasti Capitolini Xuiros in annum trecentesimum secundum eiunt.* non est hoc satis: iam enim ex Ciceronis sententia diximus, inter scriptores magnam esse de numero annorum controuersiam. Addit, *quia alter dicitur de duobus ergo trecentesimus alter est trecentesimus secundus.* Ego contra: Alter dicitur de duobus, ergo alter a trecentesimo, est trecentesimus primus. vt enim Virgilius dixit:

Tu nunc eris alter ab illo.

Id est, secundus, non tertius; & annum alterum ab vndecimo, pro duodecimo. (nam qui aliter sentiunt, probabilem caussam nullam, cur ita sentiant, afferunt:) sic trecentesimus alter est trecentesimus primus. Argumento sunt aliquot manuscripti, quos ego habeo, Liuianarum epitomarum libri, in quibus scriptum est *Xuiros creatos esse vno & trecentesimo anno ab vrbe condita.* argumento sunt eædem epitomæ, in quibus legitur lib. XLIX. *Anno quingentesimo, & altero ludos Teretinos factos, anno sexcentesimo, & altero tertium Punicum bellum esse initum*, id est, quingentesimo, & sexcentesimo primo, vt a me in Chronologia Liuiana planissime demonstratum est. quid plura? Bellum ciuile vltimum initum esse Lentulo, & Marcello cos. confectum autem Cæsare IV. & M. Crasso, in omnibus annalibus scriptum est. numera annos, XX. efficies. Itaque Velleius, qui idem Lentulo & Marcello cos. ad arma ciuilia primum itum esse tradiderat, vicesimo anno ciuilia bella finita esse literis prodidit. At vero Liuius, qui bellum ipsum armis positis, sed Cæsaris triumphis actis terminauit, Cæsarem scribit tribus triumphis in vrbem inuectis finem bellis ciuilibus imposuisse anno altero & vicesimo, eo nimirum, qui ipsius, & Crassi consulatum proxime consequutus est, quo inter omnes constat Cæsarem ter gloriosissime triumphasse. Hos vero annos nulla vnquam later... ratione viginti duos reddideris, atque hoc in epitome CXXIII. scriptum est, quas epitomas ex Liuia-

nis

xiis ipsis fere verbis contextas videmus. Cum ergo hanc locutionem Liuio familiarem esse videamus, vt quingentesimum, sexcentesimum, & vicesimum alterum annum pro vno & siue quingentesimo, siue sexcentesimo, siue vicesimo vsurparit, etsi aliter interpreteris, reliquos omnes eius numeros labefactes necesse sit, quos hac expositione conserues; cur non apud eundem etiam trecentesimo & altero interpretabimur, trecentesimo vno, præsertim vero cum veteres epitomarum eius libri eo in loco consentiant? nec in alium annum decemuiri apud eum incidere possint? nisi consulatus aliquot contra sententiam eius interponas. id quod ei faciundum non est, qui ad Liuianos calculos reuocare hanc annorum, temporumque descriptionem velit. His ille percussus argumentis ad artem suam confugit, reperit præceptum, quo facultas datur quemcunque cuiuslibet auctoris locum pro libidine deformandi, vtitur eo contra me, & ait, *quæ fiducia, imo potius confidentia dii boni? Aristarchum esse diceres. Legendum est, quingentesimo quarto, legendum est sexcentesimo quarto* Cur Robortelle? *quia illi consulatus in eum numerum in Fastis Capitolinis incurrunt.* At hoc suscepisti probandum ex verbis Liuii, Liuium ipsum cum fastis concordare. nihil ergo fasti ad Liuium Sed sit hoc artificii tui.

Sequitur annus, quo primi tribuni militares consulari potestate facti sunt. quem trecentesimum decimum numerat Liuius, Atque hunc numerum vterque nostrum tuetur, tu quidem ex Liuii, & Dionysii sententia, ego ex Liuii tantum. Neque enim ipse attendis, si annum, quem tu numeras CCXLIV. Dionysius CCXLV. quem tu CCLIX. ille CCLX. quem tu CCLXIX. ille CCLXX appellat, eum demum quem tu CCCX. nominas, ex eius esse sententia CCCXI. nominandum. Quod autem hunc annum a me CCCIX. numerari apud Liuium arguis, iniustissime hercule facis. qui enim possum eum. CCCIX. vocare, si sequētes Liuianos annorum numeros tueri volo? Patet hoc ex mea chronologia. patet etiā ex eo, quod tu me inter CCCI. & CCCX. incertum annum interiecisse insimulas. si ergo interieci annum, cur ad numerum hunc CCCX non perueni? quem tamen cur interceperim, satis nosti. Dices, seruasti in Liuiana, non seruasti in Capitolina summa constituenda, diuersa ratio est. Liuius enim tres annos Xuiris ipsis attribuit, at vero L. Valerio, & M. Horatio consulibus duos Ita fit, vt tribuni militares ibi anno CCCIX. sint, hic anno CCCX. quod, vt planius intelligatur, subscribam omnes has annorum descriptiones.

Capitolina descriptio.

COSS. *Sex. Quinctilius Sex. F. P. N. Varus.*
P. Horatius Tergeminus.

303 *Decemuiri consulares secundi.*
304 *Decemuiri consulares tertii.*
305 *L. Valerius.* *M. Horatius.*
306 *Lar Herminius.* *T. Virginius.*
307 *M. Geganius.* *C. Iulius.*
308 *T. Quinctius.* *Agrippa Furius S.*
309 *M Genutius.* *C. Curtius.*
A Sempronius
310 *T. Cloelius* *Tribuni milit. cos pot. primi*
L. Atilius.

Quorsum hæc? vt intelligas, te, si fastos Capitolinos sequi auctores velis, non posse tribunos militares in annum CCCX. conferre. Nam, vt dixi, illi duos tantum annos dant Xuiris, tu Liuium secutus tres concessisti. non esse autem tibi annum CCCIV. decemuiris, sed Valerio, & Horatio cos tribuendum, ex eo discere potes, quod in triumphalibus tabulis Capitolinis consules illi scribuntur triumphasse anno ipso CCCIV. Horatius quidé VII. K Sept. Valerius vero Idibus Sext. nisi forte eximia tua ista arte lapides etiam illos corrigas, aut eos cõsules ante consulatum triumphasse exponas. quo nihil peruersius. Si ergo, Valerius, & Horatius consules triumpharunt mense Sextili anno CCCIV. quo tempore Idus Maiæ solemnes ineundo consulatui erant, profecto si diligéter annorum rationem subduxeris, tribunos militares primos nisi in annum CCCIX. conicere non poteris. nisi forte & tu continuasse in alterum annum consulatum eos volueris. quod nec concedis, nec concedi in fastis Capitolinis oportere existimo. imo vero anno CCCIX. sunt collocandi, sed C. Iulii III. & L. Virginii II. cõsulatus, cuius auctores multi sunt, non est a te postea omittendus. Quam lynceus ergo sit oportet, qui annorum descriptiones instituere velit, & vt Capitolina summa nullo modo cum Liuiana congruere possit, & vt eam ipse non intellexeris, iam vides. Sed pergamus ad alia. Cum ergo summus mihi tecum sit in Liuiana Chronologia concinnanda in anno tribunorum militarium numerando consensus, (*nam vterque eum CCCX. vocat*) quæres fortasse, cur si in trecentesimo decimo anno conuenimus, in reliquis deinceps annis discrepemus? nimirum, quia tu alios annos tollis, alios addis, idque contra Liuii, quam assequi non potes sententiam. audi autem quo modo. Anno CCCXIX. consules sunt apud Liuium L. Iulius II. L. Virginius. Eosdem ego in annum CCCXX. refectos esse scribo ex Liuii, & Cassiodori sententia, quos tu transcendis. Verba Liuii sunt hæc. *Eosdem consules insequenti anno refectos Iulium tertium, Virginium iterum apud Macrum Licinium inuenio. Valerius Antias, & Q. Tubero M. Manlium, & Q. Sulpitium consules in eum annum edunt. ceterum in tam discrepante editione & Tubero, & Macer libros Linteos auctores profitentur.*

neuter tribunos militum eo anno fuisse traditum a superioribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi Linteos placet, & Tubero incertus veri est, sed inter cetera vetustate incomperta hoc quoq; in incerto positum. Hos ergo consules tu praeteris, quia Liuium existimas his verbis hunc omnino consulatum damnasse, cum tamen Liuius non tam de magistratibus huius anni, quam de nominibus ipsorum magistratuum ambigat, neq; pro certo horum neminem fuisse in magistratu affirmet, sed qui potissimum fuerint, parum sibi conuenire dicat. Fuisse autem aliquos ex iis, quos nominauit, declarat Cassiodorus qui Macrum sequutus in hunc annum C. Iulium, vt ego, & L. Virginium consules edit, declarant fasti Siculi Graeci, qui Tuberonem & Antiatem sequuti Capitolinum Manlii, & Camerinum Sulpitii cognomen in húc annum profitentur, declarat Diodorus, qui in tertiam discedens sententiam tribunos in hunc annum militares nominat, M. Manlium, Q. Sulpitium, & Ser. Corneliū. Adde, quod si hunc annū transcendas, serpet hoc erratum longius, neq; enim Romam anno CCCLXV. captam esse vnquam efficies. quod scribit Liuius; neq; L. Valerii Potiti, & M. Manlii Capitolini consulatum in annum centesimum decimum nonum post reges exactos coniicies, quod libro primo scriptum reliquit Dionysius, quae omnia mea summa custodiuntur, tua vero penitus euertuntur.

Reprehendit deinde ille me, quod ad A. Cornelium Cossum II. & Cn. Domitium cōsules signauerim in Fastis numerum CDXX. cum fuerit signandus ad priorem versum: HOC ANNO SINE COS. RESP. FVIT. atq; adeo coecus est, vt non librarii id vitium perspiciat, atq; extremo libro, vbi librariorum errata eiusmodi aliquot emendata sunt, satis plane correctum videat, id quod ego vel imprudentiae, si non vidit, vel improbitatis, si se vidisse dissimulat, esse existimo.

Cum ergo annum ille inuito Liuio demat, quem ego retinuerim, hinc fit, vt L. Papirii Cursoris V. & C. Iunii Bruti II. sublatum in annum coniiciat ille CDXL. ego CDXLI. atq; vt necessario Liuianae summa distet a Capitolina: nam in Fastis illi consules in annum CDXL. incurrunt. Sustulit igitur annum vnum, quem ego retineo, non est satis. eximit alterum, nimirum Interregnū, quod ego in Liuiana Chronologia in annum CCCXXXIV. retuli, auctore ipso Liuio, qui ait: *Cum maior pars anni per nouos tribunos pl. & aliquot interreges certaminibus extracta esset.* & paulo post. *Magillanus interrex obtinuit, vt tribunitia comitia haberentur.* Hoc autem interregnū sine pernicie omnium numerorum, quid deinceps in nominandis annis a Liuio vsurpantur, praeteriri non potest. Cur autem id in Fastis omiserim, alia ratio est: nam in Fastis dictaturae multae, quarum rationem nullam in numerandis annis habuit Liuius, obseruantur, atque interponuntur.

His

His annis eximendis cum se nihil assequi videat, deinde se ad reprehendendum Liuium confert, qui quodam anno tribunos octo militares ediderit, atque in eo deceptus sit, neque attendit, rem illam a me primum in Fastorum commentario pluribus verbis esse demonstratam. & si ita oportuit, satis excogitatam.

Quas expositas ita adiungit: *Anno CDXX. Interregnum fuit pestilentia excussa, nec verum est, quod scribit Sigonius de eo Liuium non esse locutum: quid enim apertius his verbis? Et quia pestilentia insecuta est, velut omnibus eo vitio contractis auspiciis res ad interregnum rediit.* Vide quam inique facias Robortelle. Ego nec enim Liuium de eo interregno non esse loquutum scripsi, cum eius interregni in Chronologia Liuiana constituenda rationem reddens ita scripsi? Liuius id ipsum, quod facimus, etsi non aperte, at subobscure tamen significare videtur. Cur subobscure Robortelle? quia non aperte aut annum illum, aut anni illius maiorem partem, vt ante, per interreges esse extractam scribit. Duos ergo annos ex mea Chronologia Liuiana exemisti, qui sunt reponendi, tres deinde interseris, qui nullo pacto sunt obseruandi. Hæ sunt tres dictaturæ sine consulibus, quarum habendam esse rationem in fastis Capitolinis probaui, in Liuianis non probo. quæris qua caussa? quia ex verbis Liuii nihil tale erui potest. vna est ergo dictatura L. Papirii Cursoris anno CDXXIX; de qua ita Liuius: *L. Furium consulem, cui Samnium prouincia euenerat, morbo implicitum fortuna bello subtraxit, iussusque dictatorem dicere, rei gerendæ caussa dixit L. Papirium Cursorem: altera est item L. Papirii Cursoris anno CDXLIV. quem Liuius scribit dictatorem cum C. Iunio Bubulco magistro equitum dictum Q. Fabio, & C. Marcio cos. quod res non satis prospere a C. Marcio cos. in Samnitibus essent gestæ, tertia est anno CDLII. M. Valerii Corui.* de qua Liuius: *Multiplex deinde exortus terror. Etruriam rebellare nuntiabatur. Itaque propter eum tumultum dictus M. Valerius Maximus dictator magistrum equitum sibi legit M. Æmilium Paullum.* Et paulo post: *Prælio a dictatore commisso fracta iterum Etruscorum opes dictator triumphans in urbem redit, consul ex dictatura factus M. Valerius.* An vero tibi videtur Robortelle his verbis Liuius dictatores hos per annum sine consulibus fuisse dicere, an eos aliorum, vt assolebat, consulatu dictaturam gessisse? at ei credo verba deerant, quibus hoc exprimeret, si ita sensisset. Nonne attendis, si trium horum annorum rationem habeas, reliquos omnes, qui apud eum sequuntur, numeros esse peruertendos? & hos annales Liuium, alios fastorum Capitolinorum auctores esse sequutos, atque omnino ipsos inter se discordare non leuiter? Caute autem, imo callide Robortellus, cum se in tota hac de dictaturis Liuianis ratione nutantem, ac claudicantem sentiret, statim, vt aliquo longinquo præcepto alio lectoris mentem auerteret,

fragmenta illa lapidum Capitolinorum præpostero ordine esse i Capitolio collocata adiecit. nec videt, id ipsum a me primum, ve ipsomet teste esse demonstratum, atque in Fastorum commenta rio confirmatum.

His rebus expositis concludit summam annorum Liuianorum, & Capitolinam eandem esse vsque ad annum CDLXXI. quas ego longe diuersas inter se esse contendo. Vter autem nostrum est verior? nimirum ille, qui numeros Liuii custodierit, non ille, qui vt eo perueniat, quo velit, eos omnino labefactarit. Dixi ante Liuium scribere sexto & tricesimo anno post primos tribunos pl decem tribunos esse factos: is numerus a me conseruatur. ab illo euertitur, ac octauus & tricesimus ex coniectura reponitur. Prodit item Liuius anno ab V. C. CCCLXXV. Romam esse captam. co numero nihil ad meam summam potest esse conuenientius, ad Robortelli nihil ineptius, qui CCCLXIII. emendare cogetur. Idem Q. Sertilio, L. Genutio cos. Camillum annos post Romam captam XXV. mortuū refert. recte ad meos calculos: at ille XXI. reponit. Idem annum, quo M. Fabius Ambustus III. & T. Quinctius consulatum gesserunt, post vrbem captam XXXV. numerat, Robortellus XXXI. quanquam in eo etiam peccat Robortellus, qui hoc scribi a Liuio ait in consulatu M. Fabii Ambusti, & T. Quinctii, cum id prodat in consulatu C. Sulpicii Petici, & M. Valerii Poplicolæ. atque ita numerus ille ad meam rationem conueniat. Idem in consulatu Q. Fabii V. P. Decii IV. ita scribit: *Supersunt etiam nunc Samnitium bella, quæ cōtinua per quartum iam volumen, annumque sextum, & quadragesimum a M. Valerio, A. Cornelio cos qui primi Samnio arma intulerunt, agimus.* Quo numero nihil ad meam summam potest esse aptius, quia tres illas dictaturas præterii, cum Robortellus adeo incertus sententiæ est, vt quadragesimum octauum, vel quadragesimum nonum restituendum putet, eosq; numeros a librariis, & a Cassiodoro corruptos exclamet. Idem Liuius libro XXXI. *Apud Claudium consulem primum Pœnis bellum intulisse scribit anno,* vt in manuscriptis libris est, CDLXXVIII. quod ego leui mutatione CDLXXXVI. V in X, II in V versa lego. ille CDLXXXVIII. In epitomis Liuianis *Ludi Terentini anno quingentesimo altero ab V. C. facti dicuntur,* id est, vt Censorinus, auctore Liuio, ait, *P. Claudio, L. Iunio cos. Item tertium bellum Punicum cœptum esse anno sexcentesimo altero,* id est, L. Marcio. M. Manilio cos. mihi melius potest esse, si mo spectes, nihil fœdius, si illum. nam quingentesimum quartum, & sexcentesimum quartum reponit. Dionysius libro secundo, *diuortium, quod nullum intra quingentos viginti annos factum fuerat, primum factum fuisse* prodit *M. Pomponio, C. Papirio, cos.* cumque annum Gellius lib. XVII, DXIX vocat. recte si ad meos calculos reuoces, si ad Robortellianos, non item. nam is annus in Fastis

est

est DXXII. P. Valerii, & M. Atilii consulatum Gellius libr. IV. cap III. in annum ab vrbe condita conijcit DXXIII. Liuium credo sequutus, at hic noster ex Fastorum auctoritate, in annum DXXVI. Liuius consulatum P. Galbæ, & C. Cottæ in annum confert quingesimum quinquagesimum. congruenter ad meam summam. num credis ita ad Robortellianam? non certe. ille enim quinquagesimum tertium reponit. P. Africani consulatum alterum in annum transfert Liuius, vt vulgo mendose legitur, DVIII. quem numerum ego V in L, & II in V versis corrigo DLVI. ille multo alienius DLIX. Quamobrem, quod ille quærit, cur ego in fastis Capitolinis Q. Fabium, & P. Decium consules reposuerim e Liu an s autem ipsum Cassiodorum sequutus exemerim, iam quę ere desinet, cum non eandem esse summæ vtriusque rationem intellexerit, neque omnes omnium calculos ad vnam nar ; am tanta cum librorum pernicie referendos esse cognouerit. Hæc pauca in hoc libro libuit notare, mitto reliqua, quæ aut ita vana sunt, vt nullo, aut ita aliena, vt alio loco videãtur esse refutanda quale illud est, quod opponit de duobus Liuii locis a me corruptis. Ex his autem paucis satis intelligi posse arbitror, quid pręstare nouæ hic huius artis auctor in ratione literarum restituenda possit. qui vt Liuianam annorum summam colligeret, totum sibi Liuium ante perdendum esse existimarit. Atq; hic tamen, cum eiusmodi sit, audet Liuium a se emẽdatum, & nouam in eum Chronologiam profiteri, meque sæpius imperitum, ac nullo iudicio prædictum appellare. Quem tu imperitum tãdem Robortelle vocas? si qui nihil, nisi ex verbis auctorũ profert, quem peritum dicemus? quem tu iudicio carere clamas? si qui nihil temere, nihil sine rati ne facit, quem iudiciosum vocabimus? an qui Cassiodorum contemnit, Gellium corrigit, Liuium emendat? emendat? imo pro libidine corrumpit, ac deprauat? vt verisimile est omnes Liuii numeros, quos ego incolumes tueor, vitiosos esse? vt periculosum est eos mutare? vt temerarium aduersantibus omnibus libris ex ingenio emendare? quid est demum aliud hoc facere, nisi praua licentia omnium literarum lumen extinguere? omnem prorsus antiquitatis fidem euertere? Ita ne vero Robortelle? hæc tua ratio disciplinæ est, vt ex literis Latinis Liuianam historiam, tanquam solem e cœlo tollas, vt rerum gestarum tempora confundas, vt præclaram annorum seriem labefactes, atq; peruertas? An vero si tibi senatus potestatem Liuii interpretandi Robortelle dedit, etiam euertendi dedit? ab alio senatu hæc tibi facultas postulanda est in quo & ipse sententiam dico, teque id facere me non concessurum, tibi multo ante denuntio. Etenim, quantum potero, gratia, atque auctoritate S. C. in meam sententiam faciundum curabo, non vt ne cuiquam, sed ne vni tibi aut Liuium, aut quenquam scriptorem alium liceat emendandi caussa

vlla ratione tractare. Est enim satis ab omnibus intellectum, antiquitatem Romanam minus robustum emendatorem te ipso Robortelle desiderare.

IN LIBRVM DE ARTE CORRIGENDI.

Emendationes aliquot Liuiana defensa, Plinii, & Quintiliani, & Liuii alia reprehensa.

CAPVT II.

FRanciscus Robortellus in libro de arte corrigendi, vbi qualis esse debeat optimus librorum corrector ostendit, seque ipsum gloriosius, quam par est, descripsit, tum in me acerbius, quam modestiæ suæ conueniebat, inuehitur, his verbis: *Primum igitur illud statuamus in hac nostra arte, requiri infinitam quandam eruditionem in eo, qui se emendatorem librorum dici cupit, multa legerit oportet, multa cogitarit, multa audierit, multa triuerit vsu, recentiores etiam euoluerit: contingit enim, si id non fecerit, vt eadem dicat, & scribat, quæ alii, vt noua esse putet, quæ sunt vetera, vt qui M. primo Manium* (quod prænomen est veterum Romanorum) *significare se deprehendisse, ac declarasse iactant.* Nam P. Consentius R. vir clarissimus, senator enim fuit, in sua grammatice de ea re ita loquutus est. Eademque prænomina aut vna litera significantur, vt P. aut duabus, vt Cn & Sp. aut tribus, vt Ser. & Man. id est, Manius, quod & *M̄* linea superposita scribitur. Notat igitur in eo me Robortellus, quod Manium vna litera M', linea illo modo incisum veteres expressisse, vt rem nouam tradiderim, quæ tamen a P. Cōsentiæ senatore memoriæ prodita sit. Ego vero cum eius prænominis notam multis iam ante sæculis ex libris veterum excidisse animaduerterem, Capitolinis fastis & nummis veteribus argenteis ducibus, eam reuocaui, dixique me in eo antiquam notam Latinæ linguæ restituisse, eaq; ipsa re historiam Romanam, quæ magnam iacturam fecerat, subleuasse. Robortellus autem id mihi in maledicto obiicit, quasi vero ego dixerim, hoc nemini veterū fuisse cognitum. Etenim si hæc huius pręnominis nota antiqua fuit, Fastis, nummis, & P. Conseatio senatore auctoribus, eaque cum post temporum diuturnitate exaruisset, a me hoc primum tempore restituta est, quid est, quod ille dicat, Recentiores euoluēdos esse, alioquin eadem dicturum & scripturum, quæ alii, & noua putaturum, quæ sunt vetera? quos tandem recentiores appellat? an semetipsum, an Consentium? si se, vbi hoc ipse docuit? quando ipse aut Manii prænomen, aut Manii prænominis notam ne in quiete quidem vidit? & quidem id facere, si Cōsentium legerat, debuit, vt in libro de nominibus hoc traderet potius, quam vt scriberet Tiberii prænomen vnica litera T. ab antiquis significatum, in quo a me alias admonitus obmutuit, ac ne hiscere quidem potuit.

tuit. Si Consentium, dicat, quo tempore vixerit, cuius memoriæ æqualis fuerit, quibus ipse temporum finibus recentiores ab antiquis distinguat. Si hoc non faciat, saltem doceat, cur ipse vir diligentissimus T. Tiberium significare scripserit, Manium M' litera tantum notatum prætermiserit. Si illud nouum erat, quis prodidit? si hoc vulgatum, quis præter veterem grammaticum Consentium literis consignauit? At hoc fortasse dictum est ab eo in hoc libro cupidius, præsertim in Sigonium, a quo ipse se conuitiis lacessitum profitetur, illud certe in eodem libro in Henricum Stephanum iuuenem optimum, Roberti Stephani eruditissimi viri filium, moderatius. *Perridiculus, inquit, est is, qui nuper me autore quibusdam insulsi hominis Græci lusibus Anacreontis odas esse scribit, hoc vtens argumento, quod in cortice essent descripti, vt hac ratione scilicet nobis imponeret, & illuderet M. Antonium Muretum virum doctissimum ab quanto modestius. Castigaui ego, inquit, & quidem iure, ni fallor, quendam, qui nuper Horatium emendare frustra conatus est. nam vbi libro tertio Odarum ait, ad Faunum scribens, Vacat otioso cum bone pagus emendat sic, & legit: Vacat otioso cum bone pardus, quasi in Italia pardi vspiam sint. Nam Plinius lib. VIII. capit. XVII. in Africa, & Syria tantum nasci scribit; & tamen manuscriptum, & antiquissimum vocat librum ad se Patauio missum a quodam Lusitano, proferat quæso librum hunc, vt videamus, qualis sit, vix risum tenebimus, sat scio.* Ex his verbis modestiam eius perspiciunt omnes cum in Muretum, tum in Achillem Statium Lusitanum, virum ingenii, atque doctrinæ gloria florentem, quem ipse quondam honoris sui caussa auditorem suum appellare solebat, cum magistrum iustius, ac studiosorum suorum adiutorem nominare deberet, nunc quam vere hoc de Mureto scribat, videamus, sic loquitur Muretus. *Festus in pratis vacat otioso cum bone pagus.* Nihil video esse caussæ, cur quicquam hoc loco mutetur: in Achillis tamen Statii libro ita legitur. *Festus in pratis vacat otioso cum bone pardus.* Idque non alienam sententiam habet ab eo, quod statim sequitur: *Inter audaces lupus errat agnos.* An igitur Henricus etiam, an Muretus te iniuria prouocauerat, vt eos ita tractares? Neq; vero æquo etiam animo ferre possum Vincentium Madium clarissimum philosophiæ Italicæ lumen, atq; insigne omnis virtutis exemplum ab eo ita despici, vt mendacii eum etiam tanquam nebulonem quendam arguere ausus sit, inquit enim: *Quare non sine risu miratus sum superioribus annis Vincentium Madium Brixianum philosophum in suis annotationibus in Poeticam Aristotelis dicere ausum, secus legi in Mediceo libro Florentiæ, ac ego testatus fueram, verba illa, quæ sunt pagina 1. οἱ μὲν χρώμασι, καὶ σχήμασι, ἕτεροι δὲ διὰ φωνῆς. Ego in Mediceo libro ita legi dixi, Madius Simonis Portii testimonio vtens, ait, in eodem libro, quo ego sum vsus, ἕτεροι τῇ φωνῇ. Id si verum esset, non laboraremus, & ego, opinor, vidis-*

sum, qui libros eos, cum in Hetruria essem, tunc, & operam nauarem in Academia Pisana potentissimo, & optimo Duci Florentiæ Cosmo, sæpe inspectauit, & euoluit. Sed aliter sese res habet. nec Portius philosophus summus, & optimus vir vnquam ad illum scripsit. Nam cum per literas essem cum eo conquestus, scripsit ad me, se nihil tale vnquam dixisse, aut scripsisse. Præterea Henricus Mathesius Medicus, vir doctissimus, Portii familiaris, suis literis postea idem mihi significauit. Quare non est, quod miretur Madius, si ego istius obtrectatione ne tantillum quidem moueor. Videat ipse, si in meis commentariis, qui superiore anno iterum Basileæ impressi fuerunt, aliquid immutaui, quod iure ab eo fuerit reprehensum, & subodoretur diligentius, quid docti viri de suis annotationibus, & commentariis meis sentiant, quid ipse iudicent de tota re. nam & totidem verbis descripsit quam plurima de meo commentario, & veterum loca eadem recitauit, quæ ego protuleram. Illi autem venire in mentem ne auctorum quidem ipsorum nomina potuissent, quos nunquam legit, nec attigit. cum vix Græcis literis sit tinctus, nec eam notionem rerum vnquam parare sibi studuerit, in qua ego omnem ætatem consumsi. Notat igitur, vt dixi, mendacii Madium virum certissimum, inscitiæ doctissimum, leuitatis grauissimum. & a quo iustissime in primis tribus Poeticæ versibus exponendis pluribus in locis reprehensus est, ei hanc refert gratiam, vt falsum, vt imperitum, vt leuem hominem dicat. Scilicet tu hanc defensionem Robortelle vir eruditissime comparasti aduersus ea, quę Madius tibi vitio vertit, vt putes satis esse dixisse, te nihil ex iis, quæ Madius iure reprehendit, mutasse? Attendite vos dialectici, atque Philosophi Gorgiam nostrum Robortellum, vt argute argumentetur. Madius iure reprehendit Robortellum, Robortellus iure reprehensus non mutauit sentẽtiam. Ergo recte Robortellus imperite Madius. an vero Robortelle, quia iuste reprehensus a Madio non mutasti sententiam, es laudandus, an, quia non mutaueris, iterum grauius accusandus? quanquam quid dico, aut potius, quid tu dicis, te iure a Madio reprehensum non mutasse sententiam? cum in priore tui commentarii editione scripseris, Aristotelem proponere de fabula, & partibus fabulæ: partes autem fabulæ numeraris mores, sententiam, dictionem, melodiam, apparatum, item prologum, episodium, choricum, exodum; atque in eo a Madio (nihil enim dici peruersius poterat) iure reprehensus, qui partes eas, non fabulæ, sed poeseos esse probauit, mox totum id ex posteriore Basiliensi editione exemeris, sententiam non mutasti? cum fabulæ primum partes has esse dixisses, mox Tragœdiæ reposueris, sententiam non mutasti? Nunc audi, an ipse recte dialecticis sim imbutus. Robortellus iure a Madio reprehensus mutauit sentẽtiam, ergo Madius, vir doctissimus, Robortellus homo, non dicam imperitus, quis enim minus? sed si fateatur, modestus, si inficietur, nimium sui studiosus, quid hoc argumento potest fingi melius?

Sed

Sed omittamus alios, ad nos redeamus. Non fuit autem alienum, quemadmodum ipse se erga alios gesserit, demonstrare, vt cum mores eius iudicauerimus, mitius a nobis multo, quam dignum fuit, omnes respõsum esse cognoscant. *Ignoratione, inquit rationum veterum in scribendo labi aliquis potest, vt lapsus est Sigonius, qui putat apud Liuium vbique legendum Crustomerium, & Crustomerinos: attendite, quia, inquit, apud Alicarnasseũ κρουστομέριον & κρουστομερινοὺς video semper scribi. imperitus hic ignorat Graecos certam rationem sequutos in dictionibus Romanis vertendis. Longum esset, si singula nũc vellem persequi, sed quatenus ad rem propositam spectat, quotiescunque erat Latina dictio vertenda in Graecam, quae literam haberet u longum, vertebant in ου, si autem u breue esset, in o μικρόν. Hinc videas apud eundem ῥοτόλους, dici Rutulos, κοριάτους, Curatios. quod autem in Crustomerii nomine u sit breue, Virgilii testimonio probatur: ait enim Ardea, Crustumerique, & turrigera Antemnae, & Νομᾶς Numa. Virgilius idem lib. 9. Serranoque, Numaque.*
Atque haec quidem, vt modeste in me Robortellus effundat, omnes vident, vt autem vere, nunc accipiant. Mea, vbi hac de re egi in scholiis Liuianis, haec verba sunt. *Veteres libri habent Crustomini, Dionysius, Plutarchus, Stephanus κρουστομέριον, κρουστομερινοὺς vocant.* Tu, si literas calles, Robortelle ostende, ex his verbis elici posse, me velle, aut vbique legi Crustomerium, aut damnare Crustumerium. tum ego tibi ostendam, non solum Crustomerium, quod ego non reprehendi, sed Crustomerium, quod tu improbasti dici posse. Primum enim est librorum veterum, vt dixi, auctoritas, eam veteres dico, nõ impressos quondam, sed manuscriptos dico, quos multos inspexi ex bibliothecis sumtos Diui Ioannis de Verdaria Patauii, D. ... uorum, Marci, Antonii, Ioannis, & Pauli Venetus, atque multorum amicorum. memini autẽ hanc scripturam esse libri potissimum, quem mihi Augustinus Gadaldinus, medicus Graecis, & Latinis literis egregie eruditus, dedit, quam cũ nunc quaererem, eam etiam in vno, quem tum non videram, M. Antonii Mureti reperi, Mureti inquam illius tui, cui pardum Horatianum opposuisti. Quod cum ita sit, quis mihi iure succẽsere potest, cum priscorum librorum scripturam Graecorum auctoritate munitam in medium profero? praesertim vero cum ea Grammaticorũ etiam veterum grauissimo testimonio fulta sit, qui literas o, & u eam inter se societatem habuisse, asserunt, vt multas voces antiqui promiscue modo per o, modo per u pronunciarint. Sic enim loquitur Quinctilianus, nõ Grammaticus solum, sed rhetor etiam nobilissimus, lib. primo cap. de literis. *Quid o & u permutata inuicem? vt Hecoba, & Notrix, & Culchides, & Pulyxena scriberentur, ac ne in Graecis id tantum notetur, Dederont, & Probaueront* & Victorinus de Orthographia: *Nostri, vt apparet ex libris antiquis foederum, & legum, qui etiamsi frequenti*

transcriptione aliquid mutarunt, tamẽ retinent antiquitatem. Nam o non solum pro breui. & longa, sed etiam pro u poni, vt pro populus, popolos, pro piaculum, piacolon, pro huic. hoic, pro suus sos, item alia multa. & Priscianus libro primo. *V quoque multis in alia populis non erat in vsu, sed e contrario vtebantur o. unde Romanorum quoque vetustissimi in multis dictionibus loco eius o posuisse inueniuntur. poblicum pro publicum, quod testatur Papirianus de Orthographia, polcrum, pro pulcrum. colpam pro culpam dicentes, & Hercolem, pro Herculem. Ac ne hoc vsurpatum existimes Romulo tantum, aut Numa regnante, Augustus hoc etiam obseruasse a Victorino traditur, qui patrio casu domos pro domus dixit. & alii, qui quoius, & quoi, pro cuius, & cui protulerunt. in fastis etiam Capitolinis Augusti tempore incisis, vel certe Tiberii, videmus esse Poblicium, & Poplicolam, quos alii Publicium, & Publicolam; item Poblilium, & Publilium item Scaeuolam, quem alii Scaeuolam, Flouium, pro fluuium: ego etiam legi in exemplo tabula aenea antiquissima. Si ergo tot voces tam o, quam u receperunt, cur non etiam Crustomerium inter eas referre possumus, libris praesertim Liuianis veteribus attestantibus?* Nam T. Liuium ipsum adeo antiquitate delectatum scribit Quinctilianus, *vt Sibe, & Quase eum dixisse*, se ex Pediano cõperisse affirmet. At quam modeste Robortellus me arguit? *Imperitus hoc*, inquit, *ignorat Graecos u breue per o vertisse, vt Dionysium ῥοτύλους κοριατίους, νομᾶν. pro Rutulis, Curiatiis, Numa* Male versatus es in Graecis annalibus Robortelle, & tamen, cum haec scripturus esses, eos studiose euoluere debuisti. Lege Strabonem lib. 5. semper ῥουτύλους ab eo scribi inuenies. lege Plutarchum in Parallelis, & Zonaram lib. 2. κουριατίους reperies lege Plutarchum in Numa, νουμᾶν semper, nunquam νομᾶν ab eo scribi cognosces. Dio ἰόβαν scripsit, eundem a Strabone libro 6. & 17. ἰούβαν appellari deprehendes. quid? Νομαντίαν, & Νουμαντίαν vrbem a Iuba historico dictam esse apud Suidam inuenies. Iam credo te videre, vt praeclarae tuae istae regulae iaceant, & vter nostrum imperitior sit, ego qui Crustomerium non improbaui, an tu, qui Crustomerium reprehendis.

Sed demus hoc veteri necessitudini, vt Robortellus etiam ex meis scriptis aliquam sententiam colligat, quam non habuerim, vt latiorem ei ex petulantia gloriae campum relinquamus. num ea etiam, quae nec scripsimus, nec attigimus, nec somniauimus, vt nobis ascribat, concedemus? Pergit enim paulo post ita in me: *Ignoratione etiam locutionum, & vetusti sermonis peccari solet*, vt apud Liuium in epitome lib. quinquagesimo octauo, vbi de agraria lege a Gracchis lata loquitur. *Sigonius locum se corrigere putans deprauauit.* Verba sunt haec Liuii. *Quoniam eos ad cupiditatem amplam modo sperandi incitauerat, legem se promulgaturum ostendit. nam est legendum, amplum modum, modus enim de*

agris

agri dicitur. Dic igitur Robortelle, quo in scholio hanc ego correctionem scriptam reliquerim: aut nisi hoc potes ostendere, ostendam ego libro, cui mea affixa scholia sunt, amplam modo legi, cum ampla [illegible]. Quam lectionem nescio, cur tu non probare possis. [illegible] C. Gracchus, qui plebem ad cupiditatē ampla spe[illegible] modo, id est, paulo ante incitauerat, cum satis agrorum non esset, vnde omnibus daretur, ad diuidendam Attali hereditatem se conuertit.

Eadem ratione, quo loco ille artem tradit emendandi, ita vt addamus, auferamus, transponamus, extendamus, contrahamus, distinguamus, copulemus, mutemus, id est, cœlum terra misceamus, me accusat, quod vocem, Nō, exemerim, eamque ipse reponit: qua de re ego verbum nullum feci. Inquit autem: *Additione etiam, Non, etiam videtur locus libr. 3. apud Liuium pag. 36. ab eodem imperitissime correctus, atque corruptus. Ecce Hernici nunciant, Volscos, & Æquos, etsi accisæ res sint, reficere exercitus, Antii summam rei positam, Ecetræ Antiates palam concilia facere, id caput, eas vires belli esse, ex qua lectione pulcerrimus exsistit sensus. nam indignissimum videbatur, si Antii, quæ colonia Romana erat ante deducta, summam rei esse positam, non Ecetræ, sicuti ante, vbi hostes tantum habitarent.* Ego igitur ad hoc tibi respondeo Robortelle, primum te mirabile facere, qui me hunc locum corrupisse scribas, quem ne attigi quidem. deinde qui eundem ipse sane caussa audeas immutare. Me non attigisse declarant scholia, quibus me profiteor, quæ mutaui, omnia esse breuissime persequutum. idque in epistola ad Bernardinum Lauredanum, Andreæ filium, iuuenem clarissimum, his verbis: *Atque hæc quidem omnia cum in vnum tanquam quasi corpus magno studio redegissem, ac breuibus præterea explicationibus, ne quem fallerem, rationem consilii, factique mei expositam diligentiam, iniustissimamque in hoc genere meam sigillatim probassem.* Quid est enim hoc aliud Robortelle, nisi me, quæ correxi, aut aliqua ratione tetigi, omnia sigillatim in scholiis esse complexum? Ergo cum hoc ita sit, tu induces animum, & id quidem sæpius, vt in me tam intemperanter inueharis, & me peruertisse, quæ ne tentaui quidem insimulabis? atque hinc volumen illud tuum conscribes, quod te editurum profiteris, mille & sexcentorum erratorum, quæ tu ex eo libro collegeris? Non igitur ego hunc locum attigi: quid dixi attigi? imo ne potui quidem: est enim integerrimus. Primum enim quæro: vbi legitur, *Antii, non Ecetræ?* Scilicet hanc tibi tua ars potestatem dedit, vt coniectura duce pulcerrimum Liuii sensum eiiceres, fœdissimumque tuum induceres? cur non confiteris potius te eius lectionis sententiam non videre? ignoras eam. accipe, & quidem, vt tu dicere soles, senex a puero, *Antiates, & Ecetrani Volsci erant, Antiates quidē coloni Romani, Ecetrani vero non item.*

Volsci autem, cum bellum renouare vellent. Antii summam rei posuerant illi quidem, sed Antiates, ne sua consilia Romanis patefierent, Antii clam fortasse, at Ecetra palam consilia de belli ratione habebant. Non ergo, vt tu ais, *Hernici nuntiabant, Antii summam rei positam a Volscis, nõ Ecetre, sed Antiates non Antii, sed Ecetra palã consilia facere.* nam cum addit, id caput, eas vires belli esse, de Antiatibus, non de Ecetranis intelligendum est.

Ab eadem persuasione in eodem libro ita scribis: *Apud Liuium libr. 1. vbi de consualibus agitur. Solemne notum erat. Sigonius non intelligens locum hunc literam mutat, & legit:* Solemne votum, *ignorat scilicet solemne aliquando vt substantiuum poni, nam alibi etiam, &c.* Non est, quod labores Robortelle, vt probes solemne esse, vt tu optime Grammatice vocas, substantiuum, hoc nemini nisi tibi ignotum est, qui cũ id paulo ante didiceris, facta ex te ipso de aliis coniectura, præclarum te aliquid mandaturum literis existimasti, si id traderes. Illud tuum erat, mea perlegere scholia; nam si legisses, huius loci mentionem nullam apud me inuenisses, imo si iuste mecum agere voluisses, hoc reprehensionis labore supersedisses.

Ergo tu, quæ ego egregie præstiti, oratione deprimis, quæ non sensi, sensisse me ais, quæ non attigi, corrupisse me arguis, non est satis, quæ non correxi, & ipse corrigenda putas, quod ea non correxerim reprehendis.

Hic est autem locus Plinii, quem tu non solum indigne mutilas, sed me quoque, si diis placet, quia tantam licentiam mihi nõ deposco, inhumanius tractas. Audiamus verba tua. *Itidem ablatione dictionis corrigitur locus apud Plinium libr. 10. cap. 37. vbi loquitur de cognominibus Romanis ductis a naribus,* & ait: *Hinc cognomina Simorum, Simonum, Silonum. Nimirum Silorum est legendum, Simorum, & Simonum deleri debent, inducta enim fuerunt ex glossemate* (vt nunc vocant) *& addita a librariis imperitis, qui, cum esset scriptum Silorum, non intelligentes Silos dici solitos eos, qui repandis essent naribus, Simorum emendarunt, locum corrumpentes. mox alii cum satis eam emendationem non probarent, scripserunt Simonum, & Silonum, quæ dictiones postea omnes in contextum irrepserunt. Quare reprehendendus est Sigonius, qui in lib. de nominibus R. cap. 26. quod inscribitur a corporis partibus, statuit Silos, & Simos a naso dici, atque de Simis cum afferre vult testimonium citat Plinium lib. 11. cap. 37. vbi leguntur verba illa, quæ ego superius ascripsi, certe Simos nullus veterum, qui Latine loquuti sunt, protulit, nec cognomentum hoc vnquam apud Romanos fuit in vsu. quid igitur nugatur Sigonius, vel quis illius non perspiciat inscitiam?* Hæc tu. Ego contra locum Plinii, si vitiosus sit, in voce tantum Silonum vitium habere existimo, quod tu ne me quidem ignorasse arguisse arguis, & Simum, ac Simonem esse cognomina, neque ea

ex con-

ex contextu verborum Pliniano temere, vt tu vis, eximenda dico. Non negas, vt opinor, Robortelle τὴν σιμότητα nasi vitium esse: auctor est enim in Rhetoricis, & in Politicis Aristoteles. illud negas, hanc vocem esse a Latinis vsurpatam, aut apud Romanos pro cognomine celebratam. Te autem falsum arguit primum Virgilius auctor linguæ Latinæ, vt puto, non contemnendus, qui simas capellas dixit, deinde epigramma, quod est in libro Iucundi Veronensis, quem mihi humanissimus vir, Stephanus Magnus, patricius Venetus, his studiis mirifice deditus, commodauit.

L. POSTVMIVS L. ET Ɔ. L. RVFIO FECIT
SIBI ET POSTVMIÆ L ET Ɔ. L. APHÆLTÆ
CONLIBERTÆ SVÆ ET PORCIÆ M. L. VERACI
SORORI SVÆ Q. TALONIVS Q. L. SIMO.

Sed si hoc epigramma nullum, dico Simum, & Simonẽ cognomina fuisse auctore Plinio. Hic tu Plinii verba hac vna ratione vitiosa esse contendis, quod nusquã alias hæc apud Romanos cognomina legeris. Ego vero, si ridiculum hanc tuam argumẽtationem esse dicam, non est cur extimescam, ne tibi iniuriam faciam. Tradit aliquid Plinius, id Robortellus negat: ergo falsum est, ergo corrigendum, ergo, qui id non faciunt, castigandi sunt? non certe: videndum est enim, an alio loco Plinius, an alius quisquam id neget, quod hoc loco affirmatum est. non negat Plinius, nõ negat quisquam, quin Simus, aut Simo cognomina sint quid ergo habes explorati, cur non possint esse? extat cognominis ratio a vitio nasi, vt & a nasi, & labrorum, & oculorũ, & capitis vitiis ducta multa alia sunt, extat analogia; vt enim dixerunt Catum, & Catonem, Glabrum, & Glabrionem, Varum, & Varronem, Philũ, & Philonem, sic Simum, & Simonem dicere potuerunt. vnde ergo hæc tibi suborta mendæ suspicio est, si diligenter Plinii orationẽ attendas, qui inquit, *Et hinc cognomina Simonum, Simorum, Silorum? Nam si Silorum tantum dicturus fuisset, Et hinc cognomen dixisset. At & hanc etiam vocem imperiti librarii corruperũt.* vix credo, præter te, qui nouam hanc licentiam intulisti, tam audacem esse quenquam posse, qui cum scriptum sit, Et hinc cognomẽ Silorum, audeat aliquid addere, vel immutare. Ego igitur aut alteram, aut etiam, si vis, ambas eas voces apud Plinium retinendas esse censeo, & mihi multo maiorem laudem tribuendam esse, qui hoc vitium cœcus non viderim, quam tibi, qui nimis lynceus cupidius, quam prudenti conuenit correctori, sustuleris. Dices fortasse: Plinii auctoritatem non magnifacio. primum de loci integritate, non de scriptoris auctoritate disputatio est deinde vide, ne si mecum ita agas, faciam id, quod M. Scaurum clarissimum virum quondam fecisse accepi, qui a Q. Vario tribuno pl. contemto homine ad populum accusatus, ita pro rostris ei respondit:

Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait concitasse, M. Scaurus princeps senatus negat: testis nemo est, utri vos Quirites conuenit credere? Sic ego a literatis hominibus clara voce quæram hoc modo. C Plinius vir doctissimus, & diligentissimus Simum, vel Simonem cognomina scribit fuisse. Franciscus Robortellus homo nullo modo, pace tanti viri dixerim, cum Plinio comparandus hoc negat, testis est nemo. utri cõuenit credere? vix opinor te literatorum iustissimos sibilos, si ita egero, perlaturum.

Sit ergo hoc artificii tui, ut Plinium omnis antiquitatis firmamẽtum firmiore ipse animi robore labefactes. videamus reliqua, quæ tu in me in hoc tuæ artis commentario fœdissime euomuisti. *Etiam mutatione, inquis, literarum illud apud Liuium libro primo in verbis Horatii, Sic eat quæcunq; Romana lugebit hostem, emẽdant isti. quæcunque Romanum lugebit hostem. nec sentiunt tolli omnem vim ex eo dicto.* Audi Robortelle, quid dicam? Antea legebatur, Romanũ, ut etiam in plerisque, quos olim inspexi, manuscriptis, & nunc etiam in Mureti libro, animaduerti. Rhenanus autem vnius libri auctoritate adductus, Romana reposuit. Romana tibi, mihi Romanum magis placet. tibi vis dicti posita videtur in Romana, mihi in Romanum hostem: cupit enim Horatius sororis percussor, quamcunq; mulierem, quæ Romanum lugeat hostem, non Romanã modo, sed etiam peregrinã eiusmodi morte multari: ita enim supra etiam Romulus: *Sic deinq; quicunque alius transiliet mœnia mea, dictitans Remum interfecit.* Pergis deinde: *Ibidem ubi de Suffetii morte loquitur: Exempli parum memoris legum Romanarum. emendant isti noui correctores; Humanarum, etsi omnes ita habet impressi etiam Melchioris Sessa, & afferunt locum Varronis ex Nonio. Metium Suffetium propter perfidiam interfecit plane imperiosius, quam humanius. cum sit ibi legendum immanius.* Ad hæc dico mea verba in hunc locum hæc esse. Emendat Rhenanus *Romanarum*, pro, *Humanarum*, quod non placet. nam & a veteribus libris dissidet, & a Varrone, qui ita scribit lib. 1. de vita populi R. ut est apud Nonium. Metium Fufetium propter perfidiam interfecit pene imperiosius, quam humanius. Quid ad hæc Robortellus? Quid aliud, nisi suum illud. legendum est *Romanarum* legendum est, *immanius*. cur? quia ipse dixit: in [illegible] enim hoc consequutus est Robortellus, ut auditores eius de te, ut Pythagorei quondam de Pythagora, cuius ipse sapientiam æmulatur, existimẽt. quæ sunt istæ pectoris tui angustiæ, quæ animi egestas Robortelle, ut nihil probare, nihil tolerare possis, nisi omnia statim corrumpas? semper hic erro, corrigas volui dicere. non vides sensum? ostendo. Metium ait corporis membris in diuersas partes distractis necatum a Romano rege, exemplo parum memore legum humanarum, id est crudelissime, atq; immanissime: neque enim

enim hominem in alterum hominem adeo sæuire leges ipsæ humanitatis permittunt. vnde dixit Varro interfectum illum a rege pene imperiosius, quam humanius. tu vero immanius, id est, crudelius legis. quid? tu nullam exstitisse crudelitatem in hac nece Metii putas? atque maior esse potuit immanitas? tu miseram illam membrorum distractioné atrocitatis nihil habere existimas? credo: neq; enim ea immanitate esses, vt Liuiũ, vt Plinium, vt omnes, summus præsertim auctor humanitatis, tam inhumane dilaniares. Quod si legum Romanarum legas, dic, quę tum erant de suppliciis latæ leges, cum institutis potius, & moribus populus, quam legum multitudine teneretur? vt eo primum anno lex de perduellione, & pœna perduellionis constituta a rege sit. Quid est autem, quod ais, Et Melchioris Sessæ impressi? nisi pessimi omnium & distortissimi? nonne ego, Romanarum, nouam lectionem a Rhenano inuectam dixi, Humanarum autem antiquam? cognosce nũc humanitatem tuam, maledicere mihi nescis, nisi honestissimo etiam homini Sessæ, sine ratione obtrectes, & tamen profiteris humanitatem.

Sed hæc mittamus. Extremus locus, quem a me corruptum in hoc libello insimulat, est Liuii libro primo, de quo ipse ita disserit: *Ablatione in corrigendo caute est vtendum, ne nobis accidat, quod correctori Liuii nouo, qui corrumpit verba Liuii, vbi de anno a Numa rege instituto loquitur libro primo, & putat legendum, Vicesimo quoque anno. Nam,* inquit, *annus fuit institutus lunaris non CCCLV, sed CCCLIV. Hoc aduersatur Macrobio, & Censorino, qui imparis numeri habitam rationem a Numa docent in anno instituendo. Tu igitur audes hoc tollere, o Sigoni.* Hæc ille. quam autem recte, attendamus. Verba Liuii sunt hæc. *Atque omnium primum ad cursum lunæ in duodecim menses describit annum, quem, quia tricenos dies singulis mensibus luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalares mensibus interponendo ita dispensauit, vt vigesimo quoque anno ad metam eandem solis, vnde orsi essent, plenis annorum spatiis dies congruerent.* Vigesimo quoque anno, habent omnes manuscripti libri, quos ego legerim, quos Rhenanus, quos Glareanus, quos Sabellicus, quos Manutius, quos Nannius. quæres fortasse, quis sit iste Nannius? hic est Petrus Nannius Alcmarianus, vir doctus, qui nono ante anno Franciscum Robortellium Vtinensem petulantius in Erasmum, virum doctissimum, debacchantem edita nobili responsione compressit ita, atque confodit, vt ille doloris impatiens in Manutium, Sigoniumque, quasi in Nannium prope mente alienatus incurrerit. Hoc ergo ita habent omnes, quod ne ipse quidem Robortellus inficiatur. sed præceptorum suorum non immemor assentiẽdum esse Sabellico ait, qui neglecto librorum consensu emendauit, *Vigesimo quoque quarto anno.* Hoc autem

facit eo libentius, vt data licentia corrumpendorum pro arbitratu numerorum facilius deprauandis numeris suam ipse chronologiam Liuianam confirmet. Ego vero, cum incredibilem hunc librorum consensum religiose obseruandum esse docerem, dandam mihi operam esse arbitratus sum, vt, *Vigesimo quoque anno*, seruarem. seruatur autem, si dicamus, Numam annum instituisse dierum CCCLIV. non CCCLV. Itaque cum Plutarchum auctorem haberem, qui, dum hanc anni a Numa factam descriptionem tradit, hunc numerum tradit, non dubitaui, quin, *Vigesimo quoque*, retinerem, ac *Vigesimo quoque quarto*, quod iam in libros audacius inuaserat, exturbarem. Hic instat Robortellus, & ait; *Numam Macrobio, & Censorino auctoribus dierum annum primum CCCLIV. ordinasse, deinde in honorem imparis numeri diem addidisse, ita vt esset dierum CCCLV.* qua ratione docent illi effectum esse, vt vigesimo quoque quarto anno dies congruerent. Confiteor hanc esse Macrobii, & Censorini doctrinam, vt vigesimo quoque quarto anno habita diei in honorem imparis numeri additi ratione dies conuenirent. sed iidem etiam rationem, quasi intento ad locum digito, indicant, qua facile veterem Liuii lectionem, & Plutarchi auctoritatem defendas. Etenim, cum Numa annum primum fecerit dierum CCCLIV, post autem diem addiderit, coniectura probabile est, ipsum aut additi ab se diei oblitum esse, aut certe vnius diei in supputando rationem non habuisse. Quod subindicant hæc verba Macrobii, vbi de Numa loquitur: *Hunc ergo ordinem Romanis quoque imitari placuit, quippe fugit eos, diem vnum* (sicut supra demonstrauimus) *additum a se ad Græcum numerum in honorem imparis numeri, ea re per octennium conuenire numerus, atque ordo non poterat, sed nondum hoc errore comperto, per octo annos nonaginta quasi superfundebant dies, alternisque annis binos, & vicenos, alternis ternos, vicenosque intercalares expensabant intercalationibus quatuor, &c.* Item Censorinus. Numam etiam non omnino scite instituisse annum docet Plutarchus, cum ait. ἥψατο δὲ καὶ τῆς περὶ τὸν οὐρανὸν πραγματείας οὔτε ἀκριβῶς, οὔτε παντάπασιν ἀθεωρήτως. & paulo post: καὶ τοῦτο μὲν αὐτοῦ τὸ ἴαμα τῆς ἀνωμαλίας μειζόνων ἔμελλεν ἰαμάτων δεήσεσθαι. Si ergo errorem in numerando suum non vidit Numa, sed credidit rectam a se annorum rationem esse initam, profecto apparet, ipsum imparem numerum, quem postremo adiecerat, non respexisse. neque hoc Liuii erratum, sed Numæ fuisse, neque a Liuio rationem eius summæ, sed a Numa exigendam esse; Liuium autem, & Plutarchum multum vidisse, qui rem vt acta est, literarum monimētis prodiderint, eos vero plane cæcos esse, qui cum ipsi semitam nō videant, aliis viam, quam ingrediantur, se ostenturos esse profiteantur.

Quod autem addit de ara Herculis, tum denique respondebo,

cum ille incommoda illa, quæ se demonstraturum pollicetur, indicabit.

Nunc venio ad ea loca, quæ ab illo in libro de supputationis conuenientia reprehensa in hunc locũ quia aliena ab ea disputatione erãt, reieci. Sic Robortellus. Vbi Liuius lib. 3 de Xuiris agit, *errat Sigonius, quia verba Latina non satis percipit, & locum emendando corrumpit. Verba Liuii sunt hæc, vbi loquentem facit L. Cornelium. Ceterum neminem maiore cura occupatis animis verum esse præiudicium rei afferre. Ita enim se habet in veteribus libris, quorum verborum hæc est sententia: non esse verum, id est, non esse æquũ afferre præiudicium tantæ rei. Ita proferunt loquendi hanc formulam omnes veteres, Horatius, Cæsar, Cicero, & alii, vt notum est. id non intelligens Sigonius meras affert nugas, vt quilibet videre potest, nam ita emendat. Ceterum neminem maiore cura occupatis animis verum esse, præiudicium rei tantæ differri posse.* id est, *neminem quid vere sentiat dicere. quid afferat in medium Sigonius contra hæc, aut quomodo tam infitiari poterit, se indoctum esse.* Bona verba Robortelle, & audi demum quid Sigonius si non in medium, at ad extremum proferat. Cum in libro, quem omnium optimũ, ac pulcerrimum Lutetiæ Vascosanus excludit, (eum enim mihi corrigendum iustis multis de caussis sumseram,) hunc locum ita legi viderem: *Ceterum neminem maiore cura occupatis animis, verum esse præiudicium rei tantæ auferri*; Rhenanum autem ita reponere: *Ceterum neminem non maiore cura occupatis animis, verum præiudicium rei tantæ auferri*; Glareanum vero, pro *Verum esse*, *Verũ posse*, restituere: cumq; neuter eorum satis mihi, quod vellet, probaret, ex auctoritate manuscriptorum librorum ita legendum statui. *Ceterum neminem maiore cura occupatis animis verum esse, præiudicium rei tantæ differri posse*; hoc sensu. Retulerant Xuiri de bello Sabino. Senatores rogati sententiam nihil de bello dixerant, de Xuirum iniusto imperio dixerant, ad vltimum L. Cornelius, M. Cornelii Xuiri frater, dixit, neminem maiore cura occupatis animis verum esse, præiudicium rei tantæ differri posse. i. neminem senatorem vere statuere de magistratu Xuirum maiore belli instantis cura implicitum posse, iudicium rei tantæ in aliud tempus differri posse. nunc de bello consultandum esse, ita vt, Posse, bis acciperetur; quæ sententia satis, vt etiam nunc video, bona est. Sed cum postquam illud scripseram, aliam æque fortasse bonam excogitassem, curaui secundam imprimendam. Ceterum neminem maiore cura occupatis animis, verum esse, præiudicium rei tantæ afferre, id est, æquum esse, cum belli maiore cura implicati animi sint, neminem afferre præiudicium tantæ rei, id est, omitti Xuiralis imperii abrogandi Cum autem tu, dum verba Liuii & mea scholia studiose comparas, hanc lectionem alienam esse ab ea, quam in scholis tradidi, compereris, adhibito iudicio

vnum approbasti, alterũ reiecisti, & quod meum fuit, callide fecisti tuum. Nam quod ais, me ignorare, Verum pro Æquo sæpe poni, parum vere, aut æque facis. Ego enim hoc ipsum in scholiis libri 40 scripsi, vbi Verius esse, pro Æquius esse, duobus Liuianis exemplis confirmaui.

Attodis deit. de me loco altero eodem in libro, his verbis: *Eodem lib. 3. paulo ante Sigonius corrumpit locum hunc nam legit. Et in vnica concordia inter ipsos, qui consensus in priuatis interdum consiliis vtilis esset, summa in alios æquitas erat. Verba autem ipsius in scholiis pag. 10 num. 41 hæc sunt. Vetus liber vnus habet in priuatis, alter in priuatis consiliis interdum vtilis esset. vt videatur legendum esse. Qui consensus in priuatis interdum consiliis vtilis esset.* Hæc ille. *Sed omnes vetusti libri, quos ego hactenus vidi, manuscripti ita habent. Et in vnica concordia inter ipsos, qui consensus in priuatis interdum inutilis esset. vnde pulcerrima elicitur sententia, si inter se consentiant priuati homines, interdum id magno aliorum malo fieri.* Ego, quod sensi tum Robortelle, ex manuscriptis scripsi, quam nunc etiam lectionem in libro Marci inuenio ita. *Qui consensus priuatis interdum consiliis vtilis esset.* cuius lectionis, sensum, vide an non probes. *Erat, inquit, summa aduersus alios æquitas posita in vnica inter ipsos Xuiros concordia, qui consensus in priuatis interdũ consiliis vtilis esset, id est, si priuati in consiliis capiendis se cum sæpe consentiant, eo modo, quo Xuiri, qui erant in magistratu, inter se concordarunt, vtile futurum reip. neque enim ciuiles dissensiones eas, quas tum habebat in manibus Liuius, fuisse consequuturas.* Accommodat ergo Liuius sententiam ad res Romanas, & ad illa turbulenta reip. tempora; & priuatorum consensum, non aliter quam magistratum, vtilem esse ait; non semper sed interdum: nam si semper priuati consentirent, multis nocerent, si interdum, reip. non obessent. Ille vero ait, *si inter se consentiant priuati homines, interdum id magno aliorum malo fieri.* at ego: *si inter se consentiant priuati homines, interdum magno id reip. emolumento fieri,* de rep. enim agitur tum a Liuio, & de seditione, quæ excitabatur. *Iudicabunt de vtroque sensu doctiores.* Atque hæc quidem ea sunt, quibus ille me aut obscure, aut palam, quantum ego intelligere potui in libro de conuenientia, & arte corrigendi notauit, ac male accepit, quibus a me ad vnum ita esse sine vlla contumelia responsum volo.

Nunc finem dicendi faciam si ante loci vnius, quem ille iniuste ex Quintiliano mutare conatur, quod eo plurimum gloriatur, meminero: neque enim satis eius sententiam laudo. Sic ait: *Et tamen interdum firmior in hoc genere coniectura, vt illa nostra apud Quintilianum libr. octauo cap. 2. de perspicuitate, sub initium. Vt [illegible], qui in actione liberi [illegible] herbas [illegible] solo, nequaquam [illegible] genere [illegible], nisi [illegible] vanitate Cassius Seuerus [illegible]*

tum

tum illum dicere vel... dixisset. [illegible] notat locum hunc, & *an...* [illegible] *in plerisque exemplaribus, quod tamen antiquum nostrum in modum* [illegible] *loci intellectum. Ego quid a* [illegible]*, non video, legendum igitur, qui in actione Ibericas herbas aequasse solo. nam Quintilianus agit de iis, qui reformidant omnia verba,* [illegible] *Ibericas herbas* [illegible]*, nos* [illegible] *& aequare* [illegible]*, aut* [illegible]. Haec ille. ad quae ego. si, vt Canetanus [illegible] Herbasse non est in plerisque ex impressis, ne desiderant quidem, ita legitur, vt nunc vulgo in omnibus legitur. & maxime in Aldino trigesimo sexto ante anno impresso. Ve ille, *qui in actione Ibericas herbas se solo nequicquam intelligente* [illegible]. Loquitur Quinctilianus de verbis humilibus infra dignitatem rerum, aut ordinis, cuius exemplum est, Ibericae herbae, [illegible] autem solo non esse huius praecepti exemplum, inde apparet, quod id est supra dignitatem rei, cum loquitur [illegible], nam aedificia solo aequantur. praeterea, quod C[illegible] vanitatem dicti indicare [illegible] cum dicere vellet, [illegible] autem de aequare solo, quod ab oratore illo prolatum non erat, [illegible] indicat exemplum alterum, quod sub[illegible], [illegible] pisces, qui herbis Ibericis respondent. Postremo melior sententia est, si dicas, illum Ibericis herbis [illegible] solo nequicquam intelligente, quam nequaquam intelligenter. Est enim vanitas maior, id dicere, quod tu [illegible] orator frustra intelligas, [illegible] intelligenter dicas: dicimus enim non vt nos soli intelligamus: nam id est frustra loqui, sed maxime, vt alii intelligant [illegible] erroris caussa [illegible] fuerit, *Herbas herbasse*, qua vox illa *Herbas* [illegible] scripta est. itaque ex altero Herbis, [illegible] factum est Herbasse. Quare quam tu [illegible] coniecturam Robortelle vocas, ego infirmissimam, & nullius [illegible] robore dignam [illegible].

IN LIBRVM PRIMVM EMENDATIONVM.

IN I. ET II. CAPVT.

Catulli & [illegible] odos comparatio irrisa, & loci Demosthenis emendatio reprehensa.

CAPVT III.

VEnio nunc ad singula contra emendationem eius refutanda, [illegible] quem [illegible] dam [illegible] rum [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] tum, [illegible] emendator [illegible], & tam praecl[illegible]

cognoscerent. Primo igitur capite odes Sapphus cum ode Catulliana comparationem attulit, egregie, nisi hoc ipsum ante a M. Antonio Mureto in Catulliano commentario demōstratum esset in quo ego soleo mirari istius hominis diligentiam, qui cum, vt post apparebit, ne verbum quidem, quod a se vsurpatum sit, ab alio vsurpari velit, ipse tamē eum librum, in quo magnam partem doctorum hominum male accepit, exordiri nisi ab aliena vsurpanda laude non potuit. quod idem etiam supra fecisse cum dixi in demonstrando Liuiano errore, & lapidum Capitolinorū præpostero ordine, quæ a me meo occultato nomine sumsit. Secundo autem capite præclarum artis suæ monumentum reliquit. Locum enim Demosthenis integerrimum, pulcerrimum, ac splendidissimum detruncauit, fœdauit, atque obscurauit is est in prima Philippica his verbis. λέγω δὴ τοὺς πάντας στρατιώτας δισχιλίους, τούτων δὲ Ἀθηναίους φημὶ δεῖν εἶναι πεντακοσίους, ἐξ ἧς ἄν τινος ὑμῖν ἡλικίας καλῶς ἔχειν δοκῇ, χρόνον τακτὸν στρατευομένους μὴ μακρὸν τοῦτον, ἀλλ' ὅσον ἂν δοκῇ καλῶς ἔχειν ἐκ διαδοχῆς ἀλλήλοις, τοὺς δ' ἄλλους ξένους εἶναι κελεύω, καὶ μετὰ τούτων ἱππέας διακοσίους, καὶ τούτων πεντήκοντα Ἀθηναίους τοὐλάχιστον, ὥσπερ τοὺς πεζοὺς τὸν αὐτὸν τρόπον στρατευομένους καὶ ἱππαγωγοὺς τούτοις, εἶεν, τί πρὸς τούτοις ἔτι; ταχείας τριήρεις δέκα. Quis est, qui hæc legat, qui in his aliquid desideret, nisi plane sit excors, & sine sensu? inuentus est tamen Robortellus homo acutissimus, qui reperit vitium, inquit enim: *Postrema verba, in quibus de hippaginibus loquitur Demosthenes, corrupta sunt, vt vnusquisq; facile perspicere potest. neq; cohærent, aut vllam certam rem significant. nam sicuti numerū & antea, & post in singulis rebus præscribere conatur orator, nam ait ταχείας τριήρεις δέκα. ita etiam transuehendis equitibus quot hippagines instruenda essent, declarare ipsum erat necesse. legendum igitur est. καὶ ἱππαγωγοὺς ς τούτοις εἶεν, vt hippagines dicat sex instrui debere. nam nota illa ς talem numerum, vt omnes sciunt, significat.* Hæc ille. Cō firmat deinde hanc lectionem auctoritate Thucydidis libr. 6 qui ait. *singulas hippagines tricenos equites vehere solitas* Cur autē ego hanc lectionem immutandam esse non censeam, quatuor rationes me adducūt. *Vna*, quod contra omnium librorū & scriptorū, & impressorum consensum contendit. *Altera*, quia numerū hippaginum non necessarium inuehit: neq; enim necesse, vt orator, cum ducētos equites decernat, etiam numerum nauium, quibus equi deueherentur, ascribat: satis enim per se intelligi potest, si ducenti sunt equites, atq; hippagines pro iis paranda sunt, quot sint parandæ, etiam oratore nō admonente præsertim vero cum notum esset, vt ipse ait ex Thucydide, singulas hippagines tricenos equites transuehere solitas triremium autem velocium numerū afferre erat necesse; vt enim peditum & equitum, qui pugnaturi sunt, sic triremium certus statuendus est numerus, vt belli gerendi ratio sit exploratior. at vero hippaginū numerus quid ad oratorem?

torem? dum modo tot instruantur hippagines, quot transportandis equitibus sint necessariæ. Itaq; cum in eadē oratione paulo ante quendam numerum equitū statueret, hippaginum tamē numerum nullum adscripsit, inquit enim: πρὸς δὲ τούτοις τοῖς ἡμίσεσι τῶν ἱππέων ἱππαγωγοὺς τριήρεις, καὶ πλοῖα ἱκανὰ εὐτρεπίσαι κελεύω. Tertia, quod signum orationis pulcerrimam sustulit, quæ voce illa ἔστω exprimitur, quæ a Latinis Esto dici solet, quaq; tum demum vti oratores soliti sunt, cum satietatis euitandæ caussa, præsertim in numerando quæ dicta sunt quasi ex auditorū persona, concedunt vt alacrius quæ sequuntur, subiiciant, vt hoc loco, Ego duo milia militum decerno. ex his Athenienses quingentos esse oportere dico, reliquos peregrinos, & cum his equites ducentos, atq; horum Athenienses minimum quinquaginta, qui eadem conditione, qua pedites mereant, atq; his hippagines esto, quid ad hęc? triremes veloces decem. Eodem etiam etiam modo vsus est hac voce ἔστω, in oratione contra Leptinem ἔστω· εἰ δὲ δὴ τὰ μάλιστα ἐπιλείπειν ἔμελλον, εὖ οἶδ' ὅτι, &c. locus est nō longe a principio. Venustatē autem huius concessionis & trāsitionis oratoriæ a summo figurarum magistro tolli aut nō agnosci mirarer, nisi, quæ quarta ratio est, eundē nobilem Grammaticum structuram etiam rectam orationis hac sua emendatione distorquere viderem. cū interpretatus sint; non esto, hoc modo Duo millia militum decerno, ex his Athenienses quingentos esse oportere dico, reliquos peregrinos, & cum his equites ducentos, atq; horum Athenienses minimū quinquaginta, atq; his hippagines sex sint, quid præterea? liburnicas decem. Non enim attēdit, hos casus omnes accusandi esse, qui ab illo verbo Esse regantur. itaq; si in medio huius orationis cursu dixeris, his, hippagines sex sint. non posse deinde dici, liburnicas denas fuit. nam is est casus accusandi, qui verbum, Esse, supra positum respicit. nec verbum proximum, Sint, spectare potest. Ignoscant autem docti, si hæc minuta persequor. nam cum bono Grammatico mihi res est, quo cū mihi subtiliter esse video disputandum. Quare cum hæc lectio nec librorum auctoritate munita sit, nec numerum necessarium afferat. & venustatem orationis impediat, & sermonem ipsum contra Grammaticæ præcepta deformet, sine dubio cum suo auctore repudianda est.

IN IV. CAPVT.

Asconii turpis emendatio exagitata.

CAPVT IV.

Graue igitur hoc esse ducerem, nisi grauius multo esset, quod sequitur. Asconium in hoc libro Robortellus gloriatur se prope ab inferis excitasse, idque in Manutii contumeliam, cuius manu constat multis vlceribus esse curatum, dicerem etiam mei, si ego in societatem eius laboris vere, vt ille aliquando criminatur, venire possem. Ex multis autem, quæ se ille sanasse putat,

Asconii vlceribus, hoc primum exposuit, vt mortiferum, quod est in commentario orationis in competitores. Verba Ciceronis sunt in Catilinam competitorem hæc: *Quid? tu potes in eo [illegible] dicere, quod illi ne dixerunt, quæ tibi dicere non licebit.* Et paulo post: *Denique illi negare potuerunt, & negauerunt, tu tibi ne negandi quidem impudentia locum reliquisti, quare præclara dicentur iudicia tulisse, si qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absoluerunt confitentem.* Exponit hic Asconius qui sint, qui condemnati sint, & quod fuerit crimen Catilinæ. inquit autem intelligi L. Luscium, & L. Bellienum, qui damnati erant hoc anno, haud ita multo ante, quam Cicero hæc diceret. quia Sullano tempore cædes proscriptorū fecerant iussu Sullæ. De Catilina vero ita ait: Huius criminis periculū, quod obiicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit: *post effecta enim comitia consularia, & Catilinæ repulsam, factus est reum inter sicarios L. Lucullus.* Hæc verba mendose esse noster hic putat, quia repugnant, inquit, verbis Ciceronis, ad quorum declarationem allata sunt. Nam Cicero, cum ante comitia consularia loquatur, significat, Luscium, & Bellienum condemnatos, Catilinam autem absolutū. At vero Asconius post paucos menses, & post effecta comitia consularia, & post Catilinæ repulsam, Catilinā inquit reum inter sicarios factum. Existimat etiam cum Cicerone esse Dionem, qui nihil aliud scribit, nisi Figulo, & Cæsare consulibus, quo anno Cicero cum Catilina petiit consulatum, Catilinam inter sicarios postulatū esse absolutum: id est, vt Robortellus exponit, ante comitia. Et quia ipse primū sic constitutum ait antiquitatis, vt Asconium, quem Ciceroni repugnare putat, tueatur, eum non accusat, sed emendat. Cur enim, ipse secum inquit, artem emendandi nouā excogitaui, nisi ad dissensiones auctorum inter se veterum dirimendas? repetit præcepta omnia artis suæ, addendi, auferendi, transponendi, extendendi, contrahendi, distinguendi, copulandi, notandi vel accentus, vel puncti, vel literarum, vel dictionum. ex tanta, & tam copiosa supellectile duo instrumenta sumit, quæ ad curandum ægrū Asconium afferat, ablatione, & mutationem. tollit igitur hæc verba omnia, *Post effecta comitia consularia, & post Catilinæ repulsam.* mutat vocem *Post*, in vocem *Ante.* atque ita surgere e lecto valentem Asconium iubet atque hoc exemplum nobis omnibus eiusmodi medicinæ ignaris præscribit, quod sequuti remedium desperatis auctorum locis adhibeamus. Scilicet hoc nobis præceptū reliquisti Robortelle, vt castissima veterum scripta, quia a nobis non intelligantur, violemus, vt temerarias illis manus inferamus, vt e. non vna duabusq; literis, sed sex, septemque verbis sublatis, [illegible], id est, vt non sanguinem, sed spiritum, animamq; mittamus? quis tibi narrauit Asconium Ciceroni aduersari, aut Ciceronem absolutum esse Catilinam ante comitia dicere: audiamus

mus

mos iterum eum loquentem. *Quid tu potes in tua defensione dicere, quod illi ne dixerunt? quae tibi dicere non licebit.* & paulo post: *Denique illi negare potuerunt, & negauerunt, tu tibi ne infitiandi quidem impudentiam reliquisti. Quare praeclara dicentur iudicia tulisse, si qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absoluerint confitentem.* His tu verbis Robortelle interpretaris Ciceronem dicere Catilinam ante comitia & repulsam absolutum. non est ita. Cicero enim, vbi loquutus est de iudicio repetundarum ex quo ille euasit, loquitur de iudicio inter sicarios, quod ipsum subiturum & eo damnatum iri praedicit. cur damnatum iri credat, hoc affert, quia si Bellienum, & Luscium, qui negare potuerunt, & negauerunt, iudices condemnarunt, multo minus Catilinam confitentem absoluerent. Quae verba declarans Asconius ait: Huius criminis periculum subiit Catilina paucos post menses, quam hoc periculum ei Cicero praediceret. nam post comitia consularia perfecta, & post repulsam, quam cum Cicerone petens tulit, hoc eodem anno Caesare, & Figulo consulibus reus inter sicarios factus est a Lucullo. Tu aūt verba Ciceronis non attendens, qui inquit: *Quae tibi dicere non licebit. & praeclara dicentur iudicia tulisse, si qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absoluerint confitentem,* haec omnia quasi facta narrari a Cicerone putasti, cum de iis, vt de futuris loquatur. & iudices vituperatum iri dicat, si cum Luscium infitiantem condemnarint, absoluent confitentem Catilinam; cum sit argumētum a minori, si qui negarunt, sunt damnati, vt Luscius, ergo multo magis, qui confitentur, vt Catilina, condemnabuntur. quae sententia ne tibi noua sit, audi quid in Pisonē eodem modo dixerit, cum iudicium item in senatu, & damnationem ei praedixit: An ego expectem, dum de te quinque & septuaginta tabellae diribeantur? de quo iam pridem omnes mortales omnium generum, aetatum, ordinum iudicauerunt. Si nobilem Grammaticum futurum tempus pro praeterito sumere mōstrum est, si bonum rhetorem argumentationē Ciceroni familiarissimā non sensisse portentum est. quid dicemus egregium librorū medicum valenti, non aegroto auctori ita venam incidisse, vt ipsum pene bracchiū detruncarit? Adde illud etiam: diligentissimū Romanae antiquitatis obseruatorem, cum se omnes eodem loco Catilinae accusationes persecuturum esse profiteatur, primam omittere, cum de incesto postulatus est, cuius iudicii auctor est Orosius lib. 6 his verbis: *Eodem anno Catilina incesti accusatus, quod cum Fabia virgine Vestali stuprum commisisse arguebatur, Catuli gratia fultus euasit; hoc autem factum est anno* DCCXX.

IN CAPVT III.

Verba duo ex Demosthene versa desiderata.

CAPVT V.

HOc ille specimine ingenii, studii, eruditionis, ac diligētiae suae dato, deinceps in Manutiū, Sigoniūq; acerbiss maledictis in-

uadit. dicam primum, quod tempus postulat, de Manutio. nam de Sigonio maius opus. Philippicas a Manutio e Græco non bene conuersas hoc argumento probare contendit, quod ἄγων καὶ φέρων captum abducẽs & ἀντίδοσιν retributionem conuerterit. De vtroque quid sentiam dicam, sed paucis. nam sat scio Manutiũ absentem, vbi hæc legerit, idoneo tempore suas iniurias esse persequuturum. Quid ergo ait Robortellus Græcarum literarũ dominus? *φέρειν καὶ ἄγειν, non est captum abducere, sed vexare, iactare, exagitare, cur? quia Plutarch. de Philosopho dixit ἀλλήλους ἡμῶν ἀγόντων καὶ φερόντων, i. nos inter nos mutuo agitantibus.* Ego Robortelle vt tibi graues illi viri narrarunt necessarii mei, vix attigi Græcas literas. Etenim quanquã eas iam inde a vigesimo secũdo ætatis meæ anno publice professus sum, nunquã tamen longius progredi potui, quã vt dictionarii ope, quemadmodũ etiam te audio facere, Græca intelligerem, non occultabo tamen hoc loco opinionem meam. Ego existimo ἄγειν καὶ φέρειν accipi a Græcis proprie, & translate. Proprie dici de iis, qui, cum quo volumus, ire nolunt, ferendi trahendique sunt, & quia in ea re vexatio corporis aliqua posita est, hinc ἄγειν καὶ φέρειν pro vexare vsurpatum esse. Demosthenem præterea proprie Plutarchum tuum translate esse locutum, atq; idcirco Plutarchi exemplum parum ad id quod vis, probãdum esse accommodatum. Proprie dixisse Demosthenẽ, id argumento est quod inquit ἀντὶ τοῦ ἡμετέραν ὑμῖν πολεμεῖ συμμάχων ἄγων καὶ φέρων τοὺς πλεονέκτας τὴν φιλανθρωπίαν. item εἰς λήμνον, καὶ ἴμβρον ἐμβαλὼν αἰχμαλώτους πολίτας ἡμετέρους ᾤχετ' ἄγων. declarat ergo quasi, quid sit ἄγων καὶ φέρων, cũ subdit αἰχμαλώτους ἄγων, id est, captos abducens. Translate verum translatione ea, quæ ad proprietaté proxime accedit, locutus est Dionys. lib. 11. τοῖς θρασυνομένοις τῶν νέων ἐφῆκαν ἄγειν καὶ φέρειν τοὺς ἐναντιουμένους τῇ πολιτείᾳ. Quanquã autem ἄγειν καὶ φέρειν est vexare, tamen nõ est hoc verbũ quo Latini græcam eam loquẽdi formã expresserint. Etenim vt Græci dixerunt ἄγειν καὶ φέρειν, sic Latini Agere, & ferre, quod te miror, qui alios accusas, dũ hæc scriberes, non vidisse. Audi Liuiũ. *Hi ferre, agere plebem plebisque res.* Item: *Tum demum fracta pertinacia est, cum ferri, agique res suas viderunt.* Item: *Cum ante oculos prope suas sociorum res agi, ferrique viderunt.* atque hoc est, quod dixit Demosthenes τοὺς συμμάχους ἄγων καὶ φέρων Reprehendis etiam illud ἀντιδόσεις ποιοῦμεν, retributiones facimus. cur? quia ea vox consuetudinem illam Atheniensium quæ voce ἀντίδοσις continetur, non exprimit, & quia non est Ciceronis. Hoc si ita est, cur tu non aptam, & Ciceronianam vocem attulisti? nulla est, inquies, quia consuetudo illa prouocandi ad permutandas cum functione muneris fortunas apud Romanos nulla erat. si nulla est, tentandum est tamen, vt aliquid dicamus. quod autem verbum vnum verbo ἀντιδιδόναι, magis respondet, quam retribuere? si ita, quod nomen ἀντίδοσιν, magis explicat, quam retribu-

nil utio? nam si dicam prouocatio ad permutandas cum muneris functione fortunas, non est vnum verbum, quod si malum est, tu melius affer, quanquam nescio, cur, si Cicero dixit attributionem, nos retributionem dicere, præsertim re coacti, non possimus. Atque hoc dictum sit, non vt alienas ipse iniurias persequerer, qui vix meis depellendis sufficerem, sed vt omnes cognoscerent, quot, & quantos fructus præclara nobis istius ingenii monumenta pepererint, & quantum huius hominis industriæ multis nominibus omnes debeamus. Quis est enim, qui numerum nobis apud Demosthenem non necessarium infert? Robortellus: quis venustatem figuratæ orationis, quam non agnoscit, corrumpit? Robortellus: quis rectum orationis contextum dissipat, atque dissoluit? Robortellus: quis tempus futurum pro præterito sumit? Robortellus: quis Asconium Ciceroni aduersari falso ducit? Robortellus: quis eundem ita sanauit, vt mutilarit? Robortellus. quis proprium quid a translato differat, nõ distinguit? Robortellus. Salue igitur ingeniosissime, atque doctissime Robortelle, Romanarum literarum pater, Græcarum patrone, custos temporum, vindex antiquitatis. Tu nos iam longo tempore in tota literarum ratione, quasi in aliena terra peregrinantes tuis commentariis domum reduxisti, tu rectas grammaticæ regulas ostendisti, tu nouam mutationem temporum demonstrasti, tu propriorum, tu translatorũ verborum distinctionem aperuisti, tu præclaram sanandorum librorum rationem docuisti, tu additionem, tu ablationem, tu extensionem, tu contractionem, tu cetera illa egregia veterum frenandorum auctorum instrumenta antea nobis incognita peperisti. Concisus nunc mihi sit Salustius, addendo propagabo; loquax, & Patauinitate sua præditus Liuius auferendo perpurgabo; obscurus aliquando Cicero, distinguendo, & mutando illustrabo; opponat mihi auctorem qui velit, emendatione mihi conciliabo. Sed sint hæc satis. nunc ad Sigonium.

IN CAPVT V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. ET XVI.

Sua de ludis secularibus opinio confirmata, aliena confutata. Liuii, Censorini, Valerii loci multi a fœdissimis emendationibus defensi.

CAPVT VI.

TAndem ad Sigonium, Sigonium mel, ac delicias suas Robortellus peruenit, a quo ne cito deuelleretur, longam disputationem de ludis secularibus orsus est, quam, vt errores eius in maius ornaret, absurde in nouem capita diuisit cum vno complecti omnes & posset, & deberet. Quæstionis autẽ initium hinc ductum est: fastos ego Capitolinos a me suppletos bis edidi, primum Mutinæ, deinde Venetiis, posteriore autem editione curaui, vt, quod ab initio pollicitus fueram, perfectiora, & meliora essent omnia,

quantum a me in tanta rerum antiquitate, atq; obscuritate præstari posset. Contulit igitur inter se Robortellus homo non incallidus vtramq; editionem, quæq; ego mutaueram, ea vt meo damnata iudicio, signauit eademq, hoc libro mihi vitio dedit, non dico, quam inique: quis enim vnquam in literis alteri quod sententiam in melius mutauerit, in maledictis obiecit? illud dico, quam ridicule: non enim reprobauit, quæ immutaui, sed comprobauit quæ reliqui. Vt tamé ipsa in ea re multum vidisse videretur, me a se Patauinis suis scholis castigatum ea commutasse omnia scribit, q̃ au fieri potuerit, paulo post apparebit, nunc de re. Ludos sæculares ego in priore editione sub consulibus dispensaueram, quos e posteriore exemi, cur apposuissem, ea caussa fuit, quod Quincti ludi in lapide Capitolino ita descripti sunt, vt sub consulibus C. Silio, & L. Munatio poni debere videantur, sic enim habet.

C. SILIVS P. F. P. N. L. MVNATIVS L.F.L.N. PLANCVS.
LVDI SÆCVLARES QVINCT.
IMP. CÆSARE DIVI F. AVGVSTO.

Itaq; cum ea meam mentem opinio imbuisset, Quinctos ludos sub consulibus bis esse dispositos, quanquam eos Furnio, & Silano cos. multo ante factos veterum annalium auctoritate persuasum habebam, putaui quartos etiam, & tertios, & secundos, & primos mihi esse sub cõsulibus collocandos: cur remouerim id caussæ fuit, quod eos postea non sub consulibus, sed e regione consulum; & in alio lapide incisos comperi. quinctos autem casu nescio quo a fabro commoditatem suam quandam sequuto sub consules illos esse subscriptos. Itaque mihi, qui fastos consulares scribendos susceperam, ludorum sęcularium mentionem necessariam non esse duxi. Ille autem, qui sua Patauina castigatione factum esse ait, vt eos exemerim, quod ludos primos sæculares non P. Valerio primum, sed quartum cõsule factos probasset, non intelligit, si vera ea sint, non me omnes exempturum fuisse sed primos tãtum mutaturum. Nunc vero, etsi ea me defendere, quæ ab ipso ante damnata sunt, oportere non existimo, tamen, vt intelligat ipse, me suo admonitu nihil fecisse, nec facere debuisse, ita quod scripseram de ludis sęcularibus tuebor, vt me recte sensisse, illum in tota hac quæstione nutare confirmem. Negat is ludos sæculares primos in primum P. Valerii Poplicolæ consulatum, qui primus post reges exactos consul fuit, esse coniciendos, sed in quartum, cuius auctor sit Plutarchus. Cui ego respondeo, magnam de primis, secundis, tertiis, & quartis ludis sæcularibus, quibus potissimum cõsulibus facti sint, esse opinionum varietatem, quas omnes Censorinus in libro de die natali literis persecutus est. *Primos autem alios in primum Poplicolæ consulatum, alios in quartum retulisse, in Xuirum autem libris M. Valerio, Sp. Virginio cos factos scriptum esse*, teste Censorino. De Poplicola primum consule hos ludos faciente sic Censorinus:

nus: *Primos ludos sæculares exactis regibus constat post Romam conditam annis CCXV. a Valerio Poplicola institutos esse*, quæ verba si diligenter attendas, intelliges ad quartum Poplicolæ consulatum referri nullo modo posse, sed duntaxat ad primum, non enim de quarto consulatu dixisset: *Exactis regibus, neque anno CCXLV.* quanquam tu dominus emendationum, ex ingenio, CCXLIX. reponis, neque numerum vllum tua non violatum manu esse permittis, vt eos ludos in quartum Poplicolæ consulatum transferas. Hoc idem Valerius videtur indicare, cum ait: *Valesii exemplum Valerius Poplicola, qui primus consul fuit, sequutus eandem aram terra obruit, &c. Nam, Qui primus consul fuit, videtur adiecisse, vt annum post exactos reges*, sicuti dixit Censorinus, *exprimeret.* Hoc idem etiam Politianus vir doctus in Miscellaneis ex Zosimo & existimauit, & tradidit. Si ergo Poplicola primum consule factos primos sæculares ludos auctores tres habeo, quid deliqui, cum eos in primum potius eius, quam in quartum consulatum, cuius solus est auctor Plutarchus, conieci? Sed vide, quam meum iudicium a tuo dissideat, ego, si veritatem annorum, quibus ludi sæculares omnes facti sint, tueri velim, libros Xuirales, quos identidem auctores citat Censorinus, quam historicos alios vllos audire malim. ex libris autem Xuirum apparet *primos M. Valerio. Sp. Verginio cos. anno ad Capitolinam summam CCCXVII. esse factos: secundos M. Valerio Coruo, & C. Poetelio cos. anno CDVII. tertios P. Cornelio Lentulo, C. Licinio Varo. cos. anno DXVII. quartos M. Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreste cos. anno DCXXVII.* ita vt centesimo decimo quoque anno relati sint, quod etiam significauit Horatius in carmine sæculari, cum ait:

Certus undenes decies per annos
Orbis vt cantus, referatque ludos.

Sic enim legit, & exponit Acro. quanquam tu hunc etiam locum fœdissime deprauans legis. *Certos vt denos decies per annos, orbis & cantus, referatque ludos* Liuius autem non centesimo decimo quoque anno relatos existimat, sed centesimo. Ac de primis quidem, quo anno ex Liuii sententia relati sint, nihil habeo compertum, secundos vero anno CDI. factos esse, illum putasse, inde suspicor, quod Zosimus secundos ludos factos esse M. Popillio consule scribit anno ab V. C. CDII. qui consulatus apud Liuium in annum CCCCI. incidit: tertios factos Antiate, & Liuio auctoribus tradit Censorinus, P. Claudio Pulcro, L. Iunio Pullo consulibus, qui in annum incurrunt apud Liuium DI. quartos editos sunt Antiate, Varrone, & Liuio auctoribus L. Marcio Censorino, & M'. Manilio cos. id est, si summam Liuianam audiamus, anno DCI. sic enim scriptũ est in epitoma libri XLIX. Altero, & sexcentesimo anno ab V.C. L. Marcio, & M'. Manilio cos

tertium bellum Punicum cœptum. Diti patri ludi ad Terentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti, qui centesimo anno primo Punico bello, quingentesimo, & altero ab V. C. anno facti erant. Non ergo ignoraui, vt ais, Liuium de sæcularibus ludis loquutum, neque tua admonitione Patauina, sed meo domestico consilio adductus, ludos sæculares omnes dimoui. Quod autem me culpas, quod secundos ludos sub consulatum M. Valerii Corui, & C. Pœtelii ex auctoritate librorum Xvviralium subiecerim, & putas historicorum potius, quam Xvviraliū librorum auctoritate standum esse, ego te errare existimo. Etenim de re pontificia ego libentius pontificales libros, quam alium quēquam audiam. Nam quos ais Censorinum secundos ludos in consulatum M. Valerii & Sp. Virginii anno CCXCVII. contulisse, vehementius etiam falleris, non enim tū de secundis, sed de primis loquitur Censorinus, vt post ex Xvviralibus libris ostendam. Quod autem obiicis de ludis tertiis, me in eum annum illos reiecisse, cuius nulli extent auctores, fateor: verum illa caussa fuit, de qua initio dixi, cū putarem sub consulibus eos esse ponendos, nec possem eos ex Liuii sententia in consulatu P. Claudii, & L. Iunii, nec ex Xvviralibus libris in consulatu P. Lentuli, & C. Licinii collocare, quod per ea tempora marmora Capitolina integerrima sint, nec patiantur, ne verbum quidem, nedum tot versus inter consules interponi, coactus sum, vbi primum marmoris fragmentum reperi, cōstituere. Libentius autem certe etiam in hoc Xvvirales libros sequutus essem, si potuissem. Versus autem, qui interiiciendi erant, hi sunt.

LVDI SÆCVLARES TERT.
M'. ÆMILIO M'. F. MAGISTER XVIR.
M LIVIO F. M. N. SALINATORE.

Quos e regione Lentuli, & Licinii consulum nunc ii ponendos esse credo, qui ludos hos ascribere velit. Quare nō est, quod tu delirans suspiceris, me quod per eos annos M. Liuii Salinatoris, & M. Æmilii Paulli consulum mentio pueriliter fieret, adductum esse, vt in ea tempora hos ludos conicerem, sciebam enim iam pridem magisterium Xvvirale nihil ad consulatum pertinere. Nam quod vitio vertis, me auctoritatem Xvviralium librorum sequutū quartos ludos in consulatum Lepidi, & Orestis transtulisse, cum potius in Marcii & Manilii consulatum ex Liuii sententia essent reiiciendi, respōdeo, primum, malle me in hac re, dum possim, Xvvirales libros, quam Liuium sequi, in quibus summam video annorum constantiā iuxta Horatii versum & Augusti sententiam conseruari, deinde, ne, si voluissem quidem Liuium sequi potuisse. Nā illa tempora, quæ in Marcii & Manilii consulatum incurrunt, quanquam aliqua ex parte debilitata, tamen ita integra sunt, vt satis ostendant, non posse versus aliquot de ludis sæcularibus inter consules interponi. Quod autem alio loco ais, nō fuisse, quod angerer

angerer in enumerandis annis centum adeo exquisite, quamuis ne id quidem scierim, aut si scierim, non potuerim tamen Liuii locum confirmare, respondebo tibi primum de numero centesimo, deinde de Liuii loco. Ego existimo Robortelle, si secundi ludi in annum, quo M. Popillius cos fuit, teste Zosimo, inciderũt, tertii in consulatum P. Claudii & L. Iunii, quarti in consulatum L. Marcii & M' Manlii, atque hi sunt anni apud Liuium CDI, DL, DCI, idque sine vlla correctione, aut mutatione vulgatorum librorum, satis me probasse, ex Liuii sententia ludos sæculares centesimo quoque anno relatos: siquidem ego a CDI. vsque ad DL centum annos numerare soleo, vt a DL. vsq; ad DCI alios centum. Nam quod ais, non semper exspectatos esse annos centum; quod et concedi ego possit, quia alii auctores a Liuio, qui numerum cẽtesimum intulit, dissentiant quid me hoc torquet, dum modo cõstantiam hanc in opinione Liuiana inueniam, vt in Xvirali illam alteram, quo i centesimo decimo quoq; anno relati sint? & si quæris, vnde tanta annorum in his edendis ludis varietas nata sit, te docebo, qui hoc, vt multa alia, confiteris te ignorare, docebo autem te quæ non tam ego, quam Onufrius Panuinius vir in obseruanda omni antiquitate diligentissimus & summo ingenio præditus existimet: Scribit Acro in sæculare carmen Horatii ita: *Sæcularis carminis duplex deuotio esse consueuerat: aut enim pro sedanda, aut pro vitanda pestilentia, aut pro certo, & constituto numero annorum.* centesimo enim decimo anno in Capitolio a pueris, & puellis impuberibus cantabatur. Si ergo duplex fuit deuotio carminis sæcularis, ergo etiam ludorum sæcularium fuisse facile existimari potest, ita vt alii ordinarii essent, qui certo tempore & cõstituto referrentur, vt qui centesimo decimo quoque, vel centesimo anno fiebant, vt dixi; alii vero, qui extra ordinem pro re nata sedandæ vel vitandæ pestilentiæ caussa, vt illi, quorum alii scriptores fortasse meminerunt. Quare non est, quod tu inconstantiam in annis horum ludorum labores inuenire, cum ignores tempora, caussas non distinguas, & annalium varietatem non accipias, sed omnia monumenta, omnia sæcula, omnes caussas, cœlum denique, & terram omnem vna norma, atque vna regula metiaris. Et quoniam in hac disputatione iisdem auctorum locis vsi sumus, tu autem arte tua, itaquam Proteus, e manibus elabi meis conatis, non patiar te id facere, atque impune, vel Epitomen, vel Censorinum pro tuo arbitrio, vt me oppugnes, deprauare: ex quo etiam intelligere poteris, an ego tuam aliquando auctoritatem sequutus ludos e fastis consularibus sæculares exemerim.

Locus est in epitoma XLIX qui in vulgatis libris ita legitur: *Diti patri ludi [illegible] ad Terentum ex præcepto librorum Sibyllinorum facti, qui anno primo Punici belli, quingentesimo, & altero ab vrbe condita facti erant.* Hunc ego locum ita ex manuscriptis multis libris

emendaui, sed maxime ex vno, quem ego possideo, & tibi, cum voles, commodabo. *Qui anno centesimo, primo Punico bello, quingentesimo & altero ab V. C. facti erant.* Hic illud *centesimo* improbas, quod ego ita confirmo. Bellum Punicum tertium Marcio, & Manilio cos. cœptum est anno altero, & sexcentesimo ab V. C. vt scriptum est in hac epitoma, iisdemque cos. quarti ludi ex Liuii sententia Censorino teste, & epitoma consentiente facti sunt, ergo quarti ludi anno altero & sexcentesimo ex Liuii sententia facti sunt.

At P. Claudio, & L. Iunio cos. ex Liuii sententia tertii ludi, vt *ait Censorinus*, facti sunt qui annus in DI. ab V. C. incidit, ergo ludi Diti patri centesimo ante anno facti erant ante tertium Punicum bellum, cuius primo anno etiam facti esse dicuntur. Quod si hanc expositionē non accipis, dic, qui centesimo anno facti erant, id est, qui suo & legitimo anno, (is erat ex Liuii sententia centesimus) facti erant. Quod si tu ne hanc quidem vel correctionem librorum desertissimam, vel interpretationem splendidissimā probas, quanto minus ego probare debeo tuas, qui cum quingentesimum, & sexcentesimum alterum, pro, quingentesimo, & sexcentesimo secundo interpreteris, deinde sine vlla librorum auctoritate, quingentesimum, & sexcentesimum quartum reponis, inani hac coniectura ductus, scriptum fuisse DIV. & alteram literam V. deletam esse altero crure, & factum esse DI. vnde postea scriptum esse altero, & quingentesimo, quod cum ipsum ais, non considerare, sed somniare, quid dicas, mihi videris, an vero tu meis manuscriptis libris fidem non habebis, ego tuis somniis habebo? qui in quibus legendum esse: *Qui sexto decimo anno primi Punici belli*: quod ii cōsules in sextum decimum annum eius belli inciderint; neque in quos te errorum laqueos induas, animaduertis? Sed de epitoma hactenus, nunc ad Censorinum veniamus, cuius tu verba capit. XIII. corrigendo ita deprauasti, vt syncerae sententiae simulacrum nullum reliqueris. Verba ea in vulgatis Aldinis ita leguntur: *Primos ludos saeculares exactis regibus cum post Romam conditā anno CCLV a Valerio Publicola institutos esse ad XL. virorum commentarios, anno CCLXXXX. M. Valerio Sp. Virginio cos. anno post vrbem conditam VIII. & XL. vt vero in commentariis XVI. virorum scriptum est, anno CCCC & X. M. Valerio Coruino, & C. Petilio cos. Tertii ludi. &c.* Haec verba ita ex ingenio, quo, vt constat, excellit, emendat Robortellus. *Primos ludos* [illegible] *exactis regibus constat post Romam conditam annis CCXLIX a Valerio Poplicola institutos esse ad XL. virorum commentarios (Seruius autem* [illegible] *tradunt) anno ab vrbe condita CCXCVII. M. Valerio* [illegible] *N. Maximo Sp. Virginio cos. anno post vrbem conditam CC*[illegible] *vt vero in commentariis* [illegible] *scriptum est anno CCCLVII. M. Valerio Coruo, & C. Petilio cos.* Haec ille, nunc eius enumeremus

mus errato. Primum putat, primos ludos non in primo Poplicolæ consulatu factos, sed in quarto, & idcirco mutat annum CCXLV. in CCXLIX. quamquam debuit potius, si quartum spectabat consulatum CCL. scribere. nam quartus consulatus Poplicolæ ad Liuianam, & Dionysianam summam, *vt supra ostendi,* cadit in annum CCL. Deinde, quod non agnoscens incudam, ait *institutos esse ad XVvirum commentarios.* cum nulli tum fuerint XVviri. fuerunt enim librorum Sibyllinorum custodes primum duumuiri Sibyllini, post Xviri, tum XVviri, atque inde XVvirum libri, & commentarii dicti, tertio, quod addens hæc de suo: (*Secundi autem ludi fuerunt, vt multi tradunt,*) confundit primos ludos cum secundis: nam qui anno CCXCVIII. facti sunt, non secundi fuerunt sed primi, vt XVvirum libri tradiderunt, quemadmodum & supra dixi, & infra apparebit quarto loco, quod numerum CCXCIX corrumpit, & facit CCXCVII. dirigit enim summam aliorum scriptorum ad Capitolinam, sine caussa, quinto quod bis eiusdem anni numerum apponit, primum ita: *anno ab vrbe cond.* CCXCVII. deinde ita: *anno post vrbem conditam* CCXCVII. nec attendit priorem numerum ad primos ludos pertinere, posteriorem ad secundos, quem tamen mirifice deprauauit, cum pro VIII. & CD. reposuit CCXCVII. Sexto, quod M. Valerio M'. F. Volusi N. Maximo ex lapidibus Capitolinis huc caussa intulit, cum M. Valerio, vt scripsit Censorinus, satis esset. postremo quod CCCCX. in CCCCVII. eodem imbutus errore mutat. Quare ergo ita emendo: *Primos ludos sæculares exactis regibus constat post Romam conditam annis CCXLV. a Valerio Poplicola institutos esse, at ex XVvirum commentariis (anno CCXCVIII. M. Valerio, Sp. Virginio cos.) Secundi facti sunt* Liuio *& Antiate auctoribus M. Fabio, & M. Popilio cos. anno post vrbem conditam VIII. & CD. vt vero in cõmentariis XVvirum scriptum est, anno CCCCIIX M. Valerio Coruino, & C. Poetelio cos.* Hæc ita se habere, hinc colligere possumus, quod de singulis ludis diuersæ opiniones referuntur, extrema autem semper XVviralium librorum est, vt & post in tertiis, & quartis ludis apparebit. Cum autem primos ex XVviralibus libris scriptum sit factos an. CCXCIX. secūdos an. CCCC. & X tertios anno duodeuigesimo, & quingentesimo, quartos anno DCXXIX malim, vt seruetur constantia centesimi decimi anni legi CCXCIIX, CCIIX, DXIIX, DCXXIIX. neq; n. M. Val. & Sp. Virg. an. CCXCIX. interponerent, cū primi cõsules an. CCXLV. inierint, neq; illæ supputationes sunt, q eā rationē & summā teneantur, præterea in secundis ludis videtur verisimile ex CCCCIIX. factum esse mend. se CCCC & X. nam de tertiis non est dubium: scriptum est enim diserte D duodeuigesimo. Atq; etiam, si in fastis in consulatus tanta constantia CCXCVII. CCCCVII. DXVII. DCXXVII. nominatur, videtur verisimile, vt in hac summa, quæ Fastiana est, & anno vno

sorius, qui Frugi dictus est, eo tempore vixit; siquidem paulo post consulatum, & censuram, vnde Censorius dictus est, cepit. qui locus est a me pluribus in fastorum commentario perpurgatus. Est etiam alter Censorini locus eodem capite positus, quem ille corrigit capite X. Verba vulgo ita leguntur: *Testis est Piso, in cuius annali septimo sic scriptum est: Roma condita anno DVII. saeculum accepit his consulibus, qui proximi sunt consules M. Aemilius M. F. Lepidus. C. Popilius II. absens.* Ille ita emendat. *Roma condita anno DXXI saeculum accepit his consulibus, qui proximi consules sunt, M. Aemilius M. F. M. N. Lepidus, M. Publicius L. F. L. N. Malleolus:* quod tandem hoc portentum est Robortelle? Vnde annum DXXI. & remotissimos consules M. Aemilium Lepidum, & M Publicium Malleolum extraxisti? an ignorabas in fastis Capitolinis anno DXCVI M. Aemilium M'. F. Lepidum, C. Popillium P. F. Laenatem II ascriptos, eos a Pisone esse intellectos. Potuit enim ille eos proximos consules vocare, quippe qui tribunus pl. fuit Marcio, & Manilio cos. anno vel DCI. vt Liuius, vel DCIV. vt fasti, vel DCV. vt Plinius, & Cicero existimarunt. Manilius vero & Popillius consulatum decennio antegesserunt, at quomodo saeculum accepisse Romam proximis consulibus dici potuit, iis qui anno DXX.. fuissent? An nos deludere te Robortelle auctoritate ista tua putas? pueros tuos deludere potes, quibus haec tradis, & hoc modo, quemadmodum tu quodam in loco dixisti. Pradeati certe nemini te aliquid non dico scire, sed sapere, si haec narrabis, persuadere poteris. An enim credis te P. Valerio primum consule primos ludos factos capit. V. probasse, aut hos ludos e fastis, id est, ab historia R. eximendos capit. VI. non fuisse, neque eos, quia Liuius primorum ludorũ non meminisset, remouisse? aut cap. VII. VIII. & IX recte te locum epitomae, quem ego libris manuscriptis ducibus emendaram, refutasse? aut cap. X. saeculares ludos centesimo, vel centesimo decimo quoque anno factos non esse? aut capit. XI. XVviralesi libros in iis ludis dispensandis attendendos non esse? aut capit. XII. & XVI. veram te caussam, cur ludos tertios in illos annos reiecerim, attulisse? aut cap. X. XI. & XIII. quod ex auctoritate XVviralium librorum ludos secundos & quartos disposuerim, iure vitio vertisse? aut cap. X. & XIV. pulcerrimos Censorini vultus foedasse, & nitidissima ora merito consputcasse? non certe: non probasti cuiquam: quis enim te posset aut in tota hac ludorum ratione balbutientem audire? aut in temporum descriptione titubantem perferre? aut in controuersiis auctorum diiudicandis vacillantem probare: aut quis te denique nihil sine summa auctorum pernicie, atque exitio confirmantem non aspernaretur merito, atq. respueret? Quamobrem desine alteri maledicere Robortelle, ne asperiora multo contra audias, non quidem a me: neq. enim mei hoc mores patiuntur, sed ab iis, qui meis instructi rationibus te tum

sina sensu fuisse arbitrantur, cum in animum, vt hæc scriberes, induxisti, quid autem aliud putas Patauinas ipsas scholas esse facturas? ab[...] me hercule ipsa, quæ sæpius tuas, vt præ te fers, in me contumelias ægerrime audierunt, si cu his de rebus post hac verbum feceris, sibilis, strepitu, clamore, ac prope tonitruo personabunt. Desine igitur hanc artem, desine, quam infelicibus, vt video, nimis auspiciis incoasti, figuras autem orationis, in quib te docendis aiunt excellere, tracta, atque doce. ita tamen, vt eas nullo vnquam tempore, nulla vnquam in re vsurpes, neque enim tuum est, figurate dicere, sed, vt dixi, figuras exterminare, antiquitatem, mores, instituta, historias, vetera tempora, interiores ipsas, & elegante homine dignas literas, quarū tu nullum sensum habes, neq; vt video, habere potes aliis concede.

IN CAPVT XV.

Lustrum V. VI. VII. ab vrbe condita [...] confirmatum, & quo modo Græci lustrum dixerint [...]

CAPVT VII.

LVstrum quintum ego conieci in consulatum P. Valerii Poplicolæ consulis II & T. Lucretii in fastis Capitolinis. Reprehendit id factum Robortellus cap. XV. hoc modo: *Liuius nullam de lustro verbum facit. Dionysius censum actum prodit, lustri non meminit, ergo imperite Sigonius, qui lustrum notauit, cum censum deberet: neque enim efficitur, vt quia census actus est, lustrum etiam factum sit, vt Liuius lib. III. Census actus eo anno, lustrum propter Capitolium captum, consulem occisum condi religiosum erat.* Egregie Robortellus & docte. Nunc quæro ab eo, an legerit in fragmentis Capitolinis anno CCLXXX ab V. C. lustrum VIII. factum esse: legit enim sine dubio. Si ergo illo anno lustrum octauum factum est, perquirenda sunt septem superiora, quibus annis condita sint. Ac Seruium quidem Tullium regem, qui lustrum instituit, quater lustrum condidisse scribit Valerius lib. III. Superbum regem nullum censum egisse (erat autem lustrum censendi populi finis) tradit Dionysius. Ergo ab anno CCXLV. quo primi consules inierunt teste Dionysio, vsque ad annum CCLXXX. tria lustra condita sunt. Cum [...] Dionysius auctor sit, anno CCXLVI & CCLVI. & CCLXI. censum auctum esse, lustri vero neque ipse neque alius quisquam meminerit, non ne necessario intelligendum est, Dionysium pro censu lustrum etiam accepisse? Nam Dionysius nūquam lustrum nominauit, semper autem censum, cum alii lustrum. Etenim & octauum lustrum, cuius fasti meminerunt, & decimum, & decimum octauum, quorum Liuius, ille τιμήσιν i. censum libro primo, & tertio vocauit. Huc adde Eusebium in temporibus, qui & hæc lustra, & [...] quoru meminerit, census appellauit quem tu, quamquam ex parte mendosum, contemnis, haud profecto in hunc errorem incurrisses. Nam qui me quodam in loco Eusebii, quē depravatum

priuatum dicis, studiosum esse [illegible] sic habeto, maluisse me semper Eusebii tempora etiam deprauata aliquo cum iudicio obseruare, quam, vt tu, Liuiana integerrima sine vllo iudicio deprauare. Si ergo ad octauum lustrum peruenire non possumus, si tria hæc lustra, quos Dionysius, & Eusebius Græci scriptores censu vocarunt, prætereamus, quid tu acutissime Robortelle, aut cur hoc vnum ex præclaris illis tuis Patauinis castigationib. quod mihi in maledictis obiiceres, elegisti? doce quomodo Dionysius, quomodo Eusebius lustri voce [illegible] Græca voce expresserint, doce quo anno lustrum V. VI. & VII factum sit, si eos annos, in quos ego illa conieci, non probas, nisi hoc facias, animaduersiones illas, quas iactas, tuas inanes ac cõmentitias fuisse existimabo, cũ hæ, quas vt ex omnib. maxime excellentes legisti, vix anicula lucubratione videãtur dignæ. Neq; enim vnquam in fastis Capitolinis census, sed semper lustrum notatum est. Sed si me audies, nullũ in posterũ de lustro, nullum de ludis, nullus de numerandis annis nullũ de emendando siue Demosthene, siue Asconio, siue Liuio verbum facies.

IN CAPVT XVII.

Nomina aliquot mulierum R. non cognomina esse, sed prænomina. & Q. Claudiam Ap. Cæci non fuisse filiã: & Val. locus emendatus.

CAPVT VIII.

HOc loco quæstionem de fœminarum prænominibus interposuit, quam post secundo lib. VIII capitibus, vt errores Sigonianos propagaret, iterum diligentius repurgauit. Nunc igitur, & nos ad hæc leuius, post autem ad illa [illegible] quanto subtilius. Ego Cæciliam, Rutiliam, Rhodocilliam, Murculam, Burram prænomina [illegible] a colore ducta, auctore Valerio scripseram, negat hoc Robortelius, & vitiosum esse Valerium ait. Ego, cũ de prænominibus fœminarũ disputarem, Varronis, & Valerii auctoritatem opposui exempla vero Tertiæ Æmiliæ Quartæ Hostiliæ, Q. Claudiæ, quæ florente resp. floruerunt, protuli, ille tamen negat me exẽplũ vllũ ex tẽporibus reip. [illegible] Ego Faustũ prænomen, item Faustam ex Valerii sententia, præterea Paullam Valeriam, Tertiam [illegible], Quartam Hostiliæ, Quincta Claudiæ prænomina [illegible] negat ille, rationẽ vero cur Varronis aut Valerii [illegible] auctoritatem cõtemnat, affert nullam. Scilicet putauit Robortellum potius in hac quæstione, quam Valerium, quam Varronem, quam ceteros, quos emendatione sua libro secundo repugnantes ad se attracturus est, audiendum esse. Cũ igitur ille ratione pugnabit, tũ & nos ratione resistemus. Interim valere debere veterũ potius, quam eius auctoritatẽ censemus. Quod autem reliquum ille extremo hoc capite scripsit, quã confidenter scripserit, videamus. Verba eius sunt: *Apud Ciceronem in or. pro M. Cælio, & de responsis aruspicum Q. Claudiam, cio legi, sed non Q. vt prænomen esse videatur, [illegible] Quintam fuit m*

vna ex filiabus Appii illius Cæci, de quibus etiam Cicero loquitur in libro de senectute, cum ait: Quatuor robustos filios, & quinque filias Appius regebat, & senex & cæcus. Hanc doctrinam, si quis ab eo quæreat, vnde acceperit, profecto se non aliunde, quam a Sigonio suo hausisse, vnde multa alia, respondebit. Hoc enim se suspicari scripsit olim etiam Sigonius. Vt autem id fieri non possit, & vt senex a puero se induci permiserit, attendamus. Habuit, inquit, Appius Cœcus quinque filias auctore Cicerone, ergo Quinta Claudia erat Appii Cœci filia, non est satis: est enim videndum an filia Ap. Cœci Claudia tamdiu viuere potuerit, vt bello Punico secundo interfuerit. Atqui Appius censuram gessit anno post R. C. CDXLII. cōsulatum priorem anno CDXLVI. posteriorē CDLVI. quo igitur tempore volumus Quintam Claudiam ab eo esse genitam? extremis etiam temporibus, id est, post alterum consulatum concedamus, exempli gratia anno CDLX. Tum enim admodum senem Appium fuisse suspicari possumus, quod viginti ante annos censor fuerat. Si ergo Q. Claudia anno CDLX. nata est, matrem autem Idæam secundo bello Punico M. Cornelio Cethego, & P. Sempronio Tuditano cos. anno ab V. C. DXLIX. in vrbem, & quidem integerrima, vt apparet, ætate vixit, ergo tum annos nonaginta erat nata: an autem eiusmodi ministerii laborem tantæ ętatis fœminę traditum esse probandum sit, alii viderint. Nam male de pudicitia audire ea ætate mulier, qui possit, ego non video: sic enim de ea scribit Liuius lib. XXIX. *Matronæ primores ciuitatis, inter quas vnius Claudia Quinctæ insigne est nomen, accepere: cui dubia ante fama clariorem ad posteros tam religioso ministerio pudicitiam fecit* & Lactantius lib. II. de origine erroris cap. VIII. *Cum ex libris Sibyllinis Idæa mater esset accita, & in vado Tiberini fluminis nauis, in qua vehebatur, hæsisset, nec vllo modo, aut vlla vi commoueretur, Claudiam ferunt, quæ semper impudica esset habita ob nimios cultus, Deam submissis genibus orasse, vt si se castam iudicaret, suum cingulum sequeretur. Ita nauim, quæ ab omni iuuentute non valuit commoueri ab vna muliere esse commotam* Et in libro de viris illustribus: *Tum Claudia virgo Vestalis falso incestu suspecta, deam orauit, vt si pudicam se sciret, sequeretur.* Neque vero Cicero in Cæliana, cum eam Appii Cœci progeniem appellauit, filiam intellexit, sic enim apud eum Cœcus ipse loquitur: *Nonne te si nostra imagines viriles non commouebant, ne progenies quidem mea Q. illa Claudia æmulam domesticæ laudis in gloria muliebri esse admonebat?* Nam progenies de nepotibus, & posteris frequentius dicitur, quam de filiis, vt illud in epistola ad Octauium: *Audiet Brutus eum populum, quem ipse primo, post progenies eius a regibus liberauit, datum in seruitutem.* Quod autem ait apud Ciceronem legi oportere *Quintam*, non *Q. Claudiam*, nescio, cur id faciendum esse cōtra manuscriptos libros existimet. Habeo quidem multos Valerii

manu-

manuscriptos libros, in quibus lib. primo cap. VIII. *Q. Claudia* legitur, vt etiam in impressis, cum ait: *Q. Claudiæ statua in vestibulo templi matris deum posita, bis ea æde incendio cõsumta intacta stetit.* sic enim legendum est, non *Q. Claudii*, vt passim in omnib. & impressis, & manuscriptis legitur.

IN CAPVT XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII.

CAPVT IX.

SEquitur caput XVIII. in quo vsque ad XXVII. de nominib. Romanis aduersus me disputatur, quorum capitum defensionem in secundum librum mihi reiiciendam duxi, vbi latius in librum de Nominibus Robortellianũ disputo, vt vno quasi corpore hæc tota nominum quæstio tractaretur: me enim ordo maxime delectat, vt Robortellum confusio. Itaque capitibus eius, quæ nullum habent ordinem, vix ordinatim respondere possum. Hæc autem hoc in loco volui ascribere, tum vt ne quis quidquam a me præteritum esse existimaret, tum vero, vt si quis defensionem horum maledictorum cognoscere cuperet, vbi quærenda ea esset, ne ignoraret.

IN CAPVT XX.

Leges Papias duas fuisse, quæ vis earum fuerit, quando latæ sint, errores aliorum in iis patefacti. Ciceronis, Valerii, Festi loci aliquot declarati, & emendati.

CAPVT X.

HOc capite de nominibus disputat, cuius rei refutatione in secundum librum reiecta, tantum quod ille de lege Papia scribit, excutiam inquit enim: *Papia lex fuit, quæ peregrinos a iure ciuitatis R. repellebat, vt Cicero explicat in lib. de offic. & Valerius Maximus lib. III. cap. IV. in exemplo de Perpenna, quem ait ante fuisse consulem, quam ciuem, quoniam ipsius pater irrepserat clam in ciuitatis Rom. iuris possessionem.* Ex his verbis apparet ipsum legem Papiam vnam facere, atque de eadem Ciceronem, & Valerium loqui putare, neque legis ipsius sententiam perspicere, credo quod apud eos, qui de legibus scripserunt, quorum ipse studiosissimus est, nihil tale inuenerit, neque ipse aliquid per se intelligere siue aliena præmonitione possit: Dico igitur, Papias leges has duas esse, neque eandem Ciceronem, & Valerium intellexisse, neque vtriusque vim eandem fuisse. Vnam enim fuisse de ciuitate, alteram de vrbe, vel vnam de ciuibus, alteram de peregrinis, ipsum autem vtramque confudisse. id autem ita esse demonstremus. Lex ante fuerat Claudia anno ab V. C. DLXXVI. auctore Liuio, lata, quæ socios in suam quemque ciuitatem redigebat. Post hanc sequuta est Papia, quæ, quo anno lata sit, parum liquet. Hac autem damnatus cũ sit M. Perpernæ pater, eius, qui cõsul fuit anno DCXXIII. non multis ante annis videtur lata. De hac ita Valerius: M. Per-

pernacos antequam ciuis, cuius enim vita triumphauit, mors Papia lege damnata est. Namque patrem illius nihil ad se pertinentia ciuis R. iura complexum, Sabelli iudicio petitum redire in pristinas sedes coegerunt. Meminit eiusdem etiam legis Cicero, vt opinor, in Corneliana, cum ait: *Cum iudices prae se ferrent, palamque loquerentur, quid essent lege Papia de M. Crasso Mamertinis repetentibus iudicaturi, Mamertini publice susceptae caussa destiterunt.* Quibus ex verbis adducor, vt suspicer, hoc amplius Papiam habuisse, quam Claudiam, quod Claudia nisi sociis nominis Latini esset lata, haec etiam peregrinis, cum eadem illi etiam fortasse libidine ciuitatis R. tenerentur. Siquidem Mamertini, quod oppidum Siciliae est, huius legis beneficio M. Crassum, qui se Romae pro ciue gerebat, Messanam reuocare conati sunt. Nam quod ait Valerius, Perpernam triumphasse, ad triumphum, quem ex Sicilia bello seruili profligato tulit, ipsum arbitror respexisse. Haec igitur de ciuitate lex illis lata temporibus est. At vero anno ab V.C. DCXXCVIII. Cotta, & Torquato cos. biennio ante, quam Cicero consul esset, altera Papia lata est a C. Papio tribuno pl. ne quis peregrinus in vrbe esset, de qua sic Dio lib. XXXVII. *κἀντεῦθεν πάντες οἱ ἐν τῇ ῥώμῃ διατρίβοντες πλὴν τῶν νῦν ἰταλίαν οἰκούντων ἐξέπεσον, γαΐου τινὸς παπίου δημάρχου γνώμῃ.* Quam legem intellexit Cic. lib. III. de offi. cum dixit: *Male etiam, qui peregrinos vrbibus vti prohibent, eosque exterminant, vt Petronius apud patres nostros, Papius nuper: nam esse pro ciue qui non sit ciuis, rectum est, non licere, quam tulerunt legem sapientissimi consules Crassus, & Scaeuola, vsu vero prohibere peregrinos sane inhumanum est.* Quis non videt duas hic leges significari, vnam de ciuitate, alteram de vrbe; de ciuitate fuisse Claudiam, priorem Papiam, & post Papiam Liciniam Muciam: de vrbe Petroniam, & Papiam posteriorem; illam laudari a Cicerone, hanc reprehendi? illa cautum, ne quis se pro ciue ferret, qui ciuis non esset, hac ne quis omnino peregrinus in vrbe Roma esset? Hanc autem Papiam intellexit etiam Cicero in oratione pro Archia: *Quia?* inquit, *cum ceteri non modo post ciuitatem datam, sed etiam post legem Papiam aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepserunt? Ciuitatem enim datam significat lege Iulia bello Marsico, qua ciuitas sociis, & Latinis data est.* Eandem etiam legem intellexit in prima contra Rullum: *Simul me,* inquit, *atque ea lege, qua peregrini Roma eiiciuntur, Glaucippus excipitur.* Et quoniam de his legibus coepi dicere, non occultabo etiam meam de Petronia lege sententiam, quam nemo adhuc intellexit. Intelligendum est locum Ciceronis de officiis mendose legi: Vt Petronius apud patres nostros: nam in manuscriptis, quos ego consulto inspexi, omnibus, legitur non *Petronius*, vel *Pennus*, & recte, confirmat enim hanc lectionem Festus, qui scribit: C. *Gracchus in ea, quam scripsit de lege Penni ac peregrinis.* quanquam ibi etiam men-

mendose vulgo legitur, non *Penni*, sed P. *Ennii*. Hic est autem M. Iunius Pennus, de quo ita Cicero in Bruto: *C. Gracchum tum genitu, Brute, M. Pennus facile agitauit in tribunatu, paulum ætate antecedens*. Fuit enim M. Lepido, L. Oreste cos. quæstor Gracchus, tribunus Pennus: vnde recte dixit Cicero, vt Pennus apud patres nostros, Papius nuper. nam Pennus anno ab V. C. DCXXVII. tribunatum gessit, Papius DCXXCVIII. at noster hic alio loco dixit, Papiam legem latam esse a Papo Æmilio, qui cum Pyrrho rege bellum gessit, vt post ostendam. Sed hæc, atque eiusmodi alia ego secundo libro de iure antiquæ Italiæ sum complexus, quos tres in manibus habebam, mox editurus, cum acerbissimis Robortelli contumeliis impulsus totum illud opus relinquere coactus sum, sed mox intermissam industriam reuocabo: neque enim ipsum multo post tempore ad hæc responsurum, & me interpellaturum existimo.

IN CAPVT XXVIII.

Cæsariani loci emendatio iterum reprehensa; & de muralibus falcibus.

CAPVT XI.

HActenus quo animi robore ad aliena decreta oppugnanda Robortellus accedat, cognouimus, nunc quo ad sua defendenda, videamus. Emendauerat ille quondam locum Cæsaris, quã eius emendationem cum ego non satis probarem, quid sentirem, literis mihi biennio ante mandandum esse arbitratus sum. Verba mea primum apponam, deinde, quid ille ad ea respõderit, adscribam, mea vero eo etiam libentius, vt quam ego intemperanter in illum, quam ille modeste in me egerit, omnes intelligant, sunt autem hæc: Hoc eos fecisse pro amicitia, quæ mihi cũ illis est, non moleste mehercule tuli, autos esse facere valde miratus sum. cur. n. non in alienis eos scriptis vituperãdis tam acerbos esse, nulla præsertim lacessitos iniuria mirer, quos (ne ab hac ipsa antiquitatis emendatione recedã) præterea, quæ proxime in libro de nominib. Romanorum contra veterũ auctoritatem scripsisse arbitrarer, ꝙ primum ingenii & studii sui specimen ediderit, locum Cæsaris parum intelligentes miserrime deprauasse censerem: hic enim in primo Annotationum suarum & libro, & capite aiunt. *Cæsaris verba sunt hæc libro III. de bello Gallico, vbi naualem pugnam cum Venetis describit. Vna erat magno vsui res præparata a nostris falces præacutæ, insertæ, infixæq; longuriis, non absimili forma muralium falcium, hac cum funes, qui antemnas ad malum destinebant, comprehensi, adductique erant, nauigio remis incitato prærumpebantur.* Hunc igitur illi locum se restituisse putant, *siru ralium falcium* legerint, nõ *muralium*, ego contra, vt dixi, eos illũ corrupturos esse puto. Significat n. Cæsar falces illas, quibus tum in re nauali sui vterentur, similes iis fuisse falcib. quæ ad muros vrbium oppugnãdos admouerentur

de quibus Vegetius libro III. vbi falces inter machinas numerat, quibus muri oppugnarentur, ita ait: *De materia, ac tabulis testudo contexitur, quæ ne exuratur incendio, coriis, vel ciliciis, centonibusq; vestitur. hæc intrinsecus accipit trabem, quæ adunco præfigitur ferro, quod falx vocatur ab eo, quod incuruata est, vt de muro extrahat lapides.* Item lib. III. *Aduersus arietes, vel falces sunt plura remedia, alii centones, alii culcitras funibus calcant, & illis apponunt locis, qua cædit aries, alii laqueis captos arietes per multitudinem hominum de muro in obliquum trahunt, & cum ipsis testudinibus euertunt.* Item Cæsar libro VII. *Singulari militum nostrorum virtuti consilia cuiusque modi Gallorum occurrebant. nam & laqueis falces auertebant, quas cum destinauerant, tormentis introrsus reducebant.* Eodemque libro: *Falcibus vallum, ac loricam rescindunt.* Quæ cum ita sint, ego multo etiam meliorem futuram sententiam puto, si Cæsar nouas nauales suorum falces cum vsitatis falcibus, quæ in terrestribus oppugnationibus adhiberentur, quam si cum agrestibus falcibus compararit. Accedit, quod Dio libro XLIX. vbi idem prœlium nauale Cæsaris cum Venetis exponit, & de his falcibus loquitur, δορυδρέπανα Græce vertit sic: ὅπως γὰρ μηδ᾽ αὖθις ποτὲ τὰ σκάφη νευστὶ ἐπιχειρούμενοι κινήσειεν αὐτούς, δορυδρέπανα πόρρωθεν σφίσιν ἡτοιμασμένοι ἐπέφερον, καὶ τότε χαλινὰ αὐτῶν διέτεμνον, καὶ τὰ ἱστία διέσχιζον. Hæc autem δορυδρέπανα Iulius Pollux inter naualis, & pedestris oppugnationis instrumenta numerat, inter rusticæ vero rei nequaquam. Sic enim scribit: τῶν δὲ ἐμπλεόντων θώρακες, καὶ ἀσπίδες, κνημῖδες, κράνη, ξίφη, δορυδρέπανα, χεῖρες σιδηραῖ. & de pedestribus δρέπανα, δορυδρέπανον, πέλεκυς ἀμφίστομος. de rusticis autem δρέπανον, ἄροτρον, δίκελλα, ἄμη. Ex quo intelligi potest, eos, qui in lexicis Græcis δορυδρέπανα falces præacutas muralium falcium similes ex Cæsare interpretati sunt, recte fecisse, contra atque iidem illi eodem loco admonent, qui & in lexicis, *Muralium*, reponendum putant, neque intelligunt, *Ruralis*, verbum Cæsari, ac bonis Latinis auctoribus prorsus inauditum, murale contra frequens esse. Dixit enim idem Cæsar *pila muralia*, & Plinius libro VII. *machinam muralem*, & Virgilius libro XI. *Murali concita nunquam Tormento sic saxa fremunt.* Hæc tum ego ad verbum. Ad quæ nunc ille, timidius aliquanto, quam solet, & vt mihi videtur, paululum mente, atque animo perturbatus, *Ratio me impulit hæc*, inquit, *vt crederem talem lectionem non esse contemnendam, quod videbam longuriis præfigi illas falces, de quibus loquitur, cum murales trabibus annecterentur.* Egregie, quasi vero dicat Cæsar murales ipsasmet falces adhibitas esse, non autem falces non absimili forma muralium falcium, & quasi, cum murales trabibus infixæ ad muros admouerentur, eædem, si ad alium vsum, vt tum ad funes antemnarum incidendos, aduocarentur, non etiam infigi longuriis possent. Addit deinde: *Præterea, quod animaduertebam, præacutas a Cæsare appellari, quod ad in-*

ad incidendum spectat, cum talem vsum non præstarent murales falces. Ad quod dico, muralem falcem præacutam necessario fuisse; neque enim ad extrahendos adunco rostro lapides murum penetrare si obtusa, non præacuta fuisset, potuisset. Sed murales sane falces præacutæ non fuerint, si illæ nauticæ falces, præterquam quod ceteris in rebus muralium falcium erant similes, etiã præacutæ erant, nonne prærumpere funes poterant? quanquam non tam, quod præacutæ essent, funes incidebant, quam quod rostro curuato, & acuto essent, quo funes comprehendebant, & amputabant. Muralis autem falx, auctore Vegetio, *trabs erat adunca præfixo ferro.* Adiicit deinde: *Huc accedit, quod Columella libr. 4. cap. 25. rurales falces describit diligenter, earumq; formam talem fuisse demonstrat, vt facile credi possit non absimilis forma fuisse nauticas illas.* Perinde quasi, cum murales, & rusticæ falces similes sint, non verisimilius sit, Cæsarem, cum de oppugnatione nauali ageret, ab oppugnatione terrestri, quæ visitata erat, potius, quam e re rustica similitudinem petiisse. Concludit postremo aliquanto alacrius: *Quod ait Sigonius Ruralium non esse dictionem antiquam, nec vllum ex veteribus ipsam protulisse, errat. Nam Varro ea vsus est in inscriptione cuiusdam sui libri. Id si nescit, quærat sedulo, & inueniet, etiam me tacente. Nec vero est, quod more suo excutiat aut Nizolios, aut Thesauros, aut Doletos: sic enim non inueniet. sed si inuenire non poterit, ego tum demum demonstrabo locum.* Rogo te Robortelle per humanitatem, per literas, per artem emendandi tuam, per, si quid carum habes in vita, vt me hoc onere quærendi liberes: nam præterquam quod non est eius, qui neget, probare, sed eius cui negatur, intelligere potes, me intento studio ad maiora quædam alia properare. Tibi autem certe gratulor, quod tam magno capite præditus es, vt Nizolios, Thesauros, Doletos, Perottos, Calepinos, & reliqua eiusmodi Latinæ linguæ monimenta omnia capite comprehensa geras, ita vt ea tibi mente, non manu excutienda sint. in quibus credo illud etiam inuenisti, quod ipse nondum in meis reperire potui, Ciceronem tempus futurum pro præterito in oratione in toga candida vsurpasse.

IN CAPVT XXIX.

Ciceronis emendatio iterum reprehensa. & de rogatore centuriarum. & ratione renuntiandi.

CAPVT XII.

EAdem ratione emendationem eius alteram ex II. lib. Ciceronis de oratore aliquos improbaui his verbis: Neque vero hunc locum solum, sed alterum etiam Ciceronis eadẽ ratione, vti ego arbitror, corruperunt. Sic enim libr. 2. Annotationem cap. 11. loquuntur: *Verba Ciceronis, sunt libro 2. de oratore, vbi agitur de salibus. Est autem ex hoc genere vetus illud, quod aiunt Maluginensem*

illum M. Scipionem, cum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem, praecoq; dixisset: dic de L. Manlio: virum bonum, inquit, egregiumque ciuem arbitror. Puto igitur legendum: cum ex centuria sua renuntiaret Acidinum praeco, dixissetque scilicet Maluginensis. Reliqua patent. Praeclarus igitur Ciceronis locus erat obscurus, ac corruptus ob vnum interpunctum perperam positum. Hæc ille. Ego vero ne illam quidem emendationem possum probare, quæ præclarum sensum Ciceronis non obscurare solum, sed etiam, vt dixi, corrumpere videatur quem si explicuero, tum eos quoq; in meam sententiam venturos esse confido. Est igitur hic sensus. M Scipio Maluginensis ex sua centuria consulem designatum L. Manlium Acidinũ renuntiaturus, præconi, qui clara voce populo eum ipsum designatum a sua centuria declararet, præiuit his verbis: *ACIDINVS CONSVL*, tum præco peritus moris Maluginensem admonuit. *L. MANLIVM* ab eo omitti, & L. Manlium Acidinum dicendum esse demonstrauit, inquiens: *DIC DE L MANLIO*. Tum Maluginensis ad verbum, non ad sententiam spectans, virum bonum, inquit, egregiumque ciuem esse arbitror Quod si, vt illi faciendum esse censent, legamus, cum multa alia incommoda consequentur, tum illud vnum grauissimum, quod dictum ipsum a Maluginensi ad præconem necessario transferendum erit contra sententiam Ciceronis, qui dixit, hoc M. Scipionẽ Maluginẽsem dixisse. Nam si præco renuntiat Acidinum consulem, Maluginensis autem eum corrigit, inquiens: *Dic de L. Manlio*, profecto, quæ subsequẽtur verba præconis erunt id est, *virum bonum esse arbitror.* in quibus vis tota dicti consistit. quo sensu nihil esse alienius potest. Ad quæ ille nunc demum summisse respõdet hoc modo: primum præconũ fuisse, non senatorum, vt quem quæque centuria fecisset consulem, renuntiarent. deinde nullum illud incommodum, quod dixi, consequi. De incommodo primum dicam, de quo ille ita: *Existimat Sigonius, si ita ea verba, vt ego ante interpunxi, legantur consequi hoc, quod maxime absurdum videtur, vt dictum illud, quod laudat tantopere Cicero, attribuatur praeconi, non Maluginensi. Ego id non video, quomodo consequi possit. Nam inquit Cicero, Cum praeco renuntiaret Acidinum consulem, dixissetq; Maluginesi, (sic verba dictabat ipsi praeconi) Dic de L. Manlio, & quae sequũtur. Sic patet, illud dictum non attribui praeconi, quod consequitur, virum bonum arbitror, & ciuem egregium, sed ipsi Maluginensi.* Ad hæc tibi respondeo Robortelle; primum, bona fide tibi mecum agendum esse. nam cum in annotationibus scripleris, dixissetq; scilicet *Maluginensis* nunc ais, *Maluginensi.* verba tua hæc sunt: *Quod cum ita se habeat, video in superiore loco Ciceronis a me prolato ex lib 2 de oratore contrarium asseri nam ait M. Scipionem Maluginensem renuntiasse. & mox praeconem correxisse, quasi vero praeco dictaret Maluginensi. puto igitur legendum: Cum ex centuria*

tuia suæ renuntiaret Acidinū consulem præco, dixisset'q; scilicet Maluginensis Cum ergo tum Maluginensis scripseris, nunc *Maluginensi* reponis. credis enim æquum esse, vt quam potestatem in omnia auctorum veterum scripta tibi dedimus, eandem vel multo etiam maiorem in tua demus, quod non est ita: imo vero quanto intemperantius in aliena te inuasisse videmus, tanto te magis a tuis abstinere volumus. Sed fac te ita scripsisse, aut fac tibi licere librum tuum editum, posteaquā admonitus sis, emendare, nonne fœditatem etiam huius sensus attendis? M. Scipio Maluginensis, cum præco renuntiaret ex centuria sua Acidinū consulem, & dixisset, scilicet Maluginensi. *Dic de L. Manlio.* Virum bonum, inquit, & ciuem egregiū esse arbitror. Quid enim erat necesse præconi, si iam renuntiabat Acidinum, vt admoneret Maluginēsem, vt sibi L. Manlium præscriberet? ad quem enim pertinet renuntiatio? si ad Maluginensem, cur non ais, cum renuntiaret Acidinum consulem Maluginensis, vt ego dico? si ad præconem, cur vis Maluginensem quasi renuntiantem dictare præconi nomina consulis designati? nonne vides, te in meam sentētiam nolentem reuolui? Dixi de incommodis, nunc ad caussam venio, qua se inductum esse ad hanc lectionem ait, his verbis: *Vt sic interpungerē, ea sum ratione adductus, quod præcones olim consules, & prætores, aliiq; qui magistratū essent adepti, in comitiis renuntiare soliti erant, ipsorumque hoc erat munus, vt illic comprobatum fuit a me auctoritate Ciceronis in or. contra Rullum. idipsum etiam ostendit Cicer. in orat. in Verrem VII his verbis. Tu cum prætor renuntiatus esses, non ipsa præconis voce excitatus es, qui te toties iuniorum, seniorumque centuriis illo honore affici pronuntiauit, & in Annotationibus ait: Non senatores, verum præcones renuntiabant consules designatos in singulis centuriis.* Ex his eius verbis hoc colligere possumus, ipsum, vt est homo minime pertinax, si docuero etiam senatores in centuriis renuntiasse, se hunc locum nō intellexisse, atque turpissime corrupisse dicturum. Discat igitur, quando ei, vt video, opus est. Erant enim in comitiis maxime centuriatis eorum, qui renuntiabant, tria genera, rogatores centuriarum, præcones, & rogatores comitiorum. De præconibus confitetur. De centuriarum & comitiorum rogatoribus probabo. Cicero libr. secundo, de natura Deorum: *Augurum disciplinam P. Scipione, & C. Figulo consulibus res ipsa probauit. quos cum Ti. Gracchus consul iterum crearet, primus rogatorum, vt eos retulit, ibidem est repente mortuus. Gracchus, cum comitia nihil minus peregisset, remque illam in religionem populo venisse sentiret, ad senatum retulit, senatus quos adsoleret referendum censuit, aruspices introducti responderunt, non fuisse iustum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus iniensus ira. ita ne vero? ego non iustus, qui & consul rogaui, & augur, & auspicato.* Et de eadem re in secundo de Diuinatione:

At aruspices diuini, quos cum Ti. Gracchus propter mortem repentinam eius, qui in prærogatiua referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non iustum rogatorem comitiorum dicerent: primum vide, ne in eum dixeris, qui rogator centuriæ fuisset, is enim erat mortuus. Hi duo loci satis ostendunt, alium fuisse rogatorē centuriæ referendæ a rogatore comitiorum: qui autem centuriæ rogator erat, eum certe præconem non appellauit. fuisse autem multos centuriarum rogatores, cum illud verbum indicat, *primus rogatorum*, tum ea, quæ sunt in or. post reditum ad senatores, quos comitiis suis centuriatis, quorum rogator P. Lentulus consul fuit, rogatores vocat, ita: *Quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis?* & in Pisonem: *Hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse.* Ex his intelligi potest, cuique centuriæ e principibus aliquem præfuisse, qui rogaret centuriam, & eius sententiam renuntiaret, id est, quem illa consulem declarasset, præconi dictaret. Cum ergo Maluginensis centuriæ suæ rogator esset, (inquit Cicero,) atque Acidinum consulem renuntiaret, vt deinde a centuriæ præcone clariore voce populo vniuerso voluntas eius centuriæ demonstraretur, præco dixit: *dic de L. Manlio* ille quasi non de renuntiatione, sed de L. Manlii moribus interrogatus esset, respōdit, *virum bonum, egregiumque ciuem esse arbitror.* Sed attēdite Robortellianum artificium. Ille cum se nutantem in hac emendatione probanda sentiret, vt ab ea re alio cogitationes nostras, mentesque traduceret, concludit. *Hæc mihi tum venerunt in mentem, cum illa scripsi, quæ cum non videat Sigonius, quo spectent, quomodoque sint accipienda, nugatur præter rem. Illud potius erat explicandum, quod spectat ad rem, illud dictum Maluginensis, Virum bonum arbitror, & ciuem egregium ex antiqua consuetudine prolatum. Erat enim mos in comitiis exquirere sententiam primorum ciuium de candidatis, vt cum populus audiret, quid illi sentirent, suo suffragio eos crearet consules, quos laudare videret ab optimis viris. vt Cic. libro 3. de legibus: Nonne vides si ambitus silebat, quæri in suffragiis, quid optimi viri sentiant.* Ego Robortelle non vidi, quo spectaret illa vox Maluginensis? ego non intellexi ex tua expositione aliud Ciceronis, quam ipse voluisset, dictū efferri? ego tum tibi præter rem nugitus videor, cum te nimis exagitaui? ego ne consuetudinem de candidatis interrogandi exponere, cum in te dicerem, debui? ego ne id, quod non a me, sed a te docendum fuerat, prætermisi? o artificium rhetoris infinitum. Hic est, qui exstinctam iampridem Italicarum literarū gloriam excitat, & nobis rudibus rationem defensionis hanc præclaram ostendit, vt vbi nihil dicere possumus, auditorē a proposita quæstione ad aliam cum aduersarii aliqua increpatione verisimili transferamus, atq; ex eius imprudentis manibus elabamur. Non

es ela-

relapsus Robortelle. te teneo nutantem, ac titubantem, ac nihil in hoc genere scire iam confitentem audio.

IN IDEM CAPVT.

Emendatio Ciceronis altera iterum reprehensa.

De M. Scipione Maluginensi.

CAPVT XIIII.

EOdem in loco corrigit M. Scipionem Maluginensem, & M. Cæpionem reponit, quam eius emendationem alias improbaui his verbis: *Pergunt iidem eodem loco: Sed multum etiam me torquet quiddam in his nominibus M. SCIPIONEM MALVGINENSEM. Nam nusquam inuenio, Scipionem tanquam familiæ nomen poni, sed pro cognomine. Scio equidem per librariorum errorem sæpe Scipionem legi pro Cæpionem. quare crediderim, hoc etiam loco non Scipionem, sed Cæpionem legi debere. Ratio, qua impellor, est hæc. Scio Q. Seruilium Maluginensem sæpe a Liuio nominari in libris primæ Decadis, quo tempore Romæ creabantur tribuni militares. Scio quoque Seruilios cognomen habuisse Cæpionum, vt facile possim affirmare, hic esse legendum M. Cæpionem Maluginensem.* Ne hæc quidem inquam ipse satis probo. Nam quod aiunt, Liuium sæpe Q. Seruilium Maluginensem nominare, non est ita. Semel enim tantum libr. 5. ann. CCCLXXII. nominat P. Seruilium Maluginensem, mendose, pro Ser. Cornelium Maluginensem, vt in scholiis Liuianis ostendi, cum aliis testimoniis, tum quod eo anno Diodorus pro eo tribunum militum consulari potestate edit [illegible]. Maluginēsem autem fuisse cognomen non Seruiliorum, Sed Corneliorum perinde atque Scipionum, apparet ex L. M. P. & Ser. Cornelius Maluginensibus qui aut consules, aut tribuni militum, aut cēsores fuisse a Liuio sæpe traduntur quod cognomen aliquot etiam ex Corneliis retinuisse, postquam alia cognomina inuenissent, cum hic locus indicat, in quo est M. Scipio Maluginensis, tum annus DCCLXXII in fastis Capitolinis vbi est Ser. Cornelius Cn. F. Cn. N. Lentulus Maluginensis, vt omnino Scipionem, non Cæpionem legendum esse, contra quam illi censent, esse existimem. Ad hæc ille quam timide, quam diffidenter quam fracto, ac prope abiecto animo dii immortales? *Quod spectat ad Cæpionis Maluginensis nomen, si mihi probare volueris legendum esse, Scipionem Maluginensem, ostendere debebis, an cognomen Scipionis & Maluginensis coniuncta reperiantur. quod non ostendes, opinor, vnquam. nam esto. Cornelii dicti sunt Maluginenses, sed non ii, qui Scipiones. Tu hoc ostende, si potes. nam cum de aliis rebus loqueris, nugaris præter rem. Itidem ostende, si forte legisti aliquando, an prænomen M. Scipionibus vnquam fuerit inditum. Tum demum ego adducar, vt credam, ibi apud Ciceronem esse legendum M. Scipionem Maluginensem.* & paulo post: *Significare voluit duo hæc cognomina Scipio Maluginensis nunquam coniun-*

Ea legi apud veteres. quod tu demonstrabis, si poteris. Tu igitur Robortelle, qui dixisti, Liuiú sæpe Q. Seruilium Maluginensem nominare, tibi negatum non probas, a me, vt ostendam cognomen Maluginensis, & Scipionis olim cōiuncta fuisse, & Cornelios Scipiones Marci prænomine vsos esse contendis? Hoc autem si ostēdero, quod tu nullo modo fieri posse putas, te mihi de hoc loco a te turpissime deprauato concessurum confiteris? maximum rem tuam in discrimen adduxisti Robortelle, ne hac te probata t. bi te rudem esse antiquitatis R. necessario confitendum sit. non fuit hoc prudentiæ, non fuit hoc calliditatis tuæ, vt mecum cominus pugnares nam te profecto grauem scilicet hominē leuis supplātabo. negas inquam inueniri posse M. Scipionem Maluginensem? probo non solum inueniri aliquem, sed eum ipsum, quem Cicero intellexit. is autem triennio, postquam Acidinus a se renuntiatus fuerat, prætor fuit. de quo sic Liuius in anni DLXXVII rebus exponendis, Petellio & Scipione consulibus: *Prætores facti M. Popillius Lenas, P. Licinius Crassus, M. Cornelius Scipio.* & post: *M. Scipio Maluginensis prætor Hispaniam vlteriorem sortitus est.* & post: *Insignes nota fuerunt M. Cornelii Scipionis Maluginensis, qui biennio ante prætor in Hispania fuerat.* Quid ais Robortelle? potes ne certioribus a me argumentis refutari? potes ne melioribus auctoribus reprehendi? potes ne propinquioribus temporibus coargui? potes ne te Liuium, quem ais correxisse, legisse fateri? potes ne te tuo testimonio, atque iudicio in hoc certamine superatum esse inficiari? nimis vrgeo. Sudare mihi videris, nec mirum, Sextili mense. quidlibet per me facias licet, modo ne hæc Liuiana loca tua illa emendationum fœditate contamines: neque enim aliud tibi reliquum perfugii video. Sed pergamus ad alia. Nam cetera, vt iam nimis leuia, prætermitto.

IN CAPVT XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.

Quæ capite XXX vsque ad XXXIII ab eo disputantur, ea ad disputationem de R. nominibus pertinent, atque propterea a me in secundum librum, vt superiora, confutanda reiiciuntur.

Quid sit diribere, & dirimere suffragia, & errores in iis subiati, & loci Ciceronis, Varronis, & Lucani indicati, atque integritati restituti.

CAPVT XIV.

SEd quoniam centuriatum, & comitiorum feci mentionem, atque antiquam in ea te renouaui consuetudinem, placet etiam de suffragiis nescio quid dicere, in quo video hucusque multos ne dicam omnes, errasse. Hoc est, quid sit diribere suffragia. Locos afferam quibus hac de re mentio fit. Cicero in Pisonem: *An exspectem, dum de te quinque, & septuaginta tabellæ diribeantur.* & libro 3. ad Q. Fratrem: *Caninius aperte alsonit, &*

Cato. Is diruptis tabellis, de circulo se subduxit. & pro Plancio: *Nihil tam est, quod populo supplicatur, nihil quod diremptio, nihil quod supplicatio magistratuum, renuntiatio suffragiorum.* & Varro libr. 3. *Comitiis adilitiis, cum ego, atque Axius senator tribulis suffragium tulissemus, & candidato, cui studebamus, vellemus esse presto, cum domum rediret, Axius mihi, dum dirimuntur,* inquit, *suffragia, vis potius villa publica vtamur vmbra?* Hos locos omnes vitiosos esse primus, vt opinor, scripsit Hieronymus Ferrarius in scholiis in Philippicas Ciceronis, & pro *diripiantur, diribeantur*, pro *diruptis, diribitis*, pro *diremtio, diribitio*, pro *dirimuntur, diribentur* reponendum censuit. Hunc deinde omnes sequuti sunt, proxime autem Nicolaus Grucchius in eo libro, quem scripsit de comitiis. mouet eos, quod diribitores apud Ciceronem legunt. quos Ferrarius interpretatur, non diuisores, sed qui suffragia lata diribebant, numerumque inibant. Grucchius autem pro diuisoribus accipit, a diribendis, id est, distribuendis tabellis, & recte. Nam quos Cicero in oratione post reditum in senatu, diribitores vocat, eosdem in Pisoniana distributores appellat. Quare vt assentior Grucchio de significatione diribitoris, Ferrario vero de eorum, quos protuli, locorum sententia, sic ab vtroque de Germana eorum locorum lectione dissideo est autem intelligendū duas loquendi fuisse formulas, vnam diribere suffragia, vnde diribitores, alteram dirimere; illud esse distribuere, hoc dinumerare. locos autem citatos de dinumeratione esse accipiendos, atque apud Varronem legi syncere, dum suffragia dirimuntur, & in Planciana diremtionem, in epistola vero pro diruptis, diremtis, esse reponendum. Nam fuisse talem apud antiquos loquendi rationem indicat Lucanus, vbi de comitiis Cæsaris dictatoris simulatis loquitur.

Fingit solemnia campus.
Et non admissa dirimit suffragia plebis.
Decantatque tribus, & vana versat in vrna.

Cum ergo ex Lucano lectio integra appareat hinc & apud Varronem, & in Planciana veterem lectionem retinebimus, in epistola vero eam locutionem restituemus. Nam diremtis tabellis, id est, dinumeratis, ait Catonem iudicem se de circulo subduxisse, & primum Gabinium absolutum Pompeio nuntiasse. in Planciana vero præponit candidatorum supplicationem, quæ ante lata suffragia fiebat populo, deinde subiicit diremtionem, id est, distinctionem suffragiorum, quibus quisq; magistratus lectus est, & repulsus, tum supplicationem magistratuum ante renuntiationem, extremo renuntiationem ipsam. quam consuetudinem demōstrauit in principio orationis pro Murena ita: *Quæ precatus sum a dis immortalibus iudices more, institutoq; maiorum illo die, quo auspicato comitiis centuriatis L. Murenam consulem renuntiaui,*

vt ea res mihi, magistratuiq; meo, populo, plebiq; R. bene ac feliciter eueniret. Locus Pisonianæ, si literarum similitudinē spectes, postulat magis, vt legas pro *diripiantur, diribeantur*, quam *dirimantur*. & sententia etiam eam lectionem non respuit: minatur enim Pisoni, futurum iudicium, & ait: *an exspectem, dum de te quinq; & septuaginta tabellæ diribeantur, i. iudicibus distribuantur, vt te condemnent?* Ita factum est, vt lingua Latina ignoto dicendi genere aucta, & loci hi, qui vitiose correcti fuerant, restituti, & Germana harum locutionum vis patefacta sit.

MEA ADVERSVS HENRICVM GLAREANVM,

In Liuiana annorum summa constituenda opinio defensa, & vt ille sine caussa in ea re me inhumanitatis arguerit.

CAPVT XV.

CVm hæc hactenus scripsissem, perlata est ad me epistola quædam ab Henrico Glareano, viro eruditissimo, vt index præseferebat, ad Ioannem Heruagium iam ante biennium missa: in qua ille queritur, se a me inhumanius, quam summa sua erga T. Liuium ferrent merita in suis refellendis sententiis, in meis Liuianis scholiis esse tractatum. ceterum non dissimulat me quibus in rebus a suo dissensetim iudicio, non iniuste admodum dissensisse, seque, si ad corrigendam antiquitatem ea Græcorum librorum, quibus ego hoc feliciori sæculo abundaui, sibi quondam subsidia suppetiissent, non minora fuisse facile præstiturum. vnum esse, in quo me secum discrepantem esse moleste audiat, quod ipse summam annorum Liuianam a se collectam non approbarim. Quare, quanquam ego hanc epistolam intelligo, Glareano ipso inscienre, diuulgatam fuisse, tamen, quoniam ea studiose a multis legitur, & singulari Glareani auctoritate, acerrimum quasi telum quoddam aduersus me ab inuidis meis, quorum impulsu edita est, esse existimatur; faciendum mihi esse statui, vt ei hoc loco responderem quam planissime, & quam lenissime possem; non, vt Glareanum doctissimum virum, quem mihi semper, quem omnibus huius memoriæ hominibus antepofui, oppugnarem, sed vt sententiam meam contra tanti viri opes in Liuiana antiquitate tractanda munirem. Me igitur illud sollicitum in primis habet, quod, quem studiorum communione, atque earundem quasi cogitationum societate mihi maxime deuinxisse arbitrabar, eundem a me vel eo ipso nomine abalienatum esse intelligo: perinde enim ille me secum dissensisse conqueritur, quasi ea harum literarum, studiorumque ratio sit, vt qui secundo loco ad scribendum se contulerit, is ab illis, qui ante se scripserint, dissidere aut vlla ratione non debeat, aut certe sine aliena offensione non possit; aut, cum Glareanus ipse Sabellici,

ſtici Vallæ, Rhenani, Haloandri iudicium, auctoritatemque contempſerit. Sigonium omnes Glareani ſententias appro bare, nullaeius decreta reſpuere in Liuiana hiſt. ita c nſi tuenda decreuerit. Qu d ipſum tamen a me modeſt ſſime eſſe factum, illud argumento eſt, vel quod ſæpe cum eo ita ſenſi, vt eum laudarim, vel ita diſſenſi, vt non vituperarim. Itaq; cur eo me ille nomine tam vehementer accuſet, ſatis m rari non poſſum. age enim Polybii ille, Dionyſii, Dionis, Appiani, aliorumq; Græcorum auctorum inopia vitioſos ſæpe ſe Liuii locos non p ſſe ex ſententia reſtituere querebatur. cur ego, qui libr s illos legi, auxios ſitus dubitationes eximere, ac melioribus quaſi auſpiciis, quod ille aſſequi ſe poſſe negauit, præſtare non debui? memoria præterea ille nutante multis in locis tiubare, atque hæſitare videbatur; num ego idcirco veteribus annalium monumentis memoria repertis, ſcrupulum, quem ille nobis iniecerat, euellere ex animo ſtudioſæ iuuentutis non debu ? Nominum denique Romanorum rationem difficillimam ille, atq; impeditiſſimam eſſe ſibi perſuaſerat, ſcilicet, quod ea ipſe adiumenta, quæ ſunt ad hanc quæſtionem tractandā accommodata, deſideraret: an propterea ego, qui lapides Capitolinos, quib in hoc genere nihil eſſe melius poteſt, ſuppleui, in tantā re conſtituenda eos præterire, aut abiicere debui? At, inquit, ille: *Clamat Sigonius, me non legiſſe Stephanum, non legiſſe Priſcianum. quem ego coniicio me legiſſe, antequam ille naſceretur.* potuiſſet, ſi quid pudoris in eo eſſet, modeſte dicere, Glareanus nō animaduertit, quod apud Priſcianum eſt, vel quod Stephan. ſcribit. quod equidē moleſte non tuliſſem: nihil enim offendor candida admonitione. Cui ego reſpondeo. *Fieri quidem potuiſſe, vt ille, ſi vere, vt audio, annos iam octoginta natus eſt, Priſcianum & ceteros, multa ante, quam ego in hanc lucem prodirem, perlegerit, at tum cum illa ſcribebat, locum tamen memoria non tenuerit.* me vero, cum ad eius contumeliam nihil, ad ſtudioſorum vtilitatem omnia compararem, inter hanc, atque illam dicendi formam non multum intereſſe exiſtimaſſe.

Sed quoniam, quæ ſcripſi, ea ne vlla quidem in parte ab eo reprehendi animaduerti, reliqua omittam omnia, ad illud tantum; in quo ipſe ſe mecum diſcordare ait, accedam; non vt probabilem ſummo iudicio præditi viri coniecturam euertam, ſed vt meam ſententiam contra tanti, vt dixi, viri auctoritatem defendam. verba eius hæc ſunt: *Reſt maxime, cum mecum velut expoſtulat, quandoquidem Chronologiam ad Liuianam hiſtoriam, atque adeo Romanam illuſtrandam deſumpſiſſe me dixerim, cur duos annos poſt CCLXIII. ab vrbe condita non omiſerim quos Liuius conſuli ; vt aſſerit Sigonius, prætermiſit.* ad hoc ego ingenue, vt res eſt, dico, cū viderem librariorū vitio annum CCLVIII ab V. C. temere omiſſum, quod & Sigonius fatetur, putabam & hoſce eodem modo

incuria temporum prætermiſſos & adhuc ſum in ea opinione. Nunc demum intelligo Robortelle, quid ſit, quod & hos in conſules librariorum vitio, non Liuii conſilio eſſe præteritos affirmaris ſcilicet Glareanum auctorem ſequutus es, cuius etiam epiſtolam hanc te dicere audio, ad te potiſſimum eſſe ex Germania ab Heruagio miſſam. Itaq; iam nunc mirari deſino, vnde tua iſta repentina ſapientia nata ſit, qui per te aliquid aliquando dixeris. Qua de re etſi ſatis multa ſupra dixi, cum in te diſputaui, non omittam tamen, quin aliquid hoc etiam loco adiungam, vt hanc potiſſimum tibi huius epiſtolæ auctori gratiam referam. *Quid igitur*, inquit Robortellus, *aut is, quem tu ſequutur, Glareanus? Poſt Sempronium & Minutiũ conſules in Chronologia Liuiana bini conſules deſiderãtur, Sulpicius cum Larcio, & cum Pinario Iulius. cur? quia Dionyſius eos conſules apponit.* Hic ego dico annos Liuianos ex Liuio, non ex Dionyſio eſſe colligendos, apud Liuium autem nullam eorum conſulum mentionem fieri. reſpondent, eos imprudentibus librariis e Liuianis annalibus excidiſſe. vnde autem hoc colligant, nihil afferunt: non enim librorum ſcriptorum auctoritatem opponunt, non loci alterius firmamento nituntur: imo potius hoc poſito Liuio aduerſantur. Etenim Glareanus his duobus interiectis annis cogitur Xuiros cõſulares in annum trecenteſimum tertium conferre, tribunos militares in annum trecenteſimum vndecimum; cum tamen Liuius diſerte illos iniſſe dicat anno trecenteſimo altero, hos anno trecenteſimo decimo. ex quo fit, vt alter ſit tertius, & decimus ſit vndecimus. quo incommodo cum ipſe ſe vrgeri videat, addit, de vno anno ſe cum nemine certaturum, neq; intelligit hunc annum eſſe illum, quem mihi propoſui inueniendum, ne Liuiana annorum deſcriptio titubaret. Robortellus autem, ne hoc incommodo premeretur, primos conſules iniſſe dixit anno ab V. C. CCXLIV, nec animaduertit Liuium, & Dionyſiũ aperte, vt ſupra oſtendi, ſcripſiſſe conſules primos iniſſe anno CCXLV. quod etiã recte docuit Glareanus, a quo miror Robortellum auſum fuiſſe recedere. Vterq; autem hac opinione in eum ſcopulum incidit, quod cum dicat Liuius tribunos plebis decem creatos eſſe Q. Minutio, C. Horatio cos. anno triceſimo ſexto poſt primos quinque, qui creati ſunt, A. Virginio, T. Veturio conſulibus, anno CCLX, coguntur aduerſus omnium librorum auctoritatem ex coniectura corrigere, triceſimo octauo. Cum igitur illi nulla ratione adducti hoc faciant, ego eorum ſententiam approbabo? non hercule. quid enim roboris habet hoc argumentum? *Hos conſules edit Dionyſius, ergo apud Liuium reponendi ſunt.*

Primum enim quæro, an hoc nouum eſſe exiſtimas, duos conſulatus ab vno ſcriptore præteriri, qui ab altero numerentur: non certe. Hoc enim etiam a Piſone factum teſtatur Liu. lib. 9. his verb. ſi

bis: Hos consules Piso Q. Fabio, & P. Decio suggerit, biennio exemto, quo Claudium, Volumniumque, & Cornelium cum Marcio consules factos tradidimus. Memoria ne fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos consules filios ratus transcēdat, incertum est. Atque idem etiam indicant Diodori annales, qui, si cum aliis cōparentur, multos sæpe prodere cōsulatus, quos alii transcendant. multos præterire, quos alii profiteantur, inuenientur. declarat denique Cassiodorus, quem apparet quos consulatus prætererit, non librariorū culpa, sed de industria prætermittere, nimirum, quod talem annorum seriem in annales, vnde suos ipse consulum fastos compilauit, ediderint.

Si ergo fieri potest, vt binos consules, quos Dionysius profitetur, Liuius prætererit, vestigemus nunc ex verbis ipsis Liuii, vtrum librariorum, an Liuii culpa præteritos eos esse probandum sit. Ac primum quidem illud satis liquet, ex sequentibus Liuianis annorum numeris, Liuium horum duorum annorum rationem non habuisse, cum Q. Minutio, C. Horatio cos. vt dixi, tribunos pl. decem factos dicat, anno tricesimo sexto post primos, qui facti sunt A. Virginio, T. Vetusio cos. anno CCLX. præterea quod idem Xuiros misse scribat anno altero & trecentesimo ab vrbe condita, qui est, vt ego ostendi, trecentesimus primus. Ne mireris autem, Xuiros in annum CCCI conijci, cum in fastis Capitolinis in CCCII incurrant, sic habeto, Orosium eos in CCC contulisse, cum dixit: *Ipso trecentesimo anno. hoc est, olympiade nonagesima quinta potestas consulum Xuiris tradita est*; Dionysium autē, vt recte subduxit Glareanus, *in trecētesimum tertium.* Adde etiam Cassiodorum, quem satis constat & hos consules consulto prætermisse, atque ex Liuiana historia fastos suos consulares concinnasse. Nam nisi Cassiodorum sequaris, nunquam Liuianos ipsos numeros omnes incolumes conseruabis.

Ex his satis perspici consilium Liuii potest. nunc videamus an vlla ratione fieri potuerit, vt librariorū culpa horum cōsulum nomina interierint. & locus ne sit apud Liuium vllus, vbi reponi illi consules ex ingenio possint. Primum igitur dico, mirabile videri, nuda nomina binorum deinceps consulum ex historia, reliqua manente sentētia excidisse; deinde addo, nihil ex eius historia desiderari, quæque Dionysius in quatuor annos distribuit, ea in duos Liuium contulisse; tum vero illud etiam adiungo, in hac historia narranda non omnino Dionysium cum Liuio consentire. vnde probabilis coniectura sit, etiam in annis supplendis, & eximendis inter eos controuersiam esse. Exponam primum res per consulatus ex Dionysii sententia gestas, deinde ex Liuii.

Anno CCLXIII. Sempronio, & Minutio consulibus.

In summa annonæ caritate frumentū aduehitur. Coriolanus auctor est, *ne plebi diuidatur. plebs ira accensa Coriolanū mul. at exilio,*

Anno CCLXIV. Sulpitio, & Larcio cos.

Portenta, pestilentia narrantur. T. Latinius e plebe homo in senatum debilis delatus somnium de instaurandis ludis exponit.

Anno CCLXV. Iulio & Pinario cos.

Coriolanus Accium Tullium in Volscis adit. arma capienda persuadet. Legati Volscorum Romani de bello remittuntur. Bellum a Volscis decernitur. Accius, & Coriolanus duces leguntur. Coriolanus facta in fines Romanos impressione Circeiis Romanorum coloniam capit, Romae omnia ad bellum comparantur. Sed ante exit annus, quam in aciem exercitus adducatur.

Anno CCLXVI. Furio, & Nautio cos.

Aequi ad Volscos deficiunt. Coriolanus agrum R. populatur. Toleriness, Bolanos, Lauicanos, Pedanos, Corbionē, Bouillas, Pedum in potestatem redigit. Romam propius accedit. Legatis qui de pace missi erant, reuersis uxor demum cum matre mittuntur. Hoc modo Dionysius, Liuius autem hoc.

Anno CCLXIII. Minucio, & Sempronio cos.

Frumentum aduectu ne plebs annodaretur, ... Coriolanus, atque a plebe in exilium agitur. Is in Volscos abiens parat bellum. Latinius in senatum delatus somnium de ludis instaurandis exponit. Volsci, qui ad ludos venerāt, arte Attii Tulli vrbe eiiciuntur. ea contumelia accepta Tulli consilio bellum indicitur. Coriolanus dux belli lectus Circeios, Satricum, Longulam, Polusicam, Corioles, Lauiniū, Corbionem, Pedum inuadit, inde agrum Romanum populatur.

Anno CCLXIV. Furio, & Nautio cos.

In summa ciuitatis trepidatione vrbs custoditur. legati de pace ad Coriolanum primum, deinde cum vxore mater mittuntur.

Ex his apparet, variari inter hos auctores in caussa belli aperienda. nihil enim Dionys. ait de contumelia Volscis Romae illata, cum cum vrbe eiecti sunt, nihil de ludis instauratis. Liuium autē ita rem cum re continuare videmus, vt ne suspicari quidem possimus, nomina ipsa consulū excidisse. exempli gratia, *Coriolanum Dionysius vno anno in exiliū actum ait, altero Latinium somniū exposuisse senatui.* quas duas res inter se copulat Liuius hoc modo: *Damnatus absens in Volscos abiit. Venientē Volsci benigne excepere. Hospitio vtebatur Atti Tulli. longe is princeps Volsci nominis erat, Romanisq; semper infestus.* Ita cum alteriū vetus odium, alterum ira recens stimularet, cōsilia conferūt de bello Rom. haud facile credebāt, plebem suā impelli posse, vt toties infeliciter tentata arma caperet. arte agendum in exoleto iam vetustate odio, vt recenti aliqua ira exacerbarentur animi. Ludi ex instauratione Magni parabantur. Instaurādis hæc caussa fuerat ludis inde vt in senatum Latinius delatus somnium de instaurandis ludis narrauerit, vt ludi instaurati sint, vt Volsci ad ludos venerint, vt arte Tulli vrbe pulsi, vt ad arma capienda impulsi sint, vt Coriolanus dux electus

non Circeios solum, sed reliqua etiam oppida ceperit, ita continenter narrat, vt locũ nullum, quo amissos cõsules restituas, excogitare queas. quid plura? *Dionysius in vnum annum captos Circeios ait, in alte-ũ Lauicos, Pedum, & reliqua.* at Liuius ita loquitur, vt vno anno hæc omnia gesta videãtur: *Circeios profectus*, inquit, *primum colonos inde Romanos expulit. inde in Latinam viam transuersis tramitibus transgressus, Satricum, Longulam, Poluscam, & cetera oppida cepit.* Adde, quod Dionysius in consulatum Furii, & Nautii expugnationem horum oppidorum conicit, Liuius vrbis tantũ trepidationem, & legatorum vxorisq; cum matre deprecationem reiicit. Si ergo varietas annalium in rebus gestis dispensandis, & caussis exponendis constat, cur non potest etiam in annis addendis, & omittendis existere? Plutarchus quidem etiam & Zonaras hæc eadem omnia ita narrant, vt ea in duos tantum annos Liuium sequuti conicere videantur.

Addit Glareanus; *Nullum maius in me habet telum declamandi, quam quod nonnunquam in temporum supputatione vno, aliquãdo duobus annis ratio nostra ab eo discrepat, cum Dionysii a Liuii, & Polybii ratione in totum fere duobus annis distat, quot toties in annotationibus nostris clamo & in vno anno cum nemine me certaturum vbique profiteor.* Scilicet Glareanus hæc mea verba telum appellat quæ sunt in epistola: Quoniam ad Romanam intelligendam historiam nihil tam aptum esse, quam rectam annorum, temporumque descriptionem, iudicabam. qua in re dissidentes inter se veteres auctores esse comperiebam, dedi etiam operam, vt, quod Glareanus ante me fecit, ne hac quidem in parte historiæ Liuianæ deessem. cuius quidem eruditissimi viri labore facile contentus esse poteram nisi ab eo in tota ipsa re dissensissem. Neq; enim Liuium in numerandis ab vrbe condita annis eadem ratione vsum, qua ceteros, esse reperiebam. Qua ille opinione ductus, dũ eorum auctoritatem ad Liuianã Chronologiam conscribendam adhibuit, in eam sæpe se necessitatem induxit, vt dum aliorum numeros sequitur, omnino Liuianos, aut negligere, aut immutare coactus fuerit. Quod illi profecto in ea Chronologia committendum non erat, quam ipse se Liuianæ præsertim historiæ comparare profiteretur. Quibus verbis me vsum esse profiteor, non, vt ipsum tanquam telo aliquo iugularem, sed vt Liuianorum annorum veritatem indicarem, quæ vno, aut duobus illis, de quibus ait, annis neglectis, nullo modo constare potest. Addit deinde: *Tandem Sigonius ad quatuor annos descendit, vt & Hercules Antaũ prorsus conficiat, vltima illa pulcella annotatione, quæ est de anno, quãdo Liuius finierit historiam Romanam, ad XVII. annos me iugulat, cum sint etiam confessione mea XXVIII. in quibus tamen nihil negotii est: quis enim certo scire potest, quot ediderit libros Liuius, aut quos adiicere voluerit?* Significat autẽ mea verba in extremis

Scholiis hæc: *Si historia Liuiana morte Drusi in Germania, & simpliciter, (vt apparet) finita est, trifariam vsque ad annum DCCXLI perueniet: est enim mortuus se, & T. Quintio coss. vt ait Dio lib. 55. quem annum vocat Glareanus DCCXLV. exponit autem consules vsque ad annum DCCLXXII, quia, inquit, vsque eo Liuianam historiam peruenire, præter vnum, aut alterum annum cum in septimo, & decimo ante anno finiatur.* Quæ verba quam vim habeant confodiendi, aut iugulandi, non sentio, me certe eo tantum animo illa scripsisse scio, vt historiam Liuianam, quoad possem, vel Glareani ipsius exemplo, quem mihi ab ineunte ætate imitandum proposueram, illustrarem. Quod si ille his dicendi generibus, quibus me ab eo modeste dissidere ostendo, se iugulari existimat, qui se illus eius esset, si forte contigisset, vt hanc quæstionem amicus meus incredibili illo suo robore argumentorum tractaret? quoties imperitū, quoties nullo iudicio præditum ipse se appellari audisset? quibus ego nominibus non modo nō Glareanum, sed ne ipsum quidem etiam Robortellum vnquam affeci, quem tamē nullo pacto cum Glareano ipso esse existimo conferendū. Quamobrē tantū abest, vt ei, quod me hac epistola asperius appellarit, vlla ratione succenseam, vt, quanquam scribi moderatius potuisse existimo, tamen cum dolori eius ignoscam, tum vero eos, qui hanc epistolam illo insciente ediderint, multo maiorem illi, quam mihi iniuriam fecisse putem.

Alterum pro primo in his dicendi generibus, Trecentesimo altero, quingentesimo altero, sexcentesimo altero, & vicesimo altero anno, apud Liuium accipiendum esse, iterum planius demonstratum, & Liuius in eo a prauissimis emendationibus vindicatus.

CAPVT XVI.

SVpra scripsi, cum Liuius dixit, *Decemuiros creatos esse trecentesimo, & altero anno ab V. C.* significari anno trecentesimo primo, idque multis rationibus confirmaui, atque eas statim edidi nunc quoniam audio, aduersarium meum nihil illis argumentis perculsum in sua sententia permanere, atque Alterum pro primo sumtum, prope portētum esse clamare, exponam planius, atque vberius, quod sentio, non concertationis, sed veritatis studio incitatus. Primum igitur illud positum esse volo, quod aliter haberi non posse supra demonstraui, Capitolinam annorum summam nihil ad Liuianam pertinere; Liuianam autem non nisi ex verbis ipsis Liuii esse hauriendam; neque Liuianos numeros, vt annorum rationem Liuianam inueniamus, pro arbitrio esse mutandos, sed esse incolumes relinquendos. His autem rebus ita constitutis, dico Liuium, cum inquit, anno trecentesimo, & altero decemuiros esse creatos, trecentesimo primo intelligere. Etenim, si consules primos initio dicas anno ipso

ducen-

ducentesimo quadragesimo quinto, quod diserte apud Liuium scriptum esse supra ostendi, non poteris decemuiros nisi in annum trecentesimum primum coniicere. Quod si duos annos eos, de quibus diximus, annumeraris, in trecentesimum tertium eos referre cogeris. non esse autem eorum rationem habendam, satis supra probatum est. me autem etiam magis moueat manuscripti epitomarum libri, in quibus inuenio, *Vno, & trecentesimo anno ab V. C. decemuiros esse creatos.* Praeterea nominat Liuius annum, quo C. Sulpitius Peticus III. & M. Valerius Poplicola consulatum gesserunt, quadringentesimum ab vrbe condita, his verbis: *Quadringentesimo anno, quam vrbs condita erat, quinto, & tricesimo, quam a Gallis recepta, ablato post vndecimum annum a plebe consulatu patritii consules ambo ex interregno magistratum iniere.* Quem tam nobilem, & tam rotundum numerum vt ego tueor, sic Robortellus arte sua corrumpit, & CCCXCVIII reponit; quoniam hi consules in eum annum in fastis Capitolinis incurrant. quo errore nullum foediorem esse posse opinor. Si ergo hi consules ex Liuii sententia fuerunt anno CD, profecto M. Popilius consul, qui eos proxime consecutus est, anno CDI. quo consule accepimus secundos saeculares ludos, teste Zozimo, esse factos Cum autem tertii ludi saeculares auctore Censorino ex Liuii sententia relati sint L. Iunio, & P. Claudio consulibus, iidemq; teste epitoma Liuiana, centesimo anno editi sint, altero, & quingentesimo anno ab V. C. cumque a M. Popilio cos. ad Iunii, & Claudii consulatum centum anni numerētur, sane apparet quingentesimum alterum in epitoma esse quingentesimum primum. praeterea si Iunius & Claudius anno DI. consules fuerunt, profecto Marcius, & Manilius, quibus consulibus quarti ludi saeculares post centesimum annum, sexcentesimo autem, & altero ab vrbe condita anno relati a Liuio in epitoma, & a Censorino ex Liuii sententia feruntur, in annum sexcentesimum primum incurrent, atque ita etiam sexcentesimus alter erit sexcentesimus primus. Atque hoc quidem ita esse docet etiam alio loco Liuius, qui Cottam & Galbam in annum coniicit quingentesimum quinquagesimum. qui numerus, si regrediaris, ostendet, Iunium, & Claudium anno DI; si progrediaris, Marcium, & Manilium anno DCI inisse. Cum autem rotundos hos numeros studiose attulerit Liuius, quam periculosum, ac temerarium sit, eos Robortelliano more mutare, omnes intelligūt. ille tamen hoc etiam loco quingentesimum quinquagesimum tertium reponit. Praeterea in epitomis iisdem, vt supra dixi, scriptum est, bella ciuilia tribus triumphis a Caesare Octauiano actis vicesimo, & altero anno, quam inita erant, esse finita. Subducta autem ratione omnium annorū a Lentuli, & Marcelli consulatu, quo coeperunt, vsq; ad iterum Caesaris, & Crassi consulatum, quo ille ter triumphauit, non nisi vi-

ginti vnum annũ numerari inuenies. His ego veſtigiis Liuii mẽtem perſequutus, alterũ pro primo interpretatus ſum nõ Grammatica, quam ille, bonus ſcilicet Grammaticus, ſequitur, loquẽdi ratione, ſed Liuiana, quã ego indagaui, computatione adductus. Quibus rebus ita confirmatis, nunc, quæ contra dici poſſint, refellamus. *Trecenteſimus alter*, inquit, *decemvirorum annus non eſt trecenteſimus primus, ſed ſecundus. nam ab eo anno uſq; ad tribunos militares qui trecenteſimo decimo anno iniſſe dicuntur, non niſi octo anni numerantur. cum nouem eſſe deberent.* reſpondeo, nihil noui aduerſus me afferri: ſed hanc etiam difficultatẽ & quo pacto tolli poſſet, adſcripſi. nimirum videri Horatium, & Valerium in alterum annum continuaſſe conſulatum idq; Liuium ipſum etiam ſubſignificaſſe. Sed ſit hæc difficultas maxima, qua mea expoſitio vrgeatur. quid? nonne eadem etiam ipſe premitur? Nam cum primi cõſules anno ipſo CCXLV inierint, vt Liuius voluit decemuiros in trecenteſimum ſecundum referre nõ poterit, niſi eadem ratione annum interiiciat. vbi autem ſit interponendus, non apparet. nam ſi duos illos de quibus diximus, interſeruerit, eos in trecenteſimum tertium conferet.

Iam vero quod ait, *Alter dicitur de duobus, ergo trecenteſimus alter eſt trecenteſimus ſecundus*, reſpondeo, ſi a trecenteſimo incipiamus, eum eum, qui proxime ſequitur, alterũ eſſe. Sequitur autem trecenteſimus primus. Sic dixiſſe Virgilium: *Tu nunc eris alter ab illo*, id eſt ſecundus, ſi illum etiam adnumeraris. primus autem, ſi poſt illum numerare incœperis. Hoc loco Seruii interpretationem opponet, qui exponit apud Virgilium annum alterum ab vndecimo decimum tertium, non duodecimum. ſcilicet quia decimus tertius propius abeſt a pubertate quã duodecimus. Cui ego reſpondeo, ſi Seruius expoſitionem illam ſuam ſibi ratione corroborãdam putauit, intellexiſſe alteram etiam poſſe probari: nam ſi conſtaret, annum alterum ab vndecimo non poſſe ſignificare, niſi tertium decimum, quid tam anxia illa opus erat expoſitione? confirmauit ergo id, quod facile labefactari poſſe intellexit. ratio vero, quam affert nõ cogit nos aſſentiri, vt omnino alter tertius decimus ſit: neq. enim neceſſariam, & certam aliquam annorum ſummam quam euitare non poſſimus, adhibuit. Hæc dixi, non vt Alterum pro ſecundo ſumi poſſe negarem, ſed vt Liuianum vſum oſtenderem. neque aliter fieri ei, qui integros eius ſeruare numeros velit, poſſe, probarem. Quod ſi Robortellus omnes numeros Liuianos incolumes tuebitur, atq; Alterum pro ſecundo interpretabitur, aſſentiar, quod ei tamen facere iam integrum eſſe non video. Siquidem iam omnes corrupit, & pro quingenteſimo ac ſexcenteſimo altero, quingenteſimum, & ſexcenteſimum quartum repoſuit. ſin autem numeris Liuianis euertendis mecum pugnare voluerit, eum non audiam.

IN CA-

IN CAPVT XXXIV.

Asconii, & Liuii emendatio quædam a quo sumta sit, demonstratum.

CAPVT XVII.

DEinde omissa, quam instituerat de Nominibus quęstione, in Asconianas quasdam emendationes suas exponendas egreditur, his autem tantum tribuit, vt quæ a summo studio, singulari doctrina excellenti ingenio proficisci possint, omnes a se in hoc auctore restituendo velit exspectari, quas ego tamen ab ipsius Asconii mente tam alienas, atque abhorrentes inuenio, vt aliquando mirer, hominem ceteroqui non omnino iudicio præditũ, tam longe a vera tam aperti scriptoris sententia aberrasse, nisi forte illud iit, quod sibi, vt opinor, cum Patauinis naturali quodam animorum dissidio non conueniat: cur enim Liuium, cur Asconium clarissima quondam illius ciuitatis lumina aut intueri non posset, aut sibi exstinguenda sumsisset? Neque enim quenquam oblitum esse arbitror, eundem supra Asconium etiam nullius opis indigentem ita esse aggressum, vt eum non emendare, sed turpissime amandare videatur voluisse. Nunc vero initium huius sui laboris a mea contumelia duxit. Primum enim me socium Manutio in corrigendo, id est, vt ille interpretatur, euertendo Asconio ascribit. Quod ipsum cum nec Manutii, nec meo coargui testimonio possit, nisi forte coniectaras nescio quas duas totius Asconii emendationes putat, vnde ille acceperit, non dispicio. Mihi quidem optandum esse maxime arbitrarer, si vere in societatem tam gloriosi laboris vocari cum Manutio possem, deinde vero emendationem Asconiani loci nescio quam infert, cuius ego biennio ante in scholiis Liuianis memineram, cum pro Lentuli Surę pater, Lentuli Suræ prætoris reponendum dixi. Quodque indignius est, adeo facilitate τῶν πολλῶν abutitur vt quod ego ante illium monimentis literarum prodiderim, id ipse non solum ad se totum attrahat, & se ante me citatis etiam nobilissimis testibus vidisse confirmet, sed me quoque ex languidulis suis sermonibus nescio quibus surripuisse insimulet. Scilicet Robortellus iste cum ieiuno nimis, atque angusto animo est, qui tam anxie fines pusillæ suæ gloriæ tueatur, & in re tam imbecilla laboret, tum iniusta mecum cõditione agit, qui vulgatis meis scriptis me tacente apertissime cõpilatis priuatorum mihi suorum sermonum furta exprobret. Etenim qui loci Velleiani correctionem illam, quam vnam in suo libro firmam esse potest dicere, totidẽ prope verbis ex scholiis meis epitomæ CXVIII. descripserit, atque in suum XXIII. libri secundi caput, in quo apud Velleium pro ptore, non, ꝓ populo Rom. legẽdum esse contendit, transtulerit, deque mei mentionem vllam fecerit, is me suam quandam Asconii correctionem inaudisse, ac memoriæ prodidisse vitio vertit, quasi vero tum, cum de Surę prę-

toris scripsi id ego non probabili ductus vocum similitudine scripserim, ille vero cum, pro prætore, correxit, non mea solum impulsus emendatione correxerit. Ego enim cum apud Liuium. Fabius pater pro Fabio prætore reponerem, addidi contraria ratione apud Asconium, Surę prętoris, pro Surę pater, esse restituendum. ille vero cũ de pro prætore caput XXIII. integrum scripsit. nulla alia occasione, nisi mea admonitus obseruatione adscripsit. Vere igitur dicam. mirabar antea, cum ipsum scribentem audiebam, Andream Alciatum iurisconsultum clarissimum sua scrinia compilasse. Sed id tamen fieri poterat: exstabat enim tum aureolus vnus Annotationum eius libellus, vnde ipse aliquid sumsisse illum arguere posset, cum autem me non ex scriptis, sed ex sermonibus suis aliquid esse furatum queratur, iam me non admiratio eius, sed miseratio mei maxima tenet. Etenim si illo auctore, quæ correxi, corrupi, quæ corrigenda erant, omisi, quæ bene correxi ab eo & quidem loquente, non scribente sumsi, quis mihi in posterum laudis, aut gloriæ locus relinquatur non video. nam si quid fortasse, vt homo, deliquero, non deerit, qui me contumeliæ caussa robustius increpet Robortellus; si strenue fecero, aderit statim, qui gloriæ caussa productis testibus totum id sibi vindicet Robortellus; vt ex illo mihi dedecus metuendum sit, ex hoc ne magna quidem expectari laus possit: quid agam igitur? magno opus consilio est: an hæc mihi patienter ferenda, an fortiter excutienda seruitus est? ferrem libentius, si per domini insolentiam possem. at ille adeo importune insistit, vt omnia mihi potius experienda, quam tantam ferendam tyranni impotentiam ducam. quis enim libero, atque ingenuo animo præditus audire hæc eius verba æquo animo posset? *Sed agedum Sigoni, quomodo sperasti te delitescere in hoc furto posse? an putabas me hoc tibi condonaturum; atqui condonassem, si mihi esses amicus.* Ecce: vt ne in tenebris quidem, si peccaro, me tutum futurum minetur, & vt veniæ spem omnem adimat, nisi omni se ipsum, vt regem, assentatione coluero, quid est enim aliud, amicum esse regi, quam regi humiliter adulari? Quanquam hoc fortasse ferendum esset, nisi illud multo esset acerbius, quod sequitur. *Vide quam tibi inimicus non sim. Si alii multi, qui a me audierant illud, furtum istud tuum mihi non significassent, & palam dictitassent, se hoc æquo animo non laturos, ac hæc ve ne verbum quidem eram facturus. Sed veritus ne illi iracundius tecum agerent, quam ego, hæc quam lenissime potui, proferenda duxi.* Iam vnusquisque intelligere potest, vt ipse non solum per se ferox sit, & immanis, sed ferociores etiam, & immaniores habeat ministros, acerrimos huius suæ potentiæ satellites. Me miserum, vbi terrarum sum? aut quod in me tantum scelus commisi, quo a me Dionysium istum alienauerim? Dionysium? imo Phalarim. Dionysius enim humanitate aliqua, & literis erat imbutus, hic noster omnem

omnem humanitatem videtur exuisse, atque omnes literas conculcasse. Siquidem & veteribus illis, quorum ingeniis omnes optimæ disciplinæ partæ, ac nobis traditæ sunt, & nobis, qui præclara illorum hoc tempore ducimur imitatione, bellum intulit crudelissimum. Quid ergo? audendum certe aliquando est, atque arrogantia tanta hominis contundenda id est, ipsum in toto literarum genere nihil scire, ac sine caussa sibi tantum tribuere demonstrandum est.

IN CAPVT XXXV. XXXVI.

Asconii lectio vetus defensa, noua derisa, de equitibus R. militaribus, equitum generibus duobus. De lege Sempronia iudiciaria, quādo lata, & abrogata sit, loci Asconii, Ciceronis, Plinii expositi De gente Sextia, & Sestia,

CAPVT XVIII.

SEquitur caput, in quo se Asconii loci pulcerrimum restituisse gloriatur, quem fœdissime labefecit, is est in commentario Diuinationis: *His X annis victore Sylla ciuilibus bellis spoliatus est populus R. potestate tribunitia, iudicandi iure, quod habuit per equites Romanos militaris, arbitrio creandorum sacerdotum.* De quo ille ita: *Hic locus corruptus est adeo, vt intelligi non possint ea verba: Per equites Romanos militaris. Paulus Manutius simul, & Carolus Sigonius asteriscos duos ibi apponendos curarunt, nec potuerunt locum suo ingenio restituere. ego igitur, quomodo legi debeat, ac locus restitui demonstrabo, fuit scriptum ab Asconio, per equites Rom. annos I V L. Imperiti librarii, cum non intelligerent, ita descripserunt, Per equites Romanos, commiscentes scilicet duas illas dictiones Rom. annos. Iam vero I V L. (numerus quadraginta sex significat, iidem non intelligentes, Mil. scripserunt, postea vero alii militares.* hæc ille. Primum igitur me, & Manutium asteriscos huic loco duos apposuisse ait, deinde locum corruptum esse, tum voces illas, equites Romanos militares, intelligi non posse, postremo, equites Romanos militares, mendose esse pro, equites Romanos anno X L V I. Cui ego respondeo, me nec locum istum asterisco signasse, nec Manutio, vt signaret, auctorem fuisse, nec Manutium sine caussa illud fecisse existimare. locum vero hunc nulla parte corruptum, voces illas, equites Romanos militares, integerrimas esse, atque omnino intelligi posse, putare, postremo si vitium sit in voce militaris, & anni numerus reponendus sit, non XLVI, sed XL reponendū esse indicare. Possum ne vehementius, aut præclara ista tua monimenta, quę tu laudibus in cœlū extollis, attentare? aut acrius arcem istam decretorum tuorum inuadere? Dices, cur dixit Asconius, equites R. militares? nimirum Robortelle, quia duo erant equitum Romanorum genera. vnum, cui pedites opponebantur, alterum, cui senatores, & plebs, atque illi quidem equo priuato merebant, hi publico. equus autem publicus vt a censore assignabatur, sic etiam

Ea legi apud veteres, quod tu demonstrabis, si poteris. Tu igitur Robortelle, qui dixisti, Liuiū sæpe Q. Seruilium Maluginensem nominare, tibi negatum non probas, a me, vt ostendam cognomina Maluginensis, & Scipionis olim cōiuncta fuisse, & Cornelios Scipiones Marci prænomine vsos esse contendis? Hoc autem si ostēdero, quod tu nullo modo fieri posse putas, te mihi de hoc loco a te turpissime deprauato concessurum confiteris? maximum rem tuam in discrimen adduxisti Robortelle, ne hac te probata tibi te rudem esse antiquitatis R. necessario confitendum sit. non fuit hoc prudentiæ, non fuit hoc calliditatis tuæ, vt mecum cominus pugnares. nam te profecto grauem scilicet hominē leuis supplātabo. negas inquam inueniri posse M. Scipionem Maluginēsem? probo non solum inueniri aliquem, sed eum ipsum, quem Cicero intellexit. is autem triennio, postquam Acidinus a se renuntiatus fuerat, prætor fuit. de quo sic Liuius in anni DLXXVII rebus exponendis, Petellio & Scipione consulibus: *Prætores facti M. Popillius Lænas, P. Licinius Crassus, M. Cornelius Scipio.* & post: *M. Scipio Maluginensis prætor Hispaniam vlteriorem sortitus est.* & post: *Insignes notæ fuerunt M. Cornelii Scipionis Maluginensis, qui biennio ante prætor in Hispania fuerat.* Quid ais Robortelle? potes ne certioribus a me argumentis refutari? potes ne melioribus auctoribus reprehendi? potes ne propinquioribus temporibus coargui? potes ne te Liuium, quem ais correxisse, legisse fateri? potes ne te tuo testimonio, atque iudicio in hoc certamine superatum esse inficiari? nimis vrgeo. Sudare mihi videris, nec mirum. Sextili mense quidlibet per me facias licet. modo ne hæc Liuiana loca tua illa emendationum fœditate contamines: neque enim aliud tibi reliquum perfugii video. Sed pergamus ad alia. Nam cetera, vt iam nimis leuia, prætermitto.

IN CAPVT XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.

Quæ capite XXX vsque ad XXXIII ab eo disputantur, ea ad disputationem de R. nominibus pertinent, atque propterea a me in secundum librum, vt superiora, confutanda reiiciuntur.

Quid sit diribere, & dirimere suffragia, & errores in iis sublati, & loci Ciceronis, Varronis, & Liuiani indicati, atque integritati restituti.

CAPVT XIV.

SEd quoniam centuriarum, & comitiorum feci mentionem, atque antiquam in ea re renouaui consuetudinem, placet etiam de suffragiis nescio quid dicere, in quo video huiusque multos ne dicam omnes, errasse. Hoc est, quid sit diribere suffragia. Locos afferam quibus hac de re mentio fit. Cicero in Pisonem: *An exspectem, dum de te quinque, & septuaginta tabellæ diribeantur.* & libro 3. ad Q. Fratrem: *Caninius aperte absoluit, & Cato.*

Cato. Is diruptis tabellis, de circulo ſe ſubduxit. & pro Plancio: *Nihil tam eſt, quod populo ſupplicetur, nihil quod diremtio, nihil quod ſupplicatio magiſtratuum, renuntiatio ſuffragiorum.* & Varro lib. 3. *Comitiis ædiliciis, cum ego, atque Axius ſenator tribulis ſuffragium tuliſſemus, & candidato, cui ſtudebamus, vellemus eſſe praeſto, cum domum rediret, Axius mihi, dum dirimuntur,* inquit, *ſuffragia, vis potius villa publica vtamur vmbra?* Hos locos omnes vitioſos eſſe primus, vt opinor, ſcripſit Hieronymus Ferrarius in ſcholiis in Philippicas Ciceronis, & pro *diripiantur, diribeantur*, pro *diruptis, diributis*, pro *diremtio, diributio*, pro *dirimuntur, diribentur* reponendum cenſuit. Hunc deinde omnes ſequuti ſunt, proxime autem Nicolaus Grucchius in eo libro, quem ſcripſit de comitiis. mouet eos, quod diribitores apud Ciceronem legunt. quos Ferrarius interpretatur, non diuiſores, ſed qui ſuffragia lata diribebant, numerumque inibant. Grucchius autem pro diuiſoribus accipit, a diribendis, id eſt, diſtribuendis tabellis, & recte. Nam quos Cicero in oratione poſt reditum in ſenatu, diribitores vocat, eoſdem in Piſoniana diſtributores appellat. Quare vt aſſentior Grucchio de ſignificatione diribitoris, Ferrario vero de eorum, quos protuli, locorum ſententia, ſic ab vtroque de Germana eorum locorum lectione diſſideo: eſt autem intelligendũ duas loquendi fuiſſe formulas, vnam diribere ſuffragia, vnde diribitores, alteram dirimere; illud eſſe diſtribuere, hoc dinumerare. locos autem citatos de dinumeratione eſſe accipiendos, atque apud Varronem legi ſyncere, dum ſuffragia dirimuntur, & in Planciana diremtionem, in epiſtola vero pro diruptis, diremtis, eſſe reponendum. Nam fuiſſe talem apud antiquos loquendi rationem indicat Lucanus, vbi de comitiis Cæſaris dictatoris ſimulatis loquitur.

Fingit ſolemnia campus.
Et non admiſſa dirimit ſuffragia plebis.
Decantatque tribus, & vana verſat in vrna.

Cum ergo ex Lucano lectio integra appareat, hinc & apud Varronem, & in Planciana veterem lectionem retinebimus, in epiſtola vero eam locutionem reſtituemus. Nam diremtis tabellis, id eſt, dinumeratis, ait Catonem iudicem ſe de circulo ſubduxiſſe, & primum Gabinium abſolutum Pompeio nuntiaſſe. in Planciana vero præponit candidatorum ſupplicationem, quæ ante lata ſuffragia fiebat populo, deinde ſubiicit diremtionem, id eſt, diſtinctionem ſuffragiorum quibus quiſq; magiſtratus lectus eſt, & repulſus, tum ſupplicationem magiſtratuum ante renuntiationem, extremo renuntiationem ipſam. quam conſuetudinem demõſtrauit in principio orationis pro Murena ita: *Quæ precatus ſum a diis immortalibus iudices more, inſtitutoq; maiorum illo die, quo auſpicato comitiis centuriatis L. Murenam conſulem renuntiaui,*

vt ea res mihi, magistratuiq; meo, populo, plebiq; R bene ac feliciter eueniret. Locus Pisonianæ, si literarum similitudinẽ spectes, postulat magis, vt legas pro *diripiantur, diribeantur,* quam *dirimantur.* & sententia etiam eam lectionem non respuit: minatur enim Pisoni, futurum iudicium, & ait: *an exspectem, dum de te quinq; & septuaginta tabellæ diribeantur, i. iudicibus distribuantur, vt te condemnent?* Ita factum est, vt lingua Latina ignoto dicendi genere aucta, & loci hi, qui vitiose correcti fuerant, restituti, & Germana harum locutionum vis patefacta sit.

MEA ADVERSVS HENRICVM GLAREANVM,

In Liuiana annorum summa constituenda opinio defensa, & vt ille sine caussa in ea re me inhumanitatis arguerit.

CAPVT XV.

CVm hæc hactenus scripsissem, perlata est ad me epistola quædam ab Henrico Glareano, viro eruditissimo, vt index præscferebat, ad Ioannem Heruagium iam ante biennium missa: in qua ille queritur, se a me inhumanius, quam summa sua erga T. Liuium ferrent merita in suis refeliendis sententiis, in meis Liuianis scholiis esse tractatum. ceterum non dissimulat me quibus in rebus a suo dissensetim indicio, non iniuste admodum dissensisse, seque, si ad corrigendam antiquitatem ea Græcorum librorum, quibus ego hoc feliciori sæculo abundaui, sibi quondam subsidia suppetiissent, non minora fuisse facile præstiturum. vnum esse, in quo me secum discrepantem esse moleste audiat, quod ipse summam annorum Liuianam a se collectam non approbarim. Quare, quanquam ego hanc epistolam intelligo, Glareano ipso inscienre, diuulgatam fuisse, tamen, quoniam ea studiose a multis legitur, & singulari Glareani auctoritate, acerrimum quasi telum quoddam aduersus me ab inuidis meis, quorum impulsu edita est, esse existimatur; faciendum mihi esse statui, vt ei hoc loco responderem quam planissime, & quam lenissime possem; non, vt Glareanum doctissimum virum, quem mihi semper, quem omnibus huius memoriæ hominibus antepolui, oppugnarem, sed vt sententiam meam contra tanti viri opes in Liuiana antiquitate tractanda munirem. Me igitur illud maxime tacitum in primis habet, quod, quem studiorum communione, atque eandem quasi cogitationum societate mihi maxime deuinxisse arbitrabar, eundem a me vel eo ipso nomine abalienatum esse intelligo: perinde enim ille me secum dissensisse conqueritur, quasi ea harum literarum, studiorumque ratio sit, vt qui secundo loco ad scribendum se contulerit, is ab illis, qui ante se scripserint, dissidere aut vlla ratione non debeat, aut certe sine aliena offensione non possit; aut, cum Glareanus ipse Sabelbei,

[illegible]ici Vallæ, Rhenani, Haloandri iudicium, auctoritatemque contemserit. Sigonium omnes Glareani sententias approbare, nulla eius decreta respuere in Liuiana hist. [illegible] tuenda decreuerit. Quod ipsum tamen a me modeste illius esse factum, illud argumento est, vel quod sæpe cum eo ita sensi, vt eum laudarim, vel dissensi, vt non vituperarim. Itaq;, cur eo me ille nomine tam vehementer accuset, satis mirari non possum. age enim Polybii illi, Dionysii, Dionis, Appiani, aliorumq. Græcorum auctorum inopia vitiosos sæpe se Liuii locos non posse ex sententia restituere querebatur. cur ego, qui libros illos legi, anxias illius dubitationes eximere, ac melioribus quasi auspiciis, quod ille assequi se posse negauit, præstare non debui? memoria præterea ille nutante multis in locis titubare, atque hæsitare videbatur; num ego idcirco veteribus annalium monumentis memoria repertis, scrupulum, quem ille nobis iniecerat, euellere ex animo studiosæ iuuentutis non debui? Nominum denique Romanorum rationem difficillimam ille, atq; impeditissimam esse sibi persuaserat, scilicet, quod ea ipse adiumenta, quæ sunt ad hanc quæstionem tractandã accommodata, desideraret: an propterea ego, qui lapides Capitolinos, quib. in hoc genere nihil esse melius potest, suppleui, in tantã re constituenda eos præterire, aut abiicere debui? At, inquit, ille: *Clamat Sigonius, me non legisse Stephanum, non legisse Priscianum. quem ego coniicio me legisse, antequam ille nasceretur.* potuisset, si quid pudoris in eo esset, modeste dicere, Glareanus nõ animaduertit, quod apud Priscianum est, vel quod Stephan. scribit. quod equidẽ moleste non tulissem: nihil enim offendor candida admonitione. Cui ego respondeo. *Fieri quidem potuisse, vt ille, si vere, vt audio, annos iam octoginta natus est, Priscianum & ceteros, multo ante, quam ego in hanc lucem proderem, perlegerit, at tum cum illa scribebat, locum tamen memoria non tenuerit.* me vero, cum ad eius contumeliam nihil, ad studiosorum vtilitatem omnia compararem, inter hanc, atque illam dicendi formam non multum interesse existimasse.

Sed quoniam, quæ scripsi, ea ne vlla quidem in parte ab eo reprehendi animaduerti, reliqua omittam omnino, ad illud tantum, in quo ipse se mecum discordare ait, accedam; non vt probabilem summo iudicio præditi viri coniecturam euertam, sed vt meam sententiam contra tanti, vt dixi, viri auctoritatem defendam. verba eius hæc sunt: *Res maxime, cum mecum velut expostulat, quandoquidem Chronologiam ad Liuianam historiam, atque adeo Romanam illustrandam desumsisse me dixerim, cur duos annos post CCLXIII. ab vrbe condita non omiserim quos Liuius consulto, vt asserit Sigonius, prætermisit.* ad hoc ego ingenue, vt res est, dico, cũ viderem librariorũ vitio annum CCLVIII ab V. C. temere omissum, quod & Sigonius fatetur, putabam & hosce eodem modo

incuria temporum prætermiſſes & adhuc ſum in ea opinione. Nunc demum intelligo Robortelle, quid ſit, quod & hos in conſules librariorum vitio, non Liuii conſilio eſſe preteritos affirmaris ſcilicet Glareanum auctorem ſequutus es, cuius etiam epiſtolam hanc te dicere audio, ad te potiſſimum eſſe ex Germania ab Heruagio miſſam. Itaq; iam nunc mirari deſino, vnde tua iſta repentina ſapientia nata ſit, qui per te aliquid aliquando dixeris. Qua de re etſi ſatis multa ſupra dixi, cum in te diſputaui, non omittam tamen, quin aliquid hoc etiam loco adiungam, vt hanc potiſſimum tibi huius epiſtolæ auctori gratiam referam. *Quid igitur*, inquit Robortellus, *aut is, quem ipſe ſequitur, Glareanus? Poſt Sempronium & Minutiũ conſules in Chronologia Liuiana bini conſules deſũt: ponit, Sulpicium cum Larcio, & cum Pinario Iulium. cur? quia Dionyſius eos conſules apponit.* Hic ego dico annos Liuianos ex Liuio, non ex Dionyſio eſſe colligendos, apud Liuium autem nullam eorum conſulum mentionem fieri. reſpondent, eos imprudentibus librariis e Liuianis annalibus excidiſſe. vnde autem hoc colligant, nihil afferunt: non enim librorum ſcriptorum auctoritatem opponunt, non loci alterius firmamento nituntur: imo potius hoc poſito Liuio aduerſantur. Etenim Glareanus his duobus interiectis annis cogitur Xuiros cõſulares in annum trecenteſimum tertium conferre, tribunos militares in annum trecenteſimum vndecimum; cum tamen Liuius diſerte illos iniſſe dicat anno trecenteſimo altero, hos anno trecenteſimo decimo. ex quo fit, vt alter ſit tertius, & decimus ſit vndecimus. quo incommodo cum ipſe ſe vrgeri videat, addit, de vno anno ſe cum nemine certaturum, neq; intelligit hunc annum eſſe illum, quem mihi propoſui inueniendum, ne Liuiana annorum deſcriptio turbaret. Robortellus autem, ne hoc incommodo premeretur, primos conſules iniſſe dixit anno ab V. C. CCXLIV, nec animaduertit Liuium, & Dionyſiũ aperte, vt ſupra oſtendi, ſcripſiſſe conſules primos iniſſe anno CCXLV. quod etiã recte docuit Glareanus, a quo miror Robortellum auſum fuiſſe recedere. Vterq; autem hac opinione in eum ſcopulum incidit, quod cum dicat Liuius tribunos plebis decem creatos eſſe Q. Minutio, C. Horatio cos. anno triceſimo ſexto poſt primos quinque, qui creati ſunt, A. Virginio, T. Vetuſio conſulibus, anno CCLX, coguntur aduerſus omnium librorum auctoritatem ex coniectura corrigere, triceſimo octauo. Cum igitur illi nulla ratione adducti hoc faciant, ego eorum ſententiam approbabo? non hercule. quid enim roboris habet hoc argumentum? *Hos conſules edit Dionyſius, ergo apud Liuium reponendi ſunt.*

Primum enim quæro, an hoc nouum eſſe exiſtimas, duos conſulatus ab vno ſcriptore præteriri, qui ab altero numerentur? non certe. Hoc enim etiam a Piſone factum teſtatur Liu. lib. 9. his verbis:

bis: *Hos consules Piso Q. Fabio, & P. Decio suggerit, biennio exemto, quo Claudium, Voluminiumque, & Cornelium cum Marcio consules fastos tradidimus.* Memoriane fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos consules filios satus traiicêdat, incertum est. Atque idem etiam indicat aut Diodori annales, qui, si cum aliis cõparentur, multos sæpe prodere cõsulatus, quos alii transcendant. multos præterire, quos alii profiteantur, inuenientur. declarat deniq; Cassiodorus, quem apparet, quos consulatus prę erit, non librariorũ culpa, sed de industria prætermisisse, nimirum, quod talem annorum seriem ii annales, vnde suos ipse consulum fastos compilauit, ediderint.

Si ergo fieri potest, vt binos consules, quos Dionysius profitetur, Liuius prętereierit, vestigemus nunc ex verbis ipsis Liuii, verum librariorum, an Liuii culpa præteritos eos esse probandum sit Ac primum quidem illud satis liquet, ex sequentibus Liuianis annorum numeris, Liuium horum duorum annorum rationem non habuisse, cum Q. Minutio, C. Horatio cos. vt dixi, tribunos pl. decem factos dicat, anno tricesimo sexto post primos, qui facti sunt A. Virginio, T. Vetulio cos. anno CCLX. præterea, quod idem Xuiros missе scribat anno altero & trecentesimo ab vrbe condita, qui est, vt ego ostendi, trecentesimus primus. Ne mireris autem, Xuiros in annum CCCI coniici, cum in fastis Capitolinis in CCCII incurrant, sic habeto, Orosium eos in CCC contulisse, cum dixit: *Ipso trecentesimo anno, hoc est, olympiade nonagesima quinta potestas consulum Xuiris tradita est*; Dionysium autẽ, vt recte subduxit Glareanus, *in trecẽtesimum tertium.* Adde etiam Cassiodorum, quem satis constat & hos consules consulto prætermisse, atq; ex Liuiana historia fastos suos consulares concinnasse. Nam nisi Cassiodorum sequaris, nunquam Liuianos ipsos numeros omnes incolumes conseruabis.

Ex his satis perspici consilium Liuii potest. nunc videamus an illa ratione fieri potuerit, vt librariorũ culpa horum cõsulum nomina interierint, & locus ne sit apud Liuium vllus, vbi reponi illi consules ex ingenio possint. Primum igitur dico, mirabile videri, nuda nomina binorum deinceps consulum ex historia, reliqua manente sentẽtia excidisse; deinde addo, nihil ex eius historia desiderari; quæq; Dionysius in quatuor annos distribuit, ea in duos Liuium contulisse. tum vero illud etiam adiungo, in hac historia narranda non omnino Dionysium cum Liuio consentire. vnde probabile coniectura sit, etiam in annis supplendis, & eximendis inter eos controuersiam esse. Exponam primum res per consulatus ex Dionysii sententia gestas, deinde ex Liuii.

Anno CCLXIII. Sempronio, & Minutio consulibus.

In summa annona caritat. frumentũ aduehitur. Coriolanus auctor est, *ne plebi diuidatur. plebs ira accensa Coriolanu mul. at exitio*,

Anno CCLXIV. Sulpitio, & Larcio cos.

Portenta, pestilentia narrantur. T. Latinius e plebe homo in senatum debilis delatus somnium de instaurandis ludis exponit.

Anno CCLXV. Iulio & Pinario cos.

Coriolanus Attium Tullum in Volscis adit. arma capienda persuadet. Legati Volscorum Romam de bello mittuntur. Bellum a Volscis decernitur. Attius, & Coriolanus duces leguntur. Coriolanus facta in fines Romanos impressione Circeios Romanam coloniam capit, Romæ omnia ad bellum comparantur. Sed ante exit annus, quam in aciem exercitus adducatur.

Anno CCLXVI. Furio, & Nautio cos.

Æqui ad Volscos deficiunt. Coriolanus agrum R. populatur. Tolerinos, Bolanos, Lauicanos, Pedanos, Corbionē, Bouillas, Pedum in potestatem redigit. Romam propius accedit. Legatis qui de pace missi erant, reuersis uxor demum cum matre mittuntur. Hoc modo Dionysius, Liuius autem hoc.

Anno CCLXIII. Minucio, & Sempronio cos.

Frumento ... aduecto ne plebs ... ostendit Coriolanus, atque a plebe in exilium agitur. Is in Volscos abiens parat bellum. Latinius in senatum delatus somnium de ludis instaurandis exponit. Volsci, qui ad ludos venerāt, arte Attii Tullii urbe eiiciuntur. ea contumelia accepta Tullii consilio bellum indicitur. Coriolanus dux belli lectus Circeios, Satricum, Longulam, Poluscam, Corioles, Lauiniū, Corbionem, Pedum inuadit, inde agrum Romanum populatur.

Anno CCLXIV. Furio, & Nautio cos.

In summa ciuitatis trepidatione urbs custoditur. legati de pace ad Coriolanum primum, deinde cum uxore mater mittuntur.

Ex his apparet, variari inter hos auctores in caussa belli aperienda. nihil enim Dionys. ait de contumelia Volscis Romæ illata, tum cum urbe eiecti sunt, nihil de ludis instauratis. Liuium autē ita rem cum re continuare videmus, vt ne suspicari quidem possimus, nomina ipsa consulū excidisse. exempli gratia, *Coriolanum Dionysius uno anno in exiliū actum ait, altero Latinium somniū exposuisse senatui.* quas duas res inter se copulat Liuius hoc modo: *Damnatus absens in Volscos abiit. Venientē Volsci benigne excepere. Hospitio utebatur Attii Tullii. longe is princeps Volsci nominis erat, Romanisq; semper infestus.* ita cum alterū vetus odium, alterum ira recens stimularet, cōsilia conferūt de bello Rom. haud facile credebāt, plebem suā impelli posse, vt toties infeliciter tentata arma caperet. arte agendum in exoleto iam vetustate odio, vt recenti aliqua ira exacerbarentur animi. Ludi ex instauratione Magni parabantur. Instaurādis hæc caussa fuerat ludis inde vt in senatum Latinius delatus somnium de instaurandis ludis narrauerit, vt ludi instaurati sint, vt Volsci ad ludos venerint, vt arte Tulli vrbe pulsi, vt ad arma capienda impulsi sint, vt Coriolanus dux electus

non

non Circeios solum, sed reliqua etiam oppida ceperit, ita continenter narrat, vt locũ nullum, quo amissos cõsules restituas, excogitare queas. quid plura? *Dionysius in vnum annum captos Circeios ait, in alterũ Lavicos, Pedum, & reliqua.* at Liuius ita loquitur, vt vno anno hæc omnia gesta videãtur: *Circeios profectus*, inquit, *primum colonos inde Romanos expulit. inde in Latinam viam transuersis tramitibus transgressus, Satricum, Longulam, Poluscam, & cetera oppida cepit.* Adde, quod Dionysius in consulatum Furii, & Nautii expugnationem horum oppidorum conicit, Liuius vrbis tantũ trepidationem, & legatorum vxorisq; cum matre deprecationem refert. Si ergo varietas annalium in rebus gestis disgenlandis, & causis exponendis constat, cur non potest etiam in annis addendis, & omittendis existere? Plutarchus quidem etiam & Zonaras hæc eadem omnia ita narrant, vt ea in duos tantum annos Liuium sequuti conicere videantur.

Addit Glareanus: *Nullum maius in me habet telum declamandi, quam quòd nonnunquam in temporum su; ratione vno, aliquãdo duobus annis ratio nostra ab eo discrepat, cum Dionysii a Liuii, & Polybii ratione in totum fere duobus annis distet, quod toties in annotationibus nostris clamo & in vno anno cum nemine me certaturum vbique profiteor.* Scilicet Glareanus hæc mea verba telum appellat quæ sunt in epistola: Quoniam ad Romanam intelligendam historiam nihil tam aptum esse, quam rectam annorum, temporumque descriptionem, iudicabam. qua in re dissidentes inter se veteres auctores esse comperiebam, dedi etiam operam, vt, quod Glareanus ante me fecit. ne hac quidem in parte historiæ Liuianæ deessem. cuius quidem eruditissimi viri labore facile contentus esse poteram, nisi ab eo in tota ipsa re dissensissem. Neq; enim Liuium in numerandis ab vrbe condita annis eadem ratione vsum, qua ceteros, esse reperiebam. Qua ille opinione ductus, dũ eorum auctoritatem ad Liuianã Chronologiam conscribendam adhibuit, in eam sæpe se necessitatem induxit, vt dum aliorum numeros sequitur, omnino Liuianos, aut negligere, aut immutare coactus fuerit. Quod illi profecto in ea Chronologia committendum non erat, quam ipse se Liuianæ præsertim historiæ comparare profiteretur. Quibus verbis me vsum esse profiteor, non, vt ipsum tanquam telo aliquo iugularem, sed vt Liuianorum annorum veritatem indicarem, quæ vno, aut duobus illis, de quibus ait, annis neglectis, nullo modo constare potest. Addit deinde: *Tandem Sigonius ad quatuor annos descendit, vt & Hercules Antaũ prorsus conficiat, vltima illa pulcella annotatione, quæ est de anno, quãdo Liuius finierit historiam Romanam, ad XVII. annos me iugulat, cum sint etiam confessione mea XXVIII. in quibus tamen nihil negotii est: quis enim certo scire potest, quot ediderit libros Liuius, aut quos adducere voluerit?* Significat autẽ mea verba in extremis

Scholiis haec: *Si historia Liuiana morte Drusi in Germania, & funere eius, (vt apparet) finita est, trecento vsque ad annum DCCXLI peruenit: est enim mortuus ipse, & T. Quintio coss. vt ait Dio lib. 55. quem annum notat Glareanus DCCXLV. exponit autem consules vsque ad annum DCCLXXII, quia, inquit, vsque eo Liuianam historiam peruenire, praeter vnum, aut alterum annum, cum in septimo, & decimo eius anni finiatur.* Quae verba quam vim habeant confodiendi, aut iugulandi, non sentio, me certe eo tantum animo illa scripsisse scio, vt historiam Liuianam, quoad possem, vel Glareani ipsius exemplo, quem mihi ab ineunte aetate imitandum proposueram, illustrarem. Quod si ille his dicendi generibus, quibus me ab eo modeste dissidere ostendo, se iugulari existimat, qui sensurus eius esset, si forte contigisset, vt hanc quaestionem amicus meus incredibili illo suo robore argumentorum tractaret? quoties imperitum, quoties nullo iudicio praeditum ipse se appellari audisset? quibus ego nominibus non modo nõ Glareanum, sed ne ipsum quidem etiam Robortellum vnquam affeci, quem tamẽ nullo pacto cum Glareano ipso esse existimo conferendũ. Quamobrẽ tantum abest, vt ei, quod me hac epistola asperius appellarit, vlla ratione succenseam, vt, quanquam scribi moderatius potuisse existimo, tamen cum dolori eius ignoscam, tum vero eos, qui hanc epistolam illo insciente ediderint, multo maiorem illi, quam mihi iniuriam fecisse putem.

Alterum pro primo in his dicendi generibus, Trecentesimo altero, quingentesimo altero, sexcentesimo altero, & vicesimo altero anno, apud Liuium accipiendum esse, iterum planius demonstratum, & Liuius in eo a prauissimis emendationibus vindicatus.

CAPVT XVI.

SVpra scripsi, cum Liuius dixit, *Decemuiros creatos esse trecentesimo, & altero anno ab V. C.* significari anno trecentesimo primo, idque multis rationibus confirmaui, atque eas statim edidi nunc quoniam audio, aduersarium meum nihil illis argumentis perculsum in sua sententia permanere, atque Alterum pro primo sumtum, prope portẽtum esse clamare, expenam planius, atque vberius, quod studio, non concertationis, sed veritatis studio incitatus Primum igitur illud positum esse volo, quod aliter haberi non posse supra demonstraui, Capitolinam annorum summam nihil ad Liuianam pertinere; Liuianam autem non nisi ex verbis ipsis Liuii esse hauriendam; neque Liuianos numeros, vt annorum rationem Liuianam inueniamus, pro arbitrio esse mutandos, sed esse incolumes relinquendos. His autem rebus ita constitutis, dico Liuium, cum inquit, anno trecentesimo, & altero decemuiros esse creatos, trecentesimo primo intelligere. Etenim, si consules primos iniisse dicas anno ipso ducen-

trecentesimo quadragesimo quinto, quod diserte apud Liuium scriptum esse supra ostendi, non poteris decemuiros nisi in annum trecentesimum primum coniicere. Quod si duos annos eos, de quibus diximus, annumeraris, in trecentesimum tertium eos referre cogeris. non esse autem eorum rationem habendam, satis supra probatum est. me autem etiam magis mouent manuscripti epitomarum libri, in quibus inuenio, *Vno, & trecentesimo anno ab V.C. decemuiros esse creatos.* Præterea nominat Liuius annum, quo C. Sulpitius Peticus III. & M. Valerius Poplicola consulatum gesserunt, quadringentesimum ab vrbe condita, his verbis: *Quadringentesimo anno, quam vrbs condita erat, quinto, & tricesimo, quam a Gallis recepta, ablato post vndecimum annum a plebe consulatu patritii consules ambo ex interregno magistratum inire.* Quem tam nobilem, & tam rotundum numerum vt ego tutor, sic Robortellus arte sua corrumpit, & CCCXCVIII reponit; quoniam hi consules in eum annum in fastis Capitolinis incurrant. quo errore nullum fœdiorem esse posse opinor. Si ergo hi consules ex Liuii sententia fuerunt anno CD, profecto M. Popilius consul, qui eos proxime consecutus est, anno CDI. quo consule accepimus secundos sæculares ludos, teste Zozimo, esse factos. Cum autem tertii ludi sæculares auctore Censorino ex Liuii sententia relati sint L. Iunio, & P. Claudio consulibus, iidemq; teste epitoma Liuiana, centesimo anno editi sint, altero, & quingentesimo anno ab V. C. cumque a M. Popillio cos. ad Iunii, & Claudii consulatum centum anni numerētur, sane apparet quingentesimum alterum in epitoma esse quingentesimum primum. præterea si Iunius & Claudius anno DI. consules fuerunt, profecto Marcius, & Manilius, quibus consulibus quarti ludi sæculares post centesimum annum, sexcentesimo autem, & altero ab vrbe condita anno relati a Liuio in epitoma, & a Censorino ex Liuii sententia feruntur, in annum sexcentesimum primum incurrent, atque ita etiam sexcentesimus alter erit sexcentesimus primus. Atque hoc quidem ita esse docet etiam alio loco Liuius, qui Cottam & Galbam in annum coniicit quingentesimum quinquagesimum. qui numerus, si regrediaris, ostendet, Iunium, & Claudium anno DI; si progrediaris, Marcium, & Manilium anno DCI inisse. Cum autem rotundos hos numeros studiose attulerit Liuius, quam periculosum, ac temerarium sit, eos Robortelliano more mutare, omnes intelligūt. ille tamen hoc etiam loco quingentesimum quinquagesimum tertium reponit. Præterea in epitomis iisdem, vt supra dixi, scriptum est, bella ciuilia tribus triumphis a Cæsare Octauiano actis vicesimo, & altero anno, quam inita erant, esse finita. Subducta autem ratione omnium annorū a Lentuli, & Marcelli consulatu, quo cœperunt, vsq; ad ipsius Cæsaris, & Crassi consulatum, quo ille ter triumphauit, non nisi vi-

ginti vnum annū numerari inuenies. His ego vestigiis Liuii mētem persequutus, alterū pro primo interpretatus sum nō Grammatica, quam ille, bonus scilicet Grammaticus, sequitur, loquēdi ratione, sed Liuiana, quā ego indagaui, computatione adductus. Quibus rebus ita confirmatis, nunc, quæ contra dici possint, refellamus. *Trecentesimus alter*, inquit, *decemvirorum annus non est trecentesimus primus, sed secundus. nam ab eo anno vsq; ad tribunos militares qui trecentesimo decimo anno inisse dicuntur, non nisi octo anni numerantur, cum nouem esse deberent.* respondeo, nihil noui aducitsus me afferri: scrili enim difficultatē & quo pacto tolli posset, adscripsi. nimirum videri Horatium, & Valerium in alterum annum continuasse consulatum, idq; Liuium ipsum etiam subsignificasse. Sed sit hæc difficultas maxima, qua mea expositio vrgeatur. quid? nonne eadem etiam ipse premitur? Nam cum primi cōsules anno ipso CCXLV inierint, vt Liuius voluit, decemuiros in trecentesimum secundum referre nō poterit, nisi eadem ratione annum interiiciat. vbi autem sit interponendus, non apparet. nam si duos illos de quibus diximus, interseruerit, eos in trecentesimum tertium conferet.

Iam vero quod ait, *Alter dicitur de duobus, ergo trecentesimus alter est trecentesimus secundus*, respondeo, si a trecentesimo incipiamus, tum eum, qui proxime sequitur, alterū esse. Sequitur autem trecentesimus primus. Sic dixisse Virgilium: *Tu nunc eris alter ab illo*, id est secundus, si illum etiam ad numeraris. primus autem, si post illum numerare inceperis. Hoc loco Seruii interpretationem opponet, qui exponit apud Virgilium annum alterum ab vndecimo decimum tertium, non duodecimum. scilicet quia decimus tertius propius abest a pubertate quā duodecimus. Cui ego respondeo, si Seruius expositionem illam suam sibi ratione corroborādam putauit, intellexisse alteram etiam posse probari: nam si constaret, annum alterum ab vndecimo non posse significare, nisi tertium decimum, quid tam anxia illa opus erat expositione? confirmauit ergo id, quod facile labefactari posse intellexit. ratio vero, quam affert, nō cogit nos allentiri, vt omnino ille tertius decimus sit: neq. enim necessariam, & certam aliquam annorum summam quam curare nos possimus, adhibuit. Hæc dixi, non vt Alterum pro secundo sumi posse negarem, sed vt Liuianum vsum ostenderem. neque aliter fieri ei, qui integros eius seruare numeros velit, posse, probarem. Quod si Robortelius omnes numeros Liuianos incolumes tuebitur, atq; Alterum pro secundo interpretabitur, assentiar, quod ei tamen facere iam integrum esse non video. Siquidem iam omnes corrupit, & pro quingentesimo ac sexcentesimo altero, quingentesimum, & sexcentesimum quartum reposuit. sin autem numeris Liuianis euertendis mecum pugnare voluerit, eum non audiam.

IN CA-

IN CAPVT XXXIV.

Asconii, & Liuii emendatio quædam a quo sumta sit, demonstratum.

CAPVT XVII.

DEinde omissa, quam instituerat de Nominibus quęstione, in Asconianas quasdam emendationes suas exponendas egreditur, his autem tantum tribuit, vt quæ a summo studio, singulari doctrina excellenti ingenio proficisci possint, omnes a se in hoc auctore restituendo velit exspectari, quas ego tamen ab ipsius Asconii mente tam alienas, atque abhorrentes inuenio, vt aliquando mirer, hominem ceteroqui non omnino iudicio præditū, tam longe a vera tam aperti scriptoris sententia aberrasse, nisi forte illud sit, quod sibi, vt opinor, cum Patauinis naturali quodam animorum dissidio non conueniat: cur enim Liuium, cur Asconium clarissima quondam illius ciuitatis lumina aut intueri non posset, aut sibi extinguenda sumsisset? Neque enim quenquam oblitum esse arbitror, eundem supra Asconium etiam nullius opis indigentem ita esse aggressum, vt eum non emendare, sed turpissime amandare videatur voluisse. Nunc vero initium huius sui laboris a mea contumelia duxit. Primum enim me socium Manutio in corrigendo, id est, vt ille interpretatur, euertendo Asconio ascribit. Quod ipsum cum nec Manutii, nec meo coargui testimonio possit, nisi forte coniecturas nescio quas duas totius Asconii emendationes putat, vnde ille acceperit, non dispicio. Mihi quidem optandum esse maxime arbitrarer, si vere in societatem tam gloriosi laboris vocari cum Manutio possem, deinde vero emendationem Asconiani loci nescio quam infert, cuius ego biennio ante in scholiis Liuianis memineram, cum pro Lentuli Surę pater, Lentuli Suræ præ ocis reponendum dixi. Quodque indignius est, adeo facilitate τῆς προσώπου abutitur vt quod ego ante illum monimentis literarum prodiderim, id ipse non solum ad se totum attrahat, & se ante me citatis etiam nobilissimis testibus vidisse confirmet, sed me quoque ex languidulis suis sermonibus nescio quibus surripuisse insimulet. Scilicet Robortellus iste cum ieiuno nimis, atque angusto animo est, qui tam anxie fines pusillæ suæ gloriæ tueatur, & in re tam imbecilla laboret, tum iniusta mecum cōditione agit, qui vulgatis meis scriptis me tacente apertissime cōpilatis priuatorum mihi suorum sermonum furta exprobret. Etenim qui loci Velleiani correctionem illam, quam vnam in suo libro firmam esse potest dicere, totidē prope verbis ex scholiis meis epitomæ CXVIII. descripserit, atque in suum XXIII. libri secundi caput, in quo apud Velleium pro ꝑtore, non, ꝑ populo Rom. legēdum esse contendit, transtulerit, deque mei mentionem vllam fecerit, is me suam quandam Asconii correctionem inaudisse, ac memoriæ prodidisse vitio vertit, quasi vero tum, cum de Surę prę-

omnem humanitatem videtur exuisse, atque omnes literas conculcasse. Siquidem & veteribus illis, quorum ingeniis omnes optimæ disciplinæ partæ, ac nobis traditæ sunt, & nobis, qui præclara illorum hoc tempore ducimur imitatione, bellum intulit crudelissimum. Quid ergo? audendum certe aliquando est, atque arrogantia tanta hominis contundenda id est, ipsum in toto literarum genere nihil scire, ac sine caussa sibi tantum tribuere demonstrandum est.

IN CAPVT XXXV. XXXVI.

Asconii lectio vetus defensa, noua derisa, de equitibus R. militaribus, equitum generibus duobus. De lege Sempronia iudiciaria, quando lata, & abrogata sit, loci Asconii, Ciceronis, Plinii expositi De gente Sextia, & Sestia,

CAPVT XVIII.

Sequitur caput, in quo se Asconii loci pulcerrimum restituisse gloriatur, quem fœdissime labefecit, is est in commentario Diuinationis: *His X annis victore Sylla ciuilibus bellis spoliatus est populus R. potestate tribunitia, iudicandi iure, quod habuit per equites Romanos militaris, arbitrio creandorum sacerdotum.* De quo ille ita: *Hic locus corruptus est adeo, vt intelligi non possint ea verba: Per equites Romanos militaris. Paulus Manutius simul, & Carolus Sigonius asteriscos duos ibi apponendos curarunt, nec potuerunt locum suo ingenio restituere. ego igitur, quomodo legi debeat, ac locus restitui demonstrabo. fuit scriptum ab Asconio, per equites Rom. annos I V L. Imperiti librarii, cum non intelligerent, ita descripserunt, Per equites Romanos, commiscentes scilicet duas illas dictiones Rom. annos. Iam vero I V L. (numerus quadraginta sex significat, iidem non intelligentes, Mil. scripserunt, postea vero alii militares.* hæc ille. Primum igitur me, & Manutium asteriscos huic loco duos apposuisse ait, deinde locum corruptum esse, tum voces illas, equites Romanos militares, intelligi non posse, postremo, equites Romanos militares, mendose esse pro, equites Romanos anno X L V I. Cui ego respondeo, me nec locum istum asterisco signasse, nec Manutio, vt signaret, auctorem fuisse, nec Manutium sine caussa illud fecisse existimare. locum vero hunc nulla parte corruptum, voces illas, equites Romanos militares, integerrimas esse, atque omnino intelligi posse, putare, postremo si vitium sit in voce militaris, & anni numerus reponendus sit, non XLVI. sed XL reponendũ esse iudicare. Possum ne vehementius, aut præclara ista tua monimenta, quę tu laudibus in cœlũ extollis, attentare? aut acrius arcem istam decretorum tuorũ inuadere? Dices, cur dixit Asconius, equites R. militares? nimirum Robortelle, quia duo erant equitum Romanorum genera. vnum, cui pedites opponebantur, alterum, cui senatores, & plebs, atque illi quidem equo priuato merebant, hi publico. equus autem publicus vt a censore assignabatur, sic etiam

ab eodem adimebatur, assignabatur autem nemini, nisi qui censum equestrem haberet. Horum equitum meminit Cicero in VI. Philippica. *Altera statua est*, inquit, *equitum R. equo publico, qui item ascribunt: Patrono; Quem vnquam patronum iste ordo adoptauit? si quenquam, me debuit.* Quibus verbis significat ordinem illum equestrem, quem ipse in consulatu suo senatui conciliarat, fuisse equitum Romanorum equo publico. Quem equum publicum Plinius equum militarem appellat. lib XXXIII. cap I. *Annuli plane medium ordinem, tertiumque plebi, & patribus inseruere, ac quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecunia iudices tribuunt.* Intelligit enim equestrem ordinem inter senatum, & plebem medium annulis a plebe distinctum; atque antea quidem equites ab equis militaribus, quos haberent, post iudices a pecunia esse dictos. Non omnes autem, qui equo mererent ex equestri ordine fuisse & iudicia habuisse, ostendit in prima Philippica Cicero qui in legem Antonii iudiciariam ita disputat: *At quae est ista tertia decuria iudicum?* centurionum, inquit. quid? isti ordini iudicatus lege Iulia etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? cēsus præfiniebatur, inquit, non cēturioni quidem solum, sed etiam equiti Rom. Itaque viri honestissimi, atque fortissimi, qui ordines duxerunt, res & iudicant, & iudicauerunt: non quæro, inquit, illos quicumque ordinem duxit, iudicet. Atqui si ferretis, quicumque equo meruisset, quod est laudatius, nemini probaretis, in iudice enim spectari & fortuna debet, & dignitas. Sententia enim Ciceronis est hæc: *cum post Syllae legem, qui iudicia ad solos senatores trāstulerat, iudicia lege Aurelia, senatoribus, equitibus Rom. & tribunis ærariis essent communicata, neque id lege Pompeia postea immutatum esset, exstitit C. Iulius Cæsar dictator, qui ea ad duas centurias senatorum, & equitum tantum redegit, cum autem Antonius cos. post laturus esset de tertia decuria centurionum*; inquit Cicero, *si ferres, non vt centuriones, sed, quod est laudatius, vt quicumque equo meruissent, iudicarent, nemini probares.* ex quo apparet, aliud fuisse equitum Romanorum genus, qui equestrem ordinem explerent, & iudicia lege primum Sempronia, deinde Aurelia, Pompeia, & Iulia, modo soli, modo cum senatoribus, modo cum senatoribus & tribunis ærariis haberent, aliud eorum equitum, qui equo mererent, neque enim si iidem essent. qui equo mererent, atq; equites R. equestris ordinis, dixisset Ci. si ferretis, vt quicumque equo meruisset, in tertia decuria iudicaret nemini probaretis. cum alteram decuriam illi haberent, hi vero in tertiam coniiciendi essent. Sed de iis, qui priuato equo, qui publico mererent, & quid equus publicus fuerit, secundo libro commodiore loco planius dissere-mus. Hoc igitur stet hoc tempore, Asconium, cum dixit, populum R. habuisse iudicia per equites R. militares, eos exprimere equites voluisse, qui equestrem ordinem continerent, & qui, *vt ait Plinius*, a mili-

a militaribus equis nomen haberent non quoscumque, qui equo mererent, & qui peditibus in exercitu respenderent. nam lege C. Gracchi accepimus vere iudicia penes equestrem ordinem vsq; ad Syllam dictatorem fuisse. Id quod ipse in commentario orationis pro Scauro scriptum reliquit. Hunc ergo sensum cum hæc vox habere possit, miror, cur tu vir peritissimus eam eiicere, atque alienissimam aliam inuehere velis. Sed vide, vt tecum dissentiam, ego si vocem vitiose esse concessero, non tamen numerum XLVI. pro ea reponendum esse concedam. Etenim & auctorem eundem habeo Pædianum, qui in eodem commentario inquit: *Equites lege Gracchi iudicasse per annos XL &, si annos ipsos, quibus illi iudicarunt, numeremus, extremos vero dies, quibus lata, atque abrogata lex est, omittamus, eodem modo XL effic enim. Lata est enim a C. Graccho tribuno pl. in primo tribunatu Q. Metello, T. Flaminino cos. anno post Rom. C. DCXXX* Nam quod tu opponis, anno ante C. Cassio, & C. Sextio cos. latam esse, vehementer erras, neque enim illo anno tribunatum gessit Gracchus, sed hoc iniisse tamen Cassio & Sextio cos. oportuit IV. id. Decembris, quod is dies erat ineundo tribunatui solennis. Verum paucis illis, qui eius anni, & mensis reliquebantur, diebus legem tantam ipsum tulisse, nec trinundinum necessaria promulgatio, nec optimatium legi aduersantium incredibilis contentio, nec aliarum legum, quas ante hanc priuatarum inimicitiarum caussa ille tulisse fertur, certissima perlatio, credere patiuntur. Nam quod ais scriptum esse apud Obsequentem C. Cassio, & C. Sextio cos. tumultum in vrbe fuisse Graccho leges ferente, hoc totum nihil est. Nam, vt de loci menda omittam dicere, tumultus significari potest is, qui fuit in vrbe promulgatis aliis, vt contra Popillium, & alios a Graccho legibus, nō iudiciaria, quam alii tertiam, alii quintam legum Semproniarum faciunt. Quanquam si statim etiam ineunte magistratu iudiciariam ipsum promulgasse velis, tumultum ex ea promulgata, non lata interpretaberis, qualem tumultum inquit Cicero excitatum extremo anno, quo consules fuerunt Cęsar, & Figulus, cum iam Rullus, & ceteri collegæ eius tribuni pl. inissent, atque eorum alii agrariam, alii alias leges reip. parum salutares promulgassent. Verum vt Rullus agrariam suam, antequam Cicero consul K. Ian. iniret, non pertulit, sic ne Gracchum quidem suam iudiciariam pertulisse verisimile est. Neque enim te credo existimare, Gracchum ipsum priorem tribunatum in cōsulatu Cassii & Sextii gessisse, posteriorem in consulatu Metelli, & Flaminini continuasse, cum eum acceperimus alterum tribunatum in annum eum, quo C. Fannius consulatum administrauit, auctore Cicerone, atque Plutarcho administrasse. Si ergo Cassio, & Sextio cos. lex iudiciaria Gracchi saluis legibus, atque auspiciis ferri contra quam tu dixisti, non potuit, ergo Metello, & Flaminino cos. latam esse eam

confitearis necesse est. Quando autem est abrogata? nimirum in consulatu extremo Marii, & Carbonis, quo Sylla victor dictaturam inuasit, anno DCLXXI. Hoc enim vt credam, facit Appianus, apud quem scriptum inuenio, Syllam legibus latis, nobilissimum ex Asia triumphum egisse. triumphasse autem initio sequentis anni post Idus Ian. in Capitolinis tabulis animaduertere possumus. ita vt vel extremo hoc, de quo dixi, anno, vel principio insequentis eas necessario tulerit. Quod ipsum cum ratione persuasum habeo, tum etiam vestigiis quibusdam me iudicare posse video. Est enim probabile, Syllam victorem, vbi primam dictaturam iniuit, legibus populum astrinxisse, ac plebem R. cui infensus erat, ereptis iudiciis vltum esse, deinde triumphasse. est certe multo probabilius, quam id quod tu homo omnis antiquitatis peritissimus attulisti, qui legem hanc a Sylla latam Claudio, & Seruilio cos. paulo antequam ille dictaturam deponeret, tradidisti. An vero tibi videtur verisimile, eum legem tãtam in eum annum, quo de deponenda dictatura cogitauit, atque eam deposuit, & quo assuetudine seruitutis iam fractæ plebis opes erant, non autem subito ad suas persequendas iniurias, & popularem conuellendam potentiam pertulisse? Sed omittamus cõiecturas, pugnemus tandem auctoritate. Scribit Gellius Ciceronem pro Sex. Roscio dixisse L. Sylla, Q. Metello cos. cum adhuc dictator esset Sylla, orationem illam, quæ exstat. Atqui ex ea discere potes eo anno senatum iudicasse, non equites, inquit enim ita ad iudices: *Qui ex ciuitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter seueritatem, quid? non ne idem etiam significauit in Bruto? Tumultus interim*, inquit, *pro recuperanda rep. leges, & iudicia restituta, recuperata resp. tum primum nos ad caussas & priuatas & publicas adire cœpimus*. Adiit enim Cicero ad caussas priuatas M. Tullio, & Cn. Dolabella cos. cum pro Quinctio dixit, ad publicas, Sylla, & Metello. cum pro Roscio. atque iam tum recuperatam remp. iudicia constituta ait fuisse. Ex quibus satis perspici potest, legem iudiciariam a Sylla statim esse latam, nec quicquam eo, quod tu prodidisti, posse esse peruersius. Nam quod Cicero in Verrem dixit, *equites per annos prope quinquaginta iudicasse*, quis est tam rudis, qui non intelligat, oratorie potius dictum esse, quam vere? vtile enim caussæ suæ esse arbitratus est, numerum annorum, quibus equites iudicarunt, augere, cum apud senatores male, cum ex iudiciis, quæ a Sylla acceperant, audientes loqueretur. Iam te ex his intelligere opinor, quam magnus antiquitatis Romanæ interpres, & auctor sis. Addo nunc locum Obsequentis. Etenim cum C. Cassii, & C. Sextii consulum ex Obsequente memineris, visum est tibi librum Obsequentis etiam emendare, in quo est C. Sextilius. Itaque pro Sextilio Sextium, vel Sestium reponis, hoc visus argumento, quod inde

aqua

quæ Sestiæ nominatæ sunt. Cui ego respondeo, primum hanc totam emendandorum nominum rationem nuper admirationis aliquid habuisse, nunc prope tritam, ac contemptam esse, deinde, si in nomine consulis eius vitii fuit aliquid, a me in fastorum commentariis esse sublatum, cum C. Sextii consulis ex Obsequentis auctoritate meminissem. Postremo addo Sextium omnino nullo modo Sestium ac Sextias aquas, nullo modo Sestias appellandas. Sic enim in Bruto scriptum est, sic in epitomis, sic apud Solinum cap. VIII. sic apud Marcellinum, sic apud Velleium libro primo, sic denique apud Plutarchum in Mario, qui ὕδατα σέξτια, & Strabonem libro IV. qui σέκτια dixit, mendose illud quidem, sed vestigiis tamen veræ lectionis manentibus. Nam quod ais Sextium, vel potius Sestium, significare videris, te gentem Sestiam a Sextia non distinguere, cum tamen ea sit inter vtramque differentia, quod illa patritia fuit, hæc plebeia. P. enim Sestium patritium hominem profitetur Liuius libro III. lapides Capitolini Sestium, Dionysius σήστιον. L. Sextium e plebe lib. VII. Liuius, Lapides Capitolini Sextium, Plutarchus, & Græci σέξτιον. Hæc omnia cum tu non videas, audes tamen res Romanas tractare, cum videre non possis, eos, qui viderint tum aperte vituperare, tum te in ea re gloriosissime venditare? audi enim quid de tua ista præclara emendatione in libro de arte corrigend: scripseris: *Extensione corrigitur, vt apud Asconium in I. in Verr. ibi enim peccatum est a librario extensione, quod non intelligeret antiquam scribendi rationem. Nec miror Manutium hunc locum sicuti alia multa, non potuisse emendare, non est enim instructus iis rebus, quibus instructum esse oportet veterum librorum correctorem, & si aliter iactant ab eo opera conducta quadam & empti laudatores, verba Asconii, vbi loquitur de Sylla, hæc sunt, Spoliatus est populus R. ab eo iudicandi iure, quod habuit per equites Romanos militaris. Hic me locus diu torsit, tandem emendaui. Per equites Romanos IVL. & verum, id est* Quid fuit necesse, vt te tamdiu hoc loco torqueres Robortelle? nisi vt Patauinæ ciuitatis decus ipsum, ac splendorem Asconium obscurares ac reconditam hanc equitum Romanorum antiquitatem labefactares An cui a in Manutio tantum non est audaciæ, quantum ad veterum monumenta funditus euertenda requiritur, ns eum esse artibus instructum negabis, quæ bono correctori conueniant? quid enim tu tua ista instrumentorum tam lauta supellectile attulisti aliud, quam vt hunc locum, sicuti omnes alios, ita deformares, vt ne imaginem quidem Asconianæ puritatis relinqueres? Militaris non intelligebas, quid esset, te docui, locum corruptum esse dicebas, integerrimum esse ostendi. XLVI. reponêdum clamabas, non nisi XL. restitui debere probaui. annũ quo lex Sempronia lata, quo abrogata sit, verum non afferebas, verissimum indicaui. Sestium, & Sestias aquas laudabas, Sextium, & Sextias

scribendum demonstraui. Atque hæc ego feci, is cuius errores te. iactas communis studiosorum vtilitatis caussa esse patefac[illegible], quos tandem errores Robortelle? an eos, quos hoc tuo commentario tradidisti? at hi perpetuam erunt tuæ vanitatis, atque [illegible] monumentum, an maiores? cur non igitur, vt eos tibi eriperem, attulisti? cur non eos potius magna cum aliqua tua vtilitatis spe, quam hæc nonnulla cum inuidiæ suspicione percensuisti, quæ extremo hoc capite protulisti? *Iactat se nam[illegible] Sigonium in [illegible] commentarius describendis, quantum velit: non habemus, quæ [illegible] inuidiamus, & quilibet in historia [illegible] verfans conficere sibi eos debebat, ego certe non dissimiles mihi confeceram. Hæc a me dicta sunt, vt historiarum studiosi Romanarum nec admonitum sibi parent, & negligant [illegible] hos, qui aliena corrigant, ... sibi omnia vindicant.* Etenim pr[illegible] quæro, quid est illud iactare? vbi in illo commentario aut me, aut te, cum tamen iure sæpe vtrumque possem, iactaui? quæ est hæc tua consuetudo Robortelle, vt quæ non potius ratione tentare [illegible] contumeliis audeas labefactare? Cur commentarii Romanæ historiæ Sigonii Robortello non sunt probati? quia quilibet eos sibi parare debebat; quia ipse sibi [illegible] dissimiles compararat. non dicam, quid alii facere debeant, sed de eo, quod ipse feceris, an vero si similes tu commentarios confecisses Robortelle, ea te, quæ scripsisti, scripturum fuisse putas? non certe. Neque enim is, qui eos scripsit, Latinorum annorum summam ad calculos Capitolinos, vt tu, falso reuocauit, nec Catilinam post comitia postulatum temere ex Ciceronis auctoritate [illegible], neque Asconium quod Ciceroni repugnaret, [illegible] mutilauit, nec ludorum sæcularium caussas ipsas, & tempora perturbauit, nec lustrorum Romanorum constitutiam dissipauit, nec leges Papias confudit, nec sine ratione fasces rurales in commentarios Cæsarianos inuexit, nec rationem comitiorum, & renuntiationum omnem disturbauit, nec Maluginensem Cæpionem pro Scipione falso apud Ciceronem reposuit, nec pro equitibus militaribus annos XLVI. ineptissime introduxit, nec legis Semproniæ, ac Corneliæ annos alienissimos demonstrauit, nec reliqua, quibus tu Romanam historiam [illegible] supra commemorata collegit. Sed quid ago? vide, vt dum in Robortellum dico, pene me Sigonium esse oblitus sum.

IN CAPVT XXXVII. XXXVIII. XXXIX.

Tres Asconii emendationes irrisæ.

CAPVT XLX

EXtrema sunt reliqua capita non admodum magni facienda tria, quæ, ne quid ex hoc libro non refutatum sit, breui complectemur. Primo igitur Manut[illegible] insectatur, qui apud Asconium orationes contra C. Antonium, & L. Catilinam, & contra Pisonem

onem, quas impreſſit, contra, non In, inſcripſerit. Id autem inſcitè factum ait. Nam Ciceronem cum alteri aduerſaretur, aut accuſaſſe, cum & reprehendiſſet: aut tantum aduerſus illum, cum ſententiam diceret, diſſeruiſſe: prioris generis exempla eſſe in Vatinium, in M. Antonium, in Piſonem, in Verrem; poſterioris nulla. Ex quo concludit orationes illas In, non Contra inſcribendas. Ego autem contra cenſeo. Nam ſi In dicimus, cum accuſamus, contra autem, cum ſententiam dicimus, vna tantum erit, quæ In inſcribenda oratio ſit; eſt enim vna tantum accuſatio: Verris ſcilicet: accuſationem enim accipio, quam ſubſequitur iudicium. nam in Antonium, in Piſonem dixit in ſenatu, tum cum fere ſententiam diceret, eodemq. pacto in competitores. Quare ſi vera eſt hęc Robortelliana diſtinctio, recte contra Piſonem, & contra competitores, vt etiam contra Rullum inſcriptæ erunt.

Sequenti capite locum corrigit Aſconii hunc: *Et Crumena & vellerea, & ſcortea*, legitque: *Et crumena aut vellerea, aut ſcortea.* in quo ego non video, cur vulgata lectio defendi quoque non poſſit. & eodem loco: *Vnde quia maior ſumma eſt pecunia publica, quam priuata, vt pro cenſu priuato, ærarium dicitur pro loculis*, legit ille: *Vnde quia maior ſumma eſt pecunia publica, quam priuata, & populi Rom. cenſus priuato.* Ego vero neſcio, cur minore mutatione legi non poſſit, quia maior ſumma eſt pecuniæ publicæ, quam priuatæ, vt populi Romani cenſu priuato, id eſt, quippe ſumma pecunię populi Ro. maior eſt cenſu priuato. vt ſit hæc declaratio vocum, publicæ, & priuatæ. Quanquam ſi quis vulgatam lectionem tueri velit, cur non etiam poſſit hoc ſenſu, non ſuſpicio, maior eſt ſumma pecuniæ publicæ, quam priuatæ, vt pro cenſu priuato, id eſt, ſi priuata pecunia, vt cenſus priuatus accipiatur. Nam ſi pecuniam publicam populi R. cum omnium ciuium fortunis coniunctis cõparaueris, non eſt maior eius ſumma, ac ſi priuato cuiuſque cenſu contuleris, multo maior. Quod ſi ita eſt, quid tu in hoc tuo Aſconio emendando profeceris, iam per te intelligere potes.

Item quod capite extremo, neſcio quo ex loco alio remouendum ait. Item aſs, cum is operariorum, vt apparet, culpa irrepſerit, non erat quod tu tanta grauitate vir ea de re caput integrum ſcriberes, atq; Manutium accuſares.

IN LIBRVM SECVNDVM EMENDATIONVM FRANCISCI Robortelli.

IN L. II. CAPVT.

Duæ Aſconii emendationes reprehenſæ.

CAPVT XX.

PErgit ſecundo libro, quod pollicitus erat præſtare Robortellus, pollicitus autem erat, ſe locos quoſdam Aſconii vitioſos,

neque a me, neque a Manutio intellectos, aut correctos emendaturum, quod autem primo libro fecit, vt aut omnia corrumperet, aut si quid, quod probabile videretur, afferret, id infirma coniectura muniret, idem facit hoc in libro. locum enim primum proponit eiusmodi: *Cornelius ea re offensus senatui, questus est de ea ne, exhauriri prouincias vsuris, ipse enim pro* DE EA NE, *reponit* IN CONCIONE, *& satis valere putat ad aliquem locum sanandum, si sensum tantum aliquem inferat emendatio; & duarum tantum literarum sit reliquis omnibus neglectis habita ratio. Nam reliqua, quae affert, vt probet tribunos pl. agere in concione solitos esse, facile agnosco, cuius hominis sint, eius nimirum, qui veterum auctoritates multas, non vt multa docere, sed vt multa dicere videatur, coniungere vndique, atque omnes et recentiorum commentarios exhaurire soleat, vt in re notissima plus ceteris intelligere ab ignaris sua sapientia hominibus existimetur.* Secundo capite, ex his verbis tollit asteriscum: *Prouidisse enim, vt legati haberent, vnde praesentia darent:* & inquit, *Praesentia dare, esse praesentem pecuniam dare.* cumque partes boni emendatoris sint, ne quod dicendi genus nouum inuehat, nisi id scriptoris eiusdem aut aequalis eius auctoritate firmarit, genus tamen ipse dicendi infert, non solum a Ciceronis elegantia, sed etiam ab Asconii puritate alienissimum, quem prope castissimum in dicendo possumus appellare. Quare cum haec dicendi formula, praesentia dare, vt quae castitatem non praeseferat, vt ante suspecta habenda sit, merito etiam asterisco, interea dum a Robortello roboretur, Manutiano signanda est.

IN III. CAPVT.

Asconii emendatio defensa, duae aliae allatae, vna Asconii, altera Valerii.

CAPVT XXI.

TErtio capite excutit locum hunc Paediani: *Varro consobrinus frater huic censi reus ex Asia apud L. Furium praetorem de pecuniis repetundis. excutit autem iudicium Manutii, qui Sigonii coniecturam probauerit, pro huic censi, reponentis aliquando Ciceroni, cum constet C. Visellium Varronem consobrinum fratrem Ciceronis,* teste ipso Cicerone *fuisse* negat autem hoc ferri posse, quod Asconius ipse hunc alio loco non Visellium Varronem, sed Terentium Varronem vocet, vnde suspicio nasci possit, non eundem esse eum, quem suum Cicero consobrinum & quem Paedianus reum repetundarum appellet. Sic igitur ille habeat, hanc coniecturam falso in sermone, vt fit, Sigonium Manutio exposuisse. Manutium autem ei plus, quam ipse Sigonius fecisset, tribuisse, credo, quod ille, quo est ingenio atque iudicio praeditus, aliquid quod Sigonio in mentem non venisset, cur eam tantopore probaret, videret, vt illud fortasse, C. Visellium Varronem C. Aculeonis filium a Cicerone dici, vnde adoptionis suspicionem suboriri, ne idem modo Terentius Varro, ex qua erat familia natus, modo Visellius Varro, in quam fuerat adoptatus, diceretur. Sic Pisonem esse Pupianum, Orestem Aufidiorum ipsarum inter se familiarum nat-

eorundem commilitione, cum Piso e Calpurniis, Orestes ex Aureliis essent. Quod si hæc tibi infirma Robortelle, & minus tuarum fortis Manutiana neque Sigoniana coniectura videtur, agnosce [illegible] mea, ego pro me, si quid in hac re meæ culpæ est, & pro illo [illegible] atque, ne, quia posthac de re tu verbum amplius facias, aut ne mihi, aut ei ob hanc emendationem, quam ille coniecturam vocat, maledicas, narrabo tibi duas alias fraudes quas spero tibi fore non ingratas. Vna est in commentariis Asconii in 2. in Verrem L. *Cassius ex familia tum ad ceteras res, tum ad iudicandum seuerissima. Inde sunt leges Cassiæ tabellariæ de suffragiis libere dicendis, non voce, sed tabula. ille ille Cassius, qui cognoscendis criminalibus caussis in primis quærendum esse dicebat, cui bono.* Loquitur Cicero de L. Cassio tribuno militum designato iudice in caussa Verris, quem eundem legem tabellariam tulisse, & seuerissimum iudicem fuisse videtur interpretari Asconius, itaque cum hoc putaret Corradus in commentario in Brutum, Asconium ipsum hoc nomine male accepit, quod tres Cassios confudisset. quod non est faciendum. Siquidem legendum est, non, *ille ille Cassius*, sed *inde ille Cassius*. Sensus est dixit Cicero, L. Cassius ex familia tum ad ceteras res, tum ad iudicandum seuerissima. interpretatur Asconius, cur dixerit, Familia ad ceteras res seuerissima, & ait dictum propter L. Cassium Longinum eum, qui tribunus pl. legem tabellariam de iudiciis populi tulit: Ad iudicandum autem, propter illum L. Cassium cuius prætoris tribunal ob seueritatem scopulus reorum appellabatur, & qui in caussis quærebat, cui bono. de quibus, quia notissimi sunt, nihil amplius dico. Alter locus est apud Valerium capite de [illegible] hic: *Claudius Pulcer scenam varietate colorum adumbrauit, totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Q. Catulus prætexuit. Versatilem fecerunt Lucius, & Cinna locum, quem argentatis choragiis P. Lentulus Spinther adornauit*, quare qui sint hi *Lucius, & Cinna, & quid sit Versatilem locum fecerunt*, nihil inuenies. adeundi sunt antiqui libri, vt veræ lectionis vestigia persequamur, qui habent: *Versatilem fecerunt Lucum, argentatis*. ex quo conijcere possis, LVCVM mendose esse pro LVCVLLI. Hunc locum declarat alter locus, qui est in secundo de officiis: *Deinde C. Claudius Ap. F. multi post. Luculli, Hortensius, Silanus. omnes autem P. Lentulus me cons. uicit superiores.* loquitur n. de magnificentissimis aedilitatibus. vt & Val. quamquam ibi mendose et legitur Lucullus, pro Luculli. Hoc ostendit Plin. lib 8 c. 7 *Romæ pugnasse Fenestella tradit primum omnium in circo Claudii Pulcri ædilitate curuli, M. Ant. A. Postumio coss. an. vrbe 655. item post annos XX Lucullorum ædilitate curuli aduersus tauros.* ostendit & Plutarchus L. Lucullum cum M. Lucullo fratre ædilem curulem extitisse. *Versatilem ergo*, inquit, *scenam fecerunt Luculli in ædilitate, argentatis choragiis P. Lentulus adornauit.* Possem [illegible] eiusmodi multa tibi narrabo, si tacueris, in antem maledicere perrexeris, ne hæc quidem tibi dixisse volo.

IN CAPVT IV.

Asconiani loci explanatio refutata aliaque allata, Catilinam a Cicerone non esse defensum.

CAPVT XXII.

SEquenti capite dum mirificum agit emēdatorem Asconii Robortellus, aperte ostendit, se Asconium ipsum non intelligere. Locus est in oratione in Antonium & Catilinam competitores, vbi disputat aduersus Fenestellam, qui scripserat, Catilinam defensum esse a Cicerone, accusante Clodio, quo loco vbi Asconius multa alia argumēta, ex verbis Ciceronis sumpta, quibus Fenestellæ sententiam refutaret, exposuit, ad extremum ita concludit: *Præterea mouet me, quod cum sint commentarii Ciceronis earum etiam defensionum, commentarii autem principium ita: Quod indicio absolutus est Catilina, vt Clodius infamis fuerit, præuaricatus est.* In his verbis, Robortellus primum notat Manutium, qui locum asterisco notauerit: posse n. asteriscum deleri, si vox addatur, Quod, hoc modo: *vt Clodius infamis fuerit, quod præuaricatus est,* nec senserit recte signatum fuisse locum, cum ipsius etiam iudicio vox vna desideraretur, deinde interpretatur eum ita, vt contrariam, quam velit Asconius, sententiam inferat. Commentarios enim eos intelligit fuisse earum defensionum, quas Cicero suscepisset, cum sint earum, quas alii per ea tempora susceperunt. itaque cum concludat Pædianus ex hoc etiam commentario apparere Catilinam a Cicerone non esse defensum, ille contrarium concludit ait. Sic enim loquitur: *Ex quibus liquido cognosci potest, non modo a Cicerone Catilinam defensum, sed etiam in quo illum sui spe ... , quod Clodius accusator esset præuaricatum.* Et tamen nihil aliud pugnat Asconius, quam vt ostendat, Catilinam non esse a Cicerone defensum, contra quam Fenestella scripsit. Itaque post alia argumēta ait: *præterea mouet me, quod cum sint commentarii Ciceronis earum etiam defensionum,* id est *præter alia me in hanc sententiam adducit, quod cum Cicero scripserit commentarios earum etiam defensionum, tamen non a se defensum Catilinam ostendit,* cum principium commentarii tale sit: *Quod iudicio absolutus est Catilina, vt Clodius infamis fuerit, quod præuaricatus est,* quasi vero hoc velit dicere, Catilinam absolutum non ipsius innocentia, aut patroni eloquentia, sed culpa accusatoris Clodii, quod non dixisset Cicero, si se patrono absolutus esset. Quin etiam venit mihi aliquando in mentem suspicari, ne vox illa, Ciceronis, inducenda sit & Eius, reponenda hoc modo: *Mouet me, quod cum sint commentarii eius earum etiam defensionum.* Eius autem intelligendum sit Fenestellæ, non Ciceronis, quam vocem quidam fulpic... in albo libri notasse, vt quid per Eius, intelligeret, declararent, alios vero in verba ipsa Asconii deinde intulisse. cur autem Fenestellam putem, facit Diomedes, qui libro primo Fenestellam in eiusmodi libro,

dem

dum de verbo decollocare agit, citat auctorem. Fenestella inquit in libro epitomarum secundo: *Quemadmodum Caesar a piratis captus sit, ut eos postea ceperit, & decollocauerit.* Apparet enim Fenestellam siue commentarios siue epitomas, siue breuiarium rerum Romanarum scripsisse, quo capita singula rerum notauerit, quae deinde pluribus verbis exponeret, in cuiusdam autem commentarii principio meminisse defensionum earum, quae eo tempore quo Catilina causam dixit, accusante Clodio, susceptae sunt, absolutum autem Catilinam non patroni opera, sed accusatoris culpa tenuisse. Vtrius autem ille commentarius Ciceronis an Fenestellae fuerit, illud dubium non est, Robortellum necessarium meum Asconii sententiam non esse assequutum.

IN CAPVT V.

Asconii emendatio reprehensa. De Clodii cadauere in rostra perlato.

CAPVT XXIII.

AGe vero non intellexit hoc loco Asconium Robortellus, atque ea scripsit, quae menti ipsius & argumentationi apertissime repugnarent, num sequenti quid ille voluerit, eum attendisse, aut peruidisse putamus? multo minus, id autem ita esse, ne fingere videamur, ostendamus: locus est in argumento Milonianae, vbi de cadauere Clodii loquitur *Eiusque obstantibus vulgus imperitum corpus nudum, caldatum sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit, & in rostris posuit.* Vocem, *Caldatum*, mendose esse existimat, & pro ea reponendum esse, *Calda lotum*, eam emendationem ut probet, affert, *cadauera antiquos aqua calida lauare solitos fuisse, & maxime caesorum, eosdemque Calidum pro calido vsurpasse, in quo fecit ridicule: etenim ut hoc probaret, dicta onerat omnia, quasi ea res esset negaretur, aut dubia esset, in unum congerit. Quae tamen ut et omnia concedantur, nihil ad hunc locum pertinent: euertunt enim totam huius facti historiam, quam ille mente animoque non videtur comprehendisse. Neque enim corpus Clodii lotum est, aut lauari potuit, aut debuit.* Lotum non esse declarat Cicero in Miloniana, cum ait in Sex. Clodium P. Clodii scribam: Tu P. Clodii cruentum cadauer eiecisti domo, tu in publicum abiecisti, tu spoliatum imaginibus exequiis, pompa, laudatione infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti, quam rem etsi necessario fecisti, tamen quoniam in meo inimico crudelitatem expromsisti, tuam laudare non possum, irasci certe non debeo. Item: *Nec vero non eadem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore, & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate ambureretur abiectus.* Lauari non potuisse, id argumento est, quod pridie ante primam noctis horam in vrbem, & domum perlatum,

postridie prima luce in forum delatum est, auctore Dione, [illegible] ta nocte in atrio domus stetisset, atque ab vxore, & multitud[illegible] circumstante vt ait Asconius, comploratum fuisset. Lauari autem non debuisse illud probat, quod cum Clodiani inuidiam Milo[illegible] facere vellent, nō videtur verisimile eos cadauer abluisse, & cruo[illegible] rem, quo maxime plebs concitari poterat, abstersisse. Sic enim corpus Cæsaris cruentatum ab Antonio in rostra perlatum est, au[illegible] ctore Dione, cum aliquot ante diebus vulneribus confectum fuis[illegible] set. Hæc ergo omnia Clodiani augendæ inuidiæ caussa fecerunt, vt corpus non vestitum, sed nudum, non lotum, sed cruentum [illegible] ut erat non humili in loco sed in edito lecto, vt vulnera conspi[illegible] possent, in forum deferrent, & in rostris ponerent. Quare vt [illegible] sensu certus sum, sic ambigo de voce, an caldatum recte habeat, an vitiose, & si vitiose, quæ pro ea restituenda sit. Vereor autem ne *Calceatum sicut erat*, legendum sit, quia de Cæsaris cadauere [illegible] Antonio plebi pro rostris demonstrato loquens ait. [illegible] [illegible], id est, cruentatum sicut erat & Valerius: *Cadauer [illegible] tum, & calceatum sicut erat, rogo imposuerunt.* Omnino autem calciatum, & alia quæcunque lectio potius, quam hæc Roberto[illegible] liana, ferenda est.

IN CAPVT VI.

Egregia Asconii quæ putatur emendatio, delusa. De Cn. Pisone qui in Hispaniis obiit.

CAPVT XXIII.

SEquenti autem capite idem omnem doctrinæ, & grauita[illegible] suæ rationem explicuit. dicam primum de doctrina locus e[illegible] Asconii in commentario orationis in competitores eiusmodi [illegible] *so autem, cum hæc dicerentur, perierat in Hispania, missus a sena[illegible] per honorem legationis, vt a suis ablegaretur, ibique dum iniu[illegible] prouincialibus facit, occisus erat.* Emendat ille: *ut ab vrbe [illegible] retur.* Primum igitur dico audax nimis ab eo genus emendat[illegible] induci, cum sine veterum librorum auctoritate ex duabus vocibus vnam literam tantum seruet, reliquas funditus tollat. Nam, si [illegible] per eum libertas detur, vt sententia incolumi, vna ex duabus voci[illegible] bus [illegible] litera conseruetur, nullum opinor tam desperatum locum fore arum, qui non a quocunque facile corrigi possit, [illegible] inde quoniam ille, *Ab vrbe* legit, auctoritate Salustii motus, [illegible] de eo Pisone loquens ait: *Quippe fœdum hominem senatus a re[illegible] procul esse volebat*, addo, ad id significandum satis fuisse vocem *Ablegaretur.* Nam qui ablegatur, is ab vrbe amouetur, quod ab[illegible] solute posuit Cicero, vt in Verrem: *Hoc eo faciam, vt iste non solum abesset a domo, tum cum nauigaret, sed etiam libenter, [illegible] magno honore, beneficioque abesset, ipse autem remoto, atque [illegible] legato viro, &c.* sic pro domo: *Me expulso, Catone amandato,* [illegible] [illegible] sententia [illegible] illis vocibus, [illegible], constat, [illegible]

[illegible] est, cur sine veterum auctoritate librorum sine vlla si-[illegible] *pro* [illegible], *ab vrbe* reponere voluisti? [illegible] *procul eum a rep. senatum esse voluisse.* Quid si [illegible] ablegatum, non [illegible] a rep. remouet? Nam [illegible] ab vrbe [illegible] pertis spatium [illegible] vrbis [illegible] aut [illegible] prouinciali munere [illegible], vt C. Gracchus, qui quæstor Oresti consuli datus contra S. C. [illegible] Sardinia rediit, ac tribunatum pl. petiit. cum tamen Plutarcho teste eum menses in prouincia senatus prorogasset, vt procul ab vrbe esset. itaque ab vrbe amandari solent ii, de quibus metus est, ne reip. noceant, si eo anno quo ablegantur, in vrbe fuerint, vbi vero redierint, non timentur. Sic amandatus est per honorem M. Cato a Clodio tribuno pl. in Cyprum, ne actionibus suis tribunitiis, si in vrbe eo anno esset, aduersaretur. At qui amouetur a rep. is a magistratibus repellitur, ne quando eius anni magistratu incommodus esse reip. possit. Hoc fit, si cum annus petitionis legitimus alicuius inciderit, in eum annum, ne ille obire legitimam petitionem [illegible] possit, amandaris. ita vt etiam si post annum suum redeat, & petere velit angustiorem petitionis locum habeat. Cuius ergo legitimam petitionem impedisti amandatione; eum quodammodo a rep. remouisti, quia in angustiorem adipiscendi magistratus locum eum adduxisti. Quod ad Pisonem transferri potest. Imminebat enim annus eius legitimus petendi tribunatus plebis. Itaque senatus, ne quid in eo magistratu mali moliretur, veritus, anno suo (sic enim tum in hac re loquebantur) abesse ab vrbe, vt a rep. remoueretur, voluit. Petiturum autem eum fuisse tribunatum plebis argumento est, quod & plebeius erat, (Pisones enim plebeii omnes.) & quæstor fuerat. qui magistratus ante tribunatum pl. capiebatur. Quod ostendit epigramma, quod de eo extat Romæ in horto Cardinalis Carpensis in alta semita, tale.

CN. CALPVRNIVS CN. F.
PISO QVÆSTOR PROPR. EX S. C.
PROVINCIAM HISPANIAM CITERIOREM.
OPTINVIT.

De metu autem, quo senatus afficiebatur, ne quid male reip. strueret sic Dio: [illegible Greek text]. Quorsum hæc: vt intelligant omnes, cum scriptum sit, *vt anno suo ablegaretur*, legendum potius esse, *vt anno suo ablegaretur*, quam ab vrbe, quanquam ego nihil affirmo: venit enim in mentem, cum ipsarum literarum vestigia animo persequor, legi etiam posse, vt ab suis ablegaretur, vel, vt a [illegible] ablegaretur. Scribit enim Suetonius, ob suspicionem vrbanæ coniurationis prouinciam Hispaniam ei vltro extra ordinem a senatu,

esse decretam. Si ergo coniurationem eius metuebat senatus, ergo, vt auelleret eum vel a suis, vel a consciis, ablegauit. Cum igitur his omnibus modis hæc emendatio in dubium reuocari, atque omnino euerti possit, audet tamen Robortellus eam ita laudare, vt se nulla alia, quam hac magis delectari affirmet. inquit enim: *Placet, si vnquam mihi placui in veterum libris emendandis, nunc dum in hoc loco corrigendo mihi placeo.* Ex quo apparet, hanc ipse correctionem omnium optimam iudicauit, quæ alienissima, ac sine dubio falsa sit. quid de reliquis eius iudicare, quæ non ita ei probentur debeamus. Dixi de scientia hominis, nunc dicam de grauitate. Is ergo adeo gloria effertur, & quadam vt ita dicam, vanitate, vt ipse omnia scire, alios a se didicisse omnia videri velit, in quo sane deridendus est maxime. Nam aut omnino nihil scit, aut si quid scit, id ab iis, qui sciunt, compilauit. quid ergo? Vbi egregiam hanc suam emendationem exposuit, eam testimonio multorum virorum, atque clarissimorum adolescentum suam esse confirmat, ne gloria eius pereat, quodque multo fœdius est, ita subdit: *Dicere autem hoc, & tam multorum testimonio meam emendationem munire ideo volui, quia vereor, ne Sigonius in suo aliquo volumine inserueris.* Cui ego respondeo: me nec inseru sse eam, nec audisse, nec si audissem, insertum fuisse, quia non adeo ingenii inops sum, vt aliena, & maxime Robortelli ineptissima monumenta gloriæ caussa mihi sint corroganda. Ille vero, si me iudicat suis inuentis ad laudem literarum egere, leget aliquando hunc librum, & diligentius attendat, an qui omnia eius decreta ratione, & auctoritate labefactarit, atque eum plerunque delirare ostenderit, vna ipsius correctione, eaque falsa ad famam nominis sui propagandam ei abuti opus sit. Eos vero, quibus hæc se tradidisse testatur, rogatos velim, vt & ipsi hæc nostra aliquando legant, ne libenter eius auctoritate adducti, præclarum aliquid se ab eo didicisse existiment, tantum posthac errorem alant, sed falsa scire hoc eos disciplina intelligant, quam qui nimis sibi arrogant, tradere soliti sunt. & si Asconium suum huius admonitu emendarunt, omnem illam emendationem inducant & ibi hunc auctorem eius Romanas nescire literas vllas me auctore ascribant.

Expositiones locorum aliquot, vnde a Robortello sumta sint.

CAPVT XXV.

NE vero suspicetur aliquis nouum hoc nunc exarsisse studium vindicandorum scriptorũ in Robortello studium, audiat, quid in extremo capite libri secundi Annotationum suarum in Andream Alciatum, iurisconsultum clarissimum atque ea literarum Latinarum gloria, qua pauci hoc tempore sunt, præditum, cum adhuc viueret, & maxime floreret, scripserit. *Sed idem Alciatus*, inquit, *eodem libro tribus in locis, dum suorum iurisconsultorum ex...*

tecum [illegible] in dictione Oeconomus omnia ea, quæ a me adnotata fuerant, & in οἰκονομίας in prioribus meis annotationibus ascribens [illegible], neque meæ explicationis facit vllam mentionem. Rursus in eodem libro, ubi digrediens quam longissime a re sua, loquitur de Achelo, & Acheloum veteres declarat accepisse pro aqua, eaque ratione Vergilianum explicat versum: Poculaq; inuentis Acheloia miscuit vuis: quem versum omnes sciunt ante a me expositum in explicationibus quorundam locorum apud Horatium ex illis Athenæi verbis πᾶν ἀχελῷον ἐςὶν ὕδωρ: & paulo post: *Ne igitur crederent homines mutuata ab Alciato sumpsisse, dum recens adhuc memoria est rei huius, mature [illegible]vendum honori meo existimaui contra tanti viri auctoritatem.* Edidi ego abhinc sex annos, scilicet M D X L I I. Annotationes quasdam meas in plurima loca difficilia veterum, quæ typis suis primum excudit Venetiis Ioannes Burgifrancus Papiensis, biennio post, aut aliquanto etiam serius edidit posteriores libros suorum παρέργων Alciatus, scilicet M D X L I V. sic facile intelliget vnusquisque quod volumus. Qua ergo diligentia Robortellius cum custodiuit scripta, ac monimēta sua, ac propriam gloriam ab aliis vsurpari nō permisit, eadem cura hoc etiā [illegible] sermones suos domesticos, ac priuatam laudem, ne ab alio vsurparetur, defendit. Scilicet Robortellus iste literarum affectat dominatum & literatos omnes a se omnia, quæ tenent, accepisse cupit videri ac sibi omnium concessu principatum doctrinæ deferri. Quod, cuius modestiæ sit, facile vnusquisque per se intelligere potest. An igitur Robortelle, si quid tu somniaueris, alter scripserit, tu illi repente bellum inferes, quia te somnii eius auctorem non citarit? aut eas chartas, quibus Francisci Robortelli nomen non celebretur, maledictis conscindes, contumeliis lacerabis? Quid tu? an ea scribis semper, quæ nemo ante tradiderit, nemo viderit, nemo cogitatione confinxerit? Non discedamus ab Alciato (quam huius viri memoria me valde delectat,) quid? ante te nemo ne ex nostris de œconomo scripserat? atqui eadem ipsa Ambrosius Calepinus, siue quis alius, in magno illo commentario ex Quintiliani sententia dixerat: an Acheloum pro aqua ab antiquis vsurpatum, sensisti primus? quid est tam tritum, quid tam vulgatum? Seruius in illum, cuius tu meministi, Vergilii versum: *Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis*, nonne id tradit. quid dicam Seruium? nonne Macrobius plurimis verbis rationē eius vsus literis consignauit, quæ hoc loco referre superuacaneum est? & si eum vt nimis antiquum te legisse negas, nonne Perottus in Epigramma sextum ad Domitianum in libro, qui dicitur Cornucopiæ, eadem iisdem fere verbis repetiit? cur ergo hæc a te Alciatus, cur non potius a Macrobio & Seruio, quam a te? quamquam vide, quo te effrenata tua ista maledicendi libido, atque ambitionis quasi quidam fluctus attraxit. quod a te accepisse

Digitized by Google

Alciatum criminaris, id ille ne potuit quidem. Nam de Achelo non in primo Annotationum libro, quem videre potuit Alciatus, sed in secundo, quem tu, cum ea in Alciatum scribebas, in manibus habebas, nec dum edideras, scripsisti: neque in explicandis versibus Horatianis, sed Catullianis eius rei meministi. hoc autem fecisti Capite 9. vbi loquens de miscendo vino apud Catullum, subiicis: *Lepidum est satyri illius dictum petulci, & ebriosi apud Achaeum, quod ibidem refert Athenaeus. μῶν ἀχελῷος ἦν κεκραμένος; quo noster Virgilius respiciens ait: Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis.* Adeo ergo te rabies ista obtrectandi obcaecauit, vt quo loco, & quomodo de Acheloo scripseris, cum in Alciatum diceres, non memineris? quae tua mens haec est, quae ratio Robortelle? quid te his portentis assequuturum existimas? Sed quid ago? redeamus ad rem. quid? an aliud quicquã te tradidisse putas, quod non alii ante tradiderint? Clamas in Ronghegallum capite 18. & ais ὀμβρικοὺς, de quibus loquitur Aristoteles in libr. περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, Vmbros esse Italiae populos, id quod ante a Stephano proditum est, cuius tu credo nomen eo loco, vt tu solus sapere videreris, reticuisti. Stephanus autem ita: ὀμβρικοί ἔθνος ἰταλικὸν περὶ τὸν ἀδριανὸν κόλπον μέσον τοῦ παδοῦ, καὶ πικηνικοῦ λέγονται καὶ ὄμβροι. καὶ ὄμβροι παρὰ τοῖς ἰταλικοῖς συγγραφεῦσι. παρὰ τούτοις ἱστορεῖ Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, ὅτι τρὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ τίκτει τὰ βοσκήματα, καὶ τοὺς καρποὺς πολλαπλασίους τὴν γῆν ἀνιέναι τῶν καταβαλλομένων. καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν πολυγόνους. σπανίως γὰρ ἓν τίκτειν, τὰς δὲ πολλὰς δύο, ἢ τρία. Verum hoc quidem callidi hominis esse existimo, eorum nomina subticere, qui auctoritate praediti sint. illud vero ridiculi, quod capite 18. libri 1. vt rem nouam docuisti, Benignos a Latinis dici, qui in alteros beneficia conferunt, & liberalitatem pro liberalitate accipi, id quod exemplis multis tibi etiam confirmandũ sumsisti, cum ea omnia Perottus in epigrammata 6. ad Domitianum ante te & docuerit, & aperuerit. Sic enim ait: *A bono benignus dicitur, liberalis, beneficus. unde benignam terram dicimus fructus abunde reddentem.* Plinius de Aegypto: *Nulla est benignior tellus, nullus ager feracior. a quo, benignitas liberalitas, benigne liberaliter.* Age vero nonne te in epigrammate etiam Catulli exponendo venditas, cum eam expositionem ab interprete Guerino acceperis? Tu enim libro primo Annotationum, cap. 9. ita scribis. *Locus est apud Catullum nondum satis explanatus ab interpretibus, quorum nonnulli, quod non intelligerent, dictionem mutandam putarunt.* versus hi sunt:

Minister vetuli puer Falerni
Ingere mi calices amariores.

Perperam nonnulli legunt auariores, locumq́; putant corruptum, cum sit integerrimus. Catullus enim docte significare volens vetus Falernum, de amarore facit mentionem, qui ob vetustatem sapor in vino fit.

Nunc

Nega: si tecum egerit hoc modo Guerrinus: Hæc mea interpretatio est, XXV. ante annis a me ex commentariis doctissimi patris, iam in vulgus prodita, nõ tui Robortelle, quid respondebis? Verba autem Guerrini apponam ex eius commentario: *Amariores ego quidam, meratiores, alii auariores legere maluerunt*. ego tamen, vt in codice paterno reperi, amariores legendum existimo. cum enim vetulum Falernum, tanquam optimū poposcerit, ita etiam amariora pocula sibi inferri iubet. quoniam in vino veteri amaritudo ipsa delectat. quod Seneca ad Luciliū scribens in consolatione de amico defuncto epistola LXV. per quandam comparationem his verbis declarat: *Nam, vt dicere solebat Attalus noster, sic amicorum defunctorū memoria iocunda est, quomodo poma quedam sunt suauiter aspera, quomodo in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat*. Nonne tu Robortelle satis locum illum emendatum atque illustratum esse iudicas? quid ergo te in aliena laude ostentas? Sed quoniam Catulli & Guerrini feci mentionem, num tamen in expositione epithalamii omnia a Guerrino mutuatus es, necdum nomen vnquam protulisti? afferamus aliquot loca, quoniam huc me iniusta ista tua alienorum furtorum exprobratio, deuocauit, vt nullum obtrectationis genus, quo tibi non satisfecerim, relinquam.

Hymen o hymenæe hymen. Tu: *Sic Plautus in Cassina*. Guerrinus: [illegible] sumptum videtur ex Plauto in Cassina.

Luteum soccum. Tu: *Luteo socco vtebantur sponsæ*, vt asserit Seneca in Hippolyto his verbis: *Crura distincto religauit auro luteo plantas cohibente socco*. Idem notauit Guerrinus.

Spineam quate tædam. Tu: *De Spina arbore Plinius*. Idem citatis Plinii verbis Guerrinus.

Bona cum bona nubit. Tu: Virgil lib 4. cum ait: *Primisq; ingerat omnibus*. Eundem versum affert hoc loco Guerrinus

Ad domum dominam voca. Tu: Alludit ad coemtionem de qua supra. Item Guerrinus: Ad nuptias per coemtionem alludere videtur, de quibus supra ex Plutarchi auctoritate.

Vt tenax hedera. Tu: Huc spectant tres Gallieni imperatoris Augusti versus. Item Guerrinus: Simile est illud a Pollione pro Gallieno. & versus tres ipsos recitat.

Nec par nostra pede dicitur. Tu: Nam Spurii, qui non nascuntur ex legitimo coniugio, sequuntur matrem. Num aliter Guerrinus? Filii non legitimo concepti matrimonio non patris, sed matris genus assequuntur, vt in iure habemus digestis de statu hominum in l. lex naturæ, quæ est lex Vlpiani.

Non queam dare præsides. Tu: Plutarch. in probl. ait, *patrē patratum fieri non potuisse, nisi patrem haberet viuentem, & liberos*. Guerrinus. *Ad morem Romanorum alludens fecales, & patrem patratū intelligit. is enim est, qui patrem habet, & idem habet filios*.

Da pueris nuces. Tu: Seruius in Bucol. Virgilii versum exponens ait, *consueuisse spargi nuces intrante sponsa in domum sponsi, quod significaret se omnia puerilia relinquere. nam eo res; est etiam dictum, satis omnibus notum Persii.* quid Guerrinus? Seruius in Bucol. *Nuces antiqua consuetudine pueris dabant, significantes omnia puerilia in posterum spernere.* vnde Persius dixit: *Nucibus facimus quaecunque relictis.*

Transfer omine cum bono limen. Tu: *Sponsa ingrediens mariti domum non attingebat limen.* huius rei caussam explicat Plutarch. in problemat. & Seruius libr. 2. Æneid. At nonne idem ante te Guerrinus? *Erat moris*, inquit, *in nuptiis, ne noua nupta domum ingrediens limen tangeret.* cuius rei caussam Plutarchus in problem. reddit. Seruius vero in 2. Æneidos hoc fieri solitum ait, *ne limen numini sacratum pedibus calcaret.*

Vos vnis sedibus cognitum. Tu: *Pronubae matronae erant, quae vnum tantum habuissent maritū*, vt Sex. Pompeius scribit: hae sponsam in lecto sponsi collocabant. Idem Guerrinus ita: *Quoniam boni ominis gratia non poterant pronubae esse, quae duos maritos habuissent.* quod Festus Pompeius docet, ideo ait cognitum iis ædibus vnius.

Alba parthenice. Tu: Plinius lib 25 cap 5. Guerrinus verba ipsa omnia Plinii affert.

Luteum ne papauer. Tu: *Subrufum intelligit, nam eius tria sunt genera.* Guerrinus: *Papaueris genera tria docet Plinius lib. 19. cap. 7. tertium genus est quod Graeci rhoean vocant, flore rufo, procumbens, ac deciduo.* de hoc intelligit hoc loco Catullus. *Nam luteum colorem subrufum esse declarauimus.*

Torquatus paruulus. Tu: Sic etiam Virgil. lib 4 Æneid. *Paruulus aula luderet Æneas.* Guerrinus: Hinc videtur esse illud Virgilianum: *Si quis mihi paruulus aula luderet Æneas.*

Atque haec sint satis. Tu ergo Robortelle cum Calepini, cum Perotti, cum Guerrini, cum aliorum eiusmodi recondita scripta compilare soleas, atque tuas praeclaras annotationes [illegible] eo licentia, ac cupiditate proueheris, vt si quid tibi forte venerit in mentem, id si alteri quoque venerit, ab eo proferri, nisi te auctorem fecerit, prohibiturus sis, eumq; furti postulaturus, & testibus id te ante vidisse conuicturus? Me miserum, quid est, quod ego in literis posthac versor, si auctorem meorum omnium scriptorum, opinionum, cogitationum debeo habere Robortellum? cur errauit Sigonius? quia Surae praetoris apud Paedianum emendauit, quod etiam viderat Robortellus, cuius criminis arguitur Sigonius? quod Ab vrbe ab[illegible]egaretur, forsasse apud Paedianum corrigendum esse literis prodidit, id quod ante sensit, & quidem ineptissime Robortellus. in quo denique culpandus est iste Sigonius? quia Franciscum Robortellū nouum Grammaticorum Aristarchum,

Digitized by Google

Parchum, rhetorum Gorgiam, in antiquitate R. Varronem alterum, Latinarum, Græcarumque literarum coryphæum, tertium denique non Vercensem sed Vtinensem Catonem non sibi, non omnibus anteponit. Male ille quidem, præsertim in Robortellum eloquentiæ, atque doctrinæ omnis instauratorem, cuius in labris Ciceroniana dicendi facultas, in pectore vis Demosthenica, in capite Platonica sapientia resident, is, qui est, vt inquit poeta ille, Augur, schœnobates, medicus, magus, omnia nouit, quẽque nos merito hoc calamitosissimo tempore firmissimum laborantis Italiæ robur possumus appellare. Sed nimis multa de nugis, ad rem redeamus.

IN CAPVT VII.

Asconius cum suo patrono reprehensus. Ciceronis, & Liuii error signatus.

CAPVT XXVI.

ECce autem, vt qui semetipsum defendere, nec quicquã egregium, nisi hinc inde corrogatum, potest afferre, repente patronus antiquorum aduersus Manutium factus est at quorum? Asconii. o te infelicem Asconi, cui defensor ille obtigit, quo agẽte nisi accusatoris te forte summa benignitas subleuarit turpissime condemnandus sis. quid ait Asconius? Verba hæc Ciceronis in Verr 3. interpretatur: *Audimus aliquem tabulas nunquam confecisse, que est opinio hominum de Antonio*: interpretatur autem his verbis: *Hic est M. Antonius dissolutissimus curator totius oræ maritimæ Creta mortuus, de quo ipse dicet: postquam M. Antonii infinitum illud imperium senserant.* & quem Salustius ait: *perdunda pecuniæ genitum, & vacuum a curis nisi instantibus. Accusauit ergo hanc interpretationem Manutius, quod Antonius ille, quem opinio fuit non confecisse tabulas, non dissolutissimus curator oræ maritimæ fuerit, sed M. Antonius orator ille clarissimus*, qui de se apud Ciceronem in 2. de oratore ita loquitur: *Sed tamen ne tabulas quidẽ confecisse existimor.* Hinc ergo Manutianam plagam depellit artificiosus Robortellus. emendat enim librum Asconii coniectura duce, ita: *Hic est M. Antonius pater dissolutissimi illius Curatoris oræ maritimæ. Nam vere M. Antonius orator pater fuit M. Antonii Cretici.* sic enim hunc dissolutissimum curatorem appellat Plutarchus. Sed hoc voluisse Asconium nunquam probabit. Nam quod ait in aliis libris legi: *Hic est M. Antonius prætor dissolutissimus curator oræ maritimæ, Creta mortuus*; recte: habuit enim ille eam prouinciam in prætura, vnde scriptum est in epitoma libri 97. M. Antonius prætor bellum aduersus Cretenses parum prospere gestum morte sua finiuit. de quo nos plura in commentariis fastorum collegimus, vbi de bello piratico scripsimus. at vero quod vos prætor, in pater, sit transferenda, non item. Puto enim bene habere Asconium vero, vt hominem peccasse. erroris autem eius

ipse ediderat, librorum, colleret, postulauit? quam sæpe ad eum de rebus etiam iis, quæ sua memoria euenerant, retulit? Quod ergo Cicero fecit, neque in eo factum miramur, id in Asconio, qui tam vt ætate, sic doctrina & diligentia inferior fuit, ne ipso quidem postulante defendemus? An vero M. Ciceronem in defensione Murenæ, M. Catonem illum senem cum L. Scipione in Asia fuisse falso dixisse, cum tamen non cum Scipione, sed cum Glabrione in Græcia eodem in bello fuisset, Robortellus tacitus patietur, Asconium oratorem Antonium pro curatore eius filio accepisse, nec eiusmodi mores in modestissimo homine approbasse, non patietur? quid? an te vberiorem gloriam ex Asconiana, quã ex Ciceroniana defensione paraturum putasti? non profecto. Sed, vt siue Manutio, siue Sigonio malediceres, præclaram tibi in vulgus etiam ineptam defensionem commendationem nominis futuram existimasti.

IN VIII. CAPVT.

Hoc capite lectionem Terentianam quandam, cuius M. Antonius Muretus ex oratione Manutii meminerat, qui se eam porro a Gabriele Faerno audisse narrabat, reprehendit. Cuius defensionem vel Faernus, vel Manutius ipse sine dubio susciperet.

IN CAPVT IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI.

Sequenti capite IX vsque ad XVI disputat aduersus me de nominibus fœminarum. quod autem vno capite complecti poterat & debebat, id, vt plura mea errata collegisse videretur, octo his capitibus est persequutus. quorum defensionem in eum commentarium reiici, in quo librum eius de nominibus totum a primo verbo vsque ad vltimum mihi refutandum esse suscepi. quod, ne quis me hæc præteriisse existimaret, hic testatum relinquere volui.

IN CAPVT XVII.

Interpretatio loci Ciceronis defensa, & de annulo obsignatorio.

CAPVT XXVII.

Deinceps reprehendit Manutium Robortellus, qui locum Ciceronis in epistolis ad Q. Fratrem, parum commode interpretatus sit. Locus est hic: *Sit annulus tuus, non vt vas aliquod, sed tanquam ipse tu, non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* In hæc Manutius ita: *Non vt vas aliquod, quod assidue circumfertur, sed vide, quibus illum tradas, ne quis accepta pecunia signet ea, quæ tu non probares.* Aduersus hanc expositionem contendit Robortellus. primum autem telum, quod sibi vltum iaculatur, est verbi mutatio: legit enim & quidem ex ingenio: vas aliquis, non aliquod. deinde ait, *vas non positum hic, sed tandem intel-*

ligi, id est, *sponsorem. At enim*, inquit, Cicero, *videndum est o Quinte, ne annulus tuus sit, tanquam vas alienæ voluntatis, id est, ne aliquis tuorum quæstum hac ratione faciat in prouincia, dum annulo tuo prætorio signat te insciente, corruptus largitione prouincialis alicuius. fuisset igitur annulus tunc vere sponsor, & vas voluntatis alienæ, id est, eorum, qui corrupti fuerant.* Deinceps multa add it, vt probet, veteres annulo in obsignando esse vsos, quod nemini, nisi ipsi, dubium aliquando fuit. De hac ergo expositione nullum ego verbum eram facturus, nisi meã in hac re caussam defensurus essem. Etenim cum aliquot, antequam Manutius commentariũ suum ederet, diebus me de huius loci sententia amicus quidam meus, summo ingenio præditus, consuluisset, respondi eadem fere ratione, qua Manutius. quæ expositio cur nunc a Robortello improbetur, non video. Monet enim Cicero fratrem, ne temere committat alteri, vt libero suo, quem plurimum amabat, Statio, annulum obsignatoriũ, sed secum perpetuo habeat. nam si eum, vt vas aliquod omnibus dabit vtendum, fiet, vt sit minister alienæ voluntatis, non testis suæ: qui enim annulum eum habuerit, is, quæ placuerit, pro libidine sua obsignabit, corruptus scilicet pecunia ab iis, qui ab ipso prætore gratis id impetrare non potuerunt. apparet autem translationem a vase sumtam esse. nam prætẽrquam quod annulos scimus tanquam vasa fuisse, cum iis condi venena etiam lege solita tradat Plinius: hoc etiam declarauit Cicero, cum subiecit: *Non minister alienæ voluntatis*. Nam quod dixerat, *annulus tuus non sit tanquam vas aliquod*, exponit, dicens, *Non minister alienæ voluntatis.* quod dixerat, sed tanquam ipse tu, exponit: sed testis tuæ voluntatis. opponit ergo vas Ciceroni, id est, instrumentum: domino, & vsum instrumenti, quod etiam ad alienos transferri potest, vsui proprio, quo debet esse testimonium voluntatis domini. Quod si Robortellum audias, primum verbum, Aliquod, corrumpes, deinde Vadem, id est, sponsorem dixeris, qui nihil ad ministrum quam vocem attulit Cicero, vt translatum illud vas declararet. postremo præclara hæc antitheta non seruabis, & omnem sententiæ venustatem obscurabis. sed Manutius fortasse plura.

IN CAPVT XVIII.

Expositio loci Ciceronis in epist. P. Seruilium Isauricum mortuum non potuisse a M. Bruto lugeri, Hirtio, & Pansa coss.

CAPVT XXVIII.

SEquenti capite Robortellus eundem Manutium vituperat, quod quis sit ille, de cuius morte Brutum consoletur Cicero, se dixerit ignorare. cum vero P. Seruilium Isauricum esse, tam moderate, & tam vere docet, vt peritior ne, an modestior dici

dilu-

diiudicare non possis. Verba eius hæc sunt, vbi Manutiana verba exposuit: *Ego ut hominem laudo quod ingenue fatetur, se ignorare hoc quid sit, reprehendo tamen, quod diligenter non legit veterum libros. Si enim legeret totos, non unam, aut alteram pagellam percurreret, nihil illum subterfugeret, ut etiam ante dixi.* Videte quam contemtim de Manutio loquatur. nunc quam de se summisse, audite *Ego puerum*, inquit, *domi habeo, qui omnes consulatus, quidque singulis annis gestum sit, facile recensere potest, ita omnia memoriæ mandauit. Illum igitur audientibus aliquot meis familiaribus, iussi, ut legeret Manutii commentarium, cum legisset. An inquam tibi aliquid venit in mentem, quod proferas ad hunc locum intelligendum ex historia.* inquit ille, *fortasse veniet, si consulatum mihi præscripseris Tum ego, is est annus, quo periere ambo consules Hirtius, & Pansa ad Mutinam in prœlio. Statim ille, cum paulisper memoria repetiuisset tempus illud, Nimirum,* inquit, *hic est ille P. Seruilius cognomento Isauricus, quem Dion scribit eo anno Romæ periisse, virum magna dignitate, & auctoritate. ac verba ipsa recitauit. Sunt autem hæc.* Ἐκείνῳ μὲν οὖν τῷ ἔτει ταῦτ᾽ ἐπράχθη, καὶ ὁ Σερουΐλιος ὁ Ἰσαυρικὸς ὑπεργήρως ἀπέθανεν, &c. *Cum igitur eo tempore talem virum amisisset Brutus, ex qua gente Seruiliam matrē habebat, quid mirum, si tantopere dolebat? Fuisse autem Brutum a Seruilio etiam Quinto adoptatum Cæpione satis notum est. nam declarat Cicero in Philipp. or. 10. ubi Q. Seruilium Cæpionem Brutum appellat. In dicenda autem sententia quanta fuerit auctoritate, etiam tunc satis perspici potest apud eundem Ciceronem in oratione Philipp. 14 & aliis.* Hæc ille. nunc colligamus argumentorum summam, vt planius refutari possint. *Consolatur*, inquit, *Brutum de morte P. Seruilii Isaurici, quia Isauricus eo anno mortuus, quo Cicero ea consolatione vtebatur*, id est, *Hirtio, & Pansa cos. interfectis ad Mutinam.* Item: *Isauricus intelligendus est, quia cognatus erat Bruti. Brutus enim cum Seruiliam matrem habuit, tum a Seruilio Cæpione adoptatus est.* Egregie Robortelle, vt cetera. Illud tamen quæro, priuata ne caussa luxerit Isauricum Brutus, an publica? Si priuata, dic quæso, quo gradu attigerit Brutum Seruilius Isauricus? Nam Brutus a Q. Seruilio Cæpione matris fratre fuerat adoptatus, Isauricus ex ea Seruiliorum familia erat, qui Vatiæ dicebantur, qui nihil ad Cæpiones. Si publica, cur torquebat Brutum potius mors Isaurici, quam ceteros optimates? Isaurici inquam, quem Cæsaris partes sequutum, inde suspicari possumus, quod filium eius P. Seruilium Isauricum Cæsar dictator sibi in secundo consulatu collegam assumsit, & post mortem Cæsaris eundem consulem iterum cum L. Antonio, tum cum Cæsaris factio dominabatur, videmus. si ergo neque priuata caussa luxit Isauricum Brutus, neque publica, ergo alium certe quam Isauricum luxit. Sed fuerit Bruti cognatus, & idem optimatium prin-

ceps Isauricus, an icirco eum lugere debuit Brutus Hirtio & Pansa cos. interfectis? an Pansa & Hirtio cos. interfectis decessit Isauricus? non certe. imo anno superiore, Dolabella, & Antonio cos. dices, vnde hoc probas? vnde, nisi ex historia? Hoc tradit in temporibus Eusebius. Hoc tradit Dio eo, quem tu protulisti loco. nam vbi mortui Seruilii Isaurici meminit, res Hirtio, & Pansa cos. gestas aggreditur exponendas. ita: *ἐκεῖνα μὲν οὖν τῷ ἔτει ταῦτα ἐπράχθη, καὶ ὁ Σερουΐλιος ὁ Ἰσαυρικὸς ὑπέργηρως ἀπέθανε.* post addit: *Αὔλου δὲ Ἱρτίου μετὰ Γαΐου ἰοῦ ὑπατεύοντος.* vbi legendum, *βιβίου.* id est, A. vero Hirtio cum C. Vibio consule. tu autem, quia Græca non intelligis, mortem Isaurici in consulatum Hirtii, & Vibii coniecisti, quæ cōsulatū eorum præcedit. quid plura? Idem scribit Cicero. Etenim nonne memoria tenes illum secundam Philippicam in Antonium ipsum tum consulem dixisse, & quidem Octobri, vt opinor, mense, cum ille in se absentem a. d. 13 K. Octob. in senatu asperrime perorasset? Atqui in ea oratione significat, P. Seruilium hunc tuum iam tum esse mortuum. *Non placet,* inquit, *M. Antonio consulatus meus, at placuit P. Seruilio, vt eum primum nominem ex illius temporis consularibus, qui proxime est mortuus.* Si ergo Isauricus Antonio consule ante Octobrem fortasse mensem mortuus est, cur lugebitur a Bruto Hirtio & Pansa cos. interfectis? Sed sit hoc diligentiæ tuæ, illud vero cuius acuminis est, velle eundem esse P. Seruilium, de quo Cicero in 9 & 14. Philippica loquitur, atque eum, quem mortuum luget Brutus, cum iam tum cum secundam dixit Cicero proxime mortuum esse testatus sit? Est ergo hic P. Seruilius filius senis eius Robortelle, is, qui cum C. Cæsare consul fuit, non pater, qui ante decesserat, quod tu non recte subductis temporum, atque ætatum rationibus cupidius aliquanto, quam decuit tradidisti. quem P. Seruilium senatui, cuius partes a Bruto defendebantur, aduersatum esse, declarat Cicero in epistola ad Plancum Hirtio, & Pansa cos. scripta IV. Idus April. his verbis: *Eo die magna mihi fuit pro tua dignitate contentio cum Seruilio, qui cum gratia effecisset, vt sua sententia prima pronuntiaretur, frequens eum senatus reliquit, & in alia omnia discessit, meaque sententia, quæ secunda pronuntiata erat, cum frequens assentiretur senatus, rogatu Seruilii P. Titius intercessit. res in posterum dilata. Venit paratus Seruilius Ioui ipsi iniquus, cuius in templo res agebatur.* Nunc quemadmodum fregerim ex aliorum te literis malo cognoscere. Nunc vide, quæ tu tradideris puero illi tuo, quem te Socratico more excitasse scribis, vt inania, vt ridicula, vt falsa. Tibi igitur suadeo, vt aut alia eum doceas, aut certe veriora & hunc ei in primis errorem eripias, dum tener est nam si forte diutius insederit, vix animi corroborata demum ætate poterit. quam etiam prudenter, si in tuo Auditorio Patauino his verbis ageres: *Erraui homini, cum*

mo vt

me vidisse quicquam, quod Manutius non vidisset, mihi persuasi. aut cum me cum Sigonio de antiquitate Ro. aequo Marte contendere posse existimaui.

IN CAPVT XIX.

Loci Valeriani emendatio reprehensa.

CAPVT XXIX.

DEinceps oblatum corrigendi Valerii tempus, quem priore capite, cum de P. Seruilio Isaurico diceret, citauerat, diligens homo non prætermisit. De eo sic Valerius libr. 8. *P. Seruilius consularis, censorius, triumphalis, qui maiorum suorum titulis Isaurici cognomen adiecit, cum forum præteriens testes in reum dari vidisset, loco testis constitit, ac per summã inter patronorum pariter, & accusatorum admirationem sic orsus: Hunc ego iudices, qui caussam dicit, cuius sit, aut quam vitam egerit, quamque merito, vel iniuria accusetur, ignoro. Illud tantum scio, cum occurrisset mihi Laurentina via iter facienti admodum angusto loco, equo descendere noluisse. Quod; an aliquid ad religionem nostram pertineat, ipsi æstimabitis.* ego id supprimendum non putaui. In his verbis, Religionem nostram, mendum subesse putat Robortellus, & pro Nostram, Vestram esse reponendum. vt ad Iudices referatur, & eorum religionem, qui iurati iudicabant: neque enim Seruilius testis in reum illum vocatus, & iureiurando obstrictus ea dixerat. Itaque concludit, si legatur, *Nostram*, se non videre, quæ sententia elici possit. Ego vero Robortellum, qui nullum ex *Nostram* elicere sensum se posse ait, errare existimo, &, *Nostram*, omnino retineo. Iubet enim Seruilius, vt iudices æstiment, an neglecti viri triumphalis senis peccatum aliquid ad seueritatem Romanæ disciplinæ pertineat, quod & iudicibus castigandum esse innuit. Itaque Nostram religionem dixit, non sui, vt testis, sed publicam ciuitatis: religionem autem amplificandi caussa disciplinam ciuitatis appellauit in amplissimis viris, iisque senibus venerandis. quam fuisse Romæ summe cultam constat, adeo vt eiusmodi virorum amplitudo, ac dignitas Gallis etiam ipsis hostibus horrorem quendam incusserit. Robortellus autem, dum gloriæ caussam quærit, probri inuenit. Nam quod fœdissimum etiam in eius puero sit, quem tam egregie erudiuit, orationem contra Grammaticæ præcepta fecit. quid est enim, quod hoc capite, Valerium exponens, ait: *Vos æstimabitis,* (inquit Seruilius) *an vos pro religione, & iureiurando, quo estis astricti, quanti hoc sit faciendum? quid est,* inquam: *Vos æstimabitis, an vos, quanti hoc sit faciendum?* Hic est ergo magnus ille magister Robortellus, Aristarchus ille, ille Gorgias, nouus Zoilus, qui bellum Sigonione, an Manutio dicam, an vtrique indixit, qui cum se Latinarum literarum doctorem profiteatur. tamen in eo libro, quem specimen singularis eloquentiæ suæ esse, atq; doctrinæ cupit, barbare,

ac ne Grammatice quidem loquitur. O te miserum puer, qui talem magistrum adeptus es, vnde falsam antiquitatem, barbaram locutionem, Germanam acciperes vanitatem.

IN CAPVT XX.

Loci Ciceronis interpretatio defensa, de lictoris, & accensi officio.

CAPVT XXX.

DEinceps Manutium culpat, qui locum ex epistola Ciceronis ad Q. Fratrem, ita legit: *His rebus nuper C. Octauius iucundissimus fuit, apud quem primus lictor quieuit, tacuit accensus, quoties quisque voluit, dixit.* Manutium inquam vituperat, Manutium autem? imo vero Octauium Pantagathum, virum, cuius etiamsi nulla ingenii monumenta adhuc prodita literis sunt, omnium tamen, qui nunc sunt, hominum consensu, ingenio, doctrina & iudicio prȩstantissimum, a quo se Manutius hanc emendationem accepisse profitetur, imo vero Benedictum Accoltum, Cardinalem, cum literis, & virtute sua singulari, tum maxime sacerdotii ipsius dignitate semper amplissimum, a quo illam vehementer probatam fuisse tum, cum viueret, Manutius inquit: imo vero Petrum Victorium, summum humanarum literarum ornamentum, qui eandem in librum suum primum Variarum lectionum coniecit. Hi vero omnes legunt: *Apud quem primus lictor quieuit, tacuit accensus, quoties quisque voluit, dixit.* at Robortellus, maiore scil. quam Pantagathus, ingenio, quam Victorius, iudicio, quam Accoltus dignitate præditus, legendum contendit: *apud quem primus lictor qui fuit, tacuit, accensus, quoties quisque voluit, dixit.* quasi vero aut lictoris officium sit loqui, ita vt apud Octauium prætorem modestiæ caussa tacuerit, accensi dicere, ita vt apud eundem pro omnibus, quoties quisque voluerit, egerit, nec videt, cum lictoris munus sit, turbam a tribunali prætoris summouere, tamen apud Octauium, primum etiam lictorem quieuisse; cum accensi sit, vt iubere dicere, sic silentium imperare, tamen apud eundem, tacuisse; cum apud ceteros prætores non sit potestas omnibus, vt, cum velint, dicant, tamen apud eundem, quoties quisque voluerit, neque a lictore summotum, neque ab accenso tacere iussum, dixisse. Quæ si non videbat Robortellus, saltem ea tantos viros perspexisse existimare poterat, neque ambitionis gratia tanto doctorum hominum consensui repugnare debebat.

IN CAPVT XXI.

Hoc capite, Accensus quis esset, Manutium non intellexisse ait, qua de re ego, neque enim id ad me pertinet, nihil dicam; ne Manutio ipsi ingentem ex sua defensionem aduersus Robortellum gloriam eripiam.

IN CA-

IN CAPVT XXII. XXIII. XXIV.

Flori, & auctoris libri de V. illustr. & Valerii Maximi errores, qui negabantur, confirmati, & alii demonstrati.

CAPVT XXXI.

SEquuntur tria capita, quorum in primo Manutium reprehendit, in tertio Sigonium, vtrique, quia caussa coniuncta est, respondebo, si ante admonuero, locum, quem ille capite 23. ex Velleio emendat, ex meis scholiis Liuianis ad verbum sumtum esse, vt supra declaraui, dum in caput 34. libri primi disputaui. quod certe non facerem, (est enim id angusti, atque ieiuni animi) nisi eum me suas etiam domesticas emendationes vsurpasse, falso insimulasse viderem. Est igitur æquum animaduertere, vt ipse, qui omnem sibi antiquitatem delendam, atque vetustissimum quenque auctorem dilacerandum suscepit, repente patrocinium L. Flori aduersus me susceperit, atque eum acriter nõ veritatis, sed ambitionis caussa defenderit. Siquidem in eo ita se gerit, vt patrum rei, atque accusatoris caussam cognoscere videatur. Quod vt vnusquisque perspiciat, rem totam paucis verbis exponam. *Dictatori A. Posthumio Albo bello Latino ad lacum Regillum magistrum equitum fuisse T. Æbutium Eluam, Liuius, & Dionysius auctores sunt. cum autem ego Florum pro Æbutio Cossum posuisse viderem, notaui id ipsum in commentario Fastorum.* Hic Robortellus Flori, vt dixi, patronus, me reprehendit, quod eum notauerim, & ait, putare se vocem illam COSSVM, ex verbis Flori esse tollendam: irrepsisse enim ex glossemate alicuius imperiti. Bona tua venia dicam Robortelle, nimis studiosus es antiquitatis: neque enim me pateris veteris cuiusquam ineptias indicare. Vnde tuus iste in veteres amor tam repentinus? Iniquis dii malefaciant, qui te quotidie optimum, & vetustissimũ quemque auctorem maledictis figere nuntiant; nisi forte hanc castigandæ antiquitatis laudem tu solus appetis, ac tibi deposcis. Ego vero, cum nondum hæc tua emendandorum librorum ars esset edita, qua tu quamcunque vocem tollendi, reponendi, mutandi pro arbitratu facultatem concedis, cum in manuscriptis, impressisque Flori libris Cossum esse viderem, nec posse quamcunque vocem temere deleri demens putarem, dixi decipi Florum. Nunc si tollitur vox Cossus, nihil dico. An autem tolli debeat, tibi, qui id affirmas, etiam, atque etiam cogitandum esse censeo. Sic enim loquitur Florus: *Cossus equitum magister exuere frenos imperauit, (& hoc nouum,) quo acrius incurrerent.* At nihil tale de Æbutio magistro equitum Liuius, nihil Dionysius. vnde ergo hoc sumsit Florus? nimirum a Cornelio Cosso, qui post fuit magister equitum M. Æmilio Mamercino dictatori, bello, vt opinor, Fidenati. de quo ita Liuius: *Magister equitum Cossus frenos vt detrahant equis, imperat.* Si ergo apparet Florum memo-

riæ vitio lapſum, qui Coſſum detrahendorum equis frenorum auctorem dictatori Poſthumio magiſtrum equitum addat, qui Æmilio fuit, cur corrigendus eſt potius Florus, quam notandus? non enim vitium eſt tantum in nomine magiſtri, ſed in conſilio, quod ne hoc quidem in bello adhibitum eſt. *At equitum,* inquis, *hoc etiam in bello egregia opera fuit. nam dictator, auctore Liuio, equites equis deſcendere, & pugnam inire iuſſit.* Primum non eſt idem, detractis equorũ frenis effuſo impetu in hoſtem incurrere, & dimiſſis equis pedeſtrem pugnam capeſſere. deinde illud fuiſſe magiſtri equitum conſilium traditur, hoc dictatoris mandatum. Si ergo neque Coſſus hoc in bello magiſter equitum fuit, neque illud Coſſi conſilium hoc in bello vſurpatum eſt, apparet non librarii, ſed Flori vitio Coſſum Poſthumio dictatori magiſtrum equitum eſſe adiectum. Hoc errore poſito, ita ſcripſi: *Idem ſentit is, qui de viris illuſtribus tradidit, cum Coſſi ſtratagema illud exponit,* de quo Liuius in ann. CCXXVII. quorum verborum hæc ſententia eſt. *Si auctor libri de viris illuſtribus magiſtrum equitum dictatoris Poſthumii equis frenos detrahi iuſſiſſe ait, ergo idem ſentit, quod Florus, Coſſum Poſthumio magiſtrum equitum fuiſſe.* nam Liuius poſt alio bello Coſſum huius auctorem conſilii facit. Nunc ille me ita reprehendit: *Falſa refert Sigonius. nam auctor de viris illuſtribus Coſſi non facit mentionem vllam.* Robortelle, ſi eo acumine ingenii es, vt ſenſum meorum verborum planiſſimum non percipias, cur ea modeſtia es, vt falſa me retuliſſe falſo ſcribas? ego ne ſcripſi auctorem illum Coſſum nominaſſe, an ſignificaſſe? Quid ergo hoc tuo capite egiſti? profecto nihil. Nam Flori locus correctionem tuam non patitur, & cum vtriuſque auctoris inſignis memoriæ lapſus eluceat, vterque etiam merito cum ſuo præclaro patrono Robortello notatus eſt, qui, in quo me falſum, & imperitum arguit, ipſe falſus, & imperitus eſſe deprehenditur. Eadem autem etiam ratione Manutius defenditur, qui Valerium notauit, quod libro 5. cap. 8. Sp. Caſſium tribunum plebis agrariam legem primum tuliſſe ſcribit. quem tu eo nomine accuſas, quod ex verbis Valerianis has duas voces Tribunus pl. (in his enim ab eo Valerius arguitur) delendas eſſe non viderit. Quæ autem eſt tua iſta defenſionis Valerianæ ratio? quia libro 6. cap. 3. Valerius ipſe tres Sp. Caſſii conſulatus commemorat. An iccirco Robortelle, quia Valerius Sp. Caſſium tres conſulatus geſſiſſe non ignorauit, eundem memoriæ vitio tribunum pl. agrariam legem primum tuliſſe literis mandare non potuit? præſertim vero cum lex agraria tribunitia fuerit, ac veriſimilius ſit, eam a tribuno pl. aliquo, quam a conſule eſſe excitatam, & in remp. illatam? Nam quod addis, mirum fuiſſe, legem agrariam a Sp. Caſſio conſule latam, quod is patricius eſſet, nihil eſt, verum illud mirabile videri volunt annalium Ro. ſcriptores, agrariam

legem a Cassio, qui consul esset, primum iactatam, cum consulatus optimatium semper, tribunatus plebis, agraria vero lex fuerit maxime popularis. Etenim post etiam C. Iulius Cæsar, patritia familia natus eam in consulatu tulit. Nam quod interpretaris, Valerium voluisse Sp. Cassium primum consulem legem agrariam tulisse, erras vehementer: non enim hoc notat Valerius, sed omnino Sp Cassium primum fuisse, qui legem agrariam tulerit, qua deinde sæpius tribunitiis, & consularibus actionibus iactata resp. fuit. Dices: non est credibile, Valerium in tantæ rei ignoratione esse versatum, vt Sp. Cassium ne tribunum quidem pl. esse potuisse nescierit. egregie quasi vero Valerius non alias grauius etiam offenderit, vt libro 7. cap. 5. vbi de Scipione Nasica agit: quo in loco eundem esse Nasicam filium cum proauo, & patre ex rebus eorum gestis significauit, atque tempora, ætatesque, & acta eorum confudit. & libro 6. cap. 4. vbi T. Manlium Torquatum, cuius clara bello Punico secundo virtus fuit, filium eius, qui ad Veserim pugnauit, cum inter vtriusque magistratus amplius anni centum intersint, scripsit, & eodem loco Torquatum eum, qui ob valetudinem oculorum consulatum recusauerit alium ab eo, qui in senatu se senatores Latinos sua manu interfecturum dixit, cum idem Liuio auctore fuerit, fecit, neque annalium varietate vlla defendi possit.

IN CAPVT XXV. XXVI. XXVII.

Ad sequentia capita tria XXV, XXVI, XXVII, in quibus de comperendinatione, & ampliatione aduersus Manutium disputatur, nihil respondeo: neque enim Manutii viri doctissimi errata, quæ Robortellus in maledictis obiecit, mihi posthac defendenda esse censeo ne, dum id faciam, ab altero nullam gratiam ineam, alteri vero iniuriam etiam faciam.

IN CAPVT XXVIII.

Apud Plutarchum παύεσθαι idem esse quod abdicare: consules creato dictatore abdicasse: περιπόρφυρον prætextam verti posse.

CAPVT XXXII.

FRancisci Robortelli scientiam cum multis aliis in rebus singularem esse inuenio, tum maxime in vi Græcorum verborum intelligenda, & in antiquitate Romana constituenda. Quod ex capite sequenti facile intelligi potest, in quo me quod παύεσθαι, & περιπόρφυρον imperite verterim culpat. id quod quam ipse perite fecerit, ostendamus. Verba sunt hæc Liuii libro 2. *Consul lictorem ad tribunum, priuatum esse clamitans, sine imperio, sine magistratu.* Horum verborum vt vis esset apertior, locum ego

in Scholiis Liuianis protuli ex quæstionibus Plutarchi, in quo ita scriptum est: Διὰ τί περιπόρφυρον ὁ δήμαρχος οὐ φορεῖ, τῶν ἄλλων ἀρχόντων φορούντων; ἢ τὸ παράπαν οὐδ' ἐστὶν ἄρχων. οὐδὲ γὰρ ῥαβδούχους ἔχουσιν, οὐδ' ἐπὶ δίφρου καθήμενοι χρηματίζουσιν, οὐδ' ἔτους ἀρχῇ καθίστανται οἱ λοιποὶ πάντες ἄρχοντες εἰσιν, οὐδὲ παύονται δικτάτορος αἱρεθέντος, ἀλλὰ πᾶσαν ἀρχὴν ἐκείνου μεταστήσαντος εἰς ἑαυτὸν, αὐτοὶ μόνοι διαμένουσιν, ὥσπερ οὐκ ὄντες ἄρχοντες, ἀλλ' ἑτέραν τινὰ τάξιν ἔχοντες. quorum verborum sententiam ita verti. Cur cum purpura alii magistratus vtantur, tribunus pl. non vtitur? an quia tribunus pl. magistratus non est: neque enim ex sella tribuni ius dicunt, neque principio anni, vt reliqui magistratus, ineunt, neque creato dictatore se abdicant, verum omni translato ad dictatorem imperio, ipsi tamen potestatem suam retinent, quasi magistratus non sint. Ex his verbis duo arrodere conatus est Robortellus. vnum quod παύονται abdicāt, alterum quod περιπόρφυρον purpuram conuerterim. Verba eius hæc sunt: *Falsum est, quod ait Sigonius, creato dictatore consules abdicare se solitos narrare Plutarchum. nam ipse ait, παύει quod non abdicare se, sed interim desistere vti potestate, & iure suo dum dictator is est.* Ex quo apparet, argumentationem eius hanc esse. Male Sigonius vertit apud Plutarchum, tribunos pl. creato dictatore non abdicasse, nam falsum est, consules abdicasse creato dictatore. Non dico, quam aliena hæc eius ratio sit, quam inanis, quam ridicula. illud dico, me vtrumque aperte demonstraturum, & παύεσθαι apud Plutarchum esse, quod Latini dicunt, Abdicare, & consules creato dictatore abdicasse. Dic enim Robortelle, nonne apud Liuium legisti mortuo censore collegam eius abdicasse? legisti certe. at cum de ea re loquitur Plutarchus, nonne παύεσθαι vtitur? Eodem quæstionum in libro: τῶν τιμητῶν θατέρου τελευτήσαντος ἔδει καὶ τὸν ἕτερον πεπαῦσθαι τῆς ἀρχῆς. quid est ibi πεπαῦσθαι, an desistere vti iure suo, an magistratum deponere, quod Latine dicitur Abdicare? Et alibi: Διά τι τῶν ἄλλων ἱερέων τοὺς καταδικασθέντας παύοντες ἑτέρους αἱροῦνται, παύοντες est, abrogantes, & abdicare cogentes. At consules, inquis, creato dictatore non abdicabant. O stultum ergo Polybium, dementem Dionysium, qui hoc literis prodidistis, quid inquit Polybius? ita lib. 3 δικτάτωρος κατασταθέντος παραχρῆμα διαλύεσθαι συμβαίνει πάσας τὰς ἀρχὰς ἐν τῇ ῥώμῃ, πλὴν τῶν δημάρχων. id est, dicto dictatore subito omnes magistratus dissoluuntur præter tribunum plebis. quid est dissoluuntur, nisi abdicant? Accipe nunc quid Dionysius dicat libr. 5. vbi loquitur de dictatore primum creato. ἦν δὲ τὸ βούλευμα τοιόνδε. λάρκιον μὲν καὶ κλοίλιον τοὺς τότε ὑπατεύοντας ἀποθέσθαι τὴν ἐξουσίαν, καὶ εἴ τις ἄλλος ἀρχήν τινα εἶχεν, ἢ πραγμάτων κοινῶν ἐπιμέλειαν. ἕνα δὲ ἄνδρα, ὃν ἂν ἡ βουλὴ προέληται, καὶ ὁ δῆμος ἐπιψηφίσηται τὴν ἁπάντων ἐξουσίαν παραλαβόντα ἄρχειν μὴ πλείονα χρόνον ἑξαμήνου & post: ὁ κλοίλιος ὕπατος ἀναγορεύει τὸν λάρκιον δικτάτορα, καὶ αὐτὸς τὴν ὑπατείαν ἐξόμνυται. Quibus verbis apparet

paret decretum fuisse, vt creandi dictatoris caussa omnes magistratus abdicarent, & Clœlium consulem, vbi Lartium collegam dictatorem dixit, abdicasse. Vtitur enim his verbis: ἀποθέσθαι τὴν ἀρχὴν, & ἐξόμνυσθαι τὴν ἀρχὴν, quæ nihil aliud sunt, quam magistratum deponere, & abdicare. Nam idem libro VI. dixit, τὴν δικτατωρείαν ἐξωμόσατο, pro eo quod Latini dicunt. dictatura se abdicauit. Si ergo idem est παύσασθαι τὴν ἀρχὴν, quod ἀπαλλάξασθαι, & hoc idem quod ἀποθέσθαι, & ἐξόμνυσθαι. hæc autem Latini dixerunt, Abdicare, ergo illud etiam recte Abdicare verti potest. & qui creato dictatore consules abdicasse ait, egregie ait. At ille magnus auctor antiquitatis, Catonem, aut Varronem diceres, *Non abdicabant, inquit, se consules creato dictatore, sed interim desistebant vti potestate, & iure suo, dum dictatoris est. Solebant enim non abdicare se consules, sed parere dictatori, quod si dictator se abdicasset, antequam exitus anni esset, consules resumebant potestatē pristinam* Hui, quam sapienter? Dic quæso Robortelle, quid est aliud Abdicare, quam priuatum se reddere: at creato dictatori consulem priuatum occurrisse tradit Plutarchus in Fabio: Φάβιος δικτάτωρ συνεχωρήθη εἰς ταὐτὸ ῥαβδούχους ἀποστείλας, καὶ τοῦ ἑτέρου τῶν ὑπάτων ἀπαντῶντος αὐτῷ τὸν ὑπηρέτην πέμψας ἐκέλευσε τοὺς ῥαβδούχους ἀπαλλάξαι, καὶ τὰ παράσημα τῆς ἀρχῆς ἀποθέμενον ἰδιώτην ἀπαντᾶν. id est, Fabius dictator obuiam prodeunte altero cōsule, viatore misso, lictores dimittere eum iussit, atq; insignibus magistratus abiectis priuatum ad se venire. *At, inquis, consules creato dictatore non abdicabant, sed parebant ipsi dictatori, atque ac si legati ipsius fuissent.* Scite Robortellus, stulte Liuius, qui scripsit ita: *Tu L. Minuci, inquit dictator, legatus his legionibus praeris.* Ita se Minutius abdicat consulatu, iussusque ad exercitum manet. Sed sit hoc ineptum, illud vero quam graue, quod idem addit: *Sed si verum esset, quod scribit Sigonius, consules abdicare solitos. non vtique resumpsissent. At Dionysius, qui consules abdicare solitos ait, scribit A. Posthumium consulem a collega suo dictatorem dictum ei partem exercitus tradidisse.* vbi vero dictatura abdicauit, ipsum cum collega suo consule, quem abdicatum innuerat, comitia consularia habuisse, *nec tamen apparet*, quemadmodum ille, qui abdicauerat potestatem recuperauerit consularem. Sed ego ineptus, qui doctissimi hominis argutias tot verbis mihi sumserim refutandas. Venio ad alteram reprehensionem eius, quæ est his verbis prolata: *Iam vero errat etiam Sigonius, cum purpuram vertit, nam περιπόρφυρος habet Plutarchi liber. & satis notum est hanc a Plutarcho dici, quam prætextam Latini vocant.* Dii immortales, quam doctus est iste Franciscus Robortellus, dat vitio, quod verterim περιπόρφυρον φορεῖ, purpura non vtitur, cum dicēdum fuerit, prætexta. Non nego Robortelle, quin prætextam intellexerit Plutarchus. Sed cum prætexta nihil aliud sit, quam toga, cui purpura prætexta sit, in eoque a toga differat, quod pur-

puram habeat in circuitu intextam, nescio cur mihi vertendum vitio sit, quod purpuram pro *praetexta* verterim. praesertim cum dicat Liuius libro XLIV. *Purpura viri vtamur, praetextati in magistratibus, sacerdotiis, liberi nostri praetextati purpura togis vtuntur. Quid est enim aliud, Vtemur in magistratibus, & sacerdotiis purpura, quam toga purpura praetexta, quod quale esset, vt intelligeretur, dixit, praetextati.* Item paulo post: *Et cum tibi viro liceat purpura in veste stragula vti* & Plinius libro XXXIII. Cap. I. *Vulgoq; purpura latiore tunica vsos inuenimus etiam praecones.* Cum hos habeam huius locutionis auctores, quid Robortelliana ista maledicta pertimescere debeam, nescio.

IN CAPVT XXIX.

Liuii locum de C. Sicinio, & L. Albinio trib. pl. non esse mutandum.

CAPVT XXXIII.

INiqua mecum, & cum aliis conditione contendit Robortellus. non enim, si quid ipse mea emendatione attigerim, id solum in crimen vocat, sed etiam si quid omiserim, vt hoc capite, vbi de Liuiano loco loquitur, qui est in lib. 2. *Ita tribuni plebei creati duo, C. Licinius, & L. Albinius, hi tres collegas sibi creauerunt. in his Sicinium fuisse seditionis auctorem. de duobus, qui fuerint, minus conuenit: sunt qui duos tantum in Sacro monte creatos tribunos dicunt.* Hic ille me insimulat, quod haec nomina non emẽdauerim. esse enim ea a librariis corrupta. & pro C. Licinio reponendum esse C. Sicinium, pro L. Albinio L. Iunium. Adducitur autem Dionysii, Plutarchi, Paediani, & aliorum, quos ipse commemoraui, auctoritate, qui inter duos primos tribunos pl. summo consensu C. Sicinium Bellutum seditionis auctorem, & L. Iunium Brutum referunt. Est autem illud ridiculum, quod in quo me iniuste reprehendit, iure reprehendendus ipse est. Hoc autem ita esse demonstremus. Recitat Liuius duas opiniones de primis tribunis pl. nam, quae fuit, quinque primum creatos tribunos, alteram, quae duos tantum. Ex quinque nominat solum tres, C. Licinium, L. Albinium, C. Sicinium seditionis auctorem, de duobus, qui fuerint, ait non conuenire. Ille vero pro C. Licinio C. Siciniũ reponit. quam considerate nõ attinet dicere. ita enim fit, vt C. Licinium honore iniuste depellat, C. Sicinium bis nominet. Erit enim idem primus, & tertius apud Liuium tribunus pl. C. Sicinius seditionis auctor, quo nihil ne cogitari quidem potest absurdius. Spoliat autem honore C. Licinium indigne, cum Dionysius inter primos quinq; tribunos pl. duos Licinios numeret Caium, & Publium, & praeterea C. Sicinium Bellutum seditionis auctorem cum L. Iunio Bruto, & C. Icilio Ruga. Est ergo hoc prudentiae, quod videndum erat, non animaduertisse, probitatis autem amicum, quem laudare debebat, sine ratione asperius appellasse. Praeterea pro L. Albinio L. Iunium reponit ma-

nit maxime ex Pædiano, qui de duobus tribunis pl. Liuium citat auctorem, & duos primos tribunos plebis nominat, L. Iunium Paterculum, & C. Sicinium Bellutum. Cui ego respondeo, non iccirco, quia Pædianus auctorem profitetur Liuium in numero, etiam eum citat in nomine tribunorum. Sic enim ait: *Sunt, qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant, inter quos Tuditanus, & Pomponius Atticus, Liuiusque noster. Idē hic & Tuditanus adiiciunt, tres praeterea ab illis duobus collegas creatos esse. Nomina duorum sunt hac, qui creati traduntur, C. Sicinius L. F. Bellutus. L. Iunius C. F. Paterculus.* Hæc ille. Ex Liuio autem non esse sumta hęc nomina patet, quod Liuius inter primos duos C. Licinium, vt dixi, numerauit, non C. Siciniū quem tertio loco statuit. Si ergo in eo aperte discrepat, cur non potest ēt in altero? præsertim veterib. libris omnibus aperte L. Albinum, non L. Iunium profitentibus? Accedit, quod nulla caussa est, cur potius apud Liuiū L. Iunius ex Pædiano reponendus sit, quam ex Liuio apud Pædianum L. Albinius. Veteres enim libri Pædiani olim impressi habent, Lauinius Paterculus, vt tam facile restitui possit pro Lauinius L. Albinius, q̄ L. Iunius. imo vero etiam facilius illud, quam hoc. Nam Paterculum nusquā aliis Iuniis cognomen fuisse accepimus, & hunc L. Iuniū tribunū pl. de quo agimus, oēs præter Pædianū, Bruti cognomine afficiunt. vt Paterculus Albiniorum esse cognomē videatur, & potius apud Pædianū ex Liuio reponēdus sit L. Albinius, q̄ apud Liuiū ex Pędiano L. Iunius. Hoc ita esse apparet ēt ex tertio libro, vbi de tribunis pl. refectis post Xuirū abrogationē loqtur. inter eos n. C. Siciniū creatū ait, progeniem eius Sicinii, quē primū tribunū pl. creatū esse in Sacro monte memoriæ proditū est, vt cum de duob. primis tribunis pl. in Sacro monte creatis loqmur, quæ fuit altera a Liuio tradita opinio, vel C. Siciniū, & L. Iuniū, vel C. Liciniū, & L. Albiniū, statuere debeamus, neq; aliquid apud Liuiū immutandū sit. Quamobrem gratulor T. Liuio, vereq; gratulor, qui non te Robortelle emendatorem adeptus sit: neque enim vlla veræ lectionis, aut germanæ antiquitatis vestigia apud eum, quæ tua est scientia, atq; prudentia, reliquisses.

IN XXX. CAPVT.

Duorum Liuianorum locorum explanationes reprehensa: ac quid sit Duplicatus, & Multiplicatus apud Liuium: & de ratione centuriarum in comitiis.

CAPVT XXXIV.

FRancisci Robortelli prudentiam multis iam locis satis demōstratam a me esse existimo. Sed ea fortasse ferēda sunt: omnes enim libenter ad ea vituperanda accedimus quę ipsi melius intelligimus, at quæ non tenemus, & quæ nos non intelligere profitemur, ab iis accusandis refugere solemus, ne eodem tempore stulti, atque iniqui esse deprehendamur. Hanc tamen culpam non

eximuit ille Etenim quanquam meam loci cuiusdam Liuiani expositionem se negat intelligere, tamē eo cupidinis insectatur. Locus est libro II *Circuntibusque Etruscis Fabii iam continenti agmine armatorum septi, quo magis se hostis inferebat, cogebantur breuiore spatio & ipsi orbem colligere, quae res & paucitatem eorū insignem, & multitudinem Etruscorum multiplicatis in arcto ordinibus facie bat.* Huius loci hūc sensum esse ego in scholiis scripsi: Aciem, quo breuiore in spatio cogitur, & orbem colligit; eo plures ordines habere, quo maiore in spatio explicatur, eo pauciores. In haec vero ille ita: *Ego quale sit hoc, quod Sigonius profert, non percipio, nec vllum puto esse, qui percipere possit. Imo vero longe secus se res habet. quo enim breuiore in spatio cogitur acies, eo pauciores ordines esse necesse est: quo autem maiore in spatio explicatur, eo plures. Sed Sigonius Liuii verba non intelligit, Multiplicatis enim cum dixit, idem est, ac si dixisset, condensatis, vt sit sententia. Multiplicatis in arcto ordinibus, id est. densatis, factum est, vt Fabii, qui erant C C C. tantum, pauciores viderentur, hostes vero, qui plurimi erant, & ante dispersi fuerant, videbanturque pauci, postquam in vnum collecti sunt breuiore spatio, plures videbantur. Verum rem totam explicat Ælianus in libro de acie more Graecorum instruenda.* ἰστέον, ὅτι διπλασιάζεται ἡ φάλαγξ, ἢ προσώποις, ἢ τάξει. Ego vero miror, cur, quod ipse se negat intelligere, reprehendat. Quid autem, cum id scripsi, spectarim, demonstrabo. Multiplicari in arcto ordines intellexi, augeri non magnitudine, sed numero Sequutus autem sum sententiam illam Liuii libr. XLII. Primo a maxi circumfusa turba amicorum, ac satellitum procedebat, deinde extenuabant paulatim angustiae agmen. Quo ergo magis ab angustiis loci ordines extenuantur, eo plures fiunt. Vt si XX. sint ordines, quorum singuli decem habeant milites, deinde angustiis loci compulsi non nisi quinque complecti possint, multiplicabuntur ordines, & erunt quadraginta, sed tenuiores, atque hoc esse opinor διπλασιασμὸν κατὰ πρόσωπον, de quo Ælian. in lib. de acieb. instruēdis. ὅτι ἀπὸ τοῦ βάθους τοὺς ἡμίσεις ὁπλίτας εἰς λόχους παρενείροντες συντάξομεν μετὰ τῶν λοιπῶν τὸ μῆκος, ὥστε γενέσθαι τοὺς λόχους ἀντὶ α κ δ, β μ, κ. τοῦτο διπλασιασμὸς προσώπων ἐστίν. Id est, duplicatio personarum est, cum ex latitudine dimidiam partem militum in ordines coniectam cum reliquis instruemus in lōgitudinē, vt ordines sint pro mille XXIV. duo millia XLVIII. Atque hoc modo fi, vt haec multiplicatio ordinum, & paucitatem insignem redda, quia ordines exiliores fiunt, & multitudinem insignem, quia ordines plures euadunt. Itaque quod dixi breuiore spatio plures ordines fieri, refero tam ad Fabios, quam ad Etruscos, quod dixi, maiore pauciores, ad nullos. Tu autem multiplicatis, pro condensatis accipis, ac vis eandem condensationem ordinum eos, qui pauci sunt, reddere pauciores, qui multi, plures. ego vero contra putarem, si condensati paucorum

rum

rum ordines pauciores videntur, pari ratione & multorum non ita multos potius, quam plures videri. Sed de hoc sensu iudicent alii. Quod vero addis Liuium alio etiam loco, Duplicato centuriarum numero, dixisse pro condensato, id est, magnitudine aucta non numero, in eo etiam a te dissentio. Verba Liuii sunt libro primo, vbi de classium centuriis loquutus est, eiusmodi: *Nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc est expletis XXXV. tribus, duplicato earum numero, centuriis iuniorum, seniorumque ad institutam a Ser. Tullio summam non conuenire. quadrifariam enim vrbe diuisa, regionibus, collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellauit, neque ha tribus ad centuriarum distributionem quicquam pertinere.* Hic tu, Duplicatio earum numero, interpretaris, Aucto, & condensato. *Non enim*, inquis, *plures equitum centuriæ factæ sunt, sed eorum equitum, qui in singulis erant, numerus auctus est, & duplicatus. aliter enim intelligi locus ille non debet.* O scientiam hominis admirabilem. Cur potius equitum numerum auctum interpretaris, quam peditum, cum verisimile sit, si creuerunt opes ciuitatis, si numerus ciuium auctus est, tam peditum, quam equitum numerum succreuisse, id est, vt ipse ais, centurias duplicatas, ac condensatas esse? Qui ergo locus Robortelli iudicio, non aliter, quam vt ille dixit, intelligi debet, is Sigonii iudicio longe aliam sententiam habet. Ego enim duplicatum hoc etiam in loco ad numerum, non ad magnitudinem refero. & centurias omnes duplicatas intelligo ita, vt cum a Ser. Tullio factæ sint centuriæ CXCIII. post expletas quinque, & triginta tribus totidem & amplius accesserint. Nam cum Seruii instituto tribus ad numerum, & distributionem centuriarum non pertinuisse dicat Liuius, quid aliud significat, nisi tribus ad distribuendas, & numerandas centurias postea esse accommodatas? Scilicet, cum cœptus est vocari populus per tribus, singulæ autẽ tribus per classes in suas centurias distributæ sunt, primæ q̃dẽ classis eq̃tũ, & peditũ: reliquarũ vero peditũ tantũ, ita vt in omni classe aliæ iuniorũ essent, aliæ seniorũ: ex quo apparet, si quis diligenter rationem centuriarũ subduxerit, tot adiectas esse centurias illis Seruianis centum nonaginta tribus, vt earũm duplicatus merito dici numerus possit. quamuis non certus admodum duplicationis calculus fuerit. Hic ergo vocandarum centuriarum ordo Liuianis temporibus seruabatur, propterea inquit. *Mirari non oportet, ordinem vocandi centurias, qui nunc est, duplicato centuriarum numero post expletas triginta quinq; tribus, centuriis seniorum, iuniorũq; ad institutam a Seruio summa nõ cõuenire. Nam summa maior est facta centuriarũ, propter numerũ tribuũ, quæ Seruii instituto nihil ad numerũ & diuisionẽ centuriarũ, vt nunc, pertinent.* Ex his omnibus constitue, Duplicatum, non esse condensatum, vt neque Multiplicatum. atque hunc locum nullo modo ita exponendum esse, quo tu magnus scilicet antiquitatis auctor ex-

posuisti, quem etiam aliter intelligi debere negasti. Sed de hac re sequenti capite fortasse etiam apertius.

IN CAPVT XXXI. & XXXII.

Liuiana emendatio defensa. Galeriam, & Veturiam tribum esse. Centurias tribuum quodammodo partes fuisse. Quid praerogatiua centuria fuerit: Centuriatorum comitiorum ratio planius demonstrata. Liuii, Ciceronis, Asconii loci explanati.

CAPVT XXXV.

QVo capite duobus capitibus respondebo, quibus locos duos Liuii a me corruptos esse contendis. Loci vero sunt, alter lib. XXVII. alter libro XXVI. Prior ita habet: *Galeria iuniorũ, qua sorte praerogatiua erat, Q. Fuluium. & Q. Fabium consules dixerat, eodem iure vocata inclinassent, ni tribuni pl. &c.* In hunc locum ego ita scripsi: *Galeria nomen est centuriae, ut Veturia,* de qua supra. Posterior ita: *Fuluius Romam comitiorum caussa accersitus, quum comitia consulibus creandis haberet, praerogatiua centuria iuniorum declarauit T. Manlium.* In hunc ego ita: *Vt hoc loco in veteribus libris pro centuria Veturia, sic infra: Redire in suffragium Veturiam iuniorum.* item: *Veturiam seniorum citaret* Item: *Citatis Veturia seniorbus, idque, vt ego censeo, recte. est enim Veturia centuria nomen, vt Galeria,* cuius meminit lib. XXVII his verbis: *Galeria iuniorum qua sorte praerogatiua erat.* Ex his verbis apparet, me priorem locum interpretatum esse, posteriorem emendasse; atque & Galeriam, & Veturiam his in locis nomina centuriarum esse censuisse. Tu vero quid ais? primum me vtrumq; locum, cum sine veterum librorum auctoritate pro centuria Galeriam, & Veturiam reposuerim, deprauasse; deinde Galeriam tribum, non centuriam esse; tum centurias nomine caruisse. Ad hæc igitur omnia ordinatim mihi censeo respondendum. Primum autem, cur tu me pro cẽturia restituisse Galeriam dicas, miror: neque enim hoc mea verba te docuisse possunt, cum videas me nihil aliud in eũ locum, quam hoc adscribere: Galeria nomen est centuriæ; quod cum dixi, quid Galeria esset, exposui, lectionis nihil mutaui. quæ lectio est non omnium solum, quos ego legi, manuscriptorum librorũ, sed etiam impressorum, vt mirer iterum, cur tu eam aut a me repositam, aut a te sublatam esse affirmes. præsertim cum satis Glareanus ostendat, in suis eam etiam se libris reperisse, cum scribit: *Ego sane quid Galeria sit, non intelligo. si equitum est ordo fortasse a Galero nomen habet.* Deinde non nego me in altero loco pro centuria reposuisse Veturiam, sed id veterum manuscriptorum librorum auctoritate. quos quod ipse non videris, damni nihil fecisse literas Romanas existimo. neque enim quid in iis esset boni, pro tuo ingenii acumine dispicere potuisses. at eos Bernardinus Lauredanus & Nicolaus Barbadicus, iuuenes, ingenii, doctrinæ, & modestiæ laude

laude excellentes, patritii Veneti, multique alii viderunt, teque in hac re cauillantem, demirati sunt. Hanc autem vtriusque loci antiquam fuisse lectionem, declarat Alexander ille, qui patrum nostrorum ætate vixit, ac libros Liuianos, quam nos multis in locis integriores legit. qui capite XVII. suorum dierum genialium ita ait: *Præter quas erat prærogatiua iuniorum, & seniorum, quibus Veturia & Galeria nomen.* Quorsum hæc? vt intelligas Veturiam, & Galeriam a me non ex ingenio, sed ex veteribus libris haustas esse; & Galeriam quidem a me conseruatam, Veturiam vero ex tenebris vetustatis extractam. Cur autem id fecerim, si veterum optimorum librorum, vt dixi, consensum tantum afferrem, satis me huic caussæ fecisse arbitrarer. nunc, si rationem quoque addidero, neminem de huius lectionis integritate dubitaturum existimo. Non est igitur dubium, quin Liuius vtroque in loco de prærogatiua centuria loquatur: nam & easdem ipse eodem in loco centurias vocauit, & tu pro Veturia, & Galeria centuriam reponis. Illud dubium est, an Galeria cum sit tribus (hoc enim etiam tibi tacenti facile concessissem) centuria esse possit, quod fieri non posse hac ratione confirmas. Galeria tribus est, ergo non centuria. Item, centuriæ XCIII. quæ erant classium partes, non habebant nomen, ergo Galeria non potest esse centuria. vtraque autem ratio expediri facile potest, si dicas centuriarum eadem, quatenus partes tribuum erant, fuisse nomina, atque tribuum. Sed quoniam multis partibus plures erant centuriæ, quam tribus, id quomodo factum sit, cum sis totius huius præclaræ antiquitatis ignarus, paucis exponam. intelligendum est igitur, vt paulo ante dicere institui, antiquam illam Seruii rationem, qui ad centuriata comitia populum in centurias per VI. classes diuisum vocauit, aliquantum post esse immutatam. Etenim populus in tribus dispertitus ita, vt singulæ tribus in multas pro classiũ ratione centurias diuiderentur, vocari cœptus est. atq; ita factum, vt in cẽturiatis comitiis & tribuum, & classium, & centuriarum habita ratio sit, atq; hoc est, quod dixit Liuius: Nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc est post expletas quinque & XXX. tribus, duplicato earum numero, centuriis seniorum, iuniorumq; ad institutam ab Ser. Tullio summam non conuenire: tribus enim ille quatuor fecit, neq; eæ tribus ad centuriarum distributionem, numerumq; quicquam pertinuere. Hinc etiam illa scripta sunt apud Pædianũ de tribu prærogatiua. *Prærogatiuæ sunt tribus*, inquit, *quæ prima suffragium ferunt ante iure vocatas. mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri. quorum tribus prærogatiuæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent consules fieri; secundæ, iure vocatæ, quod in his, sequente populo, vt sæpe contingit, prærogatiuorum voluntatem, iure omnia complerentur.* Idem ex Planciana

Ciceronis intelligi potest, vbi de Comitiis centuriatis cum loquatur, centuriam prærogatiuam vnius tribus partem vocat. *Sed cur ego*, inquit, *sic ago? quasi non comitiis iam superioribus sit Plancius designatus ædilis. quæ comitia primum habere cœpit consul, legum ambitus auctor. deinde habere cœpit subito, præter opinionem omnium. vt ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spatium comparandi. vocata tribus, latum suffragium descripta, renuntiata, longe plurimum valuit Plancius. nulla largitionis nec fuit, nec esse potuit suspicio. an tandem vna centuria prærogatiua tantum habet auctoritatis, vt nemo vnquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit? tu autem his comitiis consularibus, aut certe in illum annum ædilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, sed vniuersus populus voluntatem suam declarauerit? cuius in honore non vnius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint prærogatæ.* Ex his verbis patet, vocatas tribus esse, easque centuriatim suffragium dixisse; quæ autem prima centuria rogata est, eam prærogatiuam, atque vnius tribus partem nominatam. Eodem pertinent etiam comitia Dolabellæ consularia, de quibus Cicero in II. in Antonium: *Ecce Dolabella comitiorum dies. sortitio prærogatiua, quiescit. renuntiatur, tacet. prima classis vocatur. deinde, vt assolet, suffragia. tum secunda classis* Prærogatiuam enim renũtiatam esse ait ante primam classem, quia vocatis tribubus XXXV. sorte vna tribus educebatur, quæ, quod prima rogaretur, prærogatiua dicta est, cumque singulæ tribus centurias maxime haberent duas, vnam seniorum, alteram iuniorum, sorti etiam permittebatur, vtra prærogatiuæ tribus centuria esset prærogatiua; quæ centuria prærogatiua cum suffragium dixisset, deinceps reliquæ centuriæ non sorte, sed iure, id est, pro ordine classium vocabantur. Hinc mentio est tribuum etiam in centuriatis comitiis, vt cum inquit Suetonius, Cæsarem edidisse per libellos circum tribum missos, scriptura breui: Cæsar dictator ille tribui. Commendo vobis illum, & illum, vt suffragio vestro dignitatem suam teneant, & Cicero de comitiis consularibus Milonis, Clodium tota comitia suis humeris sustinuisse, conuocasse tribus, se interposuisse, & Lucanus:

Fingit solennia campus:
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana versat in vrna.

Idem significatur etiam lib. III. de legibus, his verbis. *Populi partes in tribus distribuunto, exin pecunias, æuitates, ordines partiunto*, id est, *primum in tribus, deinde in centurias ex censu, ætate, & ordine distinctas.* His rebus expositis nunc Liuianos locos explanemus. Fac igitur populum R. in campo suffragii dicendi caussa conuocatum, iamque sorte eliciendam esse prærogatiuam centuriam, ea certe triginta quinque tribuum vna sortienda est. Sit ergo sorte extracta Galeria tribus, ex qua prærogatiua centuria educatur.

Huius

Huius cum, vt reliquarum tribuum, maxime centuriæ duæ sint, vna seniorum, altera iuniorum, exierit iuniorum cẽturia, quæ prima omnium centuriarum suffragium ineat, & prærogatiua sit. tũ vero hanc nonne centuriam Galeriam poterimus, quomodo Liuius non inauit, nominare, id est, centuriam ex Galeria tribu sorte eductam? præsertim cum dicat Liuius: *Galeria iuniorum, quæ sorte prærogatiua erat. non enim iuniores, aut seniores ad tribus, sed ad centurias pertinent, in diuidendis enim tribubus non habetur ratio ætatis, sed in centuriis.* Idem dico de Veturia, quam eadem ratione feci centuriam, qua Galeriam. cum dicat Liuius: *Prærogatiua Veturia iuniorum declarauit T. Manlium consulem.* Item: *Redire in suffragium Veturiam iuniorum iuberet.* Item; *Veturiam seniorum citaret.* Item: *Citatis Veturia senioribus.* Item: *Centuria auctoritate viri mota* (sic eam ille appellauit.) *Veturiam enim centuriam interpretor centuriam sorte e Veturia tribu eductam.* Dices fortasse, vnde Veturiam tribum esse accepisti? vnde, nisi ex veteribus lapidum monimentis? in quibus est Veturia, Vet, & Vot.

SEX APVLSIVS *SEX F. VET.* *BÆBIVS.* &c.

C. CASSIVS C. F. *VET. MODESTINVS*

SEX CALPVRNIVS *SEX F. VETVRIA* *QVINCTIANVS* &c.

P. MARIO VOT. *LVPERTIANO EQVITI* *ROM.* &c.

CN. SERGIVS CN. L. ANTHVS *PATER AVGVSTALIS FECIT* *CN. SERGIO CN. F. VOT.* *PRISCO F. SVO PRÆTORI* *SACRIS VOLCANI* &c.

Quarum inscriptionum tres ad me misit Onofrius Panuinus vir & doctrina, & fide singulari præditus, quarta est in libro Antiquarum inscriptionum, quinta in iucũdi. Voturiam autem pro Veturia dictam esse apparet, quomodo Veturios pro Veturiis dictos apud Sosipatrum legimus. Lapides autem ipsos Liuiani huius loci confirmat auctoritas, quem tu, quod Veturiam tribum esse ignorares, & quod centuriam tribus esse partem posse nescires, peruertendum tibi existimasti, & centuriam reponendum duxisti. Nam quod cẽturias nomine vacasse opponis, id alia etiam ratione refelli potest. Scribit enim Festus ita: *Niquis sciuit centuria est, quæ dicitur a Ser. Tullio rege constituta, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua, ne quis ciuis suffragii iure priuaretur. sed in ea centuria neque censetur quisquam, neque centuria præficitur, neque centurialis potest esse, quia nemo certus est eius centuriæ.* Atque cum hæc ita sint, audes tamen illud dicere: Dii boni quam imperitus est iste Sigonius, quam nullo iudicio præditus? cur ita Robortelle Sigoniomastix? quia ego non, vt tu, præclara antiquitatis

Digitized by Google

monimenta reuello? quia Liuianam puritatem contra licentiam imperitorum defendo? quia artem istam tuam emendandi contemno? Nam quod ais, te ab ira continere non posse, quia studiosorum antiquitatis vtilitati est consulendum, vide ne iustius irascaris, quod id gratis vir nullum adhuc studii, atque ingenii parare tibi adiumentum potueris, quo recondita, atque obscura hæc Romanarum literarum monimenta cognosceres. Nam, cum his talis, bonam tuam istam erga nos voluntatem studiosi antiquitatis respuimus. ac tibi, & tuis, quos hac doctrina infatues, libenti animo remittimus. Quamobrem quod addis, te putare, me, cũ hæc scripsi, somniasse, scito me vehementer gaudere, cũ somnia mea multo, quam vigiliæ tuæ, sint meliora. neque enim nisi ipse vigilans dormientis similis esses, Galeriam, & Veturiam centuriam ex Liuiana historia sustulisses. Ad id autem, quod concludis: *Planè nullo iudicio præditus es, o Sigoni. Ignosce quæso. cogor enim vera dicere, ne tuis istis correctionibus aliquis parum cauto imponas. sic habito. me animum istum tuum nulla ex parte fucatum, ac simulatum, sed simplicem, atque apertum iam pridem non solum admirari, sed etiam amare. cumq; ipse sis eiusmodi, credere etiam, te ceteros, qui eodem candore animi præditi sint, studio, ac beneuolẽtia prosequi. inter quos tu me habeas necesse est. me enim ipsum cum natura talem fecit, tum etiam institutio confirmauit, vt simulare nescirem. Quamobrem & tu meum accipe de te iudicium, non odio, nec maleuolentia vlla, sed re ipsa & veritate firmatum. Ego vero in te nullum ingenii, literarum, eloquentiæ, iudicii, humanitatis lumen, ac ne scintillam quidem vllam elucere existimo: quodque ego sentio, id omnes mecum homines sentiunt, vt cum omnibus cognitus sis, nemini imponere, quanquam impudens, possis.*

IN CAPVT XXXIII.

Loci Poetices Aristotelis noua expositio defensa, aliena reprehensa. & qui fuerint tres histriones a Sophocle inducti.

CAPVT XXXVI.

VEnio nunc ad locum poetices Aristotelis, quem idcirco a me non esse intellectum arguis, quia a tua interpretatione discessi. Loquitur Liuius lib. VII. hoc modo: *impletas modis saturas descripto iam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant.* Liuius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor, dicitur, cum sæpius reuocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis vsus impediebat. inde ad manum cantari histrionibus cœptum, diuerbiaque tantum ipsorum voci relicta. His quam vero tam tenebris lumen aliquod me afferre oportere putaui ...

scienti[illegible]

Tibi iis ita scripsi: *Horum verborum sensus est. Primum ludiones ex Etruria acciti sine carmine ad tibicinis modos saltarunt. post versus, sed inconditi, & motus a voce non absoni accesserunt. tum diligentia quoque maior adhibita est.* non enim Fescennino similes versus, temere compositus, ac rudis, vt ante, allatus est, verum descripto ad tibicinem cantu, saltuque congruenti satyras peregerunt. Quo fit, vt mos ille explicetur, qui ab Aristotele in Poeticis recitatur, veteres mimicam histriones imitatos esse ῥυθμῷ, ἁρμονίᾳ, καὶ λόγῳ, id est, saltu, concentu, & versu. atque eorum primum duo genera extitisse, vnum eorum qui tibiarum modis, alterum eorum, qui pedum motibus, verbisque imitarentur. deinde vero tria euasisse, tum cum alius saltare, alius canere cœpit. cuius initium moris tribuit Liuio poetæ hic auctor, Sophocli autem in tragœdia Aristoteles, cum ait ab eo inuentum esse τὸ τριταγωνιστεῖν. Hæc ego tum ita Tu vero hæc: *Etiam ex hoc facile perspicient omnes, quam imperitus sit Sigonius, quam nullo, (vt toties dixi) iudicio præditus in literis. Aristoteles quidem o Sigoni in Poetica ait, Sophoclem auxisse numerum histrionum: cum enim Æschylus ante primus auxisset vsque ad duos, Sophocles tertium addidit. Sicque tres histriones primarum, secundarum, & tertiarum partium esse cœperunt. Verba Aristotelis sunt hæc.* καὶ τό τε τῶν ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστεῖν παρεσκεύασε. τρεῖς δὲ καὶ σκηνογραφίαν Σοφοκλῆς. *Hæc quidem ita sese habent. Sed aliud est, quod narrat ab Andronico factum Liuius,* &c. Nunc ad hæc tibi respondebo, si prius meam in hac contentionis ratione conditionem deplorauero. quid enim agam Robortelle? de literis ne idem, quod tu, sentiam è contumeliis me continuo tuis onerabis, neque sermones etiam tuos similitates suscepisse teste aliquo confirmabis; non idem? me continuo, quod a te dissentiam, oppugnabis. *Age enim, cur locum Aristotelis in poetica non intelligit Sigonius?* quia interpretem Robortellum reliquit. iam enim eandem sibi auctoritatem in libris Aristotelis exponendis Robortellus peperit, quam Simplicius, quam Alexander, quam Themistius, adeo vt ab eo sine periculo recedi via posse videatur. quid ait ille Robortellus? *Aristoteles histriones ibi primarum, secundarum, & tertiarum partium intellexit.* quomodo probat? nullo modo, non satis valere auctoritatem suam existimat. hoc tantum ait in Poeticæ commentario: *Æschylus primus duos inuenit histriones, cum ante adhiberetur tantum vnus. Sophocles vnum addidit histrionem [illegible], vt essent tres, cum tres histriones adhiberentur, [illegible] primi πρωταγωνιστής hac [illegible] omnia [illegible] cœpit appellari [illegible], quo [illegible] tempore Æschylus duos addiderit histriones ratione secundarii, [illegible] prælato ab Aristotele [illegible] Æschylum [illegible] [illegible], [illegible] per id enim [illegible] etiam [illegible] [illegible] patet. [illegible] etiam [illegible]*

hac apud oratores, vt aliquis primas ageret, alter secundas, tertius tertias. Ex his verbis, & quæ apud eum sequuntur, probatur, histriones aliquot fuisse primarum partium, secundarum, & tertiarum, at hoc ibi Aristotelem voluisse non probatur, tantum docet, Donato auctore, histrionem primarum partium eum esse, qui plurima loquatur, & sic deinceps. atque hos appellari a Græcis πρωταγωνιστὴν, δευτεραγωνιστὴν, τριταγωνιστήν. Attendite ergo consilium hominis, qui in loco controuerso, & cuius ipse sententiam nulla ratione firmauit, me, quia ab eo dissenserim, quasi eius opinionem improbauerim, reprehendit. nec intelligit. si Aristotelis ea sententia esset, Vincentium Madium acutissimi ingenii, & singularis doctrinæ philosophum meliorem non fuisse quæsiturum. Si ergo Madium a se dissidere, & se ab illo reprehendi non iniquo animo fert, cur me nō secum discrepare, qui ne nomen quidem eius profero, patitur? cur meam ille occultare sententiam vult, cum iste patefecerit suam? quæ tyrannis ista est Robortelle, nolle quenquam nisi te, quid sentiat, de literis aperire? Ego igitur ad imitationem respexisse Aristotelem puto, & tres fuisse tragicos primis temporibus histriones hoc modo intelligendum. primum vnum, qui idem tribus instrumentis imitaretur, cantu, harmonia, & saltu, vt de Dithyrambicis auctor certus est Aristoteles, deinde Æschylum tibicinem ab eo, qui caneret, & saltaret, postremo Sophoclem etiam a saltatore seiunxisse. Hoc enim etiam subsignificat Lucianus. πάλαι μὲν γὰρ αὐτοὶ καὶ ᾖδον, καὶ ὠρχοῦντο, εἶτα ἐπειδὴ κινουμένων τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν, ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπάδειν. αἱ δὲ ὑποθέσεις κοιναὶ ἀμφοτέραις, καὶ οὐδέν τι διακεκριμέναι τῶν τραγικῶν αἱ ὀρχηστικαί, πλὴν ὅτι ποικιλώτεραι αὗται, καὶ πολυμαθέστεραι, καὶ μυρίας ἔχουσαι μεταβολάς. & Athenæus libro decimoquarto: συνέστηκε δὲ καὶ σατυρικὴ πᾶσα ποίησις τὸ παλαιὸν ἐκ χορῶν, ὡς καὶ ἡ τότε τραγῳδία. διόπερ οὐδὲ ὑποκριτὰς εἶχον. Quare si verbis Aristotelis, & Luciani, & Athenæi, & antiquæ demum consuetudini congruentem interpretationem attuli, quid est, quod eam, quia cum tua dissentiat, reprehendas? Quod autem ego τριταγωνιστὴν a Sophocle inuentum dixi, non tertiarum partium histrionem. vt tu, intellexi, sed omnino tertium histrionem: dixit enim Aristoteles: τρεῖς δὲ ὑποκριτὰς ὁ σοφοκλῆς. Neque vero eodem in loco tibi etiam assentire possum, qui λέγειν πρωταγωνιστὴν sermonem histrionis primarum partium interpretaris, sed Madio prudentissimo viro, qui prologum. Nam post, vbi de comœdia loquitur, sic ait: τίς δὲ πρόσωπα ἀπέδωκεν, ἢ προλόγους, ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἠγνόηται. id est, Non traditur de Comœdia, vt de Tragœdia, quis inuenerit personas chori, quis prologos, quem in Tragœdia appellauit λέγειν πρωταγωνιστήν, quis histrionū multitudinē, vt est ab vno ad tres peruenerint. cum ergo omnia omnibus, & singula singulis respondeant, facile quid ipsa sint, altera ex alteris intelligentur.

IN CA-

IN CAPVT XXXIV.

Liuiani loci emendatio defensa, aliena vituperata.

CAPVT XXXVII.

DEinceps sequitur, vt defensionem adscribam eius loci, quem me ex II. Liuii libro depeauasse calumniatur, atque eundem illum ab ipso, vt alios multos, non intellectum ostendam locus est hic: *Tres fuere sententiae, P. Virginius rem non vulgabat, de iis tantum, qui fidem sequuti P Seruilii cos. Volsco, Sabino, Auruncoque militassent bello, agendum censebat; T. Lartius totam plebem aere alieno esse demersam, nec sisti posse, ni omnibus consulatur. Ap. Claudius & natura immitis, & efferatus: Agedum,* inquit, *dictatorem a quo prouocatio non est, creemus. Iam hic, quo nunc omnia ardent, cõticescet furor, pulset tum mihi lictorem, qui sciat ius de tergo, vitaque penes vnum illum esse, cuius maiestatem violauit.* Ex his verbis apparet tres sententias esse dictas de plebe ob æs alienum militiam detrectante, vnam a Virginio, qui parti plebis satisfaciendum esse censebat; alteram a Lartio qui omnibus; tertiam ab Appio, qui nemini. Quid de his sententiis iudicatum sit, deinceps exponit Liuius, sed ea verba aliter ab aliis interpuncta diuersam edunt sententiam. Sic legit Rhenanus: *Multis, vt erat, horrida, & atrox videbatur Appii sententia, rursus Virginii, Lartiique exemplo haud salubres. utique Lartii putabant sententiam, qua totam fidem tolleret: medium maxime, & moderatum vtroq; consilium Virginii habebatur.* cuius lectionis hic est sensus. *Appii horrida, & atrox sententia, rursus Virginii. Lartiique sententiae exemplo haud salubres videbantur, utique Lartii putabant sententiam, qua omnem fidem tolleret. medium maxime habebatur Virginii ingenium.* Quam lectionem ego non probaui, quia sequitur, vt Virginii sententiam primo vituperet, cum ait exemplo haud salubrem fuisse, deinde laudet cum ait: moderatum vtroque Virginii consilium habitum esse, & vt bis de ea, & Lartii sententia iudicet. Ea caussa fecit, vt meliorem multo eam esse lectionem duxerim, quam ego in aliquot manuscriptis libris reperi, hoc modo: *Multis, vt erat, horrida atque atrox videbatur Appii sententia, rursus Virginii, Vetusiique exemplo pernitiosa. Haud salubrem utique Lartii putabant sententiam, qua totam, &c.* hoc sensu. *Appii sententia horrida, & atrox videbatur, & eadem rursus Virginii, Vetusiique exemplo pernitiosa. Lartii sententiam haud salubrem exemplo putabant. Virginii moderatum vtroque habebatur ingenium.* Quod autem ait, pernitiosam Appii sententiam visam Virginii. Vetusiique exemplo, consules, qui tum erant, intelligit, qui cum cogere, vt Appius censebat, plebem in bellum voluissent, nihil proferant, atque consularis maiestatis ius imminuerant. Sic enim scribit Liuius: *Redeunt in tribunal consules, citare nominatim vnum ex iis, qui in conspectu erant, dedita opera iubent; cum staret tacitus, & circa eum aliquot hominum, ne forte*

violaretur, constitisset globus, lictorem ad eum consules mittunt. quo repulso, tum vero indignum facinus esse clamitantes, qui patrum iis subsidio aderant, deuolant de tribunali, vt lictori auxilio essent. Sed a lictore nihil aliud, quam prehendere prohibito, cum conuersus in patres impetus esset, consulum intercursu rixa sedata est. Apparet ergo, vt Appii sententia atrox esset. cum animaduerti velet in detrectantem militiam plebem, & vt perniciosa, Virginii, & eiusque consulum exemplo, qui id cum summa patrum ignominia frustra tentauerant. Hanc autem lectionem vituperat Robortellus duabus rationibus. primum, quod ex coniectura pro Lartii Vetusii reposui, id quod fateor. Sed id librarii vitium fuisse, inde suspicor, quod vox Lartii statim subsequitur, ad quam ille respiciens pro Vetusii, Lartii scripsit. Id autem hoc nouum ei videri demiror, qui artem addendi, adimendi, mutandique ad arbitrium edidit. deinde, quod formulam loquendi Liuianam non agnouerim, quam formulam repraesentari lectione, quam ipse protulit, ait: ea vero est hæc: *Mulius, vt erat, horrida, atque atrox Appii sententia videbatur, rursus Virginii, Lartiique, exemplo haud salubrem vtique Lartii putabant sententiam, & quæ, &c.* Est autem, inquit, loquendi ratio eleganter per collectionem primo, mox per distributionem, perplexa quidem & obliqua, sed apta ad orationem grandem conficiendam. Ego autem, vbi attente hanc dicendi formulam, atque ea, quæ citat, exēpla consideraui, alienissimam, & minime ferendam sententiam ex hac promi lectione inueni. Exempla autem eius hanc habent vim, vt collectio suum habeat verbum, & distributio fere suum. vt illud Aristotelis: *γενομένης οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς καὶ αὐτὴ, καὶ κωμῳδία ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ ηὐξήθη.* Et Virgilii illud:

Eam circa Milesia vellera nymphæ
Carpebant, Drymoque, Xanthoque, &c.
Cydippeque & flaua Lycorias, altera virgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores.

Item:

Compulerantque greges Corydon, & Tyrsis in vnum,
Tyrsis oues, Corydon distentas lacte capellas.

Item:

Et manibus iam tangeret æquis.
Læua aciem ferri, dextra, neruoque papillam.

Item:

Iamque neci Sthenelumque dedit, Tamyrimque, Pelumque,
Hunc congressus, & hunc, illum eminus.

Item:

Hunc illa exceptum traiicit;
Protinus Orsilochum, & Buten duo maxima Teucrum
Corpora

Digitized by Google

Corpora: sed Rhoeten auerso cuspide figit.
Os, pectumque fugiens.

Item:

Prolem Dolicaonis Hebrum.
Sternit humi, cum quo Lutagum, Palmumque fugacem.
Sed Lutagum saxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat, os, faciemque aduersam, poplite Palmum:
Succiso voluit segnem sinit. Item:
Interea biiugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger, sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.

Item:

Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in aruis &c.

Habet ergo in his exemplis collectio verbum suum, plerunque etiam distributio. nunquam autem est sine proprio verbo collectio. At in hac oratione Liuiana, quam his Vergilianis similem esse vis, collectio nullum habet verbum, nisi ex superiore mẽbro alienum assumat, hoc modo. *Appii horrida, & atrox sententia videbatur rursus Virginii, Lartiique. subaudi, sententia horrida, & atrox videbatur.* hæc enim collectio illa est, de qua dicit Robortellus, cui subsequẽs est distributio suo ornata verbo, exemplo haud salubrem putabant Lartii sententiam, Virginii moderatum vtroque consilium habebatur. Quod si collectio proprio caret verbo, nihil eum hæc exempla ad hanc emendationem inferendam adiuuant, imo omnia superuacanea sunt; si ex superiore membro. (non enim ex inferiore potest, quod exempla Virgiliana demonstrant) alienum verbum mutuatur, dico alienissimam, & fœdissimam sententiam inferri, vt æque atrocem, & horridam Virginii, & Lartii sententiam appellet, qui aut patri, aut omnibus satisfaciebant, atque Appii, qui nemini, & qui dictaturæ terrore in terga plebis dicto non audientis minabatur. adde etiam expositionem illam Liuii alienissimam. Cur enim horrida & atrox Lartii sentẽtia? quia exemplo haud salubris, quia tollebat omnem fidem. Cur Virginii? quia moderatum vtroque ingenium erat: O Liuium stultum, si hæc voluisti, sapientem Robortellum, si hoc eum voluisse credidisti. Ergo aut exempla tibi meliora, atque aptiora quærenda sunt Robortelle, aut mea lectio, quam improbas, approbanda.

IN CAPVT XXXV.

Loci Liuiani correctio defensa. Qui sint nexi apud Liuium.

CAPVT XXXVIII.

DEinceps defendenda est emẽdatio altera ex eodem lib. T. Liuii Sic ille: *Ad hæc visa, auditaque clamor ingẽs oritur. nõ tã foro*

Digitized by Google

se tumultus continet, sed passim tota vrbe nexu vincti solutique se vndique in publicum proripiunt. Ego emendaui: *Nexi vincti, solutique.* primum autem rationem, cur ita fecerim, exponam, deinde ad ea, quæ Robortellus opponit, respondebo. Positum ergo hoc sit, nexum dici eum, vt ait Varro, qui liber suas operas in seruitute dat alteri pro pecunia, donec soluerit creditori. Eorum autem duo genera esse inuenio, vnum eorum, qui inuiti seruirent, alterum, qui volentes, quorum illi vincti, hi soluti dicuntur. Inuitos seruisse multos, ostendit seditio, de qua eo loco Liuius. sponte autem nonnullos, idem libro VIII. *Eo anno initium libertatis factū est, quod ligari nexi desierunt:* Item: *Cui cum se C. Publilius ob æs alienum paternum nexum dedisset.* Item: *Ita nexi soluti, cautumque in posterum ne necterentur.* Hic nexos accepit non pro vinctis, sed pro iis, qui operam suam præstarent pro pecunia, quam deberēt, quos cautum ait, ne, vt ante, in vinculis a creditoribus haberentur, hos Zonaras, vbi hac de re loquitur, τοὺς ἐξ ὑπερημερίας κρατουμένους vocat, id est, qui, quod ad præscriptam diem non soluissent, in potestate essent. Hoc autem Liuius libro VII. dixit, inire nexum. *Non eadem domi*, inquit, *quæ militiæ erat fortuna reip. Nam etsi vnciario fœnore facto leuata vsura erat, sorte ipsa obruebantur inopes nexumque inibant.* Non omnes etiam nexos in vinculis a creditoribus habitos esse, ostendit Liuius hoc loco, cum ait: *Hoc proposito edicto, & qui aderant, nexi profiteri extemplo nomina, & vndique ex tota vrbe proripientium se ex priuato, cum retinendi ius creditori nō esset, cōcursus in forū fieri. Nā si nexi aliquot, tū cū edictū propositū est, in foro aderāt.* Ergo nō in vinculis erāt. Emēdaui ergo his rationib. adductus, *Nexi vincti, solutique, nexos accipiens eos, qui ob æs alienum operas darent vel vincti, id est, inuiti, vel soluti, id est, sponte.* Ex quibus verbis satis intelligi potest, id quod a me quærit Robortellus, quemadmodum ego nexos a vinctis distinguam, ille enim nexos pro ligatis accipit. Nam quod ait, *Nexu vinctos dictos a Liuio, ea ratione, qua nexu obligati a Cicerone*, *respondeo errare illum vehementer.* Nam cum inquit Cicero pro Murena: *In iis rebus, quæ mancipi sunt, is periculum iudicii præstare debet, qui se nexu obligauit, aliud longe est, atque id, quo de nunc agimus. est enim obligare se nexu, euictionem* vt ait Budæus, *se præstiturum spondere.* Si ergo alia significatio est, ergo aliam etiam formam esse dicendi nō est, vt mirabile videatur. Multoque minus ad hanc rem pertinet id, quod dicitur, Aliquid nostrum esse mancipio, & nexu, quod ille præter rem, vt solet omnia, affert. Cumq. ipse exponat nexu vinctos, id est, qui corpus ob æs alienum tradiderant creditori in seruitium, in publicum concurrisse, quærit a me, quomodo, si vincti erant, potuerint se in publicum proripere, quasi vero non eadem ipse difficultate vrgeatur, nisi vero nexos omnes ea seditione spōte operas præstitisse velit, cum seditio ea ex eo, quod acerbius in

ergastulis

ergastulis tractarentur a creditoribus, exarserit. Et quoniam idem libro 8. vbi scriptum est: *Nexi soluti, cautumq; ne in posterum necterentur, Nexos solutos interpretatur liberatos nexu, & cautum, ne necterentur.* id est, *ne operam suam creditoribus praestarent*, cum ego de vinciendis, & ligandis iis dictum acceperim, audiat, quid ibi Liuius loquatur: Eo anno initium libertatis Romanae factū est quod ligari nexi desierunt. quae si verba mendosa esse velit, audiat, quid de eadē re Suidas scribat in voce χαῖ⊕ λαιτώει⊕ Καὶ δι' ἐκεῖνο τὸ πάθ⊕ ἅπαντες οἱ δουλωθέντες διὰ τὰ χρέα ῥωμαίοι νόμῳ ... ἐλευθερίαν ἐκομίσαντο. inquit enim omnes, qui in seruitutem adducti erant ob aes alienum, pristinam libertatem recuperasse, non ne operas praestarent, sed ne vincerentur, ac verberibus vt serui, caederentur. Haec dixi, vt quid tum me mouerit, ostenderem, non vt, si docti aliter sentirent, pertinacius eorum sententiae repugnarem. Quod autē concludit Robortellus: *Tantum illud addam, Sigonium, dum suo vsus est iudicio in emendando Liuio, non illum quidem emendasse, sed corrupisse in pluribus quam mille & sexcentis in locis, quod ego propediem patefaciam, mallem ab eo consideratius esse dictum.* non enim vereor ne homines id improbi conuiciatoris, & iniqui obtrectatoris maledictum potius, quam iustam alieni laboris reprehensionem sint existimaturi. cum videant, eum qui amplius mille & sexcentos locos Liuianos a me deprauatos se ostensurum profitetur, vix quindecim nominare in hoc libro potuisse, in quo ille ita cupide in me est inuectus, vt etiam ex alienis laboribus occasionem mei vituperandi quaesierit: nisi forte operariorum errata mihi ipsi, vt eum audio facere, ascripturus est.

IN CAPVT XXXVI.

Liuianae correctionis ratio reddita, & duo alia ex coniectura prolata.

CAPVT XXXIX.

DEinceps exponēda ratio est, cur apud Liuium ex iniquo suo, iniquissimo fecerim. Verba eius sunt lib. 2. Tributum iniquum suo tempore imperatum. Ego cum in omnibus manuscriptis libris. Tributum iniquum suo tempore imperatum reperirem, cumque Petrum Nannium se in codice Buslidiano, iniquo non suo, legisse affirmantem audirem, veritus, ne illa lectio, iniqua suo, ex alicuius ingenio potius, quam ex vetere lectione in verba Liuii irrepsisset, statui, aut iniquum tributum. i. impar censui suo imperatum a consulibus dici, tempore suo, i. dum militauit, aut, iniquissimo tempore, pro iniquum suo tempore, esse legendum. Caussas enim affert ille, cur aes alienum fecerit quia Sabino militans bello propter populationes agri non fructu modo caruisset, sed villa incensa fuisset, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquissimo tempore imperatum. i. minime opportu-

no, & idoneo sibi tempore. Robortellus autem, quod existimet me, iniquissimo tempore, ad temp. nō ad eum, qui loquitur retulisse, iniquo suo tempore maluit. quod, vt dixi, ab emendatoribus nonnullis ex iniquū suo factum esse apparet. Petrus quidē Nannius, cum, iniquum non suo tempore, legit, haud sane cum suo io Robortello consensisse ostendit. Nō probas igitur hanc coniecturam. dabo alteram, vt opinor, firmiorem, hac tamen conditione, ne mihi iniquo aliquo meo tempore eam mihi in maledictis obiicias. Lib. 41. quo ex libro mendas alias alio tempore sustuli, hæc verba sunt: *Deinde lege cauerent, ne quis quem ciuitatis mutandæ caussa suum faceret, neue alienaret.* Dico illud, *suum*, esse mendose pro *seruum*, quod ex compendiosa librarii scriptura natum est. Lex enim cauebat, ne quis filium seruum faceret, mutandæ ciuitatis caussa. Si quidem dixit, socios liberos suos quibuscunq; Romanis, in eam conditionem, vt manumitterentur, mancipio dedisse, eosq; libertinos ciues fuisse. post autem cautum esse ne quis seruum filium ea de caussa faceret. i. mancipio daret. & lib. 45. *Adeo quanta Macedonia esset, quam diuisui facilis, & a se ipsa quæq; contenta pars esset, Macedones quoq; ignorabant* puto restitui debere. *vt se ipsa quæq; pars contenta esset.* Loquitur de diuisione Macedoniæ, quam ita Paullus instituit, vt omnium inter se regionum commercia tolleret. Quod ante quam factum esset, Macedones ignorauerāt, id est, vt magna Macedonia esset, vt facile diuidi posset, vt, quæq; eius pars se ipsa contenta esset. quod est nihil aliud, nisi vt nulla pars alterius ope egeret. Atque hæc quidem coniectura duce dicimus, nam manuscriptos earum historiarum libros nullos inspeximus.

IN CAPVT XXXVII.

Tribuum rationem, & distinctionem, & Dionysii locos non fuisse intellectos, & quid de ea re constituendum sit.

CAPVT XL.

FRanciscus Robortellus adeo iugulasse me sua illa Galeria, quam apud Liuium centuriam esse exposui, sibi persuadet, vt ab eo dimoueri non possit. quin etiam rursus hoc capite eius rei meminit. Itaq; de hoc capite verbum nullum eram facturus, nisi nomen meum, & quidē aliqua cum contumelia cōtineret. Quod ne ei sit impune, quam prudenter, & perite scriptum sit, ostendamus. Primū ergo illud fecit scite Robortellus, quod Aniensem, & Collinam tribum esse lapide vno sibi confirmandum esse duxit. cum ea & multorum auctorū, & multorum lapidū, quos alii protulerunt, testimonio satis certa tribus sit. Deinde peritius alterū, quod tribus ex locis, & regionibus fuisse distributas dixit. nam id quidem primis, & maxime Seruianis temporibus tantum obseruatum

tutum est, vt qui vrbem incolerent, in quatuor tribus, quæ a quatuor regionibus vrbis nomen acceperant, coniicerentur, Suburbanam, Esquilinam, Collinam, Palatinam. qui agri partes, in alias tribus, quæ a locis appellatæ erant, transferrentur, prout quisque eas incolebat. At eam consuetudinem nō esse seruatam, inde apparet, quod vrbanæ tribus ignominiosæ haberi cœptæ sunt, rusticæ honoratæ, ita vt in vrbanis tantum humiles, & libertini, in rusticis honesti, & ingenui censerentur. nisi vero omnes, qui rusticas obtinebant tribus, rura habuisse, non vrbem velimus. & Verrem in Romilia tribu, vt censum esse, sic habitasse, itemque Sulpitium in Læmonia, Augustum in Scaptia; hæ enim omnes rusticæ fuerunt. Neq; vero hoc dicerem, nisi Robortellus quærens, cur pater Aniensi tribu sit, filius Collina. hanc caussam redderet, quod filius e domo paterna in aliam, quæ non eadem tribu continebatur, migrasset. quasi vero pater in Aniensi tribu extra vrbem habitaret, filius in vrbem commigrans, & in Collina domicilium ponēs, ius Collinæ tribus adeptus sit. & quasi habitatio, non censoria notio ius tribus dederit. Nam quod Dionysius vocat Seruianas tribus τοπικάς. recte ait: tum enim quā quisq; tribum obtinebat, in ea habitabat. Itaq; ad primam illam originem respiciens Gellius tributa comitia esse dixit, cum ex regionibus, & locis suffragium ferretur. Sed hæc omnibus nisi Robortello nota sunt. Eodē etiam capite illud falso scriptum est distributionē populi in classes, & centurias a Dionysio vocari γενικήν. Non enim hoc tradit Dionysius, sed inquit tribus Romuli tres fuisse γενικάς, Seruii quatuor τοπικάς, γενικὰς autem, i. per gentes, non, vt inquit Robortellus, ex censu, & ætate, quo nihil fingi potest absurdius. sed quod tribus tres fecit, triplicem gentium rationem sequutus, Ramnenses, Tatienses, Luceres. Ramnenses Romani erant a se vocati. quibus Palatium assignauit. Tatienses, a Tatio quibus Capitolium tribuit. Luceres reliquus aduentitius populus a Luco, in quem confugerant, quibus deinceps, vt quæq; pars vrbis addita, ita assignata est. Sed quoniam aduentitius populus veterē iam tandem multitudine superabat, placuit Seruio populum vrbanū in quatuor tribus conicere, & qui Capitolium, Palatiumque & quod est inter Capitolium & Palatium spatii incolerent, in Palatinam transtulit, qui Suburam tenerent, in Suburanam, qui Esquilias in Esquilinam, qui Viminalem, Quirinalemq; collem in Collinam. Quare illud γενικὸν Dionysii nō ad cēturias pertinet, sed ad tribus a Romulo institutas. Verba Dionysii sunt hæc: Καὶ οὐκ ἔτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλὰς τὰς γενικὰς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέτταρας τὰς τοπικὰς τὰς ὑφ' ἑαυτοῦ διαταχθείσας ἐποιεῖτο. Cur autem hæc non intellexeris, ea caussa est, de qua sæpius iam dixi: non enim Græca sine dictionarii ope intelligis, quanquam te in eo studio, vt in ceteris prudenter, & modeste venditas. Neque enim vllam esse

caussam video. cur tu in huius antiquitatis ignoratione versare-ris, cum satis plane Dionysius loquatur. Quare ego tibi auctor fuerim, vt ante vim verborum Græcorum discas, deinde te antiquitati interpretandæ tradas. Mihi vero Galeriam, & Veturiam interea explicandam relinquas, quas scio tribus esse, & libro 26. & 27. Liuii, tribus partes, atque centurias.

IN CAPVT XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. XLII. XLIII.

Sequentium sex capitum defensionem Manutio, qui in iis aut palam, aut obscure oppugnatur, relinquam. ipse nihil dicam.

IN CAPVT XLIV. ET XLV.

Loci Miloniani emendatio, & explanatio delusa, & melior allata. Ciceronis item duo alii loci emendati.

CAPVT XLI.

DEinceps locum corrigit in oratione pro Milone hunc: *Deinde, quis in eo pratore consul fortis esset, per quem tribunum virum consularem crudelissime necatum esse meminisset?* In quem ille ita: *Hic locus difficilimus est, si ita legas, & obscurus, multosque torsit: dubium enim est, quem Cicero vocet tribunum virum consularem. quomodo enim tribunus vir consularis esse dicitur, cum tanto ante consulatum gereretur tribunatus plebis. Alii aliter emendant. Sed ego puto legendum, tribunum, & virum consularem, addita in medio particula, Et. declaro autem locum. Atqui consules Clodium coercere nō potuissent, per quem ante meminissent crudelissime necatum tribunum, id est, Sestium, quem multis vulneribus confossum seminecem reliquit. & virum consularem, id est, Milonem ipsum, cui eo anno petenti consulatum, & semel renuntiato consuli fecerat insidias Clodius, prior vt perimeret.* Ex quo apparet Robortelli sententia tribunum Sextium necatū a Clodio dici, qui tantum vulneratus est, Milonem necatum a Clodio, quem Milo nullo vulnere accepto necauit, eund. in Milonem consularem appellari, qui μηδὲ ἐν ὀνείρῳ consulatum vidit. O acumen hominis incredibile. Hoc est artificium, quod te admirabile Patauii tradere paulo ante gloriatus es? quando alias aliquid tale dixit Cicero, quæ μετάθεσις est ista tua? vel potius personarum, temporum, rerumque μετάθεσις? non intelligis tribunum esse Clodium, consularē virum esse Ciceronem ipsum, Necatum exigua mutatione esse mendose pro Vexatum? opponi prætorem tribuno, consulem consulari, hoc modo? an si Clodius factus esset prætor, eum consules coercere potuissent, qui cum esset tribunus consularem virum me ipsum lege de exilio lata, crudelissime vexauit. nam si in minore magistratu consularem neglexit dignitatem, profecto in maiore a consulibus coerceri non potuisset. Quanta autem sit literarum similitudo inter u, & n, x & c, præsertim vero cum in ali-

quod etiam manuscriptis sit, necatum. quod propius ad x accedit, intelliges. Dixit autem in eadem oratione: P. Clodius cum statuisset omni scelere vexare remp. Vexare autem non poterat, nisi legibus, quo pacto vexauit etiam, vt quidem ipse ait, crudelissime Ciceronem. Quam autem vehemens verbum sit vexare, etiam per [illegible], declarat Gellius. Quare caue putes Robortelle, te rectè aut particulam, Et, interposuisse, aut personas, aut tempora, aut negotia, aut huius orationis artificium, quamuis artificiosæ auctor eloquentiæ intellexisse. Quod si particulæ interponendæ apud Ciceronem exemplum quæris, cur non affers id, quod est in 2. contra Rullum? Itaque excipitur hac lege non adolescentia, non legitimum aliquod impedimentum, non potestas, non magistratus vllus aliis negotiis, ac legibus impeditus, reus denique, quominus Xuir fieri possit. Siquidem legendum est, *Non reus.* nam etiam rei ne profiteri petitionem possent, impediebantur. vt de Catilina repetundarum reo dixit Salustius. & illud in Vatinium: *Quid quisq; nostrum de ipso loquatur, non est sane requirendum: boni viri iudicemus. id est, maximi momenti, & ponderis.* nam legere oportet. *quid boni viri.* Quod autem sequenti capite, legit apud Ciceronem in 3. de orat. ex Nonio, *Cum sint luminosæ, & quasi actuosæ partes duæ, cum in locum illum inciderem*, vbi se hanc lectionem probasse ait, neque enim memini tale aliquid apud eum legisse; neque enim eius scripta percurri; tum quid ipse sentiam exponam.

IN CAPVT XLVI.

Loci epitomæ Liuianæ emendatio defensa, aliena confutata. De legibus duabus ad petitionem consulatus spectantibus, & duo alii loci epitomarum emendati, vnus de Intercatia, alter de Q. Cassio.

CAPVT XLII.

DEinceps ad me redit, & vitio dat, quod locum epitomæ L. vitiosum non rectè emendauerim. is est: *P. Scipio Æmilianus, cum ædilitatem peteret, cos. a populo dictus, quoniam per decem annos fieri minime licebat, legibus solutus, & consul creatus.* Ego, quoniam legem de decem annis non obseruari, nisi in iis, qui iterum cepissent consulatum, sciebam; ea enim caueri, ne quis intra X. annos consul iterum fieret, cumque in manuscriptis libris aliis, tum maxime in vno, quem ipse habeo, & ei qui inspicere voluerit, libentissime, vt alia omnia mea, cōmodabo, legi animaduerterē, per annos, numero, Decem, omisso, non dubitaui, quin Germana hæc esset lectio, præsertim vero cum Scipionem tum XXXVII annos natum scirem, atque ædilitatem anno suo petentem viderem. Nam qui ædilitatem anno suo petit, is tum annali lege a consulatu repellitur. Neque vero me fugiebat, Martialem hic ge-[illegible] in commentario Lælii, & post eum Antonium etiam Bendi-

IN CAPVT XLVIII.

Loci Cæsaris emendatio derisa.

CAPVT XLIII.

VT scientiam alia, sic grauitatem Robortelli eximiam declarat caput 48 in quo Cæsaris locū emendat ex libro 3 de bello ciuili, huiusmodi: *Pompeiani, quod is mons erat sine aqua, diffisi ei loco, relicto mōte, vniuersi simul Larissam versus se recipere cœperūt.* Hoc modo legitur in omnibus, sed maxime in Aldino 30 ante annos impresso. Ille autem vt aliquid dicere videretur, & secundum Emendationum librum expleret, cum ei materia ad iustum libri corpus conficiendum deesset, extremo secundo libro huius loci meminit, & inquit, in aliis libris legi: *Vniuersi iuris eius Larissam versus. &c.* ac delendas esse voces illas *IVRIS EIVS* a librario in verba Cæsaris imprudenter illatas. Nec attendit, si voces illæ tollendæ sunt, eas iam ante annos 30 esse sublatas, si non tollendæ, se nihil, cur non sint tollendæ, afferre.

IN CAPVT XLIX.

Loci Quinctiliani correctio irrisa.

CAPVT XLIV.

PRæclarum etiam scientiæ suæ documentum reliquit sequenti capite, vbi locum Quintiliani deprauat ita, vt ne vestigium quidem Germanæ sententiæ relinquat. Verba sunt M. Cœlii in Antonium: *Neque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis præcordiis stertentem ructuosos spiritus geminare, præclarasque contubernales ab omnibus spondis transuersas incubare, & reliquas circumiacere passim, quæ tamen exanimatæ terrore hostium aduentu percepto excitare Antonium conabantur, nomen inclamabant, frustra ceruicibus tollebant, blandius alia ad aurem inuocabat, vehementius etiam nonnulla feriebat, quarum cum omnium vocem, tactumq; noscitaret, proximæ cuiusque collum amplexu petebat, nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat, sed semisomno sopore inter manus centurionum, concubinarumque iactabatur.* Ex his verbis illa mendose esse affirmat: *Quarum cum omnium vocem, tactumq; noscitaret.* legendum enim: *Quarum cum omnium voce, tactuq; excitaretur.* Demonstrabo sententiæ vulgatæ lectionis integritatem primum, deinde sanitatem mentis emendatoris huius aperiam. *Mulieres,* inquit, *Antonium excitare conabantur.* huc genus est. modus, voce, & tactu. voce, cum alia nomen inclamaret, alia blandius ad aurem inuocaret. tactu, cum alia ceruicibus frustra tolleret, alia vehementius etiam feriret. Ille autem, qui omnium earum vocem, tactumque noscitaret, proximæ cuiusque collum amplexu petebat. quid dici potest hac oratione planius, hac sententia melius? At ille inquit: *Ego puto legi debere: Quarum cum omnium voce, tactuq; excitaretur. Nam quis non videbit belle, quod illa sequuntur: Nec dormire excitatus. Quod si quis repugnet, & de-*

[.]andum, quod te miror oblitum esse, cum sine dubio, & hoc tibi [e]ruditissimus Casteluetrus narrare potuerit. meliore ergo conditione vlam esse Callistonem ait, quam Ledam, quamuis cum vtraque Iupiter concubuerit. Nam Callisto in vrsam conuersa, curis omnibus liberata est. quod autem eam humanam figuram forma feræ, villosis membris, & toruo leænæ oculo commutasse ait, satis apparet leænæ nomine eum esse abusum pro vrsæ. quod vtriusque beluæ toruus, & truculentus aspectus sit. quam licentiam, id est, vt a simili, & finitimo aliquid sumant, sibi poetæ liberius fortasse, quam necesse est, vt scis, vindicarunt. Hinc enim illa, *Pollux. pro Castore, Teucer, pro Dardano, Scylla Nisi, pro Scylla Phorci. Hectorea gens, pro Æneia, Pheneum, pro Palanteo, Sidonis Dido. pro Tyria.* & quæ sunt eiusmodi. Hic est meus sensus, quem satis omnibus patere existimo. tuus vero, vt opinor, hic. *Beata Callisto, quæ forma feræ, lanugine membrorum, toruo oculo figuram leuigaris*, id est, (vt tu ais) *illustras stellis, commutatis doloribus molestiæ.* qui sensus cum per se, tum maxime cum eo, quem ipse attuli, comparatus fœdus iudicandus est. deinde quid est illud ἐξαλλάξασ᾽ ἄχθεα λύπης, cum dolores molestiæ commutaueris? at quanto melius si dicas, Callisto cum muliebri figura abiecta ferinam formam, & pilosa membra, & oculos truces sumsisse, dolores reliquisse? atque hoc esse, in quo ei Helena inuideat, quod illa curis suis tandem aliquando liberata sit, ipsa vero corpore suo adhuc Troianos, ac Græcos perdat. Sed de tota hac re docti iudicabunt: ego enim Casteluetrum (vt dixi) virum summo ingenio, excellenti doctrina præditum tale quicquam dixisse, aut sensisse non existimo. Robortellum autem, vt est amicorum suorum perennis inimicus, hoc ipsum Casteluetri contumeliæ caussa, non honoris dixisse puto me autem mouent illa verba: *Ego nihil amplius hoc loco desiderari posse video. gratiam semper habebo Ludouico Casteluetro viro acerrimi iudicii, & singularis doctrinæ. Idq; ideo hoc ipsum literis testatum relinquere volui. Eodem modo errat Sigonius, & corrumpit Liuii verba libro 1. Nam, vt omittam dicere, quod cum Casteluetri beneficium vult ornare, astute solœcismo illo dehonestauit. Idque ideo hoc ipsum; quid est illud, Eodem modo errat Sigonius, nisi eodem modo, quo Casteluetrus? nam superiore capite nullum errorem exagitauit. hoc enim tantum dixit, Euripidis locum corruptum acutissime a Casteluetro esse correctum, post autem emendatione eius, vt opinor, falsa allata, subdit, Eodem modo errat Sigonius.* Errasse ergo etiam ait Casteluetrum. O stuporem hominis incredibilem, si hoc noluit, improbitatem admirabilem, si hoc modo amicum, & magistrum suum sibi laudandū putauit. calliditatem singularem, si literatum hominem hac inani laudis specie, ne quem relinqueret, quem nō aut aperte, aut clam perstrinxisset deluit.

Digitized by Google

IN CAPVT LI.

Liuiani loci emendatio defensa. vbi de Curtio equum in vado paludis deserente ait.

CAPVT XLVI.

DEinceps, vt vnde cœpit, eodem desinat, Robortellus Liuianum locum a Sigonio emendatum vellicare conatur, is est eiusmodi: *Equus Curtium in vado statuit* In hunc locum ita Glareanus: *Equum Curtius in vado statuit.* Hæc lectio, siquidem vetusta est, maxime placet, Sabellicus tamen eques Curtium, pro Equus Curtium in vado statuit, legendū putat. Ego vero ita: *Equus Curtium in vado statuit.* Hanc lectionem laudat Glareanus molestе: veteres enim libri habent, Equum Curtius in vado statuit ex quo intelligi potest, legendum esse, *Equum Curtius in vado destituit.* nam Plutarchus hanc sententiam ita vertit, καὶ τὸν ἵππον, ἑαυτὸν ἔσωσε, id est, destituto equo semet seruauit. Errori locum dederunt finitimæ illæ syllabæ do de. Aduersus hæc Robortellus: *Sigonius Liuii verba corrumpit, dum ad sententiam Plutarchi ipsa vult accommodare, cum tamen vterque diuersa protulerit: alios secutus auctores. sententia est, equum emersisse ex palude illa & statuisse Curtium in vado, id est, in loco tuto, ac minime profundo. Sigonius dum accommodat Liuii verba ad Plutarchi sententiam, ita emendat temere, coniectura vtens. Equum Curtius in vado destituit:* Sed hæc meræ sunt nugæ. nam omnes vetusti libri habent, vt ante ego retuli. Quæ sunt meræ nugæ Robortelle modestissime? primum vides in suo lib. ita legisse Glareanum, eamq; lectionē probasse, dum modo vetustatis auctoritate fulciretur. deinde in multis, quos ego inspexi olim manuscriptis libris, & nunc etiam in Mureti, scito ita esse disertissime. habes deinde sensum hūc optimum: *Monumentum eius pugnæ, vbi primum ex profunda emersus palude equum Curtius in vado destituit, Curtium lacum appellarūt.* Significat enim Curtiū euasisse incolumē, relicto in vado equo. atque icirco loco nomen inditum, vbi Curtius destituit equum. Habes eandem sententiā a Plutarcho confirmatam: quē animaduerti multa ad verbum e Liuio, quem etiam sæpe citat auctorem, transtulisse. Habes genus dicendi planum, & nulla sui parte nouum. vt illud paulo ante? *Cum fluitantem alueum tenuis in sicco aqua destituisset.* habes erroris similitudinē, *vado statuit, vado destituit* Quod si excutere velimus tuam, primū eam non in omnibus libris inueniemus, deinde quasi rationem equo tribuemus, vt equitem in vado collocarit. tum nouum, & inauditū hoc genus dicendi, equum statuere in vado equitem, inuehemus: postremo contra Plutarchi, qui multa a Liuio sumsit, sententiam, ex nullius autem scriptoris auctoritate incommodum sensum inferemus. Nam Dionysius Curtiū tandē ex palude cum armis emersum incolumem ad suos peruenisse scribit, ita: ὁ δὲ κύρτιος πολλὰ μογήσας σὺν χ...

[illegible]
sui vero non meministi: fuit certe Curtio commodius equum in vado destruere, quam in palude. Non probas ex coniectura syllabam addi similem præcedenti. an est hoc contra præcepta, an contra exempla tua? qui dictiones etiam integras mutari, versus integros adimi posse scriptum reliquisti. si hæc tibi nugæ visæ sunt, & quidem meræ, quæ librorum manuscriptorum auctoritate roborata, quæ Plutarchi iudicio confirmata, quæ vsitata loquendi formula comprobata, quæ sententia optima sunt innixa, quid de tuis, imo de tuis iudicabimus, quos leuissima sola semper coniectura commotus, adducis? *De eane, in concione; equites Rom. militares, equites Ro. annos LIV. Caldatum, Calda lotum, Annus ius, ab vrbe, tactum noscitaret, cantu excitaretur*, & ceteris eiusmodi?

IN CAPVT LII.

Fufetium, non Suffetium, esse scribendum, & tam Mettium, quam Metium scribi posse.

CAPVT XLVII.

DEinceps duo in me reprehendit; vnum, quod Mettium duobus T non vno scribi debere putarim: alterum quod Fufetium, non Suffetium scribendum censuerim. Quorum primū grauitatem eius indicat, scientiam alterum. Nam de Mettio nihil vnquam præceptorum dedi in meis autem scholiis, vbi eius mentio incidit, Metium scribēdum curaui, vt libro primo, vbi de Metio Fufetio, & lib. 4. vbi de Metio Vettio ita loquor: *VETTIVS MESSIVS.* Vtrumque nomen vitium continere suspicor, scribendumque Vettius Metius. est autem Metius prænomen, vt in Fufetio, & Curtio, & aliis. & tamen addit, me quia apud Græcos legerim μέττιος Mettium scripsisse. vbi hoc ego docui Robortelle? aut qui Græci sunt, qui ita scripserint? nam ego μέτιον, apud Plutarchum, ac Dionysium inuenio. Quare, vt vere dicam, quæ in extremo hoc libro scripsisti, haud dedita opera credo te hæc omnia conscripsisse, sed repente te ea, ne vacuas aliquot relinqueres paginas, ne locis quidem meis inspectis, comparasse. alioquin & paginæ, & versus, vt soles, numerum attulisses. Itaq; iam nunc desino mirari, cur cum contra Alciatū scriberes, illum ex tuis scriptis aliquid sumsisse insimulaueris, cum tu eadēmet scripta, quæ illum suffuratum tibi esse arguebas, non dum cum ille sua ediderat, edidisses, sed tum cum in Alciatum, & quidem, vt nunc in me, extremo Annotationum tuarum secundo libro, scriberes, in manu haberes. adeo te vel ambitionis, vel maledicendi libido sensu, memoria, & mēte spoliare solet; vt quid aduersarius tuus scripserit, aut memoria non teneas, aut si teneas, obtrectandi studio, nō admodum magni facias, an contra quam ille scripserit, tu eum scripsisse accuses. Memorem autem, & omni cupiditate vacuum

eum, qui alterum sibi maledictis figendum, vt tu me, suscepit, esse Robortelle oportet.

Venio ad FVFETIVM de quo tu ita: *Fufetium etiam scribendum censet, & ita imprimi iussit in suo, quia φυφέτιον videt scriptum ab Halicarnasseo. Sed cur non Bubetium etiam scribit Sigonius secutus Plutarchum, qui scribit vbique βυβέτιον. cur Halicarnasseum potius, quam Plutarchum sequitur?* Hæc ille: Ego primum quid scripserim indicabo, deinde quæ scripserim confirmabo. De Fufetio ita ego scripsi in scholiis Liuianis libro primo. ALBANI METIVM SVFETIVM CREANT.) Lege Fufetiū. nam Dionysius habet φυφέτιος, Plutarchus in libro τῶν παραλλήλων μίνον φυφέτιον appellat. Eodem modo Q. Fufius Calenus, non Fusius, vt vulgo, vocandus est. Quod ex Capitolino eius consulatu, & Græco Dionis libro intelligi potest. Hæc ego tum. His nunc adducere possum, habere me aliquot etiā Valerii Maximi exemplaria scripta, in quibus sit, Fufetius, non Sufetius. Libet autem hic Pierii Valeriani viri doctissimi iudicium, ac testimonium de Metio, & Fufetio afferre, vt ipse dum hæc reprehendis, quantum in obseruatione antiquitatis valeas, aliquando intelligas, atque vbi intellexeris, studiosius aliorum, & maxime vetera monumenta perlustres, & perlegas. Pierii in 8. Æneidos verba sunt hæc. *Cita Metiū in diuersa quadrigæ distulerant.*) Antiqui omnes codices, quotquot habui, Metum legunt dictione bisyllaba, quam alibi vnico T, alibi geminato reperias. mutilatamque esse dictionem caussa metri Seruius ait, dum ipse quoque Metum bisyllabum agnoscit: sane Mettius duplicato TT pluribus locis in veterum monumentis scriptum animaduerti, Placentiæ in D. Pauli templo. L. METTIVS L. F. duobus TT notatum est. & Romæ in ædibus Pauli Plancæ legere est, Q. METTIO. & P. METTIO. tametsi non ignorem, & Metia, & Metius vnico T alibi notatum. vtcunque vero primam in eo syllabam produci volunt. Sed enim hic minime præterire possum, quod peruulgato errore in Liuianis codicibus, & alibi passim Metius Suffetius per S prima litera scriptū est, cum dubio procul Fuffetius per F sit scribendum: ita enim apud Dionysium Halicarnasseum, & Græcos alios inuenias φουφέτιος. Præterea si qui noluerint Græcis adhibere fidem, ostendit mihi Ianus Parrhasius, vir vtraque lingua eruditissimus T. Liuii codicem vetustate venerabilem, in quo Fufetius scriptū erat prima litera per F non per S. quem quidem codicem nomina quædam speciosa Vindicianus, Nicomachus Dexter, & Victorianus se emendasse ascripserunt, idq; in Symmachorum gratiam fecisse professi sunt. Ad hæc & Nonii Marcelli vetustum codicem protulit, & alios quosdam auctores, in quibus eodem modo Mettius Fufetius scriptum habebatur. *Aiunt præterea Pomponium Lætum totius antiquitatis virum obseruantissimum, qui superioribus annis Ro-*

in Ro. gymnasio primas obtinuit sapius inclamare solitum, Fuffetius *brendum* Hæc Pierius. Quæ si tu legisses, aut nisi viri huius, imo horum auctoritatem, vt aliorum omnium, contempsisses, nunquã me, quod pro Sufetio Pufetium reposuissem, vt increpares, animum induxisses. Ex his autem illud intelligi potest, primam syllabam Metii apud Virgilium longam esse. cum tamen tu breuem decreuimes, cum ais, falsum esse, quod Mettius duob. TT scribi debeat, idque ex versu Virgiliano ostendi. *Haud procul inde cita Mettium in diuersa quadriga.* quomodo enim breuis ea syllaba esse potest in Metium. quem Seruius, attestantibus omnibus antiquis libris, agnoscit. deinde quid in tanto veterum librorum, doctorumq; hominum consensu de Fufetio respondebis, quem vbique a Plutarcho βουφέτιον nominari ais, idque falso, nam in libro quem protuli τῶν παραλλήλων φουφέτιον, idque, vt apparet, litera vna mendosa appellat? quam hinc ridicula esse illa videntur, quæ profers, βουφέτιος, σουφέτιος, Fufetius, Sufetius. at inquis erat etiam magistratus Carthagine, qui Punica lingua Suffetes dicebatur. ergo non inusitata erat talis pronuntiandi, & scribendi ratio. quid? ergo Albani, aut Romani linguam suam Carthagine vsque duxerunt? & Romana dicendi ratio ex Punica ipsa petita est? O prudentiam hominis incredibilem.

IN CAPVT LIII.

Patritios, etiam nouos homines fuisse, & M. Scaurum nouum hominem appellatum, & de quodam numismate Cæsaris.

CAPVT XLVIII.

SEquitur caput, in quo duos errores complexus es. Gaudeo, te tandem mihi amiciorem esse factum. qui enim erratum vnum in multa diuidere, vt plura viderentur, solebas, idem vno capite duo conclusisti, credo veritus, ne singula per se satis firma viderẽtur. Respondebo igitur ordine vtriq;. Verba tua sunt hæc: *Nouos homines non tantum e plebe, sed etiam patricios dici scribit Sigonius. nec intelligit Asconii locum, vbi de Scauro loquitur: Æque illi laborandum fuit, ac nouo homini. Nam Asconius non ait, illum fuisse nouum, sed æque illi laborandum, ac si fuisset nouus, nec vllas maiorum habuisset imagines.* Ad hæc ego breuiter: *Si vis Scaurum patritium virum idcirco, quia patricius erat, nouum esse non potuisse, vide ne fateri cogaris. eandem esse nobilitatem cum patriciatu, ac patricios omnes etiam sine magistratibus curulibus nobiles fuisse; si autem nobilitas non ex genere, vt in libro de nominibus latius ostendi, sed ex imaginibus, imagines autem ex sella curuli comparabantur, profecto qui primus e gente aliqua patricia magistratum ceperit, nouus erit.* at Scauri domus, inquies, multis tantum ante annis iacuerat, ita vt non ipse primus ex familia sua magistratum ceperit, quanquam pater, auus, proauusque nulla vitæ industria fuissent, ac po-

pulari luce caruissent, & propterea nouus non erat. Nouus ne, an nobilis fuerit, non disputo. hoc scio sæpius a Cicerone inter nouos homines, nunquam inter nobiles numerari. Habeo etiam auctorem Plutarchum, qui eum nouum hominem vocat in libro de fortuna Romanorum, his verbis: *Αἰμίλιος δὲ Σκαῦρος ἐκ ταπεινοῦ βίου καὶ ταπεινοτέρου γένους, καινὸς ἄνθρωπος, πρῶτος ἀπ' αὐτῆς ἀνεγράφετο τοῦ μεγάλου συνεδρίου.* vertam, vt intelligat Robortellus Græcarum literarũ, vt videtur, non adeo peritus: Æmilius vero Scaurus ex humili vita, & humiliore genere, nouus homo ab ipsa fortuna sublatus, princeps senatus lectus est. *καινὸν ἄνθρωπον*, nouum hominem appellauit. nam in Catone maiore ait: *εἰώθεισαν γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὑτῶν καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους.* Nunc venio ad alterum, de quo tu sic ais: *Numisma argenteum, in quo elephas est, cum hac subscriptione CÆSAR, ego domi habeo, & multi viderunt. a cuius altera parte scalprum, malleus, & veru sunt instrumenta, quibus olim Romani vsi sunt in elephantis perimendis, vt Liuius, & alii testantur. Nec est, quod Sigonius laboret in alio numismate peruulgato, & omnibus noto proferendo, in quo simpulum & aspergillum, aliaq; quæ spectant ad sacrificia, sunt.* ante ipsum alii hæc exposuerũt, & cognita sunt passim. Negas Robortelle nummum illum, in quo dixisti te inspexisse instrumenta elephantorum interimendorum, eum esse, quẽ ego imprimendum curaui, in quo instrumenta sacrificiorum sunt, huncque te domi tenere ais. Vix puto hominis esse homini alteri aliquid affirmanti fidem non habere. dicam tamen, quid ego a te & ceteri omnes exspectarint. si nummus talis inuenitur, cur non quo numismatum in libro esset, attulisti? neque enim hunc, quem tu possides, vnum in terris esse, verisimile est. neminem certe hactenus ex iis, qui eiusmodi studio tenentur, inuenis, qui se aliquando talem vidisse meminerit. Quamobrem ego dum nec illum videro, te vasa illa a scalpro, malleoque non satis discreuisse, non mentis, sed oculorum vitio existimabo. atque eos, a quibus rationem eorum vasorum accepisse significas, libentius, quam te audiero.

IN CAPVT LIV.

Liuianæ emendatio defensa.

CAPVT XLIX.

SEquenti capite Liuianam meam hanc emendationem mordet. Liuius lib. 5. *Strictum etiam telum, respersusq; ipse cruore tota in se castra conuertit.* Ego cum in plerisque libris manuscriptis triennio ante inuenirem: *Strictum etiam telum tenens*, id quod nunc etiam in Mureti libro inuenio, & cum Dionysium ipsum, cum de eodem homine, eademque re loqueretur, eam non prætermittere animaduerterem, ne prætereundam mihi quidem putaui. Dionysius enim ita: *τὴν μάχαιραν διὰ χειρὸς ἔχων, αἵματι πε-*

φυρμένην

ξιφήρης καὶ ἔναιμος. id est, manu cultrum tenens, totus sanguine fœdatus. ille autem omittendam esse censet, quia duo, inquit admirationem iniiciebant militibus, primum telum strictum, deinde ipse Virginius, *qui erat respersus cruore.* quod si addatur, dictio, *Tenens*, se non videre ait, quomodo locum habere possit altera dictio, ipse, quæ alioquin vim magnam habet in ea periodo. Ad quæ dico: *Virginium duobus modis castris admirationem incussisse, & quod strictum telum teneret, & quod ipse sanguine respersus esset.* quod autem ait, se non videre, vt vox, *Ipse*, locum habeat, nescio quos oculos habeat. qui non videant, aliud esse Virginium strictum telum tenentem, aliud Virginium ipsum, quod multo maius est, respersum cruore. neque enim Virginius aut cum telo, aut non respersus attulisset admirationem, sed cum strictum teneret gladium, & ipse, ne dum gladius, esset respersus sanguine, in se tota castra conuertit. Hæc si non vides, aut videre non potes, non est, quod in tantis veterum scriptorum tenebris ambules, aut aliis lucem ostendere cogites, quam ipse intueri prope cæcus non possis.

IN CAPVT LV.

Cur senatores patres, & patricii dicti sint, & quid sit Mores desidere.

CAPVT L.

Liuii locus est libro 1. *Centum creat patres. siue quia is numerus satis erat, siue quia soli centum erant, qui creari patres possent.* In hunc ego ita: *Sane legendum esse videtur: Qui ciere patres possent.* Sic enim libr. 10. *Qui patrem ciere possent, eos patricios esse appellatos.* Dionysius etiam, ac Plutarchus, vbi exponunt caussas, cur centum potissimum senatores, quos patres appellauerit, Romulus crearit, ita aiût: ὅτι πατέρας εἶχον ἀποδεῖξαι μόνοι, id est, quod soli centum patres nominare possent, quasi vero alij terræ filii essent. Aduersus hæc Robortellus robustissimas duas affert rationes vnam, quia licet patricii inde dicti sint, non tamen patres inde appellatos sentit Liuius; alteram, quod Dionysius opinionem hãc, qua multorum mentes imbutæ sunt, non approbat. Excutiã primum vulgatam lectionem, i. tuam, deinde confirmabo meam. Dionysi⁹ ciuitatẽ a Romulo in duas partes diuisam tradit, in plebeios, & patres; patres aũt dictos ait, vel quod ætate ceteris antecellerent, vel quod filios haberent, vel q᷑ generis splendore præstarent, vel, vt Romanorum obtrectatoribus placuit, patricios vocatos esse, quia soli ciere patres possent. quid Plutarchus? centum optimos fecit senatores, & eosdem patricios. cœtum autem eorum senatum appellauit. Patricios vero senatores vocatos aiunt, alii, quia iustorum filiorum erant patres, alii potius, quia ipsi suos ciere possent patres, quod non multis facere licuit, ex iis, qui in vrbem primi confluxerunt. quid Liuius? *Centum creat patres siue*

quia is numerus satis erat, siue quia soli centum erant, qui creari patres possent. patres certe ab honore, patriciiq; eorum progenies appellati. Cum ergo Dionysius, & Plutarchus probabiles aliquot caussas eius nominis Patrum attulerint, quam banc esse Liuianam dicemus? Patres creati centum sunt, quia soli centum erant, qui creari patres possent. at cur nō poterant ducenti, cur nō trecenti? quid est hoc? quid senatori cum patribus? *deinde quia est creari patrem quando dixit Liuius alias, aliques patres esse creatos? quod ergo nemo dixit & per se inane est, quod genus dicendi parum Latinum infert, id a Liuio esse dictum asseremus, vt Sigonio repugnemus?* At patricii inde dicti sunt, inquis, non patres. Respōdeo apud Romulum eosdem fuisse patricios, & patres, & senatores. Vides enim Dionysium, diuisam esse ab eo ciuitatem, dicere in plebeios & patres. qui sunt patres, an senatores? non, sed patricii. ibi enim discrimen gentium notat. quos vero patres appellauit, in reddenda eius nominis caussa patricios vocat. Vides Plutarchum eosdem senatores, & patricios factos dicere, cur autem senatores patricii dicti sint, caussas reddere. Tradit etiam Zonaras, auctor, vt scis, Græcus, qui non nisi ex bonis auctoribus hausisse suam historiam videtur, Romulum centum creasse senatores, eosque patricios appellasse. Lege Liuium, sæpe inuenies patres plebi opponi, non vt senatum populo, sed vt patricias gentes plebeiis. an vero cum toties inquit, consules factos, vnum e patribus, alterum e plebe, illum vnum ex senatoribus lectum significat? non certe at nonne etiam idem inquit, centum in patres esse a Prisco rege lectos, eosque minorum gentium appellatos, quos Cicero ad Pætum scribens, patricios minorum gentium nominauit? Fuerunt ergo Romuli tempore centū senatores, qui patres iidem, & patricii dicti sunt. itaq; idem erat numerus patriciorum, ac senatorum. progredientibus autem temporibus creuit numerus patriciorum. Nam filii, nepotesque eorum patricii fuerunt illi quidem, non tamen statim senatores. imo vero senatores etiam fuerunt, qui ne patricii quidem erant, sed plebeii. Ergo si Romuli tempore iidem sunt senatores, patres, & patricii. *cur centum patres*, id est, senatores legit Romulus? inquit Liuius: *quia vel is numerus satis erat, vel, quia soli centum erat, qui ciere patres possent*. atque hoc idem ostendit Liuius in 10. libro, cum P. Decium plebeiū ita loquentem facit, *Patricios quondam dictos, qui ciere patrem possent, se, quia patrem ciere possit, patricium esse*. At Dionysius, inquis, hanc opinionem non probat. at ne eam quidem probat Liuius, cum ait, *Siue quia soli centum erāt, qui ciere patres possent. patres certe ab honore dicti.* Sed faciamus hanc probari a Liuio, improbari a Dionysio? an hoc portentum tibi videtur? quot in rebus, & quidem grauissimis dissentiunt? lege commentarios meos, ibi quanta sit inter eos discordia demonstratum inuenies. quanquam si Dionysius eam non pro-

bauit, et probauit Plutarchus, non neglexit alio in loco Liuius, quid ergo reprehendis an quod ex CREARI factum est CIERE? qui locum hoc factum ab iis, qui verbum non adeo vsitatũ non intelligerent? Mirum hoc tibi videri demiror, qui pro militaris, quadragesimum sextum, pro *Aun sum, ab vrbe*, pro *Caldatũ, Caldaletum* nulla re, nisi infirmissima fretus coniectura, reposuisti, quæ est hoc fastidium rerum alienarum Robortelle, vt nostras res etiam fœdissimas tam auide complectamur, alienas vel pulcerrimas auersemur? Habet hæc lectio sententiam Dionysii, Plutarchi, Zonaræ, Liuii ipsius iudicio confirmatam, habet locutionem venustissimam, habet literarum paucarum mutationem facilimam. cur tibi, nisi quia Sigoniana est, sordeat, valde miror.

Eodem capite reprehendis, quod in procemio, desidentes mores, magis probauerim, quam dissidentes. Ego enim ita: *Velut dissidentes primo mores sequatur animo, deinde, vt magis, magisque lapsi sint, tum ire cœperint præcipites.* Probo doctorum quorundam hominum coniecturam, qui, *Desidentes*, legunt. Etenim subsequitur, vt magis, magisque lapsi sint, tum vt ire cœperint præcipites. Videtur enim eadem semper translatione res magis crescere, quam translationem, quia primo duriorem esse putauit, adhibita particula, *Velut*, molliorem fecit. quod in proprio dissidentes faciendum non fuisset. Est autem desidere leni quodam motu in semet concidere. Porro autem his verbis mutationes omnes Romani imperii breuissime cõplexus est. *Nam cum, Partum imperium*, ait, *interuallum illud totum indicat, quod a Romulo vsque ad Ap. Claudium intercedit, qui primus bellum extra Italiam Carthaginensibus fecit.* cum, auctam, tempus inde ad Carthaginem euersam notat: Desedisse vero tertia mores, intelligit, Gracchanis tẽporibus, lapsos magis esse Sullanis, præcipites isse, Cæsarianis. Quid reddit in his Robortellus? *Nescio quos, doctos*, inquit, *appellet. Certe liber a Melchiore Sessa editus, & emẽdatus a viris doctis, Desidentes, habet. Desidentes ego non probo. Dissidentes legi malim, vt est in vulgatis omnibus libris. vocat enim Liuius dissidentes mores, in diuersa euntes. vt de toga Horatius: si toga dissidet impar.* Quam grauiter, quam argute? Qui sunt isti docti? inquit. non Sessa Robortelle, quem tu vbique contumeliæ caussa iniuste nominas, cum me emendationes meas ex pessimo eius omnium libro collegisse significas, sed Theodoricus Morellus, cuius aliquot extant annotationes a Vascosano editæ. *Tibi autem dissidentes placet, nulla alia credo de caussa, nisi vt dissidentem a semetipso Liuium facias.* id est, in suscepta translatione non perstantem quod tu odio quodam in hunc auctorem potius adductus, quam ex animi sententia facis, & iniuste facis.

IN CAPVT LVI.

De solemni Fidei instituto.

CAPVT LI.

EXtremum hoc caput est, in quo in me acerbitatem euomat suam Robortellus. Locus est Liuii lib. I. *Vt tua signa nobis certa, ac clara sint.* In hæc ego: *Vetus quidam liber, vt audio, acclarassint, habet, quod est vetustum verbum, & solemni precationi conueniens.* Ille: *Meræ nugæ, omnes habent, vt in vulgatis.* quid? tu legisti omnes Robortelle? non certe: mihi vero se ita legisse vir & doctus, & bonus, cuius nomen reticeri, quia minime ambitiosus est, cupit, in libro manuscripto affirmauit, cuius lectionem significasse, quid Liuio nocuit? Vetusta quidem verba libenter Liuio præsertim solemnibus in precationibus, qualis illa est, vsurpari, ne tu quidem ignoras.

Eodem capite: verba alia Liuii lib. primo: *Augur ad læuam, eius capite velato, sedem cepit.* In hæc ego: *Hunc in modum distinguendum esse Rhodigino placuit, Plutarchi auctoritate adductio*, qui scribit in Numa: ἐνταῦθα τῶν μαντέων ὁ πρωτεύων τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παρεστὼς ἐξόπισθεν. Videtur enim Plutarchus (si modo recte est apud illum vox illa ἐγκεκαλυμμένον,) caput regis velatum fuisse, non auguris significare. *Me autem iuuat eorum esse sententia, qui ad læuam eius scribunt, & caput velatũ auguris intelligunt, quod infra dicat. Statua Attii capite velato in comitio fuit.* & libro X. *Si augur capite velato victimam cadat, auguriumue ex arce capiat.* Aduersus hæc doctissime Robortellus: *Plutarchus non dissentit a Liuio, sicuti Sigonius existimat. Nam legi debent illa verba, & interpungi sic: τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας, ἐγκεκαλυμμένος αὐτὸς, καὶ παρεστὼς ἐξόπισθεν. O erratum turpissimum Sigonii. qui tandem inter me, & te interest, nisi quod ego modestius de loci Plutarchi lectione dubitaui, quam tu audacius confirmas?* An hæc arma iccirco tibi tradidi Robortelle, vt in me ingratus ea converteres? Vltimus locus Liuii est: *Et soli fidei solemne instituit* In hũc ego: *Si in quibusdam manuscriptis est,* (vt audio) *Et simul fidei, non improbo.* Contra hoc Robortellus: *Ego, soli, legendum puto, quia non instituerat aliis diis solemne sacrum*, id est, anniuersarium. Deinde de voce solemni exempla, quasi id negetur, aut non ab omnibus, illo excepto, sciatur. Vt facilius ea, quæ dicam intelligantur, recitabo locum Liuii integrum: *Camœnis eum lucum sacrauit, quod earum sibi concilia cum coniuge sua Egeria essent, & soli Fidei solemne instituit.* Ego, quia soli Fidei solemne institutum ait: si vera narrentur a doctis, quos aliquando de literis disserentes audiui, in aliquot manuscriptis legi, Et simul fidei, malim ita: *Lucum Camœnis sacrauit, & simul Fidei solemne instituit.* Hoc rodit Robortellus, quam auide? primum solemne dicitur anniuersarium, Varrone, Virgilio, Liuio auctoribus, scio. *Soli autem Fidei legẽdum, quia non aliis diis solemne instituerat,* id est, anniuersarium. Videte ergo, quibus se laqueis irretiat Robortellus, & quibus

Digitized by Google

bis se angustiis, in angulo huius disputationis extremo, cōcludat, vbi ... in ... aria iugulietur, & se nihil scire fateri cogatur. Si demonstrauero, aliis etiam diis Numam solemne instituisse, id est, anniuersarium, profecto ipse se nihil in hoc genere scire confiteatur necesse est. Confitebitur autem? neque enim pugnax est, etiam id ita esse pro certo habet, iam tum, cum scribebat in me, non credebat, puerum enim me putabat, nunc virum expertus est. Scribit Dionysius Numam Terminalia diem festum Termino deo instituisse, cuius sacrum non solemne solum, sed etiam statum consecrauit. Idem scribit Fidei quoq; sacrificia publica, vt etiam aliis diis ... , afferam verba, ne fingere videar: ἱερὰς ἀπέδειξεν ἱερὰ ... ἔπεξεν αὐτοῖς ἐπιτελεῖν ἅπαντας ἡμέρᾳ τακτῇ ... τὸν τόπον συνερχομένους, ἑορτὴν ἐν ταῖς ... τῶν θεῶν ὁρίων ἐκ ... . ταύτην ... καλοῦσιν. & post. πρῶτος ἀνθρώπων ἱερὸν ἱδρύσατο πίστεως δημοσίας, καὶ θυσίας αὐτῇ κατεστήσατο, καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς δημοτελεῖς. Dic Robortelle, quid est, quod ait, Numam instituisse Termino θυσίας ἡμέρᾳ τακτῇ κατ' ἐνιαυτόν, nisi sacra stata, & solemnia, id est quæ certo die, quotannis celebrarentur? Aude nunc dicere, soli Fidei solemne institutum, aliis diis non item, & meam emendationem eo nomine labefactare. Atque cum hæc ita sint, ego tamen nonte nugari dico, ego non te imperitum, non iudicii expertem nomino, neq; in tam turpi errore tuo exagitando, Sigonii, q̄ Robortelli similē esse malo. Quamobrem, cum intelligas, in quo tandem summa doctrinæ laus posita sit, non in eo, vt nobis multum tribuamus, sed vt nobis quam plurimum tribuatur; eam vero quo maiore humanitatis lepore condita sit, eo grauiorem hominibus, & gratiorem accidere, erunt partes tuę, vt posthac humilius de te, de aliis magnificentius & loquaris & sentias, atque nimiam istam Catonis Vticensis, cuius te æmulum esse profiteris, exsoletam iam seculorum diuturnitate seueritatem abiicias, constantiā amplectaris, Censorii superciliū deponas, humanitatem imiteris.

CAROLI SIGONII EMENDATIONVM liber secundus, ad clarissimum virum Bernardum Naugeriū, Senatus Veneti apud Pōt. Max. oratorem.

SVperiore libro, Clarissime Naugeri, singula Frācisci Robortelli decreta, quæ ille tribus in me voluminibus erat complexus, euerti: hoc pauca quædam, quæ ex reliquis commentariis sumta sunt, ingenii eius monimenta labefactabo, primum autem libellum de nominibus R. totum oppugnabo, atque vna etiam prætermissis a me ante capitibus eius occurram, deinde emendationes illas, quas duobus Annotationum suarum in libris scriptas reliquit, exagitabo. Quo labore perfecto, pauca quædam ex principio commentarii Poetices, & Æliani ab eo de Græco conuersi adiungam, vt non ipso solum, sed

omnes demum intelligant, quanto potius fuisset, si sua ipse contentus gloriola ex aliena laude imminuenda suam amplificare conatus non esset. Subiiciam autem aureolum eius duarum pagellarum de nominibus libellum, ac singulas sententias eius, quas ipse sine caussa in coelum ferens, me in meum contulisse ait, excutiam. Liber autem est hic:

Nobilissimo, optimoque Adolescenti Floriano And. Fil. Antonino Vtinensi, Franciscus Robortellus S. D.

Gaudeo mirum in modum te ita libenter Pisis, vbi iam triennium bonis artibus operam nauasti, commorari, vt nusquam libentius sis; tum quia meo hortatu huc primum venisti, tum quia tantum vtilitatis tibi attulit commoratio ista, quantum & ipse sperasti, nec ego vnquam dubitaui: nam quod, mea caussa, ais crebro, peramanter tu quidem vt soles, loqueris, neque ego aliter dictum accipio, te enim mei studiosissimum semper cognoui; Tantum igitur tibi debeo pro tam syncero tuo in me, animo, quantum plane me a te amari confido. Confido autem plurimum, nec minus sane quam semper optaui; ac polliceor daturum me operam, vt intelligas, me in te amando a nemine vinci; quamuis doleam, non dari mihi occasionem aliquam meae erga te beneuolentiae tibi declarandae; nam leue signum esse iudico, quod tu maximum putas, vt tibi petenti descriptam mittam eam disputationem, quam domi incoatam habebam de nominibus veterum Romanorum; res enim perpusilla est, & vix te digna, etsi tam multa in eo genere mihi collegisse videor, vt, cum nihil quod a ceteris dictum sit praetermiserim, multa etiam addiderim, quae ab ipsis fuerant praetermissa; Alia, quae iamdiu tibi destinaui si te illis delectari intellexero, propediem mittam. nondum enim propter summas occupationes, quibus distineor, publice legendi absoluere potui: nam quicquid mihi superfuit temporis ab hinc vno mense, fuit mihi magna ex parte necessario luctu dandum, ob mortem optimi patris, qui etsi (vt scis) perhonorifice inter nostros ciues longam aetatem vixit, incommode tamen absenti mihi accidit illius e vita discessus; verum de hac re satis. Tu vale, & me, vt facis, ama. Pisis IV. ante Calendas Aprilis. M D X L V I I I.

Quaestio an Rhetores recte dicant a nominibus propriis duci argumentationes.

Hermogenes in libro περὶ στάσεων sic ait. τῶν δ' αὖ ἐξεταζομένων ἰσχυρότατον ἔχει δύναμιν τὰ ὡρισμένα, καὶ κύρια, οἷον Ἡρακλῆς. ὁ Δημοσθένης, καὶ τὰ τοιαῦτα. Latini a nominibus aut pronominibus nunquam, a cognominibus quandoque, vt a Verre. Neque tamen argumentatio est, sed potius delusio quaedam, vt idem apud Ciceronem libro secũdo de Orat. *Quid fers cinciole*. ibi est delusio in ipso nomine, sicuti patet.

De Nominibus Romanorum.

Primum

Primum obseruo, Romanos vno nomine vsos fuisse. vt Romulus, Remus. Postea, vbi in vrbem migrarunt Sabini; duplicari cœpisse nomina, quod fortasse factum ex commigratione illa, & coniunctione duorum pop. vt, Numa Pompilius, Seruius Tullius, Lartes Porsenna. quamuis hoc nomen Hetruscum fuerit. In quo prænomine; Lartes. sciendum eo veluti prænomine vsos veteres. Seruius interpres Vergilianus ab oppido dictum putat, itidem Plut. in Publicola existimat, qui tamen λαίρτης scribit; sed male: nec mirum tamen, quia homo Græcus, multis in locis perperam profert nomina Romana; quod est aliquando etiam a Dionysio Halicarnasseo factum. Idem Plutarchus in Ciceronis vita. κουαδράντarian vocat Clodiam, quam Latini sæpe vocant Quadrantariam, vt Quintilianus libr. sexto, capit. VIII. Dionysius in hoc nomine A. Virginii, qui Cœlimontanus est a Latinis vocatus, scripsit Montanus.

Obseruo etiam apud auctores Latinos, & Græcos, duo nomina tantum proferri consueuisse aliquando. etiam tum, cum Romani tribus aut quatuor vtebantur. Plutarchus in vita Marii ait, se non reperire in veterum monumentis tertium nomen; quamuis nonnulli appellarint Nepos, quod non probatur satis. Videretur enim prodigus vocatus. Sic enim Cicero l b. sexto, Epist. ad Att. Epist.11. his verbis. *Sumtu iam nepos euadit Septimius* Liuius sæpe duo tantum profert nomina, neque caret reprehensione, quia Historici est omnia explicare; & debet sane scriptor posteritatis habere rationem magis, quam suorum temporum. Romani postea tribus vti cœperunt nominibus. Sed de iis antequam aliquid dicamus; volo, vt veterum & recentiorum aliquot sententias, de hac re diiudicemus. Video nonnullos ita sensisse. Prænomen. P. Cognomen, Corn. Nomen, Scip. Agnomen, Africanus. Hanc diuisionem ita distinctam secutus est Victorinus interpres Rhet. & alii, quos sileo breuitatis caussa; Cognomen hi videntur statuere in familia, vt sit, Tullius. Cornelius. Iulius. Sed in tali re duo illorum apparent errores; qui grauissimi sunt. Primum enim consequeretur nomen esse postpositũ cognomini, quod est valde absurdũ. Deinde falsissimũ est, quod illi asserere videntur, Agnomen extrinsecus dici, ex animo, aut ex corpore, aut ex fortuna. vt Superbus. Pius. Crassus. Pulcer. Silo. quod a Sileno ductum est, qui superciliis pingebatur hirsutis. Prænomen. P. M. M. Alii sic distinguunt. Nomen. Agnomẽ, Cognomen. Corn. Tul. Por. Scip. Cic. Cato Afric. Sed & hi turpiter errant, *nam agnomen familiæ est appellatio, & gentis, vnde agnati, & gentiles dicebantur, qui ex eadem erant familia,* vt Cice. in Top. ait; & idem in Bruto Ser. *Tullium regem gentilem suum ea de caussa nominat.* itidem errant; quia quod cognomen est, vt Scipio, ipsi vocant agnomen. Sed prætermissis aliorum erroribus, conemur nos aliquid, quod rectum sit statuere in hac nominum ratio-

ne. Ac sane antequam aliquid statuam is primum videndum, an hæ appellationes sint vsitatæ apud Latinos. Prænomen dici solitum, probamus duorum testimonio grauissimorum auctorum; Horatii, ac Cic. Horatius enim in Saty lib. 2. ait.

Gaudent prænomine molles
Auriculæ.

Cicero in epist. ad Volumnium. *Quod sine prænomine familiariter, vt debebas, ad me epistolam misisti, primum addubitaui, num a Volumnio senatore esset, quo cum mihi magnus est vsus.* De nomine non est magnopere necesse, vt vllam afferamus probationem; satis enim notum est. Horatius lib. 1. Ep.

Mercemur seruum, qui dictet nomina.

Cic. lib. de Inuen. secundo. *Nomen cum dicimus, sæpe etiam cognomen intelligimus. Agnomen, multi asseruerunt non esse dictionem Latinam, etsi semel tantum eam protulit* Cicero in Rhet. lib. 2. *Nomen autem cum dicimus, cognomen quoque, & agnomen intelligatur oportet.* Probus quoque probatissimus auctor hanc appellationem non reiicit, sed agnoscit. Iurisconsulti vero prorsus recipiunt. Verba enim sunt in Institutionibus Iustiniani hæc: tit. de leg. libro secundo. *Si quis in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii testator errauerit. quæ res impulit omnes fere iurisconsultos antiquos, & recentiores,* vt de hac re, quæ nobis proposita est, differerent; a quibus quoniam alicubi dissentio, vestrum erit iudicare, quam recte dissentiam. Recipimus igitur istam appellationem vel propter iurisconsultos ipsos. Cognomen sæpe a veteribus prolatum, & cognomentum. Cicer. in somn. Scip. *Eritque cognomen id tibi per te partum quod habes ex nobis adhuc hereditarium.* idem in oratione pro Milone. C. Cassinius, cognomento Schola. Horat. *Pingui cognomen Tardo damus.* Plutarchus. τρίτον ὄνομα vocat in Coriolano; Dionysius Halicar. ἐπώνυμον, vbi de C. Mutio loquitur. ᾧ ἦν ἐπώνυμον κόρδος. His ita declaratis; duobus modis sententiam meam in hac disputatione constituo. Primum, secundum iurisconsultos, qui in hanc seriem recipiunt Agnomen. Sic Prænomen & Nomen simul, nam idem est, Agnomen, Cognomen, quod aliquando simplex, aliquando duplex. Quod prænomen & Nomen idem esse dixi; ne quis putet nouum esse. Legat Plutarch. in Coriolano, vbi ait, *& sic tertium nomen est adeptus cum illi ante tantum esset proprium nomen. Caius, & alterum familiæ, aut commune generis Martius.* Verba Græca sunt hæc, ἐκ τούτου τρίτον ἔσχεν ὄνομα τὸ Κοριολανός, ᾗ καὶ μάλιστα δῆλόν ἐστι τῶν ὀνομάτων, ἴδιον ἦν ὁ Γάϊος, τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας ἢ γένους κοινὸν ὁ Μάρκιος. Secundus modus a me statuitur secundum veteres qui purius locuti sunt, & prætermiserunt Agnomen, sic. Prænomen, Nomen, Cognomen. Tribus nominibus senatores fuisse appellatos olim obseruaui. Equites autem, & plebeios, maiori ex parte duobus.

bus. Liuius vbi de tribus militaribus loquitur, hos plebeios nominat, sic. C. Sextilius. M. Albinus. P. Titinius. L. Antistius. Senatores autem ita vocabantur. C. Ælius Pætus. M. Licinius Crassus. M. Portius Cato. Dicamus igitur primum de Prænomine quod propriam appellationem personæ significabat; Erat prænomen signatum, aut vna litera tantum. vt M. P. Q. L. C. D. id est, Decimus, nō Decius, vt multi inepte proferunt. T. id est, Titus, vt T. Ampius, quamuis in Sempronio Graccho Tiberium significet, in quo multi errant, aut duabus literis, vt SP. de quo satis multa Plutarch. in Problem. rerum Roman. AP. vnde emendatus ille locus in Epistol. fam. libro primo. Tito Ampio non Appio, quia App. semper Prænomen, vt patet. CN. aut Tribus, vt Ser. Sex. Reperio aliquando prænomina ex integris dictionibus, vt Agrippa Menenius Lanatus. Licinius Memenius Lanatus. Agnomen (si sequaris iurisconsultos) aut nomen (si ceteros Latinos) illud est, quo significatur Gens, seu Familia, vt Portius Iulius Cæcilius Sempronius Cornelius. Has familias esse satis cōstat & testatur Dionysius Halicarnasseus, vbi de Bruto loquitur, ex familia Iunia, quæ a socio Æneæ deducta erat. Idem, vbi de familiis Albanorum Romam transmigrantibus loquitur, an; Migrarunt hæ: Iulia, Seruilia, Gegania, Quintilia, Clœlia. Sciendum vero, omnia nomina, quibus familiæ significantur, proferri in ius, vt Portius, Cæcilius. Iulius Tullius. Reliquum est vt dicamus tertio loco de Cognominibus. Adnotat Plutarchus in Coriolano apud Romanos nomina poni consueuisse, a rebus gestis, a forma, a virtute, itidem a fortuna apud Græcos, vt σωτῆρα. καλλίνικον, φύσκωνα, εὐεργέτην, φιλάδελφον, εὐδαίμονα. de qua re Plin. lib. XVIII. capit. III. & Macr. libro primo, capit. sexto. *Mordacitas etiam quandoque & maledicentia imponebat cognomina*; vt etiam apud Græcos, Antigonus δόσων. apud Latinos, Metellus vittatus, seu diadematus, quia frontem obligatam gerebat propter vlcus. Plutarch. in Coriol. *Ego vero in cognominibus statuo duas Classes. Primum in iis, quæ ducuntur a laude animi, a vitio corporis, a consuetudine seu studio, a forma corporis, vt Cato Pætus Cincinnatus Longus Aruina Bubulcus Pictor Verrucosus. Secundam classem in iis pono, quæ ducuntur ab euentu, seu fortuna, vt Macedonicus, Dalmaticus, Creticus a prouinciis, Africanus, Isauricus, ab vrbe.* Ideo conqueritur Cicero, libr. epist. ad Attic. quinto, cum esset in Cilicia Procos, & expugnasset oppidum Pindenissum, non esse aptum ad cognomen parandum. Quis (inquit) Pindenissæ: nam Seruilius ante ab Isauro vrbe præclara fuerat appellatus. Quandoque tamen etiam ab euentu primum cognomen cernere est, vt Cn. Pomp. Magnus. Et quærat aliquis fortasse, Pompeius ne ante haberet duo tantum nomina, antequam Magnus fuisset a P. Sylla appellatus. Sciendum igitur patrem

ipsius Strabonem vocatum a vitio corporis, quod cognomen reiectum postea, opinor, a Pompeio. sicut etiam de Q. Fabio Maximo legimus, qui Verrucosi nomen omisit, & si retinebant aliquando. Non me latet hoc loco plura potuisse a me dici, de iis cognominibus, quæ a leguminibus sunt deducta. item a forma, & vitio corporis, vt Vopiscus, Pansa. sed hęc satis nota sunt, & de iis Quint. lib. II. & Macr. lib. III. Dionys. Halicarn. vbi de Tarquinio rege loquitur ait: διὰ ταύτην ἐπωνυμίαν τίθενται αὐτῷ Ῥωμαῖοι τοῦ Σουπέρβου. τοῦτο δὲ δηλοῦν βούλεται κατὰ τὴν ἡμετέραν γλῶτταν τὸν ὑπερήφανον· τὸν δὲ πάππον αὐτοῦ Πρίσκον ἐκάλουν, ὡς ἂν ἡμεῖς εἴποιμεν πρότερον, ὁμώνυμος γὰρ ἦν τῷ πατρὶ κατ' ἄμφω τὰ ὀνόματα. quod pertinet ad superiora intelligenda. Glareanus ibi hęsitabat propter verba interpretis, quæ sunt. Erat enim vtroq; nomine cognominis iunior seniori. Illud non prætermittam. Cæsarem non ab vtero cæso dictum, quod multis video placere, sed, quod ait Seruius, & Spartianus, ab Elephanto primum cæso; nam lingua punica Cæsar elephas dicebatur; Quare, in quibusdam argenteis numismatis apud me videre est, ab altera parte Elephante cum hac inscriptione Cæsar. Ab altera autem instrumenta, quibus elephantos Romani perimebant.

Obseruaui quandoque cognomen Græcum fuisse apud Romanos. vt Sex. Furius Philus. Q. Minutius Thermus. M. Boebius Tāphilus. In quo cognomine tamen sciendum, legendum esse Tampilus. huius veræ lectionis vestigium adnotauit Glareanus, Tamphilus. Ego vero in numismate argenteo, quod est apud me, video scriptum Tampilus, & aliis multis ostendi. Atque hæc de cognominibus dicta hactenus sint. Dicendum modo de Nominibus Mulierum. Nominibus Legum. Nominibus libertorum. Nominibus Adoptiuis. Mulieres a nomine gentis vocabantur, & vno tamen nomine. vt, *Portia*. Cornelia. Iulia. Tullia. Clodia. Seruilia. Cæcilia. Terentia. In Epistolis tamen Cælii ad Cic. Epist. VIII. legere est, *Paulam Valeriam*; & alibi eandem a Cicerone *Polam* vocatam. Sicuti Tertullam a Plutarcho, quod diligenter considerandum. Plutarchus in Problem. vbi quærit, Cur maribus nono, fœminis octauo die nomina imponerentur, ait. *Mulieres vno, aut duobus appellabantur nominibus*. Ego duobus appellari nunquam obseruaui. nisi forsasse prænomen aliud significare voluit Plutarchus, quod est omnibus mulieribus commune, vt dicerentur Caiæ, quod ab vxore Tarquinii; quæ Tanaquil vocabatur, deductum est. Hoc Cicero vsurpat in orat. pro Muræna verba illa auspicata in nuptiis: *Vbi tu Caius. ego Caia*: *Est apud me inscriptio antiquissima, quam multis ostendi. in qua tale prænomen signari videtur tali nota.* Ↄ. Ↄ. *Tibulla*, & quæ sequuntur. Hanc tamen inscriptionem animaduerti postea legi in impressis libris: scioque multos addubitare an vetusta sit; vel potius ab aliquo ficta probat tamen quod

volumus

volumus, in nominibus mulierum Romanarum sæpe per iocum inuersio fiebat quædam, atque mutatio in nomina Græcarum mulierum, ob morum similitudinem; Hinc apud Quintilianum libro VIII. *a Cœlio oratore legimus Clodiam vocatam Quadrantariam Clytemnestram, & in Triclinio Coam; in cubiculo Nolam*, qui locus hunc, opinor, sensum habet, vt in conuiuiis vocaretur Coa, quasi Venus altera, quæ Coa olim dicta etiam in lusu talorũ, in cubiculo Nola, quia nollet, & reluctaretur amatoribus. nam etiam Catullus *Multiuola est mulier dixit*, nõ dissimili ratione. Nomina legum a suis auctoribus ducebantur sumta appellatione ab agnomine, seu nomine gentis, sicuti etiam in mulierum appellationibus est factum. Lex Iulia, Sempronia, Cornelia, Oppia, Pompeia, Cincia, apud Ciceronem in oratione pro Archia mentio fit de lege Papia, qui illam tulit, multi asserunt fuisse Q. Æmylium Papum. Hoc igitur si verum est, obseruationi nostræ videtur aduersari? Factum autem est (*vt ego opinor*) vt dignosci posset a familia Æmyliorum, qui Pauli cognomen habebant. Scribit Asc. in Orat pro Mil fuisse Milonem ante ex familia Papia; mox Annium dictum ab auo materno, a quo fuerat adoptatus Nomina libertorum semper ab agnomine patronorum, a quibus fuerant in libertatem asserti, ducebantur. vt lib Epist fam Epist. XV. item in Epist. ad Att. vbi sæpe *Tullium libertum suum* nominat. Idem factum obseruo in nominibus quibusdam barbarorum, qui similitudinem nominum a Romanis iam victoribus & obtinentibus prouincias aucupabantur. Eiusmodi multa apud Cæsarem in Comm de bello Gal. obseruari possunt. Nomina adoptatorum filiorum talem habere videtur rationem, vt agnomen quidem accipiant eius, a quo adoptantur, suum vero agnomen mutent in aliam quandam terminationem in anus: de qua re Dion. libro Histor. Cicero lib. primo Epist. ad Att. *Cæcilium Pomponianum vocat Atticum nuper adoptatum a Cæcilio auunculo, qui Atticus postea filiam suam vocauit Cæciliam* de qua Cicero libro sexto Epist. ad Attic. Epist II. *Cum tamen soror ipsius Pomponia vocaretur ex priore agnatione*. Idipsum factum est in nomine Æmyliani. Idem Cicero libr. sexto ad Attic. *Scipio hic Metellus proauum suum nescit censorem*. Significat enim Scipionem Asiatici illius filium, qui adoptatus fuit a Q. Metello Pio & dictus Q. Metellus Scipio. in qua adoptione plane diuersam rationem cernere est ab ea, quam adnotauit Dion. Nomina quoque gentilitia, seu agnomina mutationem quandam recipiebant, cum possessionem significaturi ita loquebantur. Vt Cicero lib. secundo Epist. ad Att in Anniana Milonis domo; nisi forte id factum, quia Milo ab Annio Auo Materno in suam familiam adlectus fuerat. Obseruaui quoque in nominibus Romanorum, ea quæ olim prænomina essent, facta. vt Menenius, Licinius, de quibus ante diximus; nam postea ita dictum est .. eo nomine ...

nius, Crassus, cum enim Licinius ante prænomen. Sic etiam in Agrippa. Illud vero sciendum cum tot nomina Romani haberent, vt a nobis dictum fuit, Ciceronem, & alios in suis libris sæpe vnum, aut alterum proferre reliquis omissis; Vnde sæpe oritur ambiguitas, de quo sit intelligendum, vt in nomine Luculli an de L. an de M. qui fratres erant, qualis locus est in oratione pro Archia poeta. Sed hæc facile diiudicantur ab historiæ peritis, qualis etiam ambiguitas erat in nomine Curionis lib. II. Epist. fam. in qua re multi decepti sunt; non distinguentes patrem Curionem a filio: nam illæ Epistolæ. *Nondum erat auditum.* & *Sera Gratulatio*, scribuntur ad patrem, hoc exemplum apposui, vt cognoscatis, quam sit in his rebus sæpe difficile versari. Sæpe etiam affinitate & similitudine nominũ decipimur, vt in illo loco, qui est in somno Scipionis. Manlio Cos non Manlio, itidem in hoc agnomine Tullo, & Tullio, itidem in agnomine Æmylio, nam & de Lepidis, & de Paulis dicitur. Sæpe etiam decipi possumus in cognominibus; vt cum Lentulum, Scipionem, Pisonem scribi videmus; nam de multis intelligi potest idem; quod tamen diiudicatur ex historia. Aliquando tamen non sunt ambigua vt in eo loco. Marcellinum tibi iratum esse scis; nam Cn. Lentulum Marcellinum intelligit, cum scribit ad P. Corn. Lentulum, in quibus quoque appellationibus videre est, Lentulum modo agnomen, modo cognomen. Itidem in Epistolis ad Att. vbi *Acidinos* nominat; scire enim omnes appellationes necesse est, alioqui res fuerit obscura: eodem modo se habet in Tusc. prima cum *Calatinos* nominat. In lib. quoque de Amicitia vbi ait. *Videmus Papum Æmylium C. Luscinio familiarem fuisse*, quæret aliquis, quis fuerit Luscinius & ignorabit, nisi sciciit illud fuisse C. Fabritii cognomen In Epist. quoque ad Sulpitium, vbi ait *Noster Gallus*; quæret quispiam quis fuerit Gallus, frustra, nisi scierit hunc esse C. Sulpitium Gallum, item lib. primo Epist. fam. Epist. prima, vbi ait; *Philippus*; nam hic vocabatur *L. Martius Philippus*. ibidem cum ait *Libonis*, hic enim appellabatur *L. Scribonius Libo*, quod etiam antiqua ostendunt numismata explicantia illud Puteal, de quo apud Horatium fit mentio, Sæpe etiam Cicero agnomen solum ponit, *vt Sulpitius Seruilius Rutilius Afranius*. sæpe cognomen tantummodo, vt *Lucullus, Crassus, Balbus*. sæpe prænomen tantum, vt Publium cum Clodium significat; & Q. de Fratre loquens: & Cn. de Pompeio, quod tamen familiariter inter familiares videri potest factum. Sæpe prænomen videas coniunctum cognomini proferri, *vt M. Crassus. M. Cato. L. Lucullus*. raro prænomen cum agnomine. Sic *M. Porsius. Q. Tullius*. aliquando tamen, vt *P. Clodius. C. Antonius*; nec puto vllius rei, nisi consuetudinis cuiusdam habitam fuisse rationem, & soni, qui suauis accideret auribus. Rarissime vero Agnomen cum cognomine: *Porsius Cato. Iulius Cæsar. Cornelius Scipio. Clau. Marcellus*. Numquam

quam vero præpostero ordine: sic. *Crassus Marcus. Lucullus L.* neque sic, vt præcedat cognomen, subsequatur agnomen; vt Cicero Tullius; Vnde non satis placet opinio eorum, qui locum illum in libro de Amicitia emendant; Videmus Papum Æmilium, nam appellationes omnes hæ sunt. *Q. Æmilius Papus*, vt ipsi etiam affirmant, Res igitur diligentius consideranda. Atque hæc a nobis hactenus dicta sint, de omni ratione Nominum Romanorum; ita tamen, vt monitos vos velim, me in hac explicatione mea non transgredi Augusti tempora: satis enim patet, post ciuilia bella, cum vniuersa fere nobilitas fuisset exstincta; in vrbem Rom. ascitos vndique Barbaros, & Alienigenas, qui militarent sub Augusto, atque ita magna ex parte corruptam fuisse antiquam illã consuetudinem, quæ magna cum religione etiam in nominibus seruabatur. Illud quoque nolim lateat legentes explicationem hanc meam; potuisse me pro meo iure, si voluissem sequi eorum sententiam qui agnomen prorsus tollunt; nec enim vlitatam vnquam reperias dictionem hanc apud veteres, & quamuis in Institutionibus Iurisconf. semel legatur, credi tamen potest additum a nonnullis per inscitiam, quod facile monstratur ex Theophilo Græco interprete qui de Agnomine ne verbum quidem protulit, & vetustioribus libris; in quibus ea vox non est scripta. Ego tamen, vt sequerer vulgatam rationem ab omnibus acceptam, & retinerem Agnominis appellationem, commode omnia, vti mihi videor, interpretatus sum; etsi aliter sentire video doctissimos viros multos, qui de hac re scripsere.

IN LIBRVM DE NOMINIBVS ROMAnorum Francisci Robortelli.

Quæstionem de argumentatione a nominibus petenda alienam esse.

CAPVT I.

Q*Væstio, an rhetores recte dicant.*) Inanis, ac prope ridicula res videtur, eum, qui se de nominibus Romanorum scripturum esse profiteatur, initio disputationis quæstionem ponere, an rhetores recte dicant, a nominibus propriis duci argumẽtationes, qd enim argumentatio ad nominum rationem pertinet? cum argumentatio ipsa ex rhetorum, & dialecticorum libris, nominum vero ratio ex antiquitate petenda sit? Ipse autem se de nominibus Romanis daturum præcepta pollicetur, nam in epistola ita scribit: Nam leue figuum esse iudico, vt tibi petenti descriptam mittam eam disputationem, quam domi incoatam habebam de nominibus veterum R.

Hermogenis locus de propriorum nominum quæstione non intellectus, declaratus.

CAPVT II.

HErmogenes in libro περὶ στάσεων sic ait: τῶν αὖ ἐξεταζομένων ἰσχυρότατον ἔχει δύναμιν τὰ ὡρισμένα, καὶ κύρια· οἷον ὁ Περικλῆς, ὁ Δημοσθένης, καὶ τὰ τοιαῦτα.) Vt quæstio ridicula fuit, sic explicatio quęstionis multo magis. Nam ad id, quod proposuit, quæri posse, an rhetores recte dicant, a nominib. propriis duci argumentationes, respondet, aut respondere videtur, recte eos dixisse, idq; confirmat Græcorum, & Latinorum auctoritate: Græcorum: vt Hermogenis. Latinorum, vt Ciceronis. quid autem dixit Hermogenes? is in libro de statibus scriptum ita reliquit: Ex iis personis, quæ in quæstionem caderent vim maximam habere definita nomina, & propria vt Periclem, & Demosthenem, & quæ sunt eiusmodi. quam auctoritatem noster hic sine dubio non attulisset, si Hermogenis consilium accepisset, aut si verbi, quo ille vtitur, vim intellexisset, est autem ἐξετάζεσθαι. quod est in quæstionem cadere. quod nihil ad argumentationem, de qua ipse proposuit, pertinet, illud autem demonstrandũ erat, vt sæpe Græci a nominibus propriis argumenti aliquid elicerent, in quo, [illegible] plurimum propter felicem illam nominum iuncturam valent, vt a Thrasymacho, Chrysogono: & Aristophanes in Nebulis in nomine Phidippidis lusit. ὀνειροπολεῖ θ' ἵππους. Itẽ: ὀνειροπολεῖ καὶ καθεύδων ἱππικήν. Itẽ: ἡ μὲν γὰρ ἵππον προσετίθει πρὸς τοὔνομα, Ξάνθιππον ἢ Χάριππον, ἢ Καλλιππίδην. Id autem inter quęstionẽ, & argumentationẽ interest, quod omnis argumentatio refertur ad quæstionem, quas miror virum doctissimum ita confudisse, vt ex vna in alteram transierit. Nam exemplum Hermogenis ad quęstionem pertinet, Ciceronis autem ad argumentationẽ, nisi quod ea re deceptus est, quod nomina propria tam in quæstionem cadunt, quam in argumẽtationem. Hermogenem autem de quæstione loqui facile probari potest. De ciuilibus enim controuersiis disputat. omnem autem controuersiam in personis, aut rebus, aut vtrisq; positam esse ait. Personas alias in quæstionem cadere oratoriam, alias non cadere, ex iis quæ caderent, vim maximam habere definita nomina, & propria, vt Periclem, & Demosthenem, secundo loco, quæ cum aliquo comparantur, vt patrem, filium, dominum, seruum; tertio quæ criminibus obnoxiæ sint, vt adulterũ, adulatorem; de quibus vero nulla cõstitui quæstio posset, eas esse infinitas, vt Quendam; aut ex vtraque parte æquales, vt duo iuuenes diuites, si alter alteri aliquã de re diem diceret. Hoc cum ita sit, apparet propositum Hermogenis non fuisse, vt de argumentatione diceret, sed de quæstione, & ita eu, cum docere vellet, quas caussas orator posset tractare, quas nõ posset, & quæ statum haberent, quæ non haberent.

An a nomine argumentari liceat.

CAPVT III.

L*Atini a nominibus, aut prænominibus nunquam, a cognominibus quandoque, vt a Verre.*) Confirmat nunc, quod dixit, auctoritate

auctoritate Latinorum, non rhetorum, sed oratorũ, quos ait nunquam a nominibus, & prænominibus argumenta duxisse, aliquãdo autem a cognominibus. Et hoc totum nihil esse inde apparet, quod & Cicero in prænomine ludens Appietatem dixit, & a nomine in Corneliana argumentatus est, cum inquit: *Qui veterem illam speciem fœderis Martiani semper omni sanctiorem Marte duxerunt. Nam Marcius L. Marcii, eius qui fœdus cum Gaditanis icit, nomen est gentilitium.* Quid plura? nonne idem hoc fieri posse aperte tradidit libro primo de Inuentione? cum ait: *Nomen cum dicimus cognomen quoque & agnomen intelligatur oportet.* De hominis enim certo ac proprio vocabulo agitur. vt si dicamus icirco aliquem Callidium vocari, quod temerario, & repentino consilio sit, aut si ea de re hominibus Græcos imperitis verba dedisse, quod Clodius, aut Cecilius, aut Mutius vocarentur: sunt enim Callidius Clodius, Cæcilius, Mutius gentium Rom. nomina, & Quintilianus libro V. *Nomen in argumentum raro cadit, nisi cum ipsum alicuius cogitationis attulit caussam, vt Lentulo coniurationis, quod Libris Sibyllinis dominatio dari tribus Cornelius dicebatur, seque eum tertium esse credebat, post Syllam, Cinnamque, qui & ipse Cornelius erat.* Neque vero video, cur non ab Agrio, Agrasio, & Fundanio, quæ nomina gentis fuerunt, peti argumentatio possit, cum Varronem eis disputationem de agro, fundoq; tribuisse in libris de re rustica videamus. itemque cur non a Valerio, Salu o, Statorio argumentari liceat, cum boni etiam ominis caussa hæc nomina in delectu prima appellari solita scribat Festus, a valetudine, salute, & statu, quibus nihil esse potest melius.

An a cognomine argumentari liceat.

CAPVT IV.

A *Cognominibus quandoque, vt a Verre, neque tamen argumentatio est, sed potius delusio quadam.)* Hoc ex Quintiliano sumtum est libro V. *Iocorum tamen, inquit, ex eo frequens materia, Cicero in Verrem non semel vsus est.* Significat Quintilianus cognomina aliquando ioci, non argumenti materiam dare, vt cognomen Verris Ciceroni, cum in nomine animalis luderet, vt in diuinatione: *Repente e vestigio ex homine tanquam aliquo Circeo poculo factus est Verres, redit ad se, atque ad mores suos.* Hunc ergo iocum Robortellus, non argumentationem, sed delusionem in cognomine vocat.

Locus Ciceronis non intellectus expositus.

CAPVT V.

ITidem apud Ciceronem libro II. de oratore: *Quid fers Cinciole)* Et hanc delusionem in nomine appellat Robortellus, de qua Cicero libro II. de orat. *Sæpe etiam sententiose ridicula dicuntur, vt M. Cincius, quo die legem de donis, & muneribus tulit, cum Centho prodisset, & satis contumeliose, quid fers Cinciole quæsisset; vt emas,*

inquit, *Cai. ſi vti velis*, quæ ſi qua in his verbis deluſio eſt, certe non eſt in nomine Cinciole, vt ille putat, ſed in vocibus his, *Quid fers*, contumelia quidem eſt in diminutione *Cinciole*, attocus non ex eo ductus eſt, ſed ex vocibus, Quid fers, cui reſpondit Cincius, ſerio vt emas, ſi vti velis. Hoc eſt enim ridiculum ſententioſe dictum, quod propoſuit Cicero ſe allaturum. Quare hoc exemplum nihil ad rationem nominum pertinet, vt etiam reliqua ab eo propoſita.

An Romulus, & Remus vno nomine, an duobus vſi ſint.

CAPVT VI.

PRimum *obſeruo Romanos vno nomine vſos fuiſſe, vt Romulus, Remus*) Nego Romulum, & Remum exempla ad hoc præceptū illuſtrandum accommodata eſſe, primum, quia Romulus, & Remus vno nomine ſunt vſi quia ſpurii fuerunt id eſt, incerto patre, propterea gentilitio nomine caruerunt: deinde, quia ſi quis maternum genus ſpectaſſe eos dicat, duobus nominibus affecti fuerunt, & Romulus, & Remus Siluii appellati ſunt; vnde mater Rhea Siluia fuit. Itaque hac ego de re ita ſcripſi in libro de nominibus: *Valerio quidem ego aſſentior, quippe qui & hanc rationem apud Italos fuiſſe, & alios præterea eos quibuſdam nominibus a Romanis vſos eſſe repertam, & Romulum, ac Remum, aut quia ſpurii fuerunt gentis nomine caruiſſe, aut certe ex Siluia gente, cuius & mater erat, extitiſſe existimem.*

IN CAPVT XX. LIB. I.

De nominibus ſpuriorum, & nothorum.

CAPVT VII.

IN hæc autem inuectus eſt Robortellus ita: *Romulus & Remus, quia ipſorum mater erat ſacris initiata, nothi fuerunt, quia patrem habuerunt Martem, varii dici non poſſunt, aut ſpurii.* Cui ego: *Romulus & Remus, quia ex non iuſto matrimonio nati ſunt, nothi, quia incerto patre ſpurii fuerunt, neque enim Martem e cælo deſcendiſſe, vt cum virgine veſtali concumberet, crediderim, neque id, niſi quia eius auctor culpa honeſtior habitus eſt, ab aliquo traditum eſt.* Quod autem addit me ſcribere, Romulum & Remum ideo Siluios non fuiſſe dictos, quod cum nothi eſſent, eius gentis nomine caruerint, non ſatis videtur mea verba attendiſſe. Dixi enim Romulum, & Remum, quia ſpurii, id eſt, incerto patre nati erant, caruiſſe gentilitio nomine patrio, at quia certam habebant matrem Siluiam, ex gente Siluia eſſe dici potuiſſe. Quod meum dictum miror a Robortello acuto viro non intellectum. Quod quærit, vt oſtendam, ſi poſſim, olim apud Romanos florente rep. nothos ex gente fuiſſe repulſos, nec gentilitia ſuorum nomina retinuiſſe: cur hoc a me ſibi velit oſtendi, de quo ne verbum quidem feci, non video: quando enim ego nothorum mentionem vllam feci? Spurios dixi, quia patre certo non eſſent, patrio etiam gentilitio no-

nomine

mine vocasse, nothorum verbum ne vsurpauit quidem. Quod si ille nothos intelligit, vt quidem omnes faciunt, eos, qui ex non iusto connubio essent suscepti; satis indicat Liuius, eos non modo gentem, sed ne libertatem quidem habuisse, etiam florente rep. cuius hæc verba sunt libro XLIII. *Et alia noui generis hominum ex Hispania legatio venit. Ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, supra quatuor millia hominum, orabant, vt sibi oppidum, in quo habitarent, daretur, senatus decreuit, vti nomina sua apud L. Canuleium profiterentur, eorumque si quos manumisisset, eos Carteiam ad Oceanum deduci placere. Latinam eam coloniam fuisse, libertinorumque appellari.* Quin etiam Suetonius innuit, nothos patris nomine non esse vsos, cum inquit C. Cæsarem summi sui erga Cleopatram amoris demonstrandi caussa passum esse, natum ex se, & ea filium suo nomine Cæsarionem vocari, & quod ait Dio, *Octauium egre tulisse filium Cæsaris ex Cleopatra a M. Antonio Cæsarionem esse nominatum, & ad Cæsaris genus traductum.* Attamen Robortellus ait: *Is Romanus erat ciuis, qui ex ingenuo, & ingenua esset ortus, nec aliud præterea requirebatur. si modo pater Romanus erat, & mater Romana, aut etiam peregrina,* deinde alia multa, quæ omnia a proposita disputatione nostra remotissima sunt. Quod supra dixerat: *Nescio quid nugarum offerat Sigonius* cap. III. cum ait: *Spurius dictus, qui sine patre esset, ipso Spurium significare nothum, quæro an Spurius prænomen significaret eos, qui sine patre essent, hoc est, vulgo conceptos, quod tu auctore asseris, ergo tam multi viri præclari apud Liuium, & alios, qui Spurii prænomine dicuntur, omnes vulgo concepti fuerunt;* respondeo, me quod scripsi auctore Valerio protulisse, qui in epitoma de prænominibus Spurios ait incerto patre genitos, quasi ἀπάτορας, non autem, qui Spurii prænomine vsi sunt apud Romanos, incerto patre fuisse genitos, quemadmodum neque omnes Marcos, aut Tiberios mense Martio, aut ad Tiberim natos esse, neque omnes Quintos, Sextos, Decimos, quinto, sexto, aut decimo loco esse susceptos, sed prænominis vim, atque rationem inde profectum esse; in quo acute nimis cauillatur Robortellus.

Duorum nominum ratio non a Sabinis.

CAPVT VIII.

P*Osteaquam vbi in vrbem migrarunt Sabini, duplicari cœpisse nomina)* Hoc nō ex sua obseruatione, sed ex præceptis veterum discere potuit, quod tamen an verum fuerit, quæri potest: nam pater Numæ, qui nunquam Romæ fuit, Pompo Pompilius dictus est, & rex Sabinorum, antequam Romam commigrarit, Titus Tatius, & ex eadem gente eodem tempore Metius Curtius, Volesus Valesius, & Romæ Sp. Tarpeius, Hostus Hostilius fuit, antequam Sabini in ciuitatem acciperentur. Ergo non ex duorum populorum

copulatione, sed ex peregrina consuetudine, vt multa alia, profecto hæc duplicandorum nominum ratio est. Quod meminit Seruius Tullii, primum intelligendum est, cum nec Sabinum fuisse, nec Romanum, sed Corniculanum, cuius patrem Corniculanum ciuem vocat etiam Liuius. Si ergo Albani, Sabini, Corniculani duobus nominibus vsi sunt, atque iidem in ciuitatem Romanam suscepti sunt, satis constat, eos non ex ciuitatis communione, sed ex patria consuetudine duo nomina tulisse, præsertim vero cum iidem Etrusci Robortello auctore, fecerint vt Lartes Porsena.

IN CAPVT XXVI.

De prænomine Lartis CAPVT IX.

IN *quo prænomine Lartes sciendum eo vti prænomine vsos veteres.*) Ego alias ostendi, errasse ipsum, qui Lartes scribat, cum sit scribendum Lar, idque auctore Dionysio, Plutarcho, Valerio, Carisio, Prisciano, Seruio. Ad hæc respondet capit. XVI libri primi, se scripsisse Lar, sed librarios corrupisse, quod an verisimile sit, alii viderint. Scriptum est enim diserte ita: *Lartes Porsena.* In quo prænomine Lartes, & apud Plutarchum male λαίρτης. Cum ergo ter scriptum sit, sane auctoris non librarii videtur erratum, errorem tamen confitenti condonanda sunt omnia. Verum illud fuit ingrati hominis, quod a me accepit, id in me retorsisse, ego enim dixeram, Porsenam ex Tolumnia gente fuisse, auctore Carisio, qui inquit, *Lar si Tolumnii Porsena fuit, facit Lartis*, contra ille errasse me ait, qui non viderim, id mendose legi, pro Tolumnii, & Porsenæ, qui duo fuerunt. Quod etsi fieri potuisse fateor, tamen miror, cur non Porsenæ, & Tolumnii potius dixerit: nam Lar Porsena Larte Tolumnio multo antiquior fuit, præterea vero mouet me Dionysius, qui regem hunc Clusinorum fuisse Lartem nominat, Porsenam cognomine scribit, id est, λάρς ὄνομα, πορσίνας ἐπίκλησιν, quo fit vt gentilitio caruerit, quod est absurdum, illud autem ridiculum, quod Robortellus ne auctore quidem inspecto eum emendauit. Hoc enim apud Priscianum esse, quod apud Carisium est, ait.

IN IDEM CAPVT.

Lar vnde sumtum.

CAPVT X.

S*Eruius interpres Virgilianus ab oppido dictum putat.*) Cum notassem Seruium, non ab oppido sed a luco dictum scribere, respondet nihil interesse: nam locum etiam esse oppidum.

IN IDEM CAPVT.

Plutarchus a calumnia defensus. CAP. XI.

I*Tidem Plutarchus in Publicola existimat, qui tamen λαίρτης scribit, sed male.*) Nihil tale esse apud Plutarchum alias notaui, præterea apud Plutarchū nō esse, λαίρτης, sed λάρτος pro τῦ λάρτος admonui; ipsum autem deceptum esse ab interprete, qui vertit Lartē. Ad hæc ille c. 26. Cū illa verba protuli: *Itidē Plutarchus existimat*

in Publicola; non quidem Plutarchum ab oppido dictum Lartem significasse dixi, sed Plutarchum videri existimasse Lartem esse prænomen. Quis tamen κλάραν, seu λαίρτην scribit, sed male. Ego ita scripsi. nam prorsus existimo eum, qui Plutarchum vertit, eo loco vidisse multos codices habere λαίρτην, & ideo Laertem vertisse. Honesta defensio. Si modo credibile sit eum, cum id scripsit, Græcum codicem legisse. nam illud constat, non κλάραν, seu λαίρτην, sed tantum λαίρτην scripsisse.

Græcorum defensio.

CAPVT XII.

N*Ec mirum tamen, quia homo Græcus perperam profert nomina Romana.)* Vide quam iniusta criminatio sit. Quod enim vitii eius culpa, qui non Græcum codicem, sed interpretem legit, contractum est, id in Plutarchum, ac totam nationem cui plurimum antiquitas R. debet, refert.

Plutarchus a calumnia defensus.

CAPVT XIII.

Q*Vod est aliquando etiam a Dionysio Alicarnassæo factum.)* Et hoc etiam in Dionysium iniustissime, quo nemo diligentior in Romana antiquitate colligenda, & explicanda fuit. Sed videte quo argumento græcos scriptores inscitiæ, atque incuriæ notet. *Plutarchus, inquit, Clodiam Quadrantiam vocat, quam Latini sæpe vocant Quadrantariam,* vt Quintilianus libro 6. *Dionysius in hoc nomine A. Virginii, qui Cœlimontanus dictus est a Latinis, scripsit Montanus.* Primum quæro, vnde exploratū habes, Quintilianum audiendum esse potius, quam Plutarchum? aut, vt ante, in Larte Plutarchi librum non esse corruptum? deinde Dionysius bis huius cognominis meminit, primum ita, vt appareat in verbis Græcis vestigia veræ lectionis. καὶ νομεντανὸς pro κοιλιμοντανὸς; deinde ita, vt de se re μοντανὸς scriptum sit. quod ne inscite quidem factū opinor: vtroque enim cognomine hunc vsum, & Cœlimontani, & Montani puto. nam eodem in consulatu, a Dionysio μοντανὸς dicitur, in veteribus fastis cōsularibus, quos identidem citat Cuspinianus, est etiam cognomen Montani, non Cœlimontani. Ergo caussa nulla fuit, cur tam acerbe in optimos scriptores, & de antiquitate optime meritos inuaderet.

IN CAPVT XIX. XX. XXI. LIB. I.

Nomen duobus modis accipi, pro genere, & specie. Nominum inter se ordinem duplicem esse. Agnomen idem esse, atque cognomen.

CAPVT XIV.

O*Bseruo etiam apud auctores Latinos, & Græcos duo nomina tantum proferri consueuisse aliquando, &c.)* Hac de re ego ita in meo commentario: *Cum autem Romanos duobus primum, post etiam tribus nominibus vsos esse reperiamus, quorum vnum præce-*

pue nomen, alterum prænomen, tertium cognomen, aut agnomen appellauerunt. &c. Aduersus hæc pugnat Robortelius cap. 19. libri primi & quærit, quomodo tum, cum duo vsurpabantur nomina, ea vocarentur? & cur nomen primum posuerim, prænomen vero secundum, cum contra sit faciendum. & cur tertio loco cum cognomine agnomen vocem barbaram coniunxerim. His tribus quæstionibus, quo planius potero, satisfaciam. Primum intelligendum est, Nomē accipi ὁμωνύμως: nam & genus est, & species. Genus, cum dicimus: *apud Romanos tria erant nominum genera.* Species, vt: *quorum vnum præcipue erat nomen, quod gentilitium diceretur, alterum prænomen, quod nomini gentilitio præponeretur, tertium cognomen, vnde duo illa priora distinguerentur.* Itaque & gentilitium nomen, & prænomen, & cognomen nomina sunt, si vt genus sumamus, id est, vt vocabula, quæ in nominando aliquo celebremus. vnde Dionysius de prænomine Larte dixit, Nomen. λάρ⊙ ὄνομα, προσίνας ἐπίκλησιν, & Plutarchus Caprarium & Bubulcum cognomina nomina vocauit in Poplicola & Liuius Egerium nomen, quod cognomen appellauit Dionysius, vocauit. Quare hanc etiam disputationem de nominibus inseribimus, in qua nihil aliud agimus, nisi vt gentilitium nomē a prænomine, atque hæc duo a cognominibus, præceptis, & ratione distinguamus. Quod quæris, cur nomen prænomini præposuerim, caussæ multæ sunt: *Vna* autem hæc, quod rum non vsum, sed naturam, & ortū docui. Etenim simplicia iunctis antiquiora sunt, atque priora, & si prænomen est id, quod nomini præpositum est, ergo ante sit Nomen, quam prænomen necesse est. quod cum miror a te subtilissimo viro non esse intellectum, declarabo vberius. Est aliquis princeps generis, & gentis alicuius futurus; exempli caussa Iulus Æneæ filius, aut Atis eius socius procreant filios. Hos Græci patronymico suo exprimunt, Iulidem, Atidem, Latini suo in IVS, Iulium, Atium: nihil est enim aliud Iulius, quam e Iulo natus, neque Atius, quam ex Ati, & ita in ceteris. atque hoc dictum est Nomen, quod gentilitium est. quia, ex qua gente quis sit, indicat. Cum ergo multi essent vel filii, vel nepotes Iuli, vel Atis, qui omnes Iulii, vel Atii dicerentur, vt inter se distinguerentur, fuerunt alio aliquo præposito nomine decorandi. Itaque si luce, exempli gratia, natus esset, Lucium. si mane Manium, si ad Tiberim, Tiberium, si quinto, sexto, aut decimo loco, Quintum, Sextum, Decimum appellarunt. & præposito hoc nomine illi gentilitio, dixerunt, L. Iulius, Sex. Iulius, Q. Atius, D. Atius. & sic in ceteris. atque nomē illud secundo loco excogitatum, quod antiquo nomini gentilitio præponeretur, Prænomen vocarunt. Itaque Appianus dixit: καὶ γὰρ ὄνομα ὁ ῥωμαῖος πάλαι μὲν ἓν ἦν, ὥσπερ τοῖς ἄπασιν ἑκάστῳ, μετὰ δὲ ἐγένοντο δύο, καὶ οὐ πολὺς χρόνος, ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξατο ἤδη ἐς ἐπίγνωσιν ἐκ πάθους, ἢ ἀρετῆς προστίθεσθαι.

aq. Quare si naturam spectes, quam tum ego in origine horum vocabulorum tradenda spectaui, prænomen secundum est, si vsum, primum. quod tu pro tuo acumine non intellexisti. Quod quæris, cur agnominis mentionem fecerim, intelligere facile potes, eam caussam esse, quod tum apud omnes Grammaticos, tum apud Ciceronem in libro de inuentione, & iurisconsultos rationem eius haberi compererim, me tamen idem agnomen cum cognomine existimasse, declaraui in primo capite de cognominibus, vbi hæc verba sunt: *Qui vero agnomen aliud esse a cognomine tradiderunt, ii mihi satis, quod sentiunt, non probant.* & reliqua, quibus veterum Grammaticorum opinionem oppugnaui ita vt, si eorum probanda fuerit ratio, non neglexerim, si refutanda, non approbarim. Et tamen tu cum hoc legeris, sæpius eo me nomine reprehendis, oblitus scilicet te agnominis vocem non solum retinuisse, sed etiam pro nomine gentilitio contra omnium præcepta vsurpasse. Sic enim in extremo libro ais, potuisse te agnomen tollere, sed vulgatam rationem sequi, & agnominis appellationem retinere maluisse. & omnia commode interpretatum esse. Nam capite etiam 21. eiusdem libri, incredibile est, vt summa animi æquitate in me inuehatur. Pausaniam de tribus, & pluribus Romanorum nominibus in Atticis auctorem cito; id ille quasi magnum aliquod crimen, in Achaicis, non in Atticis esse, exclamat, locumque illum ante me a Giraldo esse notatum, cum ego anno MDL meum, ille suum librum MDLIII ediderit. quæ si leuia dictu videntur, grauitati aduersarii mei, qui me hæc cogit dicere, ascribantur. Post autem vbi criminatus est, se ostensurum nihil a me dictum esse, quod a se non dictum sit prius, repetit me agnominis rationem habuisse, cum tamen illud proprio, vt dixi, capite auctore maxime Cicerone exterminauerim, quamuis in constituendis nominibus, verbis ipsis Grammaticorum vsurpatis, eius meminerim. & mihi, quia vocem eam barbaram non esse dixi, prope bellum indicit neque admirabilem ipse in ea re Ciceronis, Iustiniani, & Grammaticorum veterum, quos in ceteris rebus omnibus admiramur, consensum reformidat, nec se eam vsque ad extremum in alia, quam antiqui vsurparint, significatione, retinuisse meminit. Atque ita, si hæc capita eius legas, magnum aliquid dicere primo aspectu eum velle existimabis, si summam argumentorum subducas, nihil ab eo dici inuenies, nisi hæc: *Finem facio persequendi errata primæ editionis Sigonii.* Item: *Sane condono ipsi libenter reliqua.* Item: *Multa ridicula, & puerilia sunt, quæ dicit Sigonius.* item: *In recitandis veterum auctorum scriptis lectorem decipit Sigonius.* Item: *Pausaniæ locum ante Sigonium protulerat Giraldus.* Item: *Nihil omnino protulit Sigonius, quod non ab aliis ante esset dictum.* Item: *Errat Sigonius, quod agnomen adiunxit.* Item: *Et tamen mea oratione non est de-*

territus Sigonius, tam nullo est iudicio praditus in literis. Item: *Cum non percipis Sigoni tandem id, quod verum est? ne te ipsum & alios simul, qui te audiunt, aut tua scripta legunt, decipias, aut deridēdum prabeas.* Hæc de me contemtim, de se autem gloriose, primum illud: *Reliqua Sigonio condono.* deinde: *Enumerat Liuius omnes, qui de nominibus Romanorum scripserunt, me quoque non pratermittit, qui multo ante scripseram.* Item: *Sententiam meam totidem pene verbis protulit post me Lilius Giraldus.* Item: *Dii boni quantum ego laboraui in euellenda hac opinione, & quantum Grammaticos exagitaui hac de caussa.* Item: *Et tamen nō est deterritus Sigonius.* quid plura? Si vnus hic esset, quem Iupiter in deorum concilium aduocasset, Minerua omnes artes edocuisset, non is, qui tempus futurum pro præterito sumsisset, qui toties iam Liuium, Pædianum, Quintilianum, Ciceronem, bonos omnes e medio tollendos sine ratione curasset, qui nullam venustatem orationis, summus auctor rhetoricæ persentiret, non tam elate de se, de aliis tam summisse, de tota re tam parum ad veritatem apte & diceret & sentiret. Phalarim ipsum eo supercilio locutum in illa sua tyrannide Siciliæ, quo hunc in hac literarum rep. maledixisse existimamus? non certe. Hæc autem vera esse, argumentis, non contumeliis, a quibus mihi abstinendum esse duxi, confirmabo.

Nepotis cognomen unde.

CAPVT XV.

PLutarchus in vita Marii ait, se non reperire in veterum monimentis tertium nomē, quamuis nonnulli appellarint Nepos quod non probatur satis: videretur enim prodigus vocatus.) Reprehendit eos, qui neglecta Plutarchi auctoritate, C. Marium Nepotem appellarint. quia si Nepos dictus esset, prodigus fuisse videretur. quod non procedit: neque enim, vt alias dixi, omnes. qui Nepotis cognomē tulerunt, a luxuria dicti sunt. Etenim Pædianus Q. Metellum, qui cos. cum T. Didio fuit, Nepotem dictum significat, quasi Metelli Macedonici nepotē quamuis filium huius, qui cum P. Lentulo cos. fuit, ex eo, quod prodigus esset, dictū innuat.

Vt Liuius reprehensus sit.

CAPVT XVI.

LIVIVS *sape duo tantum profert nomina.*) Hic locus attendēdus est, vel quia notam habet quasi censoriam, in Liuium, vel quia ipse secum paulo post discrepabit.

Quid gens, & familia sit.

CAPVT XVII.

COgnomen hi videntur statuere in familia, vt sit Tullius, Cornelius.) Gentem debuit dicere: est enim gens Tulliorum, Corneliorum, Iuliorum, familia autem pars est gentis. vt multis exemplis docui in libro de nominibus. quas voces etiamsi aliquando oratores confundunt, tamē ab eo, qui artem tradit, proprie

prie sunt vsurpandæ. hanc autem rem, cum scripsit, non nouit. nunc scit, vbi Sigonii commentarium legit.

Cognomen etiam nomini præpositum.

CAPVT XVIII.

P*Rimum consequeretur, nomen esse postpositum cognomini, quod est valde absurdum.)* Quanquam verum est, Tullium nō esse cognomen, tamen incommodum, quod ex ea opinione ait consequi, prope nullum est. nam, vt paulo post ostendam, Latini nomina etiam aliquando cognominibus postposuerunt. vt Macer Licinius, Cursor Papirius, Paullus Æmilius, Crispus Salustius, Vetus Antistius, apud Liuium, & Ciceronem.

Agnomina vnde ducta.

CAPVT XIX.

D*Einde falsissimum est, quod illi asserere videntur, agnomen extrinsecus dici, aut ex animo, aut ex corpore, aut ex fortuna. vt Superbus, Pius, Crassus.)* Si illi, vt ait, agnomen Africanum vocāt in P. Cornelio Scipione Africano, ergo agnomen quartum nomē appellant, ꝙ hic falsissime ab animo, corpore, & fortuna duci ait, & decipitur. nam Catus ab animo est, & tamen quarto loco est, in Sex. Ælio Pæto Cato, & Verrucosus a corpore est, & tamen quarto loco vsurpatur in Q. Fabio Maximo Verrucosso, & Diues a fortuna est, & tamen quartum locum obtinet in P. Licinio Crasso Diuite ergo si agnomina quarta nomina ille appellat, verum est, agnomina ex animo, corpore, & fortuna duci. Adde, quod exempla, quæ affert, tertiorum nominum sunt, non quartorum, *vt Superbus L. Tarquinii, Crassus P. Licinii, Pulcer Ap. Claudii. Pius tantum est quarti, quod etiam ab animo ductum satis constat, in Q. Cæcilio Metello Pio. prætermisit etiam exemplum agnominis a fortuna sumti. o præclarum antiquitatis doctorem, vnde Sigonius, vnde omnes omnia mutuati sunt.*

Agnomen ab agnatione dictum, refutatum, & agnatos non idem esse, atque gentiles.

CAPVT XX.

A*Gnomen familiæ est appellatio. & gentis, vnde agnati, & gentiles dicebantur, qui ex eadem erant familia,* vt Cicero in Topicis ait, & idem in Bruto Ser. *Tullium regem gentilem suum ea de caussa nominat.)* Dii boni, quam paucis in verbis quot doctrinæ, & diligentiæ monimenta? Iterum constituere videtur, agnomen esse gentis, cum proprie, familiæ, dicendum fuerit Deinde agnomen ab agnatis ortum significat. nec videt, quod dixi, primum vnum exstitisse nomē gentilitium, post alterum ꝙ quia præponeretur, Prænomē esse appellatum, tertium quia cum nomine proferretur, cognomen, quasi connomen, quartum, quia cognomini adderetur, agnomen, quasi annomen esse vocatum. vt cum narum, nauum, natum, nosco, componentes dixerunt ignarum,

agnauum, cognatum, cognosco, *teste Victorino*, sic nomen, cognomen, & agnomen. non agnomen ab agnascendo, aut ab agnatione, quo nihil est in tota Grammaticæ ratione peruersius. Tertio loco ait agnatos, & gentiles ex eadem fuisse familia. nec attendit, inter agnatos, & gentiles id interesse, quod inter familiã, & gentem interest, vt docui in libro de nominibus, neque hic repetendum est quicquam. agnati autem sunt eiusdem familiæ, gentiles eiusdem gentis. Postremo ait Ciceronem in Topicis scribere, agnatos, & gentiles ex eadem esse familia, quod non scribit. inquit enim: *Gentiles, qui inter se eodem nomine sunt*, id est, *ex eadem gente*. familiæ autem, aut agnatorum non meminit. exempli caussa, *Tullii omnes eiusdem sunt gentis*, vnde dixit, *Ser. Tullium regem gentilem suum, quia ambo erant ex gente Tullia*. at non erant agnati, neq; ex eadem familia. vnde in Bruto ait, *multos vsurpasse alienã familiam, cum essent eiusdem nominis, & gentis, vt si*, inquit, *me a M'. Tullio patritio esse dicerem, qui consul fuit cum Sulpicio*. & in eodem Bruto: *Tuus gentilis Brute M. Pennus*. Nam & Pennus, & Brutus ex eadem gente, & nomine: ambo enim Iunii, sed ex diuersis familiis. nam alter ex Iuniis Brutis, alter ex Iuniis Pennis. Quod autem ait, Ciceronem in Bruto Ser. Tullium gentilem suum appellare, non est ita: id enim scribit in Tusculanis. hoc autem vbique facit Robortellus, vt vera auctorum loca nunquam citet, tam perdita memoria est.

Nominis exemplum allatum, refutatum.

CAPVT XXI.

DE *nomine non est magnopere necesse, vt vllam afferamus probationem. Satis enim notum est*, Horatius libro primo epistolarum.

Mercemur seruum, qui dictet nomina.

Satis hic locus docet, vt res obscuras videat, q perspicuas non perspiciat: inquit enim, satis notum esse, Nominis vocabulum vsurparum a Latinis, & affert exemplum, q̃ ad eam rem, quam quærimus, non pertinet: nunc enim quærimus nomẽ id, quod gentilitiũ est, quod distinguitur a prænomine, & cognomine. exemplũ autem hoc significat genus quoddã totum. dicimus enim nomina R. multa fuisse, prænomen, nomen, cognomen, vnde dixit Horatius, *si honori inseruire volumus, emamus nomenclatorem, qui dicet nomina ciuium, non gentilitia tantum, vt Iulius, & Tullius, sed omnia, vt hic est C. Iulius Cæsar, hic est M. Tullius Cicero.* gaudebant enim nobiles prænomine, vt dixit Horatius:

Gaudent prænomine molles

Auriculæ; & cognominibus, quibus plerũq; virtus eorũ, aut maiorũ suorum declarabatur. multo aũt commodius futurũ erat exemplum Catulli: *Non decet Tam vetus sine liberis Nomen esse* intelligit enim, gentem Manliam, nam cum Manliũ Torquatum

tem laudabat & in Pisonem: *Qui te nunquam viderant, tamen honorem illum nomini mandabant tuo*, id est Calpurniæ genti.

IN CAPVT XXII. XXIII.

Prænomen, & nomen vt idem sit, & diuersum. & contraria opinio reprehensa.

CAPVT XXII.

QVod prænomen, & nomen idem esse dixi, ne quis putet nouum esse, legat Plutarchum in Coriliano, vbi ait: *Et sic tertium nomen: Si acceptum, cum illi ante tantum esset proprium nomen Caius. & alterum familiæ aut cõmune gentis Marcius.* verba Græca sunt hæc.) Primum dico prænomen & nomen non esse idem, nisi nomen pro genere accipias. deinde Plutarchum non id dicere, quod hic ait. Satis enim constat Grammaticos veteres Sosipatrum, Donatum, Priscianum, Diomedem quatuor genera Romanorum nominum constituisse, prænomen, nomen, cognomen, & agnomen. & Ciceronem dixisse: *Qui vetere prenomine, nouo nomine T. erit Cæcilius*, & cetera, quæ a me alio loco collecta sunt, quibus gentilitium nomen diuersum esse a prænomine confirmatur. Plutarchus præterea prænomen vocat proprium nomen Caium. gentilitium vero, quod familie, & gentis est commune, Marcium. Sic enim hæc eius verba vertenda sunt: *Ex hoc tertium nomen inuenit Coriolanum.* ex quo perspicuum est etiam maxime, quod ex nominibus proprium fuit Caius, secundum familiæ, aut gentis commune, Marcius. Hoc eodem modo cum a me alias esset admonitus, ægre tulit. & respondit cap 22. libri primi his verbis. *Ego hæc scripseram ante in mea disputatione, cum esset mihi in animo Grammaticorum illam falsam opinionem refellere, qui statuerunt prænomen, nomen, cognomen, agnomen.* & dixeram vel debere nos tollere de medio hanc vocem (*quod inusitata esset,*) agnomen, aut si retinere vellemus, satius esse familiæ nomen per eam significare, quia agnati dicuntur, & agnatio. vnde deducta videri possit hæc vox agnomen. atque vt inueherem hãc sententiam protuli exempla. *præterea, vt id commode fieri posset, statui prænomen, & nomen, quæ separata ante a Grammaticis proferebantur, unum & idem significare posse. vt Publius, & Caius prænomina dicerentur, & nomina. atque ne id videretur absurdum testimonio Græcorum comprobabam.* His autem verbis nihil aliud efficit, nisi vt illum se e laqueo vult extricare, eo magis se implicet. Repetit enim agnomen esse familiæ, agnomen ab agnatione dictum, prænomen & nomen gentilitium idem significare, idque Plutarchum velle. quæ omnia quam sint vera, paulo ante ostendi. Neque vero negari potest, quin prænomen sit Nomen, si nomen pro genere sumas, at si pro specie, id est, pro gentilitio nomine, vt ille sumsit, & a Plutarcho sumi voluit, nihil minus. Cum ergo nihil cõtra me, nisi erroris sui declarationem afferat,

nec Plutarchum id velle, quod dixit, confirmet, tum vero, vt vere dicere videatur, artificiose fidenter in me ita subsequitur: *Nunc Sigonius me reprehendit, quia nullo iudicio præditus est in libris, nec satis attendere videtur, quid alii, quave ratione scribant.* De hoc non agitur hoc tempore Robortelle, an Sigonius sit iudicio præditus, illud agitur, vt prænomen, & nomen gentilitium idem esse, atque ex verbis Plutarchi confirmes. quod non probas, & alteri maledicis, quam modeste, quam vere, tu ipse videris. Cum autem ipse se defendere non possit, eandem in me culpam quasi rabidus retorquere conatur: accepit enim hæc omnia præcepta ab oratoribus, quorum perstudiosus est. & inquit: *Ipse Sigonius in suis scholiis ait nomen, & prænomen confundi, & prænomen nomen dici interdum, imo & ipsum cognomen*, his verbis: *Nomen autem & prænomini congruit, & cognomini.* Nec videt me sumsisse nomen pro genere, id est, pro vocabulo nominandi. quomodo fit, vt prænomen, & cognomen nomina sint. non autem, vt ille existimauit, vt prænomen, & cognomen nomina gentilicia sint. Itaq; in epitome cum scriptum esset, *Ne cui de gente Manlia Marco cognomen esset*, putaui emendandum Marco nomen: est enim Marci prænomen nomen, si pro genere sumas, non cognomen, nisi eo abutaris. Ait deinde, posse intelligi ex Dionysio, & Plutarcho Prænomen, & Nomen idem esse, quia Dionysius prænomina nomina communia vocat, Plutarchus nomina propria nec attendit, non iccirco; quia prænomina, & nomina communia, vel propria idem sunt, effici vt prænomina, & nomina idem sint, nisi eo modo, quo dixi, si Nomen, vt genus accipias. Postremo omissa hæc quæstione, quam se expedire non videt posse, robustum, vt solet, telum in me iacit, vt si sibi cadendum sit, secum saltem concidam. & ait: *Sed idem Sigonius pueriliter loquitur, cum ait: Quod si quis hos fortasse, vt leues auctores, repudiauerit, nunc animum referat ad ea, quæ scripta sunt apud Dionysium, Plutarchum, Ciceronem, & Suetonium, a quibus hæc opinio confirmatur.* Pollicetur se testimoniis illorum probaturum, rem ita se habere. *Audio Sigoni. proba, si potes horum testimonio agnomen ita proferri, vt Grammatici sentiunt.* Neque intelligit, me nolle confirmare horum scriptorum auctoritate Agnomen, cuius ipsi non meminerunt. *& quod ego, cum de cognominibus agerem, damnaturus eram, sed prænomen, nomen, & cognomen, de quibus ipsi diserte loquuntur. Nam si agnomen mihi probandum sumsissem, cur locum Ciceronis, & Victorini, & Iustiniani prætermisissem? quæ mihi ignota fuisse non potest dicere, cum ipse magister meus eorum meminerit.* Quod volui ergo, probaui, quod non probaui, ne probandum mihi quidem suscepi. Ille autem toto hoc capite nihil, nisi maledictorum in me aculeos emisit, quæstionis explicationem nullam sensit. Cumque hæc vno capite complecti posset, tamen ille, vt errata dilataret, duo fecit, neque eandem esse mate-

tiam

tiam animaduertit. Dat ergo vitio, quod cum scriptum esset lib. 3 apud Liuium: Quidam Cæsonem, alii Cognomen Quintio adiiciunt, non emendauerim, vt multi, Quidam Cæsonem, alii Caium cognomen. Sed C. nomē, leui in vetere scriptura mutatione facta, id est, o in punctum verso. itemq; iterum, quod in epitoma, pro Marco cognomen, Marco nomen co syllaba inscite repetita sublata, reposuerim. opponit autem locū Valerii, in quo de Seruio Tullio rege ait: *Statua ipsius titulus testatur seruile cognomine, quasi vero ab eo Seruius, quod prænomen in Tullio fuit, cognomen dicatur. nec intelligit, omnia nomina, unde aliquis distingui possit, cognomina abusiue posse vocari. vt enim cognomē, sic prænomen distinguendi vim habet.* quod ergo primum cognomen alteri inditum est, id non alia de caussa inditum est, nisi vt cum prænomen satis non esset, quo ab aliis internosceretur, tertio illo distingueretur. cum ergo caussa sit eadem, certe vox cognominis potest prænomini etiam, quatenus ad distinguendum partum est, accommodari. quæ tamen in appellando inter se ex ordine distincta videre possumus. sed de hac re post etiam apertius.

Tribus nominibus senatores, duobus plebeios usos esse refutatum.

CAPVT XXIII.

TRibus nominibus senatores fuisse appellatos olim obseruaui, equites autem, & plebeios maiori ex parte duobus. Liuius vbi de tribunis militaribus loquitur, hos plebeios nominat, sic, *C. Sextilius, M. Albinus, P. Titinius, L. Antistius.*) Quæ portenta dii boni? Primum ordines ipsos cognominibus fuisse distinctos, nemo vnquam docuit. ordines autē hic intelligit, cum ait, senatores, equites, & plebeios. quanquam haud fere fieri solet, vt cū de tertio ordine agitur plebeius dicatur, sed de plebe, & plebs. quod mirificus iste antiquitatis obseruator nō vidit. At quomodo probat ordines cognominibus fuisse distinctos? *Liuius*, inquit, *vbi plebeios tribunos militares nominat, hos nominat, C. Sextilium, M. Albinum* dico ex hoc argumento nihil effici, quia fortasse Liuius eorum cognomina consulto omisit, quibus affecti illi viri erant. quod ne ipsum quidem negaturum opinor, cum ita supra scripserit: *Liuius sæpe duo profert nomina, neque caret reprehensione, quia historici est omnia explicare.* Neque illud etiam procedit: *Plebeii erant ergo ex equestri ordine, vel de plebe.* Nam cum Liuius eos fuisse plebeios ait, gentem significat, non ordinem. gentium autem duo genera, patricium, & plebeium, ordinum tria, senatores, equites, plebs. in omnibus autem ordinibus erant & patricii, & plebeii. Ille autem hæc confundit, qui ab ordinibus ad gentes transit, neque quid inter eos intersit, perspicit. cum ius patriciorum a regibus, & populo daretur, ordo ex censu, & lectione censoria acquireretur. Quare si senatores soli tribus no-

S

minibus appellarentur, hoc incommodum consequeretur. vt si quis, antequam in senatum lectus esset, cognomine caruisset, tum ex censoria in senatum lectione cognomen adipisceretur, quod falsum est. Nam & C. Aelius Pætus & M. Licinius Crassus, & M. Porcius Cato, etiam antequam senatores essent, tribus nominibus vtebantur. Quod si ille dicat, se intelligere, non qui ex familiis plebeiis essent, cognomine caruisse, eius exempla ipsum redarguent. Nam Ælii Pæti, & Licinii Crassi, & Porcii Catones plebeii fuerunt. & tamen tribus nominibus vsi sunt. quid dicam de C. Mænio, Ti. Coruncanio, C. Duilio, Q. Cædicio, M'. Manilio, L. Opimio, T. Didio, Mariis, Antoniis, qui omnes plebeii fuerunt, quosque, cum consulares omnes, multi censorii, aliqui etiam triumphales fuerint, senatores quoque fuisse verisimile est, & tamen duobus tantum nominibus vsos videmus. Illud autem hunc nostrum fortasse decepit, quod nobilium magis fuerũt cognomina, quam ignobilium. quoniam autem nobilitas ante patriciorum fuit, quam plebeiorum, propterea cognomina etiam ante in patriciis audita, & frequentata sunt, quam in plebeiis: erant enim patricii tum notiores, quod ipsi soli remp. administrabant, & cognominibus distinguendi erant. Cum hæc ego, atque alia multa huius opinionis refutandæ caussa alias scripsissem, ille tamen nihil respondit, & se a pueto senem tam acriter castigari passus est sed ad contumelias confugit, quibus nihil potuit facere indignius. Ex eius autem silentio hæc, quæ dixi, verissima esse omnes intelligere possunt.

Decimum D. litera significatum.

CAPVT XXIV.

VNa litera, vt Decimus, non Decius, vt multi inepte proferunt.) Hac de re ego ita: *Quoniam multos esse animaduerti, qui D. Decium interpretarentur, notum quidem errorem, sed errorem tamen tollere volui.* & reliqua quibus errorem confuto. Robortellus cap. 33. libri primi obiicit mihi, quod hoc a se sumserim, & quod se auctorem cum præfatione honoris, vt debui, non fecerim. quasi vero cum dixi: *Notum quidem errorem, eum ab alio ante me indicatum, nõ significauerim.* ex hoc autem vno loco omnia me sua scripta compilasse ait. quod an verum sit, efficiam, vt ipse aliquando intelligat, cum quam multis in rebus ab eo dissentiam, senserit.

Tiberium non T. litera significari, sed Ti.

CAPVT XXV.

T Id est, Titus. vt T. Ampius. quamuis in Sempronio Graccho Tiberiũ significet, in quo multi errãt.) Alio loco docui errarẽ ipsum, qui T. Tiberiũ significare dicat. Tiberiũ enim duabus literis Ti. demonstrari. idq; etiam Plutarchi testimonio, quod ille videre non potuit. quam ad rem nihil eruditus homo respondit.

Appius an semper prænomen.

CAPVT XXVI.

APpius semper prænomen.) At Corradus lapidem antiquũ citat in Bruto, ex quo apparet, Appium ibi esse nomen gentilicium. vt etiam Numerium in lapide Veneto, Cn Numerius.

IN CAPVT XXX.

Prænomina aliquot integris esse scripta.

CAPVT XXVII.

REperio aliquando prænomina ex integris dictionibus, vt Agrippa Menenius. Licinius Menenius.) Hinc factũ est, vt obiecerit mihi cap. 30. quod docuerim, vna, duabus, & tribus literis prænomina scripta esse, pluribus autem omiserim. idque iniuste. nam cum dixi, vel vna, vel duabus, vel tribus, id ex auctoritate veterum Grammaticorũ, & Plutarchi feci, qui, vt pluribus literis scriberẽtur, non docuerunt. non omni si tamen Agrippam, Vibium, Hostum, Voleronem, Volusum, Posthumum in veteribus lapidibus aut pluribus, aut omnibus literis esse notata vt si veterum auctoritatem spectaremus, nihil ad ea, quæ illi scripsissent, adderem; & visum, obseruationem meam non prætermitterem.

IN CAPVT XXXI. XXXII. XXXIII.

An Licinius, Actius, & Nisius prænomina fuerint.

CAPVT XXVIII.

LIcinius Menenius Lanatus.) Ego etiam in meo commentario ante Licinium prænomen esse scripseram, quia bis in eodem viro vsurpari a Liuio videbam, post autem cum Liuium emẽdaturus, Diodori Græcos libros euoluerẽ, atq; Lucium Menenium pro Licinio inuenirem, neq; id aliter esse posse ob eas, quas attuli in scholiis Liuianis, rationes sentirem, mutaui sententiam, & Robortellum, vt mutaret, admonui. Ille autem, ne quicquam a me didicisse videatur, in pristina permanet. & ait capite 31. libri primi, se probasse ea, quæ aliquando prænomina fuerunt, post fuisse nomina, vt Menenius Licinius. in quo facit ridicule: affert enim ad probandum id, de quo controuersia est. Cap. autem 33. obiicit, quod idem & ego antea scripserim Suum autem Diodorum non λεύκιος habere, sed λικίνιος ait. neque, vt apud Liuium Licinius Menenius legi debeat, defendit. quid plura? cum ego iampridẽ illum admonuerim nihil ipsum dixisse de Manio, Numerio, Cæsone, Mamerco, Volerone, aliisque innumerabilibus prænominibus, & notis eorum, quæ ex tenebris vetustatis a mè omnia eruta sunt, ea vero tantum docuisse, quæ omnibus nota erant: non fuisse respondet sibi propositum omnia persequi, sed tantum regulas generales proferre ad dignoscenda veterum Romanorum nomina. cum tamen videatur contra profiteri in epistola, cum ait: *Et si tam multa in eo genere mihi collegisse videor, vt enim nihil, quod a ceteris dictum sit, prætermiserim, multa etiam*

addiderim, quæ ab ipsis fuerant prætermissa. his enim verbis se omnia, quæ sciat, complexum significat. ex quo intelligere possumus, quæ præterita ab eo sunt, ea in eius cognitionem non cecidisse. Deinde addit in me conuersus: *Vter nostrum prudentius egit Sigoni. Ego ne repeterem, quæ ab aliis ante dicta fuerunt, ita scripsi. tu quæ ab aliis, & in primis a me fuerunt ex Græcis auctoribus prolata, omnia repetis, & profers, quasi a te primum inuenta.* Cui ego: *Imo vero, vter prudentius egit nostrum Robortelle, tu, qui nihil prætermisisse te dicis, ex iis, quæ a ceteris dicta sunt, an ego, qui nihil a te sumsi, nisi quod errantem te multis in locis refutaui. an vero hoc credibile est, maximum meum volumen de nominibus ex tuo duarũ pagellarum libello compilatum esse? quid autem sumere potui, si omnia iam inde ab initio improbaui? an credis, quæ sumsissem, eadem esse refutaturum? an etiam illa omnia, quæ innumerabilia sunt, a te relicta, ex intimis magni pectoris tui penetralibus hausi? Vide in hoc genere, in quo te valere plurimum putas, vt frigeas: neq; enim quicquã me a te sumsisse, nisi D. Decimum, non Decium significare proferre potuisti,* de quo satis supra dictum est. Dixeram Actium prænomẽ esse Sabinum, & id quidẽ auctore Valerio, vnde Actius Clausus nunc quærit, capite 31. cur non sit item in Tullo Attio. quasi vero Tullus Attius Sabinus sit, & non Volscorum rex. Dixeram in Actio Nævio, videri legẽdum esse Attium Næum. primũ, quia Dionysius νέβιον vocat nomen commune, Attium vero gentilitium. commune autem nomen pro prænomine a Dionysio vsurpari, deinde quia suspicabar Næuium esse mendose, pro Næum. Latinos enim Næũ pro Cneo vsurpasse, Valerio, & ceteris Grammaticis attestantibus. Itaq; alio loco Liuium mendose Manlium Næuium, pro Manlio Cnæo dixisse, atque hæc multis verbis in scholiis Liuianis libro primo docueram. Quid ad hæc Robortellus? vbi contumeliarum hastas iecit, manum conserturus clypeum solitum opponit, emẽdationem diuinatione innixam. νέβιος inquit, non νέϐιος legendum est & addit Græcos sine discrimine vti β, & ου, vt λαβίνιους, & λαουίνιους. quod præceptum cum tritum, tum a re proposita alienũ est. Concludit autem Nauiũ esse prænomen, eadem ratione, qua ego siue Neuiũ, siue Næum esse concluseram. Itaque toto capite cum multa dicere videatur, nihil tamen dicit: quære enim cur Nauius sit prænomen; ex eo capite (est autem 31. primi libri) nihil elicies aliud, nisi, quia ita legi debet apud Dionysium. At sequenti capite primũ inquit, me non legisse Festum, post ait, animaduertisse se me legisse Festum. quid ait Festus? *Ficus Nauia ab Attio Nauio augure. quasi vero in eo nomine vsurpando non alios secutus Festus esse auctores potuerit, quam Dionysius.* Tandem me dimisso in Valerium, quasi victor incurrit, qui Cnæum scripserit dictum eo, quod in corporibus genitus sit, & irridet eum, quam salse, non attinet dicere. quasi vero, inquit,

quit, in mantica, aut in crumena, aut cista aliqua alii gignantur, & Cnæi tantum in corporibus. Suscipiamus ergo nos caussam Valerii, vt ei, a quo multa didicimus, gratiam aliquā referamus, & corrigamus Valerium, nō quidem ex ingenio, vt solet Robortellus, sed ex manuscriptis libris, quos habemus: inquit enim, *Cnaeum dictum esse ob insigne naui, idque praenomen Cnaeum, Gnaeum, & Naeum varie esse appellatum; a naeuo autem, qui in corporibus gigni solet, Gnaeum nominatum.* Qua lectione constituta, nullus iam iocis Robortellianis relinquitur locus. hinc etiam apparet, cur Græci γναῖος scribant, nimirum, quod diphthōgo etiam Latini, vt prænominis originem declararent, in eo vterentur. Si ergo Næus, & Gnæus, & Cnæus idem sunt, quid mali feci cum Dionysii νέβιον, pro Næo mendose positum esse scripsi? Si Festi auctoritas non repudianda fuit, quid præterii, cum ex Festi loco dubitari de tota re posse significaui?

IN CAPVT XXIV. ET XXVII.

Faustum & Faustam praenomina esse.

CAPVT XXIX.

HOc autem loco videtur etiam respōdendum esse de Fausto, de quo ita sæpe ipse iam egit, vt per annos iam septem nihil aliud audisse mihi videar. ita nullum ille locum, nullum tempus prætermisit, quo nō mihi Faustum istum abiecerit. nullum amicum, nullum familiarem præteriit, quibus cum de Fausto meo non egerit, vt aliquando veritus sim, ne insignem aliquam iniuriam, ac contumeliam a Fausto aliquo, vnde lacrymæ istæ manarent, acceperit. nam naturali odio, cur in Faustū boni ominis vocabulum sit incensus, non video. Scripsi Faustum prænomen esse, auctore Valerio, qui ait, vbi de origine aliorum prænominū disserit: *Faustus a fauore dictus.* obiicit Robortellus, *Valerii locū esse vitiosum, etsi rectus sit, Valerium tamen, vt leuem auctorem, esse cū suo Fausto repudiandum.* ego vero cum vitii nihil dispicio, tum Valerii auctoritatē Robortellianæ longe antepono. quod si mecum ille agere hoc modo perrexerit, vt supra, cum de Plinii auctoritate disputaui, sic non ineptis ipsum fortasse interrogationis aculeis excitabo, & Valerio etiam sine alio teste credendum esse probabo: quid enim? His crebris eius permotus vocibus, ne non amico obsequi roganti potius, quam admonenti velle viderer, rationem aliquando iniui, qua aliquo modo ei satis facerem. Faustum igitur non omnino exclusi e numero prænominum, qui enim id facere per Valerium poteram? sed inter peregrina prænomina retuli, & socium Volusi feci, quem Sabinum esse prænomē, & inde Romam translatum acceperam. Faustulus enim etiā ante Romam conditam Albanus pastor celebratur. non fuit hoc contentus Robortellus, omnino Faustum e finibus Latinorum a me cupit expelli, & ei aqua, & igni interdici. non faciam Robortelle,

vt rogatu cuiusquā antiquū prænomen eiiciam. non patitur Valerius, non patiuntur monimenta vetera, quorū vnum, quod nūc ad manum est, recitabo. in libro veterum epigrammatum Iucundi Veronensis, cuius supra memini, est tale epitaphium.

Interamnis.

PROVIDENTIA TI. CÆSARIS AVGVSTI NATI AD ÆTERNITATEM ROMANI NOMINIS SVBLATO HOSTE PERNICIOSISSIMO P. R. FAVSTVS TITIVS LIBERALIS VI VIR ITER. P. S. F. C.

Ex quo epigrammate apparet, Faustum prænomen esse Tiberii tempore; si autem Tiberii, certe etiam Augusti, cuius tempore Faustæ cuiusdam ex plebe fœminæ meminit quoq; Plinius lib 7. obiicit præterea, quod Faustum in Cornelio Syllæ Dictatoris filio prænomen esse dixerim in prima editione prænominum, idque, quia in secunda sublatum videt, tanto vehementius, quanto ipsum meo magis quasi repulsum iudicio sentit, reprehendit. quę sunt istæ pectoris tui angustiæ Robortelle, vt per te nihil vel trima obseruatione excogitare, quod aduersario tuo obiicias, possis, nisi quæ ille in suis scriptis mutarit, & quasi condemnarit, notes, atq; accuses? deinde cur facis, contra quam pollicitus es? nonne enim dixeras, te cum ludorum sæcularium errores, quibus te turpissime implicuisti, exposuisses, reliqua te mihi omnia primæ editionis errata condonaturum? cur ergo nunc de Fausto Cornelio, quo iam aures obsurduerunt meæ? cur hac te vexare ταραχῇ pergis? cur non iam tandem finem hoc nomine mihi maledicendi facis? Si fuit erratum, non est a te exagitandum, posteaquam sustuli; si nō fuit, multo minus. erratum? inquit Robortellus, imo fœdissimum portentum. in quo portentum Robortelle suauissime? dixi in filio Syllæ dictatoris Faustum esse prænomen. hoc est portentum? audi Plutarchum in Sylla. *Ex Metella geminos, inquit, peperit, marem, & fœminam, atq; illum Faustum, hanc Faustam nominauit.* Cum filio suo Sylla Fausti nomen imposuit, an tum cognomen imposuit, an prænomen? primū quando alias a parentibus filiis cognomina indita esse probabis? deinde quid erat necesse, vt cognomine Fausti filium ornaret, cum Felicis cognomen patrium, quod idem significabat, vsurpare posset? an vt diceretur Cornelius Sylla Faustus Felix? non certe. Sed vt diceretur Faustus Cornelius Sylla Felix. an vero post ita mortuo patre vocatus ab omnibus sit, nō quæro. de consilio patris nunc disputo. Ille enim cum in florenti fortuna constitutus geminos peperisset, noua familiæ prænomina, vt in noua dominatione, & extraordinaria potentia sibi vsurpanda duxit, Faustum, & Faustam. hac re posita, cum Asconius dicat in or. pro Scauro, Faustus Cornelius Syllæ filius, & pro Milone, Faustus Sylla, an repugnare tibi

Plutar

Plutarcho, aut negare, quominus Faustus in eo prænomen sit, videtur? Dices, hæc non hoc modo tractasti in eo libello. an nescis me multis in rebus, vt tritis σιζᾶν; cur ea igitur sustulisti, inquis. non sunt omnia neq; hoc loco, neq; tibi mea consilia aperienda, cum tua sustulero, tum rationem reddam, in meis non esse necesse puto. Nam quod repetis de fragmento Capitolino. cum syllabæ illæ & a Marliano, & a te coniunctæ editæ sint, tolerabiliorem meam tum fuisse coniecturam existimo, quam tuam. ego enim prænomē reposui, tu cognomen. memini enim, cum tu Venetiis eundem supplendorum fastorum laborē, quem ego, te suscepisse, sed post meum editum destitisse. diceres, vt mihi huius tuæ liberalitatis fidem faceres, librum ostendisse, in quo fragmenta supplere institueras, atq; illo in loco non Fausti, sed Ambusti, cōiunctione item syllabarum illarum deceptum reposuisse, meq; tum tibi istum errorem, narrata tibi de disiungendis illis syllabis coniectura, eripuisse, quam ad me ab eruditissimo homine Antonio Augustino multo ante Roma delatam esse, locupletissimus testis est Ludouicus Casteluetrus, vir integerrimus, idemque, vt ais, amicus tuus. Quare quid est, quod amplius hoc fragmento in me lacerando te frangas. in quo si fuit error, nisi ipso inspecto lapide, intelligere difficile fuit, te vero bis eodem, vel cum ita edendum curasti, vel cum Ambusti reposuisti, implicare, turpissimum fuit. Si autem coniectura adhibenda fuit, quam a me acceperas, in ea te tam sæpe, & tam gloriose iactare, cupidi hominis fuit. Semper hoc agis Robortelle, vt aut ea, quæ non scripsi, aut non eo modo, quo scripsi obiicias, aut operariorum errata, aut Manutianos asteriscos mihi vitio vertas, aut quæ meo damnaui iudicio, damnes. de quibus tamen omnibus tibi satis esse responsum puto. nisi forte me contumeliis etiam respondere velis, quibus crebrius, & insolentius vteris, quam tua grauitate, & prudentia dignum est. Qua quidem in re ego Sigonii mores imitabor, tu Robortelli.

IN CAPVT XVIII. ET XXV.

Quando prænomina imponerentur, disputatum.

CAPVT XXX.

VEre dicam, nullum suscepi in hac disputatione laborem grauiorem, quā vt ordinem aliquē his quæstionibus darem. Etenim Robortellus vt semper alias, dissolutæ scopæ. nihil ordinatim, saltuatim omnia. quod debet vno capite, id duobus, tribus, pluribusve cōplectitur, a re digreditur, quod proposuit, non probat, aliena confirmat. verba multa, nihil neruorum, contumeliæ plurimū. Itaq; summo studio extrahēdum est ex tanta quasi verborū colluuione, quid ille velit. quid probet. Argumenta ordināda, in capita digerenda sunt, digressiones omittendæ, cōtumeliæ, vt ab irato homine, contemnendæ. Atq; hæc caussa fuit, cur ego

tot capita in hunc locum redegerim, atque eis hoc demum loco responderim. Sed de meo consilio satis. nunc ad rem. Cum de prænominibus imponendi, disputarem, dixi magnam esse inter veteres hac de re controuersiam. Valerium enim a Plutarcho, & Festo dissentire. Is enim ex Scæuolæ sententia ait, *pueris cum togã virilem sumerent, puellis, cum nuberent, imponi prænomina consueuisse, reliquos vero pueris, nono die, puellis, octauo nomina imposita tradere.* Hoc igitur ille statim arripuit, quod rederet, & nullam dissensionem esse ait. *Nam Valerium loqui de prænominibus, Plutarchum, & Festum de nominibus*, id est; *de gentiliciis nominibus.* cur autem ita sit, nihil affert capite 18. tantum summæ acclamationis loco, quasi re satis suo testimonio grauissimo confirmata concludit, ita: *Quis iam ferre possit tantam Sigonii inscitiam, qui omnia suis nugis confundit.* at vero capite 25. affert verba Valerii, qui inquit, *Publis, qui prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent, & inquit his verbis existimasse Valerium Romanos habere prænomina tunc cœpisse, cum virilem togam sumerent. inde vsq; ad extremum nihil aliud, nisi acerba in Sigonium contumelia.* Nunc nos quantum hanc eius expositionem vrgeat incommodum, videamus. *Prænomina, inquit, maribus, cum virilem togam sumerẽt, fœminis cum nuberent, imponebantur. gentilitia nomina illis octauo, his nono.* Primum doce Robortelle, cum Plutarchus inquit, ὀνόματα τίθενται, de gentiliciis intelligere. ego enim tibi tum probabo, cum ea Græci exprimere volunt, τὰ συγγενικὰ, & τὰ οἰκεῖα, & τὰ γένους ὀνόματα appellare; atque eosdem pro prænomine & cognomine nomen vsurpasse. Quo fit, vt ego apud Plutarchum, & Festum nomina pro prænominibus accipiam. deinde ostende aliqua vestigia huius consuetudinis, quod gentilitia nomina liberis imposita sint. neque afferas illud tuum: *Puto fuisse consuetudinem, ne ignoraretur, quis e qua ortus esset familia, vt lustrico die infantibus nomina imponerentur. imponebantur autem eadem, quæ & patrum erant, hoc est, gentilitia.* Sed aut auctoritate veteris alicuius scriptoris, aut aliquo exemplo id proba: neque enim hanc ego consuetudinem inuenio, eamque ne esse quidem potuisse dico. quid enim erat necesse pueris imponere nomen gentilitium, quod etiam repugnante patre ferebant? & quod vbi primũ nati erant, dum modo certo essent patre, habebant? & quod ne patris quidem arbitrio mutari poterat? exempli gratia, suscepit filium M. Tullius Cicero, cur vis puero illi a patre Tullii nomen imponi, quod est commune totius Tulliæ gentis, & eorum omniũ, qui ex Tulliis nati sunt: quid enim significat Tullius, aut Iulius aliud, nisi qui in gente Tullia, aut Iulia natus est? Si ergo gentilicia non imponebantur, profecto cum Plutarchus, & Festus nomina imponi dixerunt, prænomina, quæ in potestate patrum erant, quæ potissimum filiis imponerentur, intellexerunt.

Testis

Testis est Festus, cum inquit *Numerium Otacilium Maleuentanum Q. Fabio filiam collocasse, ea conditione, vt qui primus natus esset puer Numerii prænomine ornaretur*; testis est Plutarchus, *cum Romulum Primum, Syllam Faustum, & Faustam liberis suis nomina imposuisse prodidit.* Testis est Liuius, *qui cautum* ait, *ne quis e gente Manlia Marci prænomine vteretur*: testis est Suetonius, *qui Lucium a Claudiis repudiatum, Cnæum, & Lucium a Domitiis Ahenobardis tantum probatos in Tiberio, & Nerone scriptum reliquit.* nunquid simile de gentiliciis? quæ vt non adimi, sic ne imponi quidem potuerunt. Nam qui in alteram gentem adoptione transierunt, suam tamen non amiserunt, sed se exempli gratia & Octauianos, & Æmilianos, & Seruilianos. cum ex Octauia, Æmilia, & Seruilia exiissent gente, vocarunt. Quis vnquam inuentus est Cornelius, qui filium suum Cæcilium, cum gentilicium imponere vellet nomen, imposuerit? Faustum quidem, quod sui arbitrii erat, Cornelius Sylla imposuit, non Tullium, aut Iulium. Si ergo gentilicia nomina imposita fuisse non probas, ego vero prænomina imposita fuisse, gentilicia imponi necesse nō fuisse probaui satis patet, Plutarchum, & Festum cum nomina dixerunt, prænomina intellexisse, atque adhuc controuersiam illam, quam ego intuli, manere, eamque aut temporibus, vt dixi, aut prænominibus distinguēdis dissoluendam esse. Verba enim Valerii sunt hæc: *Pueris non prius quam togam virilem sumerent, puellis non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuisse Q. Scæuola auctor est.* neque vero quo tempore, aut quæ prænomina imponi moris fuerit, exprimit. vt sint, qui suspicentur, recte ne, an secus, non definio, Scæuolam iurisconsultum de prænomine Caio, & Caia, quo & viri, & mulieres maxime nubentes vtebantur, intellexisse: vnde vulgatum illud: *Vbi tu Caius, ego Caia*, Festo, & Cicerone testibus. Nam quod opponis Valerium dixisse, Publios fuisse dictos, qui prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent, quid meam caussam lædat, non video. nonne enim dixi, ex Valerii sententia prænomina maribus cum togam sumerent esse imposita? dixi. quomodo ergo illud tu hoc Publiorum præcepto oppugnas? cum idem, atque ego, dicas. Incredibile est, qui tua scripta parum attente legat, vt te primo aspectu multa, vt magna quædam dicere iudicet, vbi intentius rem spectare instituat, vt nihil esse, quod dixeris, inueniat. vt hoc loco. negasti cap. XVIII. controuersiam esse inter hos scriptores, cap. autem XXV. id probasti verbis Valerii de pupillis allatis, quæ meam non modo non oppugnant, sed etiam propugnāt sententiam. Deinde in contumeliis reliqua. Disce igitur aliquando Robortelle, vel argumentari robustius, vel loqui modestius, vel auctorum verba considerare acutius. ordinem disce, quo nihil est in omni arte præstantius: nam hic rumor percrebuit, te quidem [illegible] concepisse.

An omnia nomina gentilicia in IVS desinant.

CAPVT XXXI.

SCiendum vero omnia nomina, quibus familia significantur praeferri in IVS.) Primum, gentis, non familiæ, fuit dicendum. deinde non omnia in IVS terminata esse ego alio loco ostendi.

Expositio loci Ciceronis explosa.

CAPVT XXXII.

IDeo conqueritur Cicero libro epistolarum ad Atticum quinto, cum esset in Cilicia pro Coss. & expugnasset oppidum Pindenissum, non esse aptum ad cognomen parandum) Quid alio loco de hac interpretatione indicarim, nunc exponam. Nam hic noster sensum germanum Ciceronis non videtur assecutus. Neque enim Cicero queritur Pindenissum non esse aptum ad cognomen parandum, sed ad gloriam, ex eius expugnatione propter oppidi obscuritatem parandam. Sic enim ait: *Saturnalibus mane se mihi, Pindenissa dediderunt, qui, malum, isti Pindenissae? qui sunt, inquies, nomen audiui nunquam. quid ego faciam? non potui Ciliciam, Ætoliam, aut Macedoniam reddere.* quibus verbis de obscuritate, vt dixi, oppidi queritur, non de cognomine inepto. neque enim quisquam vnquam Imperator Romanus, aut Cilix, aut Ætolus est ex victoria nominatus, vt iis in cognomine inuidere posset, verum aliquot ex iis prouinciis clarissimos triumphos egerunt. Hoc idem sentit etiam Cicero, cum scribit ad Cœlium: *Expugnabam oppidum Pindenissimum tantis opibus, tantoque negotio, vt mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi, id est, quod obscurissimo nomine cum sit, ne mea quidem satis gloriosa esse victoria, & expugnatio possit, qualis eorum fuit, qui Ciliciam, Ætoliam, & Macedoniam subegerunt.* Nam quod ait Robortellus, ineptum ad cognomen esse, non video cur non Cicero Pindenissa facile dici potuisset, vt quondam Valerius Messala a Messana victa, si splendidum oppidi nomen fuisset. Atque hoc modo ante a me admonitus, nihil tamen eloquentissimus, & peritissimus homo respondit, seque a puero senem coargui hoc modo permisit, & contumelias pro defensione opposuit; quo nullum robustius telum esse Robortellus existimat.

An Vopiscus cognomen fuerit.

CAPVT XXXIII.

VItio corporis, vt Vopiscus, Pansa.) Vopiscus ante fuit prænomẽ, veteribus grammaticis auctoribus, & quidem Iuliorum. cognomen autem fuisse rep. stante probandum est.

Vnde Casaris cognomen ductum sit, & de numismatis cuiusdam Casaris interpretatione.

CAPVT XXXIV.

ILlud non praetermittam, Casarem non ab vtero caeso dictum, quod multis video placere, sed quod ait Seruius, & Spartianus, ab elephanto

phanto

phanto primum Caso. nam lingua Punica Caesar elephas dicebatur. Quare in quibusdam argenteis nummis apud me videre est, ab altera parte elepantem cum hac inscriptione, CÆSAR, *ab altera autem instrumenta, quibus elephantos Romani perimebant.)*

Numam illum, cuius ipse meminit, ego accurate effingendum curaui, vt omnes homines eius industriam in Romani antiquitate illustranda cognoscerent. sunt enim eiusmodi numi multi cum apud alios, tum apud clarissimum, & humanissimum virum Andream Lauredanum patricium Venetum. quanquam quæ ille ad hunc numum interpretandum attulit, ea a multis huius artis peritis, reprehendi sæpe animaduerti, qui quæ ille instrumenta elephantorũ interimendorum esse tradidit, ea pontificalia, ac religionis potius insignia esse contenderent, albogalerum, vel tutulum secespitam, aspersorium, & vas sacrificale. Albogalerum enim ita describit Festus: *Albogalerus a galea nominatus est. est enim pilleum capitis, quo diales flamines, id est, sacerdotes Iouis vtebantur: fiebat enim ex hostia alba Ioui caesa, cui affigebatur apex virga oleagina.* Tutulum autem ita: *Tutulum vocari aiunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & exstructum in altitudinem.* Ennius:

Libaque, fictores, argeos, & tutulatos.

Itaque Varro lib. de lingua lat. exponens hunc eundem Ennii versum, ait; *Tutulati dicti is, qui in sacris capitibus habere solent, vt metam id tutulus appellatur ab eo, quod matres familias crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent, vti velatos, dicunt tutulos: siue ab eo, quod tuendi caussa capilli fiebant, siue ab eo, quod altissimum in vrbe est, quod est arx, ea res tutissima tutulus vocatur.* De secepista sic Festus: Secepistam *alii securim, alii dolabram aneam, alii cutellum putant.* Item: *Secepista cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, solido, iuncto ad capulum auro, argentoque fixum clauis aneis are Cyprio, quo flamines flaminea virgines, pontificesque ad sacrificia vtebantur. dicta autem est secespita a secando.*

Aspersorium quidam vocant, quo aquam lustralem aspergebant. Vnde Virgilius.

Ter pura socios circumtulit vnda
Spargens rore leui——— Et alibi.
——— *corpusque recenti*
Spargit *aqua* ———

Vas sacrificale est, vel capedo, vel simpuuium. De capedine Cicero in Paradoxis: *Quid autem Numa Pompilius? minus ne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles vrnulas, quam filicatas aliorum pateras fuisse arbitramur*: & lib. III. de nat. *Docebo meliora me didicisse de colendis diis immortalibus iure pótificio, & more maiorum, quam capedunculis, quas Numa nobis reliquit.* De Simpulo Festus: *Simpulum vas paruum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur, a sumendo dictum, Varrone auctore, vt fortasse a capiendo capedo dicta est.* Et Iuuenal. Satyra VI. *Aut quis Simpuuium ridere Numæ, nigrumque catinum.* & Plinius libro XXXV. *In sacris quidem etiam inter has opes non murrhinis, cristallinisue, sed fictilibus prolibatur simpullis.* His igitur rationibus adducti multi instrumenta hæc, quibus elephantes interficerentur, esse negant. pontificalia autem (vt dixi) insignia esse asserunt, quæ diuo Iulio Cæsari consecrato, & in deos relato tributa sint ab Augusto, qui in patris Pont. Max. mortui honorem hunc nummum percusserit. Itaque ab altera parte esse elephantem consecrationis symbolum. Vnde Suetonius in Claudio scripserit: *Claudius auiæ Liuiæ diuinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum curauit; eadem etiam de caussa anguem elephanti ipsi esse subiectum, qui auctore Plutarcho in Cleomene, heroibus sacer esset.* Vnde Virgilius in V. de angue ad tumulum Anchisæ mortui dixerit.

Incertus genium ne loci, famulum ne parentis;

Cum apotheosin eius significare vellet, vt ait Seruius. Sed siue hæc, siue alia sunt, profecto nihil hic nummus ad eum, qui primum elephantem occidit, neque ad ipsa demum elephantorum interimendorum instrumenta pertinet, quod amicus meus ingeniose confinxit: præsertim vero cum fabrile scalprum cum malleo ad eiusmodi belluas interimendas adhibitum sit, auctore Liuio. Spero tamen, cũ hæc ille audiuerit, eum pro summa, & recondita multarum rerum, qua præditus est, cognitione, quod antea omisit, veterũ scriptorũ auctoritate hæc instrumẽta esse ad interimẽdos elephantos idonea ostensurum, atq; hunc nũmum diligentius, q̃ adhuc fecit interpretaturũ. His verbis cũ ego olim hanc huius interpretationẽ oppugnassem, respondit, se nũmum hunc domi habere, meq; nũmum alium, q̃ quem ipse habeat, attulisse. Hunc autem nũmum, quem ille habet, si modo habet, nemo, quod sciam, vidit. Itaq; liberum sit vnicuique, eam, quam velit, fidem ei habere.

Mulie-

Mulieres alio aliquando, quam Caia prænomine esse vsas, confirmatum. Plutarchi, Varronis, Valerii loci alii a fœdissimis emendationibus defensi, alii declarati. An cognominibus fœmina vsa sint. repugnantium opiniones refutata.

CAPVT XXXV.

MVlieres a nomine gentis vocabantur, & vno tamen nomine, vt Portia, Cornelia, Iulia, Tullia, in epistolis tamen Cœlii ad Ciceronem Epist. VIII. legere est *Paulam Valeriā*, & alibi eandem a Cicerone *Polam* vocatam, sicuti *Tertullam* a Plutarcho, quod diligenter considerandum est. Plutarchus in problematis, vbi quærit, cur maribus nono, fœminis octauo die nomina imponerentur, ait: *Mulieres vno, aut duobus appellabantur nominibus. ego duobus appellari nunquam obseruaui, ni fortasse prænomen illud significare voluit Plutarchus, quod est omnibus mulieribus commune, vt dicerentur Caia.)* His verbis ille, vt patet sine vlla dubicatione, affirmat mulieres nullo vnquam alio nomine, nisi gentilicio esse vsas. Plutarchi vero locum de duabus fœminarum nominibus, ad prænomen Caiæ, quo omnes fœminæ vterentur, refert. Hæc ego cum legissem, cumque ea multis modis, vt falsa, labefactari posse sentirem, in meo de nominibus Romanorum commentario scripsi: *Mulieres alio aliquando, quam gentilitio nomine, & Caia prænomine fuisse appellatas. nam etiam fœminis Luciam, Publiam, Numeriam, Titam, Maniam, Posthumam, Proclam, Primam, Secundam, Tertiam, Quartam, & Quinctam prænomina fuisse*, idque Valerio, Festo, Varroni, Plutarcho, Liuio, Ciceroni, lapidibus aliquot etiam veteribus assentientibus, placuisse comperiebam. Quibus ex rebus omnibus conclusi, arbitrari me illud satis intelligi, Mulieres Romanas præter Caiam alio aliquando prænomine esse vsas. quibus verbis illud significaui, me præceptionem illam huius hominis non probare, qui sine vlla exceptione mulieres vno tantum nomine gentilicio, & vno tantum prænomine Caia ornarat. cur autem ALIQVANDO addiderim, ea caussa fuit, quod perpetua, atque omnium ne mulierum prænomina fuissent, satis constitutum non habebam, & maxime tota de hac ratione addubitabam. Atque hoc quidem cum aperte in eum scriberem, nullo tamen asperiore verbo vsus sum, vt omnes intelligerent, me rem solum, quam ille pro certa attulisset, cum se mulieres vno tantum, duobus nunquam appellari nominibus, obseruasse professus erat, in dubium reuocare, nec tamen definire. Nunc ille, cum mea legerit, seque iuste a me admonitum senserit, eandem quæstionem retractauit. Ne autem videretur aliquid a me didicisse, magnam partem eorum argumentorum, quæ ego ad meam opinionem confirmandam compararam, sibi con-

nec Plutarchum id velle, quod dixit, confirmes, tum vero, vt vere dicere videatur, artificiose fidenter in me ita subsequitur: *Nunc Sigonius me reprehendit, quia nullo iudicio praeditus est in loquendo, nec satis attendere videtur, quid alii, qua vero ratione scribant.* De hoc non agitur hoc tempore Robortelle, an Sigonius sit iudicio praeditus, illud agitur, vt praenomen, & nomen gentilitium idem esse, itaque ex verbis Plutarchi confirmes. quod non probas, & alteri maleficis. quam modeste, quam vere, tu ipse videris. Cum autem ipse se defendere non possit, eandem in me culpam quasi rabidus retorquere conatur: accepit enim haec omnia praecepta ab oratoribus, quorum perstudiosus est. & inquit: *Ipse Sigonius in suis scholiis ait nomen, & praenomen confundi, & praenomen nomen dici interdum, imo & ipsum cognomen*, his verbis: *Nomen autem & praenomini cõgruit, & cognomini.* Nec videt me sumsisse nomen pro genere, id est, pro vocabulo nominandi. quomodo fit, vt praenomen, & cognomen nomina sint. non autem, vt ille existimauit, vt praenomen, & cognomen nomina gentilicia sint. Itaque in epitome cum scriptum esset, *Ne cui de gente Manlia Marco cognomen esset*, putaui emendandum Marco nomen: est enim Marci praenomen nomen, si pro genere sumas, non cognomen, nisi eo abutaris. Addit deinde, posse intelligi ex Dionysio, & Plutarcho Praenomen, & Nomen idem esse, quia Dionysius praenomina nomina communia vocat, Plutarchus nomina propria. nec attendit, non iccircò, quia praenomina, & nomina communia, vel propria idem sunt, effici vt praenomina, & nomina idem sint, nisi eo modo, quo dixi, si Nomen, vt genus accipias. Postremo omissa hac quaestione, quam se expedire non videt posse, robustum, vt solet, telum in me iacit, vt si sibi cadendum sit, secum saltem concidam. & ait: *Sed idem Sigonius pueriliter loquitur, cum ait: Quod si quis hos fortasse, vt leues auctores, repudiauerit, nunc animum referat ad ea, quae scripta sunt apud Dionysium, Plutarchum, Ciceronem, & Suetonium, a quibus haec opinio confirmatur.* Pollicetur se testimoniis illorum probaturum, rem ita se habere. *Audi o Sigoni, proba, si potes horum testimonio agnomen ita proferri, vt Grammatici sentiunt. Neque intelligis, me nolle confirmare horum scriptorum auctoritate Agnomen, cuius ipsi non meminerunt. & quod ego, cum de cognominibus agerem, damnaturus eram, sed praenomen, nomen, & cognomen, de quibus ipsi diserte loquuntur. Nam si agnomen mihi probandum sumsissem, cur locum Ciceronis, & Victorini, & Iustiniani praetermisissem? quae mihi ignota fuisse non potest dicere, cum ipse magister meus eorũ meminerit.* Quod volui ergo, probaui, quod non probaui, ne probandum mihi quidem suscepi. Ille autem toto hoc capite nihil, nisi maledictorum in me aculeos emisit, quaestionis explicationem nullam sensit. Cumque haec vno capite complecti posset, tamen ille, vt errata dilataret, duo fecit, neque eandem esse mate-

riam

tiam animaduertit. Dat ergo vitio, quod eum scriptum esset lib. 3. apud Liuium: Quidam Cæsonem, alii Cognomen Quintio adiiciunt, non emendauerim, vt multi, Quidam Cæsonem, alii Caium cognomen. Sed C. nomẽ, leui in vetere scriptura mutatione facta, id est, o in punctum verso. itemq; iterum, quod in epitoma, pro Marco cognomen, Marco nomen eo syllaba inscite repetita sublata, reposuerim. opponit autem locũ Valerii, in quo de Seruio Tullio rege ait: *Statua ipsius titulus testatur serutli cognomine, quasi vero ab eo Seruius quod prænomen in Tullio fuit, cognomen dicatur. nec intelligit, omnia nomina, unde aliquis distingui possit, cognomina abusiue posse vocari. vt enim cognomẽ, sic prænomen distinguendi vim habet* quod ergo primum cognomen alteri inditum est, id non alia de caussa inditum est, nisi vt cum prænomen satis non esset, quo ab aliis internosceretur, tertio illo distingueretur. cum ergo caussa sit eadem, certe vox cognominis potest prænomini etiam, quatenus ad distinguendum partum est, accommodari. quæ tamen in appellando inter se ex ordine distincta videre possumus. sed de hac re post etiam apertius.

Tribus nominibus senatores, duobus plebeios vsos esse refutatum.

CAPVT XXIII.

TRibus nominibus senatores fuisse appellatos olim obseruaui, equites autem, & plebeios maiori ex parte duobus. Liuius vbi de tribunis militaribus loquitur, hos plebeios nominat, sic, *C. Sextilius, M. Albinus, P. Titinius, L. Antistius*.) Quæ portenta dii boni? Primum ordines ipsos cognominibus fuisse distinctos, nemo vnquam docuit. ordines autẽ hic intelligit, cum ait, senatores, equites, & plebeios. quanquam haud fere fieri solet, vt cũ de tertio ordine agitur plebeius dicatur, sed de plebe, & plebs. quod mirificus iste antiquitatis obseruator nõ vidit. At quomodo probat ordines cognominibus fuisse distinctos? *Liuius, inquit, vbi plebeios tribunos militares nominat, hos nominat, C. Sextilium, M. Albinum* dico ex hoc argumento nihil effici, quia fortasse Liuius eorum cognomina consulto omisit, quibus affecti illi viri erant. quod ne ipsum quidem negaturum opinor, cum ita supra scripserit: *Liuius sæpe duo profert nomina, neque caret reprehensione, quia historici est omnia explicare.* Neque illud etiam procedit: *Plebeii erant ergo ex equestri ordine, vel de plebe.* Nam cum Liuius eos fuisse plebeios ait, gentem significat, non ordinem. gentium autem duo genera, patricium, & plebeium, ordinum tria, senatores, equites, plebs. in omnibus autem ordinibus erant & patricii, & plebeii. Ille autem hæc confundit, qui ab ordinibus ad gentes transit, neque quid inter eos intersit, perspicit. cum ius patriciorum a regibus, & populo daretur, ordo ex censu, & lectione censoria acquireretur. Quare si senatores soli tribus no-

minibus appellarentur, hoc incommodum consequeretur. vt si quis, antequam in senatum lectus esset, cognomine caruisset, tum ex censoria in senatum iectione cognomen adipisceretur, quod falsum est. Nam & C. Aelius Pætus & M. Licinius Crassus, & M. Porcius Cato, etiam antequam senatores essent, tribus nominibus vtebantur. Quod si ille dicat, se intelligere, non qui ex familiis plebeiis essent, cognomine caruisse, eius exempla ipsum redarguent. Nam Ælii Pæti, & Licinii Crassi, & Porcii Catones plebeii fuerunt. & tamen tribus nominibus vsi sunt. quid dicam de C. Mænio, Ti. Coruncanio, C. Duilio, Q. Cædicio, M'. Manilio, L. Opimio, T. Didio, Mariis, Antoniis, qui omnes plebeii fuerunt, quosque, cum consulares omnes, multi censorii, aliqui etiam triumphales fuerint, senatores quoque fuisse verisimile est, & tamen duobus tantum nominibus vsos videmus. Illud autem hunc nostrum fortasse decepit, quod nobilium magis fuerũt cognomina, quam ignobilium. quoniam autem nobilitas ante patriciorum fuit, quam plebeiorum, propterea cognomina etiam ante in patriciis audita, & frequentata sunt, quam in plebeiis: erant enim patricii tum notiores, quod ipsi soli remp. administrabant, & cognominibus distinguendi erant. Cum hæc ego, atque alia multa huius opinionis refutandæ caussa alias scripsissem, ille tamen nihil respondit, & se a puero senem tam acriter castigari passus est sed ad contumelias confugit, quibus nihil potuit facere indignius. Ex eius autem silentio hæc, quæ dixi, verissima esse omnes intelligere possunt.

Decimum D. litera significatum.

CAPVT XXIV.

VNa litera, *vt Decimus, non Decius, vt multi inepte proferunt.*) Hac de re ego ita: *Quoniam multos esse animaduerti, qui D. Decium interpretarentur, notum quidem errorem, sed errorem tamen tollere volui.* & reliqua quibus errorem confuto. Robortellus cap. 33. libri primi obiicit mihi, quod hoc a se sumserim, & quod se auctorem cum præfatione honoris, vt debui, non fecerim. quasi vero cum dixi: *Notum quidem errorem, eum ab alio ante me indicatum, nõ significauerim.* ex hoc autem vno loco omnia me sua scripta compilasse ait. quod an verum sit, efficiam, vt ipse aliquando intelligat, cum quam multis in rebus ab eo dissentiam, senserit.

Tiberium non T. litera significari, sed Ti.

CAPVT XXV.

T. *Id est, Titus. vt T. Ampius. quamuis in Sempronio Graccho Tiberiũ significet, in quo multi errãt.*) Alio loco docui errare ipsum, qui T. Tiberiũ significare dicat. Tiberiũ enim duabus literis Ti. demonstrari. idq, etiam Plutarchi testimonio, quod ille videre non potuit. quam ad rem nihil eruditus homo respondit.

Appius an semper prænomen.

CAPVT XXVI.

A*ppius semper prænomen.*) At Corradus lapidem antiquũ citat in Bruto, ex quo apparet, Appium ibi esse nomen gentilicium. vt etiam Numerium in lapide Veneto, Cn Numerius.

IN CAPVT XXX.

Prænomina aliquot integra esse scripta.

CAPVT XXVII.

R*eperio aliquando prænomina ex integris dictionibus, vt Agrippa Menenius. Licinius Menenius.*) Hinc factũ est, vt obiecerit mihi cap. 30. quod docuerim, vna, duabus, & tribus literis prænomina scripta esse, pluribus autem omiserim. idque iniuste. nam cum dixi, vel vna, vel duabus, vel tribus, id ex auctoritate veterum Grammaticorũ, & Plutarchi feci, qui, vt pluribus literis scriberẽtur, non docuerunt. non omni si tamen Agrippam, Vibium, Hostum, Voleronem, Volusum, Posthumum in veteribus lapidibus aut pluribus, aut omnibus literis esse notata vt si veterum auctoritatem spectaremus, nihil ad ea, quæ illi scripsissent, adderem; & visum, obseruationem meam non prætermitterem.

IN CAPVT XXXI. XXXII. XXXIII.

An Licinius, Actius, & Numerius prænomina fuerint.

CAPVT XXVIII.

L*icinius Menenius Lanatus.*) Ego etiam in meo commentario ante Licinium prænomen esse scripseram. quia bis in eodem viro vsurpari a Liuio videbam, post autem cum Liuium emẽdaturus, Diodori Græcos libros euoluerẽ, atq; Lucium Menenium pro Licinio inuenirem, neq; id aliter esse posse ob eas, quas attuli in scholiis Liuianis, rationes sentirem, mutaui sententiam, & Robortellum, vt mutaret, admonui. Ille autem, ne quidquam a me didicisse videatur, in pristina permanet. & ait capite 31. libri primi, se probasse ea, quæ aliquando prænomina fuerunt. post fuisse nomina, vt Menenius Licinius. in quo facit ridicule: affert enim ad probandum id, de quo controuersia est. Cap. autem 33. obiicit, quod idem & ego antea scripserim Suum autem Diodorum non λεύκιος habere, sed λικίνιος ait. neque, vt apud Liuium Licinius Menenius legi debeat, defendit. quid plura? cum ego iampridẽ illum admonuerim nihil ipsum dixisse de Manio, Numerio, Cæsone, Mamerco, Volerone, aliisque innumerabilibus prænominibus, & notis eorum, quæ ex tenebris vetustatis a me omnia eruta sunt, ea vero tantum docuisse, quæ omnibus nota erant: non fuisse responder sibi propositum omnia persequi, sed tantum regulas generales proferre ad d gnoscẽnda veterum Romanorum nomina. cum tamen videatur contra profiteri in epistola, cum ait: *Et si tam mul. a in eo genere mihi colleg. sse videor, vt num nihil, quod a ceteris dictum sit, prætermiserim, multa etiam*

addiderim, quæ ab ipsis fuerant prætermissa. his enim verbis se omnia, quæ sciat, complexum significat. ex quo intelligere possumus, quæ prætereita ab eo sunt, ea in eius cognitionem non cecidisse. Deinde addit in me conuersus: *Vter nostrum prudentius egit Sigoni. Ego ne repeterem, quæ ab aliis ante dicta fuerunt, ita scripsi, tu quæ ab aliis, & in primis a me fuerunt ex Græcis auctoribus prolata; omnia repetis, & profers, quasi a te primum inuenta.* Cui ego: *Imo vero, vter prudentius egit nostrum Robortelle, tu, qui nihil prætermisisse te dicis, ex iis, quæ a ceteris dicta sunt, an ego, qui nihil a te sumsi, nisi quod errantem te multis in locis refutaui. an vero hoc credibile est, maximum meum volumen de nominibus ex tuo duarũ pagellarum libello compilatum esse? quid autem sumere potui, si omnia iam inde ab initio improbaui? an credis, quæ sumsissem, eadem esse refutaturum? an etiam illa omnia, quæ innumerabilia sunt, a te relicta, ex intimis magni pectoris tui penetralibus hausi? Vide in hoc genere, in quo te valere plurimum putas, vt frigeas: neq; enim quicquã me a te sumsisse, nisi D. Decimum, non Decium significare proferre potuisti,* de quo satis supra dictum est. Dixeram Actium prænomẽ esse Sabinum, & id quidẽ auctore Valerio, vnde Actius Clausus nunc quærit, capite 31. cur non sit item in Tullo Attio. quasi vero Tullus Attius Sabinus sit, & non Volscorum rex. Dixeram in Actio Nævio, videri legẽdum esse Attium Næum. primũ, quia Dionysius ἴδιον vocat nomen commune, Attium vero gentilitium. commune autem nomen pro prænomine a Dionysio vsurpari, deinde quia suspicabar Næuium esse mendose, pro Næum. Latinos enim Næũ pro Cneo vsurpasse, Valerio, & ceteris Grammaticis attestantibus. Itaq; alio loco Liuium mendose Manlium Neuium, pro Manlio Cnæo dixisse, atque hæc multis verbis in scholiis Liuianis libro primo docueram. Quid ad hæc Robortellus? vbi contumeliarum hastas iecit, manum conserturus clypeum solitum opponit, emẽdationem diuinatione innixam. ἴδιον inquit, non ἴδιον legendum est & addit Græcos sine discrimine vti β, & ου, vt λαβῖνιος, & λαουίνιος. quod præceptum cum tritum, tum a re proposita alienũ est. Concludit autem Nauiũ esse prænomen, eadem ratione, qua ego siue Neuiũ, siue Neum esse concluseram. Itaque toto capite cum multa dicere videatur, nihil tamen dicit: quære enim cur Nauius sit prænomen; ex eo capite (est autem 31. primi libri) nihil elicies aliud, nisi, quia ita legi debet apud Dionysium. At sequenti capite primũ inquit, me non legisse Festum, post ait, animaduertisse se me legisse Festum. quid ait Festus? *Ficus Nauia ab Attio Nauio augure. quasi vero in eo nomine vsurpando non alios secutus Festus esse auctores potuerit, quam Dionysius.* Tandem me dimisso in Valerium, quasi victor incurrit, qui Cnæum scripserit dictum eo, quod in corporibus genitus sit, & irridet eum, quam salse, non attinet dicere. quasi vero, inquit,

quit, in mantica, aut in crumena, aut cista aliqua alii gignantur, & Cnæi tantum in corporibus. Suscipiamus ergo nos caussam Valerii, vt ei, a quo multa didicimus, gratiam aliquã referamus, & corrigamus Valerium, nõ quidem ex ingenio, vt solet Robortellus, sed ex manuscriptis libris, quos habemus: inquit enim, *Cnaum dictum esse ob insigne naui, idque prænomen Cnæum, Gnæum, & Næum varie esse appellatum; a næuo autem, qui in corporibus gigni solet, Gnæum nominatum.* Qua lectione constituta, nullus iam iocis Robortellianis relinquitur locus hinc etiam apparet, cur Græci γναῖος scribant, nimirum, quod diphthõgo etiam Latini, vt prænominis originem declararent, in eo vterentur. Si ergo Næus. & Gnæus, & Cnæus idem sunt, quid mali feci cum Dionysii νέαιον, pro Næo mendose positum esse scripsi? Si Festi auctoritas non repudianda fuit, quid præterii, cum ex Festi loco dubitari de tota re posse significaui?

IN CAPVT XXIV. ET XXVII.

Faustum & Faustam prænomina esse.

CAPVT XXIX.

HOc autem loco videtur etiam respõdendum esse de Fausto, de quo ita sæpe ipse iam egit, vt per annos iam septem nihil aliud audisse mihi videar. ita nullum ille locum, nullum tempus prætermisit, quo nõ mihi Faustum istum abiecerit. nullum amicum, nullum familiarem præteriit, quibus cum de Fausto meo non egerit, vt aliquando veritus sim, ne insignem aliquam iniuriam, ac contumeliam a Fausto aliquo, vnde lacrymæ istæ manarent, acceperit. nam naturali odio, cur in Faustũ boni ominis vocabulum sit incensus, non video. Scripsi Faustum prænomen esse, auctore Valerio, qui ait, vbi de origine aliorum prænominũ disserit: *Faustus a fauore dictus.* obiicit Robortellus. *Valerii locũ esse vitiosum, etsi rectus sit. Valerium tamen, vt leuem auctorem, esse cũ suo Fausto repudiandum.* ego vero cum vitii nihil dispicio, tum Valerii auctoritatẽ Robortellianæ longe antepono. quod si mecum ille agere hoc modo perrexerit, vt supra, cum de Plinii auctoritate disputaui, sic non ineptis ipsum fortasse interrogationis aculeis excitabo, & Valerio etiam sine alio teste credendum esse probabo: quid enim? His crebris eius permotus vocibus, ne non amico obsequi roganti potius, quam admonenti velle viderer, rationem aliquando iniui, qua aliquo modo ei satisfacerem. Faustum igitur non omnino exclusi e numero prænominum, qui enim id facere per Valerium poteram? sed inter peregrina prænomina retuli, & socium Volusi feci, quem Sabinum esse prænomẽ, & inde Romam translatum acceperam. Faustulus enim etiã ante Romam conditam Albanus pastor celebratur. non fuit hoc contentus Robortellus, omnino Faustum e finibus Latinorum a me cupit expelli, & ei aqua, & igni interdici. non faciam Robortelle,

vt rogatu cuiusquã antiquũ prænomen eiiciam. non patitur Valerius, non patiuntur monimenta vetera, quorũ vnum, quod nũc ad manum est, recitabo. in libro veterum epigrammatum Iucundi Veronensis, cuius supra memini, est tale epitaphium.

Interamnis.

PROVIDENTIA TI. CÆSARIS AVGVSTI NATI AD ÆTERNITATEM ROMANI NOMINIS SVBLATO HOSTE PERNICIOSISSIMO P. R. FAVSTVS TITIVS LIBERALIS VI VIR ITER. P. S. F. C.

Ex quo epigrammate apparet, Faustum prænomen esse Tiberii tempore; si autem Tiberii, certe etiam Augusti, cuius tempore Faustæ cuiusdam ex plebe fœminæ meminit quoq; Plinius lib 7. obiicit præterea, quod Faustum in Cornelio Syllæ Dictatoris filio prænomen esse dixerim in prima editione prænominum, idque, quia in secunda sublatum videt, tanto vehementius, quanto ipsum meo magis quasi repulsum iudicio sentit, reprehendit. quæ sunt istæ pectoris tui angustiæ Robortelle, vt per te nihil vel trima obseruatione excogitare, quod aduersario tuo obiicias, possis, nisi quæ ille in suis scriptis mutarit, & quasi condemnarit, notes, atq; accuses? deinde cur facis, contra quam pollicitus es? nonne enim dixeras, te cum ludorum sæcularium errores, quibus te turpissime implicuisti, exposuisses, reliqua te mihi omnia primæ editionis errata condonaturum? cur ergo nunc de Fausto Cornelio, quo iam aures obsurduerunt meæ? cur hac te vexare τὰ σαχύλα pergis? cur non iam tandem finem hoc nomine mihi maledicendi facis? Si fuit erratum, non est a te exagitandum, posteaquam sustuli: si nõ fuit, multo minus. erratum? inquit Robortellus. imo fœdissimum portentum. in quo portentum Robortelle suauissime? dixi in filio Syllæ dictatoris Faustum esse prænomen. hoc est portentum? audi Plutarchum in Sylla. *Ex Metella geminos, inquit, peperit, marem, & fœminam, atq; illum Faustum, hanc Faustam nominauit.* Cum filio suo Sylla Fausti nomen imposuit, an tum cognomen imposuit, an prænomen? primũ quando alias a parentibus filiis cognomina indita esse probabis? deinde quid erat necesse, vt cognomine Fausti filium ornaret, cum Felicis cognomen patrium, quod idem significabat, vsurpare posset? an vt diceretur Cornelius Sylla Faustus Felix? non certe. Sed vt diceretur Faustus Cornelius Sylla Felix. an vero post ita mortuo patre vocatus ab omnibus sit, nõ quæro. de consilio patris nunc disputo. Ille enim cum in florenti fortuna constitutus geminos pepe-risset, noua familiæ prænomina, vt in noua dominatione, & extraordinaria potentia sibi vsurpanda duxit, Faustum, & Faustam. hac re posita, cum Asconius dicat in or. pro Scauro, Faustus Cornelius Syllæ filius, & pro Milone, Faustus Sylla, an repugnare tibi

Plutar

Plutarcho, aut negare, quominus Faustus in eo prænomen sit, videtur? Dices, hæc non hoc modo tractasti in eo libello. an nescis me multis in rebus, vt tritis ἐπέχειν; cur ea igitur sustulisti, inquis. non sunt omnia neq; hoc loco, neq; tibi mea consilia aperienda, cum tua sustulero, tum rationem reddam, in meis non esse necesse puto. Nam quod repetis de fragmento Capitolino. cum syllabæ illæ & a Marliano, & a te coniunctæ editæ sint, tolerabiliorem meam tum fuisse coniecturam existimo, quam tuam. ego enim prænomē reposui, tu cognomen. memini enim, cum tu Veneriis eundem supplendorum fastorum laborē, quem ego, te suscepisse, sed post meum editum destitisse. diceres, vt mihi huius tuæ liberalitatis fidem faceres, librum ostendisse, in quo fragmenta supplere institueras, atq; illo in loco non Fausti, sed Ambusti, cōiunctione item syllabarum illarum deceptum reposuisse, meq; tum tibi istum errorem, narrata tibi de disiungendis illis syllabis coniectura, eripuisse, quam ad me ab eruditissimo homine Antonio Augustino multo ante Roma delatam esse, locupletissimus testis est Ludouicus Casteluetrus, vir integerrimus, idemque, vt ais, amicus tuus. Quare quid est, quod amplius hoc fragmento in me lacerando te frangas. in quo si fuit error, nisi ipso inspecto lapide, intelligere difficile fuit, te vero bis eodem, vel cum ita edendum curasti, vel cum Ambusti reposuisti, implicare, turpissimum fuit. Si autem coniectura adhibenda fuit, quam a me acceperas, in ea te tam sæpe, & tam gloriose iactare, cupidi hominis fuit. Semper hoc agis Robortelle, vt aut ea, quæ non scripsi, aut non eo modo, quo scripsi obiicias, aut operariorum errata, aut Manutianos asteriscos mihi vitio vertas, aut quæ meo damnaui iudicio, damnes. de quibus tamen omnibus tibi satis esse responsum puto. nisi forte me contumeliis etiam respondere velis, quibus crebrius, & insolentius vteris, quam tua grauitate, & prudentia dignum est. Qua quidem in re ego Sigonii mores imitabor, tu Robortelli.

IN CAPVT XVIII. ET XXV.

Quando prænomina imponerentur, disputatum.

CAPVT XXX.

VEre dicam. nullum suscepi in hac disputatione laborem grauiorem, quā vt ordinem aliquē his quæstionibus darem. Etenim Robortellus vt semper alias, dissolutæ scopæ. nihil ordinatim, saltuatim omnia. quod debet vno capite, id duobus, tribus, pluribusve cōplectitur, a re digreditur, quod proposuit, non probat, aliena confirmat. verba multa, nihil neruorum, contumeliæ plurimū. Itaq; summo studio extrahēdum est ex tanta quasi verborū colluuione, quid ille velit. quid probet. Argumenta ordināda, in capita digerenda sunt, digressiones omittendæ, cōtumeliæ, vt ab irato homine, contemnendæ. Atq; hæc caussa fuit, cur ego

tot capita in hunc locum redegerim, atque eis hoc demum loco respondcrim. Sed de meo consilio satis. nunc ad rem. Cum de prænominibus imponendi, disputarem, dixi magnam esse inter veteres hac de re controuersiam. Valerium enim a Plutarcho, & Festo dissentire. Is enim ex Scæuolæ sententia ait, *pueris cum togã virilem sumerent, puellis, cum nuberent, impони prænomina consueuisse, reliquos vero pueris, nono die, puellis, octauo nomina imposita tradere.* Hoc igitur ille statim arripuit, quod rederet, & nullam dissensionem esse ait. *Nam Valerium loqui de prænominibus, Plutarchum, & Festum de nominibus*, id est, *de gentiliciis nominibus*, cur autem ita sit, nihil affert capite 18. tantum summæ acclamationis loco, quasi re satis suo testimonio grauissimo confirmata concludit, ita: *Quis iam ferre possit tantam Sigonii inscitiam, qui omnia suis nugis confundit.* at vero capite 25. affert verba Valerii, qui inquit, *Publis, qui prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent, & inquit his verbis existimasse Valerium Romanos habere prænomina tunc cœpisse, cum virilem togam sumerent. inde vsq; ad extremum nihil aliud, nisi acerba in Sigonium contumelia.* Nunc nos quantum hanc eius expositionem vrgeat incommodum, videamus. *Prænomina*, inquit, *maribus, cum virilem togam sumerēt, fœminis cum nuberent, imponebantur. gentilitia nomina illis octauo, his nono.* Primum doce Robortelle, cum Plutarchus inquit, ὀνόματα τίθενται, de gentilicijs intelligere. ego enim tibi tum probabo, cum ea Græci exprimere volunt, τὸ συγγενικὸν, & τῆς οἰκείας, & τῶ γένους ὄνομα appellare; atque eosdem pro prænomine & cognomine nomen vsurpasse. Quo fit, vt ego apud Plutarchum, & Festum nomina pro prænominibus accipiam. deinde ostende aliqua vestigia huius consuetudinis, quod gentilitia nomina liberis imposita sint. neque afferas illud tuum: *Puto fuisse consuetudinem, ne ignoraretur, quis e qua ortus esset familia, vt lustrico die infantibus nomina imponerentur. imponebantur autem eadem, quæ & patrum erant, hoc est, gentilitia.* Sed aut auctoritate veteris alicuius scriptoris, aut aliquo exemplo id proba: neque enim hanc ego consuetudinem inuenio, eamque ne esse quidem potuisse dico. quid enim erat necesse pueris imponere nomen gentilitium, quod etiam repugnante patre ferebant? & quod vbi primũ nati erant, dum modo certo essent patre, habebant? & quod ne patris quidem arbitrio mutari poterat? exempli gratia, suscepit filium M. Tullius Cicero, cur vis puero illi a patre Tullii nomen imponi, quod est commune totius Tulliæ gentis, & eorum omniũ, qui ex Tulliis nati sunt: quid enim significat Tullius, aut Iulius aliud, nisi qui in gente Tullia, aut Iulia natus est? Si ergo gentilicia non imponebantur, profecto cum Plutarchus, & Festus nomina imponi dixerunt, prænomina, quæ in potestate patrum erant, quæ potissimum filiis imponerentur, intellexerunt.

Testis

Testis est Festus, cum inquit *Numerium Otacilium Maleuentanum Q. Fabio filiam collocasse, ea conditione, vt qui primus natus esset puer Numerii prænomine ornaretur*; testis est Plutarchus, *cum Romulum Primum, Syllam Faustum, & Faustam liberis suis nomina imposuisse prodidit*. Testis est Liuius, *qui cautum* ait, *ne quis e gente Manlia Marci prænomine vteretur*: testis est Suetonius, *qui Lucium a Claudiis repudiatum, Cnæum, & Lucium a Domitiis Ahenobardis tantum probatos in Tiberio, & Nerone scriptum reliquit*. nunquid simile de gentiliciis? quæ vt non adimi, sic ne imponi quidem potuerunt. Nam qui in alteram gentem adoptione transierunt, suam tamen non amiserunt, sed se exempli gratia & Octauianos, & Æmilianos, & Seruilianos. cum ex Octauia, Æmilia, & Seruilia exiissent gente, vocarunt. Quis vnquam inuentus est Cornelius, qui filium suum Cæcilium, cum gentilicium imponere vellet nomen, imposuerit? Faustum quidem, quod sui arbitrii erat, Cornelius Sylla imposuit, non Tullium, aut Iulium. Si ergo gentilicia nomina imposita fuisse non probas, ego vero prænomina imposita fuisse, gentilicia imponi necesse nō fuisse probaui satis patet, Plutarchum, & Festum cum nomina dixerunt, prænomina intellexisse, atque adhuc controuersiam illam, quam ego intuli, manere, eamque aut temporibus, vt dixi, aut prænominibus distinguēdis dissoluendam esse. Verba enim Valerii sunt hæc: *Pueris non prius quam togam virilem sumerent, puellis non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuisse Q. Scæuola auctor est*. neque vero quo tempore, aut quæ prænomina imponi moris fuerit, exprimit. vt sint, qui suspicentur, recte ne, an secus, non definio, Scæuolam iurisconsultum de prænomine Caio, & Caia, quo & viri, & mulieres maxime nubentes vtebantur, intellexisse: vnde vulgatum illud: *Vbi tu Caius, ego Caia*, Festo, & Cicerone testibus. Nam quod opponis Valerium dixisse, Publios fuisse dictos, qui prius pupilli facti erant, quam prænomina haberent, quid meam caussam lædat, non video. nonne enim dixi, ex Valerii sententia prænomina maribus cum togam sumerent esse imposita? dixi. quomodo ergo illud tu hoc Publiorum præcepto oppugnas? cum idem, atque ego, dicas. Incredibile est, qui tua scripta parum attente legat, vt te primo aspectu multa, vt magna quædam dicere iudicet, vbi intentius rem spectare instituat, vt nihil esse, quod dixeris, inueniat. vt hoc loco. negasti cap. XVIII. controuersiam esse inter hos scriptores, cap. autem XXV. id probasti verbis Valerii de pupillis allatis, quę meam non modo non oppugnant, sed etiam propugnāt sententiam. Deinde in contumeliis reliqua. Disce igitur aliquando Robortelle, vel argumentari robustius, vel loqui modestius, vel auctorum verba considerare acutius. ordinem disce, quo nihil est in omni arte pręstantius: nam hic rumor percrebuit, te quidem [illegible] cognouisse.

An omnia nomina gentilicia in IVS desinant.

CAPVT XXXI.

SCiendum vero omnia nomina, quibus familia significantur præferri in IVS.) Primum, gentis, non familiæ, fuit dicendum. deinde non omnia in IVS terminata esse ego alio loco ostendi.

Expositio loci Ciceronis explosa.

CAPVT XXXII.

IDeo conqueritur Cicero libro epistolarum ad Atticum quinto, cum esset in Cilicia pro Coss. & expugnasset oppidum Pindenissum, non esse aptum ad cognomen parandum) Quid alio loco de hac interpretatione indicarim, nunc exponam. Nam hic noster sensum germanum Ciceronis non videtur assecutus. Neque enim Cicero queritur Pindenissum non esse aptum ad cognomen parandum, sed ad gloriam, ex eius expugnatione propter oppidi obscuritatem parandam. Sic enim ait: *Saturnalibus mane se mihi, Pindenissa dediderunt. qui, malum, isti Pindenissæ? qui sunt, inquies, nomen audiui nunquam. quid ego faciam? non potui Ciliciam, Ætoliam, aut Macedoniam reddere.* quibus verbis de obscuritate, vt dixi, oppidi queritur, non de cognomine inepto. neque enim quisquam vnquam Imperator Romanus, aut Cilix, aut Ætolus est ex victoria nominatus, vt iis in cognomine inuidere posset, verum aliquot ex iis prouinciis clarissimos triumphos egerunt. Hoc idem senetit etiam Cicero, cum scribit ad Cœlium: *Expugnabam oppidum Pindenissimum tantis opibus, tantoque negotio, vt mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi, id est, quod obscurissimo nomine cum sit, ne mea quidem satis gloriosa esse victoria, & expugnatio possit, qualis eorum fuit, qui Ciliciam, Ætoliam, & Macedoniam subegerunt.* Nam quod ait Robortellus, ineptum ad cognomen esse, non video cur non Cicero Pindenissa facile dici potuisset, vt quondam Valerius Messala a Messana victa, si splendidum oppidi nomen fuisset. Atque hoc modo ante a me admonitus, nihil tamen eloquentissimus, & peritissimus homo respondit, seque a puero senem coargui hoc modo permisit, & contumelias pro defensione opposuit; quo nullum robustius telum esse Robortellus existimat.

An Vopiscus cognomen fuerit.

CAPVT XXXIII.

VItia corporis, vt Vopiscus, Pansa.) Vopiscus ante fuit prænomé, veteribus grammaticis auctoribus, & quidem Iuliorum. cognomen autem fuisse rep. stante probandum est.

Vnde Cæsaris cognomen ductum sit, & de numismatis cuiusdam Cæsaris interpretatione.

CAPVT XXXIV.

ILlud non prætermittam, Cæsarem non ab vtero cæso dictum, quod multis video placere, sed quod ait Seruius, & Spartianus, ab ele-

phanto

phanto primum Caeso. nam lingua Punica Caesar elephas dicebatur. Quare in quibusdam argenteis nummis apud me videre est, ab altera parte elepantem cum hac inscriptione, CÆSAR, *ab altera autem instrumenta, quibus elephantos Romani perimebant.)*

Numam illum, cuius ipse meminit, ego accurate effingendum curaui, vt omnes homines eius industriam in Romani antiquitate illustranda cognoscerent. sunt enim eiusmodi numi multi cum apud alios, tum apud clarissimum, & humanissimum virum Andream Lauredanum patricium Venetum. quanquam quæ ille ad hunc numum interpretandum attulit, ea a multis huius artis peritis, reprehendi sæpe animaduerti, qui quæ ille instrumenta elephantorū interimendorum esse tradidit, ea pontificalia, ac religionis potius insignia esse contenderent, albogalerum, vel tutulum secespitam, aspersorium, & vas sacrificale. Albogalerum enim ita describit Festus: *Albogalerus a galea nominatus est. est enim pileum capitis, quo diales flamines, id est, sacerdotes Iouis vtebantur: fiebat enim ex hostia alba Ioui caesa, cui affigebatur apex virga oleagina.* Tutulum autem ita: *Tutulum vocari aiunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructum in altitudinem.* Ennius:

Libaque, fictores, argeos, & tutulatos.

Itaque Varro lib. de lingua lat. exponens hunc eundem Ennii versum, ait; *Tutulati dicti is, qui in sacris capitibus habere solent, vt metam id tutulus appellatur ab eo, quod matres familias crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent, vti velatos, dicunt tutulos: siue ab eo, quod tuendi caussa capilli fiebant, siue ab eo, quod altissimum in vrbe est, quod est arx, ea res tutissima tutulus vocatur.* De secepista sic Festus: *Secepistam alii securim, alii dolabram aeneam, alii cultellum putant.* Item: *Secepista cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, solido, iuncto ad capulum auro, argentoque fixum clauis aeneis aere Cyprio, quo flamines flaminea virgines, pontificesque ad sacrificia vtebantur. dicta autem est secespita a secando.*

Aspersorium quidam vocant, quo aquam lustralem aspergebant. Vnde Virgilius.

Ter pura socios circumtulit vnda
Spargens rore leui —— Et alibi.
—— *corpusque recenti*
Spargit aqua ——

Vas sacrificale est, vel capedo, vel simpuuium. De capedine Cicero in Paradoxis: *Quid autem Numa Pompilius? minus ne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles vrnulas, quam filicatas aliorum pateras fuisse arbitramur*: & lib. III. de nat. *Docebo meliora me didicisse de colendis diis immortalibus iure pōtificio, & more maiorum, quam capedunculis, quas Numa nobis reliquit.* De Simpulo Fellus: *Simpulum vas paruum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur, a sumendo dictum, Varrone auctore, vt fortasse a capiendo capedo dicta est.* Et Iuuenal. Satyra VI. *Aut quis Simpuuium ridere Numa, nigrumque catinum.* & Plinius libro XXXV. *In sacris quidem etiam inter has opes non murrhinis, crystallinisue, sed fictilibus prolibatur simpullis.* His igitur rationibus adducti multi instrumenta hæc, quibus elephantes interficerentur, esse negant. pontificalia autem (vt dixi) insignia esse asserunt, quæ diuo Iulio Cæsari consecrato, & in deos relato tributa sint ab Augusto, qui in patris Pont. Max. mortui honorem hunc nummum percusserit. Itaque ab altera parte esse elephantem consecrationis symbolum. Vnde Suetonius in Claudio scripserit: *Clauditus auia Liuia diuinos honores, & Circensi pompa currum elephantorum Augusteo similem decernendum curauit; eadem etiam de caussa anguem elephanti ipsi esse subiectum, qui auctore Plutarcho in Cleomene, heroibus sacer esset.* Vnde Virgilius in V. de angue ad tumulum Anchisæ mortui dixerit.

Incertus genium ne loci, famulum ne parentis;

Cum apotheosin eius significare vellet, vt ait Seruius. Sed siue hæc, siue alia sunt, profecto nihil hic nummus ad eum, qui primum elephantem occidit, neque ad ipsa demum elephantorum interimendorum instrumenta pertinet, quod amicus meus ingeniose confinxit: præsertim vero cum fabrile scalprum cum malleo ad eiusmodi belluas interimendas adhibitum sit, auctore Liuio. Spero tamen, cū hæc ille audiuerit, eum pro summa, & recondita multarum rerum, qua præditus est, cognitione, quod antea omisit, veterū scriptorū auctoritate hæc instrumēta esse ad interimēdos elephantos idonea ostensurum, atq; hunc nūmum diligentius, q̄ adhuc fecit interpretaturū. His verbis cū ego olim hanc huius interpretationē oppugnassem, respondit, se nūmum hunc domi habere, meq; nūmum alium, q̄ quem ipse habeat, attulisse. Hūc autem nūmum, quem ille habet, si modo habet, nemo, quod sciam, vidit. Itaq; liberum sit vnicuique, eam, quam velit, fidem ei habere.

Mulie-

Mulieres alio aliquando, quam Caia pranomine esse vsas, confirmatum. Plutarchi, Varronis, Valerii loci alii a fœdissimis emendationibus defensi, alii declarati. An cognominibus fœmina vsa sint. repugnantium opiniones refutata.

CAPVT XXXV.

MVlieres a nomine gentis vocabantur, & vno tamen nomine, vt *Portia, Cornelia, Iulia, Tullia*, in epistolis tamen Cœlii ad Ciceronem Epist. VIII. legere est *Paulam Valeriā*, & alibi eandem a Cicerone *Polam* vocatam, sicuti *Tertullam* a Plutarcho, quod diligenter considerandum est. Plutarchus in problematis, vbi quærit, cur maribus nono, fœminis octauo die nomina imponerentur, ait: *Mulieres vno, aut duobus appellabantur nominibus. ego duobus appellari nunquam obseruaui, nisi fortasse pranomen illud significare voluit Plutarchus, quod est omnibus mulieribus commune, vt dicerentur Caia.)* His verbis ille, vt patet sine vlla dubitatione, affirmat mulieres nullo vnquam alio nomine, nisi gentilicio esse vsas. Plutarchi vero locum de duabus fœminarum nominibus, ad prænomen Caiæ, quo omnes fœminæ vterentur, refert. Hæc ego cum legissem, cumque ea multis modis, vt falsa, labefactari posse sentirem, in meo de nominibus Romanorum commentario scripsi: *Mulieres alio aliquando, quam gentilitio nomine, & Caia pranomine fuisse appellatas. nam etiam fœminis Luciam, Publiam, Numeriam, Titam, Maniam, Posthumam, Proclam, Primam, Secundam, Tertiam, Quartam, & Quinctam pranomina fuisse*, idque Valerio, Festo, Varroni, Plutarcho, Liuio, Ciceroni, lapidibus aliquot etiam veteribus assentientibus, placuisse comperiebam. Quibus ex rebus omnibus conclusi, arbitrari me illud satis intelligi, Mulieres Romanas præter Caiam alio aliquando prænomine esse vsas. quibus verbis illud significaui, me præceptionem illam huius hominis non probare, qui sine vlla exceptione mulieres vno tantum nomine gentilicio, & vno tantum prænomine Caiæ ornarat. cur autem ALIQVANDO addiderim, ea caussa fuit, quod perpetua, atque omnium ne mulierum prænomina fuissent, satis constitutum non habebam, & maxime tota de hac ratione addubitabam. Atque hoc quidem cum aperte in eum scriberem, nullo tamen asperiore verbo vsus sum, vt omnes intelligerent, me rem solum, quam ille pro certa attulisset, cum se mulieres vno tantum, duobus nunquam appellari nominibus, obseruasse professus erat, in dubium reuocare, nec tamen definire. Nunc ille, cum mea legerit, seque iuste a me admonitum senserit, eandem quæstionem retractauit. Ne autem videretur aliquid a me didicisse, magnam partem eorum argumentorum, quæ ego ad meam opinionem confirmandam comparaueram, sibi con-

uellenda suscepit. & iam mulieres non vno tantum gentilicio nomine, & vno Caiæ prænomine afficit, sed pro prænomine cognomen inducit. vt si mihi salsius respondendum putem, iocandi materia nulla in grauissimum, & doctissimum hominem defutura sit, qui quam semel de re suscepit opinionem vsque ad extremum non tueatur, nec quod scriptis semel mandauit, id ratione defendere, cum oppugnetur, sciat, sed vt pauidus puer, statim ad aliam sententiam tanquam in arcem victus refugiat. Quoniam autem rei veritas falsis eius obscurata emendationibus, atque interpretationibus aperienda est, atque in lucem producenda est, non grauabor exponere, quibus olim ego rationibus mulieres alio aliquando, quam Caiæ prænomine esse vsas concluserim. Deinde quibus ille fallaciis hæc argumenta oppugnet, qua a me arte defendantur, ostendere. est enim admirabile, non idem nos sentire, cum ambo ex iisdem locis ad nostram probandam opinionem argumenta ducamus. Prænomina igitur muliebria statuit Valerius, apud quem ita scriptum est, capite de Prænominibus. *Antiquarum mulierum frequenti in vsu prænomina fuerunt Rutilia, Cæsellia, Rodocilla, Murcula, Burra a colore dicta. ista prænomina a virilibus tracta sunt Caia, Lucia, Publia, Numeria.* (Sic enim pro Moerea in manuscriptis multis quos ipse habeo, libris, inuenio) Statuit item Festus, cum scribit: *Prænominibus fœminas vsas esse, testimonio sunt Cæcilia, & Tarratia, quæ ambæ Caiæ solitæ sunt appellari. pari modo Lucia, & Tita.* Statuit, id quod omnium plurimi facio, M. Varro in libris de lingua Latina, cum ait: *In nostris nominibus, qui sumus in Latio, & liberi necessaria. Itaque ibi apparet analogia, ac dicitur Terentius vir, Terentia fœmina, Terentium genus. in prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad vsum singularia, quibus discernerentur nomina gentilicia, vt a numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta, in viris vt Quinctus, Sextus, Decimus. Sic ab aliis rebus cum essent duo Terentii, aut plures, discernendi caussa, vt aliquid singulare haberent, notabant, forsitan ab eo, qui mane natus diceretur, vt is Manius esset, qui luci, Lucius, qui post patris mortem Posthumus. e quibus quædam item accidisse fœminis, proportione appellata declarant prænomina mulierum antiqua Mania, Lucia, Posthuma videmus enim Maniam matrem larum, & Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari. Posthumam a multis post patris mortem etiam nunc appellari.* Significat idem Plutarchus in quæstionibus, qui scribit, mulieres duobus, mares tribus nominibus esse vsos, & in Mario, vbi Posidonium videtur reprehendere, quod argumento quodam suo mulieres proprio nomine spoliaret, cum idem mulieri nulli primum nomen, quod proprium esse statuebat, imponeret. & in Romulo, qui Romulum ex Zenodoti sententia filiam reliquisse ait, eamque ab ordine procreationis Primam appellasse. Sententiam vero, atque orationem

horum

horum auctorum confirmat vsus, qui ex veteribus lapidum, ac librorum monumentis colligitur. Nam & Saluia Prima, & Prima Valeria, & Cornelia Secunda, & Tertia Æmilia, & Tertia Mucia, & Quarta Hostilia, & Liuia Quarta, & Quinta Claudia, & Quincta Nonia, & Nonia Quinctula, & L. Peducea, & M'. Acilia passim, vt scripsi, leguntur. Quibus rebus effectum est, vt concluserim mulieres alio aliquando, q̃ Caiæ prænomine esse vsas. Nunc immutata, vt dixi, sententia, nihil Caiæ meminit, pro Caia cognomina subdit. Rationes autem, quibus superiores prænominum auctoritates frangere, cognomina vero confirmare conetur, audiamus. Primum ad Festum, & Valerium diserte, & sine vlla mendæ suspicione muliebria prænomina statuentes, nihil dicit. contemnit videlicet Festum, despicit Valerium, in iis præsertim rebus, quæ aduersentur opinioni suæ. atque hæc vna egregia; & imitatione dignissima ratio responsionis est. Locum Varronis, & locum Plutarchi, qui est in quæstionibus, mendosum esse ait. atque ex ingenio homo acutissimus, & corrigendi magister emendat. alios locos a me non intellectos exclamat. Sed de aliis post. nunc de Varrone. qui loquitur de analogia generum, & inquit; *in nominibus gentilitiis liberorum hominum, quæ sunt in Latio necessariam esse trium generum analogiam, atque ibi apparere. Sic dici Terentium virum, Terentiam fœminam, Terentium genus. in prænominibus ideo non fieri item*, (id est, vt trium generum seruetur analogia,) *quia hæc instituta sunt ad vsum singularia, quibus discernerentur nomina gentilicia, vt a numero Prima, Secunda, Tertia, Quarta, in viris vt Quinctus, Sextus, Decimus.* quibus verbis nonne perspicuum est, eum velle prænomina non seruare analogiam, quam gentilicia nomina? *nam in gentilicis vsurpari tria genera Terentium virum, Terentiam fœminam, Terentium genus. in prænominibus non item. nam in fœminis esse prænomina Primam, Secundam, Tertiam, Quartam, vt in viris Quinctum, Sextum, Decimum.* Quid autem ait nouus noster hic Aristarchus? non inducendum esse hunc locum, vt spurium, sed corrigendum, vt vitiosum. Nam vbi legitur: *In prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad vsum singularia*; reponendum esse: *In prænominibus id non fit.* Item *quotquot instituta ad vsum singularia.* Cur ita? vt sensum colligat opinioni suæ defendendæ accõmodatum. quem tandem? in prænominibus id non fit. Item quotquot instituta ad vsum singularium, quibus discernerentur nomina gentilicia. (ea vero cognomina interpretatur) non seruant analogiã triũ generum. quia dicitur *Prima, Secunda, Tertia, Quarta cognomen in fœminis, Quinctus, Sextus, Decimus prænomen in viris.* Macte virtute Robortelle, qui tam belle libros Latinorum emendas, vt nullum sensum relinquas, omnem antiquitatem tollas, vt fœminas antiquis prænominibus spolies, nouis cognominib. ornes.

tum tamen ipse negare non possis, Varronem scripsisse Maniam, Luciam, Posthumam antiqua earum fuisse prænomina. Sic enim ais: *sed de Varronis opinione quid sentiam, alias copiosius declarabo. Nunc redeo ad Sigonium, qui testimonio Varronis confirmare conatur, fœminas R. prænominibus uti consueuisse. ego præter illa Luciam, Posthumam, & Maniam nihil aliud video ex Varrone posse, quæ tamen vetustate obliterata esse ait.* Ego vero tibi respondeo Robortelle, ex verbis Varronis integris, neq; temere, atq; ad tuum arbitrium deprauatis nihil aliud elici posse. Quod si Lucia, Mania; Posthuma antiqua prænomina earum fuerunt, satis argumento est, mulieres R. vt scripsi, alio aliquando, quam Caiæ prænomine esse vsas, contra quam tu bonus interpres antiquitatis tradideras. etsi vis me lectionem Antonii Augustini viri longe alio; quam tu, iudicio præditi, cuius liber post meum de nominibus commentarium in lucem prodiit, esse sequutum, sim sequutus, dum modo hoc constet, locum illum a te neque intellectum esse, & sine caussa corruptum. Irridet ergo Valerium Robortellus, pro nihilo habet Festum, distorquet Varronem. non est satis. Plutarchum etiam sibi dilacerandum sumsit. qui ita in quæstionibus inquit: χρῶνται δὲ δυσὶν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄῤῥενες, id est, vtuntur duobus nominibus fœminæ, tribus mares. quæritis quo modo? Cum interpretem legisset, (neque enim Græca ab eo lecta intelligi res ipsa loquitur) qui vertit temere, vtuntur vno, aut duobus nominibus mulieres, atque de eo a me amice fuisset admonitus, respondet: *Alias ego in meo libello scripsi, vno aut duobus mulieres uti nominibus, sequutus Plutarchi testimonium. nam bene emendati codices habent, ἑνὶ δὲ χρῶνται, ἢ δυσὶν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι: atque sic etiam vertit olim Petrus Lucensis vir doctus, qui ante centum annos fere Lucæ vixit, & professus est.* O præclarum emendatricis artis auctorem. Cur legit Robortellus apud Plutarchum contra vulgatam rationem *Vno, aut duobus*? quia Petrus Lucensis ita vertit. quis est iste Petrus Lucensis? vir doctus, qui centum prope ante annos Lucæ vixit. O rem indignam. ille, cui Festus inanis, insulsus Valerius, ineptus Varro, vt post ostendam, videtur, tantum tribuit Petro Lucensi nescio cui, quia centum ante annos vixit, vt eum satis firmum decretorum suorum propugnaculum putet. at bene emendati codices, inquit, ita habent. qui Robortelle? vbi sunt? vide ne sexcentos domi te habere dicas, vt de Liuianis dixisti. Sed nulli sunt certe. neque enim in tanta re eorum mentionem præcipuam omisisses. Sed de correctione satis. nunc de sententia. Sic enim ait. *Statuit Sigonius fœminas Ro. vti duobus nominibus prænomine scilicet & nomine, vt si dicas M'. Aciliam. ego hoc falsum esse assero, nam si duobus vtuntur, non de prænomine id voluit intelligi Plutarchus, & nomine, sed de nomine, & cognomine. hæc emendationum* libr. II. Cap. X. at hoc in libro ita: *Plutarchus in*

Proble-

Problematis inquit, *Mulieres vno, aut duobus appellabantur nominibus, ego duobus appellari nunquam obſeruaui, niſi forte prænomen illud ſignificare voluit Plutarchus, quod eſt omnibus mulieribus cõmune, vt dicerentur Caiæ.* Quis eſt, qui non videat ipſum his verbis ſecum diſſentire, cum idem ſe ſemper ſenſiſſe videri velit? nemo niſi idem ipſe, qui ſcripſit, qui ne ſe quidem iampridem deſipere intelligit. Si mulieres Romanas Robortelle duobus nũquam appellari nominibus obſeruaſti, cur nunc Plutarchum nomen, & cognomen intellexiſſe ſcripſiſti? Si autem duo Plutarchi nomina ad gentilitium, & ad Caiam referebas, cur eadem nunc ad gentilitium, & cognomina traduxiſti? NVNQVAM ſcripſiſti Robortelle, non RARO. Quæ eſt hæc ratio hominis non literati, ſed qui ſe literatum vult haberi, admonitum ſubito de ſententia dimoueri, atque huc & illuc vagari, & quæſtionis difficultate, tanquam ſæua tempeſtate iactatum ad ineptiſſimam ſententiam, tãquam ad ſcopulum infeſtiſſimum detrudi? hanc vt teneat, omnes antiquos auctores correctionibus ſuis violare, interpretationibus inquinare, ſermone deludere? Nam quia Plutarchi locum alterum in Mario nactus eſt, cum poſſe ſenſum, quem cupit, habere, vſque eo profectus licentia eſt, vt etiam Varronem, quem ſibi aperte aduerſari intellexit, Plutarcho poſtponendum eſſe dixerit. ſ. Robortelle in ratione nominum Roman. tradenda Plutarchus Varroni præferendus? an Græcus Romano, qui vigente vix imperio vixit ei, qui cum florente rep. floruit? qui res Romanas audiuit, ei, qui interfuit? qui nominum ipſorum Romanorum ſero, ac ſenex, vt ipſe de ſe Plutarchus fatetur, rationem accepit, ei, qui eadem ipſa cum lacte hauſit, præponetur? Quid? nonne tu in hoc libro ſcripſiſti, Græcos perperam proferre nomina Romana, vt Plutarchum, qui Quadrantariam Clodiam pro Quadrantaria ſcripſit? Me miſerum. Tu M. Varro, qui, Cicerone grauiſſimo teſte, auctore, ætatem, patriæ, deſcriptiones tẽporum, qui ſacrorum iura, qui ſacerdotum, qui domeſticam, qui publicam diſciplinam, qui ſedium, regionum, locorum, qui omnium diuinarum, humanarũq; rerum nomina, genera, officia, cauſſas aperuiſti, in eiuſdem antiquitatis cognitione Plutarcho, quem cum laudare volumus, alterum apud Græcos Varronem dicimus, ab homine ſi non imperitiſſimo, at certe non eruditiſſimo poſtponeris? *Sic enim ille de Varrone, quaſi de Manutio, aut Sigonio aliquo loquitur.* Sed de Varronis opinione quid ſentiam, alias copioſius. Item: *Cenſeo magis habendam eſſe fidem Plutarcho, quam Varroni.* quid autem tandem in Mario dixit ille Plutarchus? *mulieribus nullũ,* inquit ille, *primũ nomen imponi,* quid ſi doceo, aliam eſſe poſſe loci eius ſententiam, eam prope, quam ipſe Varronem, & Plutarchum ſummos viros conciliaos, tum ſequutus? Quam ſententiam tu adeo exagitaſti, vt etiam auius ſis affirmare, me, quia in eo loco interpretando a te

dissenserim, Græcarum literarum esse ignarum. Nam quod id grauium, vt tu vocas, hominum testimonio confirmaris, minus laboro, cum ego te omnium, qui viuunt, grauissimum iam ita leuem reddiderim, vt nihil esse te mobilius videatur. Itaque cum maledicta tua acerbissima feram æquo animo, patiar grauis eius etiam hominis quicunque fuit iniuriam, quem vnum ex omnibus maxime video esse maledicum, ac tibi propterea tam amicum, a me fortasse, quia vestrum vtriusque dissimilis sum, alienum, verba igitur sunt. ἐξ οὗ καὶ μάλιστα Ποσειδώνιος ἐλέγχειν οἴεται τοὺς τὸ τρίτον ὄνομα ῥωμαϊκὸν εἶναι νομίζοντας, οἷον τὸν Κάμιλλον, καὶ τὸν Μάρκελλον, καὶ τὸν Κάτωνα. γίνεσθαι γὰρ ἀνωνύμους τοὺς ἀπὸ μόνων τῶν δυοῖν προσαγορευομένους. λανθάνει δὲ αὐτόν, ὅτι τούτῳ τῷ λόγῳ πάλιν αὐτὸς ἀνωνύμους ποιεῖται τὰς γυναῖκας. οὐδεμιᾷ γὰρ γυναικὶ τίθεται τῶν ὀνομάτων τὸ πρῶτον, ὅπερ οἴεται κυρίως ὄνομα ῥωμαϊκὸν ἔχειν ὁ Ποσειδώνιος. Verba quæ faciunt quæstionem sunt hæc: οὐδεμιᾷ γὰρ γυναικὶ τίθεται τῶν ὀνομάτων τὸ πρῶτον. In his autem verbum est τίθεται, quod a te, vt etiam ab interprete, sumitur in patiendi significatione, a me in agendi, fit autem, vt si in patiendi significatione accipiatur, ad Plutarchum referendum sit, qui primum nomē nulli mulieri impositum scripserit, si in agendi, ad Posidonium, qui nulli mulieri primum nomen imposuerit. ego vero posteriorem interpretationem sequutus sum, ne a Varronis ., & ceterorum Latinorum iudicio Plutarchum dissidentem facerem, atque adeo etiam a seipso, quem in quæstionibus duobus nominibus affecisse mulieres prænomine, & nomine a te ante didiceram. Quid ergo ais? errasse me, nescire Græcas literas, cur tandem? quia interpretis sententiam reliqui, nouam aliam attuli, quid igitur? negas illum esse verbi τίθεσθαι vsum, quem dixi? si non potest esse, iure reprehensus sum, si potest, quid me Græcarum literarum rudem hoc nomine arguis? quid erat negotii, interpretem legere, & eius, vt tu facis, sententiam sequi, nisi me melioris fortasse sententiæ nouitas, & verbi frequentissimus vsus huc deuocasset? *At nescis*, inquis, *Græcas literas*, cur inquam? quia τίθεται imponitur, non imponit est conuertendum? Scilicet Robortelle tu solus in orbe literarum inueneris, qui ignores τίθεσθαι ὄνομα esse nomen imponere? tu de Græcis vnquam literis facies mentionem, cum hoc te nescire côfitearis? quid? nonne ita etiam locutus est Plutarchus tuus in quæstionib. Διὰ τί τοῖς ἄρρεσιν ἐνναταίοις ὀνόματα τίθενται, id est, cur Romani maribus nono die nomina imponunt? cui voci tu patiendi significationem tribuisti, cum ita vertis: *Plutarchus in problematis, vbi quærit, cur maribus nono die nomina imponerentur; cum agendi tribuere debueris, primum, quia Petrus Lucensis, is, qui centum ante annos vixit, ita vertit*, neq; enim hic tuus Petrus semper vult esse tuus, sed aliquando etiam meus; deinde quia attice ὀνόματα τίθεσθαι, non τίθενται Plutarchus scripsisset, postremo quod caput est,

qua

quia subaudiuntur Romani, vt in certis quæstionibus, λέγεται γεωργοῦντας τοὺς παῖδας, λέγεται ἀπὸ πέρας [illegible] quid? nonne aperte dixit in Poplicola, ἐπέθεντο δὲ τοῖς παισὶν αὐτῶν πορκίας καὶ καπραρίας ὀνόματα. id est, imponebant nomina filiis Porcios, & Caprarios. & in Coriolano: [illegible] ἐπίθετον [illegible] ἐπώνυμον τὸν [illegible]. Sed quid dico Plutarchum? nonne sexcenties hoc genere dicendi vsus est Plato in Cratylo. hoc modo? pauca afferã ex principio, vt discas ea, quæ nescis τοῦ ὀλίγου ὁ νομοθέτης τὰ ὀνόματα τίθεται. Item. ὁ νομοθέτης [illegible] καλῶς θέσθαι τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα. Item: δοκοῦσι μοι μάλιστα θέσθαι οἱ ἀμφὶ [illegible] τοῦτο τὸ ὄνομα. Item: κινδυνεύουσιν οἱ πρῶτοι τὰ ὀνόματα [illegible]. Item: οἱ πάλαι οἱ ἄνθρωποι οἱ [illegible] τὰ ὀνόματα quid quæris? tertio quoq; versu inuenies τίθεσθαι ὄνομα pro nomen imponere, non imponi in eo dicelego. Si ergo ita Plato locutus est, si ita semper Plutarchus, si sententia non modo non repugnat, sed etiam te, vt ita vertas, inuitat, cur non potui cum interprete dissentire, cuius tu iudicium sequeris? an qui non facit, vt tu, Græcas nescit literas, an, qui quod tu, omnino, vt tu, literarum est expers? sed redeo ad quæstionis initium. Si ergo Festo, Valerio, Varrone diserte loquentibus, Plutarchi vero obscurius illo quidem, sed ita tamen, vt facilius hanc, quam tuam ex verbis eius sententiam colligamus, si his, inquam, auctoribus feminas R. alio aliquando, quam Caiæ prænomine vsas esse scripsi, qui tibi venit in mentem Robortelle meam preceptionem tam acriter insectari? Scilicet cœcus ambitionis te furor, & insita maledicendi libido te attraxit: neque enim recte mea verba percepisti, aut caste meam sententiam retulisti, quod vel ex argumentatione tua intelligo, vel ex propositione, cum ais: *Mulieres prænomine vsas vario, sicuti viri, Sigonius ostendere conatur.* Ego ne Robortelle ostendere conatus sum, mulieres vario prænomine, sicuti viros, esse vsas, cum dixi, ex verbis superiorum auctorum satis intelligi, mulieres alio aliquando, quam Caiæ prænomine appellatas? an vero, si dixi ALIQVANDO, dixi semper, dixi, omnes mulieres, dixi omnibus virilibus prænominibus esse vsas? quid dixi? iis esse vsas, de quibus te repugnante scripsit Valerius, scripsit Festus, scripsit Varro, Prima, Secunda, Tertia, Quarta, & ceteris. Quis ergo huc te tantus furor adduxit, vt hoc nomine in me tanquam in Vlyssem Aiax inuaderes? an vt tanquam Polyphemus ab Vlysse excæcareris? credo. Etenim cum locum illius Plutarchi sententiam, quam non videbas, tibi aperuit, te non oculis, sed prope vita ipsa priuant. Siquidem hoc vno errore Sigoniano ita delectatus, vt modestissime hoc modo scripseris: *Num Sigonius [illegible] intelligens testimonio illius probare conatur, [illegible] habuisse, cum nominatim [illegible] Plutarchum, [illegible]. Satis mirari non possum, [illegible]. Credo ipsum tam iure castigatum a me toties, [illegible]*

calamum arrepturum, vt scribat, ne ab omnibus irrideatur. Oro tè Robortelle, quis tu es, qui castigandum Sigonium suscepisti? Hoc est castigare Sigonium, ea literis, ac posteritati mandare, quæ immortale futura sint tuæ stupiditatis, atque inscitiæ monumentum? ostende Plutarchi verba eã sententiam habere non posse, ostende sententiam illam ad ea, quæ ab ipso alio loco de duobus nominibus scripta sunt, accommodari non posse, tũ te me castigasse gloriare, si hoc non potest facere, castigatum te confitere; & quidem cum fœdissime lapsus sis, neque verbi eius vim apud Plutarchum intellexeris. Cum ergo primam auctore Varrone prænomen esse scirem, non dubitaui Plutarchi locum adiungere, qui Romulum scribit filiam reliquisse, quam ab ordine procreationis Primam appellarit, hoc eo pertinuit, vt rationem, quæ in virilibus prænominibus seruata est, in mulieribus etiam retentam esse indicarem. Hoc autem reprehendit Robortellus reprehendendi magister magnus, his verbis: *Errat primum Sigonius, qui dum Primam prænomen fœmina probare esse vult, nugas Zenodoti, quas nullus veterum probandas censuit, profert tanquam Plutarchi grauissimi auctoris testimonium, deinde, quia prænomen id ibi esse non apparet, cum nullum aliud subsequatur nomen gentilitium.* Dic sodes Robortelle, an Plutarchus Zenodoti explosam fuisse sententiam dicit, quia Romulum filiam Primam vocitasse tradiderit, an quia eum omnino liberos reliquisse vllos prodiderit? Si ergo illud non reprehendit Plutarchus, ne id quidem ego protuli: non enim filiam ne reliquerit Romulus disputamus, sed ex Plutarchi oratione, qua Zenodoti sententiam recitat, hanc consuetudinem colligimus, filias apud Romanos ab ordine procreationis appellatas. *At non apparet*, inquis, *ex eo loco, an Prima sit prænomen, quia non subsequitur nomen gentilitium.* Audi Robortelle. Si Prima non est prænomen; quia non subsequitur nomen gentilitium, eadem ratione, ne est quidem, vt tu vis, cognomen, quia non præcedit nomen gentilitium, multo minus ipsa gentilitium est nomen. Si ergo Prima non est nomen, certe verbum, aut aduerbium sit necesse est, o præclarum doctorem antiquitatis; filia Romuli caret nomine gentilitio, cur? quia pater eo caret. est enim Romulus spurius, & sine gente, at hoc præceptionem meam non debet impedire, pater nomine non caret, est enim e gente Siluia, vnde mater Rhea; at ne filia quidem, Prima Siluia. Confirmo præterea, quod a Varrone dictum fuit de Secunda, Tertia, Quinta prænominibus, multorum veterum lapidum, vt supra dixi, testimonio. In hæc ita Robortellus cap. XII. *Quis risum teneat hæc legens, sub finem sui libelli, me, opinor, imitatos esse Augusti tempora non transire, ostendat si potest illa marmora vigente tempore ita scripta fuisse.* Quid? an tu Robortelle eos lapides post obitum Augusti incisos esse probabis? ni non facias; cum lapidem inuenerim, & quidem

& quidem veterem, quo ea, quæ a summo doctore Varrone scripta sunt, confirmantur, cur non vtor eo, quanquam de tempore ambigo? cum repugnat lapis reip. temporibus, cum mihi est in hac constituenda quæstione abiiciendus, cum consentit, non negligendus. Sed tu idem, qui te Augusti tempora non pertransire scribis, vnde tua cognomina, nisi ex nouissimis lapidibus, protulisti? Sed vide, quam nolis quicquam, de tua, si possis, gloria excidere, ne tui ais imitatione disputationem meam Augusti imperio conclusisse, cur tui potius Robortelle, quam eorum, qui fastos Capitolinos scripserunt, in quos illum commentarium compului? nonne vides fastos meos, meamque omnem illam antiquitatis disputationem eius temporis finibus terminari? desine credere Robortelle, aut te tam excellentem, aut me tam stolidum esse, vt te imitari velim, in quo, vt leuissime dicam, imperfecta omnia sunt. Hoc cum teneatur manu, Secundam, Tertiam, & Quartam prænomina fuisse, tamen argumentaris deinceps cognomina esse, quia in lapidibus ipsis scriptum sit hoc modo: *Salvia C. F. Prima, cumque alterum lapidem habeas aduersarium, in quo sit Prima Valeria Sp. F. non tamen Primam esse prænomen, sed cognomen concludis.* cur? *quia consequeretur*, inquis, *quod est maxime absurdum, Primam modo prænomen esse, modo cognomen.* Tu absurdum putas Robortelle, id quod virilibus de prænominibus, quorum sanctior obseruatio fuit, a veteribus Valerio, & Prisciano traditum est? quid enim? Agrippa, Volusus, Mamercus, Proculus, Tullus, quæ Meneniorum, Valeriorum, Æmiliorum, Iuliorumque prænomina fuerunt, nonne post in Vispaniis, Valeriis, Æmiliis, Plautiis, Volcatiisque cognomina celebrata sunt? Hæc si tu aut per te obseruasses aut a Valerio, & Prisciano cognouisses, eiusmodi argumentatione vsus esses? quod enim tandem hoc incommodum est, in fœminis (si modo cognomina earum vlla sint) idem seruari, atque in viris? Concludis hunc locum: *Nec est, quod te torqueas Sigoni diu, nunquam enim peruinces Quinctam, Quartam, prænomina esse.* Cui respondeo, malle meipsum torquere, quam, vt tu fecisti, Varronem, a quo tu nullo vnquam tormento elicies, id quod a Plutarcho, me quidem aduersante, expressisti, vt tibi obsequatur, ac mulieribus ante prænomen, nunc cognomina largiatur. Quod si Quartam, & Quinctam prænomina esse non peruincam, aut Varronem, auctorem aliquãto, quam te meliorem id voluisse peruincam, at mulieres R. alio aliquãdo, quam Caiæ, vt scripsi, prænomine vel te concedente peruincam, at te mutata sententia gloriæ & inanis ambitionis caussa pulcerrimum quenque auctorem dilacerare peruincam. Atq; auctoritatibus quidem hactenus pugnauimus, nunc ratione quid præstare possimus, videamus. Quæ te res igitur impulit Robortelle, vt prænomina mulieribus eriperes? an vt proprio eas nomine spoliares? Siquidem ex tribus

primum proprium fuisse apparet: neque enim gentilitium proprium est cum vniuersæ eius nominis genti commune sit, nec cognomen, cum id familia plerunque vniuersa vsurpet, quod si proprium id ei, qui primus illud inuenerit, assignabis, vide ne idem ille, antequam cognomen illud peperit, nomen proprium nullum habuisse videatur. Si ergo nec secundum nomen, nec tertium in viris proprium est, ergo primum, eadem est ratio fœminarum. Cur enim dicas Iuliam, aut Tulliam nomen esse proprium filiæ C. Iulii Cæsaris, aut M. Tullii Ciceronis, cum omnes, quæ ex eis, aut fratribus eorum filiæ suscipientur, eo nomine vel muto patre futuræ sint? Nam cognomen proprium eis esse non posse, argumento est, quod ne multa quidem cognomina mulieribus accommodari analogia ipsa permittit, non enim vt dicitur Iulius, Iulia, Tullius, Tullia, Calpurnius, Calpurnia, sic Cæsar Cæsara. Cicero, Cicera. Piso Pisa. Sint ergo prænomina propria ve virorum, sic mulierum nomina, non eadem illa quidem, quæ virorum, neq; enim tam eas, quam viros distinguere opus fuit, quippe quæ a rebus agendis, & maxime a rep. administranda remotæ fuerint: sed nō tamen omnino diuersa. Quoniam autem apta visa est ad filias internoscendas ipsa ratio oriendi, eas a Prima vsque ad Quinctam numerantes peruenerūt, his Posthumam, quæ post patris mortem nata esset, adiecerunt, reliqua virilia prænomina raro in fœminis vsurparunt quanquam tu Ti. Æliam, & P. Seruiliam, & A. Æmiliam ex vetustis lapidibus excitasti, quarum mulierum etsi incerta ætas est, tamen, quia pulcræ sunt, & quidem nostri stomachi, sint in deliciis: nam & ipsæ id verum esse, quod scripsi arguunt, mulieres Rom. alio aliquando, quam Caiæ prænomine esse vsas. Nunc docendum est, cognomina illa, quibus tu mulieres homo liberalis donasti, non fuisse donanda, neque eam donationem a te iure esse factam, cum ex alieno donaueris, prædicem vero neminem ex maioribus natu, quorum ea possessio fuerit, interprete, atque auctore. quid? Robortellus homo eadem doctrina, qua omnes norunt, præditus, mulieres cognominibus nullo veterum auctore afficit? nemine, nisi Festo, qui inquit, *Maiorem, & Minorem inter mulierum cognomina poni solita fuisse*. quid Robortellus? *Maior, & Minor auctore Festo cognomina sunt, ergo Prima, Secunda, Tertia, & Quarta cognomina sunt*. Egregie. at Prima, Secūda, Tertia, & Quarta, Varrone teste, prænomina sunt, ergo & Maior, & Minor. Licet, *Festus diserte ea cognomina vocat*. Cur non eadem mihi, quæ tibi Robortelle corrigendi potestas datur, vt possim prænomina, pro cognominibus restituere, cur non licet mihi Festum ita, vt tu Varronem irridere, atque Varronem Festo anteferre? cur non possum, verum ne a te capiar, Protheum fingere, possum illud quidem, sed nō facio tamen, vim cognominis tantummodo explico: dico enim cognomen appellari vocem quamcunque, qua gentilicia nomina

distin-

distinguamus, qua voce tam prima, quam tertia nomina comprehenduntur, esse enim aliquod tale genus indicat Varro, cum ait: *Quotquot instituta ad vsum singularia, quibus discernerentur nomina gentilitia*, non ita legitur inquis, at ita legendum est, ais. Hinc fit, vt ratio nascendi prænominibus pariter, & cognominibus caussam dederit, atque vt prænomina aliquando pro cognominibus, sic cognomina pro prænominibus vsurpata sint, & vt Diuus in Cæsare, Imperator in Augusto nouo more prænomina fuerint, & vt Aquilius ab aquilo colore, id est, nigro dictus prænomen a Festo celebratum sit. quid plura? *idem Festus nonne Proculum inter cognomina refert? at viuente Romulo floruit Proculus Iulius, & post Proculus Verginius. Idem nonne Rutilias cognomina fuisse fœminarum, id est, rufas, quod eo maxime colore delectarentur, ait? at cur inter prænomina ponit Valerius, cum Rutiliam, Caeselliam, Murcellam, Rodocillam, prænomina muliebria Burram a colore dicta prodit*, recte, est enim Cæsellia, quasi cæsii coloris, Murcula (sic enim in manuscriptis legitur) muricis, Rodocilla rosei, Burra rufi, auctore Festo. in confirmandis ergo muliebribus cognominibus cares aucteribus, num item exemplis? certe. Paulam enim affers, & Metellam, vt Paulam Valeriam, & Cęciliam Metellam, quæ extremis reip. temporibus sunt audita, quæ non video, cur non prænomina dici possint. Si enim eodē tempore multa alia cognomina in viris pro prænominibus celebrari cœpta sunt, vt Paullus, quod fuerat Æmiliorum cognomen, in Paullo Fabio Maximo & Paullo Æmilio Lepido, & Cossus, quod Corneliorum, in Cosso Cornelio Lentulo, & Potitus, quod Valeriorum, in Potito Valerio Voluso, & Iulus, quod Iuliorum in Iulo Antonio Africano; qui omnes imperante Augusto consulares clarissimi viri fuerunt, cur non Paulla, & Metella, quæ aliquando Æmiliorum, & Cæciliorum cognomina fuerunt, prænomine in Valeria, & Cæcilia appellari possunt? eoque etiam magis cum Paulla non fuerit Paullæ Valeriæ, quam significas, cognomen. nam si fuit aliquod, fuit Triaria, fuit enim Triarii soror Valeria auctore Cælio. Triarius autem Valeriorum cognomen. cur ergo frater Valerius Triarius dicitur, soror Paulla Valeria, si Paulla cognomen est? an, vt ais, quia adoptio subest? quæ adoptio Robortelle? frater non est adoptatus, retinet enim familiare cognomen Triarii, soror adoptata? vnde hanc eius adoptionem hausisti? Si ergo neque testes, neque vsum muliebrium cognominum potes proferre, cur ancipitem Plutarchi locum de duobus fœminarum nominibus ad cognomina potius, quam, vt ante, ad prænomina transfers? quorum & auctores grauissimos multos & vsum antiquissimum habes. At multa, quæ in viris cognomina vsurpata sunt, post Augusti tēpora in fœminas transierunt, Maxima, Cōstantina, Peregrina, Rectina,

Nigella. Sexcenta alia sint, quæ tu ex Lusitani amici tui scriniis deprompseris, cum multo plura, & certiora ex veteribus librorum monumentis colligere potueris, quid? tu ad sua tempora in scribendis illis quæstionibus respexisse Plutarchum credis, cum caussas rerum omnium iam inde vsque ante conditam vrbem repetat? Quare si cognomina non intellexit Plutarchus in quæstionibus quæ re.p. temporibus in vsu non fuerant, ne in Mario quidem mulieres primo nomine potuit spoliare. Hoc tamen vsu ipse ita gloriaris, vt vno, ad summum altero exemplo rem confirmaris. Et te non piget, a me vsum muliebrium prænominum postulare, quem saltem primis temporibus permittis, atque id ei, quod ipse dixi, ALIQVANDO, cum tu nisi nouissimis temporibus cognomen nullum reperire, si modò id cognomen vocandum est, possis: Quære alia argumenta Robortelle, si potes; nam in his quantum roboris sit, nisi plane desipis, vides.

An Caia prænomen omnibus mulieribus fuerit commune.

CAPVT XXVI.

PRænomen illud, quod est omnibus mulieribus commune, vt dicerentur Caiæ.) Proba omnes promiscue mulieres Caias vocatas. Ego enim probabo tantum id in nubentibus vsurpatum, Festo, Cicerone, & aliis auctoribus.

Lex Papia de peregrinis a quo, & quando lata.

CAPVT XXVII.

APud Ciceronem in oratione pro Archia mentio fit de lege Papia.) Si Sigonius hæc scripsisset, quæ scripsit Robortellus, quos ille risus, quas comœdias excitaret, quoties imperitum, quoties iudicio carentem, quoties pueriliter omnia scribentem audiremus, quot capita scriberet, vt plura viderentur errata, videremus. Ego contra doctissimum virum, vt hominem, lapsum iudico, atque venia dignum existimo: neque enim in tam longo diuturnoque laborum opere, neque in tanta rerum mole semper vigilare, quanquam diligentissimus homo, potuit. Dubitat ergo primum, deinde confirmare videtur, legem Papiam a Q. Æmilio Papo esse latam, qui cum Pyrrho rege bellum gessit, nec videt eam legem ætate Ciceronis latam. Siquidem inquit in 2. de off. Male qui peregrinos vrbibus prohibent, vt Papius nuper. Ignorat ergo eam legem non a Papo, sed a Papio, neque Pyrrhi, sed Ciceronis temporibus esse latam, quæres a quo? a Papio, a C. Papio tribuno pl. vt supra dixi, Cotta, & Torquato cos. Dio lib. XXXVII. [illegible]. Nega hoc Robortelle, vel emenda, vel saltem oppone, vt videaris aliquid dicere.

Pr

De nominibus libertorum.

CAPVT XXXVIII.

NOmina libertorum semper ab agnomine patronorum, a quibus fuerant in libertatem asserti ducebantur) Qui me agnomen vsurpare, cum grammaticorum sententiam recitabam, non patiebatur, is illud in alia significatione, quam quisquam vnquam factitauit, vsurpat. Agnomen enim pro gentilitio nomine ponit, quia, vt supra dixit, *Agnomen ab agnatione fluxit*, Adde, *quod nomina libertorum non solum sumebantur a nominibus gentilitiis patronorum* vt ipse ait, *sed etiam a prænominibus. vt M. Tullius Laurea, T. Cæcilius Eutychides, M. Liuius Andronicus.* de quibus ego alias.

De nominibus nouorum ciuium.

CAPVT XXXIX.

IDem factum obseruo in nominibus quibusdam barbarorum, qui similitudinem nominum a Romanis iam victoribus, & obtinentibus prouincias aucupabantur.) Hoc non est satis. Caussa aperienda, vel occasio, qua illi nomina Romanorum assequerentur; vt ciuitas. qui enim ciuitatem Ro. adeptus erat, is prænomen, & nomen eius, per quem impetrarat, vsurpabat, vt multis ego in meo commentario exemplis ostendi.

De nominibus adoptatorum.

CAPVT XL.

NOmina adoptatorum.) Non solũ qui adoptati erant gentilitium nomen, siue, vt ipse ait, agnomen mutuabantur ab adoptante, sed prænomen etiam, & cognomen. vt P. Cornelius Scipio Æmilianus, & alii

Locus Ciceronis non recte citatus.

CAPVT XLI.

CIcero libro primo epistolarum ad Att. Cæcilium Pomponianum vocat Atticum.) Imo libr. 3. Q. Cæcilium Pomponianũ appellat. quod non dixissem, nisi ille mihi vitio dedisset, quod versus aliquot ex Atticis Pausaniæ, pro Achaicis retulissem? quasi vero ego tot versus non inspecto Pausaniæ loco exscribere potuissem.

Locus Ciceronis explicatus, & Scipio Metellus a quo sit adoptatus.

CAPVT XLII.

IDem Cicero libro epistolarum sexto ad Att. *Scipio hic Metellus proauum suum censorem nescit fuisse. Significat enim Scipionem Asiatici illius filium, qui adoptatus fuit a Q. Metello Pio, & dictus Q. Metellus Scipio.*) Adscribam quæ alias in hunc locum scripsi, vt eius modestiam homines tandem cognoscant, qui cum intellexerit, se a me iuste admonitum, non fuit peruicax, nihil respondit, atque herbam dedit. recte ille quidem, id præsertim ætatis homo, nisi se, quasi efferatus ad contumelias contulisset. Verba

mea hæc fuerũt: *Metellus autem hic Scipio P. Cornelii Scipionis Nasicæ filius naturalis fuerat*, teste Dione qui ita ait lib. 40. ὁ πομπήϊος καὶ ἄλλον συνάρχοντα προσθέσθαι οἱ ἐν ... ἐκέλευσε. ὅτος γὰρ γένει μὲν υἱὸς τοῦ νασικοῦ ἦν, ἐκ δὲ τῆς κλήρου διαδοχῆς ἐς τὸ τοῦ μετέλλου τοῦ εὐσεβοῦς γένος ποιηθείς: id est: Pompeius Q. Scipionem socerum sibi collegam asciuit, qui naturalis filius fuit Nasicæ ille quidem, at adoptatus a Q. Metello Pio. Quod cũ ita sit, nescio quid in mentem amico meo venerit scribere in libro de nominibus ita: *Cicero* lib. epist. ad Att. 6. *Scipionem hic Metellus proauum suum nescit censorem non fuisse. Significat Scipionem Asiatici illius filium, qui adoptatus fuit a Q. Metello Pio.* Cur mirer, hæc caussa est: nemo enim Asiatici filium fuisse Scipionem hunc scribit, nisi quem hic sequitur Dionis interpres. Neque vero omnino hic Scipio Metellus Asiatici filius esse potuit, sed Nasicæ; primũ, quia hic idem P. Cornelius Scipio apud Eutropium, & Eutropii Græcum interpretem Pæaniũ nominatur; & P. Scipio in Epitomis, & apud Ciceronem pro domo dicitur, cum ait: *Atqui C. Atinius patrũ memoria bona Q. Metelli, qui eum ex senatu censor eiecerat, aui tui Q. Metelle, & tui P. Seruili, & proaui tui P. Scipio. Asiatici vero Lucii prænomen tulerunt.* deinde quod in Bruto auum huius vocat P. Scipionẽ Nasicam oratorem, proauum P. Scipionem Nasicam Serapionem, oratoris patrem, abauum vero P. Scipionem Nasicam Corculum Serapionis patrem: quæ cum in Asiatici filiũ cadere nullo modo possint, in Nasicæ certe maxime cadunt, hoc modo:

I. *Scipio Nasica Corculum. Cos. D X C I. D X C V I I I. abauus Scipionis Meteli.*

II. *P. Scipio Nasica Serapio. Cos. D C I. proauus Metelli Scipionis.*

III. *P. Scipio Nasica Orator auus Scipionis Metelli. Cos. D X L I I. uxor Cæcilia Macedonici filia.*

IV. *P. Scipio Nasica pater Metelli Scipionis.*

V. *P. Scipio Nasica, qui adoptatus a Q. Metello Pio Q. Metellus Scipio dictus est. Cos. D C C I.*

I. *C. Lælius. Cos. D C X I I I. abauus Scipionis Metelli.*

Lælia filia.

II. *Uxor Q. Mutii Scæuola Aug. Cos. D C X X X V I I. proaui Scipionis Metelli.*

Mutia

Mucia filia.

III. *Vxor L. Licinii Crassi Oratoris. Cos. DCLVIII. aui Scipionis Metelli.*

Licinia filia.

IV. *Vxor P. Scipionis Nasicæ, patris Metelli Scipionis.*

V. *P. Scipio Nasica, qui adoptatus a Q. Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus est. Cos. DCCI.*

Descripsi autē etiam maternos Metelli auos ex Ciceronis sententia in Bruto, ne quis eundem de maternis, non de paternis intellexisse suspicari posset, atq; ita rem (quod fieri ne hoc quidem pacto potest) ad Asiaticos traheret.

An prænomina vnquam pro gentilitiis vsurpata sint.

CAPVT XLIII.

OB*seruaui quoque in nominibus R. ea, quæ olim prænomina essent facta, vt Menenius Licinius. nam postea ita dictum est in nomine M. Licinius Crassus.*) Dixi ante Licinium mendose legi apud Liuium in Menenio, pro Lucio. quid est autem, quod quærat exemplum M. Licinii Crassi, qui annos amplius CCCC post Licinium Menenium vixit, cum P. Licinium Caluum primum tribunum mil. e plebe, qui eodem tempore, quo Menenius vixit, potuerit nominare? ex quo apparet Licinium nō ante fuisse prænomen, quam gentilitium nomen, cum etiam Licinium legi oportere concederem.

Ambiguitatem nullam in nomine Lucullorum esse in oratione pro Archia.

CAPVT XLIV.

V*Nde sæpe oritur ambiguitas, de quo sit intelligendū, vt in nomine Luculli, an de L. an de M. qui fratres erāt, qualis locus est in oratione pro Archia poeta.*) In oratione pro Archia ita loquitur Cicero: *Statim Luculli eum domum suam receperunt. quid est quod labores de hoc nomine, an Lucium, an Marcum intelligat, cum vtrunque scias intelligi? post enim meminit sæpe L. Luculli, sed aperte.*

Ambiguitatem nullam esse in nomine Curionis, in epistolis Ciceronis ad eum.

CAPVT XLV.

QValis etiā ambiguitas erat in nomine Curionis libr. 2. Epist. fam. in qua re multi decepti sunt, nō distinguentes patrem Curionē a filio. nam illæ epist. 1æ, *Nondū erat auditū, &c. Sera gratulatio, scribūtur ad patrem.*) Hanc opinionē intelligo a scholis omnibus esse repudiatā: neq; enim videre se eruditi homines aiunt, quemadmodū cum in extrema epistola de tribunatu C. Curionis

filii agatur, ea epistola transferri ad Curionem patrem possit, qui multis ante annis consul triumphauerat. in priore vero cũ de reditu Curionis filii ex Asia agatur, cur non idem sit Romam reuertens, qui fuerat absens. idest, cur non ad eundem redeuntem hæc scripserit, ad quem absentem superiores scripserat. præsertim vero cum in superioribus de patris clarissimi viri obitu mentionem fecerit. hæc etiam cum ante in eum dixissem, ipse vera esse ea solito silentio comprobauit.

Tullum, & Tullium diuersa esse.

CAPVT XLVI.

I*Tidem in hoc agnomine Tullo, & Tullia)* Constitue quæso tandem, quod voces agnomen. nam si pro nomine gentilitio id vsurpas, Tullius est quidem agnomen, at vero Tullus prænomen in Tullo Hostilio, cognomen in L. Volcatio Tullo.

Lentulum modo cognomen, modo agnomen esse, refutatum.

CAPVT XLVII.

I*N quibus quoq; appellationibus, videre est Lentulum modo agnomen, modo cognomen.)* Hoc ait Lentulum modo cognomen esse, vt in P. Cornelio Lentulo, modo agnomen, vt in Cn. Lentulo Marcellino. Qui autem hoc dici potest? nam si agnomina ipso auctore omnia in IVS desinunt, certe Lentulus agnomen non erit.

Luscinum, non Luscinium scribendum.

CAPVT XLVIII.

L*Vscinio. Item, Luscinius.)* Luscinus est scribendum. Item, C. Fabritii. Fabricii per c scribendum. ex fastis Capitolinis, & Græcis. sic paulo post Sulpicium, non Sulpitium.

Locum Ciceronis non emendate citatum.

CAPVT XLIX.

V*Bi ait noster Gallus.)* Vester Gallus iampridem correctum est. *Vestrum* autem dixit, id est, *vestra gente Sulpicia* paulo post *Marcius*, non *Martius*. & *Porcius*, non *Portius*. ex lapid. Capitol. & Græcis.

Prænomen cum agnomine sæpe prolatum, contra quam alii dixerint.

CAPVT L.

R*Aro prænomen cum agnomine. sic M. Portius, Q. Tullius.)* Atqui Liuius primis libris plerumque cognomina omisit. in eoque a Robortello, reprehensus est vt Q. Seruilius, M. Fabius, Sp. Cassius, innumerabiles alii: nihil enim frequentius. Quod affert exemplum C. Antonii, facit ridicule. neque enim eius erat vllum cognomen, quod omitti posset.

Agnomen cum cognomine vsurpatum.

CAPVT LI.

Rar-

R*Arissime agnomen cum cognomine, sic Portius Cato.*) Atqui dixit Liuius: *Cornelius Barbatus, Iunius Brutus, Valerius Antias, Licinius Macer, & alia multa.*

Cognomen pranomini pralatum.

CAPVT LII.

N*Vnquam praepostero ordine, sit Crassus Marcus.*) Atqui dixit Cicero in 2. de orat. Maluginensem M. Scipionem.

Cognomen agnomini pralatum.

CAPVT LIII.

N*Vnquam sic, vt pracedat cognomen, subsequatur agnomen.*) At Liuius dixit: *Macer Licinius, Antias Valerius, Cursor Papirius, & Cicero in epistolis: Vetus Antistius, Balbus Cornelius, Caluus Licinius, Lauus Cispius. Papus Aemilius in Lalio*, quamuis Robortellus non probet.

Agnominis vocem temere retentam.

CAPVT LIV.

I*Llud quoque nolim lateat legentes explicationem hanc meam potuisse.*) Cōfitetur se commodiorem rationem sequutum agnominis vocabulum retinuisse. & tamen cum hoc ita sit, superioribus capitibus libri primi emendationum illum exclamātem audiuimus, quod ego eam vocem vsurpassem, quod se duce nō eam e finibus linguae Latinae eiecissem, addens: *Dii boni quantum ego elaboraui in euellenda hac opinione ex hominum animis, & quantum Grammaticos exagitaui hac de caussa. Et tamen non est deterritus Sigonius, tam nullo est praeditus iudicio in literis. O constantiam incredibilem.* Ex his autem paucis, quae in hunc librum notaui, intelligent omnes, an caussa sit, cur scientiam ab eo compilem, aut sermones eius priuatos, vt ille criminatur, inaudiam. cum nobilissimum quodque eius decretum improbarim, atq; improbandum esse probarim. A me sumsisti inquit ille. *Dii meliora, tum enim me hominem non esse existimabo, cum istius disciplinae rationem probabo.* Sed transeamus ad alia, vt dormientem hominem e somno aliquando excitemus.

IN LIBRVM PRIMVM ANNOTATIONVM.

IN I. ET II. CAPVT.

CAPVT LV.

QVod primum specimen ingenii, atque doctrinae suae dedit Robortellus, is fuit liber vnus Annotationum, quibus diuersos Graecorum, & Latinorum auctorum locos illustrandos suscepit. cui post aliquot annos alterum quoque adiunxit. Quorum librorum supra etiam mentionem feci, cum de Ctesiae loco, quem ille primo primi libri capite, & loco Ciceronis de oratore, quem is secundi libri capite, sua correctione deformarat, dispu-

tani. Quibus emendationibus satis supra explosis, reliquas, quales sint, & quam egregiæ, & Robortelli nomine dignæ, exquiremus. Secundo enim capite Horatii versum, vbi ille se in cycnum mutari ait, illustraturus, affert ex Laertio Socratis somnium, qui sibi inter genua cycnum tenere visus est, postridie autem natum esse Platonem, quæ res quam satis sit ad rem, ipse viderit: quid enim poeticæ diuinatio cum philosophi somnio? quid philosophus cum poeta habet simile? illud erat afferendum, vt cycnus ex cantu poetam effingeret. atque vt se potius cycnum, quam anserem fieri Horatius cecinisset. Atque hoc est admirabilium rerum illarum genus, quibus ipse, se multæ lectionis hominem esse, multis persuasit. quæ quanti faciendæ sint, omnes intelligunt, a quibus ego, ne omnino omni eum industriæ laude spoliem exagitandis abstinebo.

IN CAPVT III.

Locos Callimachi aliquot non esse intellectos.

CAPVT LVI.

Tertio igitur capite locos ex hymnis Callimachi aliquot sibi suscepit illustrandos. in quo præter alia docte, atq. scite prolata, correctiones verborum aliquot affert, ita alienas, vt hoc vno argumento satis intelligi possit, eum literas Græcas ne primoribus quidem labris attigisse. quod ne maledice potius ei, quam vere obiicere videar, notatis locis aliquot ostendam. Primum autem hoc postulo ab eo, vt secum constituat aliquando, cum variam lectionem profert, vtram probet, ac laudet, veterem ne, an nouam. vtram enim dixerit, eum deteriorem semper sequutum esse ostendam.

In hymno Apollinis ita legitur in extremo: χαῖρε ἄναξ. ὁ δὲ μῶμος ἵν' ὁ φθόνος ἔνθα νέοιτο. Ille addit: *In alio scribitur φθόνος. cum tamen melior sententia eliciatur ex voce φθόγγος, quam φθόνος* precatur enim poeta, vt Momus ibi habitet, vbi mors, id est, vt intereat Momus. quo nihil melius. at Robortellus huic Momo amicus ei cauet, & reponit pro morte inuidiam, quo sensu nihil frigidius potest esse.

Idem facit in hymno Dianæ: Καὶ ἐν οὔρεσιν ἑψιάασθαι. In alio inquit scribitur, ὑψιάασθαι & tamen antiqua lectio, quam videtur improbare, cum nouam infert, multo melior est: loquitur enim de Diana Callimachus, cui curæ est χορὸς ἀμφιλαφής. καὶ ἐν οὔρεσιν ἑψιάασθαι, id est, iunctarum inter se manuum chorus, & ludere in montibus, est enim ἑψιάασθαι ludere. vt est in Odysseæ in extremo fere. αὐτοὶ δ' ἐν ξυνέεσσι καθήμενοι ἑψιαάσθων.

Et paulo post γαῖαν ὑποπτώσσοντες. Ille: in alio scribitur ὑποπτήσσοντες. vnde quæso Robortelle hoc tuum ὑποπτήσσοντες extraxisti? quid significat? euolue tua dictionaria omnia, nihil inuenies. Cur ergo, cum nouam lectionem profers, aut quæ nullum sensum, aut

quæ

quæ deteriorem inducat, profers? nisi quod vel ambitione, vt aliquid egisse videaris, vel, quod malim, nimia linguæ Græcæ cognitione induceris?

Item in Lauacris Palladis. μητὴρ μὲν γεραὰ οἶτον ἀηδονίδων. Illic scribitur aliter, αἶλινον. Ego vero rectius οἶτον, id est, misericordiam legi puto. Lamentationem enim, & fletum consequitur misericordia. vnde sequitur illud: θεὰ δ' ἐλέησεν ἑταίραν. Si ergo noua lectio quam tu affers, semper est, vt dixi, peior, quid ais? an cum hoc facis te veterem probare, nouam tantum significare? ne hoc quidem modo defendi tuum factum potest: ostendam enim iam alio loco, nouam, quam attulisti, meliorem esse, quam veterem. vt quod tu probas id damnandum, quod damnes, laudandum esse videatur.

In hymno Dianæ, vbi loquitur de cerua interfecta ab Hercule. τὴν δὲ μίαν κελάδοντος ὑπὲρ ποταμοῖο φυγοῦσαν.
ἄρχε αἰνησίησιν ἀέθλιον ἡρακλῆι [illegible] ὕστατον ὄφρα γένοιτο, πάγος [illegible]
κερύνειος ἐδέξατο. illic: in alio scribitur, κερωός. Si ergo veterem probas, pessime sentis: est enim κερύνειος legendum: significat enim montem Arcadiæ κερύνειαν. de quo Pausanias in Achaicis. vnde Seruius exponens verba illa Virgilii.

Nec vero Alcides tantum telluris obiuit,

Fixerit æripedem ceruam licet. exponit, Cerynitim ceruam intelligi, ita a loco dictam.

Item in eodē: Καὶ μὲν Κυρήνην ἑταρίσσαο in alio, inquis, scribitur ἀπαρίσσαο. nec intelligis, si probas priorē, te nihil intelligere, nam illud nihil, hoc in numerum sodalium adiungere significat.

Item in lauacris Palladis: ὁσία μητὴρ διξεῖται. Habetur, inquis, in alio λεξεῖται, sicuti videtur legisse Politianus. nec vides omnino legendū esse λεξεῖται, non διξεῖται, propter verba quæ sequuntur. ἃ δ' υἱὸς ὀστέα ματὴρ λεξεῖται δρυμὸς παιδὸς ἐπερχομένα, id est, mater peragratis omnibus syluis ossa filii colliget. quod melius est, quam accipiet. Atque hæc sint satis, vt doceā Franciscum Robortellum rationem emendandi nullam tenere, aut certe haud satis robusto iudicio in eo studio versari.

IN CAPVT V.

Locum Tibulli interpunctione obscuratum.

CAPVT LVII.

NVnc vt Tibulli sensum perspicuū per se peruersa interpunctione obscuret, ostendam. Versus sunt Tibulli libro primo, elegia 9 quibus puerum alloquitur, hoc modo:

Vre meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare, paranti
Sit Deus occultos, qui vetat esse dolos.

Horum verborum rectum sensum primum exponam, post, vt

ab eo peruertatur, aperiam. permittit poeta puero. vt omnibus semet potius incommodis afficiat, igni, ferro. verberibus quam vt muneribus delinitus alienis, semetipsum deserat. & si clam in se peccare velit, precatur, ne possit, sed vt, dum paret in se aliquid delinquere, sit Deus, qui vetet occultos eius dolos esse. hunc autem Bacchum esse post interpretatur, qui vino secretos dolos homines patefacere cogit. hic est sensus. Verba autem hæc: *Nec tibi liceat in me peccare, cœlanti, id est, occulte, at Deus sit tibi paranti in me peccare, qui vetet dolos tuos occultos esse. Hoc sensu, aut his verbis qui offenditur, is mihi sine sensu videtur. at exortus est tamen Robortellus, magnus inquam ille poetarum interpres Robortellus, qui hæc non probet. inquit enim cap.5. Sic distinguuntur hi versus in impressis codicibus. interpres vero prætermisit, credo quod existimaret esse planum etiam, ac facilem sensum, vt nulla egeret interpretatione. Mihi vero attentius consideranti videbatur sensus, aut obscurus, aut prope nullus erui posse, si ita distinguerentur. quod verissimum esse mihi postea demonstrarunt manuscripti codices, in his enim ita habentur.*

Nec tibi cœlanti fas sit peccare paranti,
Est Deus occultos, qui vetat esse dolos.

Non displicuit mihi hæc lectio, quæ etsi imperitis primum videri possit durius cula, est tamen vsitata apud Latinos & Græcismum frequentem redolet. Lucret lib.5. sic loquutus est:

Quidve mali fuerat nobis non esse creatis?

Erit igitur ordo in illis carminibus hic: Nec tibi paranti peccare sit fas cœlanti scilicet esse. quasi no liceat tibi, cœlare, quod peccare paras, quoniam id vetat Deus. posset etiam fortasse legi, cœlandi, sit fas cœlandi, pro cœlare. sic certe locutus est Cicero. cum in animo haberem nauigandi. sub priore formula sic protulit scribens ad Atticum. Mihi negligenti esse non licet. In alio manuscripto exemplari vidi non cœlanti, nec calandi, sed iuranti esse scriptum. Hæc ille ex quibus satis intelligi opinor, eum omnino sensum Germanum huius loci non vidisse, ac temere quod non intellexit iam tum ausum esse etiam immutare.

IN CAPVT VI. ET VII.

Loci Tibulli a praua interpretatione defensi.

CAPVT LVIII.

EOdem modo capite 6 eiusdem Tibulli verba deprauat, vt in illo versu ex elegia 2. libri 1.

Neu quisquam multo persusum tempora Baccho
Excitet.

Ille enim percussum legit, & ita legendum contendit, quia Græci οἰνοπλῆγα etiam dicant. Ego, etsi percussum omnino non improbo, tamen melius profusum legi dico. Nam cum poeta dixerit,

Adde merum, vinoque graues compesce dolores, recte intulit,
Multo perfusum tempora Baccho.

quod

quod dixit non solum ad naturam vini respiciens, quod liquidum est, sed ad somnum, quo tempora perfunduntur, vt descripsit Virgilius in 5.

Ecce Deus lethaeo rore madentem,
Vique soporatum stygia super vtraque quassat
Tempora, cunctantiq; natantia lumina soluit. & in 9.
Passim vino, somnoq; per herbam corpora fusa vident.

Item deprauat alterum locum in eadem:

Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaq; compositis addere verba notis.

In manuscripto, inquit, est, *Abdere.* qua ex dictione pulcerrimus poetae elicitur sensus. nam sicuti antea dixit, nutus loquaces, ita postea dixit, Abdere verba notis compositis: sub illis enim notis, ac gesticulationibus amatorum absconduntur multi sermones, quos ipsi non secus intelligunt, ac si ore proferrentur. Hanc tu lectionem Robortelle cum laudas, te Tibulli sensum non percepisse significas. neque enim nunc intelligit sermones puellae cum amante iuuene, sed fictos sermones cum marito. Virum enim non marem, sed maritum accipere debes. *Venus,* inquit, *docet puellam molli decedere lecto. quo? viri.* Venus docet pedem nullo ponere posse sono, cum furtim e cubiculo exit mariti. Illa eadem docet puellam cum praesente marito nutus loquaces conferre, & compositis notis blanda verba addere, fallendi caussa, id est, falsis nutibus falsa verba; quae amorem prae se ferunt, & maritum decipiunt, addit. quod enim dixit, Conferre cum marito nutus loquaces, ita ait post blanda verba compositis notis addere. tu vero in aliam tractus sententiam, putas, Venerem docere sermones & nutus puellarum, quibus capiūt amantes cum de fraude, qua decipiunt maritos, loquatur. quod de Vulcano, & Venere Virgilius in 8.

Incipit, & dictis diuinum inspirat amorem. post:
Dixerat, & niueis hinc, atq; hinc diua lacertis
Cunctantem amplexu molli fouet.

Sed siue de marito, siue de amante dixerit, omnino Addere meliorem habet sententiam. Sequenti porro capite, quid facit aliud, nisi, vt Catulli locum de olido veterno, satis a Rodigino expositum, iterum exponat. id est, rem actam, vt aliquid agere videatur, agat?

IN CAPVT X. Iam modo non.

Declaratio Tibulliani loci derisa.

CAPVT LIX.

VErsus Tibulli sunt libro primo, elegia prima.

Iam modo non possum contentus viuere paruo,
Nec semper longae deditus esse viae.

Hic Robortellus explosis aliorum interpretationibus affert

suam, vt sit Modo non, pro Ne quidem nisi, vt, nunc ne possum quidem nisi contentus viuere paruo. hoc confirmat Cæsaris oratione ex libro 7. ita: *Vbi illi præter spem, quos fugere credebant infestis signis ad se ire viderunt, impetum modo ferre non potuerunt, ac primo concursu in fugam coniecti proximas syluas petierunt.* & ait similes esse inter se has dicendi formulas, Tibullianam, ac Cæsarianam. Hic enim, impetum modo ferre non potuerunt, esse æque, atque, Ne impetum quidem ferre potuerunt. Mihi vero nihil esse inter eas videtur simile. nam apud Cæsarem, Modo non potuerunt, est, ne potuerunt quidem, apud Tibullum, Modo non possum, ne possum quidem, nisi. Itaque ibi est vna negatio, hic duæ ergo nihil simile. Si autem sit subaudienda negatio, nescio cur non possimus dicere, iam nunc non possum non contentus viuere paruo.

IN CAPVT XI. XII. XIII.

Quomodo Cicero οἰκονομικὴν, & πολιτικὴν verterit.

CAPVT LX.

Sequenti capite declarat, quid sit apud Cæsarem, equos subfodere, & ait id esse, quod ait Lucianus διαχειρίζειν τὸν ἵππον. item παραβάλλειν τὸν ἵππον ὑπὸ τὸ στέρνον, id est, traiicere equum, & vulnerare equum sub pectus. O rem Robortelliana adnotatione dignam.

Duodecimo vero capite reprehendit Aretinum, & Donatum, qui οἰκονομικὴν & πολιτικὴν, verterint apud Aristotelē, rem familiarem, & publicam. & vertendū fuisse ait, *Eam partem philosophiæ, quæ ad res domesticas, & familiares, quæ ad remp. pertinet.* hoc autē dicendi genus nulla auctoritate firmat. est aūt illud certum, tale aliquid Ciceronē non dixisse. quanquā scio illum Ciceronē contemnere, ac suos nescio quos Appuleios admirari. Dixit autē Cicero, domesticam, & ciuilem prudentiam in Partitionibus: *Atque illa prudētia in suis rebus domestica, in publicis ciuilis appellari solet.* & lib. 2 de off *Num propterea nulla est reip. gerendæ ratio, atq; prudentia, quia multa Cn Pompeium fefellerunt?* & libr. 1 de Inuent. *Ciuilem scientiam.* At vero tertio decimo interpretatur apud Aristotelem in Poetica Nomorum poesim legum poesim, vt Solonis quæ expositio, vt inanis, & falsa sit, post indicabo, cum eius poeticas aliquot interpretationes excutiam.

IN CAPVT XIV.

Interpunctio loci Ciceroniani ex epistolis refutata.
Non vereor, ne quid timide.

CAPVT LXI.

Neque vero nouam eius etiam interpunctionem, atque sententiam loci eius ex secundo epistolarum Ciceronis sans vnquam probaui. Caussas autem nunc exponam. sic legitur epistola septima ad Curionem: *Non vereor, ne quid timide, ne quid*

stulte

stulte facias, si ea defendes, quæ ipse recta esse senties. Quod in id reip. tempus non incideris, sed veneris (iudicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum) *profecto vides, quanta vis in rep. temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates, quid insidiarum, quid varietatis in vita non dubito, quin cogites* In hunc autẽ locũ Robortellus ita: *Non dubito, quin omnes, si attente legerint hæc verba, offendantur tam perplexo verborum ordine, etiam sensus, qui etsi aliquis videri potest, non est tamen aptus, & concinnus. Meus ille liber habet ista verba descripta, & interpuncta, quæ cum quispiam legerit, facile iudicabit ita omnino esse legendum, & interpungendum locum hunc. Non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias, si ea defendes, quæ ipse recta esse senties, quod in id reip. tempus non incideris, sed veneris, iudicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum. Profecto vides, quanta vis in rep. sit temporum, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates, quid insidiarum, quid varietatis in vita non dubito, quin cogites. Antea tres fiebant in hac oratione periodi, Prima, NON vereor, Secunda, QVOD in id reip. tempus. Tertia, QVANTA vis in rep. temporum. adde, quod & una fiebat παρένθεσις, quæ disiungebat verba. Nũc si ita legas, vt demonstraui, duæ tantum erunt periodi. prior: NON vereor, ne; altera: Profecto vides. QVOD in id reip. tempus, leuiter hæc verba sunt interpungenda a superioribus. nam est ratio priorum propositionis: IVDICIO enim tuo, nõ casu, est altera ratio proximarum dictionum: SED veneris. Profecto vides, quanta vis in rep. Quod hinc sit sumendum alterius periodi initium, patet ex perspicuitate. Cum enim duo contineat verba hæc periodus, unum illic VIDES, alterum in fine cogites, videtur elegantissime omnia distinxisse Cicero.* Hoc est huius de loci interpretatione Robortellianum iudicium. Longe autem aliud est, pace tanti viri dixerim, Sigonianum: ego enim vulgatam interpunctionem seruo, & meliorem, vt opinor, sensum elicio, & vsitatiorem dicendi formulam affero. est autem vna πρότασις illa, Quod in id reip. tempus non incideris, sed veneris. quam duæ ἀποδόσεις subsequuntur, vna Profecto vides; altera, Non dubito, quin cogites. est autem simile hoc. Quod, & Profecto, vel Non dubito, frequenti illi Aristotelicæ ἐπεὶ δὲ, δῆλον ὅτι. item ἐπεὶ, ἤτοι. vt in Poetice, ἐπεὶ δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας, ἤτοι βελτίονας, ἢ καθ' ἡμᾶς, ἢ χείρονας ἀνάγκη μιμεῖσθαι, id est, Quoniam qui imitantur, imitantur agentes, profecto meliores aut pares nobis, aut deteriores imitentur necesse est. Si ergo hæ duæ redditiones ita cohæreant cum illa προτάσει, vt diuelli non possint, non placet etiam eas a Robortello dilacerari. alioquin & sensum, & gratiam omnem orationis euertas necesse est. quod ab acutissimo viro animaduersum non

esse moleste fero. quoniam ergo cōsilio, nōn casu petisti, inquit, hoc tempore tribunatum profecto vides, quanta vis in rep. temporum sit, quanta varietas rerum. neque vero dubito, quin eadem de caussa etiam cogites, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates, quid insidiarum, quid vanitatis in vita sit, quo sensu quid melius excogitari potest?

IN CAPVT XV.

CAPVT LXII.

NE de aliena gloria quicquam detraham, apponam hoc loco, quibus verbis hoc caput a Petro Nannio Alcmariano sit reprehensum libro 8. Miscellaneorum. Sic ille:

IN APOPHTHEGMATA PLVTARCHI.

Quis sit Choragus, quis Demagogus.

INhaerentem me libris die admodum luculento & amoeno, quidam ex amicis ambulatum extraxerunt, nescio quod μέγα χρῆμα nouorum libellorum pollicitantes. Erant autem isti Laurentius Dichelius, & Iohannes Berzosa, ambo Graece & Latine ad miraculum usq; periti. ibi cū in itinere essemus, occurrit Gulielmus Pictauia, fortuna, genere, & virtutibus illustris, & qui ex professionibus trium linguarum non ignobilem sibi famam Louanii comparauerat. Huic a latere adhaerebat Gybertus Coelius, quem nobis Italia doctissimum medicum remisit. hi me in equis amantissime salutant, & quantum licet, amplectuntur. Postquam discessum est a carissimis capitibus, exigo ab illis a eis pollicitatoribus nouos illos libellos. Quid multa? depromuntur e sinu. Video illic multa in variis auctorib. pulcerrime castigata, & nō pauca in Erasmo reprehensa, iure quidē aliquando, sed tamen nimia acerbitate, & piis animis prorsus intoleranda. Auctor istius operis Franciscus Robortellus, iuuenis (*eam enim in eo aetatem esse audio, quod tamen ipsius laude dictum velim*) multiiugae eruditionis & generosae indolis, sed tamē in Batauos homines ferocioris animi & importunioris maledicentiae, quam decet. Id eius verba quae iam hic subiicio, planum facient. *Erasmus* (inquit) *vir doctissimus, si illius opera legas, ita alicubi videtur dormitasse, ut mireris. in Apophthegmatis, quae ex Diogene Laertio vertit in Latinū, legēdis, deprehendi hunc errorē: qui ut pateat apertius, subscribā primū Laertii Graeca verba, deinde Erasmi conuersionē & interpretationem. Postremo rationes, cur putē illū lapsum esse.* Laertius in vita Diogenis Cynici: τοὺς δὲ Διονυσιακοὺς ἀγῶνας μεγάλα θαύματα μωροῖς ἔλεγε, καὶ τοὺς δημαγωγοὺς ὄχλου διακόνους. Eras. Dionysiaca certamina, quae Athenis in honorem Bacchi magnis impendiis, pompaq. celebrabantur, appellabat magna stultorum miracula. *Labitur Erasmus, primū quod ex uno duo facit δημαγωγοὺς, subdit enim separatim, Oratores, qui* mo-

mo in pretio habebantur Athenis, dicebat turbæ ministros, qui ad gratiam loqui cogerentur. Rursus labitur in vertenda dictione δημαγωγὸς, quam cum non satis intelligeret, in priorem incidit errorem diuisit Apophthegma is in duas partes. Δημαγωγοὶ appellantur a Græcis, qui populo præsunt: Hesychius ait, δημαγωγεῖν idem esse, quod στρατηγεῖν, vnde δημαγωγὸς ὁ ἄρχων ἐκ τοῦ δήμου ἄγειν, καὶ διοικεῖν. Iulius Pollux libr. 8. nominat δημάρχους, qui sunt κατὰ δήμους ἄρχοντες, olim dicti ναύκραροι. eosdem ibi nominat ἀθλοθέτας qui decem erant κατὰ φυλὴν ἐπὶ τοῖς Διονυσίοις [illegible] ἱππικόν, καὶ γυμνικόν, καὶ [illegible]. Demosthenes in oratione Midiana hos vocat χορηγούς. eius orationis argumentum facile potest locum hunc declarare Laertii. nam cum esset χορηγὸς [illegible], tribus suæ, & ludos Bacchanales, de quibus nunc mentionem facit Laertius, populo exhiberet, pulsatus fuit a Midia insolentissimo homine in medio theatri. Libanius rhetor doctiss. in argumento eius orationis explicando de Dionysiacis sic ait: ἑορτὴν ἦγον οἱ Ἀθηναῖοι τοῖς Διονυσίοις, ἣν ἐκάλουν ἀπὸ τοῦ θεοῦ Διονύσια. ἐν ταύτῃ [illegible] αὐληταί, καὶ κωμῳδοὶ [illegible] ἠγωνίζοντο [illegible] αἱ φυλαὶ [illegible] χορηγοὶ δὲ [illegible] φυλῆς [illegible] παρέχειν [illegible] χορόν. Hoc est, Festa celebrabant Athenienses in honorem Bacchi, quæ vocabant ab ipsius de nomine Bacchanalia: in his autem & Comici & Tragici, etiam Aluœdi inter se de præstantia, & summa artis laude certabant, choros constituebant singulæ tribus, quæ decem erant, Choragus autem singularum tribuum sumptus in ea re faciebat. *Verum ex his satis: quiuis enim intelligere potest, quid præter Laertii sensum & dictionis significationem δημαγωγὸς Erasmus verterit, oratores. Sensus igitur Laertii est huiusmodi. Dionysiaca certamina ludis magna esse [illegible], atque choragos, seu præfectos horum ludorum, turbæ esse ministros. etiam fuerit latius interpretari: ὄχλου pro tumultu & perturbatione.* Hactenus Robortell. Duo obiicit Erasmo, & quod ex vno simplicique Apophthegmate duplex fecerit. & quod τὸ δημαγωγὸς vocabulu nō bene intellexit. Ceterum nisi doceat δημαγωγοὺς eosdem esse, quos χορηγοὺς, ab vtraque culpa liberatur Erasmus. Videndum igitur primū, quibus probationibus vtatur in asserenda istiusmodi significatione. Helychius (inquit) δημαγωγεῖν idem esse ait, quod στρατηγεῖν, vnde δημαγωγὸς ὁ ἄρχων ἐκ τοῦ δήμου ἄγειν καὶ διοικεῖν. Si eo sensu hoc dictū esse ab Helychio intelligimus, iam ratiocinatione ista confectū est, hos tres magistratus eosdem esse, ἄρχοντα, στρατηγὸν, καὶ δημαγωγὸν, limitibus quibus longissime distant, in vnum confusis. Archontas enim Libanius in Androtionē magistrat⁹ porrecta manu creatos Choragos suffragiis electos dicit. Sed nondū probatum est δημαγωγὸν & χορηγὸν, eiusdē esse functionis. Addit deinde δημάρχους eosdem esse, qui στρατηγοὶ & ἄρχοντες & δημαγωγοί. Ne nunc quidē vllum documentū dedit δημαγωγοὺς & χορηγοὺς, eiusdem significati esse participes, quod solummodo in quæstione est. Tandē aggregat huic cumulo ἀθλοθέτας, qui decē erant, vt

singulæ tribus vnũ istiusmodi haberent ad Panathenæa procuran-da. hic aliquid affine videtur poni cum choragis, qui & ipsi decem erant. Iam si docuisset, ἀθλοθέτας eosdem esse, qui δημαγωγοί, esset quiddam quod illius ratio videretur effecisse. Ceterum quid id cõtra Erasmum, si secundũ tuam ὑπόθεσιν, ἀθλοθέται καὶ χορηγοὶ sint iidẽ? quod tamen nequaquã tibi concedimus, vt suo loco planũ faciemus. Porro quæ adfert ex Libanio, nihil demonstrant, nisi decem Choragos fuisse: nihil id quoq; ad controuersiam pertinet, euincendum est enim δημαγωγοὺς, esse χορηγοὺς, cuius rei nullum omnino iudiciũ ex auctorib. dedit. Sed redeamus ad Hesychii verba, δημαγωγεῖν idẽ esse quod στρατηγεῖν. Nihil aliud Hesychius attulit, quam etymologiã vocabuli, vt dicas Prętor, quasi prǽitor, quod præeat, nullo indicato vel officio, vel functione istiusmodi personæ: quod si quis quũ alicubi legat, dux qui præit in itinere, & quẽ alii sequũtur, statim inferat, dux & prætor idem sunt, nonne pulcre ratiocinatus fuerit? aut Nicolaus & Nicodemus iidẽ sunt, quia etymon nominis idem est, quã scite scilicet ille personas distinxerit, & ἄρχων & δήμαρχος & στρατηγὸς & δημαγωγὸς populũ gubernant, nõ tamen iidem magistratus. Longius enim distant, quã Nili fontes a suis ostiis. ἄρχοντες enim sunt, qui Remp. administrant, & a quorũ nominibus Fasti notantur, vt Romæ a Consulibus. Nec mirum, cum teste Velleio Paterculo depulsis a Rep. regibus, Archontes illis successerint, primum perpetui, deinde in denos annos creati postremo in singulos, Δημάρχας nõ immerito Tribunos appelles. Hi enim singularum tribuum præfecti erant, hi tabulas conficiebant prędiorum cuiusq; tribus, eorumq; nomina recipiebant, qui suæ tutelæ iam facti essent, populumq; (*vbi opus erat*) conuocabãt, & a debitoribus pignora capiebant. στρατηγοὶ vero ducem belli ex multis historiis intelligas, in Euangelio etiã earum excubiarum præfecti sunt, qui templũ seruant, & apud Aristotelẽ Politicorum septimo, Polemarchi & Strategi, pro eodẽ genere magistratuum ponuntur. Apud Aristophanẽ in Vespis Polemarchi idem officium habẽt, quod Romæ prætores peregrini, vt qui de caussis peregrinorũ cognoscant. Ἀθλοθέται vero catenus Romanis Ædilibus similes quod spectaculis præsident, cum Choragis nihil cõmune habẽt, qui suo sumtu spectacula instruunt, iudicãdi munus aut Corollarii dandi nequaquã ius habent. Δημαγωγὸς vero is est, qui populares auras captat, siue is sit Orator, quod plerũq; fit, ac proinde nõ raro pro oratore ponitur, siue alterius generis homo, certe ea de caussa ab Aristotele appellantur publici adulatores. Sic enim ait Politicorũ lib. 4. καὶ ὁ δημαγωγὸς, καὶ ὁ κόλαξ οἱ αὐτοὶ, καὶ ἀνάλογοι, καὶ μάλιστα ἑκάτεροι ἰσχύουσιν οἱ μὲν κόλακες παρὰ τυράννοις, οἱ δὲ τοῖς δήμοις τοῖς τοιούτοις. Hoc est, Et demagogus & assentator iidẽ sunt certa quadã similitudine & proportione, & ambo præpotentes sunt. Assentatores quidẽ apud tyrannos, demagogi vero apud istiusmodi populos.

Rursus lib. 5 Ἐπὶ δὲ τῶν ἀρχαίων, ὅτε γένοιτο ὁ αὐτὸς δημαγωγὸς καὶ στρατηγὸς εἰς τυραννίδα μετέβαλλον· σχεδὸν γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν ἀρχαίων τυράννων, ἐκ δημαγωγῶν γεγόνασιν. αἴτιον δὲ τοῦ τότε μὲν γίγνεσθαι, νῦν δὲ μὴ, ὅτι τότε μὲν οἱ δημαγωγοὶ ἦσαν ἐκ τῶν στρατηγούντων. οὐ γάρ πω δεινοὶ ἦσαν λέγειν. νῦν δὲ τῆς ῥητορικῆς ηὐξημένης. οἱ δυνάμενοι λέγειν δημαγωγοῦσι μὲν. διὰ ἀπειρίαν δὲ τῶν πολεμικῶν οὐκ ἐπιτίθενται. Hoc est Olim cum idem esset & demagogus & belli dux, in tyrannum euadebat. Plerique enim veterum tyrannorum ex demagogis facti sunt. Caussa quur id tum contigerit, ac iam non fiat, quod tum demagogos se praestabant, qui rebus bellicis praefuissent: nondum enim per id tempus eloquentes erant. Nunc autem arte dicendi amplificata, qui eloquentes sunt, demagogos sese exhibent. Verum, quia belli peritiam non habent, abstinent se ab occupanda tyrannide. Fac mihi quaeso in istis locis ex Demagogo Choragum, si audes. Non errauit igitur Erasmus, qui oratorem id vertetit. Certe Iulius Pollux Demagogum & Rhetorem vno titulo complexus est, libri quarti capite quarto, περὶ ἐπαίνου ῥήτορος καὶ δημαγωγοῦ. neque toto capite in tot elogiis vllum inter eos discrimen facit. Rursus capite quinto eiusdem libri περὶ ψόγου τούτου, inquit, numero singulari vtens, tanquam res eadem sit, vocabula autem duo. multaque ibi conuitia sunt, quae ad nullũ nisi ad Oratorẽ referri possunt, quale est, συκοφάντης, δικογράφος, δικορράφος, λέγων ἐπὶ χρήμασι, περὶ ἀργύριον λέγων, μηδὲν ῥῆμα προῖκα εἰπὼν, μισθοῦ φθεγγόμενος, πρὸς χάριν λέγων, πρὸς ἡδονὴν δημηγορῶν, παρὰ τῇ κιγκλίδι ζῶν. Calumniator, litiũ conceptor, cõtrouersiarum consutor, pro pecunia loquutuleius, ob nummos dicens, nullum verbũ gratis proferens, pro mercede vocẽ edens, ad gratiam loquens, ad voluptatẽ conciones fingens, apud tribunalia semper viuens Postremo Libanius in argumento contra Androtionẽ cum magistratus diuidat Athenienses, alios facit sortitu obuentitios, quos ille appellat ἀρχὰς κληρωτὰς, quales sunt iudices, alios χειροτονητὰς, porrecta scilic manu creatos, in quorũ classe στρατηγοὺς collocat, alios αἱρετὰς suffragiis electos, in quorum numero choragos cõstituit, ex quibus vel caeco apparet, quã omnino nihil istae functiones cõueniant Ego tamẽ, vt dicã quod sentio, mihi istud ἀπόφθεγμα corruptum videtur. τοὺς δὲ Διονυσιακοὺς ἀγῶνας μεγάλα θαύματα μωροῖς ἔλεγε. Salsum id & acerbum, & probe ex indole Diogenis. Id autem quod sequitur, ignauum & vapidum, καὶ τοὺς δημαγωγοὺς ὄχλου διακόνους, & demagogos esse vulgi ministros. Quid acrimoniae habet istud dicteriũ? credo igitur vocem διακόνους esse corruptam, & olim fuisse scriptum διαγωγοὺς, & ex gamma quod Graece γ Latinum c repraesentat, in eam literam, cui forma affinis est, commutatum esse, rursus ex γ quod multum accedit ad ν praesertim in literis exsolescẽtibus ypsilon esse factũ, atq; ita pro διαγωγοὺς, διακόνους, nobis emersisse, vt hic sit sensus, demagogos publica inter se diuidere, ac praedae habere. atq; ita ade-

rit nobis venustas παρηχήσεως, quæ frequens est in dictis Diogenis: nobis illam vtcunque imitari liceat, si dicamus Publicolas esse Publituoras. Sed hic, etsi malo iure Erasmum carpat, maledicus non fuit. Nunc pergamus ad secundam in Erasmum annotationem. *Annotaui (inquit) superius Erasmi Roterodami erratum quoddam in vertendis e Laertio Diogenis Cynici apophthegmatis, sed cum & ea paulo post omnia percurrissem & cum Græco contulissem, multo plura perperam versa deprehendi. Libuit igitur sigillatim hic ascribere, vt videant eruditi, quantopere a vero Laertii sensu aberrarit. Si quum hæc scriberem, plus otii fuissem nactus, adnotassem & in aliorum apophthegmatis vertendis Erasmi errata, sed hæc alio complectemur libello. Interim sat erit, studiosos literarum monere, ne magnipere eam Apophthegmatum ament translationem. Nam etsi multa recte conuersa sunt, multo tamen plura perperam expressa visuntur, atque hoc facile cognitu erit iis, qui Græca legerint.*

IN CAPVT XX.

Ciceroniani ex prima Tusculana loci interpunctio reprobata.

CAPVT LXIII.

Locus est in primo Tusculanarum quæstionum, in quo non idem sentio atque Robortellus in distinguendis personis, & sententia enodanda. Sic vulgo legitur: A. *Adeo tu me delirare censes, vt ista esse credam?* M. *An tu hæc non credis?* A. *Minime vero.* M. *Male hercule narras.* A. *Cur quæso?* M. *Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem.* A. *Quis enim non in eiusmodi caussa, aut quid negotii est, hæc poetarum, & pictorum portenta conuincere?* M. *Atqui pleni sunt libri contra ista ipsa differentium philosophorum.* A. *inepte sane.* In hac ita Robortellus: *Neminem esse puto aliusque iudicii hominem, qui ista sic distincta legens non offendatur, meliorem que requirat sensum. Commodum igitur videtur, vt totum locum describam, sicuti est in vetusto exemplari a me inuento: omnis enim per se cognoscent, quantum hæc a priori distet lectio, & sensus.* A. *Adeo ne me delirare censes, vt ista esse credam?* M. *An tu hæc non credis?* A. *Minime vero.* M. *Male hercule narras. Cur quæso?* A. *Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem. quis enim non in eiusmodi caussa, aut quid negotii est hæc poetarum, & pictorum portenta conuincere?* M. *Atqui pleni sunt libri contra ista ipsa differentium philosophorum.* A. *Inepte sane. Puto omnibus iam esse persuasum ita debere locum legi, & interpungi.* Hæc Robortellus. Quod autem ille omnibus se persuasisse ait, mihi nescio quo meo fato non persuasit. Censeo enim confundi personas, & quod grauius est, pulcerrimam sententiam perturbari. quæ ex vulgari personarum distinctione colligitur, ita: inquit auditor, *Adeo ne me delirare censes, vt fabulosa inferorum portenta credam?* miratur Marcus, & ait: *An tu hæc non credis?* negat se ea credere

A-di

Auditor, Subiicit Marcus, eum non bene dixisse, cum se ea credere negauit, quaerit deinceps auditor, cur male dixerit, respondet Marcus, quia adeo vera sunt, vt, si ipse contra ea dissereve vellet, disertus esse posset. Subsequitur Auditor, imo ita falsa, vt nihil sit facilius, quam ea refellere, respondet Marcus, imo nihil difficilius esse, vnde plenos extare libros contra ea ipsa disserentium philosophorum Hoc autem sensu nihil planius, nihil verius esse existimo. Quod autem dixit, iis verbis: *Quia disertus esse possem, si contra ista ipsa dicerē,* significari potest earum eorum veritatem, quae difficile nisi a diserto refutari possit, probo eiusdem Ciceronis auctoritate, qui in II. Philippica ita loquitur: *Qui cum hoc isto tempore stent cum gladiis in conspectu senatus, ego quoque te disertum putabo, si ostenderis, quomodo sis eos inter sicarios defensurus, id est, te putabo disertum, si veritatem oppugnabis.* Robortelli autem aliena haec sententia est. Negat se portenta credere auditor, reprehendit eum Marcus, & quaerit cur non credat, respondet auditor, nimirum, quia falsa sunt, signum falsi quia disertus esse possem, si contra ista ipsa dicerem, quid est autem hoc? nam falsa refellere, non est difficile, neque in eo laus elucet eloquentiae. Nam quod ait, *disertus esse possim, difficultatem caussae perorandae significat.* Itaque quam illud ab vrbe etiam, quod sequitur: Quis enim non in eiusmodi caussa, aut quid negotii est, haec poetarum, & pictorum portenta conuincere? sit enim, vt idem auditor, portenta inferorum & difficilia, & facilia, quae refellantur, esse dicat, & splendor illius sententiae, disertus esse possem, tenebris inuoluatur ita, vt non appareat. Quare omnino meo iudicio non est mutanda ratio illa personarum, atque hoc ipsum ne Robortellum quidem, si rem attentius considerarit, negaturum esse confido.

IN CAPVT XXIII.
CAPVT LXIV.

CApite autem XXIII. reddit rationem, cur Cicero in prima Tusculana ἀξίωμα pronuntiatum verterit, id est, vt loquuntur, orationem enuntiatiuam, idque quasi mysterium sit Dionysii aliquod, tradit magna cum grauitate: esse enim a Stoicis sumptum id, Diogenis Laertii auctoritate confirmat; cum tamen illud tam tritum sit, vt etiam apud Priscianum inueniatur, cuius haec verba sunt libro XVIII. *Et secundum, quod hae quidem constructiones, quae per nominatiuum absoluuntur, Stoici ἀξιώματα, vel συμβάματα vocant, id est, dignitates, vel congruitates,* vt, Appollonius ambulat. Vere ergo ille in libro de arte corrigendi dixit multa lectione opus esse ei, qui se ad scribendum confert, alioquin ea pro nouis afferet quae omnibus nota sunt, pro magnis, quae sunt pusilla

IN CAPVT VLTIMVM. C. LXV.

CApite XXV. Erasmum virum doctissimum dilacerat, quem cum Petrus Nannius nouera ante annis cum maxima huius

V 5

infamia vltus esset, ipse obmutuit, credo, quod indecorum esse putauit, giganti rem esse cum Nannio. Ego vero quomodo Nannius ipse robusta eius tela infregerit, exponam, vt, cum ille mihi respondebit, vna etiam nannio, quem iam responso nouem annos iacere homo disertissimus passus est, respondere possit. Verba eius ex VIII. libro Miscellaneorum hæc sunt:

Quid sit Μέλλοντας πολιτεύεσθαι.

In decimooctauo Apophthegmate ita scriptum est, ἐπῄνει τοὺς μέλλοντας πολιτεύεσθαι, καὶ μὴ πολιτεύεσθαι, καὶ τοὺς παιδοτροφεῖν, μὴ παιδοτροφεῖν. Erasmus sic vertit, Laudabat eos, qui ad republicam accessuri non accederent, qui pueros alturi, non alerent. Παιδοτροφεῖν hic significat seruos nutrire: etsi pueri serui dicuntur: tamen dilucidior sensus esset, si dixisset, qui seruos alturi, non alerent. Nam iuxta illud.

σώματα πολλὰ τρέφειν,
ἀτρεκὴς εἰς πενίην ἐστὶν ἐτυμοτάτη.

Hactenus ille. Quis quæso hic error? Nã ipse fateris pueros seruos dici. Iam si id verum est, vt est longe verissimum, id reddidit φ tu vis? Sed inquis, dilucidior esset sensus, si seruos alere vertisset. Ego tibi nequaquam id concedo, putoq; potius de liberis alendis dictum esse a Diogene, quum olim illos occidere liceret, atq; adeo seruus apud Terentiũ dementiam appellet, φ herus, quicquid Glycerium peperisset, statuerat educare ac proinde magnis priuilegiis ad educationem prolis inuitabantur. Verũ donemus tibi, tuũ sensum esse illũ vnicum, ad quẽ respexerit Diogenes. Quid quęso peccati, vocẽ πολύσημον æque πολυσήμως interpretari, quũ inde in nullã partem absurda sententia enascatur, & in ipso ambiguo tota vis gratiæ & leporis sæpius sit constituta. Olim in ecclesia legebatur, *Ex ore infantium & lactẽtium perfecisti laudem tuam, vt destruas inimicum & defensorem*, vt narrat Sulpicius in vita D. Martini: nunc legimus. *vt destruas inimicum & vltorem*, Græce ἐκδικητήν, quod vtranq; significationem in se retinet. Iam si quis reddat, *vt destruas inimicum & vindicem*, & fide translationis seruata, iudicium lectori integrũ relinquat, rectius ne tibi facere videtur, quã ille qui litem suam facit, & alteram partem præoccupat, quũ res in æquilibrio pendet? Ceterũ quia hoc apophthegma nulla ratione ita trãsfundi in linguam Latinã potest, quin perdat natiuã suam & perq; lepidam argutiam, paucis indicabo ad quæ allusum sit a Diogene. μέλλοντας πολιτεύεσθαι, & ii dicuntur qui aliquando Rempub. sunt administraturi, quales sunt magistratus designati, & q̃ prõ perassinatores sunt in Republica suscipienda. Deinde valde mecũ ambigo, num etiam in hac voce μέλλοντας allusum sit ad hanc dictionem μέλοντας, hoc est, meditantes, quanquam & ipsum verbũ μέλλω studeo significat. Nam Hesychius (*inquit*) μέλλοντων μελετώντων, quamobrem prope adducor, vt credam sic esse vertendum. Laudebat

eos

eos qui studerent reip. gubernandæ, non gubernarent; & pueris alendis, ac non alerét, vt intelligas, eum istarum rerum meditationem probasse, vsum, functionemque vituperasse.

Quid sit Manum porrigere complicatis digitis.

Rursus idem Robortellius carpit Eras. in decimonono Apoph. sic enim inquit: Erasmus *ais*, illi tribuitur & hoc ænigma, *Manus non esse porrigendas amicis, complicatis digitis.* Innués non satis esse, si comites nos præbeamus amicis, sed comitati adiúgendam benignitatem. Apud Laertium sic exprimitur hoc ænigma, ἔλεγε δὲ καὶ δεῖν τὰς χεῖρας ἐκτείνειν, μὴ συγκεχυμένους τοὺς δακτύλους. Addit ex se Erasmus amicis, quod si addatur, tollitur ænigmatis ambiguitas tota & venustas in Græco ita legitur, *Aiebat manus oportere extendere, non confusos digitos*, vel *dicebat manus esse extēdendas, non confusis digitis*, & sane hoc melius Sensus esse poterit, omnia esse aperto animo & simplici facienda, non autem fucato & simulato, vel non opotere esse rapacem. Nam qui aliquid in vola abdūt, manum non extendunt, vel si te feras ad orationé, sicut olim Zeno aiebat, orationé oportere esse planam & apertam, non cōcisam, cōfusam, aut obscuram. Hactenus Robort. qui cum promiserat se errorem allegare, nihil ꝙ vel affine errori esset, allegare potuit. An propterea male audiet Erasmus, ꝙ de suo addidit, amicis? In hoc opere Erasmus nunc anxiū interpretē, nunc liberū paraphrastem, nunc sedulū cōmētatorē agit. Iam ꝙ tu ais, ea additione omnem ambiguitaté tolli & venustaté, vehementer admiror, qui ipse adhuc incerta interpretatione fluctuare videris, & de sententia vna in aliam desilis, si nihil est obscuri, quid ita subinde eius Apophthegmatis significationem refingis, ꝙ proprie est hominū, qui sibi ipsi, dū alia atq; alia tentant, non satisfaciunt, nec venustas ex ęnigmate tollitur, si aliquantulū lucis affundas. Optima n. sunt illa ænigmata quæ ita se abdunt, vt tamen latentem viam ad sua mysteria subindicét. Ceterum vbi tu legis συγκεχυμένους, Erasmus videtur legisse συγκεκαμμένους, hoc est, contractos, & id rectius videtur. Valde n. improba est metaphora digitos confundi, nec scio, an vsquā alibi eam locutionem reperire liceat. Quod autē Erasmus benignitatem comitati adiungendam esse, ex hoc ęnigmate intellexerit, nō leui neq; futili ratione nisus est, primū, q a dextra fidei, amicitiæ, & comitati consecrata sit, vnde illud Virgilii:

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Inde Græci verbum δεξιοῦσθαι finxerunt, hoc est *dextra complecti*. Digitos autem contractos significare tenacitatem, vel vnus Martialis arguerit,

Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat.
Sed nil patrono porrigit, hac chiragra est.

Rursus idem. De Demagogo.

In trigesimo quarto rursus Erasmus vertit δημαγωγὸν oratorem, quod non probo. Laertius, οὗτος ὑμῖν ἔφη ἐστὶν ὁ Ἀθηναίων δημαγωγός.

Erasmus, hic est, inquit, ille Demosthenes Atheniensium orator. Sed sic melius, *En vobis o hospites, Atheniensium ducem ac principem, vel, En qui Atheniensium aures captat ac demulcet. Nam probrum in se habet hæc demonstratio per μέσον δάκτυλον.* Hactenus Robortellius. Nihil hic peccasse Erasmum, superius demonstratum est, quamobrem non est consilium ea repetere.

Rursus idem. Quid παρὰ significet.

In trigesimo septimo Laertius, τοὺς πλείους ἔλεγε παρὰ δάκτυλον μαίνεσθαι, ἐὰν οὖν τις τὸν μέσον προτείνας πορεύηται δόξει μαίνεσθαι, ἐὰν δὲ τὸν λιχανόν, οὐκέτι. Erasmus. *Dicebat plurimos insanire præter digitum. Nam si quis assidue medium digitum intendiat vice indicis, vulgo insanus habetur: si quis indicem, sanus videtur. At plurimi sunt homines, qui grauius insaniunt rebus seriis, quam si digitum pro digito porrigant, & tamen vulgo hi non habentur sani.* Hactenus Erasmus. Nunc audite quid Robortellius dicat. *Quoniam παρὰ cum accusatiuo iunctum, sæpe accipitur pro apud, vel prope, lepidior sensus mihi videtur si dicas, Multos aiebat insanire prope digitum medium, quod eo magis probo, quia sequitur ἐὰν δὲ τὸν λιχανὸν οὐκέτι, id est, si quis indicem non amplius. Ecce vicinitatem insaniæ sicuti digitorum. Multorum insania est occulta, sed forensis non minor quam ea, quæ aperta esse solet. Vnum me torquet in hoc dicto Diogenis, quod videor consuetudinem fuisse apud veteres, ut medio digito commonstrarentur insani & infames. Neque satis memini me legere apud ullum, eos habitos insanos, qui alterum commonstrarent digito, vel qui medium exstantem, a ceteris conclusis gestarent, hoc videndum. Nam quin ita ut exposui, sit accipiendum dictum Diogenis, non est dubitandum.* Hactenus Robortellius. Qui quum omni ratione conatus sit emendare Erasmum, nihilo meliora in medium attulit nec argutiam istius dicti percepit. Est enim sensus, plerosque vno digito ab insania distare: nam si impudico digito commonstrationes facerent, vt faciunt indice, insani haberentur, id quia non faciunt, spatium discrimenque vnius digiti interest, quo minus sint vecordes. Præter enim absurdum gestum ostendendi nihil requiritur, quo sint pro insanis habendi. Formulas istius loquutionis vbi παρὰ interuallum significat, abunde apud Budæum reperies.

Rursus idem. Quid sit Κράνειον.

In quadragesimo sexto Laertius, ἐν τῷ κρανείῳ ἡλιουμένῳ αὐτῷ Ἀλέξανδρος ἐπιστάς φησιν αἴτησόν με, ὃ θέλεις. Erasmus. *Quum Alexander Magnus inuiseret Diogenem, reperit eum in Cranio sedentem pro dolio.* Hactenus Erasmus. Robortellius, *Cranium per ι in penultima caluariam significat, Cranium mortuorum: κράνειον vero per ει diphthongum in penultima, significat Craneum, qui erat locus gymnasii e regione*

regione Corinthi. Hoc patet ex alio loco Laertii, vbi ait διάγων ἐν τῷ κρανείῳ τῷ πρὸς τῇ Κορίνθῳ γυμνασίου κελ. *Erasm. deceptus est vocis similitudine, nam vertit in cranio, id est, in caluaria, neque est quod quis illum excuset, posse etiam intelligi de gymnasio. sic scriptam illam dictionem Latine, vt i proferatur longum. Nam cur addidit pro dolio, quod non est in contextu Græco? ex quo satis patet, Erasmum deceptum esse.* Imo nihil minus patet: quum enim inquiat Erasmus, eum sedentem in cranio pro dolio, satis indicat se diuersum putare cranium & dolium. Nam si idem existimasset, nullo modo pronuntiasset, eundem & in dolio sedere, & ante dolium. Et quod tu dicis, vertit in cranio, id est, in dolio, illam expegesim de tuo addidisti, nec ea in verbis Erasmi reperitur. Pergit deinde Robortellius. *Laertius dicit ἠλιυρθὴν, vertit Erasmus, Laceras schedas glutino committentem. Dii boni, quale somnium? Quis dicat, in schedis glutinandis fuisse occupatam Diogenem? Labitur igitur & hic Erasmus, dum sibi nimium indulget in vertendo, & addendo multa, quæ in Græco contextu non leguntur.* Quid errat Robortelli? an quia plura addit, quam tuus Laertius habet? quando unquam Erasmus in verba Laertii iurauit? Quicquid vbique inuenit, quod ad præsens Apophthegma spectat, vel in Græcis, vel in Latinis auctoribus, in vnum congerit, Idque errorem ampliorem & instructiorem faceret, non est professus, se verborum Laertii interpretem, vt illi religio sit, quicquam vel detrahere vel addere.

Rursus idem. Diuersa transferri ex discordia exemplarium.

In sexagesimo octauo Laertius, μακρὰ τινὸς ἀναγινώσκοντος, καὶ πλησίον τῷ τέλει τοῦ βιβλίου ἄγραφον παραδείξαντος. θαρρεῖτε ἔφη ὦ ἄνδρες γῆν ὁρῶ. Erasm. Quodam tempore, quum diutissime legens tandem eo venisset, vt videret cartam vacuam, bono inquit animo estote viri, terram video. *Labitur Erasmus, quod ait ipsum Diogenem legentem ea dixisse γῆν ὁρῶ, quum alius hoc dixerit.* Quid si aliud exemplar Græcum secutus sit, ac ita inuenerit, μακρὰ ἀναγινώσκων, non μακρὰ τινὸς, nonne vnica aut altera litera aliter inuenta ab omni errore Erasmum vindicauerit? Eadem certe gratia Apophthegmatis, siue Diogenes legerit & dixerit, terram video, siue alius quispiam legerit subiiciente Diogene, terram video.

Rursus idem.

In LVI. Erasmus. *Quum primum cœpisset philosophari, cum in dolio solus rancido vesceretur pane audiret totam vrbem lætitia perstrepentem, erat enim dies festus, sensit animo nonnihil tædii, diuque secum de relinquendo vitæ instituto cogitauit. Sed quum tandem mures videret adrepentes, micas panis edere, quid dissilesces, inquit, tu ô Diogenes, sat magnificus es, ecce etiam parasitos alis.* Audi nunc Robortelli quiritationem. Ego profecto nescio, vnde hic paraphrastes egregius tam multa præter rem in medium attulerit. Nam id

Græco ita legitur, breuissime & politissime, πρὸς τοὺς ἐφερπόντας ἐπὶ τράπεζαν μῦς, ἰδοὺ φησὶ, καὶ Διογένης παρασίτους τρέφει, id est, ad mures perrepentes in mensam, En ait, & Diogenes parasitos alit. Robortellius præter copiam, nihil hic arrodere potest. Mirum autem vnde Diogeni mensa, qui nihil supellectilis habuit, præter peram. Certe priori loco (nā bis hoc Apophthegma habet) mēsam omisit.

Rursus idem: Quam facile librarii peccent.

In septuagesimo secundo Erasmus ait, *Huc veni inspecturus insaniam tuam, qui non contentus regno.* In Græco scribitur κατάσκοπος τῆς σῆς ἀπληστίας, id est, explorator tuæ cupiditatis, quæ est inexplebilis. Hic nescio quur ἀπληστίαν verterit Erasmus insaniam, in vno vocabulo toto culpa. Videtur Erasmus fiducia memoriæ libros aliquando non consuluisse, ac propterea aliquando non eadem, sed cognata vertere. Ceterum tam aperta res imperitiæ ascribi non potest. Postremo valde mecum addubito, num principio scriptum sit insatiem pro insatiebilitatem, quod scriba non intelligens verterit insaniam.

Rursus idem. De licentia in deducendis etymis.

In LXXIII. *Cum dicit Erasmus ἄθλιος Græco, miserum sonare, multisque afflictū laboribus, vnde Athletæ nomen, decipitur. nam Athleta nō dicitur παρὰ τοῦ ἀθλίου, id est, a misero, sed a verbo ἀθλεῖν, quod est luctor, certo, vel παρὰ τοῦ ἄθλου, id est, a certamine. Est quidem apud Græcos verbū ἀθλεύεσθαι, id est, infelicē esse & aduersis conflictari, sed non Athletæ ab hoc dicti sunt, imo e diuerso ἀθλεύεσθαι παρὰ τῶν ἀθλητῶν, propter labores eorum immensos.* Hactenus Robortellius, qui præter originationem nihil carpit. Atqui in etymologiis mire ludunt auctores, id si non patitur, auferat a iureconsultis, testamentum a testatione mentis esse dictum, a Cicerone fidem inde appellatam, quod fiat id quod dictum est.

Rursus idem. Errores magnorum virorum esse emendandos, non conuitiis exagitandos.

In LXXIV. Erasmus. *Inuitatus, vt ad Alexandrum veniret, recusauit, ac Perdicca præfecto minitante necem ni veniret. In Græco nulla fit de Alexandro mentio, sed tantum de Perdicca, πρὸς ἀπειλοῦντα: Errat turpissime in reddendo Latine responso Perdiccæ: ait enim, nec dubitauit vicissim minitari Perdiccæ, se feliciter victurum, si sine illo viueret, indicans esse infelices, qui cum Perdicca viuerent. Est in Græco ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον ἀπειλεῖν ἥξιον, ὡς εἰ καὶ χωρὶς ἐμοῦ ζῶντα, δι᾽ ἐκεῖνον ζήσοιτο. Sensus est, Quum mortem minitatus esset Perdiccas Diogeni, inquit Diogenes, nil magnum nam & phalangium hoc efficere posset: putabat magis Perdicca dignum, si sic minitaretur, Vel tibi o Diogenes, vel veneris, vel non veneris ad me, dabo tamen operam, vt etiam sine te recte viuam.* Recte tu quidem Robortelli, ac nunc primum legitimam habes caussam reprehendendi, quæ antea vel iniusta fuit, vel nulla, vel friuola. Sed quur quæso tot auctaria huic

tia huic Apophthemati adiicere placuit, quum tu eam legem vertendi toties, tam odiose, in Erasmo prædamnaris? Nam hæc omnia (vt libet o Diogenes. vel veneris, vel non veneris, dabo tamen operam) in Græco nusquam deprehendas ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον ἀπειλεῖν ἠξίου ὡς εἰ καὶ χωρὶς ἐμοῦ ζήσεται, εὐδαιμόνως. Id autem eum minari dignum censebat, si diceret, etiamsi sine te vixero, beate vixero. Libertatem tuam in transferendo non culpo, sed ad legem quam in alios condis te reuoco. Errauit Erasmus? certe tam fœde sugillandus non erat, post tot lucubrationes marcidus vigiliis alicubi cũ bono Homero dormitat. Tu non contentus priori sugillatione, hanc coronidẽ in fine tuæ annotationis adiungis. Iam patet, opinor, turpissimus Erasmi error.

Rursus idem. Quæ significata habeat Vita.

In LXV. Alter hic grauis apparet Erasmi lapsus. nam sic vertit. *Aiebat: faciles esse deos ad donandam hominibus vitam. Ceterũ hanc ignorari ab his qui quærunt dulciaria, vnguenta, aliaq; id genus delitias. Cum apud Laertium legatur,* ἐβόα πολλάκις λέγων τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ῥᾴδιον ὑπὸ τῶν θεῶν δεδόσθαι, ἀποκεκρύφθαι δὲ αὐτὸν ζητούντων μελίπηκτα, καὶ μύρα, καὶ παραπλήσια. *Quorum verborum hic est sensus. Vociferabatur sæpe affirmans facilem & parabilem admodum deos hominibus dedisse victum, sed latere eos, dum intenti sunt mellitis placentis, vnguentis, & aliis id genus quærendis. Vides quantum intersit inter hunc & illum sensum? Sed multo magis animaduertes, si leges quæ in sua commentatione super hoc dicto addit Erasmus.* Hactenus Robortellius. Si Erasmus vitam pro victu posuit, nihil errauit, in eo enim significatu inuenitur apud Donatum in Phormione, cuius hæc sunt verba, Vita autem & mores significat, & animam, & alimentum, & spatium viuendi. Recte igitur Erasmus vocabulum πολύσημον πολυσήμως extulit, vt ἀμφιβολία eadem esset. Est autem allusum ad hos versus Hesiodi in libro operum & dierum, vbi sic ait,

> Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι,
> ῥηιδίως γάρ κεν καὶ ἤματι ἐργάσσαιο
> ὥστε σοι κ' ἐνιαυτὸν ἔχειν καὶ ἀεργὸν ἐόντα. Hoc est,
> *Occultant super victum mortalibus agris,*
> *Nam facile obtineas tantum sub luce diurna.*
> *Suppetat vt penus (quamuis otieris) in annum.*

Quod si in commentatione euagatur, nihil possum dicere, nisi liberrimum eius ingenium liberis aliquando habenis currere. Ceterum rursus ex te quæro, quæ tua quoq; licentia, quũ Græca verba habeant, victũ latere & in occulto haberi, tu ad personas transtuleris, tanquam illos victus lateat, ἐβόα enim inquit, πολλάκις λέγων τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ῥᾴδιον ὑπὸ τῶν θεῶν δεδόσθαι, ἀποκεκρύφθαι δὲ αὐτόν. Clamabat subinde dicens, victum facilem a diis donatum esse, sed eum in occulto haberi, dum homines requirunt placentas melle, & vnguenta, aliaque consimilia.

Rursus idem. Metaphoras se e improbiores videri, non esse.

In LXXX. Delirat Erasmus, nam sic vertit, *Præteriens prodigi cuiusdam ædes, inscriptionem habentes, Venales: facile (inquit) diuinabam fore, vt præ immodica crapula domum euomeres. tam enim domum absumserat, antequam venalem proscriberet, vomitus erat ille verius, quam venditio.* Hactenus ille. In Græco scribitur. παρελθὼν ἐπὶ ἀσώτου οἰκίαν ἐπιγεγραμμένην, πράσιμος, ᾔδειν (εἶπεν) ὅτι οὕτως κραιπαλῶσα ῥᾳδίως ἐξεμέσεις τὸν κεκτημένον. Sensus est, Conspicatus Diogenes in prodigi cuiusdam domo inscriptum, Venales, Sciebam (inquit) fore aliquando, vt tantum crapulans, o domus eras euomitura tuum herum. Quid hoc sensu lepidius? at cuius non offenduntur aures, quum Erasmus ait, virum euomere ædes? Aptior quippe est iocus, domum euomere herum. Recte tu quidem, sed non puto te aliud cogitare, quam hunc lapsum esse potius incuriæ & inaduertentiæ (vt mihi hoc vocabulum vsurpem) quam inscitiæ aut delirii. Quod autem eam metaphoram de domino euomente ædes, tanquam absurdissimam exagitas, scias ei non dissimilem in dictis Catonis Censorii inueniri, sic enim ait, Quendam qui agros mari vicinos ob luxum vendere coactus est, aiebat se mirari, quam plus posset quam ipsum mare, quod enim illud vix paulatim alluebat, ille facile deuorarat. Eiusdem immanitatis est deuorare agros, & euomere ædes.

Rursus idem. Erasmum ingenue, sed tamen latenter, sua emendare.

In CLXII. Erasmus. *Cuidam per conuitium dicenti, Sinopenses te exilio damnarunt, at ego, inquit, illos mansione: significans se, quod solum vertere cogeretur, nihilo feliciorem esse iis, qui in patria manerent, nec exilium æquo animo pati possent, tam enim miserum est manere coactum, quam exulare coactum. Quis non videt, vt miser Erasmus in sua commentatione fallitur? Nam cum dixit Diogenes,* ἐγὼ δὲ ἐκείνων τὴν μονήν, *significare voluit, Sinopenses habitare ignobilem, & asperam regionem, & ideo infeliciores multo esse, ie. qui exsultabat, profecturum in loca amœna & vrbes præclaras Græciæ. Hunc sensum spreuit opinor Erasmus, quod ingeniosus sibi videbatur, quum excogitabat aliquid absurdum. Ideo vero hoc dixi, quia paulo post ait, ex Plutarcho afferri eum sensum, quem ego exposui, at sibi videbatur Plutarcho ingeniosior, neque illius interpretatione contentus* Hactenus Robortell. qui fatetur, Erasmum & bonam & malam commentationem super apophthegmate fecisse, verum illum non intelligendo, sed in deligendo aberrare. Erasmus homo multi pudoris, & eximiæ ingenuitatis, sicubi in primis editionibus lapsus esset, plerunque in secundis editionibus id addebat quod rectius erat, noua illa interpretatione tacite data nauus quæ antea scriptum fuisset, vt & pudori suo consuleret; & lector non falleretur,

qui ex duobus scripti generibus facile licebat meliora eligere, aut alio in opere, quod alibi infelicius exierat, retractabat. Rem ita se habere comperiet, quisquis editiones Adagiorum inter se cōmittat. Quod si quis statim hominē esse nihil existimet, qui, vbi errārit, resipiscat, q̄d existimandū de illis, qui errores suos nunq̄ agnoscunt. In tanta πολυγραφίᾳ somnū obrepere, quid mirum est? Si in viam non redisset, erat, cur ei te ducē præstares: cū vero suo Marte ad rectū iter reuertatur, quid opus est ista acerbitate verborum?

Rursus idem. Quid sit χείρων.

In CI. Erasmus. *Conspiciens duos centauros pugnantes, in tabula pessime pictos, Vter horum (inquit) deterior est, notans pictoris imperitiam, quasi dubitaret, vter esset deterius pictus. Visus est autem voce ambigua nam χείρων & peior dicitur, & in pugna inferior.* Hæc ille. Laertius sic ἰδὼν ποτὲ δύο κενταύρους κάκιστα ἐζωγραφημένους, ἔφη, πότερος τούτων χείρων ἐστί. id est, Conspicatus aliquando duos centauros male pictos, *ait*, Vter horum est deterior? in Græco, sicuti patet, non est illa dictio pugnantes, quam addit, quia aliter non intelligebat iocum. Sed re vera Diogenes allusit ad nomen propriū Chironis sic πότερος χείρων. nam poterat accipi dictum ambigue, vter est deterior, id est, deterius pictus: & sic, vter est Chiron. Quid ad hæc o bone Erasme? Hic ego te laudo Robortelli, nam & bene castigas, & præter ironiam non immaniter insultas.

Rursus idem. Quatenus indulgendum venustis agnominationibus.

In CXXV. ἐρωτηθεὶς ποτὲ ποίῳ χρόνῳ δεῖ γαμεῖν, ἔφη, τοὺς μὲν νέους μηδέποτε, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους μηδέποτε. Eras. vertit *Interrogatus quando iuueni ducenda uxor? Iuueni* (inquit) *nondum, seni nunquam. Sed non recte. Nam μηδέποτε & μηδέποτε idē significant apud Græcos, id est, nunquam, nam sentiebat neq; iuueni, neq; seni vnquam esse ducendam. Ego puto, Erasmum iustissima de caussa a vulgatis libris recessisse. Quid enim gratiæ habet de diuersissimis ætatibus ταυτόλογον responsum? ducendam nunquam esse uxorem nec iuueni nec seni, at probinde Erasmū ita legisse, τοὺς μὲν νέους μηδέπω, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους μηδέποτε, ut indicet, iuuenes nondum maturos esse ad nuptias, senes iam desisse esse maturos, & in iuuenili ætate esse expectandum, antequam ducas, vbi expectaueris superuentu senectutis frustra sis dicturus, vel certe importune* Ego (si Erasmus hic errat) talem errorem libens amo & amplector, qui in exiguo deflexu sententiæ tantum gratiæ & varietatis vni dicto, tanta parsimonia verborum addere potest: Nam inter cetera seruata est illa dulcissima παρήχησις, μηδέπω & μηδέποτε, in his verbis nondum & nunquam.

Rursus idem. Cynicorum victoria acria esse.

In CXXVII. Erasm. *Quum videret adulescentem quempiam sese ornantem, si ad viros (inquit) frustra, si ad feminas, iniuste. Festiuum apud Græcos propter vocum affinitatem, ἀτυχεῖς, ἀδικεῖς. Nam*

frustra, se parat mas masculo, inter quos non potest esse coniugium. Hæc ille Ἀτυχεῖν *apud Græcos præterquam quod significat voti esse impotem, significat etiam infelicem esse. Erit igitur lepidior sensus, si te ornas masculo, miserrimus es, si mulieri, inique facies.* An lepidior sit (*mehercle*) ignoro, mihi certe non videtur. Est enim illa magis satyrica & Cynica, ista tua ignauior & dilutior. Vt vt est pro errore, etiam si iniquissimus sis, imputari non potest, quum verba etiam hunc sensum capiant.

Rursus idem Studio carpendi dissimulat se videre remedia offensarum.

In CXXIX. Erasm. *Canis Diogenes est dictus, & huius vita genus omnibus laudabatur, nemo tamen imitabatur. Itaque dicebat, se canem esse laudantium, sed laudatorum neminem cum laudato cane venari ire. Sensum dicti optime explicat Erasmus, sed verba pessime: atque ita obscure, ut non intelligantur, faciat periculum per se unusquisque legens, decipitur in una dictione* ἐπαινουμένων *quam vertit laudantium quum sit passiue accipiendum, hoc sensu se canem esse unum ex iis qui laudantur, decipitur, rursus in dictione* ἐπαινούντων*, id est, laudantium, quam passiue videtur reddidisse laudatorum, nisi modo accipias passiuum tanquam nomen verbale. Verba Græca sunt hæc,* ἔλεγεν ἑαυτὸν εἶναι κύνα τῶν ἐπαινουμένων, ἀλλὰ μηδένα τολμᾶν τῶν ἐπαινούντων, συνεξιέναι ἐπὶ τὴν θήραν. *Sensus est, dicebat se canem esse ex laudatissimis vnum, sed neminem eorum qui laudabant se, secum ad venationem velle prodire.* Quid si Robortelli idem loquatur Erasmus, quod tu, atque adeo vt tu, num quid caussæ est, quur ferula verberetur, tanquam qui peccet in vltimas minutias grammaticæ artis? reddantur verba Erasmi suis locis, vnde imperitia librarij ea detorsit, videbis illum pulcre ad tuum sensum loqui. Faciam igitur quod tu noluisti: nam te animaduertisse, facile ex sagacitate tui ingenii diiudico. Itaque dicebat, se canem esse laudatorum, sed laudantium neminem cum laudato cane venatum ire. Iamne sentis, quam iniquus sis præ studio carpendi? Iam quod tu dicis sensum dicti optime esse explicatum ab Erasmo, falsum est. Si enim verba (*vt nunc leguntur*) elaxata suis sedibus maneant, quis quæso in his verbis intellectus? Sed laudatorum neminem cum laudato cane venatum ire.

Rursus idem Quid sit carpere.

In CVII. Fœdissime labitur Erasmus. Nam inquit, *Cuidam opprobranti hoc ipsum, obiiciens iuuentutis crimen defendit, dicens, Tunc celerius reddebam lotium, nunc non item. Cinyra circumstetit natam iuuenilem ætatem, quæ facilius reddit humorem vesicæ, quum senibus ut plerique sit dysuria.* Hactenus Erasmus. Audi nunc Robortelio eulogia. Tum opinor tu es ille calculus torquebat te o Erasme, quum hæc scripsisti de dysuria Diogenis, inepte & ... verba Græca sic sese habent, πῶς ἀκόλαστον ἐπὶ τῷ ... ...

... Putaui. Erasmus esse ἀπὸ τοῦ οὐρεῖν, id est, mingere: sed cur non animaduertit compositionem verbi? ... componitur? ... significat præter mingere, & secunda vtor aura ... tione & vento, ... igitur. dictio composita ... id est secundo vtor vento, & ... id est, iuuenis, ... igitur appellatur ... se dixit in iuuentute Diogenes id est, se ... fuisse tum secundo iuuentutis afflatu in mingendo. Transuersi enim aguntur homines in vitia, tum a nimia felicitate, tum a iuuentute, quæ turbationum est plena. ... ergo tunc ob iuuentutis secundum afflatum celerius nauigabam, sed nunc, conseferbuerant enim cupiditates, a quibus antea impellebatur huc & illuc. Quo igitur spectat illa dysuria Erasmi? O impotentem debacchationem in re lubrica, vbi ... tuba Erasmus: nec tu certe firmo vestigio consistis. Ego si tuum verbum retinere vellem, non tam facinolam adderem interpretationem, scilicet ... vsum tum secundo iuuentutis afflatu; transuersi enim aguntur homines in vitia, &c ac tandem post longam verborum ambagem non nisi ratiocinatione eo peruenire, quod cursum inciderat, sed simpliciter, tum facile & temere velificabar, tam non item, ... epis audacia iuuentutis, caussam culpæ dedisse videatur. Sed tu qui dicis, Erasmum non animaduertisse, vide ne ipse hic minus oculatus videare. primum asseueras ... non cōponi nisi ex νέος, id est, iuuenis, & οὐρεῖν, in tam insolenti cōpositione cur non ... exemplum adducis, vt nobis faceres necessitatem credendi? Quid si potius cōponatur ἀπὸ ναυτίας, hoc est, a naue, & οὐρεῖν? sic enim componitur ... & ... quid si a præpositione ἐν & οὐρεῖν cōstituatur, quod omnino verum puto, vt significet immingere, quo vitio teneræ pueritia subinde laborat, vt stratis suis & cunabulis immingat, eoq; id dictum sit a Diogene, quod puer olim parum continens fuerit, ac perinde culpam eam non tam suam quam ætatis fuisse. Ceterum ... ætate emendationem factum esse.

Rursus idem. Quid venter significet.

In CXLV. *Anaximenes Rhetor, obeso erat corpore. Huc adiens Diogenes ita locutus est, Impartire nobis tenuibus ventrem, nam & ipse leuaueris onere & nobis ... labis. In Græco est scriptū* ἡμῖν ... *id est, nobis mēdicis, tenuibus vertit Erasmus. Melius est vt dicas, mēdicis, nā si mēdici magno essent ventre, nō cogerētur toties esurire semel expleti. Et id scilicet signū erat annotatione si in genere tenuibus vertit pro mendicis. Neq; hic tenues referūtur ad habitū corporis, sed fortuna, ne hic exiles & ... gato vētre intelligas. Venter autē hic præter notam significationē etiam alimentū significat. Nam ex amb ... lusit Diogenes. Inde* γαστρίζειν *saturare &* γαστρίζεσθαι *rapide deglutire.*

Rursus idem, Erasmus quam non ... ventis consentium esse.

In CLII & CLIV. apophthegmate ... Erasmus, & recte sentit R... laudem ... non ex...

guam meretur, nisi illam corrumperet nimia debacchandi petulantia. Hoc enim Epiphonema in fine suæ castigationis adiunxit, *Verum, quid non fœdas tuo contactu o nequissime Erasme?* Ego puto Erasmum ideo non animaduertisse, allusum esse ad propria nomina centaurorum Ευρυτίων καὶ Χείρων, quod alieno ingenio fretus parum Græca verba inspexerit. Nam per omnia sequitur fratris Ambrosii translationem, cuius ista sunt verba. *Formoso adulescenti ad conuiuium enati, deterior* (inquit) *remeabis, illo redeunte & postridie dicēte, & abii, & deterior effectus non sum,* Deterior inquit, nam prorsus mihi persuadeo, Erasmum aliquoties Græcum Laertium non consuluisse, & aliena fide contentum fuisse. Quale est & illud, quod superius a nobis excusatum est. Alteri sibi idem exprobranti, atqui (*inquit*) emingebam tum celerius, modo non ita. Nec mirū, magis studuit colligere apophthegmata, quam interpretari.

Rursus idem Mordacia dicta conuenire Cynico.

In CLIII Iam consequitur dictum, quod non recte distinxerat a priore Erasmus. *Sic autem exorditur in Græco,* ἤτει τὸν δύστηνον, *in quo vt ideo Erasmum vertisse, vt te suspenderes, quum in Græco legatur* ἀπαλλάξασθαι, *nisi forte habebat scriptum in suo* ἀπαγξασθαι *si legis* ἀπαλλάξασθαι, *mollior est sensus, tibi suasisse, vt hinc abscederes procul a nobis cum improbus sis.* Recte diuinas Robortelli, nam ita quoque transtulit Ambrosius Sed quid erroris, vel adeo offensæ? nam quod tu mauis, minime Cynicam mordacitatem refert.

Rursus idem.

In CLIII. Erasmus. *Inuiserat Lacedæmonem, inde Athenas reuertentem percontabatur* (vt sit) *quo ires, & vnde venires? a viris* (inquit) *ad fœminas.* Sic Erasmus vertit, & addit, notat Atheniensium delitiis effeminatos mores, quum Lacedæmone dure illi tuerentur. Græce sic legitur, πρὸς τὸν πυθόμενον, ποῖ καὶ πόθεν, ἐκ τῆς ἀνδρωνίτιδος, ἔφη, εἰς τὴν γυναικωνίτιν. ἀνδρωνίτις a Græcis dicitur locus, vbi soli versantur viri. γυναικωνίτις, vbi solæ mulieres inhabitarent, sic notans mollitiem Atheniensium, & laudans robur & optimam disciplinam Lacedæmoniorum. Quid ego audio? etiam hic peccauit Erasmus, quod per metonymiam extulit, quod propriis vocabulis non potuit? an venustiorem putas illam lōgissimo syrmate ambagiosam circumlocutionem, quam quæ in rotunditate & verborum compendio consistit?

Rursus idem. Anxietatem vertendi gratiam sententiæ corrumpere.

In CXXVII. Erasmus. *Si Philosophum simulo* (inquit) *hoc ipsum est philosophari* In Græco est, εἰ καὶ προσποιοῦμαι σοφίαν, καὶ τοῦτο ἐστι φιλοσοφεῖν, id est, Si sapientiam simulo, hoc ipsum est philosophari. ὦ τῆς μικρολογίας! inclinationem τῶν συζύγων non tulit, Philosophum, Philosophiam, nam σοφίαν capi pro philosophia, os-

ipse quidem negare potest. Iam dulcem illam inflexionem, quam Graeci παρηγμένοι dicunt, & quam Erasmus affectauit in his verbis Philosophum philosophari, si hunc vertendi scrupulosum & nimis anxium auctorem sequi volumus, omnino extinguemus.

Rursus idem. Quid sit libertas.

In CCII. Erasm. *Quid esset in vita optimum interrogatus, ait, libertas. At vere liber non est, qui seruit vitiis, nec liber esse potest qui multis eget, plurimis autem eget auarus, ambitiosus, ac deliciis deditus. Infans o Erasme in istis tuis cementatiunculis, Graece scribitur παρρησία, id est, libertas in loquendo. Hanc dicebat optimam Diogenes. παρρησιάζειν est libere loqui, sed hoc non fit nisi a liberis hominibus in libera ciuitate, ii igitur qui hac potiuntur παρρησίᾳ, vere beati sunt. Postquam tibi collubitum est commentationes Erasmi cementatiunculas appellare, age videamus, quid hic tu commenteris.* Libere loqui, non fit (*inquis*) nisi a liberis hominibus in libera ciuitate: ergo Diogenes qui in castris Philippi pro exploratore captus Regi obiecit inexplebilem auiditatem παρρησιαστὴς non erat, vtpote non libera ciuitate, sed sub regno, & in Tyranni castris. Non (*me hercle*) tibi hoc pro crimine obiicio, sed quae calumniae ex morositate interpretandi nasci possunt, ostendo. Erasmus libertatem loquendi non mereri existimauit tantum elogium, vt in vita optimum sit habendum, quamobrem a speciali libertate, quae in dicendo est, ad generalem deflexit. Libere enim agere multis modis praeponderat, quum Thersites, qui videtur habere verba quam minime obnoxia factorum libertate careat, eoque magis ad hanc interpretationem mutabatur, quod sciret παρρησίαν, καὶ ἐξουσίαν, καὶ ἄδειαν significare, teste Hesychio: simile quiddam videas in συγχωρείᾳ, qua non parem solummodo libertatem dicendi, sed etiam agendi significamus.

Rursus idem. Verecundia Erasmi in transferendis obscoenis.

In CCV. Erasmus. *Quum in foro in conspectu omnium fuisset operatus, vtinam quoque liceat* (inquit) *sic perfricto ventre a fame esse quietum, sentiens agitatione corporis acui stomachi orexim, a qua necessitate cupiebat esse liber.* Iidem studiosi grauiter ferunt a literis naturae necessitatibus auocari. Iam vero hac commentatione nihil indoctius, aut magis praeter rem excogitari potest, in Graeco est χειρουργεῖν, verbum obscoenum, id est, manibus tractare virilia, vsque ad seminis effusionem, quo facto (inquit) vtinam & sic per ventris attrectationem fames pelli posset, sicuti coeundi libido. Desine delirare miser Erasme. Ad istum modum Robortellius suas censuras definit, ac tali epiphonemate claudit. *Ego puto Erasmum optime intellexisse foedam rem, sed dissimulasse, ne lector ex ipsis verbis id disceret, quod antea ignorabat. Deinde secutus est Ambrosium veterem interpretem, qui eodem modo hoc dictum expressit. Postremo*

χειρουργεῖν non est proprie masturbari, sed honestum vocabulum, quod longius translatum, verecunde & obscure rem turpem significat, quale est quod Aristophanes in Vespis γλωττοποιεῖν dicit. Est enim χειρουργεῖν proprie manibus operari. unde Chirurgi quoque medici vulnerum hulcerumque appellati sunt Hesychius χειρουργεῖ, id est, χερσὶν ἐργάζεται. Verecundiam ergo, quæ in Græco est, Erasmus retinuit. Cæterum, quia & Robortellius minatur censuras in omnia Apophthegmata Erasmi, & quidam in Flandria idem meditantur, ita volui nonnulla, quæ in hoc libro obnoxia calumniis videri possint, annotare, & si qui ibi sunt lapsus, cum summa modestia indicare, vt ea loca præripiam hominibus nimium delatis & calumniosis. Doleo (*mehercle*) vicem hominis optime de literis humanioribus meriti, qui in Venere pingenda, vbi propemodum humanum ingenium transgreditur, laudatores non, vbi negligentior est in fibulis vel ligula, aut cincinnis capitis exprimendis, non emendatur, quod tolerabile erat, sed conspuitur, quum neminem vnquam ille scriptorem in literis humanioribus suggillauerit, & suggillandi, vel in solis Apophthegmatis mille opportunitates occurrerent. Qui enim non videt, quoties Philelphus, quoties Ambrosius Diogenis Laertii interpres impingat? Magno igitur honore digni sunt & Petrus Victorius & Andreas Alciatus, qui cum iure ab Erasmo dissentiunt, ciuiliter id faciunt docendi ratione, non hostili petulantia, quorum mores hic imitabor, quo obtrectandi materiam aliis vel tollam, vel mitigem.

IN LIBRVM SECVNDVM Annotationum.

IN CAPVT IX. & XIII. & XIV.

Expositio Odes Horatii recta.

CAPVT LXVI.

DEinceps octauo secundi libri capite reddit caussam, cur Catullus *ama o calices* dixerit. id quod ex Guerrini commentario sumtum esse supra ostendi. Tertio autem decimo locum Ciceronis ex II. de oratore corrumpit. vbi de Maluginensi: qua de re supra etiam disputatum est.

At vero quarto decimo Oden Horatii nouo quodam modo interpretatur. Ode est XXIV. libri primi.

Quis desiderio sit pudor, aut modus,
Tam cari capitis, præcipe lugubres
Cantus Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
Vrget &c.

Hanc oden a nemine adhuc intellectam, nec scite explicatam esse scribit Robortellius, ipse autem se verum sensum eius demonstraturum

[illegible]aturum tum hoc loco, tum etiam in libro de arte corrigendi a-ii, hoc modo: primum hęc verba cum interrogatione legenda esse censet *Quis desiderio pudor, aut modus tam cari capitis*: hoc sensu. Turpe esse viris diu lugere, sed amisso Quinctilio, licere diu citra pudorem omnem lugere, mox apostrophe poetam vti ait ad Melpomenem Musam, quam rogat, vt flebile carmen sibi præscribat, & precatur, his verbis. Præcipe lugubres cantus Melpomene, cui liquidam pater Vocem cum cithara dedit. post apostrophen consequi indignationem quãdam summa contentione animi prolatam his verbis. *Ergo Quinctiliũ perpetuus sopor vrget.* mox alia verba proferri, quibus augere amici luctum conetur. *Multis ille quidem flebilis occidit Nulli flebilior, quam tibi Virgili.* Paulatim vero poetam labi ad consolationem, & mitigationem doloris, vt patet in consequentibus verbis, quibus rebus expositis ita cõcludit? *Puto igitur satis omnes intelligere, tam Horatii locum hunc illustriorem esse hac emendatione, & declaratione, cum ante obscurus esset, & frigeret, neq; in eo artificium vllum appareret.* Hæc est Robortelli sententia. sic autẽ nescio quomodo, vt mea longe ab eo dissideat: neq; enim admirabile hoc eius artificium dispicere possum, præsertim vero, cum nec qui loquatur, nec quæ sint verba Musæ, nec quæ sit ratio consolationis, aperiat, & verba, & sententiam venustissimam peruertat. quæ omnia apparebunt, si eam, quam ego meliorem semper esse iudicaui, declarationem explicuero. Consolatur igitur Virgilium impatienter Quinctilii mortem ferentem, ratio cõsolationis inde petita est, mors reuocari non potest, quæ vero reuocari damna nequeunt, patientia esse lenienda. Methodus est. Inducit Virgilium ipsum a Musa rationem huius tollerandi doloris exquirentem, Musam vero eam subiicientem. verba Virgilii sunt. *Quis desiderio pudor, aut modus, &c.* Musæ: *Multis ille quidem*, vsq; ad extremum. Quærit autem a Musa Virgilius primum, quousq. desiderare amicum debeat, id est, quę sit ratio leniẽdi desiderii amici sui caussa quod expressit, iis verbis: *Cantus lugubres præcipe*, deinde rationẽ affert, cur iustũ desideriũ, & luctus suus sit. occidit n. inquit Quinctilius, quo nemo pudore, iustitia, veritate erat præstantior, id est, qui quasi ob has virtutes mori minime debuit. Quam rationem quasi dolore victus, indignabũdus profert cũ admiratione ita. *Ergo Quinctiliũ perpetuus sopor vrget.* Huic post respondet Musa, atq; sententiam eius excipit aliis verbis. Confitetur autem occidisse Quinctiliũ, eumq, iure ab ipso fleri primum affirmat, quia non statim repugnare eius orationi tutũ putat, sed sensim in animum eius illabi vult. deinde negat. iuste autem eum fleri putat amicitiæ caussa, iniuste, quia mortui reuocari ad vitã nulla pietate, nulloq; artificio possunt, quæ autem eiusmodi sunt, patientia leniri debent. Neq; vero est, quod miretur quisquam Virgilium, & Musam loquentes inductos. Sic n. in morte Architæ postea

Nautam & Architam loquentes fecit, atq; Architam ipsum nautæ respondentem iisdem verbis. Vt enim hic: *Multis ille quidem flebilis occidit*, sic ibi: *Occidet & Pelopis genitor.* Hæc ego, at si Robortellus autem neque illa loquum hunc explicuit, neque vidit, atq; ie omnia hæc vnius esse poetæ putauit, quod significat maxime, cum ait: *Hæc alia verba profert, quibus augere amici luctum conatur: Multis ille quidem flebilis occidit. Nulli flebilior, quam tibi Virgili.* Hæc si docti cōtulerint, non dubito, quin sensum ab eo totum perturbatum, & confusum artificium duxerint.

IN CAPVT XV. & XVIII.

In Loci Ciceroniani ex II. de oratore explicatio delusa.

CAPVT LXVII.

SEquenti capite reprehendit Strebæum, qui in exponendo loco, qui est apud Ciceronem lib. II. de oratore finxerit id, quod traditum memoriæ nō erat, nec videt in quo sit accusandus Strebæus, in se etiam labi neque locum illum non aliter, quam Strebæum intelligere. Verba eius hæc sunt: Libro secundo de oratore, vbi de talibus loquitur profert hæc verba Cicero: *Ridiculum etiam illud L. Porcius Nasica censori Catoni, cum ille, Ex animi tui sententia tu vxorem habes? non hercule, inquit, ex animi mei sententia. Strebæus interpres dormitauit in hoc loco exponendo, ait enim L. Porcium Nasicam interrogasse Catonem, an haberet vxorem ex animi sui sententia. Refert hanc eandem rem A. Gellius, sed nomina non profert sicuti omnes sciunt, qui legerunt, ait autem Strebæus contigisse eo tempore, quo Cato iam senior Salonii scribæ filiam duxit in vxorem, id quidem verum esse scio, nam & Catonem Salonianum ex ea suscepit filium sed merum est somnium, Nasicam interrogasse Catonem eo tempore quo Salonii filiam duxit vxorem. Hoc enim ipse confinxit, quamuis ex probabili coniectura, non tamen ex historia sumsit.* Hęc ille. Ex quibus liquet, ipsum cum Strebæo consentire, Catonem a Nasica ita esse interrogatum, Ex animi tui sententia vxorem habes? nec intelligere non Catonem a Nasica, sed Nasicam a Catone esse interrogatum. Nam hæc formula interrogationis erat censoria: Ex animi tui sententia vxorem habes? vt apud Liuium: Ex animi tui sententiā tu ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii censorum in prouinciam Macedoniam red[i]sti? nec videt solemne hoc esse de vxoribus petitum a censoribus iurandum, de quo Gellius ita: *Censor agebat solene de vxoribus iusiurandum.* verba ita erant concepta. *Et tu ex animi tui sententia vxorem habes? habeo equidem, inquit, vxorem. Sed non hercle ex animi tui sententia,* tum censor eum, quod intempestiue lasciuisset, in ærarios retulit, nec sentit, si Cato censor ille sit, qui respondeat, *Non Hercle ex animi tui, vel mei sententia, ipsum semetipsum notaturum fuisse, qui intempestiue lusisset.* Ergo Strebæus a Robortello, quod interrogationem a Catone, non a Nasica factam non intellexisset, fuit reprehenden-

bendendus. nunc vterque quod in re apertissima offenderit, castigandus.

Octauo autem & decimo capite, qui sint apud Aristotelem Vrbanici populi, disputat ea vero disputatio vnde ab eo sumta sit, suppresso nomine, supra dictum est.

IN CAPVT XXI. ET XXII.

Loci quidam Liuii, Ciceronis, Asconii, & Plinii declarati. Lapides aliquot veteres expositi. De equitibus R. equo publico, & quid sit equus publicus. & de V. decuria iudicum. & errores alicui in hac re confutati.

CAPVT LXVIII.

ARcem nunc expugnemus Robortellianæ scientiæ, qua se ille omnibus, qui sunt, qui fuerunt, excellere in tradenda R. antiquitate gloriatur, cap. 21 profert hæc verba ex libr. 5. Liuii: *Repente quibus census equester erat* (equi publici non erant assignati) *consilio prius inter se habito, senatum adeunt. factaq. dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt.* Hunc autem vt locũ explanet, citat ex 2. Philippica verba Ciceronis hæc: *Tum existimauit se suo iure cum Hippia viuere, & equos vectigales Sergio mimo tradere.* Item hæc ex Asconii commentario in orationem in competitores: *Cum Sylla post victoriam Circenses faceret, ita vt honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius.* & paulo post: *In Sylla ludis quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium, & alios quosdam nobiles homines agitasse. praeterea Antonius redemtas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemtionem senatori habere licet per legem. fuit autem nouissimus in circo quadrigarum agitator Bocculus.* Ad hanc autem rem declarandam profert demum Pisanum quoddam etiam marmor antiquum, in quo mentio equi Publici sit ita:

C. SATVRIVS SATVRI PICENTIS P. P.
FILIVS FAB. SECVNDVS. EQVO PVBLICO
EX V. DECVRIS PRÆFECTVS COH. II. ASTYRVM
AVGVR PATRONVS COLONIÆ ASCVLANORVM
VIX. ANN. XIX. DIEBVS XXVII.
PATER FILIO PIENTISSIMO FEC.

Quibus ex verbis apparet Robortellum Ciceronẽ cum Liuio, Asconium cum Cicerone, cum omnibus vetustum lapidem consentire, atq; de eadem re omnes loqui existimare. quod ego longe secus esse opinor: aliud enim Liuium, aliud Ciceronem, aliud Asconium, aliud Pisanum lapidem velle. Consideremus autẽ primum Ciceronis verba. *Accessit,* inquit, *vt Cæsare ignaro, cum ille esset Alexandriæ, beneficio amicorum, magister equitum constitueretur, tum existimauit se suo iure cum Hippia viuere, & equos vectigales Sergio mimo tradere.* Loquitur de M. Antonio magistro equitum Cæsari dictatori adiecto. significat aũt equos ad magistrum

X 5

equitum pertinuisse. Siquidem Antonius magister equitum constitutus existimauit se suo iure cum Hippia, quasi nihil agentem, vincere, omnem autem equorum curationem, quæ sui erat magistratus, vt ab omni esset munere liber, Sergio mimo tradere, qui tamen essent equi, qui pertinerent ad magistrum equitum, parū compertum habeo illud quidem certum est, vt dictatoris in pedites, sic magistri equitum in equites potestatem in bello fuisse hos autē vectigales Sergio dates ait, quasi vt ex ea curatione vectigal quoddam colligeret. Asconius autem de ludis Circensibus victoriæ caussa factis loquens, quadrigas, non equos nominat, quas redimi solitas esse ab ærario, atque idcirco vectigales vocari, qui redemptas eas haberent. agitatores in circo fuisse ait. nō fuisse autem hanc magistri equitum curationem, inde apparet, quod per centum amplius annos, ante Syllam nullus dictator, ac nullus magister equitum fuerat. Circenses tamen agitatores nullos interea fuisse probabile non est præterea si ab ærario redimebātur vectigales quadrigæ, profecto nihil ad magistrum equitum attinebant. cuius nulla erat ærarii cura, sed ad quæstorē. Quare quāquam quid inter equos vectigales, & quadrigas vectigales interfuerit, pro certo afferri non potest. vestigiis tamen quibusdā, non eadem ipsa inter se fuisse indicari potest. atque Asconii verbis, Ciceronis verba illustrari nō posse, coniectura probare licet. Equos autem publicos, de quibus scribit Liuius, multo minus aut eosdē esse quos vectigales equos, aut vectigales quadrigas, certius confirmare mihi videor posse. Scribit enim eo loco Liuius, eos, quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, equis se suis stipendia facturos promisisse. Placuisse autem senatui, omnibus extra ordinem militiam professis æra procedere, & equiti certum numerum æris assignatum. ac tum primum equis merere equites cœpisse. quid ergo equi publici ad magistrum equitum, vel ad ludos, quos a censoribus assignatos esse ostendit Liuius libro 39. S. C. inquit, *factum, vt tribuni pl. ferrent, vt P. Æbutio, cuius pater equo publico meruerat, emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, neue censor ei equum publicum assignaret.* Itaq; alios equites equo publico fuisse, alios equum publicum habuisse inuenio. Cicero in 6. Philippica: *Altera statua est equitum Romanorum equo publico* & in libro Antiq. Inscriptionum: *P. Mario Vol. Lupertiano equiti R. equo Publico, omnes honores municipales publice adepto, Iudici de selectis, sacerdoti, &c.* Et Liuius libro 29. *Equitum deinde census agi cœptus est, & ambo forte censores equum publicum habebant.* Vtrique autem equum censoria nota ademtū videre possumus Liuius libro 27 *In equestribus notis eadem seruata caussa. Illis omnibus equi ademti, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipen-*

stipendia equis priuatis facerent. animaduertere etiam possumus Neronem, & Liuium censores alterum alteri equum publicum, quem habebant, adimisse. Multa alia loca proferre possem, quibus docerem alios equites equo priuato, alios publico meruisse, alios etiam postquam magistratus adepti erant equum publicum habuisse. Sed nunc his ero contentus. Quid sit autem censorem equum publicum assignare, aut equum publicum adimere, ne facilis quidem explicatio est. M. Varro cum libro 7 de lingua Latina ait, *equum publicum mille assariorum fuisse, significare videtur se pecuniam fuisse, quod ei equiti daretur, qui equo publico esset; militiaue, an emendo equo caussa, parum liquet.* Illud quidem iubiam non est, qui equo a censore spoliabatur, cum equum vendere esse iussum. id enim in Neronis & Claudii censura scripsit Liuius. Vt ergo aliquis eques Rom. esset equo publico, cum census equester, tum etiam equi publici censoria assignatio quaerebatur: quae omnia quid ad vectigales equos Sergii mimi, aut ad vectigales quadrigas Antonii pertineant, non video, necessarius meus Robortellus post viderit. Nam quod scriptum est in Pisano lapide: *Equo Publico ex V. Decuriis longe ab his omnib. diuersum est.* Nam equus ille publicus, de quo diximus, militare quoddam ornamentum & censorium munus fuit: hoc vrbanum iudiciorum, & quidem Imperatoris beneficium. vnde est epigramma tale Polae, vt est in libro secundi Veronensis.

—— Max. Trib. P. VI. Imp. XI. Cos. II. P. P. M. Aurelius Menophilus ornatus iudicio eius equo publico, sacerdos, &c.

& Spoleti.

M. Septimio M. F. Hor. Septimiano equo Publico donato IV. VIR. I. D. Praefect. Fabr. &c.

& Romae.

Q. Plotius Q. F. Quir. Romanus exornatus equo Publico honoribus functus in Colonia Ostiensi. decessit superstitibus parentibus.

Item.

A. Atinio A. F. Pal. Paterno scribae Aedil. Cur. Hon. Ab Imp. equo Publico honor. Coh. II. Bracar. &c.

& Puteolis.

L. Annio L. F. Col. Modesto. Hon. equo Pub. K. Iun. in curia Basilica Augustana. scribendo affuer. T. oppius Seuerus, Vguetius Liberalis, Iulius Capritanus, Granius Longinus Satis ex his apparet, vt equus publicus dignitas fuerit iudicio Imperatoris delata. Quod autem in eo lapide est: *Equo Publico ex V. Decuriis*, iudicem eum fuisse apparet ex V. Decuria: vereor autē, ne male descripserit, Decurius. pro Decuria, siquidē tale est etiam epigrāma Brixiae, auctore Volfango: *P. Pladitio C. F. Pal. Clodiano equo Publ. Decur. Brixia C. Pladitius Pr. Prouincia Asiae leg. X. G. C. Iulius Magnus Dec. Col. Karm. equo Publico ex V. Decuria dignissimo I. D D D.*

& Auximi ex libro Iucundi.

M. Oppio Capitoni. Q. Tamudio Q. F. T. N. T. TRN Vel. Aniaie. Seuero equo Pubiico Iudici Select ex V. Decur. &c.

& Perusiæ.

C. Vibio C. F. L N Tro. Gallo Proculiano Patrono Perusinorum. Patrono, & curatori R. P. Veronensium Iudici de V. Dec.

& Auximi.

L. Presentio L. F. l. Lem. Patto Lattio Seuero Praefecto coh. in Afr. C. R. eq. Iudici Selecto ex V. Dec. pr. Auximi. &c. Significat autẽ Equo Publico ex V. Decuria, Iudicẽ fuisse ex V. Decuria, ex iis, qui equo publico donati erant, vnde Plinius lib 33. *Propter hac discrimina Caius princeps decuriam quintã adiecit, tantumq; natus est fastus, vt quæ sub diuo Augusto impleri non potuerunt decuria, non capiant eum ordinem. passimque ad ornamenta ea etiam seruitute liberati transiliant, quod ante nunquam erat factum, quoniam in ferreo annulo equites, iudicesq; intelligebantur. adeoq; promiscuum id esse cœpit, vt apud Claudium Cæsarem in censura eius vnus ex equitibus Flauius Proculus C C C C. ex ea caussa reos postularet. Ita dum separatur ordo ab ingenuis communicatus est cum seruitiis.* Item: *Nec pridem id factum; Diuo Augusto decurias ordinante, maior pars iudicum in ferreo annulo fuit. iique non equites, sed iudices vocabantur. equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum. Iudicum quoque non nisi quatuor decuriæ fuere primo, vixque singula millia in decuriis inuenta sunt, nondum prouinciis ad hoc munus admissis.* De V. decuria equitum etiam Suetonius. Si ergo equi vectigales ad magistrum equitum, quadrigæ ad ærarium, & ludos, equi publici ad censorem, & rem militarem, equo Publico donati ex V. Decuria ad Iudicum decurias, & ad Imperatorem pertinuerunt, profecto nõ eadem hæc omnia fuerunt, vt tu omnium, qui sunt, qui fuerunt, quique post erunt, doctissime Robortelle, putasti. Quod cum ita sit, aude nunc de Romana antiquitate verbum facere, teque in ea, vt facis, iactare, aude de Galeria, aude de Veturia dicere, aude de tribubus, de centuriis & earum diuisionibus hiscere. Te enim disertissimum, si hæc, quæ dixisti, ita esse confirmaris, putabo. Nam quod in lapide illo Pisano, literas has P. P. interpretaris pater patratus, cur non qua ratione motus id facias affers? cur non potius, vt aliqui volunt, Prouinciæ præses? vt sit Picentis prouinciæ præsidis. quam quam ego nihil definio, tantum rationem sententiæ suæ a doctissimo viro quæro. Vigesimo secundo capite, id est vltimo, Alciatum sibi dilacerandum relinquit, eumque a se atque ab aliis omnia, quæ scribat, furatum esse modestissime insimulat. de qua re satis supra dictum est. nunc ad alia pergamus.

Locus epithalamii Catulli vt praue sit expositus.

CAPVT LXIX.

Non tibi

Non tibi Herculeia periculum est) In hunc locum Robortellus in commentario eius libelli, hoc modo scribit. *Ita omnes fere legunt, & interpretantur locum hunc corruptum. ego puto legendum ex vetustis libris lectionis huius vestigium sequutus, Arunculeia, quod appellarit Catullus Iuliam sponsam Arunculeiam ab Arunca oppido vetustissimo, quod ædificatum in Latio fuit ab Ausone rege, a quo Ausonia Italia dicta fuit.* Innuit igitur hinc maiores illius profectos, vt nobilitatem, & antiquitatem generis laudet. Hanc interpretationem, quæ tantopere placet Robortello, neminem doctum probare posse existimo: satis enim constat Iuliam gentem ab Alba, nō ab Arunca ortum habere plena sunt annalium monimenta Liuii, Dionysii, omnium. non est ergo, quod Arunculeiam Iuliam legamus quasi antiquis sedibus ab Arunca profectam. Adde, quod non video, vt ab Arunca fiat Arunculeius, neq; enim a Satrico fit Satriculeius, sed Satricanus neque Saticula, Saticuleius, sed saticulanus, vt a Suessula, Suessulanus, a Nola, Nolanus, a Tusculo, Tusculanus. vt a veteribus Grammaticis memoriæ proditum est.

IN COMMENTARIVM POETICES ARISTOTELIS.

Librum poetices tres in partes non recte diuisum.

CAPVT LXX.

Nunc venio ad Poeticen Aristotelis, qua in interpretanda ipse sibi videtur regnare. Considerabo autem non totum eius commentarium, sed principium tantum, quasque præcipue ego expositiones eius non probem, demonstrabo; vt ille tandem intelligat, errasse se vehementissime, qui me egere languidulis suis emendationibus, nescio quibus, existimarit neque vero quicquam ex iis quæ a Madio acutissime in eum scripta sunt, attingam. Primum igitur nescio, quis sit ille qui probare possit diuisionem huius libri, quam ille triplicem esse constituit his verbis: *Liber hic commodissime mihi diuidi videtur posse in tres partes. primum inuestigat definitionem poetices, deinde agit de tragœdia, & eius partibus. postremo de epopœia & comparat hanc cum tragœdia.* Meo enim iudicio liber hic non in tres, sed in sex partes distribuendus est: primum enim non solum de definitione poeseos agit, sed etiam de origine eius, & incremento. origo autem, & incrementum nihil ad definitionem pertinent. Sequuntur deinde aliæ partes, vna de tragœdia, de epopœia altera. Quinta est de quæstionibus, & dissolutionibus poeticis. quæ ab eo in sua diuisione præterita est, cum tamen a tragœdia, & epopœia separata materia sit. extremo libro tragœdiam cum epopœia comparat, quæ sexta pars appellari, cum a disputatione de tragœdia, & epopœia auulsa sit, merito potest.

Quod sit αὐλητική, & κιθαριστική.

CAPVT LXXI.

Καὶ τῆς αὐλητικῆς ἡ πλείστη καὶ κιθαριστικῆς. Et magna pars Auletices, & Cytharistices] Quaerit hoc loco Robortellus, quae poeses sint haec Auletica, & Cytharistica, atque ita scribit: *Recenset Iulius Pollux sex apud veteres πυθικοὺς νόμους αὐλητικούς. Nam νόμους vocabant Graeci praescriptas quasdam cantionum formulas, diversa cantilenarum genera, quas leges opinor a Latinis recte dici posse: & Horatius forsan hoc significavit in Odis, ubi de Pindaro loquitur, cum ait:*

Numerisque fertur lege solutis.

Eius Pythici carminis erant partes quinque, πεῖρα, κατακελευσμός, ἰαμβικόν, σπονδεῖον, καταχόρευσις &c. postremo ita concludit: *Hinc quoque licet perspicere, quanto artificio veteres hanc poeticis facultatem tractarent: & nos nostra aetate, dii boni, tunc nos poetas appellandos esse credimus, cum unum aut alterum versum, male, ut ille ait, tornatum facimus.* Hactenus de Auletice, nunc de Cytharistice dicendum. *Cytharistice eadem est quae & Lyrice. nam Iulius Pollux ait: λυρῳδὸς, κιθαρῳδὸς, κιθαριστὴς idem significare. Item: Ad cytharam canere antiquissimus fuit mos. Hinc Phemius apud Homerum, Iopas apud Virgilium. & Horatius in Odis ab Apolline precatur: Nec Cythara carentem senectam.* Item: *In Cytharistice insignis fuit Terpander, a quo νόμος τερπάνδρειος.* Item: *Canebantur ad cytharam, ut ait Pollux, hymni, paeanes, παροίνια, amatoria & ioco[sa] quaedam. Hinc opinor respiciens Horatius ait:*

Desine magna modis attenuare parvis.

Idem alibi:

Non haec iocosae conveniunt lyrae.

Haec ille. Nemo est autem, qui ex his verbis non opinetur, eum velle Cytharisticen, & Auleticen verbis imitatas esse, ac cytharisticen, vel lyricen eam esse, quam Pindarus & Horatius scripserint, cum tamen Aristotelis longe alia sententia sit. Significat enim primum Auletices, & Cytharistices multa genera esse, cum ait *Epopoeia, Tragoedia, Comoedia, & Auletices, & Cytharistices maxima pars imitantur.* quasi vero innuat, alias esse auleticas & cytharisticas imitatione vacuas. post autem ubi docet, poeses non eodem modo imitari omnes, sed alias sermone tantum, alias saltu tantum, alias harmonia, & saltu, inter eas, quae harmonia tantum, & saltu imitarentur, retulit Auleticam, & Cytharisticam. Sic enim ait: *οἷον ἁρμονίᾳ μὲν χρώμεναι καὶ ῥυθμῷ μόνον ἥ τε αὐλητικὴ καὶ ἡ κιθαριστική.* Si ergo Auletica, & Cytharistica imitantur tantum modo, harmonia, & rhythmo, id est, saltatione, ergo non sermone, & metro. Sunt ergo exemplum apud Aristotelem earum poesum, quae non imitantur sermone. Robortellus autem cum verba Pollucis, & reliqua ad declarandam Auleticam, & Cytharisticam pictu-

protulit, significat, se velle, has poeses vti, & imitari versu. In quo meo iudicio hallucinatur. neque enim Lyrica Pindari, aut Horatii ea est de qua nunc Aristoteles agit. Siquidem illæ versum afferunt sine saltu, hæ vero harmoniam habent tantum cum saltu. Quod si saltatoriam vnam fuisse poesim inquit Aristoteles, quæ saltu tantum imitaretur sine harmonia, & versu, cur non possumus intelligere, fuisse etiam aliquam Auleticam, & Cytharisticam (nam multa, vt dixi, earum fuisse genera significat) quæ harmonia tantum vterentur & saltu? fortasse autem hæc Cytharistica, de qua nunc agit Aristoteles, ea est, quæ ab Athenæo libro decimo quarto, ψιλὴ κιθάρισις, & ψιλοκιθαριστικὴ dicitur, quã inuentam a Menechmo, a Lysandro Sicyonio commutatam ait. qui Lysander eodem auctore, [illegible] Auletica vero, quæ συναυλία. de qua ille ita: συναυλία ἦν τις ἀγὼν συμφωνίας ἀμοιβαῖος αὐλοῦ, & ῥυθμοῦ χωρὶς λόγου [illegible]. Namquod ait Pollucem scribere, λυρῳδούς, κιθαρῳδούς, κιθαριστάς, idem significare, non videtur Pollucem intellexisse: ille enim artifices musicos varios enumerat, non eosdem esse tradit.

Quid sit Poesis Nomorum. Persius non esse iocosum comœdia nomen.

CAPVT LXXII.

Εἰσὶ δέ τινες, αἳ πᾶσι χρῶνται τοῖς εἰρημένοις. λέγω δὲ οἷον ῥυθμῷ καὶ μέλει, καὶ μέτρῳ. ὥσπερ ἥ τε τῶν διθυραμβικῶν ποίησις, καὶ ἡ τῶν νόμων. καὶ ἥ τε τραγῳδία, καὶ ἡ κωμῳδία. διαφέρουσι δὲ ὅτι αἱ μὲν ἅμα πᾶσιν αἱ δὲ κατὰ μέρος. Quærit hoc loco Robortellus, atque adeo etiam in primo libro Annotationum, qui sint Nomi apud Aristotelem, quos inter poematum genera videmus etiam a Polluce referri. atque vtroque in loco Nomos interpretatur, leges a legislatoribus, vt a Solone & Lycurgo latas, quas versibus scriptas fuisse constat, vt facilius memoriæ mandarentur. Quam opinionem ego nullo modo ferendam esse aliquando existimaui. cur autem ita existimarem, tribus maxime argumentis adductus sum. Primum, quia inquit Aristoteles, Dithyrambos & Nomos imitatos esse saltu, harmonia, & oratione coniunctim, Tragœdiam & Comœdiam separatim. An vero qui leges, legislatorum recitarent, ii idem musicum instrumentum pulsarent, atq; saltarent, vt Dithyrambici faciebant, facile vocari in quæstionem possit. Hoc certe ita factum significat Aristoteles, ille vero hoc tantum in Dithyrambicis obseruatum docuit: de Nomis, ne in scopulũ incideret, reticuit, & eos ad tragœdiæ, & Comœdiæ consuetudinem traduxit. Sic enim inquit: *Aristoteles ait, Comœdiam, Tragœdiam, & legum poesim vti consueuisse separatim, &, vt ipsius vtar verbis,* κατὰ μέρος [illegible]

rhythmo, & harmonia. In quo errat. nam Nomi sequuntur Dithyrambos, non Tragœdiam & Comœdiam: inquit enim Aristoteles. *Differunt inter se Dithyrambi, Nomi, Tragœdia, & Comœdia, quod illa vtuntur omnibus coniunctim, hæ separatim.* illas autem cum dixit, priores duas a se nominatas intellexit, Dithyrambos, & Nomos. Accedit, quod Aristoteles, cum de rebus, quas diuersas imitarentur poetæ, differit, eas aut magnas, aut leues esse ait. opponit autem Dithyrambos Nomis Tragœdiam comœdiæ. Si autem Dithyrambis, (vt constat, & ipse Robortellus exponit,) atq; Tragœdia res magnæ exprimuntur, profecto Nomis & Comœdia paruæ. Leges autem Robortellus res grauissimas & sanctissimas esse concedit, ex quo apparet Poesin Nomorum non esse poesim legum. Postremo videndum est diligenter, quod cum Aristoteles exempla dithyramborum affert & Nomorum, Persas nominat, & Cyclopas, quorum Persas scripsit Timotheus, Cyclopas Philoxenus. Quod si ita est, ergo Cyclopes sunt materia Nomorum, & Philoxenus auctor Nomorum? Cyclopes autem non sunt leges, nec Philoxenus est legislator. Quin apparet Nomorum poesim, de qua hic agit Arist. non esse legum, vt Solonis, quæ elegis scriptæ sunt. Postremo Nomos poesim quandam fuisse maledicam, ab Arga quodã poeta scriptam docet Plutarchus in Demosthene qui Demosthenẽ prodit Argam appellatum fuisse a sermone, quo auditores incesseret. Fuisse enim Argam poetam improborum Nomorum, & acerborũ. verba eius sunt hæc: ἢ πρὸς τὸν λόγον ὡς ἀνιῶντα τοὺς ἀκροωμένους, καὶ γὰρ Ἄργας τοὔνομα ποιητὴς ἦν νόμων πονηρῶν, καὶ ἀργαλέων. Quibus de Nomis, & quo de poeta multo etiam apertius Athenæus lib. 14. Καὶ μοχθηρῶν δὲ ἀσμάτων γεγόνασι ποιηταί· περὶ ὧν φησὶ Φαινίας ὁ Ἐρέσιος ἐν τοῖς πρὸς τοὺς σοφιστὰς γράφων οὕτως. Τελένικος ὁ Βυζάντιος ἔτι δὲ Ἄργας, ποιηταὶ μοχθηρῶν ὄντες νόμων πρὸς μὲν τὸν ἴδιον χαρακτῆρα τῆς ποιήσεως ηὐπόρουν, τῶν δὲ Τερπάνδρου καὶ Φρύνιδος νόμων οὐδὲ κατὰ μικρὸν ἐδύναντο ἐπιψαῦσαι. ex his autem patet, & Nomos inter improba fuisse poemata, & Argam malorum horum Nomorum fuisse scriptorem. Addo illud etiam non placere in eo expositionem Robortelli, qui Persas iocosum nomẽ comœdiæ fuisse existimat. Nam si Persæ, & Cyclopes fabulam rerum leuium complexi sunt, cur hec exemplum attulit Aristoteles ad Dithyramborum, & Nomorum expositionem; cum Dithyrambi & Nomi ipso auctore res grauissimas imitentur? Superuacaneum ergo erit, & inutile & nulli rei propositæ accommodatum exemplum. Quod si Aristotelem haud temere locutum esse statuimus, Persas cum reliquis dicemus ad Dithyrambos, Cyclopas ad Nomos. Tradit enim differentiam actionum grauium, & leuium in iis poeseon generibus, quæ imitantur sermone, harmonia, & simul coniunctim. quam differentiam probat sequens oratio. Eodem vero modo inter se distinguun-

tur

tur Comœdia, & Tragœdia, quod vna res leues, altera graues imitatur. vnde argumentum elici potest. Quomodo Tragœdia distinguitur a Comœdia, eodem modo Dithyrambi a Nomis. at tragœdia res graues, comœdia leues imitatur, ergo Dithyrambi graues, Nomi leues. Ergo Nomi non sunt leges.

Quid sit μιμεῖσθαι ἐν τοῖς αὐτοῖς.

CAPVT LXXIII.

ETI *δὲ τούτων τρίτη διαφορὰ, τὸ ὡς ἕκαστα τούτων μιμήσαιτο ἄν τις. καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς, καὶ τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαι ἐστὶν, ὅτι μὲν ἀπαγγέλλοντα*, &c. Robortellus interpretatur *ἐν τοῖς αὐτοῖς*, in iisdem hominibus, & ait sensum esse. *Sæpe contingit, vt in iisdem hominibus eadem imitemur. diuerso tamen modo, quod declarat, cuiusmodi sit, ὅτι μὲν ἀπαγγέλλοντα.* Hanc igitur ego etiam interpretationem nec probo, nec probari ab erudito aliquo homine posse existimo. Proposuit enim Aristoteles triplicem imitationis differentiam, *ἐν οἷς, ἃ, ὡς*, id est, quibus instrumentis, quas res, quomodo. instrumenta autem intellexit orationem, cõcentum, & saltum, res, actiones graues, vel leues, modum vel loquendo, vel loquentes inducendo, vel vtroque modo. duas autem differentias cum exposuerit, nunc tertiam explicandam aggreditur, ita tamen, vt repetat duas priores, *ἐν οἷς, καὶ ἃ*, inquiens: *καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς, καὶ τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαι ἐστὶν*, id est, licet enim iisdem instrumentis easdem res imitari Ille autem *ἐν τοῖς αὐτοῖς* non ad instrumenta, sed ad homines refert, nec particulæ *ἐν*, quæ hoc loco instrumento significando seruit, vsum vidit: cum tamen sæpe alio loco de eadem differentia sic loquutus sit Aristoteles vt supra: *ἅπασαι μὲν ποιοῦνται τὴν μίμησιν ἐν ῥυθμῷ, καὶ λόγῳ, καὶ ἁρμονίᾳ.* Item: *ἐν τρισὶ δὲ ταύταις διαφοραῖς ἡ μίμησις ἐστὶν, ὡς εἴπομεν, ἐν οἷς τε, καὶ ἃ, καὶ ὥς.* Item: *ἐν τούτοις γὰρ ποιοῦνται τὴν μίμησιν.* his omnibus in locis *ἐν* significat instrumentum. Vnde alio loco dixit: *ἑτέροις, ἑτέρως, ἕτερα. οἷς, ὥς, ἅ.* Ex quo intelligi potest *ἐν τούτοις*, nullo modo ad homines referendum esse, sed ad instrumenta.

De caussis naturalibus poeseos.

CAPVT LXXIV.

E*Οίκασι δὲ γεννῆσαι μὲν ὅλως τὴν ποιητικὴν αἰτίαι δύο τινὲς, καὶ αὗται φυσικαί. τό τε γὰρ μιμεῖσθαι σύμφυτον.* &c. Hæc verba, quibus Aristoteles duas caussas naturales. vnde profecta poesis est, ita diuellit Robortellus, vt veras caussas non attingat, sententiam obscuret, orationem perturbet. Has enim caussas interpretatur, Imitationem, & quæ ex imitatione capitur voluptatem, postremo vero ad imitationem adiungit etiam concentum, & rhythmum, qua expositione ego nihil esse alienius puto. Itaque sequor potius Auerroem, quem ille, vt aliquid per se sapere, videretur, reliquit. atque poesim duabus naturalibus e caussis ortam esse, interpretor, Imitatione, & harmonia, rhythmoque. verba autem

ita expono, vt quæ ille caussam esse ait, ea ego rationẽ caussę constituam, hoc modo. *Videtur autem, inquit, Poetica duabus omnino e caussis, iisque naturalibus esse profecta: Imitatione; quod duabus rationibus confirmat, quod imitari hominibus a pueris insitum est. cuius rei argumento est quod hac ipsa re a reliquis differunt animantibus, quod ad imitationem aptissimi sunt, & primas disciplinas imitatione consequuntur; altera, quod rebus imitatione expressis omnes delectantur; cuius rei illud indicio est, quod in operibus accidit. quæ enim ipsi cum quadam animi molestia intuemur, eorum simulacra accuratius efficta si videamus, voluptate perfundimur, vt agrestium ferarũ & bestiarum. cuius etiã rei ea caussa est, quod nõ philosophis solum, sed aliis etiam hominibus iucundius accidere nihil possit, quã discere. quanquam impari ratione id faciunt, &c.* His ergo omnibus nemo est, qui non videat, non duas res, vt censuit Robortellus, sed vnam tantum eo modo confirmari, nimirum caussam vnam naturalem poeseos esse imitationem. & quod imitatio, & quod voluptas quæ ex rebus imitatione effectis capitur, homini natura insita est. Sic enim hæc inter se respondent. τό τε γὰρ μιμεῖσθαι σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις ἐκ παίδων ἐστὶ καὶ τὸ χαίρειν τοῖς μιμήμασι πάντας σύμφυτόν ἐστι, id est, Nam cum imitari natura hominibus insitum est a pueris, tum rebus imitatione expressis delectari. quæ ille sine ratione diuellit. Illud autem: καὶ τούτῳ διαφέρουσι τῶν ἄλλων ζώων, ὅτι μιμητικώτατόν ἐστι καὶ τὰς μαθήσεις ποιεῖται διὰ μιμήσεως τὰς πρώτας, est signum prioris rationis, id est, cur imitatio a pueris insita sit, quia homo differt ab aliis animantibus in eo, quod ad imitandum est maxime aptus. Quod autem ait Aristoteles, pueros discere primas disciplinas imitatione, primas disciplinas Robortellus interpretatur, Mathematicas, quas a pueris percipi vult imitatione: ego malim intelligi, loqui, legere, scribere, & reliqua eiusmodi, quæ vt picæ, & psittaci, sic pueri imitando discant. Illa vero verba: ἀλλ' ἐπὶ βραχὺ κοινωνοῦσιν αὐτοῦ. διὰ γὰρ τοῦτο χαίρουσι τὰς εἰκόνας ὁρῶντες, ὅτι συμβαίνει θεωροῦντας μανθάνειν, καὶ συλλογίζεσθαι τί ἕκαστον. οἷον ὅτι οὗτος ἐκεῖνος. ἐπεὶ ἐὰν μὴ τύχῃ προεωρακώς, οὐ διὰ μίμημα ποιήσει τὴν ἡδονήν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπεργασίαν, ἢ τὴν χροιάν, ἢ διὰ τοιαύτην τινὰ ἄλλην αἰτίαν. hæc inquam, verba docent, quemadmodum non eandem voluptatem reliqui homines capiunt, cum ex imitatione discunt, atq; philosophi; qua de re dicere cœperat, cum delectationem ex imitatione homini ingenitam esse a natura probaret. *Neq; enim, inquit, alia caussa est, cur alii homines aspectu imaginũ capiantur, quam quod intuendo efficitur, vt discant, atque quid earum quæque sit, ratione concludant, exempli caussa hunc illum esse. quoniam nisi ille ante vidisset, non ex imitatione, sed ex artificio, aut ex colore, aut ex eiusmodi re alia delectationem afferret.* quasi vero significare velit, philosophos etiam voluptatem capturos ex earum rerum aspectu, etiamsi non ante vidissent. Ex quo intelligi potest, Robortellum

de

tellum sine ratione hunc locum emendauit. nam cum scriptū sit, οὐ διὰ μίμημα ποιήσει τὴν ἡδονὴν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπεργασίαν, ἢ τὴν χροιάν, ille licentia sua tollendi abusus, tollit διὰ. ut μίμημα rectus casus sit. hoc sensu: non res imitatione efficta delectabit. nec animaduertit redditionem, quæ sequitur, ἀλλὰ διὰ τὴν ἀπεργασίαν. Quare recte habet locus, neq; Robortellianam emendationem desiderat: est enim subaudiendum vel εἰκὼν, id est, imago ipsa non ob imitationem sed ob artificium delectauit. vel vox ἐκεῖνος. dixit enim ὅτι οὗτος ἐκεῖνος. sequuntur deinceps illa: Κατὰ φύσιν δὲ ὄντος ἡμῖν τοῦ μιμεῖσθαι καὶ τῆς ἁρμονίας, καὶ τοῦ ῥυθμοῦ. τὰ γὰρ μέτρα, ὅτι μόρια τῶν ῥυθμῶν ἐστὶ, φανερόν, ἐξ ἀρχῆς οἱ πεφυκότες πρὸς αὐτὰ μάλιστα κατὰ μικρὸν προάγοντες ἐγέννησαν τὴν ποίησιν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων, id est, cum igitur nobis a natura insita sint, imitatio, cōcentus, & rhythmus, (neq; enim dubium est, quin metra particulæ sint rhythmorum) profecto ii, qui ad hæc maxime nati sunt, a rudibus initiis, imperitisq; profecti paulatim poeticæ originem perfecti sunt. His ergo verbis Robortellus Aristotelem repetere ait superiores duas caussas, id est, imitationem & delectationem: cumq; alteram tantum nominet imitationem, & pro altera afferat harmoniam, & rhythmum, se expedire non potest. etenim quæ ad hanc quæstionem soluendam affert, vix esse hominis videntur. Quare dicendū, ac sentiēdum esse existimo: cum Aristoteles caussas duas naturales poeseos proposuerit atq; alteram imitationem tantum nominauerit, eamq; multis verbis confirmauerit, eandē nunc repetere, atq; secundā caussam adiungere, quæ est harmonia, & rhythmus. Itaq; hoc in loco est ἐπανάληψις, quæ fit, superiore sententia diuersis verbis repetita. huic autem repetitioni accommodata est particula δέ. Quæ ergo sunt caussæ poeseos naturalis, Imitatio, & instrumenta imitationis. instrumenta vero tria sunt, harmonia, & rhythmus. nam rhythmus ipse diuiditur, in saltum, & metra. metra enim, inquit, particula sunt rhythmorum. Non probat autem instrumenta imitationis esse nobis naturalia, quia satis perspicuum putauit ex eo quod imitationem ipsam nobis esse naturalem probauit. Itaque statim concludit: *Qui a natura formati fuerunt ad imitandum, oratione, harmonia, & saltu, eos poeseos initia introduxisse.*

Locum non intellectum, ubi de Homeri Margite & βατραχομυομαχίᾳ non esse leue poema.

CAPUT LXXV.

Τῶν μὲν οὖν πρὸ Ὁμήρου οὐδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν τοιοῦτον ποίημα. εἰκὸς δὲ εἶναι πολλούς. ἀπὸ δὲ Ὁμήρου ἀρξαμένοις ἔστιν, οἷον ἐκείνου ὁ Μαργίτης, καὶ τὰ τοιαῦτα. ἐν οἷς κατὰ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον. Robortellus hæc verba ita interpretatur, ut dicat. ex his enim intelligere, omnino nullius poetæ ante Homerū scripta extare. Sic enim ait: *Sed dicat aliquis, si ex natura homines imitantur, cur Homerus*

tam proximo abest a nostris temporibus, absurdum est, si initiũ sumsit poetice ab Homero. respondet Aristoteles: credibile quidẽ esse ante Homerũ multos exstitisse alios poetas, qui imitationis poeticæ studiosi ita scripserint, sed non posse id pro certo afferri, quod nullus iam exstaret, qui prior Homero dici posset. Hæc ille. quibus significat, se sensum Aristotelis non admodum difficilem non percepisse. non enim inquit Aristoteles, nullius ante Homerum poetæ scripta exstare, sed nullum tale, quale est Homeri Margites, cum tamen verisimile sit, multos eiusmodi poemata scripsisse. proposuit enim duo genera poematum laudes, & vituperationes: de auctore laudum nihil affert, vituperandi auctorem facit Homerum, quia nemo ante eum, quantum exstet, poema scripserit eiusmodi, quale est eius Margites. sensum autem hunc verborum ille nõ collegit, quia verba, non vt oportet, ordinauit, hoc modo: τῶν μὲν οὖν πρὸ Ὁμήρου οὐδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν τοιοῦτον ποίημα οἷον ἐκείνου ὁ Μαργίτης, καὶ τὰ τοιαῦτα. deinde reliqua per parenthesim. εἰκὸς δ' εἶναι πολλούς. ἀπὸ δ' Ὁμήρου ἀρξαμένοις ἐστὶν, id est, ac eorum quidem, qui ante Homerum scripserunt, nullius eiusmodi poema possumus nominare, quale est eius Margites, & eiusmodi alia. est tamẽ verisimile multos in tali scriptione esse versatos, ab Homero autem exordientes possumus. Quod autem ait Aristoteles. Et eiusmodi alia, Robortellus βατραχομυομαχίαν interpretatur, in quo ego lõge ab eo dissentio: neq; enim ranarum, muriumq; pugnam rem leuem, ac vituperationis argumentum, vt Margiten, esse existimo. nam eam rem vt grauem tractauit. nisi forte apium historiam rem leuem apud Virgilium dixerimus, cum vterque his belluis rationem dederit, & actiones humanas tribuerit, & de iis, vt de hominib⁹ scripserit. Quare cum ea leuis actio non sit, non respondet Margiti, sed Iliadi, id est, epopœiæ.

De incremento Comœdiæ.

CAPVT LXXVI.

Ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς τῶν πόλεων διαμένει νομιζόμενα, κατὰ μικρὸν ηὐξήθη προαγόντων, ὅσον ἐγίνετο φανερὸν αὐτῆς: In hæc verba ita Robortellus: *Hæc ita vertit Paccius: Quãtum sese ipsa aperiebat. Videtur tamen hic esse sensus. Comœdia paulatim ab iis, qui Phallica tractabant, ad tantam vsque magnitudinem, quantam nũc cernere est. quasi innueret adhuc augeri posse, & expoliri, id quod factum est, cum comœdia ex vetere facta est noua, quæ multo probabilior, & integrior fuit.* Hæc Robortellus. Qui meo quidem iudicio, quid verbis illis, ὅσον ἐγίνετο φανερὸν αὐτῆς, voluerit Aristoteles, assequutus non est: est enim hic sensus. Comœdiam ii, qui Phallica tractarunt, quæ etiam nunc ex reip. instituto multis in ciuitatibus permanent, quantũ ex ea exstabat, paulatim promouentes auxerunt. non enim significat Phallicos poetas comœdiam inuenisse, atq; ad eam magnitudinem perduxisse,

quæ

quæ tum erat, sed eam partem Comœdiæ, quæ exstabat, quanta quanta erat, suscepisse, atque amplificasse. hoc est enim ὅσον ἐχέτω φανερὸν αὐτᾶς quod Robortellum miror latuisse.

Archontem recte verti posse, τὸ ἄρχοντα.

CAPVT LXXVII.

Ὀψὲ γὰρ ὁ ἄρχων χορὸν ἔδωκε.) In hæc Robortellus ita: *Sero admodum chorus dari cœpit a magistratu: quæ verba cum non intelligeret Paccius, inepte vertit. Sero ab Archonte Comœdorum chorus inductus.* Quibus verbis si Robortellus Paccium reprehendit, quod Inductum pro concesso dixerit, nihil dico, si Archōtem pro magistratu vsurpatum reprehendit, iniuste factum esse affirmo. Erat enim summus magistratus Athenis hoc nomine, vt inter omnes constat. ab eo enim etiam annus nominabatur. quo nomine vsus est etiam Cicero in Tusculana prima, cum dixit, *Archonte Pithorato.* Itaque rectius Robortellus Archontem, quam magistratum vertisset. vt hunc maxime magistratum (nam multi alii erant) significaret. non enim qui apud Romanos pro consule magistratum dixerit, cum multi alii præter consulem magistratus sint, satis commode fecerit.

Ἡδυσμένῳ λόγῳ quid sit, non esse intellectum.

CAPVT LXXVIII.

Ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας, καὶ τελείας, μέγεθος ἐχούσης, ἡδυσμένῳ λόγῳ, χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων, καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας, ἀλλὰ δι' ἐλέου. Definit hic Tragœdiam Aristoteles. cuius definitionis partes duas vereor, vt satis eas intellexerit Robortellus. sunt autem hæ: ἡδυσμένῳ λόγῳ, & χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων. sic enim scribit: *Sermone suaui. ita vertit Paccius. Græcus cōtextus habet:* ἡδυσμένῳ λόγῳ. *quod ex vi vocis sua dicas, si Latine possis referri, Suauifacto sermone. cum enim imitatio fiat tribus, sermone, rhythmo, harmonia, omnia in ea adhibet tragœdia.* post autem cum Aristoteles declarat, quid velit per λόγον ἡδυσμένον, & ait: λέγω δὲ λόγον ἡδυσμένον τὸν ἔχοντα ῥυθμὸν, καὶ ἁρμονίαν, καὶ μέλος, ita ipse Robortellus subiicit: *Primum quod apposuerat in definitione* ἡδυσμένον λόγον *declarat. implicite enim protulerat. explicat igitur (nam sub eo latent tria) harmonia, rhythmus, & melos.* Hæc ille: Ego vero praue λόγον orationem ab eo versum esse existimo. Nā si saltus, & harmonia est pars ἡδυσμένου λόγου, ergo saltus, & harmonia erit pars orationis, & quodāmodo oratio. vertendum autem esse duco, Rationem, siue modum: significet enim vno verbo genus trium instrumentorum imitationis poeticæ: imitatur enim, inquit, tragœdia actiones graues modo suauitatis pleno. is autem modus est, melos, harmonia, & rhythmus. Melos autem intelligo pro metro: est enim metrum non solum oratio, sed oratio cū numero coniuncta. at vero Robortellus per melos ait intelligi cantilenas vocales, atque hoc loco melos ab

harmonia distingui, neque videt ad instrumenta imitationis nihil vocalem cantilenam pertinere, quæ, ne quid sit quidem, si ab eo quæratur, respondere poterit.

Quid sit χωρὶς τῶν εἰδῶν, non esse intellectum.

CAPVT LXXIX.

Illud autem: τὸ δὲ χωρὶς τῶν εἰδῶν τὸ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι, καὶ πάλιν ἕτερα διὰ μέλους, ita interpretatur Robortellus: *Secundum, quod apposuerat in definitione declarare, & videbatur egere declaratione aliqua, est χωρὶς ἑκάστου εἰδῶν. Declarat igitur afferens distinctionem hanc: τὸ διὰ μέτρων ἔνια μόνον περαίνεσθαι, ἔνια δὲ διὰ μέλους. Hoc duplici de caussa videtur dictum. primum quidem propter recitationem totius tragœdiæ: separatim enim fit, seu, vt ipsius vtar verbis κατὰ μέρος, sermone, rhythmo, harmonia.* deinde vero propter chorum tragicum, in quo nonnulla proferuntur voce & sermone loquentium, nonnulla cantantur. Neque hunc ego esse horum verborum sensum existimo, Robortelle, cum ait Aristoteles, tragœdiam imitationem esse, quæ fit metro, harmonia, & rhythmo, singulis his formis separatim in particulis agentibus. Separatim autem, quia nonnulla metro solo perficiuntur, nonnulla vero etiam per melos. Etenim hoc in loco melos accipit, non pro metrica oratione, vt paulo ante, sed pro harmonia, & rhythmo. quod paulo post μελοποιΐαν dixit, cum de his instrumentis loquens nominauit τὴν λέξιν, καὶ τὴν μελοποιΐαν. per λέξιν enim, id est, dictionem, metricam orationem intellexit. Per Melopœiam vero harmoniam, & rhythmũ. Si ergo nonnullæ partes tragœdiæ solo metro aguntur, nonnullæ vero metro, harmonia, & rhythmo, commentitia tua illa expositio est, qui ais in choro tragico alia proferri voce, alia cantu. Quid enim? cantus ille non est oratio? nam cantus non est harmonia, de qua intelligit Aristoteles, quę tibiis edebatur, aut aliis musicis instrumentis eiusmodi. Sed cantus, & oratio, & metrum, pro eodem accipiuntur. Ego vero existimo hoc velle Aristotelem, quasdam tragœdiæ partes, quę recitabantur sine harmonia, & saltu, quasdam, quę haberent harmoniam, & saltum. quarum illas diuerbia a Latinis dicta esse inuenio, hæc cantica. *Diuerbia autem*, auctore Diomede, *sunt fabulæ partes, in quibus diuersorum personæ versantur.* Personæ autem diuerbiorum aut duæ, aut tres, raro autem quatuor esse debent. In canticis autem vna tantum esse debet persona, aut si duæ fuerint, ita debent esse, vt ex occulto vna audiat, nec loquatur, sed secum, si opus fuerit, verba faciat. Vt autem in comœdia apud Latinos vox vna diuerbiis relicta sit, scribit Liuius lib. 7. loco eo, de quo supra disputauimus.

Partes tragœdiæ intellectas non esse.

CAPVT LXXX.

Ἐπεὶ δὲ πράττοντες ποιοῦνται τὴν μίμησιν, πρῶτον μὲν ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη μο-

τι μόριον τραγῳδίας ὁ τῆς ὄψεως κόσμος· εἶτα μελοποιία, καὶ λέξις. ἐν τούτοις γὰρ ποιοῦνται τὴν μίμησιν. &c In hæc Robortellus *Tres partes tragœdiæ essentiales probat per tres notas illas differentias, quæ in principio libri appositæ fuerunt & declaratæ, sunt autem hæ. οἷς, ὡς, ἅ. per primam differentiam, scilicet οἷς, quæ instrumentum significat. veluti quoddam. per secundam differentiam, scilicet ὡς, quæ modum significat, in qua versatur imitatio tragœdiæ. ex prima differentia duæ exsistunt partes, apparatus, melodia. ex tertia una pars tantum, fabula. ex secunda tres partes, dictio, mores, sententia.* Ex his apparet, Robortellum apparatum referre ad instrumenta imitandi, cum pertineat ad modum imitandi. est enim scenæ ipsius aspectus. Dictionem, mores & sententiam referre ad modum, cum nullum eorum ad modum attineat, sed dictio instrumentum spectet, mores, & sententia vna cum fabula, materiam. Nam tragici imitantur fabulam, mores, & sententiam, vt materiam, imitãtur autem dictione, & melopœia, vt instrumentis, melopœa vero harmoniam, & rhythmum comprehendit. Modus autem tertius est scena, in qua agentes inducunt, quem Aristoteles vocat ornatũ aspectus, Robortellus apparatum. Sic enim inquit Aristoteles: οἷς μὲν γὰρ μιμοῦνται δύο μέρη ἐστὶν, ὡς δὲ μιμοῦνται, ἕν, ἃ δὲ μιμοῦνται, τρία καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν, id est, quibus imitantur duo sunt, dictio, & melopœia. quomodo, vnum, aspectus ornatus: quæ tria, fabula, mores, & sententia. Quam autem apte hunc locum exposuerit Robortellus omnes iam intelligere possunt. Miror certe hominem tam in scribendo acutum, ac diligẽtem tertio quoque verbo sententiam auctoris, & præsertim Aristotelis non assequi. quod ne viderer inimicitiarũ caussa dicere, aut fingere, his paucis ex principio poetices locis consideratis, volui demonstrare. reliqua, vt si iterum decertandum sit, recentes in aciem venire possimus, in aliud tempus differemus.

IN PROOEMIVM ÆLIANI DE GRÆCO CONVERSI.

Quot errores decem in versibus Æliani vertendis doctissimus Robortellus commiserit.

NVnc quoniam multum ille sibi Græcis in literis tribuit, quã iniuste id faciat, decem primis consideratis Æliani, quem ille vertit, versibus demonstremus. Sic orditur Ælianus. τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησι τακτικὴν θεωρίαν ἀπὸ τῶν Ὁμήρου χρόνων τὴν ἀρχὴν λαβοῦσαν αὐτοκράτορ Καῖσαρ υἱὲ θεοῦ Ἀδριανὲ σέβαστε πολλοὶ τῶν πρὸ ἡμῶν συνέγραψαν οὐκ ἔχοντες ἣν ἡμεῖς ἐν τοῖς μαθήμασιν ἐπιστεύθημεν ἕξιν ἔχειν. Robortellus ita: *Scientia illa, quæ ad instruendam aciem spectat ab Homeri vsque temporibus originem duxit, o Cæsar diui Neruæ fili Adriane Auguste. Ac multi quidem eam ante nos literis mandarũt, mathematicam non callentes scientiam, in qua nos multum excellere*

crediti sumus. Hac periodo quatuor res esse existimo, quæ prudētis lectoris animum offendere possint. primum, quod omisit ea verba, τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησι, id est, quæ apud Græcos fuit. hac enim de scientia loqui se profitetur Ælianus, deinde quod pręteriit vocem αὐτοκράτωρ, quasi non necessariam, cum ait, o Cæsar, cum fuerit dicendum, Imperator Cæsar. Nam id fuit Cæsaribus prænomen, vt inquit Suetonius. tum quod de suo addidit, Neruæ. cum satis esset, vt est in Græco: Imperator Cæsar diui fili. quomodo etiam Augustus appellatus est, testibus nummis, & lapidibus antiquis postremo sententiā, quę pręclare apud Ælianum vna periodo continetur, ipse in duas periodos sine ratione cōtulit. quanto enim aptius Ælianus hoc modo? Scientiam Græcorum in instruendis aciebus, quæ iam inde ab Homeri temporibus initium duxit, Imp. Cæsar Diui fili Adriane Auguste veteres multi literis prodiderūt. Ἐμαυτὸν δὲ πείθων, ἐβουλήθην ταύτην συντάξαι τὴν πραγματείαν, ὅτι τοῖς ἡμετέροις οἱ μεθ' ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἀρχαιοτέρων προσέξουσι συγγράμμασι. Robortellus: *Quare egomet mihi in animum induxi optimū fore, si de militari hac disciplina librum conscriberem: magis enim ad hæc nostra, quam ad antiquorum scripta posteri animum applicabunt.* Non placet hoc loco, quod Robortellus contra Æliani sententiam hæc quasi cōclusionis loco pronūtiat. Ælianus enim ait: Ego vero. Robortellus: *Quare egomet.* quasi nihil intersit. deinde ne sententiam quidem Æliani germanam ipsum arbitror explicare, cum vertit. Quare egomet mihi &c. cum Æliani sensus hic sit: *Ego vero hæc de disciplina scribere volui, quod mihi persuaderem posteros meis scriptis potius, quam antiquorū animum adiuncturos. &* ἐμαυτὸν πείθων *vertit: in animum mihi induxi, cum Cicero soleat dicere: Inducere animum, non inducere sibi in animum.* Sed Ciceronianam illum contemnere dicendi rationem, defensores eius dicere soliti sunt. Addit etiam de suo, Militari, cum ex superiore periodo repetendum sit. Ἐπεὶ δὲ τῷ θεῷ πατρί σου Νερούᾳ συμβαλὼν παρὰ Φροντίνῳ τῶν ἐπισήμων ὑπατικῶν ἐν Φορμίαις ἡμέρας τινὰς διέτριψα δόξαν ἀπενηνεγμένῳ περὶ τὴν ἐν τοῖς πολέμοις ἐμπειρίαν, συμβαλών τ' αὐτὸν οὐκ ἐλάττονα σπουδὴν ἔχοντα εἰς τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησι τεθεωρημένην μάθησιν, ἤρξαμην οὐκέτι καταφρονεῖν τῆς τακτικῆς συγγραφῆς. Robortellus: *Quoniam vero cum diuo patre tuo congressus Formiis, aliquot dies commoratus fui apud Frontinum, qui vnus est inter consulares illustres viros, & magnam ex bellica artis peritia laudem tulit, & cū eo de hac collocutus animaduerti, nō minus studii illum ponere in ea militari disciplina, quæ a Græcis inuenta fuit, & tradita.* Cœpi itaque tunc non negligere opus, quod scribere in animo habebā de ratione instruendi copias. Hic vertit. ἐπεὶ δὲ. Quoniam autem, cum vertendum esset, Postquā vero, sentētia doceat, quæ est hæc: *Equidem ignarus Romanæ disciplinæ ab hac scriptione refugiebā, sed postquam animaduerti Frontinum magnam in hac re operam collocare,*

tibi hoc studium non contemnere. Facit etiam non satis cõsequentem orationem Robortellus, cum ait: *Quoniam vero cum diuo patre cõgressu cõmmoratus fui, & cum eo collocutus animaduerti. Cœptaque:* cum vna periodo omnia deuinciri debeant ita: *At vero postquam cum Frontino collocutus animaduerti non minus ab eo studii in Græcorum disciplina poni, ne meum quidem ipse studium despicere cœpi.* Robortellus autem dissolutum quoddam genus orationis amat, quod nescio an omnibus probetur. Neque vero quenquam etiam probaturũ esse arbitror, verba illa παρὰ Φροντίνῳ τῶν ἐπισήμων ὑπατικῶν verti, apud Frontinũ, qui vnus est inter cõsulares illustres viros, non enim expressa est antiqua Romanorum formula, qua vtebantur & rep. vigente & perdita. Consularis vir clarissimus, dixit enim Cicero in epistola ad Seruium. Consularem clarum virum, & in orat. post reditum ad Quirites. Consulares clarissimos: extat etiam nota huius formulæ, V.C. qua vir clarissimus significabatur, vnde in libro Iucundi Veronẽsis est antiquum epigramma tale: CROTTIO EVSEBIO V. C. CONSVLARI. Cur ergo non potius, apud Frontinum virum clarissimum consularem, quam, qui vnus est inter consulares illustres viros? Sed Robortellum existimo, tum cum hæc scripsit, non tam fuisse in Romana antiquitate versatum, quam nunc est. Omittit etiam Neruæ, credo, quod supra sine caussa, reposuerat, & hoc præceptum artis eius sit, q̃ seu emendandi, ita vertendi ait conscripsisse. οὐκ ἂν σπουδάσαι παρὰ Φροντίνῳ δοκῶν, αὐτὴν εἴπερ τι χεῖρον ἐδόκει τῆς ῥωμαϊκῆς διατάξεως περιέχειν αὐτήν. Robortellus. *Putans in ea cognoscenda Frontinum tantum studii non fuisse positurum, si deterior hæc, quam Romana fuisset.* Cur non vt Ælianus? si deteriorem hanc ille, quam Romanam existimasset? Atque hæc hactenus. Satis enim intelligi puto, si his primis verbis neque auctoris sententias, neq; antiquitatis formulas, neque loquendi rationem Latinis vsitatam expressam ab eo esse existimo, quid de reliquo totius libri corpore sim iudicaturus; in quibus adeo ipse cœcutit, vt quodam etiam in loco exametrum septem pedum, optimus tamen grammaticus, ac poeta, hunc scripserit. Edentes in compositam vocem confusaque verba, quod ego in puero illo suo vitiosissimũ, ac summopere castigandum esse censerem. Quæ omnia ne hoc tempore persequar, diuturnus labor, & iam defessa scribendo manus, impedimento sunt.

Hæc pauca habui Francisce Robortelle, quæ tibi lacessenti, ac me sępius ad hoc certamen prouocanti subito responderem; multa plura, cum maius erit otium, allaturus. Fecisti mihi gratum, quod industriam meam præclaris his tuis commentatiunculis acuisti, meque tuis tollendis erroribus, ad aliorum etiam fortasse multorum mentes conformandas excitasti, gratius autem facies, si breui commentarium tuum illum castigationum Liuianarum,

quæ polliceris, edideris, modo ne, quæ ante a me non scripta, aut non cogitata, aut operarum culpa contracta sint, quæ multa esse [illegible] mihi in maledictis obiicias. Quod si ab his rebus, quas egi [illegible] his meis complexus sum, discesseris, tacitus te, vt hominem iniustissime me [illegible] [illegible], ac [illegible] [illegible], leuissimumque dimittam me [illegible] generis mei nomen, vt sileam, patriæ vero, vt prope mutus sim, admonent. At si me iusto certamine prouocaris, non modo non mutum, sed etiam, si ita res tulerit, disertissimum senties.

Emendationes quædam Asconii, de quibus supra disputatum est, iterum confutata.

HOc loco visum est ascribere lectionem quorūdam locorum Asconii, de quibus supra disputatum est, quam ex libro Francisci Othomani descriptā ad me Achilles Statius vir, vt supra dixi, eruditus proxime Patauio misit, quem librum Othomanus se ex vetustissimi exemplaris auctoritate emēdasse profitetur. Hoc autem feci, vt omnes videant, vter nostrum propius, cum vterque coniectura Asconii sensum exquireret, ad veritatem accesserit.

Locus ille in diuinationem: *Varro consobrinus frater huic censi reus ex Asia*; vbi ego nescio, quid suspicatus sum de Varrone consobrino Ciceronis ex secundo de oratore, & Bruto, Robortellus inepte de Varrone cōsobrino Hortensii, ita habet: *Terētius Varro frater C. Varronis consobrini M. Tullii reus.*

Alter ille in 2 in Verrem: *Vnde quia maior summa est pecuniæ publicæ, quam priuata, vt pro censu priuato, ærarium dicitur pro loculis, & arca thesauri pro sacello fiscus*, ita habet: *Vnde quia maior summa est pecunia publica, quam priuata, vt pro censu priuato loculos, & arcā, & sacellos dicimus, sic pro publico thesauro ærarii dicitur fiscus.* Ex quo intelligi pōt, falsum illud esse, in quo se ille tātopere effert legendum esse, non *vt pro censu priuato*, sed vt *Populi R. censu priuato*, quod etiam supra improbaui, quanquam tot verba deesse diuinare non potui.

Tertius in Cornelianam: *Prouidendum, vt haberent legati, vnde præsentia darent*, ita legitur: *Prouidendum, vt haberent legati, vnde in præsentia pecuniam creditoribus darent.* Ex quo apparet merito me hoc dicendi genus vituperasse, Præsentia dare, pro præsentem pecuniam dare, quod Robortellus intulerat, atque laudarat.

Quartus in eandem: *Cornelius ea re offensus senatus, questus est de ea ne exhauriri prouincias vsuris, satis demonstrat, me recte vidisse, non oportere has voces.* De ea, negligere, quoniam in hoc libro legitur: Questus est de ea re in concione, non vt Robortelius, questus est in concione.

Quid dicam de quinto? qui est in orationem in competitores, nonne planissime sententiam Asconii, quam dixi, ostendit, Robortellianamque interpretationem refellit? Sic enim legitur: *Pro-*

terea

veritam mouet me: quod cum sint commentarii Ciceronis suarum etiam defensionum. Commentarium tamen huius defensionis, aut principium nullum inueniam. Itaque puto nō defendisse, sed tantum de defendendo cogitasse, quod per hæc ipsa negari non potest. Hic autem iudicio absolutus est Catilina infamia iudicum, vt & Clodius infamis fuerit. quippe qui præuaricatus est. Nam & reiectio iudicum ad arbitrium rei videbatur esse facta. Hęc enim verba significant Catilinam a Cicerone non, vt ego dixi, defensum, cum tamen Robortellus ex his colligi defensum esse scripserit, in quo gloriose se venditat.

ANTONII BENDINELLII LVCENSIS

Locorum historicorum Annotatio.

Plutarchi lapsus notatus.

LOCVS I.

PLutarchus in vita L. Æmylii Pauli, vbi de filiis eius loqtur, sic scriptum reliquit, τὸν μὲν πρεσβύτερον ἀπὸ Μαξίμου Φαβίου τοῦ πεντάκις ὑπατεύσαντος. τὸν δὲ νεώτερον ἀφελκάρου Σκιπίωνος ὑὸς ἀνεψιὸν ὄντα ἑαυτῷ Σκιπίωνα προσηγόρευσεν. id est, *maior quidem sit eius a Fabio maximo quinquies Cos. minor autem a Scipionis Africani filio, cui sanguine coniunctus erat, adoptatus, Scipio est appellatus.* Hic nescio qua ratione fieri possit, vt maior Æmylii filius a Q Fabio maximo cunctatore potuerit adoptari. Nam Plutarchus ipse in Fabii vita scribit, Fabium e vita demigrasse ante, quam Africanus maior in Africa cum Annibale prælio decertauisset; quod fuit anno V.C. 552. vel vt Plinio placet 553. vi bis anno vsq; 586. quo anno Æmilius iterum Cos. fuit, & filius eius erat admodum adolescens, vt ait Liuius lib. 45. & Plutarch. in vita Pauli, reperies 34. annos, cum adolescentia non proueatur vltra trigesimū annū, auctore Varrone. Ni magis placet ętatis seq. diuisionem Seruii Iulii Regis, qua a decimo septimo anno vsque ad quadragesimum sextum proachi potest. Quare dicendum est, a Q Fabii Cunctatoris filio, illo, qui apud Liuium in Patris locum inauguratus fuit, adoptatum fuisse.

LOCVS II.

SAtis negligenter, ne dicā impudenter, in eodē Plutarchi loco labitur Leonardus Aretinus, qui eam vitam e Græco in Latinum conuertit. Vbi enim Plutarchus dicit, *Minorem Æmilii filium a Scipionis Africani minoris, filio adoptatum, ipse reddidit*, ab Africano Maiore adoptatus Scipio est appellatus. In eodem versatur errore Cornel. Nepos vel Plinius, vel

quicunque ille fuit, in libello de viris illustribus inscripto. Sed sexcenta ego probatissimorum scriptorum possem adferre exempla, quibus comprobarem, non ab Africano maiore, sed ab eius filio valetudinario adoptatum fuisse: sed verba Plutarchi satis sint, qui a filio Africani adoptatum fuisse dicit. Non sine suspicione etiam ignorantiæ prætermisit Leonardus Græcum verbum ἀνεψιὸν, quod fortasse ignorabat, Scipionē Africanum maiorem vxorem duxisse sororem L. Æmilii Pauli huius nostri Africani minoris patris: idcirco Plutarch. dixit ἀνεψιὸν, id est, consobrinum, nos vero sanguine coniunctum vertimus.

LOCVS III.

NEc ab eadem impudentia discessit Alexander Braccus Florētinus, qui Appianum Alexādrinum e Latina in vernaculam linguam vertit. Nam in primo lib. bellorum Ciuilium, vbi agitur de morte Africani Minoris, illa duo inseruit verba (siue Corlorella) Latini codicis hæc sunt verba, siue Corneliæ Gracchi lex dissolueretur, ipse optimus vertendi magister sic inquit. *Di questa sua improuisa morte furon fatti motti commente alcuni Indicτacone morisse per insidie di Cornelia sua sorella matre de due Grachi.*

Cum Cornelia fuerit Africani Maioris filia; soror vero eius, qui hunc minorem adoptauit.

LOCVS IV.

LIuius lib. 45. de triumpho & duobus filiis L. Æmilii Pauli loquens hæc narrat. *Nā duobus e filiis, quos duobus datis in adoptionem, solos nominis sacrorum familiaque heredes retinuerat domi, minor ferme XII. annos natus quinque diebus ante triumphū, maior quatuordecim annorum triduum post triumphum decessit.* Diuersa nonnihil scribit ab his Plutarchus in vita Æmilii: alterum scribit quāquā duobus ante triumphum annos quatuordecim natum, alterum vero triduo post triumphum, cum esset annorum duodecim e vita discessisse. Nos Lucium secuti sumus. Plutarchus enim (vt ipse fatetur) sero literas latinas attigit, vt nil mirum sit aliquādo a vero aberrare: sed hic quoque interpretis Leonardi maior Græcarum literarum cognitio desiderari posset, quod non animaduertit Xystus Lentuleius Augustanus, neque Martialis Bogerius in suis commentariis in lib. de amicitia. Nam ea Plutarchi verba *ὧν ὁ μὲν ἡμέρας πέντε πρὸ τοῦ θριαμβεύειν τὸν Αἰμύλιον ἐτελεύτησε τεσσαρεσκαιδεκαέτης.* sic vertit: Horum alter quinque diebus ante triumphum mortuus est, sedecim annorum ætate cum τεσσαρεσκαιδεκαέτης decimum quartum annum significet.

LOCVS V.

VAlerius Maximus lib. 2. c. 5. de Africano minore hæc loquitur: *Nec filii quidem tui* (de Paulo enim antea locutus fuerat) *Scipionis Æmiliani, quem in adoptionem dando duarum familiarum ornamentum esse voluisti, maiestati parum honoris tributum est.* Cum

enim

enim adolescentem admodum petendi auxilii gratia, &c. Non videtur satis recte perpendisse Valerius, qua ætate tum erat Scipio, cũ in Africam missus fuit. quatuor enim & triginta habuisse annos ex Galeriani Chronologia confirmari potest. L. enim Æmilius Paulus iterum Cos. fuit (vt diximus) anno C. V. 586. Lucullus autem 603. Si igitur recte numeres a Consulatu Æmylii ad Consulatum Luculli, erunt anni 27. adde alios 17. quos habebat tum Scipio, vt Liuius ait l. 44. quando pater eius fuit iterum Consul, & efficies 34. annos.

At probatissimi auctores dicere solent *admodum adolescentem*, de eo, qui quamuis ex pueris excesserit, duobus tamẽ, & viginti annis natu maior sit, cuius quidem rei fidem facit Cicero in Bruto loquẽs de L. Crasso: *Accusauit*, inq̃t, *Carbonẽ eloquẽtissimũ hominẽ admodũ adolescens.*) Idẽ in 3. de Orat. Crass. de se ipsum loquẽtẽ faciens ostendit qua ætate tũ esset: *Quippe*, q̃ inquit, *omnium maturrime ad publicas caussas accesserim, annosque natus vnum & viginti nobilissimum hominẽ & eloquẽtissimum in iudicium vocarim.* Contra Cornelium Tacitum qui in dialogo de oratoribus Crassum nonodecimo ætatis anno Carbonem accusasse scribit. Natus autem est (vt planiorem rem faciam) Crassus, vt legitur in Bruto Ciceronis C. Lælio & Q. Seruilio Cæpione Coss. anno V. C. 614, Accusauit Carbonem anno 636.

LOCVS VI.

FLorus Epit. 48. dicit, *Scipionem Tribunum militum Barbarum interfecisse in Hispania ex prouocatione. Legatum*, fortasse melius. Nam in Africa postea, vt Appianus in Libyco, & Cicero in somnio affirmant, Tribunus fuit. quod etiam confirmat Cornelius Nepos. Huc accedit, quod ex Hispania in Africam a Lucullo ad Masinissam missus fuit. Quod munus legatorum est proprium.

LOCVS VII.

PLinius lib. 22. Cap. 6. Æmilianum inquit, *Scipionem, Varro auctor est, donatum obsidionali in Africa Manilo Coss. tribus cohortibus seruatis, totidemque adseruandas eductis.* Florus Epit. 49. duas dicit, Appianus in Lybico quatuor, Cornelius Nepos octo. Cui igitur ex his magis credendum?

LOCVS VIII.

NOn possum comprobare ea, quæ apud Florum leguntur epit. 50. *Scipionem legibus solutum, & consulem creatum, cum per decem annos consulem fieri minime liceret.* Legendum puto, *per quinque annos.* Neque A. Gellio assentior, qui in suarum Noctium Atticarum lib. 3 cap. 4. scriptum reliquit, *Africanum post priorem consulatum & gestam censuram fuisse minorem annorum XL.* trigesimum enim & octauum agebat annum Scipio, vt sedulus lector ex iis, quæ adhuc de eius ætate diximus, colligere potest. Et Paterculus volumine priore mendo non vacat, dicit enim eum *triginta*

sex annos natum Consulem factum: legendum *triginta octo*. Sed nil mirum, cum hi auctores sint corruptissimi, præsertim in numeris.

LOCVS IX.

VAlerius Maximus libr. 5. cap. 1. Ea minori *Africano adscribit, quæ & dicta, & facta a Maiore fuerût. Huic facto par eiusdem viri humanitas a Quæstore suo hasta subiectos captiuos vendente percximia forma, & liberalis habitus missus est: de quo cum explorasset Numidam esse, orbum relictum a patre, eductum apud auunculum Masinissam, eo ignorante immaturam aduersus Romanos ingressum militiam: & errori illius veniam dandam & amicitiæ Regis pdissimi Populi Rom. debitam venerationē tribuendam existimauit. itaque puerum annulo, fibulaque aurea, & Tunica laticlauia, Hispanoque sagulo, & ornato equo donatum, datis qui eum prosequerentur equitibus ad Masinissam admisit*, hæc de Africano Minore loquitur, vt ex iis, quæ superius dicit, patet, sed a Scipione Maiore facta, ac dicta facile cognoscet, qui librum 27. Liuii leget, vbi eadem fere inueniet verba. Eadem & Plutarchus in vita Scipionis refert. Errat præterea Valerius, vbi dicit, *& amicitiæ Regis fidissimi P. R. debitā venerationē dandam*, si auxilio Carthaginiensis venerat, quomodo amicus & fidissimus Pop. Roman. erat. Ipse hac Scipionis humanitate, vt Liuius lib. 28 narrat, permotus ad Romanos transiit, quibus ex eo tempore adeo fidus amicus, & vtilis fuit, vt huic victum Annibalē, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam adscribi possit.

LOCVS X.

NEc Iacobus Strebæus in suis commentariis in tres libros Ciceronis de oratore adeo diligens fuit, quin in hoc ipso Scipione laberetur, ea & ipse Maiori attribuens, quæ Minori sunt. Verba Ciceronis hæc sunt *Et certe non tulit vlos hæc Ciuitas, aut gloria clariores, aut auctoritate grauiores aut humanitate politiores*, P. Africano. C. Lælio. L. Furio. Hic Cicero, de Africano Maiore, Minore & de Caio Lælio amico suo loquitur, vt vel mediocriter in historia exercitato patere potest. Hæc refert *Strebæus, Africanus, & C. Lælius amicissimi viri res præclaras gesserunt in Africa aduersus Carthaginenses, Hannibalem, Syphacem Numidarum Regem: quem C. Lælius cepit captumque Pœnos, vt Annibal in auxilium pueriam salutē præcipuetur*. Hæc ab Africano maiore, & a C. Lælio Lælii superiore facta non negabit, qui 28. & 29. Liuii librum legel perlegeret.

LOCVS XI.

NEc Blondus in 5. suæ triumphantis Romæ Historiam satis consuluisse videtur. nam & ipse omnia confundit his verbis. *Nam officio legationis fratris sui functus in Asiam post Carthaginem, & Numantiam deuictas, post duos insignes triumphos, septem tantummodo seruis sequentibus ad dictam legationem accessit.* Africanus maior legatus fuit L. Scipionis eius fratris, vt Florus Epit. 37. & Cicero pro Muræna & in Philippica affirmat. Cetera de Africano Minore dicta sunt ex Valerio Maximo; quem suo loco confutabimus.

LOCVS XII.

NEgligentiæ etiam accusari potest Xistus Betuleius, qui in suis cōmentariis in tertium lib. de officiis, ea verba. *nūquā minus solus*, quam cum solus. de Africano Minore dicta putat. Adscribam Ciceronis verba, *P. Scipionem Marce fili, eum qui primus Africanus appellatus est dicere solitum scripsit Cato, qui fuit fere eius æqualis: nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus: nūquam minus solum, quam cum solus*, hæc Cicero. Audiamus quid afferat Betuleius. *Ceterum hoc idem Scipionis elogium exstat apud Velleium Paterculum volumine priori, ubi eum* cum Mummio confert his verbis *Quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & auctor, & admirator fuit: ut Polybium Panætiumque præcellentes ingenio viros domi, militiaque secum haberent, neque enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli, aut pacis seruiit artibus:* quod vel cæcis pateret, esse dicta de Scipione Minore, & illa Ciceronis verba, qui primus Africanus appellatus est, satis declarant de Maiore loqui. Bis etiam in commentario in lib. de amicitia falsa affert, nam primum ea Lælii verba (bonitate in suos) sic interpretatur. *Amicos forte intelligas, si necessitudinis gradus vel a Cicerone in officiis, vel a Gellio in Noctibus positos sequeris, cuius rei præter cetera, memorabile exemplum esse potest L. Cotta, quem utroque consulatu, & censura functus defendit.* Attendite quæso vtrum defenderit, an accusauerit. Cicero in diuinatione in Verrem *Aut cum P. Africanus homo virtute, gloria, rebus gestis amplissimus postea quam bis consul & censor fuerat, L. Cottam in iudicium vocarit.* Idem pro Muræna, *Bis consul fuerat P. Africanus*, cum duos terrores huius imperii Carthaginem Numantiamque deleuerat, cum accusauit L. Cottam. Et in Bruto. *Q. Metellus is, cuius quatuor filii consulares fuerunt, in primis est habitus eloquens qui pro L. Cotta dixit accusante Africano*, num defendit? Deinde, ea (iustitia in omnes) sic explicat. Hanc fortasse

non inepte retuleris, restitutum Masinissæ auunculum, quod si cum Valerio humanitate adscriberi velis, nō me Philodicon secuties. supra hunc Valerii locum confirmauimus.

LOCVS XIII.

IOannes Viues in vigilia sua in somnium Scipionis non satis vigilasse suis verbis ostenditur *M. Manilio, & L. Marcio Coss. Ego ex Hispania in Africā veni missus a Lucullo, sub quo merebam Tribunus militum ad quartam legionem, nihilq; in mandatis habebam potius aut prius, quā vt a Masinissa ad Hispaniense bellum Elephantos aliquot nomine Imperatoris mei postularem.* Non vidit vir ille acerrimo ceteris in rebus ingenio duobus annis ante consulem Lucullum fuisse: atq; iter Scipionem ad Masinissam in Africam iuisse: semel cum ex Hispania a Lucullo est missus: Iterum officii caussa M. Manilio, & L. Martio Censorino Coss. tertio ab ipso Masinissa per literas accitus.

LOCVS XIV.

VAlerii verba de Scipione nostro libr. 4. cap. 2. hæc sunt. *Nam posterior Africanus euerso Punico Imperio exterarum gentium transfugas in edendis populo spectaculis feris bestiis obiecit.* Appianus in Libyco in prouincia post deletam Carthaginem ludos edidisse scribit. Idem Florus Epit. 51. non nihil somniantes ab Appiano & Floro non discessimus.

LOCVS XV.

CIcero in Lucullo sic inquit. *Ego autem cum Græcis literis M. Catonem in senectute didicisse acceperim P. aūt Africanū historia loquuntur in Legatione illa nobili, quam ante cēsuram obiit, &c.* Hic Cicero legationem ante censuram obiisse Scipionem dicit. Post censuram in somnio. *Cum autem*, inquit, *Carthaginem deleueris, triumphum egeris, Censorque fueris, & obieris legatus Ægyptū, Syriā, Asiā, Græciam, delegere iterū cōsul absens.* Diximus supra etiā aliquādo bonos auctores ipso Cicerone auctore, dormitare, dormitauit igitur Cicero in Lucul. Nam Plutarchus in Apophthegmatibus eundem temporum sequitur ordinem: & Iustinus lib. 38. quem Cicero in somnio.

LOCVS XVI.

EX superioribus etiam planum factum arbitror, Valerium Maximum longe a vero aberrare, cum lib. 4. cap. 3 dicit *Scipionem Æmilianum post duos inclytos consulatus totidemque suæ præcipuæ gloriæ triumphos septem seruis sequentibus officio legationis functum fuisse.*

LOCVS XVII.

LEgitur in superiori Valerii loco *septem seruis sequentibus*, Valerium secutus est Blondus lib. 5. suę triūphantis Romę. Cornelius Nepos *duos secum duxisse seruos* scribit. Plutarchus vero in Apoph-

Apophthegmatibus, & Athenæus in lib. 6. *quinque*; quibus nos magis credimus.

LOCVS XVIII.

Cicero in somno, *delegere, inquit, iterũ Cos. absens. Florus autem Epit 56. Cum vitio ducum bellum Numantinum non sine publico pudore duraret, delatus est vltro Scipioni Africano a senatu populoque Romano consulatus, quem cum ille capere ob legem, Qua vetabat quemquam intra decem annos iterum consulem fieri, minime vellet, sicut priori consulatu, legibus solutus est. Valerius lib. 8. ca. 16. tradux, inquit, subinde nobis ornamenta sua Scipiones commemoranda. Æmilianum enim populus ex candidato ædilitatis consulem fecit, eundemque, cum Quæstoriis comitiis suffragator Q. Fabii Maximi fratris filii in campum descendisset, consulem iterum reduxit*: si igitur, vt Florus ait, minime vellet, & descendit in campum, vt Valerius, & reductus fuit; quomodo, vt Ciceroni placet, absens delectus fuit?

LOCVS XIX.

Florus Epit. supra commemorata: *Scipionem inquit capere consulatum non potuisse ob legem, qua vetabat quenquam intra decem annos consulem fieri licere. & ideirco legibus solutum*, aut Florus non recte Epit. confecit. nam octo & triginta natum annos in vita diximus Scipionem consulem factum. Iterum tresdecim annis post, cum haberet vnum & quinquaginta annos, aut locus corruptus est, aut sic Florus intelligendus est; intra decem annos post quadragesimum tertium lege consulem fieri prohibebatur, id est, ante quinquagesimum quartum ætatis suæ.

LOCVS XX.

Cicero in Oratione pro Rege Deiotaro. *Qualis Rex Attalus in P. Africanũ fuit, cum magnificẽtissima dona, vt scriptum legimus, vsque ad Numantiam misit*. Apud Florum Epit. 57. non *Attalus*, sed *Antiochus* legitur: & profecto facile potuit eo in loco Attalus pro Antiocho reponi. Præterea Attalus e vita decessit dum Scipio Numantiam obsidebat, & fortasse initio cõsulatus eius si non ante, vt per Plutarchum probari potest in vita Gracchorum.

LOCVS XXI.

Apud Val. Maximum sic scriptum legitur lib. 6 cap. 2. *Cn. Carbo Tribunus plebis nuper sepultæ Gracchanæ seditionis turbulentissimus vindex, idemque orientium ciuilium bellorum fax ardentissima, P. Africanum a Numantiæ ruinis summo cum gloriæ fulgore venientem ab ipsa pene porta in rostra productum, quid de Trib. Gracchi morte sentiret interrogauit*. Aliter paulo Cicero in oratione pro Milone. *Nisi vero existimatis dementem Africanum fuisse, qui cum a C. Carbone in concione seditiose interrogaretur*, quid de Tib. morte sentiret &c. a Cicerone non dissentit Florus Epit. 59. Cum Carbo Trib. plebis, rogationem tulisset eiusd trib. pleb. quo-

ties quidem vellet, creari liceret: rogationem eius P. Afr. grauissima oratione dissuasit, in qua dixit, *Tiberium Gracchum iure cæsum videri.* Valerium secutus est Paulus Manutius in suis commentariis in Epistolas Ciceronis ad Atticum: nos vero Ciceronem & Florum.

LOCVS XXII.

PLutarchus in Apophthegmatibus, *Scipionem,* inquit, *minorem ferunt annis quatuor & quadraginta, quibus vixit,* &c. Hoc videtur falsum. Nam Cicero de natura Deorum, & Velleius Paterculus Volumine posteriore scriptum reliquerunt, *mortuum esse Marco Aquilio & Caio Sempronio Tuditano* Consulibus, Anno V. C. 625. & Liuius in loco iam toties commemorato, decem & septem annos habuisse dicit, cum in Macædoniam cum patre iuit, Anno V. C. 586. Quare si recte supputabis inuenies annos sex & quinquaginta. Idipsum subsignificabat Cicero in somnio illis verbis, *nam cũ ætas tua septenos octies solis anfractus, reditusque conuerterit, duo hi numeri cursu naturali, fatalem confecerint, id est, cum ad quinquagesimum sextum perueneris annum, ac pene quinquagesimum octauum attigeris.*

LOCVS XXIII.

IN libro Ciceronis de Amicitia legitur, *quibus blanditiis C. Papirius Consul nuper influebat in aures concionis* Hic autem hic est apponendus magistratus, vt multa exemplaria habent: aut Tribunus P. est apponendus. Nam cum Carbo legem ferebat, de Tribunis Plebis erat, vt testatur Florus Epit. 59. & Appianus 7. *bellorum ciuilium.*

LOCVS XXIV.

CIceronis Epistolarum ad Atticũ omnia exemplaria, quæ adhuc videre contigit *in libro 16. Epistolarum*, o calumniam ..., sic habent: *in præsentia mihi velim scribas, quibus Consulibus Lucius Vannius. M. L Tribunus* Plebis fuerit, videor mihi audisse Publio Africano & L. Mummio, quibus Censoribus non Consulibus legendum est. Pub. enim Africanus Lucii Mummii Collega in censura fuit. Cicero libr. 2. de officiis, Imitatus ... patrem Africanus nihilo locupletior Carthagine euersa. Qui ... qui eius Collega in Censura fuit L. Mummius. Idem Valerius & Plutarchus in Apophthegmatibus.

LOCVS XXV.

APpianus in Libyco, *creditum est, inquit, Hasdrubalem, quemadmodum uxor ei consuluerat, oppetiisse mortem.* Florus vero lib. 2. *ante currum Scipionis ductum fuisse scribit, his verbis tres igitur Romæ celeberrimi simul Triumphi, ... Africanus ex Africa, ante cuius currum ductus est Hasdrubal.* Huic subscribere videtur Orosius

lib.

Digitized by Google

[illegible] 12. sic loquens, *Pub. Cornelius Africanus* Scipio. *Æmil. de Carthagine Hasdrubale triumphauit.*

LOCVS XXVI

Reliquum est, vt & sententiam eorum refellamus, qui adducti illis Lælii Ciceronianis verbis (*sed nescio, quemadmodum Andria familiaris meus Terentius dixit*) dixerunt, Terentium Ciceroni familiarem fuisse: & ostendamus, an potuerit Terentius in scribendis fabellis à Lælio & Scipione adiuuari. Prior sententia etiam ipsis Lælii verbis satis confutatur, qui de se ipso loquitur, tamen vt cumulate tibi satisfaciam, non grauabor rem planiorem facere. Terentius igitur, si Donato credimus, natus est Cn. Cornelio Lentulo, & Publio Ælio Peto Coss. anno vrbis conditæ 553. mortuus est, vt idem confirmat, Cn. Cornelio Dolabella & Marco Fuluio nobiliore consulibus anno V. C. 595. Cicero autem natus est C. Attilio Serano, & Q. Seruilio Cæpione, vt Gellius scribit li. 15. c. 20. anno vrbis conditæ. 648 id est, annis 53. post mortem Terentii. Si igitur hæc vera sunt, non satis videtur probabile, Terentium Lælii & Scipionis opera vti consueuisse in scribendo, cum vterque maior natu esset; nam Scipio natus est, vt in vita diximus Ap. Claudio Pulcro, & M. Sempronio Tuditano Coss. anno V. C. 569. quo tempore Terentius sexdecim habebat annos, anno vero 35. ætatis suæ edidit Andriam anno V. C. 588. cum Scipio esset annorum 29. Lælius autem Scipionem paululum ætate antecibat, vt ex illis verbis in libro de amicitia colligitur: vt prius introieram in vitam, sic prius exibo de vita. Et si hæc ita se habent, multo minus potuit iis corporis gratia conciliari: quid si Africano maiori? Nam cum Africanus maior mortuus est, Terentius habebat sexdecim annos. Africanus enim maior e vita discessit eo anno, quo natus est minor. Sed cuique suum iudicium liberum sit, Nicolae consultorum disertissime, mihi certe satis neutra omnino facit opinio.

BERNARDINI REALINI CARPENSIS IN VARIA SCRIPTORVM LOCA ANNOTATIONES.

Elucidatus Tibulli locus, additis aliquot ex Græcis non triuialia.

CAPVT I.

Scribit doctissimus Isaacius in illud tenebrosi Lycophronis in Cassandra.

Δαφνηφάγων Φοίβαζεν ἐκλαίμων ὄπα, *coniecisse vates lauri folia comedentes vaticinari*, tanquam huiusce arboris & aspectu, & odoratu delectatus Apollo, ipsis vaticinii artem non neget. eius verba, ne quis desideret, apposui. Λέγουσι δὲ, inquit, ὅτι οἱ μάντεις δάφνας ἐσθίοντες ἐμαντεύοντο, ἵνα καὶ τῇ ὄψει καὶ τῇ ὀσφρήσει χαιρόμενος ὁ θεὸς ἀνταποδῶσιν αὐτοῖς τὰς θεοπροπείας χαίρων. ἅτινα ἡ ἱστορία ὑμῖν ἐκλαλεῖ. narrant autem amores Phœbi in Daphnem, & addit ὅθεν λέγουσιν, ὅτι καὶ οἱ μάντεις διὰ εὐφροσύνην Ἀπόλλωνος δάφνας ἤσθιον. καὶ ταῦτα μὲν ἐστὶ ληρώδη, καὶ μυθικά. τὸ τι ἀληθὲς οὐ οὕτως ἐστὶν οἱ χρησμολόγοι, καὶ μάντεις στεφάνους δάφνης φοροῦνται, ὡς ἀειθαλοῦς ὄντος τοῦ φυτοῦ, καὶ ἀλεξικάκου, καὶ οὕτω τοῖς χρήζουσι τοὺς χρησμοὺς λέγοντες, καὶ λαμβάνοντες τι ἐξ αὐτῶν, καὶ οὕτω διατρεφόμενοι εἰς μῦθον ἐτίθησαν ὅτι δαφνηφάγοι εἰσὶν. ἤτοι ἐκ τοῦ στεφανοῦσθαι δάφνῃ καὶ λέγειν χρησμοὺς ἔχουσι τὰς τροφάς. id est. *Ex quo vates fabulantur propter delectationem Apollinis laureas comedere. Sed hæc quidem nugæ sunt, & fabula. at illud verum: quod vaticinantes laureis ramis coronari solebant, quoniam semper sit virtuis planta & mala auertat, atq; hæc oracula petentibus, persuadentes, aliquid ex ipsis lucrabantur: unde illius aucti, fabulati sunt, lauros comedere, vel quod lauro coronarentur, vel vaticinia dicerent iis, qui alimenta ipsis præberent.* Ex iis elucidatur Tibulli illud ex lib. 2 eleg. 6. loquente Sybilla.

> *Vsque adeo sacras innoxia laurus*
> *Vescar.*

Id est, calleam vaticinandi scientia, quod quidem hactenus, qui declaret, inueni neminem, huc fortasse respexit Claudianus, dum in 2. de raptu Prosep. *Venturi præsciam laurum* vocat. Et in Paneg. *fatidicam*. quamquam Tibullus dicit lib. 2.

> *Vt succensa sacris crepitet bene laurea flammis,*
> *Omine quo felix, & sacer annus erit.*
> *Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni;*
> *Distendet spicis horrea plena Ceres.*

Nisi malis eum sequi quod scripserunt, Antiphon, Philocrus, Artemon, & Serapion, Ascalonites, Laurum si dormiētibus ad caput posueris vera somnia visuros, cuius rei meminit Fulgentius li. 1. vbi agit de Lauro.

Declaratus Tibulli locus, ostensaque fabula non vulgaris.

CAPVT II.

Eiusdem elegantis, & tersi poetę versus hi sunt lib. 2. eleg. 3

> *Pauit & Admeti tauros formosus Apollo,*
> *Nec cythara, intonsa profuerunt ue coma.*

In quibus excusat se poeta, se ruri habitare, quo & amica sua cōmigrauerat, non erubescit; excusat, inquam, exemplo Apollinis, qui amoris caussa indecorum sibi nō duxit, in Admeti gratiā, cuius amore tenebatur, in Thessalia boues pascere. qui senius ve pro genuino

Digitized by Google

genuino habeatur, eoque qui Tibullianum candorem redoleat, facit eiusdem sequens carmen:

Nec potuit curas sanare salubribus herbis,
Quicquid erat medica vicerat artis amor.

Et aliud infra:

Delphos ubi nunc Phœbe tua est, ubi Delphica Pytho?
Nempe amor in parua te iubet esse casa.

(Quem in locũ postquam incidimus, admonendi sunt lectores, ne per *Pytho* quod docuit Parrhasius in Claudianum, ibi cum interprete, & Græci Lexici auctore, *Serpentem illum* accipiant, de quo est fabula apud Ouid. in 1 Met. sed in *Phocide ciuitatem*, in qua colebatur Apollo, teste Orpheo in hymnis. Apol. in 1. eiusq. interprete, & Isacio) sed & libr. 3 eleg. 3. idem Poeta Apollinem amore Admeti ductum pastoris seruitium nõ recusasse cecinit fusius: nec negat Ouid. apud quem Oenones inquit.

Ipse repertor opis vaccas pauisse Pheræas
Fertur, & a nostro saucius igne fuit.

Et in 2. de arte:

Cynthius Admeti vaccas pauisse Pheræas
Fertur, & in parua delituisse casa.
Quod Phœbum decuit, quem non decet? exue fastus,
Curam mansuri quisquis amoris habes.

& in 2. Met. cæcuciente Raphaele:

Dumque amor est cura, dum te tua fistula mulcet.

Accedit Plutarchi grauissimi scriptoris auctoritas, qui ad hunc modum in Numa latine loquitur: *Phorbantem, Hyacinthum Admetum ab Apolline amatos fabulantur.* Et in 1 Inst. diuinar. Cap. X. *Quid Apollo pater eius*, inquit Firmianus, *nonne ob amorem, quo flagrauit, turpissime gregem pauit alienũ?* nec silentio inuoluenda sunt Senecæ carmina, hæsitante etiam ibi Marmita. Ea sub chori persona, cũ de amoris potẽti ageret imperio, hęc sunt in Hippolyto.

Thessali Phœbus pecoris magister
Egit armentum, positoque plectro
Impari tauros calamo vocauit. Ex quibus luce fit clarius, ob amorem huiusmodi vsum fuisse Apollinẽ ministerio, id quod etsi negent Orpheus, Euripides, Diodorus, Eusebius, Flaccus, Papinius, Seruius, Placidus, & alii; qui iccirco eum dicunt

Vaccas pauisse Pheraas Ingrato Steropem quod fuderit arcu. Nihil tamen prohibet Tibullum alios secutum auctores. (Callimachũ fortasse) alteram proposito suo conuenientem caussam assignasse. Illud absurdum non fuerit addere, quod ex Pindaro scribit Septimius contra gentes Cap. XIII. *Æsculapium scilicet auaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat fulmine iudicatum.* Nec dictam fabulam a Placide (vt putauit Philomusus) significari, cum ait in præfat. libr. 1. *Et sol fulgoris igne deposito malit anilibus exarari*

tangi quam radiis: Sed eam tangi, quæ ab Ouid. narratur in quarto Metam.

Apud Ouidium demonstrata abstrusior historia, & quod sint vtiles relaxationes.

CAPVT III.

HErodotus pater historiæ, vt est apud Ciceronem in 1. de legibus, quemque dulcem, & candidum, sed fusum vocat Fabius in 6. c. 1. pulcram narrat de Amaside Ægyptiorum Rege historiam, ea est in Euterpe circa finem, ad hunc modum.

Ab Aurora vsque dum referturum est forum, accurate negotia, quæ expediebant, agebat, deinde potabat, & inter compotores [illegible], ludionem agens, & scurram, quibus rebus offensi amici, talibus eum verbis castigabant, Rex, dicentes, non e dignitate tua [illegible] qui ad [illegible] tam te demittis nequitiam, nam deberes augusto in solio sedens augustè interdum res administrare, ita enim Ægyptii cognoscerent magnum sibi virum præsidere, & tu melius audires, nunc haud quaquam facis e Regia dignitate. His ille respondit, arcus eos, quorum cum est opus intendi, eos si semper intenti sint, rupturos, [illegible] indigeant, ita & hominis institutum, si assiduo labori se studio, nec vllam partem ad lusum sibi indulgere velit, fore vt [illegible] captus sit mente, aut membris: quod ego intelligens [illegible] impertio. Hactenus ille, quam historiam innuens non minus docte, quam eleganter Ouid. in Heroid. loquente Phædra sic cecinit.

Quod caret alterna requie durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaque membra leuat.
Arcus, & arma tua tibi sunt imitanda Diana,
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

Et certe vtiles esse remissiones, tradidit pluribus in locis Galenus, nec negat Quint. lib. 1. & Socratem legimus iudicatum Apollinis oraculo sapientissimum, relaxandi animi gratia, pedibus [illegible] interpositis, cum pueris lusisse, & saltasse quandoque, vt apud Xenophonem refertur in Symposio, eundemque solitum dicere, *otium omnium possessionum, esse optimam.* Siquidem otium appellabat non ignauiam, sed a tumultuosis negotiis, & a cupiditatibus animi tranquillitatem vitantibus quietem. Scribit enim Val. Max. lib. 8. c. 8. *alterum esse otium, quo virtus [illegible], alterum esse otium, quo recreatur* Quod secutus Papinius in 4. Sylu. dixit.

Maior post otia virtus. & Ausonius ad Paulinum.

Grato [illegible] nomine ducta est,
Iusta [illegible] vt otia Musis.

Hinc Lælium & Scipionem adeo repuerascere solitos, narrat [illegible] in vita Scipionis minoris, vt conchas & vmbilicos ad Caietam, & Laurentum legerent, & [illegible] animi remissionem, ludumque descenderent [illegible] Catonem etiam Vticensem quandoque ebrietati indulsisse, [illegible] in vita Plin. in 3. Epist. & Horat. Od. [illegible]

..lib.; nec non Socratem, scribunt Plato, & Xenophon in Sympolis.; nec Corn. Gallus in 1 Elegia.

Hoc quoque virtutum quondam certamine magnum
Socratem palmam promeruisse ferunt.
Hinc etiam rigidum memorant valuisse Catonem:
Non res in vitium, sed malefacta cadunt.

Et Lycurgum legitur signum Γέλωτι Deo, id est, Risui collocasse, sicut etiam Thessalos scribit Apul. in 2. Met. & rem diuinam facere, quod *vilissimam indicaret*, inquit Erat. *modestis facetiis animorum vigorem recreare.* reminisci enim oportet, docente Plutarc. in lib. de liberis educãdis. nostram omnem vitam in remissionem, ac studium esse diuisam: quo circa non vigiliam modo, sed etiam somnum esse repertum, non bellũ solum, sed & pacem, nõ hyemem, sed tranquillitatem, non operosos, sed festos etiam dies Seneca in prologo lib. 1. Declamat: *Omnib. prodest subinde animum relaxare, excitatur enim otio vigor, & omnis tristitia, quæ cõtinuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur.* Demonico etiam præcipit Isocrates, *vt firmet se exercitationibus corporis: quod* inquit, *assequeris si desinas laborare, tolerando adhuc labori sufficiens.* Vnde Agricola ad Langium.

Laxandus mens est, namque rumpi
Quæ nimium rigeant, videmus

Quapropter (vt cum Matu Mimiambis finiamus)

Lanitare conuenit vitam,
Curasque acerbas sensibus gubernare.

Inueniuis Locus, & alia scitu digna.

CAPVT IV.

EA fuisse licentia Catonem legimus, vt quemcunq; procacibus intemperantibusq; motibus vidisset, vel publice reprehẽderet & castigaret: adeo erat rigidus seruator honesti, vt ait in 2. Lucan ex quo rigidum eum vocat Boethius in 2. de Consol. & alii, & vt est apud Saluftium Catil. *Catoni seueritas dignitatem attulerat.* Hinc est illud Martialis in præfat. lib. 1 *Nõ intret Cato in theatrum nostrum* quasi res sit scripturus parum honestas, obscenasque, nec dignas grauitate, integritateq; Catonis. Idem in X. *Tunc me vel rigidi legant Catones.* & XI. precatur vt *triste supercilium, duriq; seuera Catonis frons e at foras.* Scita est illa Ciceronis suspiratio, cuius meminit Pl in prologo natur. hist *O te felicẽ M. Porci a quo rẽ improbã petere nemo audet.* Plutar. in Poli. de Catone, *mordebat*, inqt, *dictis sæpe:* quod repetit in Phocione, eundemq; *lingua ad vituperandum promtiore*, tradit Flor li 49. Vnde Seneca in prolog. li 1. Declamat: *Et quẽ tandẽ antistite sanctiorem inuenire sibi diuinitas potuit, quã Catonem, per quẽ humano generi non præciperet, sed conuitium faceret?* Et Cato ipse apud Plut in Lucullo ad eũ q. de modestia, & parsimonia orationem ageret, *Tacebis ne*, inquit, *hodie dives ... Crassus*

viuens vt Lucullus, loquens vt Cato, Huc itaque respiciens Iuuenalis *Laconiam fœminam* inducit vrbane, eum qui dixerat:

Vbi nunc Lex Iulia dormis; insectantem, Romanos admonere, vt *pudorem habeant*, seque a peccatis abstineant, tanquam *Cato tertium ex Cœlo descenderit*, adulteriorum, in quæ lata fuerat *Lex Iulia* (vt est in fine Inst. ciuil. in vnaccentiraus reprehensor, quiq. haud facile alterius libidini malefacta condonaret, *& eum vitiis bellum gereret*, vt ait Erasm. *Pudicrem* autem dixit, respiciens Catonis integritatem, quo sciente peccata esse pudori debebant. Apuleius laudans consulem illum in 2. Florid. *Nullo*, inquit, *nisi tuo anno, ad coercenda peccata plus pudor, quam timor valuit*. Iuuenalis verba hæc sunt ex Saty. 2.

——Felicia tempora quæ te
Moribus opponunt. habeat iam Roma pudorem.
Tertius e Cœlo cecidit Cato.

Quo in loco animaduersione dignum est etiam, eum *de Cœlo venire* dici, qui virtute, prudentia, & moribus sit præstantissimus, auctore Gellio lib. 15. c. 21. Præterea scriptũ reliquit Minutius Felix in eo libro, qui Octauius inscribitur, *quos repente adueneriunt, & inopinatos, de Cœlo cecidisse dicit*. quod refert etiam Tert. in Apolog. c. 10. quã in significatione accipiendum est illud Albii Poetæ, non animaduertẽte Veronensi, li. 1. eleg. 3.

Tunc veniam subito; nec quisquam nuntiet ante;
Sed videar cœlo missus adesse tibi.

Quasi dicat *inopinatus*, nec te, vnde veniam, intelligente.

Quæ essent Saturni leges elucidatusq; Ouidii locus.

CAPVT V.

INter Græcos Callimachi poetæ luculentissimi hymnos, exstat & hodie vnus, qui εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος, inscribitur. in eo legimus, *Saturni lege cautum, vt quicunq; mortalis immortalem inuito ipso suo aspexerit, pœnas ingentes mercede luat*. ipsius carmina reticere piaculum duxi.

Οὐ γὰρ ἀθαναίᾳ γλυκερὸν πέλει ὄμματα παίδων
Ἁρπάζειν. Κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νόμοι.
ὅς κε τιν' ἀθανάτων ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται
ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

Quæ quidem magnifice vertit Politianus in Miscell. cap. 79.

Nam pueris auferre oculos, haud dulce Mineruæ;
Verum Saturni legibus hoc cautum est.
Vt quicunque Deum aspiciat, nisi ingerat ipse
Mercede ingenti scilicet aspiciat.

Has leges innuens eleganter, & docte, vt solet Ouid. in 2. Trist. sic queritur:

Cur aliquid vidi, cur noxia lumina feci,
Cur imprudenti cognita culpa mihi?
Inscius Actæon vidit sine veste Dianam,
Præda fuit canibus non minus ille suis.

& alibi.

Infcia quod crimen viderunt lumina, plector,
Peccatumq; oculos est habuisse meum.

vidisse: quæ non cernere fas homini. scribit etiam Pla- 2 Theb. ibi:

Tunc si fas oculis non vnquam longa tuendo.

us concessum non esse videre cœlicolas, vt est quoque apud in Parallelis ad quod respexisse Virgilium, placet Sex- sub persona Sileni dixit, Ecloga 6.

Satis est potuisse videri.

De febre quartana: declaratusq; Ciceronis locus.

CAPVT VI.

nem illum, cuius matrem Peritionem phantasmate A- nis compressam ex Anaxalide refert Hieronym libro 1. vinianum, cap. 26. veluti sapientiæ futurum principem; ... Phauorinus, testante Gellio lib. 17 cap. 12. *Qui quar- ... fuerit: & conualuerit, vireiq; integras recuperauerit, ... posthac valiturum.* Hinc Cicero ad Tironem ... 10. *Sed quando, inquit, in quartanam conuersa est vis ... te diligentia adhibita etiam firmiorem fore.* ad senten- ... Platonis, quem ἄδυλον habuit respiciens, firmiorem post quartanam fieri valetudinem. cuius rei rationem ... medici, quod scilicet in ea propter longitudinem (est e- ... longissima, sed minime periculosa, auctore Gal. in 1. ... ad Glauconem) pituitosi resoluuntur, & melan- ... humores, quibus ipsa cōstat. etenim putredo melancho- ... Auicenna libr. 4. Fen 1. tract. 2. cap. 1. facit quartanam: ... diligentia sit in huiusmodi febribus adhibenda, do- ... omittam, Arist. in Probl. sect. 1. quæst. 57. & Gal. loco ... miror doctissimos homines, qui in eas epistolas ob- ... condiderunt, nō animaduertisse, præsertim cum ma- ... ducant ad sensum Oratoris percipiendum, nec recon- ... ium sit opus doctrina. Sed *quandoq; bonus dormitat Ho- ... omnia possumus omnes.* ita etiam vt multa sint egregiis propter diuersas eorum occupationes condonanda, si ... cæcutiant.

Locus in epistolis Cælii declaratus, & alter Salustii.

CAPVT VII.

... est similis locus in epistolis Cælii lib 8. epist. 6. ad hunc ... dum: *Neq; enim stulte Appius, qui simul atque Dolabella ... Tribunal, introierat in vrbem, triumphiq; postulationem* ... cuius loci illa est sentētia, vt laudet Cęlius Appium qui ... labella se accusari cognouisset, relicta triumphi, (quem ... erat vt patet ex nona epist. libr. 3.) postulatione, vt ... falsas inimicorū calumnias, vrbem introisset. quam

alioqui priusquam ipsi triumphus decerneretur, ingredi non dabatur. nam *Mos erat* (inquit Plutarch. in Cæsare) *vt qui triumphum ducturi essent, extra urbem moram protraherent.* & in Pompeio: *Exercituum ducibus urbem ingredi haud mos fuit.* Huc referendum esse crediderim illud Salustii in Catil. *Hi vtrique ad urbem imperatores erant impediti ne triumpharent:* vt ad urbem pro apud urbem dictũ accipiamus. etiamsi aliter sentiat Pedianus in 4 act. in Verrem. & Iacobus Crusius in Annot.

Angelus Politianus notatur, Martialisque locus aliter, atque ille & Domitius senserit, explicatur.

CAPVT VIII.

SCio fore, qui dentes in me malignitatis acuentes, scriptisque meis, ne vel transuersum vnguem a more suo discedant, insidentes, Realinum dicent, non nisi vmbraticam pugnare pugnam, atq; cum laruis luctando sibi famam quærere. intelligant tamen isti velim, me nullo nec odio, nec inani ambitione moueri, hisquibusdã vel primæ classis non adhæreo literatis, nec eo esse animo, eisq; moribus, vt quorũ manes veneror, iis caninos dentes oblatrare cupiam. Verum in communis vtilitatis gratiam quæcunq; scribimus, sunt accipienda; & *amicus Socrates, amicus Plato, magis autẽ amica veritas.* omnisq; contradicẽs, auctore Auicenna lib. 4 fen. 1 tract 2. cap 7. cum est super veritatem, est excusatus. Sed ad institutum nostrum. Angelus Politianus vir orbi notior, quam nũc sit recensendum, in Miscell. cap. 6. *Passer*, inquit, ille *Catullianus* allegoricus, vt opinor, obscæniorem celat intellectum, quem salua verecundia nequimus enuntiare. Quod vt credam Martialis epigramma etiam illo persuadet, cuius hi sunt extremi versiculi:

> *Da mi basia mille, sed Catulliana,*
> *Quæ si tot fuerint, quot ille dixit,*
> *Donabo tibi passerem Catulli.*

qua in rẽ ego Politiano non assentior, cũ potuerit Lesbia (vt hodie etiam optimatum morem esse videmus fœminarum) in deliciis habuisse passerem. cuius opinionis fuisse Martialem, ipsius testatur de catella Publii epigramma lib. 1. in quo est hic versus:

> *Issa est passere nequior Catulli.* & alterum de columba

Stellæ poetæ:

> *Stella delitium mei columba,*
> *Verona licet audiente dicam,*
> *Vicit maxime passerem Catulli.*

suffragatur etiam Iuuenalis (vt interim ipsius Catulli verba quæ clare Politianum refellunt omittam) sic Saty. 6. scribens:

> ——— *Nec tibi cuius*
> *Turbauit nitidos exstinctus passer ocellos.*

scimus quoque ab Ouidio in 2. Amorum celebrari mortuum Corynnæ suæ Psittacum. cuius exemplo & nos olim Chrysæ no-

Digitized by Google

ftræ defleuimus Philomelam. apud Propert. etiam libro 4. dicit Licotas:

Grauidos, & catulæ vox est mihi grata querentis,
Illa tui partem vendicat vna thori.

Et notus est Persa Tertiæ L. Pauli filiæ catellus, de quo Cicero in 1. de diuinat. & Val. cap. 5. lib 1 Præterea ego cum superioribus annis Mutinæ hyemarem, vidi apud Ioannem Grilinsonum nō minus antiquitatis, quam literarum studiosissimum, marmoream Lesbiæ imaginem manu passerem iuxta sinum tenentis. ita vt Politiano penitus sit refragandū. Cuius testimonium, id est, Martialis carmen, quod est circa principium lib 11. cum argumentorū dissolutio sit veritatis inuentio; alium sensum habere credimus, quam & ipse & Domitius etiam fuerunt opinati. Placet enī; vt dicat poeta: si basia tot dederis Dyndime, quot Catullus dixit endecasyl. 5. donabo tibi passerē, qualem cum suille scripsit idem Catullus, quem Lesbia amabat.

Nam mellitus erat, suamq. que norat
Ipse tam bene quam puella matrem. & reliqua, quæ sunt in 2. & 3. endecasyllabo.

Restituta Ouidio sententia, simulq; de fœminis Indicis notata digna

CAPVT IX.

OVidius in 3. Amorum, in elegia, qua deflet Tibulli mortem, Deliam scribit, & Nemesin ipsius poetæ amicas, ante rogū de amore in Tibullum decertasse. qui sensus (vt mos est Poetarum) nihil ibi considerante Domitio, ad fœminarum Indicarum morem effictus est, quas scribit Cicer. in 5 Tuscul cum est cuiusq; vir mortuus, in certamē, iudiciumq; venire, quam nam plurimum ille dilexerit. Plures enim singulis solent esse nuptæ; quæ autem vicerit, ea læta prosequentibus suis vna cum viro in rogum imponitur: illa victa mœsta discedit. Meminit & Pomp. Mela libr. 2. cap 1 his verbis: *Nec fœminis quidem Indicis segnis est animus super mortuorum virorum corpora interfici, simulq; sepeliri votum eximium habent: & quia plures singulis nuptæ sunt, cuius id sit decus apud iudicaturos magno certamine affectāt; moribus datur, estq; maxime lætum, cum in hoc contenditur vincere.* Eiusdem facit mentionem Val. Max. de Inst. antiquis. Solinus in Polyhist. Hieron contra Iouinianū libr 1. c. 27 Strabo in 15. & luculentissimis versibus complexus est Propertius in 3. eleg.

Quaeritur vnde auium, &c. Plutarch. in lib vbi quærit, *Nunquid improbitas sufficiat ad infœlicitatem*, & alii. Quod autem ibi dicit Nemesis. *Quid sunt tibi mea damna dolori?* illam habet sententiam. quid doles, & angeris Delia morte Tibulli? non enim te amauit, sed meæ amoris signum addit. *Me tenuit moriens deficiente manu.* atq. ita damna sua vocat mortem Tibulli.

Declarati duo Propertii versus, & alter emendatus, restitutaque lux Ouidio.

CAPVT X.

NOn immerito præcepit Horatius in arte poetica, vt *Græca exemplaria nocturna versemus, diurnaque manu:* siquidem Latini scriptores ad eorum normã se formantes, tanquã ex amplo mari in opera sua riuulos deducere sæpius cõsueuerunt. quale genus, cum nuper attentiore cura Propertium legeremus, animaduerti. is enim libr. 4. in elegia, *Sunt aliquid manes.* Cynthiæ vmbram inducit de ipso conquerentem dicere:

Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?

quem sensum, (id quod non animaduertit Beroaldus) ex Homericæ Iliad Rhapsodia 23. effinxit poeta. nam ibi sic legitur.

οὐδὲ πυρὴ πατρόκλου ἐκαίετο τεθνειῶτος·
ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησε ποδάρκης δῖος ἀχιλλεὺς
στὰς ἀπάνευθε πυρῆς δοιοῖς ἠρᾶτ' ἀνέμοισι
βορέῃ καὶ ζεφύρῳ καὶ ὑπίσχετο ἱερὰ καλά,
πολλὰ δὲ καὶ σπένδων χρυσέῳ δέπαϊ λιτάνευεν,
ἐλθέμεν ὄφρα τάχιστα πυρὶ φλεγεθοίατο νεκρόν.

Neque igne Patroclus comburebatur mortuus,
Cumque id cognosceret velox diuus Achilles,
Stans procul a pyra duos precabatur ventos,
Boream & Zephyrum, & supposuit victimas egregias,
Multaque sacrificans aureo poculo supplicauit
Venire, vt celeriter igne arderet cadauer.

Sic itaque ait Cynthia, cur ventis nõ supplicasti, vt in rogo ignem excitarent, citoque flammis consumerer? ad rem facit & illud Q. Calab. lib 5. circa finem.

ἐνθ' ἴσαλον κρατερὸν πυρὸς μένος. ἦλθε δὲ πνοιὴ
ἐξ ἁλὸς ἣν προέηκε θεὰ Θέτις, ὄφρα καείη
αἴαντος μεγάλοιο βίη.

Tunc imposuerunt fortis ignis vim. venit autem flatus
Ex mari, quem præmisit dea Thetis, vt combureretur
Æacis magni virtus.

Nec eiusdem illud ibidem:

Si piguit vltra portas procedere; caret eruditione. nam mos antiquus significatur, quo mortuos solebant extra vrbem sepulcris mandare, lege Solonis prohibente, ne intra vrbem sepelirentur, vt est apud Tullium in 2. de leg. & meminit Petrarcha lib. 2 epist. 2 vnde Seruius in 4 epist. quas familiares vocant, ad Ciceronem de Marcello sic scribit: *Ab Atheniensibus locum sepulturæ intra vrbem, vt darent, impetrare nõ potui, quod religione se impediri dicerent; neque tamen id cuiquam antea concesserant.* Cic. in 5. Tuscul. *Est*, inquit, *ad portas Agragianas magna frequentia sepulcrorum.* huc etiam tendit illud Nasonis in 8. Met.

Nec

Neq; enim capiebant funera portæ.

quem sensum clariorem reddit Seneca in Oedipo. sic loquente choro turbæ tumulos petenti:

Non satis septem patuere portæ.

inde portas sacras non teneri, quod per illas cadauera portabãt, auctor est Plutarchus in Prob. 26. An vero locus esset ad id officium extra vrbem communis, non facile dixerim. illud scio apud Ciceronem pro Roscio Amerino ita legi: *Cui de tanto patrimonio prado iste nefarius, ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset.* Ex quo apparet, mortuos in propriis fundis sepeliri consuesse. An etiam verum sit, quod scribit Eutropius lib. 8. Traianum scilicet solum omnium imperatorum in vrbe sepultum fuisse. relinquo studiosis diiudicandum. illud præterea notabitur eo in carmine Propertiano:

Atram quis lacrymis incaluisse togam.

immaduisse reponendum, tum ex Bendinellii castigationibus, tum meliore sensu.

Elucidatus Ouidii locus.

CAPVT XI.

SCribit in 2. Papinianæ Thebaidos commentario Lactantius, vel Luctatius, quo nomine eum appellat quandoque Pius, & in Quæstura Corradus, cum Lilio; scribit, inquam, *apud antiques iura nuptiarum ante aras numinum celebrari consuesse.* ex quo Statius ibi:

Viderat hoc coniux perituri vatis, & aras
Ante omnes, epulasq; trucem secreta coquebat
Inuidiam. nec alio respexit Ouid. cum libro Met. 5. refert in nuptiis Persei, & Andromedes fuisse *altaria*, veterem innuens consuetudinem. eius hæc sunt carmina:

Pectora rupisset, nisi post altaria Phœbus
Isset: & (indignum) scelerato profuit ara.

& in 12. in pugna Centaurorum, qui insana libidine ducti in ipsis nuptiis Pirithoi sponsam rapere tentauerant, ait:

Proximus vt steterat spectans altaria vultu
Humida terribili, cur non, ait, vtimur istis,
Cumq; suis Gryneus immanem sustulit aram
Ignibus, & medium Lapitharum iecit in agmen.

non desunt aliæ auctoritates, sed quoniam iis admonitus illas sibi parare studiosus lector facile poterit, omitto; duntaxat adiiciens hanc rem posse etiam comprobari ex Politicis Plutarchi in fine, vbi de Orgilao loquitur.

Emendata vox apud Propertium, & Ouidium.

CAPVT XII.

APud Propertium lib. 1. elegia 1. hic passim legitur:

Mima-

Mimalion nullos fugiendo Tasie labores,
Saeuitiam durae contudit Iasidos.

cum tamen Milanion; adducti Musaei poetae Graeci auctoritate, vbi Herus, & Leandri amores describit, ita de eadem fabula, cuius & hoc in loco meminit Propert. canentis:

Παρθένος ὡς σε λέληθεν ἀπ' Ἀρκαδίης Ἀταλάντη
Ἥ ποτε μειλανίων⊕ ἐρῶντος φύγεν εὐνὴν
Παρθενίης ἀλέγουσα. χολωσαμένης δ' Ἀφροδίτης
Τὸν πάρ⊕ οὐκ ἐπόθησεν ἐνὶ κραδίῃ θέτο πάσῃ. id est,

Virgo non te latuit ab Archadia Atalanta,
Quae olim Milanionis amantis effugit cubile
Virginitatem curans: irata autem Venere
Quem prius non desiderauit, in corde posuit toto.

Sic apud Xenophontem in lib. de Venatione circa principium, legitur, *Milanionem tantum studio laboris excelluisse, vt ex riualibus suis, qui ad maxima connubia digniores erant, Atalantae nuptias solum consecutum.* Ad hunc modum castigabis Ouid. illud in 2. de Arte.

Flesse sub arboribus Mimaliona ferunt. & 3.
Mimalion humeris Atalanta crura ferebat.

Vnde sit, quod Hecatae canes assignentur, declaratusque Virgilius.

CAPVT XIII.

HEcatem infernam esse Deam, incantationibusque praesidere, nemo est qui nesciat. huic canes immolari scripsit in Mimis Sophron, nec tacuerunt alii. cuius rei illam affert rationem Theocriti Scholiastes, illud in Pharmaceutria exponentis, τὰν δὲ σκύλακες τρομέοντι: quod scilicet, *per canes ei coena pareatur.* eius verba accipe. διὰ τὸ σκύλακας ἐκφέρεσθαι δεῖπνα τῇ Ἑκάτῃ [illegible] φαρμακὸς ἐν δ' [illegible] τὸ δὲ κυνίδιον [illegible] τῇ [illegible] τὰς τριόδους. Lucianus quoque in Dialogo Charontis & Menipp. θέρμους, inquit, εἰ θέλεις, καὶ τῆς Ἑκάτης τὸ δεῖπνον. Me. [illegible] ἐν τριόδῳ κυνὸς [illegible] id est, *Lupinos si velis, & Hecates coenam.* Mer. *Vnde hunc nobis, Mercuri canem adduxisti?* meminit etiam in Tyranno. & Plutarch. in Probl. *Quid est quod flamines Diales canem, & capellam abstinebant.* hinc Lycophron in Alexandra Hecatem vocat. [illegible] illo versu

Ζ[illegible] ἄντρον κυνοσφαγοῦς [illegible] λιπών. id est,
Zerinthium antrum canicidae Deae linquens.

vbi interpres [illegible] canes Hecatae [illegible], quod ipsorū latratus incantationes soluerent & [illegible] visiones. Vnde Sophron in Mimis, [illegible] at Plutarch. probl. 67 purgationis caussa, nec alio [illegible] Maronem asseuerim, cum lib. 6. haec ait:

Visaque canes vlulare per umbram
Aduentante Dea.

Quicquid dicat Seruius sicuti etiam in Pharmaceutria, quam ad Græcam Theocriti effinxit, in eo Hemistichio:

——— *Et hylax in limine latrat.*

Vbi præterea notandum est, *Hylax*, dictionem esse Græcam (ὑλάξ ipsi dicunt) qua canis significatur. nec mirum videatur, si absque *e* scribatur; quando hæc litera est sui iuris, & suæ potestatis. Et a quibusdam ἄσημος, id est, sine nota, & signo dicitur, quod aliarum consonantium notas inustas non habeat, nempe vt vel muta dicatur, vel duplex, vel liquida. auctor Gullonius in Clenardum.

Elucidatus Porphyrii locus.

CAPVT XIV.

Porphyrius ille philosophus, qui introductionem in Aristotelis prædicamenta scripsit ad Chrysaorium, cap. de specie: *Species*, inquit, *dicitur de vniuscuiusque forma secundum quod dictum est* πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. id est, *primum species digna est imperio.* Hic quosdam esse video qui *Priamus* legant, & ita Pius in illud Lucretii ex lib. I.

Nam simul ac species patefacta est verna diei.

πρῶτον reponit ex antiquo codice, non alienum duxi super hac re quid & ego sentio. aliis impertiri; existimās simul & politioribus Dialecticæ studiosis rem gratam facturum, nec humanarum literarum professores nostram, quantulacunque est, aspernaturos lucubratiunculam, accedente etiam Titi Ioannis Scandianensis auctoritate, cui, cū ego, orto nuper inter nos super sublimis Lucretii persim, in quā doctissimos ipse scripsit commentarios, familiari sermone, rem totam communicassem; laudauit. dubitantemque nunquid hisce admiscerem consilio suo adiuuit. Nobis itaq; placet antiqua lectio, quā in omnibus Græcis codicibus est inuenire: eo maxime ductis argumento, quod *speciem*, id est, oris pulcritudinem, dignam legimus imperio laudari. Ita enim Plutarch. de Scipione maiore: *Præter ingentia*, inquit, *animi bona, quæ se etiā ferebat eximiam formam & omni amplo dignam imperio.* quod repetit in Demetrio, & Homer. o ita etiam Polybius lib. 4. de Philippo Macedonū Rege: *Nec facile fuisset regē reperire pluribus naturæ dotibus ornatū: solertia quidē, & memoria, & gratia erat in hoc homine insignis, præterea aspectus imperio dignus.* Apud Xenophontē in principio Symp. dicit Callias, *formam esse quiddā natura regale* & tenetit Socrates inferius: & rursus. Calliam dicēs Reip. fore si velit facile præsidem. Præter alia, inde ducit argumentum, *quod Xerxes haberet omnium ciuium speciem pulcrum maxime.* quomodo Honorū etiam la... at Claud in nuptus. non ... modo apud Plaut in Milite Pyrgopolinice dicit Parasitus *forma esse Regia.*

sic quoq; Priamus apud Homerum in 3. Iliad. cum Agamemnonem a forma laudasset, & pulcritudine, addit,

βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν. id est,

Regi enim viro conuenit. nec ab re est, quod legimus apud Curtium lib. 6. & Rhodiginum lib. 24. cap. 9. *Barbaris scilicet in corporum maiestate venerationem esse, maiorumque operum non alios capaces putare, quam quos eximia specie donare natura dignata est.* Quin & formosiori occurrisse cuipiam omen censebant præstantissimum, ac deformi, inauspicatissimum. Vnde Imperator Adrianus ex Mauri occursu ingruere sibi extrema concepit & certe *πᾶσαν τὴν ἀμορφίαν πονηρίας εἶναι κακὸν ἔλεγεν*, sicut *ὡς ἀγαθοῦ ἐπακμεῖον τὸ καλὸν*, auctor est Lucianus in Amoribus. & Philopœmenem legitur apud Plutarch. in principio eius vitæ, cum ipsum mulier Megarensis, ad quam cœnaturus diuerterat, vt sibi opitularetur precata esset, ex ministris regis vnum esse rata; libenter paruisse, dumque intentus esset officio, scindendi ligna scilicet; ingressus hospes. *Quidnam hoc est*, inquit, *o Philopœmen? cui ille respondit: Quidnam aliud quam indecoræ faciei pœnam do.* ex iis & huiusmodi aliis, quæ breuitatis caussa, contentus omitto, veterem tutor lectionem, asseroque legendum esse *Primum*, non *Prima*, nec *Priami*. quem etiam si Dares Phrygius in lib. de excidio Troiæ, ore pulcro fuisse scribat, nihil tamen prohibet, quo minus vulgatam lectionem sequamur cum Græcis expositionibus, & vndecunque doctissimo Lilio in præfat. Synt. 6.

Declaratus Tibulli locus aliter, atq; declarauerit Robortellius.

CAPVT XV.

VErum illud esse, indies magis comperio *χαλεπὸν* scilicet *εἶναι ἄνθρωπον ὄντα ἐν πολλοῖς μὴ διαμαρτάνειν.* quando omnes, vt est in tabula Cebetis, deceptionis gustamus latices, & mens in varias quandoque curas distracta, semper officio suo intenta esse nó permittitur; ita vt recte Galenus præceperit in 4. de placit. Hip. & Plat. *Homini nato, & peccanti dandam esse veniam, quasi illud sit hominis peculiare.* Hæc eo tendunt, ne quis miretur, si Robortelli viri doctissimi diligentiam desiderari in Tibulliano carmine, ad communem vtilitatem ausus fuerim ostendere, quoniam & ipse est homo, & multis implicitus negotiis, nec ab eo humani quicquam alienum esse credendum est. in suarum igitur annotationum libro primo cap. 5. illos Tibulli versus, qui sunt elegia 9. libro 1.

Nec tibi celanti fas sit peccare: paranti
Sit Deus, occultos, qui vetat esse dolos.

ita distinguit:

Nec tibi celanti fas sit peccare paranti,
Est Deus occultos qui vetat esse dolos.

vt sit

vt sit similis sermo Ciceroniano illi; *Mihi negligenti esse non licet*, & Lucretiano.

Quidve mali fuerat nobis non esse creatis?

eo ordine, & sensu: Nec tibi paranti peccare sit fas cælanti scilicet esse, quasi non liceat tibi cælare, quod peccare paras quoniam id vetat Deus. Hæc ille.

Mihi tamen placet ant qua lectio, & distinctio, tum quia eam omnes habent codices tum sensu meliori adiuuante. Dicit enim poeta, te sæpius puer admonui, ne fas tibi duceres peccare, etiam si peccatum tuum cælari posse crederes: quod si parares aliquādo peccare, tibi scires Deum superesse, occultos qui vetat esse dolos. Optans videlicet ne sibi in animum puer induceret ipsum alteri adhærens fallere. Non dissimile est illud eiusdem lib. eleg. 6.

Sit modo casta doce, quamuis nec vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

Quod si Robortellum sequamur, insolito sensu, nec venusto dicet Tibul. Ne tibi liceat peccare, & cælare, quasi dicat; si quandoque peccaueris, ne me peccatum cæles. Quod quam sit absurdum, vel illud solum potest esse argumento, quod soleant amantes, si amasias peccantes intellexerint, grauiter & iniquo animo ferre. nec ita rursus dolere, si eædem peccent inscijs ipsis. Vnde in fine lib. 4. Tib. sic scribit:

Rumor ait crebro nostram peccare puellam:
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non hæc sunt nostro sine facta dolore.
Quid miserum torques rumor acerba tace?

Nec video verum esse, quod pro comprobatione opinionis suæ affert Robortellus, Tibullum solere vti formulis loquendi admodum nouis. Quin & *tersum*, & *elegantem* cum vocat Fabius lib. 10. cap. 1. & *cultum* non semel Ouidius.

Mos quo antiquitus consecrarentur Imperatores demonstratur.

CAPVT XVI.

FVisse ex Philosophis nonnullos, qui *tempus sapientissimum* appellauerūt, auctor est in 4. Physici auditus, Aristoteles; ob eam scilicet caussam, quod ipsius beneficio multarum rerum adipiscimur cognitionem & iuxta adagium, tempus omnia reuelare creditur. Id quod præterquam alias, iis ego diebus verissimum esse pro comperto habui. Nam cum antea diu mecum ipse, quonam modo consecrare Imperatores antiqui consueuissent (nam legebamus inter diuos relatos Iulium Cæsarē, Augustum, Traianū, T. Vespasianū, Antonium Pium, Antoniū verum, L. Annium Antoninū, & omnes deniq; Imperatores, si Seruiū sequi placet in illud ex 1 Georg. Teq; adeo quem mox &c.) cogitarem, nec qui declararet, inuenirē, Herodiani tandē lectio, rem totam suggerit Vnde

Digitized by Google

morem in Deos referendi edoctus, nolui candidum lectorem, vt longæ inquisitionis labor abesset, eo defraudare. Herodiani igitur verba, quibus illud explicat, hæc sunt, vertente Politiano, in principio lib. 4. quæ etiam apud Blondum reperies lib. 2. Romæ triumphantis. *Mos est Romanis cõsecrare Imperatores, qui superstitibus filiis, vel successoribus moriuntur: quiq; eo sunt honore affecti, relati dicuntur inter diuos. Est autem tota vrbe, quasi luctus quidam festa celebritati permiscuus. quippe functũ vita corpus, ritu hominũ, sumtuoso funere sepeliunt, sed certam imaginem defuncto q̃ simillimam fingunt, eamq; in regiæ vestibulo proponunt supra eburneum lectum maximum, atq; sublimem vestib. instratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti speciẽ pallida recumbit. circa lectũ vero vtrinq; magnam partem diei sedent, a læua quidem Senatus omnis nigro amictus, a dextra vero matronæ, quas virorum, aut parentum dignitas honestat; harumq; nulla vel aurũ gestans, vel ornata monilibus conspicitur: sed vestibus albis exilibus indutæ mœrentium speciem præbent. Hæc ita per septem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie accedentibus, inspectumq; velut ægrũ deterius se habere subinde pronuntiantibus. Dein vbi iam visus obiisse diem, lectũ humeris attollũt Equestris, senatoriiq; ordinis nobilissimi, ac lectissimi iuuenes, perq; viam sacram in vetus forum deferunt, vbi magistratus Romani deponere imperium cõsueuerant. Vtrinq; autem gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem exstructi, in quib. altera ex parte puerorum chorus est e nobilissimis, atq; patriciis, altera, fœminarum illustriũ hymnos in defunctum, pæanasq; canentium verendo, ac lamentabili carmine emodulatos. Quibus peractis tollunt iterum lectũ, atq; extra vrbem efferunt in Martium Campum, vbi qua latissime campus patet, suggestus quidam specie quadrangula, lateribus æquis assurgit, nulla præterq̃ lignorum ingẽtium materia compactus, in tabernaculi formam. Id quidem interius totum est aridis fomitibus oppletum, extra autem intextis auro stragulis, atq; eboreis signis, variisq; picturis exornatũ. Infra vero alterum minusculum positum est, sed forma & ornatu persimile, portis, ianuisq; patentibus, tertiumq; item & quartum semper superiore cõtractius, ac deinceps alia, donec ad extremum quod est omnium breuissimũ perueniatur. Possis eum et iis formam cõparare turribus, quæ portubus imminentes, nocturno igne prælato, naues in stationes dirigunt, pharos vulgo appellant. Igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata, & suffimenta omnis generis, fructus, herbasq;, succosq; vbi odoratos conquirunt, atq; aceruatim effundunt. Quippe neq; gens est, neq; ciuitas, neq; qui honore vllo, aut dignitate præcellat, quin certatim postrema illa munera principi honori eius deferunt. vbi vero ingens aromatum aceruus aggestus est, ac locus omnis expletus, tum circa ædificiũ illud adequitant; vniuersus equestris ordinis certa quadã lege, ac recursu, motuq; Pyrrhichio, numeroque in orbem decurrentibus. Currus item circum aguntur [illegible] [illegible] gestantes [illegible] aut Ducum omnium [illegible]*

Principumq; illustrium, quæ ubi celebrata sunt, sacrũ capit Imperii suc-cessor, eamq; tabernaculo admouet, tum ceteri omnes vndique ignem subiiciunt, cunctaq; illico fomitibus illis aridis, odoramentisq; referta igni valido corripiuntur. Mox ab extremo, minimoq; tabernaculo, tamquam è fastigio quodam simul cum subiecto igni Aquila dimittitur: quæ in cœlum creditur ipsam principis animam deferre. Ac iam ex illo vna cum ceteris numinibus Imperator colitur.

Hos habui Cardinalis ampliss. quos tibi dicarem primos horruli mei fructus, illos quidẽ insipidos, sed si piam dicantis spectes voluntatem, non aspernãdos. Vnde æqui, bonique facias precor, & amplectaris meliores, fauente Deo accepturus. Vale.

LILII GYRALDI.

DIALOGISMVS I.

De studendi & annotandi ratione, exordii loco.

INTERLOCVTORES.

Caluus, Eremita, Lilius

CALVVS.

CVm ego & Eremita pransi vna ad Liliũ, qui cum diu coniunctissime & amantiss. viximus venissemus; in eum sermonem incidimus, vt quoniã ꝓ æstatis nimios calores literarũ studiis attente vacare nõ poteramus, ille nobis saltẽ aliquid eorũ referret, quæ adolescẽs ipse olim magno studio, & vigiliis apud auctores obseruauerat. Tũ ille stomachabundus (*vt solet, quoties de iis mentio incidit, in quibus ipse omnem fere iuuentutem contriuit*) quin potius, *inquit*, Ciceronis & Vergilii diuina volumina euoluitis? per illos enim & æstus fastidia leuabitis, animosq; vestros eorũ iucundissima lectione imbuetis. Tũc ego, recte tu inquã Lili, sed nõ video, quo possimus modo nobis solstitiũ defendere in eorũ hominum ne dicã potius deorũ lectione; in qua vel in ipsa bruma, & hyemis horrore summopere æstuare solem. Tũc ad me cõuersus Eremita, sic est profecto inquit. Quare obsecro Calue, demus operam vt hoc æstatis tẽpore, hoc ipsum saltẽ agamus, vt a Lilio loca aliqua eorũ quæ ipse multa, vt meministi, primus aperuit, eruam. nihil mihi certe gratius cõtingere posset. At, *ego inquã*, audistin' Lili, quo-modo locutus est Eremita? Nostrũ igitur vtriq; gratissimũ feceris, si eorũ nõnulla recensueris, quæ a te pridẽ obseruata fuisse cognouimus. Quid enim vel nobis illa inuides, etiã a nobis tantopere rogatus, quæ in vulgus emanare tuapte spõte sinere debe[illegible]es. Tũ ille magis etia aliquanto quã prius stomachatus [illegible] in nos intuens, & vos, *inquit*, o Calue semper pueri, semper fruges [illegible] vnde vescemini Nã per DEOS immortales quæ vobis obseruationes? quæ annotationes quinam demum auctores tantum [illegible], & vtilitatis, & iucunditatis afferre possunt, quam hi omnium principes auctores, quos omnium & doctorum & ætatum cõsensu præcipuos

atque castissimos videmus. Cum enim duæ res potissimum ex o-
mnibus, quos lectitamus, libris expetendæ sint, vtilitas, ac delecta-
tio, hæc duo, qui cumulatissime in his duobus scriptoribus inesse
non videt, nihil videt, & caligat in Sole. Quicquid enim laudis
& excellentiæ in ceteris singulis reperitur, in his duobus inesse
facile conspicimus. Nam si vetustatem, & breuitatem Sallustii, si
magnitudinem & spiritum Liuii, si proprietatem & candorem
Cæsaris, si Varronis grauitatem & eruditionem, si flores denique
Curtii & Columellæ desideramus, omnia hæc suis locis consper-
sa in Cicerone clare videre poterimus. At rursus, si nitore & dul-
cedine Tibulli, castitate & eruditione Catulli, Terentii puritate,
affectibus Propertii, si denique amœnitate & promtitudine O-
uidii capimur, has virtutes facilime vbi congruit, in Vergilio o-
mnes inueniemus. Heroica profecto in vtroque vis atque maie-
stas: supra hominem in suo genere insurgit vterque. Quicunque
ergo in his duobus diutius versatus fuerit, etiam si sit infantissi-
mus, in eloquentem euadat necesse est; Quam libenter hæc ego
vobiscum o iuuenes loquor, vti scilicet vos admoneam, ne sicuti
ego feci, vos mox pudeat pigeatque tam steriliter & infructuose
tempus iuuentæ in istis, quas a me audire cupitis, nugis contera-
tis, memini me culpa certe præcipientium iuuentutem omnem
fere meam consumsisse in huiuscemodi lectitandis Grammati-
corum commentariis, ex quibus eruditionis forte non nihil, vti-
litatis certe ac eloquentiæ parum, & si nihil dixero non mentiar,
mihi comparaui. Num quæso illud ignoratis, omnes, qui istis
commentationum studiis dediti fuerunt, nullum nomen, vel mi-
nimum illud quidem, adeptos fuisse: nolo vobis in præsentia an-
tiquos recensere, cognosceretis in illis verissimum esse quod lo-
quor. At puto nõ vos fugit hoc nostro tempore nescio quos Pos,
Crucios, alios plerosq; pene ludibrio esse, qui omnem ætatẽ hu-
iusmodi inanibus friuolisque rebus consumsere: Agite vos o a-
mici, ne vobis patiamini bonas horas, firmam illam ætatem aliud
agendo impune labi, cuius vt modo dixi, ni meis saluberrimis
præceptis acquieueritis frustra pigebit. Ego quidẽ pro amore ac
beneuolentia, qua vtrumq; vestrum mirifice complector, & nunc
moneo, & posthac sæpe monebo, vt abiectis Grammaticorum
commẽtariis, incumbatis omni studio, ac cura in hos duos quos
modo dicebam auctores. At, qui istud recte fieri potest, ait Erasmus
ta, si eorum sensa diligenter & accurate non perpenderimus? et
huiuscemodi obseruationibus non modo istos ipsos, quos dixisti
libros, recte intelligimus, sed & reliquum scriptorum omne ge-
nus. Quin tu nobis viam aperis, digitumque illuc intendis, vt
quo persuades peruenire possimus. Quid putas picturæ ignaro,
eiusque artis initio prodesse, vel Raphaelis Vrbinatis, vel Michae-
elis Angeli, pictas tabellas quotidie spectare, nisi artem, & pin-

gendi rationem quadantenus percalluerit. Sic nobis nisi obseruandi viam & legendi rationem, quo modo videlicet ingrediamur præscripseris frustra erit & cassus noster omnis labor, & studium. Ista tu recte *inquit Lilius* o Eremita, verum vt assequamini, quod vos tantopere desiderare video, sed decipi falsa magistrorum persuasione, altius repetam, quid mihi hac in re faciendum videatur. Tum Lilius, cum aliquandiu cogitabundus, vt videbatur, secum nescio quid cogitare visus esset, ita est exorsus. Illud in primis o amici, quod vobis placere debet, & maxime a vobis optandum est, est vt bene apteq; dicatis; Id quod alicui a natura haud concessum videmus, nisi prius ei recte sapere cõtigerit, estote igitur primum animo bene constituto, atque bene informato, nec vos, patiamini, inanes cogitationes, & vanæ a recto seducant, si vos caste, si bene dicere vultis; vna hæc vos via ad illud, quod frustra modo per has nugas tentatis, floridissimũ eloquentiæ pratum conducet. Iamdudum (*ego inquam*) philosopharis o Lili, Non ista scilicet abs te in præsentia exspectamus. Quin illud potius, quo pacto nos putas Ciceronem, & Vergilium cæterosque bonos bene intelligere, & interpretari, ni, vt paulo ante Eremita dixit, quæ occulta & obscura sunt in eis nobis manifesta fuerint. Næ *inquit Lilius* Calue nimis es argutulus. Non vides & vos bene a Cicerone aliisque bonis & castis scriptoribus posse bene dicendi normam perdiscere, etiam si vnum vel alterum locum in eis ipsis recte non perceperitis. Ego certe, vt de me loquar, quo tempore plus otii mihi, & sanitatis suppetebat, cum horum auctorum diuina volumina (*sero nimis licet id facere inceperim*) euoluerem, si in eorum lectione, in aliquod forte senticetum, vel asperum locum, & confragosum incidissem, suspenso, vt dicitur, gradu illum pertransibam; ne id videlicet me a perpetua, & continuata lectione impediret, id quod & vos facere identidem moneo, atque etiam exopto, interea quod vos estis iuuenes; Pauca enim in Cicerone sunt, quæ, modo exemplaria & codices integri atque emendati sint, ab eodemmet Cicerone in quapiam alia suorum voluminum parte, vel ex toto non interpretentur, vel non lux aliqua, & splendor adhibeatur, id quod mihi videtur in Vergilio, reliquisque poetis bonis magis desiderari, tametsi ipse quoque Maro nonnunquam alicubi se interpretetur; vt in illo: *tum Tartarus ipse bis patet in præceps tantum tenditque sub vmbras Quantus ad ætherium cœli suspectus olympum.* Qui locus, & si ab Homero desumtus, tamẽ aperitur, modo recte & accuratius perpendatur, ibi: *Hic vertex nobis semper sublimis, at illum Sub pedibus Styx atra videt manesque profundi.* Nos quoque, *inquit*, Eremita vt pro Caluo etiam loquar, inter legendum sic, vt modo dicebas, plerumque difficiliora loca tamquam salebras pertransitus, sed nobis certe illud in caussa est, quoniam per-

cipiendi locirationem nullam videmus, atque hoc potius ignoratione, vt verum fatear, quam ex animo & voluntate facimus, quanquam hic ipse sæpe Caluus sese intelligere quod ignorat simulat, vt aliorum opinor sententias eliciat, exploretq; id quod & tecum, & cum aliis crebro illum factitare animaduerti. Sed de Caluo, in me intuens Lilius, alias, inquit, agemus; nunc postquam in hunc sermonem me adduxistis, non committam, vt frustra, si mihi acquiescere volueritis, tempus in commentariorum & annotationum nugis conteramus. Hoc ipsum nobis maxime, *inquit*, Erem. ta est in votis. Tum ille rectius, *inquit*, & longe melius, si modo fieri posset, vt nihil legendo prætermitteremus, quod lucide & clare a nobis non perciperetur. Sed cum non vsque adeo nobis temporis copia superet, vt singulis locis longas horas impendamus, satius fuerit difficiliora præterire. Video tamen hac in re, inter doctos non conuenire; quidam enim nihil inter studendum nobis prætereundum esse quantumuis difficile asseuerant, sed cuncta minutatim, atque anxie perscrutāda esse. Alii contra, tanquam latentes & cœcos scopulos, obscura loca procul prætereunda. Memini me alias nodum hunc ita soluere, vt si nihil aliud agimus optimum quemque scriptorem ea anxietate, & diligentia rimari penitus & introspicere nos debere, atque etiam expedire: Alios vero non optimos auctores illos quidem legendos, sed non ea (*qua diximus*) diligentia. Cur enim vos ii remorentur, qui nisi diligentissimi fuerimus, nobis, & quidem plurimum officere queunt. ex nonnullis equidem ego audiui qui his nostris diebus magna cum sua laude orationes, historias, poemata, alia huiusmodi scripserunt, nihil sibi vel minimum officere scribendo, cum quempiam locum parum notum offendunt; ista enim aiunt, qui publice in scholis Grammatici profitentur perquirere magis anxie debent; qui scribunt, non adeo. Mea certe est atque idem, vt spero, vestra erit sententia, vt quamquam legendos quidem omnes esse libros, qui Romana lingua scripti sunt, existimem, iuuenibus tamen, & iis, qui nondum confirmati sunt iudicio, optimos tantum quosque legendos esse, atque in iis tamdiu illos versari debere, quousque eorum adeo lectionibus assuefactæ atritæque aures occalluerint, vt nihil nisi bonum, & castum vel illis simile audire libenter possint. Cū igitur ita imbuti obfirmatique iudicio studentes fuerint, atque assecuti bonorum tum verborum, tum sententiarum delectum, tum illis e incedendum, vt quoscunque voluerint auctores per legant nec id [illegible] o solum humanitatis studiis vobis præcipere, sed & in omni disciplinarum, & bonarum artium auctoribus philosophiæ, medicinæ, iuris scientiæ, & ceteris. Ista cum libenter audiremus suscepit Eremita: sed cur, *ait*, o Lili de obscuris & [illegible] tis scriptorum locis, quæ inter legendum frequenter occurrunt nec lo-

ne solum quidem verbum, id quod nos in primis audire auebamus. Tum ille, Num vobis inquam pr us dixerã ea suspenso gradu prætereunda? futurum, si continenter, & assidue quempiam vnum legeritis, ea vos per alia scr ptorum loca, vt aliquando intelligatis. Verum agite, postquam si vos velle video, quæ inter studendum per vos ipsos nullatenus assequi potestis, non inficias ierim, ea vos a peritis & eruditis hominibus edoceri tum, cum vobis otium a lectionibus prçstatur. Verum enimuero, si fieri potest maxime velim, iuuenes, qui hoc discendi animo sunt, virorum excellentium ac eruditissimorum, non Grammatistarum, & triuialium, assiduam consuetudinem, & conuictum etiam haberent, ex huiusmodi namque hominum congressu, quantum, non modo in literis, sed & reliquis virtutibus proficiatur, mirum dictu est. Tunc ego, hic te Lili volebamus, non alia ratione hodie ad te iuimus, nisi, vt quoniam, nec tu hac hora vel legendo, vel scribendo, vel heri nostris negotiis propter æstus calores distringeris, non committas, vt abs te non audiamus, quç nos vides tantopere cupere, id scilicet, & tibi gratum esse debet, quando & tuas vigilias non penitus amiseris, & nos multa, quæ ignoramus doceris: Posthac certe nos videbis ne latum quidem, vt dicitur, vnguem a tuis præceptionibus discedere. Id quod cum Eremita pariter se facturum recepisset, etiam iureiurando. His verbis delinitus Lilius, nec. vt prius, stomachatus *(est enim vt suapte natura facilis iraci, ita quoque in remittenda & sedanda ira facillimus) inquit*. Non ego is sum, a quo multa perdiscere possitis, vt qui etiam infra mediocritatem, & doctrinæ, & ingenii sim constitutus, verum & iam mihi adeo literæ exsoluerunt, vt & in eas, & earum nimios studiosos scribere mediter, id quod nunc fortasse vos audire non displicebit. Non in præsentia, *statim ait Eremita*, istud requirimus, hic hic te volumus (*vt modo Caluus dicebat*) nec patiemur, vt Proteus, aut Metra nos eludas, & effugias, nosque alio veteratorio isto tuo sermone deducas. Tum paulum subridens Lilius, *inquit*, o Eremita habetis tota quod mente petistis, sed, pro Dei, quantum frustrabimini, & ab opinione vestra decidetis. Sed enim, vt vobis rem gratam faciam, quod me nunquam facturum decreueram, vt scilicet quarum me pudet vigiliarum, eas in publicum, in apertumque referrem, id vos me, vt in præsentia faciam, cogitis. Illud tamen in primis vos scire velim, me, ex quo huiusmodi ineptias, ne dicam (*vt est in prouerbio*) gerras parui facere cœpi, nihilque pendere, earum multas obliuioni mandasse, nec earum meminisse. Quam ob rem si ex me aliqua scire volueritis, vos, quæ obscura, & difficilia vobis videbuntur interrogabitis, capita enim ipsarum admodũ cõfusa & nullo ordine teneo; At ego, sic agemus promiscue, atqi eo, quo nobis modo suggeret memoria. Sic velim agatis, *inquit*,

Lilius. Hæc cum dixiſſemus, Eremita ait, Vter noſtrum prior incipiet? Cui ſors, *inquam*, obtigerit. Agamus digitis micando ſortiamur, Tua ſors eſt.

DIALOGISMVS II.

De manus & digitorum nominibus deq; numerandi per eos antiquorum ratione.

LÆtus igitur Eremita, ſimilis cogitandi non multo poſt ſic incepit. Inter multa, quæ mihi perenes occurrunt, hac noſtra modo digitorum ſortitione monitus, nihil magis arridet, quam vt breuiter numerandi per digitos, & eorum articulis antiquorum formulam, moremque nobis exponas, id quod vide nobis valde profuturum ad diuerſorum ſcriptorum loca enucleanda. Sic faciam, *inquit Lilius*, atq; ea in primis ratione, quod tibi, cum ſis in iſta diſciplina erudititiſſimus, omnemq; numerorum vim ac poteſtatem percalleas, indignum ac turpe videtur, hanc partem minus tenere; iſtuc quidẽ ego quoq; inquam libenter audiam, nam & ego, vt ſcitis, numerorũ artem quadantenus ſemper amaui. Sic faciam, *inquit Lilius*, atque eo libentius, quod vtriq; veſtrum vna rem admodũ gratam me facere intelligo. Verum antequam rem ipſam aggrediar, non quidẽ, vt vobis manus addam, quod denſui ſignũ eſſe ſolet, ſed vt digitos prius, eorumque vocabula in medium proponã; ne digitum aliquãdo pro digito me fortaſſe dicere arbitremini. Nam tametſi apud antiquos, vt quidam (*Plutarcho teſte*) putant, mos fuit, digitorum nomina ediſcere, quibus contra metus, ac pauores, tanquam ad mala remedium, vtebantur; quo loco tamen Cælius noſter, non proprios digitos interpretatur, ſed idæos dactylos: nihilominus apud ſcriptores non paruam controuerſiam de digitorum differentia, ac nominibus eſſe videmus; vixque dum medici, quem ſibi quiſq; in manu proprium ſuæ que arti attributum fatentur, agnoſcunt, ſed vobis ego, quæ longa lectione comperi, ſi attenditis aſferam. Definit igitur manus in quinque, quos nos digitos, Græci δακτύλους nuncupant, quos antiqui Palladi dicatos crediderunt, & καλοὺς etiam, id eſt, pulcros dixere. Eorum vero, qui prior eſt, duorum eſt nodorum, Pollex a noſtris dicitur, quod eo manus, vel quod is inter ceteros polleat. Eadem fere ratione Græce ἀντίχειρ vocitatur, *vt Macrobius ait & Pollux, qui eum quoq; μέγαν, id eſt, magnum vocat*. Sunt qui putent eundem Latine alio nomine appellari halicem, verum pedis pollicem eo nomine dici Feſtus ait, cum ſcandit ſuper proximum, παρὰ τὸ ἅλλεσθαι, quod eſt ſalio. A pollice prouerbium factum eſt, vt Plinius ſcribit premere pollicem cum fauemus, & vertere & conuertere pollicem contrarium vt pluribus Politianus, & Eraſmus oſtendunt. Pollici proximus digitus index dicitur, quod eo indicare ſoliti ſimus, vnde & a Græcis hac ratione interdum λιχανὸς nuncupatũ legimus: mo-

dolalu

do salutaris appellatur: eo enim veteres protenso salutabant: quidam, quod eo silentium indiceretur, res maxime salutaris Capella: digito salutari silentium commonebat. Eadem ratione Satyricus poeta digito compesce labellum dixit. Non aliam ob caussam Ægyptii Harpocratem, nec Romani Angeronam deam silentii digito ora comprimere finxerunt. Hunc eundem digitum Græcorum plerique λιχανὸν, a lingendo παρὰ τὸ λείχω: Tametsi quidam expositores medium digitum interpretati sunt. Hunc & priorem digitum appellare videtur Apuleius, cuius verbis vtar, vt adorandi, quo loco innuit modum intelligatur: admouentes, inquit, oribus suis dexteram priore digito in erectum pollicem residente, hæc ille in Asino Idem in Apologia, & Plinius, sed non tam manifeste. Indicem sequitur, qui medius a Martiale dicitur, & eadem ratione μέσος a Polluce, qui & ab eodem Martiale impudicus, a Persio infamis, a Iuuenale medius vnguis dictus est. monstratus hoc certe digito notabatur & derisionis signum. Quare Diogenes hospitibus quibusdam Demosthenem videre cupientibus, medio porrecto, eum illis ostendit, non indice, vt facere consueuimus, volens propterea hospitibus innuere, Demosthenem hominem esse mollem, & effœminatum, cuius rei nomine male audiebat adeo, vt & βάταλος ideo ab Æschine cognominaretur. Sed cur medius digitus infamis esset, caussam hãc quidã afferunt; quod Iudæi eo delapsa intestina reconderent. Sunt qui dicant a verrendo podice; nam cum hæmorrhoides fere Iudæi patiantur, podicem sanguine scatentem verrere hoc digito soleant, vnde & ab ipsis aliquando verpus dicitur, & Iudæi ipsi verpi eadem caussa: sed eorum pace dixerim, qui primi hoc commenti sunt, & si alioqui viri docti, ac eruditi. verpi potius Iudæi a versa pelle dicti sunt, sicuti quoque & apellæ, & recutiti eadem caussa nuncupantur: verpa quoque genere fœmineo plerumque pro mentula apud auctores desumitur, vnde est illud in Priapeis, Tot verpas tibi dedicat salignas. Item Catullus. Sed quantum video pati fuistis Casu, iam nihilo minore verpa farti estis. Alii medium digitum ideo infamem appellant; quod subductis altrinsecus duobus digitis, & ipso protenso, verpæ id est mentulæ formam imitari videamur; Aristoxenus vero Pherecydem, ait, cum Pythagoras, qui visitandi eum gratia aduenerat, vt sese haberet interrogasset, digitum immisisse per ianuam ac dixisse, aperte inspice, tam postmodum dictionem apud studiosos in deteriorem semper partem acceptam esse, sed & hic digitus, de quo agimus modo, famosus interdum dictus est, eadem, quam diximus ratione; video & Græcis quibusdam ἰατρὸς, vt a nostratibus nonnullis medicum nuncupatum, vt certe verum sit, quod dicitur, nondum Medicos statuisse, quis vere medicus digitus sit appellandus, σφάκελον certe Græci vetustiores dixere. Sequitur annularis, qui a gestandis annulis nomen acce-

pit, longa sit licet apud Macrobium hac de re disputatio, ex corde eum neruulus quidam ad sinistram in eum descendere existimatur, vnde, & de læua tantum quidam annularem digitum dici voluere, recentes Græci pari ratione, hunc ipsum δακτυλιώτην vocant, Iulius Pollux aliique παράμεσον vetustiores ἰατρικὴν; Medicum & medicinalem multi ex Latinis appellauerant, hoc certe digito veniam sermonis a DEIS Antiqui exposcebant, quod plane ex Plinii verbis colligimus, locus est, inquit, post aurem dextram Nemeseos, quæ Dea Latinum nomen ne in Capitolio quidem inuenit, quo referimus tacto ore proximum a minimo digitum, veniam sermonis a DEIS exposcentes. Minimus digitus, vt Porphyrion ait vltimus est, minusculus a Plauto in Amphitryone dici videtur, μύωψ a Græcis vocitatus, a Polluce μικρὸς, a Latinis interdum auricularis, quod eo ipso aures sæpius purgamus, ac propterea & ὠτίτης a Græcis nonnumquam dictus. Tota vero manus sic vere ab Aristotele describitur, vt in palmam, & digitos distinguatur, digiti in nodos seu articulos, & internodia & vngues interiorem partem carnosam volam; totam, palmam appellatam videmus. Non certe Pollucis descriptione manus vlus sum, quoniam minus ad propositum; minus chiromantum, nam & ii parum Latine scripserunt, & inter se maxime dissentientes sunt. His ergo a me sic propositis iam numeros quos desideratis aggrediar. Sic agas inquit Eremita. Lilius vero, illud ego vos inquit prius monitos velim, numeros ab vno vsque centum sinistra manu denotari, a centesimo autem numero dextra deinceps numerabant. Ideo de Nestore Satyricus ait, *dextra iam computat annos*, Numerum ergo quis *vnum* dicitur pansa sinistra manu denotant minimo duntaxat complicato ad manus volam. *Duo* eadem manu minimo & annulari contractis. *Tres* eadem duobus addito medio subsidentibus. *Quatuor* manu ipsa aperta infami & medico contractis. *Quinque* eadem contracto duntaxat impudico. *Sex* ceteris erectis complicato solo annulari, & si medium vt puto perperam quidam existimant. *Septem* minusculo solo fere ad vnius numeri modum palmæ affixo. *Octo* duobus contractis, vt, numero duo docuimus. *Nouem* tribus subsidentibus ad fere numeri trium similitudinem. *Decem* vero indice pollicis articulum leuiter attingente effingitur. *Viginti* summo pollicis ad salutaris & impudici radices adhærente. *Triginta* summo indicis pollicis summum exosculante. *Quadraginta* eodem salutari in semicirculi formam complicato, erectoque pollice supercubante, qua fere forma Christiani patibuli signum adiurantes effingimus. *Quinquaginta* pollice inflexo instar Græce literæ Γ. accubante, ad salutaris & infamis radices. *Sexaginta* indice contracto in hemicycli figuram pollicis fronti subiacente. *Septuaginta*, pollice secundum indicis articulum impellente. *Octoginta* pollicis vngue ab

incurua-

incarnato salutari compresso. *Nonaginta* pollicis radicem eiusdem salutaris summitas inquietat. At numerus qui *centum* dicitur transfertur, *vt diximus*, in dextram, & eodem modo, quo vnum pinximus, conformatur. Verum hic dextra, ille sinistra, & sic ad mille vsque pari modo descenditur. Nam centenarius numerus per singulares vsque ad decem exprimitur, *Mille* vero numerus, vt decem effingitur sed dextra, vt centum. Millenarii enim, vt denarii, hoc est, X. XX. XXX. & cetera notantur. Video tamen inter scriptores maximam hoc loco differentiam, qui enim non multo ante nostram ætatem scripserunt, sic fere, vt nos modo. qui autem superioribus sæculis. centum in dextra, inquiunt, quo modo decem in læua: Ducentos in dextra, quo modo viginti in eadem læua. ita trecentos, & cetera, vsque ad nongentos. Iidem mox mille in dextra, veluti vnum in sinistra, duo milia in dextra, vt duo tantum in sinistra, sic tria milia & quatuor milia vsque ad nouem milia. Porro cum decem milia effingunt manum læuam media pectoris parte supinam digitis ad collum erectis apponunt. *Vigintimilia* sinistra ipsa expansa late pectori incumbente demonstrant. *Trigintamilia* eadem prona, sed erecta medii pectoris cuti seu membranulæ adhærente. *Quadragintamilia* eadem supina & erecta in vmbilico coniecta. *Quinquagintamilia* eadem prona, & erecta pollice in vmbilico imposito. *Sexagintamilia* eadem læua prona femur ipsum læuum superius comprehendent. *Septuagintamilia* eadem sinistra supina femori supposita. *Octogintamilia* eadem prona femori innitente. *Nonagintamilia* eadem ipsa læua lumbos apprehendente ad inguina conuerso pollice. at vero cum centum milia & ducenta milia ceteraque huiusmodi vsq; ad nongenta milia monstrare volunt eademmet forma & ordine formare solēt, quo superius diximus, sed dextra & in dextera corporis parte. *Decies* autem *centena milia* ambabus manibus pectinatim digitis implexis significant. Hæc ego vobis breuius quam fieri potuit absolui. vereor tamen ne breuitas ipsa, quam vt par erat, vobis sit visa verbosior. Non ita est, *ait Eremita*. ista enim attente audiui, Idem, vt vidisti. fecit Caluus. Sanius *inquit Lilius* intelligemus per ea, quæ modo superius dixi, quo nam modo esset Ianus ille formatus, quem scriptores Plin. & Macrobius tradunt dextra quidem trecentos, sinistra vero sexaginta quinque, vel vt *alii legunt*, apud Plin. CCCLV. effingere visum, cuius & Græci auctores meminere, sed hac de re planius in lib. de historia Deorum agemus. Suscepit Eremita, est multa certe de ista numerandi formula mentio apud scriptores, Plautus in Milite dextra digitis rationem computat feriens femur dextrum. Seuerinus itē Boetius in Porphyrium, & Macrobius in VII. Saturnalium nonnihil etiam Tertullianus, cum ait in Apologetico, sed interim longum multis instrumentis cum digitorum supputariis gesti-

culis assidendum est, sed & Plutarchus in Apophth. vbi de Oronte Artaxerxis regis genero ait καθάπερ τῶν ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυριάδας, νῦν δὲ μονάδα τιθέναι δύνανται, quemadmodum inquit arithmeticorum digiti nunc quidem myriadas, interdum vero vnitatem ostendere possunt. Attendite ad hæc inquit Lilius, quæ sunt in prima Apuleii Apologia, quæ sine his, quæ supra retulimus haud exponi possunt. O falsum audax, & nimium: o mendacium viginti annorum exsilio puniendum, dimidio tanta Æmiliane mentiri falsa audes sesqui altera? si XXX. annos pro X. dixisses, posses videri pro computationis gestu errasse, quos circulare debueras digitos aperuisse. Cum vero XL. quæ facilius cæteris porrecta palma significantur ea tu dimidio auges, non potes digitorum gestu errasse, n. si forte triginta annorum Pudentillam binos cuiusque anni consules numerasti. Atque ille hactenus. Iulius etiam Firmicus in primo, Vides inquit, vt primos discentes computatos digitos tarda agitatione deflectant. Hieronymus quoque ad Pammachium ita de hac re, quem locum puer olim a multis desiderari vidi. Triginta, inquit, referuntur ad nuptias: nam & ipsa digitorum coniunctio quasi molli osculo se complexans, & fœderans maritum pingit, & coniugem: Sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia, & tribulatione sunt positæ, vnde & superiori digito deprimuntur, quantoque maior est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est præmium. Porro Centesimus numerus (diligenter quæso lector attende) de sinistra transfertur ad dextram; & iisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læua nuptæ significantur, & viduæ circulum faciens exprimit virginitatis coronam. Hæc ille. Quæ Eremita attentius audiens; nunc primum, inquit, intelligo quæ in epistola ad Boetium scribit Cassiodorus. Cum enim de numerandi disciplina loqueretur, Denarius, inquit, numerus more cœli in se reuoluitur, & numquam deficiens inuenitur, crescit noua conditione per se redeundo, addita sibi semper ipsa calculatio, vt cum denarius non videatur excedere ex modicis inflexis, & minus digitis & erectis redditur semper extensus: quæ cum sæpius verba legerim obscura mihi semper visa sunt, nunc vero ex iis quæ abs te dicta sunt, apertissima & lucida esse videntur. Hic aliquanto subridens Lilius magnum, inquit, lucrum amici fecistis. Possem & hoc loco vos docere, quo pacto digitis, & manu loquimur, quod & his diebus aliquos efficere vidimus, adeo vt absentem docere, quæ præsentes loquimur cernamus, quod non multo negotio in numeris versato fieri certum est, cui Caluus, & Eremita simul responderunt. & magnum, inquam, lucrum fecimus maiusque etiam nobis futurum, si quod superest antiquorum numerorum notas, & signa monstraueris: nam quibus passim nunc vtimur barbara admodum & inculta esse videntur.

DIALOGISMVS III.

Ad Baptistam Lucarinum F.R. filium optimæ spei ac indolis puerum, de notis & figuris numerorum, quibus antiqui Latini ac Græci vtebantur.

QVamquam hæc nostra, quæ indies mediocria scribimus non plurimum tibi profutura video, cum sint multo inferiora, minusque elegantia his, quæ pridem tibi multo locupletiora domi nata sunt, & nunc etiam hodie nascuntur, vtpote a maioribus tuis & exaui ac magni patrui tui Alexandri viri eminentissimi literis, & actionibus, tamen vt aliquo certo testimonio omnibus notam facerem præ me ferre grati animi significationem, qua erga atauum tuum tibi cognominem, & gentilem, vt illius gratus discipulus quacumque ratione me esse ostenderem, hanc ipsam meam annotationem tibi mittere constitui, quæ nunc non primum nata est, sed pridem cum iunior essem, iccircoque nunc rogo attende, quæ eo tempore cum Cariss. meis discipulis humili sermone disserui.

LILIVS.

Postquam video me vtriq; vestrum rem admodum gratam facturum, non supersedebo breuiter vobis ostendere, quæ sunt super hoc tradita ab antiquis & recentioribus auctoribus, exordiarque a nostris Latinis tum Græca afferam, illud vero imprimis vos scire velim ab Alphabeto Abecedario veteres incepisse. A. CCCC, quingenta. B, CCC, trecenta, C C. centum. D, D, quingenta. E, CCL ducentum quinquaginta F. XL. quadraginta G, CCCC. quadringenta H, CC. ducenta. I, I, vnum. K, LI, vnum & quinquaginta. L, L. quinquaginta. M, M, mille. N, X C, nonaginta. O, X I, vndecim P, C C C C, quadringenta. Q. vel q, D, quingenta, R, L X X X, octoginta. S, L X X, teptuaginta. T, C L X, centum sexaginta. V, V, quinque. X, X decem. Y, C L, centum quinquaginta. Z, I I. duo millia.

Si vero eisdem libris macra, id est, accentus longus superponatur. millenarium tantum numerum significant, &c.

A̅, Quinque millia.	B̅, Tria millia.
C̅, Centum millia,	D̅, Quingenta millia.
E̅, Ducenta quinquaginta millia	F̅, Quadraginta millia
G̅, Quadringenta millia,	H̅, Ducenta Millia.
I̅, mille	K̅, Centum quinquaginta vnum millia.
L̅, Quinquaginta millia.	M̅, Mille millia.
N̅, Nonaginta millia.	O̅, Vndecim millia.
P̅, Quadringenta millia:	Q̅, vel q̄ Quingēta millia

$\overline{K}$ Octoginta millia.
$\overline{I}$. Centum sexagintia millia.
$\overline{X}$, Decem millia.
$\overline{Z}$, Bis millies mille.
$\overline{S}$ Septuaginta millia.
$\overline{V}$. Quinque millia.
$\overline{T}$. Centum quinquaginta millia.

Inueniuntur & aliæ notæ numerorum

C C. Ducenta.

∞, CXↄ, $\overline{M}$, ⧗., I⋈XI, ↀ, Mille. Q.ↄ, vel qↄ, Iↄↄ. V, quinque millia. IMI, CCIↄↄ, ↄMC, $\overline{X}$ Decem millia DMIↄↄↄ. Iↄↄↄ, $\overline{L}$. Quinquaginta millia. CCCIↄↄↄ. LCM, ᛦ, ᛘ, ↑, ⊚, $\overline{C}$ centum millia.

CQↄ, vel Cqↄ, $\overline{D}$ CIↄ, quingenta millia, CMↄ, $\overline{M}$, Mille millia.

Non incongruum videtur & has quas supra effinximus figuras auctoritate Prisciani seu cuiusuis alterius ita scribentis aliqua ex parte comprobare. Græcos Latini in plerisque imitati sunt, nam per $\overline{I}$ vnum notant illos sequuti, qui quinque per V, quia quinta est vocalis, a, e, i, o, u, Decem per X, quia decima est consonans apud Græcos β, γ, δ, ζ, θ, κ, λ, μ, ν, ξ, vel quod V, apud Latinos X, sequitur (sed fortasse non vane quisquam cogitauerit V, quinque significare, quoniam dimidia pars numeri X, cui addita altera pars inferior hoc est Λ inuersi, qui simul coniuncti decem efficiunt hoc modo X, quæ vera est figura denarii) Quinquaginta per L, quia apud antiquos Græcos L, pro N, quę nota est quinquaginta ponebant, teste Appollonide, & Lucio Tarrheo, vnde Latini quoque Lympha dicunt pro nympha, aquam, vel fontem volentes monstrare. Centum autem principalem nominis literam C. Quingenta per sequentem literam consonantem, nam post C, D, sequitur. M, mille secundum Atticos per X. [illegible], sed vt differentia ad decem circumscriptis lateribus CXↄ quinque millia per I, & duas a dextra parte apostrophos Iↄↄ decem millia per supradictam formam additis in sinistram partem contrariis duabus notis, quæ sunt apostrophi CCIↄↄ. Et ad hanc imitationem Græcorum, qui vnius notam subdita linea nunc quoque scribunt sic. $\underline{\alpha}$ quinquaginta millia per I, mediam, & tres in dextera parte apostrophos, Iↄↄↄ. Centum millia per I, mediam, & tres in dextera parte apostrophos, & in sinistra eandem contrarias CCCIↄↄↄ vel quod verisimilius est decem millia notantur per M, circumscriptam ex vtroque latere quomodo mille, id est, CMↄ per X. circumscriptum ex vtroque latere, sicut CXↄ & hoc ad imitationem Græcorum, qui [illegible] eam literam habent principalem sui nominis, sed d[illegible] causa media linea altior facta est, quia millies quoque [illegible] per X, circumscri-

Digitized by Google

cumscripta solet notari sic. CXↃ. ergo quinque millia cum sit dimidia pars decem millium CCIↃↃ dimidiam partem scripturæ sciauerunt sic IↃↃ. quo modo quinquaginta millia dimidia pars centum millium, qui numerus per eadem decem millium, scribitur tamen ex vtroque latere singulis circumscriptionibus CCCIↃↃↃ. Quingenta millia per q quod est initium nominis, & apostrophon quod mille, similiter millia per M. vnde incipit nomen ex vtraque parte circumscriptum CMↃ & sic CqↃ. atque hactenus Priscianus vel, vt dixi, quiuis alius. Sed nonnulli in hac eius descriptione maiorem diligẽtiam desiderant, quippe qui D. existimant notam esse conflatam, quæ significet quingenta ex linea vel iota addita apostropho, vnde & ab alio latere altera si addatur mille significat, hoc modo, (I) ita etiam quinquaginta millia eadem ratione formatur. vt sit linea recta sursum cum vna apostropho a latere, cui si altera apostrophos addatur in altero latere CIↃ. Nec omittendum duco in vetusta numerandi norma morem fuisse, vt paucioribus, quo possent figuris, numeros notarent, quod miror Priscianum hoc loco prætermisisse, vt in antiquis marmorum inscriptionibus & vetustis codicibus, ac in iuris ciuilis monumentis, adhuc nonnunquam inuenitur. vt IV. pro IIII. IX pro VIIII. XIX. pro XVIIII. hoc est Latine vndeuiginti. Item XIIX pro XVIII. id est duodeuiginti, & sic procedendum est in aliis. XL. pro XXXX. quin & XC. pro LXXXX. & sic in reliquis, ne plura hic tibi inculcem. Hæ vero notæ non solum in veterum Auctorum codicibus inueniuntur, vt apud M. Tullium, tum alibi cum in Epistolis ad Atticum, & in his quæ familiares vocantur, quamuis video viris quibusdam eruditis non satis placere has notas apud Ciceronem, parum (vt mihi quidem videtur) animaduertentes diuersam Romanorum scriptionum varietatem, sed & in marmoribus, & epigraphis, vt est videre in antiquitatum libris, qualia sunt hæc duo, quæ hic vobis recito.

T. Præsentius Q. filius P. Heluicius P. F. Æd. ob honorẽ in viam HS ⊕ Ꝑ

Trebonia OL. Saluia Arbitr. Marciliani Ma. in Fro. P. XII. in Ag. P. XIIX Cost cum loco HS ∞ Ꝓ,

Hæc vero nota seu figura ⧅ octo siue octauum numerum significare existimatur, vt cum alibi videtur, tum in epigraphe antiqua Imp. Cæs. Aurel. Val. Diocletiani Imp. VIII. Cos ⧄ &c. ex qua etiam hæc qua passim vtimur nota, 4, deducta videtur, vt sit bis quatuor ⧄

De numerorum notis, quæ in vsu a vulgaribus habentur, in præsentia non est quod apud vos verba faciam, notissimæ illæ quidem sunt, nec nostra indigent diligentia, vestroque studio. Sic

est (inquit) Eremita: nam & ephemerides, & rationaria illis notantur, & scribuntur: idem & Caluus asseruit. quare inquit o Lili ad Græcorum figuras numerorum te conuertas, si nobis, vt es pollicitus velis gratificari. Tunc ego, inquam, eodem vtar temperamento in Græcis recensendis, quo in Latinus vsus sum, mittamque eas notas ac literas, quibus in præsentia vtuntur, quæ ex eorum alphabeto desumuntur, paucis immutatis literis. eas vos probe tenere arbitror, ergo ad antiquos, & quæ in antiquitatibus reperiuntur, hoc loco ex Herodiano Grammatico insigni, aliisq; nonnullis describendas deueniam. Antiqui vero Græci simpliciter numerorum figuras per literas alphabeti vsque ad vigesimam quartam effingere solebant, quod palam est videre adhuc ex Homeri Rhapsodiis: nam & Ilias quæ viginti quatuor libris constat, & Odyssea totidem literis simplicibus prænotantur. Alio modo sex tantum literis eosdem vsos comperimus I. Π. Δ. H. X. M. quarum I. vnitatem significat. Π, πέντε. i. quinque. Δ. δέκα. i. decem H ἑκατὸν. i. centum. X, χίλια. i. mille. M, μυρία. i. decies mille significat: reliquę sunt capitales literę numerorum suorum, quos eosdem per se significant. Hæ omnes præter Π, vsque ad quaternarium numerum siue per se, siue aliis adiunctæ multiplicantur.

I. Facit α'. i. vnum. II. faciunt β'. i. duo III. faciunt γ'. i. tria. IIII. faciunt δ'. i. quatuor. Π. facit ε'. i. quinque. Π I. faciunt ς. i. VI. Π II. faciunt ζ'. i. septem. Π III. faciunt η'. i. octo. Π IIII. faciunt θ'. i. nouem. Δ facit ι' i. decem. Δ I. faciunt ια'. i. XI. Δ II. faciunt ιβ'. i. XII. Δ III faciunt ιγ'. i. XIII. Δ IIII. faciunt ιδ'. i. XIIII. Δ Π. faciunt ιε'. i. XV. Δ Π I faciunt ις idest, XVI Δ Π II. faciunt ιζ' i. XVII. Δ Π III faciunt ιη' i. XVIII. Δ Π IIII. faciunt ιθ'. i. XIX. Δ Δ faciunt κ'. i. XX. Δ Δ I. faciunt κα'. i. XXI. Δ Δ II. faciunt κβ'. i. XXII. Δ Δ III. faciunt κγ'. i. XXIII. Δ Δ IIII. faciunt κδ'. i. XXIIII. Δ Δ Π. faciunt κε'. i. XXV. Δ Δ Π I. faciunt κς. i. XXVI Δ Δ Π II faciunt κζ' i. XXVII Δ Δ Π III faciunt κη'. i. XXVIII. Δ Δ Π IIII. faciunt κθ'. i. XXIX Δ Δ Δ. faciunt λ'. i. XXX. Δ Δ Δ I. faciunt λα'. i. XXXI. Δ Δ Δ II. faciunt λβ'. i. XXXII Δ Δ Δ III faciunt λγ'. i. XXXIII. Δ Δ Δ IIII. faciunt λδ' i. XXXIIII. Δ Δ Δ Π faciunt λε' i. XXXV. Δ Δ Δ Π I. faciunt λς' i. XXXVI. Δ Δ Δ Π II. faciunt λζ'. i. XXXVII Δ Δ Δ Π III. faciunt λη'. i. XXXVIII. Δ Δ Δ Π IIII. faciunt λθ'. i. XXXIX. Δ Δ Δ Δ faciunt μ'. i. XL. Δ Δ Δ Δ I faciunt μα' i. XLI. Δ Δ Δ Δ II. faciunt μβ'. i. XLII. Δ Δ Δ Δ III. faciunt μγ'. i XLIII. Δ Δ Δ Δ IIII. faciunt μδ'. i. XLIIII. Δ Δ Δ Δ Π faciunt με' i. XLV. Δ Δ Δ Δ Π I. faciunt μς. i. XLVI. Δ Δ Δ Δ Π II. faciunt μζ'. i. XLVII. Δ Δ Δ Δ Π III. faciunt μη' i. XLVIII. Δ Δ Δ Δ Π IIII. faciunt μθ'. i. XLIX. [Π Δ] faciunt

LL.

Digitized by Google

i. L. [Δ] I. faciunt να´ i. L I. [Δ] II. faciunt νβ´ id est, L II. [Δ] III. faciunt νγ´. id est, L III. [Δ] IIII. faciunt νδ´. id est, L IV. [Δ] Π faciunt νε´. id est, L V. [Δ] Π I. faciunt νς. id est, L VI. [Δ] Π II. faciunt νζ´. id est, L VII. [Δ] Π III. faciunt νη´ id est, L VIII. [Δ] Π IIII. faciunt νθ´. id est, LIX. [Δ] Δ faciunt ξ´. id est LX. [Δ] Δ I. faciunt ξα´ i. L X I. [Δ] Δ II faciunt ξβ´. id est L XII. [Δ] Δ III. faciunt ξγ´ i. L XIII. [Δ] Δ IIII. faciunt ξδ´. id est, L XIIII. [Δ] Δ Π. faciunt ξε´ i. LXV. [Δ] Δ Π I faciunt ξς´. id est, L X VI. [Δ] Δ Π II. faciunt ξζ´. i. LXVII. [Δ] Δ Π III. faciunt ξη´. id est. L X VIII. [Δ] Δ Π IIII. faciunt ξθ´. id est L X VIIII [Δ] Δ Δ. faciunt ο´. id est, L X X [Δ] Δ Δ I faciunt οα´ id est L X X I. [Δ] Δ Δ II. faciunt οβ´. i. LXXII. [Δ] Δ Δ III faciunt ογ´. i. LXXIII. [Δ] Δ Δ IIII. faciunt οδ´. i. LXXIIII. [Δ] Δ Δ Π faciunt οε´. i LXXV. [Δ] Δ Δ Π I. faciunt ος. i. L X X V I. [Δ] Δ Δ Π II. faciunt οζ´. i. LXXVII [Δ] Δ Δ Π III. faciunt οη´. i. L X X VIII [Δ] Δ Δ Π IIII. faciunt οθ´. id est, L X X I X. [Δ] Δ Δ Δ. faciunt π´. i. LXXX. [Δ] Δ Δ Δ I. faciunt πα´. id est, L X X X I. [Δ] Δ Δ Δ II faciunt πβ´. i. L X X X II. [Δ] Δ Δ Δ III, faciunt πγ´. i. L X X X III. [Δ] Δ Δ Δ IIII. faciunt πδ´. id est, L X X X IIII. [Δ] Δ Δ Δ Π faciunt πε´ id est, L X X X V. [Δ] Δ Δ Δ Π I. faciunt πς. id est, L X X X V I. [Δ] Δ Δ Δ Π II. faciunt πζ´. id est, L X X X VII. [Δ] Δ Δ Δ Π III. faciunt πη´ i. L X X X VIII. [Δ] Δ Δ Δ Π IIII faciunt πθ´ id est, L X X X IX [Δ] Δ Δ Δ Δ. faciunt ϟ´. id est, X C. [Δ] Δ Δ Δ Δ I faciunt ϟα´. id est. X C I [Δ] Δ Δ Δ Δ II. faciunt ϟβ´ id est, X C II. [Δ] Δ Δ Δ Δ III. faciunt ϟγ´. i. X C III. [Δ] Δ Δ Δ Δ IIII. faciunt ϟδ´. id est, X C IIII. [Δ] Δ Δ Δ Δ Π faciunt ϟε´. id est X C V [Δ] Δ Δ Δ Δ Π I. faciunt ϟς. i X C V I. [Δ] Δ Δ Δ Δ Π II. faciunt ϟζ´. id est, X C V II [Δ] Δ Δ Δ Δ Π III. faciunt ϟη´. i X C VIII. [Δ] Δ Δ Δ Δ Π IIII faciunt ϟθ´. id est, X C I X. H. facit ρ´. id est, C. H H faciunt σ´. id est, C C. H H H faciunt τ´. id est, C C C. H H H H, faciunt υ´ id est, C C C C [H] faciunt φ´. id est, D. [H] H, faciunt χ´. id est, D C. [H] H H faciunt ψ´. id est, D C C [H] H H H. faciunt ω´. id est, D C C C. [H] H H H H faciunt ϡ´. id est D C C C C. X facit ͵α id est mille. X X. faciunt ͵β id est, duomillia X X X. faciunt ͵γ, id est, tria millia X X X X. faciunt ͵δ, id est, quatuormillia. [X] faciunt ͵ε, id est, quinque millia, [X] X. faciunt ͵ς, id est, sex millia. [X] X X. faciunt ͵ζ, id est, septem millia [X] X X X. faciunt ͵η id est, octo millia [X] X X X X. faciunt ͵θ, id est, nouem millia. M facit ͵ι, id est, decem millia. Atque hactenus ferme Herodianus Grammaticus Græcorum celebris, cui addere in animo mihi fuit, quæ a Prisciano Cæsariense Grammatico, de hac eadem re prodita sunt, si modo liber ille Prisciani est: video enim ex doctis nónullos id sibi parum compertum habere, inter quos Budæus in lib. de Asse, sed si quando nobis otium dabitur, simul hanc Prisciani partem, vel cuiusuis sit, diligentius examinabimus, nunc occasio ad alia nos traducit, quamquam illa eadem aliqua ex parte supra attigimus.

DIALOGISMVS IV.

De recta nominum impositione, ad Alphonsum Marianthum.

CVm his diebus non parua contentio orta esset inter Bartholomæum Ricium virum eloquentem, & Sardum multæ lectionis hominem de Nomine, & Prænomine, ac Cognomine, quibus antiqui Romani ac Latini prope omnes vtebantur, ex me [illegible]xe petisti, vt tibi sententiam meam aperirem. Id ego vero diu [illegible] distuli, ne viderer velle inter amicorum controuersias misceri; sed cum tu pertinax insistas, vt omnino aliquid super hac re ex meis annotationibus afferrem: sic igitur, quam pridem feci annotationem, habeto, hac tamen lege, ne in vulgus emanet, sed [illegible] potius seorsum cum paucis hanc legas, ne aliquibus ansam obloquendi præstemus. Varia a primis vsque temporibus ratio fuisse videtur nominis proprii cuique imponendi. Nam vt ab Hebræis & Chaldæis incipiam, hi nomina imponebant ab aliquo euentu & significatu, vt Philo Hebræus ac Hieronymus atque [illegible] ostendunt. Idem & Ægyptios factitasse legimus, vt Phryges [illegible]tam. Hos secutus Diuus Plato Cratylum suum dialogum de recta nominum impositione cõscripsit, quem eius discipulus Aristoteles est aduersatus, inquiens, nomina ad placitum esse imposita. Romani vero ad aliquid potius significandum nomina imposuisse videmus, vt Portius, Cato, Cæsar, alia: nostri vero Christiani, & quo[illegible] cœperunt, eam sunt rationem secuti, vt a parentibus, & patribus posteri denominarentur. Sed subsecutis temporibus mutata ratione gentium nomina & alienigenarum sumserunt. Vnde tot Hercules, Hectores, Achilles, hinc Vernandos, Alphonsos, alios. Verum nos his missis veniamus ad ea, quæ ex me scire cupis. Principio igitur inter Priscianum & Diomedem excellentes Grammaticos Latinos aliqua est controuersia de nominum propriorum specie. Priscianus enim videtur, nescio quo pacto Romanorum consuetudinem approbare, Diomedes vero & Græcorum & aliarum gentium morem sequi videtur, vnde [illegible]ta est apud diuersos diuersa sententia. Nos sequemur [illegible] nostris annot[illegible] magis conuenit, vt de re tota [illegible] te, [illegible] [illegible] troque [illegible] Priscian[illegible] [illegible] ris appellatio[illegible] [illegible] nomen, ac cognomen [illegible] terdum [illegible] his verbis [illegible] [illegible] nominis, cognominis [illegible] [illegible] impositio [illegible]

Digitized by Google

rem mutatio innocentibus periculosa non est. Mutare itaque nomen, vel cognomen, vel prænomen sine aliqua fraude licito iure si liberes, minime prohiberis. Si liberes addidit, non quod serui tribus nominibus uterentur, cum tantum ingenuis, & liberis iure concessum esset, sed quod seruo non fuit liberum suum nomen mutare, domino serui esset, ab hac generali appellatione exheredatio nominatim facta dicitur, cum sufficiat nomen, prænomen, aut cognomen, vt Vlpian. de lib. & posthum. prodidit. Sed & M. T. in oratione pro Muræna veteres iurisperitos irridens, vt quia (inquit) in alicuius libris exempli caussa, id nomen inuenerant, putarunt omnes mulieres, quæ coemtionem facerent, Caias vocari, qui locus ad Caiam Cæciliam recte doctus quidam pertinere arbitratur. Scribit enim Plutarch. id factum propter Caiam Cæciliam honestam sane mulierem, ac bonam vni ex Tarquinii liberis collocatam, cuius in sancti DEI templo statua ex ære posita fuit: seruabant iampridem & sandalia & colus pudicitiæ, & industriæ suæ certa monumenta. De hac C. Cæcilia, quæ & Tanaquil dicta est, Plinius libr. VIII. scribit, ex Varrone; in quo illud variatum est, quod in sancti Dei templo; sed M. Anci scriptum est perperam, vt ego puto. Ergo apud Ciceronem prænomen dictum nomen est, at in oratione pro Cæcinna cognomen significat. Sextus, inquit, etiam Clodius cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio. Est etiam specialis quædam nominis significatio, quam iurisconsulti nostri temporis probe persequuntur, cum familiæ tantum nomen significant. Et apud veteres in eas, vt plurimum, literas desinebat, in quas hæc nomina Tullius, Pomponius, Iulius, Pompeius, Mutius, alia pene infinita. Qua ex re fœminæ ab iis Tullia, Iulia, Pomponia, Pompeia, Mutia nomen consequebantur, & ab iis etiam leges promulgatæ eadem ratione, vt Aquilia ab Aquilio Trib. Pl. Falcidia a Falcidio, & Iulia de adulteriis coercendis, ab C. Iulio Cæs. Octauiano Aug. lata. Sane hoc loco obseruandum, cum quispiam ab aliquo adoptatur in aliam familiam, nomen adoptantis assumebat, & proprium illius nomen in cognomen vertebatur in has syllabas anus desinens, vt C. Octauius Octauianus, Æmilius Æmilianus, qui a Scipione Africani filio adoptatus fuit, a Domitio Domitianus, a Tertullo Tertullianus: nec desunt, qui a Iustino Imperatore Iustiniani nomen esse deductum putant. Sunt & qui a Lucio Lucianum, & Titio Titianum deducant, iuxta quam adoptandi normam Diocletianum scribit Sextus Aurelius Victor, cum prius ante adeptum imperium Diocles vocaretur, Diocletianum nuncupatum. Eius hæc sunt verba, Diocletianus Dalmata Anulini Senatoris libertinus, matre pariter atq; oppido Dioclea, quorum vocabulis, donec imperium sumeret, Diocles appellatus, vbi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen

in Latinum conuertit, hactenus Victor. Scribit Macrobius lib. Sat. *primo cognomina ex propriis tracta esse nominibus, vt ab Æmilio Æmilianus, a Seruilio Seruilianus*. Sunt tamen, qui non hoc perpetuum esse opinentur. Nam a Marcello *Marcellinum*, & *Marcellianum* & a Porcio *Porcinum* deducunt. Nomen itaque cum speciali hac significatione accipitur, familiæ nomen significat Romanis, Latinisque tantum hominibus. Hinc Valer. Maxim. libr. VII. Q. Metellum ait plures & celeberrimos eiusdem nominis viros præteriisse, vt extraneum heredem institueret; nemo certe aliud per idem nomen hic intelliget, quam eandem familiam. Cincius, Gentiles inquit mihi sunt, qui inter se eodem nomine appellantur. Tradidit idem, & ad Trebatium scribens Tullius in Topicis, Gentiles sunt qui inter se eodem nomine sunt, & qui ab ingenuis oriundi sunt; Nam Græci Barbari singulis nominibus ... genuis oriundi sunt; Nam Græci Barbari singulis nominibus ... tenti fuisse videntur, non familiæ nomina vsurpabant, vt *Plato, Aristoteles, Demosthenes, Lycurgus, Agesilaus, Cyrus, Cambyses, Orodes, mille alia*, tametsi tam Græcos quam Barbaros pluribus duplici nomine vocatos historiæ testantur. Quod idem Claudius Aruntius asserit, vt pluribus ostendit Diomedes antiquus Grammaticæ scriptor; & Plutarchus in vita Coriolani, Græcos ait, ac barbaros cognomina sua habuisse. Quare hac nostra tempestate viros alioqui eloquentes, & eruditos miror confudisse externa cum Romanis, vt ostendant aliquos duplici vsos esse nomine, vt *Numa Pompilius, Lartes Porsenna*. Hinc magna apud Græcos fuit controuersia, quodnam esset ciuium Romanorum nomen quod idem Plutarch scribit in Mario. Aliis enim cognomē, aliis prænomen videbatur, de quibus idem in Quæstionibus Romanis egit. Prænomen itaque, quod nomen familiæ præcedit, vel differentiæ caussa, vel quod, vt scribit Eutropius & Priscianus, cum Sabinos in vrbem receperunt Romani ad confirmandam coniunctionem illorum nomina suis nominibus præposuerunt, & inuicem Sabini Romanorum, atque ex eo tempore seruatum est, vt nemo Romanus prænomine careret, quo quidem a seruis distinguebantur: nam prænomina seruis indere non licebat. Scribit Alciatus esse penes se Valerii Maxim. quoddam opusculum, quod inscribitur de nominibus Romanorum. Id vero ego potius Epitomen esse decimi libri ipsius Valerii a quodam Iulio ... confectam existimauerim, vt ex inscriptione patet, quam in peruetusto exemplari comperi: in eo inquam opusculo ita fere legitur, Romanos arbitrandum est, maxime ab Albanis & Sabinis multiplicandorum nominum consuetudinem traxisse, quoniam ab illis orti ... mnia autem, quæ ad vnum quemque nostrum differendum cogitata sunt, a nomine differunt, quia eo gens cognoscitur ... eoque gentilitium dicitur, cetera ordine variantur, nam quod præponitur prænomen, quod post fertur cognomen ... quod ...

Digitized by Google

plurimum additum est agnomen, sed quædam cognomina in nomen versa sunt, vt Cepio qui hunc in Bruto nominis locum obtinuit, & cetera: Prænomen vero scribebatur, vt plurimum notis quibusdam, vt *L. P. M.* quod & Plutarch. cum de spurii appellatione agit, perscribit. Sed & Valerius Probus id ostendit, & Petr. Diaconus: Hinc factum quidam volunt, quod hodie familiæ nomini præponatur, quæ vulgo nomina propria dicuntur, *vt Hercul. Estensis, Dux. Herc. Gonsaga Cardinalis, Andreas Alciatus I. C. Petrus Bembus Cardin. Iacobus Sadoletus, & cetera.* Sed & illud obseruandum, quod prænomen interdum transiit in nomen. & cognomen, & contra, vt Claudius, quod prænomen, & familiæ nomen fuit, ne te pluribus exemplis nunc onerem. Præterea pueros nominibus caruisse sunt qui perperam existiment: lustrico enim die nomen infantibus imponebatur, vt pluribus ostendi in libr. de *Temporibus* Quidam & existimant maximam mulierum partem nomine caruisse, *vt copiosius dixi in eodem libro:* sed vtrosque familiæ nomine nuncupatos, quin etiam pueri nomine familiæ dicti, vt *Cicerones, & Cæsares;* Mulieres quidem prænomine non vtebantur, tametsi in Cæliana Cicero Q. Claudiam, & de Aruspicum responsis appellet, quam Liuius Cl. Quintiam matronarum castissimam commemoret. Caias quoque permultas matres familias nuncupatas testimonio Plutarchi & aliorum videmus: Cognomen vero, quod cum nomine coniungitur, non quod cognationis sit, appellatur. Plutarchus id ostendit in Coriolani & Marii vita, qui tertium nomen appellat. Græcorum nonnulli vt Theophilus & Plutarchus ἐπώνυμον id vocant: *idem Iustinianus in Authentico.* Cognomen vero hereditarium, vel tum primum partum ei, cui datum est: hereditarium quidem vt Scipionum, Cæsarum, Ciceronum, Lentulorum, & aliorum similium. Qua in re illud notandum est, quod si cognomen familiam referret, vt quidam putant perperam, vnde eorum filiæ nuncuparentur? Cum hæ duntaxat nomina a familiis sumant. *vt Sempronia, Claudia, Octauia, & Tullia, & cetera.* Sed & cognomen nonnulli nomen appellare solent, nam & familiæ id cognomen adhæsit, quod aliqua ex caussa a principio vnius fuit. Hoc Macrobius de prætextati nominis origine, iis ex prætextati persona verbis tradit. *Papirio puero postea cognomentum inditum Prætextatus ob tacendi loquendique prætextata ætate prudentiam. hoc cognomentum postea familia nostra in nomen hæsit: non aliter dicti Scipiones nisi quod Cornelius, qui patrem luminibus carentem pro baculo regebat, Scipio cognominatus, nomen ex cognomine posteris dedit. Sic ex cognominibus nata sunt nomina.* Hæc ille totidem verbis. Quibus cognomen quod hereditarium vocamus Cicer. libr. VI. de R. P. qui est de somnio Scipionis, sicuti Macrobius, nomen appellat. Varro quoque *libro vndecimo, de*

Re rustica. *Nomina*, inquit, *multa habemus ab vtroque pecore a maiore & a minore: a maiore Equitius, Vitulus, Taurus cognomina a significare, quod dicuntur, vt Annii Capra, Statilii Tauri, Pomponii Vituli: hæc possumus familiæ cognomina appellare.* Alterum cognominis genus est, quod ob insignem aliquam rem illius nomini additum est, quod a principio in posteros sæpe deriuatum est. hoc Grammatici agnomen appellant, quod numquam vel raro apud antiquos auctores vsurpatum inuenimus: Nam quod in II. *de inuentione* lib. apud Tullium legitur, id mendosum Ciceroniani esse affirmant; item illud quod nor. II. *Institutionum titulo de legatis* parum probatur a multis, si quis inquit in nomine, cognomine, prænomine, agnomine, legatarii, testator errauerit, cum de persona constat, valet legatum. Nam & in Digestis prænominis & cognominis sæpe fit mentio, agnominis numquam: quin cur sit a Grammaticis additum, nulla est ratio, quippe cum rem quam explicare dicunt, cognomen id satis explicet. M. Tullius *lib.* II. *ad Atticum* de Cn. Pompeio cognomento Magno ait; *quantis in odiis noster amicus Magnus? cuius cognomen vna cum Crassi Diuitis cognomine consenescit*. Idem Cic. de Finibus lib. II. *T. Manlium* ait *cum Gallo depugnasse, & ex eius spoliis sibi & torquem & cognomen induisse*, nam *Torquatus* deinceps appellatus est; His igitur ita constitutis asseramus Romanos, & Latinos vt plurimum tribus nominibus simul aut separatis vsos fuisse, & nomen quidem speciali significatione a familia deducebatur. Vnde est illud poetæ Ausonii; *tria nomina nobilium*, & illud Iuuenalis; *tamquam habeas tria nomina, de ingenuo ac libero*, quod recte quidem exponit Domitius immerito damnatus a Politiano, qui in Miscellaneis *capit.* XXXI. multa quidem scitu digna affert, & quæ legisse sit operæ pretium, sed quæ minus ad Iuuenalis intellectum faciant. Plutarch. quoque in Caussis Romanorum, *mares*, inquit, *tribus nominibus vocabantur: mulieres duobus.* Post Plutarch. & Pausanias in Achaicis hanc Romanorum trium nominum consuetudinem non ignorauit, quippe qui de Attilio Cos. misso a Romanis in Græciam ad cognoscendas Græcorum dissensiones, ita loquitur, *decreta*, inquit, *ex prouincia est Attilio Cos. Nomen hoc et [illegible] maxime insigne fuit.* Non enim Romani Græcorum ritu vnico a patribus accepto nomine appellantur: [illegible] fere singulis vt pauciora plura etiam imponuntur nomina. Sed & de [illegible] nominibus, locus monet, vt pauca dicamus. Sciendum ergo est, seruos manumissos familiæ in numerum nomen ferre solitos, & quod sibi fuisset prænomen vetus, quod nomen in cognomen conuerti, quod docte Politianus in [illegible] Cic. Epistolæ interpretatione exposuit, vbi ita scribitur: *de Eutychide gratum, qui vetere prænomine nouo nomine Titus erit Cæcilius, vt est ex me & [illegible] Dionysius, M. Pomponius Dionysius*

tus appellatus est, deinde Atticus a Q. Cæcilio auunculo adoptatus Q. Cæcilius Pomponianus dictus est, qui cum Eutychide seruum manumisit T. Cæcilium Eutychidem vocauit. Sic & Andronicus cum manumissus fuisset a Liuio Salinatore, L. Liuius Andronicus dictus fuit, vt Flauius in eius posita vita scripsisse memini, quo loco de manumissione seruorum, & adoptione inter ciues plura [illegible] collegi. Hinc ita intelligendum apud iureconsult. est, cum vetare testatorem legimus, ne res de nomine suo aut familia nominis sui exeat. Pari quoque modo illud, quod manumissione, adoptione, natiuitate dicitur, municipem quem fieri in ex lege eius, qui ad municipium. Sane hæc item ipsa nomina consequebantur, licet filius non esset, sed illi potestas erat, in cuius familiæ vellet nomen inserere. Vnde M. T. cum de Demetrio Mega ageret, in quadam commendatitia Epistola, *Mihi, inquit, vetus hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo: et Dolabella rogatu meo ciuitatem a Cæsare impetrauit, qua in re ego interfui, itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Verum enimuero a Cæsarum temporibus atque adeo maxime tempore, quo imperium Byzantium translatum est vetus hæc Romanorum consuetudo non satis firmis vestigiis perstitit, imprimisque ab Iustiniani tempore hæc tria ciuium Romanorum nomina non plane obseruata videmus, vnde etiam factum est, vt in his nominibus recensendis Grammatici Diomedes, Priscianus, Marius Victorinus, Sergius & alii, qui circa ea tempora vel non multo superiora scripsere, inter se diuersa statuerunt. Illud demum omittendum non est, non semper veteres cognomina nominibus adiunxisse, sed plerumque his præpostere vsos fuisse, vt *Hala Seruilius*, & *Gallus Aquilius*, & *Priscus Neratius* fuere, cum familiæ nomina essent *Seruilius*, *Aquilius* & *Neratius*. Sed sciendum est, vt scribit Sergius, quod plerumque contingit, vt tantummodo nomen inueniatur, vt ecce *Romulus* vnum tantum habet: plerumque duo, vt *Numa Pompilius*: plerumque tria, *P. Verg. Maro.* quatuor, vt *P. Corn. Scipio Africanus.* Sane sciendum est, quod quoties vnum inuenitur cognomen est. Nemo enim esse potest sine vocabulo, quoties duo plerumque prænomen & cognomen sunt. vt *M. Antonius, L. Paulus.* Atque hæc quidem quam breuissime potui in tui gratiam mi Alphonse seorsum annotasse volui, quibus si quæ Aluisius noster, & Viglius. II. C C. & cum his vna, quæ Antonius Aug[illegible]nus nobilis Hispanus, & Franciscus Robortellus, adiunxeris; quicquid hac de re dici possit habebis: cetera, quæ [illegible] tractatu desiderari possunt nomina, & familiæ Romanorum [illegible] quibus colligendis vt supersederem, id ex caussa est, quod [illegible] eorum effecerunt viri & doctrina & elegantia præditi Bar[illegible]us, & Paulus Manutius, hic familias, ille nomina a[illegible] filium, nec his pauciora Carolus Sigonius iuuenis M[illegible]

in eo suo commentario, quem de prænominibus habet in manibus, hac de re complectitur.

DIALOGISMVS V.

Ad Irenæum Brasauolam Ant. Musæ F. de quibusdam sophismatum generibus parum a logicis cognitis.

LILIVS ET IRENÆVS.

CVm forte Irenæus Brasauola Antonii Musæ Brasauolæ medici excellentiss. filius me inuisisset, & alloqueretur propter lectum, in quo male decumbebam articularibus plus nimio affectus doloribus, idque me ferre patientius videret, *gratias*, inquit, *Diis immortalibus, te hominem confectum, & ætate, & morbis tam patienter, & æquo animo tot iacturas & calamitates pati: Ego certe huc ad te veneram, vt si mitius, & quietius te haberes, te percontarer nonnulla captiosorum, & sophismatum argumentorum genera, quæ me impediunt, hoc præsertim tempore, quo prudentissimi, ac indulgentissimi Principis gratia, & parentis mei optimi iussu, iam auspicaturus publice Dialecticam interpretandi munus.* L. Sed mi Irenæe, quid est de hac facultate, quod a me doceri queas, cum omnia ista, & ceteræ bonæ artes domi tuæ atque adeo in parentis tui copiosissima bibliotheca, ac omnium librorum refertissima comperiantur? I. Istud quidem non eo inficias quod ais Lili: Sed si vacat, hæc saltem, quæ me nunc maxime torquent, exponas rogo. Tunc ego, *inquam*, & quænam ea ipsa sunt, si ea ita putas me posse soluere tibique aperire? Tunc Irenæus, hæc ipsa sunt: Vt ea des quæ dicuntur *Sorites, Cornuta, Crocodilites, Thorizontes, οὔτιδες*, & præterea *Pseudomenon*, seu *Pseudologon* & cetera quæ ἄπορα & ἀσύστατα a Græcis vocantur. Tunc ego mi Irenæe me vocas extra professionem meam, & facultatem, nam de his quæ ex me percontaris, sophismatibus, auctores quidem nostri meminere Cicero, Seneca, Fabius, Gellius, Lactan. ex Græcis Laertius, Lucianus, & alii: sed cum de eis loquuntur, eorum quidem nominum ratio tangitur: sed non exacte narratur, tantum abest vt quo modo possint dissolui declaratur. Sed qui istud tibi denegare possum? Cum hic adsit etiam Alphon. Manthus meus amanuensis, qui diis bene iuuantibus hoc præsenti anno est Dialectices facultatem Græce & Latine auspicaturus sub doctore viro probe docto atque prudente Dominico Bondio. Tunc sic Irenæus duos inquit, vt dicitur, parietes Lili vna fidelia dealbabis, hoc est & me, qui non minus te amo, & Alph. tuum demereb. Ius quæ sic dicente Irenæo, sic faciam inquam, & eo ordine disseram, quo me es ipse percontatus, nec a me tamen scribendi in hoc genere facultatem exspectes, quam præstare Ciceronianos videmus. faciam tamen in vestram vtriusque gratiam, quantum imbecilles vires meæ efficere poterunt, atque his dictis ita exorsus sum: Fuit ergo antiquissimum illud sophisma vel

vel paralogismus, vt dialectici vocant, qui *οὖτις* a Græcis dictus est, a nobis vocari potest *nequis*, *nullus*, aut *nemo*, hic primum inuenitur apud Homerum nona Odysseæ rhapsodia, omnium, qui exstant Græcorum scriptorum longe antiquissimum. Nam eorum, qui ante Homerum scripsere, quamquã plurimos Tacianus & alii referunt, nullius tamen exstant monumenta: quæ enim in Orpheum & Musæum referuntur, parum legitima sunt, vt in secundo de poetis dialogo pluribus ostendi. Apud Homerum igitur, quo supra diximus loco, Vlyssem Polyphemo dixisse videmus quod sibi *οὖτις* nomen esset: postquã vero Vlysses Polyphemo ludo præcæcura oculum eiecit, ipso præ dolore exclamãte, ceteri cyclopes ad illum accurrere, petentes, quisnam ei iniuriam intulisset, Polyphemo dicente quod *οὖτις* fuisset. Cyclopes intellexerunt eum a nullo offensum fuisse; quare credentes *οὖτινα* neminem significare, nõ aliquem quempiam, Polyphemum deserentes abiere: hanc fabulam & Lucianus in marinis dialogis festiue, vt solet, commemorat. Hoc genus sophismatis & Zeno Citticus vsus est in dialecticis; Potest vero facile solui ratione æquiuocationis, vel ad vocis figuram, quæ alibi significat substantiam indiuiduam, alibi vniuersalẽ. Sed de huiusmodi perplexis cauillis, & Ammonius in Aristotelem, & alii, quæ Picus in suis logicis affert. Porro *Vtides* ab aliis *Vtines* vocantur. de quibus hactenus. Nunc *sorites* afferamus, si ita tibi videtur. & quidem ait Irenæus maxime. Sorites ergo quæ *ἀπὸ τοῦ σωροῦ*, hoc est, ab aceruo a Chrysippo dictæ sunt, argumentationis genus est captiosum, quod & Cicero alicubi *aceruum* appellat. Idem tamen cum alibi, tum libro de Diuinatione *aceruales* appellat *argumentationes*, de quibus apud eundem ita ferme Lucullus, vt puto in Academicis: *reprehendendum, inquit, quod captiosissimo genere interrogationis vtuntur, quod genus a philosophia minime probari solet, cũ aliquid minutatim & gradatim additur, aut demitur, soritas hos vocant, qui aceruum efficiunt vno addito grano vitiosum sane & captiosum genus, item mox huiusmodi generibus aceruorum considerandum.* Et placuisse dicit Chrysippo cum gradatim interrogetur quiescendum. Id enim si effeceris nec aceruum Chrysippi, nec therizontem, nec mentientem, nec fallentem, nec electram conuelatam, nec huiuscemodi, vt ait Picus in dialecticis antiquorum sophismatum nomen daturas pertimesces. Sane Chrysippus philosophus Stoicus, acutus inuenisse dicitur hoc genus argumentationis, de hisq; libros quatuor condidisse fertur, vt Diogenes Laertius testatur. Igitur Chrysippus per interrogatiunculas quasdam gradatim deductas captare & eludere solebat disputantes, verbi caussa, ita percunctans: *Tria an pauca sint, an multa*, aliquando priusquã ad multa perueniat, mox post multa per soritas progrediendo. Themistius quoq; lib. 7 Phys. cum disputaret contra Zenonem Stoicum de sorite non-

Digitized by Google

nulla ait. Vlpianus insuper, vt in tit. *de verborum significatione*, si pandectis Pisanis non amplius, sed Florentinis stamus, de sorite ita meminit: *Natura cauillationis, quã Graeci σωρείτην appellauerũt hac est, vt ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, qua euidenter falsa sunt producatur.* Quem locum si annotasset L. Valla lib. 3. non σκῶμμα legisset, nec Alciatus σόφισμα correxisset in suo ibi interpretamento. Alii peius verbum supposuerunt διαβολὴν aut χριτήν. Hoc genus argumentandi *coaceruatio* dicitur a L. Valla in sua dialectica, atque esse ait, cum alius ab alio deinceps excipitur, exemplumque affert huiusmodi a Plutarcho desumtum, *quod ego volo, idem mater, quod mater, idem Themistocles, quod Themist. idem populus Atheniensis, igitur quod ego volo idem populus Atheniensis.* Porro quamuis Cicero dicat, quod sicut multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est. Tamen & idem ipse Cicero alicubi *aceruum* appellat: sic & Persius cum ait, *inuentus Chrysippe tui finitor acerui*, vt Cornutus, vel, vt malunt alii, Probus Grammaticus est interpretatus soritas, quem secutus est Plautius. Ceteri vero eius poetae commentatores in hoc sunt hallucinati; huius quoq; aceruí meminit Sidonius cum ait, *Chrysippi ponisset ex aceruo*. Item Martianus, *Chrysippus cumulet proprium consumat aceruum*, qui & alibi ita scribit, *soritas cumuli accessibus aggerans*. Sed de sorite iam satis: & quidem satis ait Irenaeus, iam cetera aggredere. Tunc ego, sequar (*inquam*) eum, quem tu ordinem proposuisti, ceteraque sophismata interpretabor, quae *Ceratina* a cornibus Graece dicuntur, κέρατα quippe cornua dicta. Hinc & *cornuta*, & *cornea argumenta*, & in genere paralogismorum referuntur, de quibus & Aristoteles, & qui Aristotelem interpretati sunt, multa disseruere. Hinc apud Gellium, & Senecam exemplum. *Quod non perdidisti habes, cornua nõ perdidisti, cornua ergo habes.* Huius quoq; mentio apud Lucianum in Gallo, vbi Philosophus ille ad coenam vocatus carpebatur, quod cornua inesse sodali assidenti sibi pauperi persuadere conabatur. Colligit Politianus in Miscellaneis, vbi de ceratinis Quintil. ex l. 5. locum explicat, Lucianum aliis plerisque in locis & dialogis de eiusmodi perplexis argumẽtis mentionem facere, quae ideo vobis ego non repraesento, quando eius lib. cap. 54. facillime potestis per vos ipsos legere. Eubulides Milesius hoc genere plurimum vsus, qui fuit ex assectatoribus Euclidis Megarensis, vt tradit Laertius, qui ita ait. ὃς καὶ πολλοὺς ἐν διαλεκτικῇ λόγους ἠρώτησε, τόν τε ψευδόμενον καὶ τὸν διαλανθάνοντα καὶ ἠλέκτραν, καὶ ἐγκεκαλυμμένον, καὶ σωρείτην, καὶ κερατίνην, καὶ φαλακρόν. quae verba ita post Ambrosium monachum interpretatus est Politianus, *qui & multos in dialectica sermones interrogauit, mentiens, fallens, electra, obuelata, aceruali, & ceratina vel cornea, & item calua.* Ex quo est apud comicum nescio quem: *Contumeliosus autem*

Eubu-

Interrogans: Ceratinas interrogans, & mendaciis gloriosisq; sermonibus, orationes versans a bris Demosthenis habens volubilitatem. Sic enim τὴν [illegible] est interpretatus Politianus. Ambrosius vero, cum quod eam vocem non intelligeret, vel parum commode exponit, illet, sicut est Græca protulit. Sed & hunc locum citauit Suidas. Zeno præterea Citticus *Ceratinis* vsus est. His omnibus ita a me expositis facilime Martiani versum ex eius Dialectica explicabitis, hoc est:

Perdita nequaquam cornua fronte ferant.

quo pacto vero dissolui queant Ceratinæ non est facile reperire, id certe conatur Picus, atq; ad falsi metã, quæ a Dialecticis dicitur, reuocatur. Nam falsa inquit prima est propositio, *quod non perdidisti habes*, non enim de cornibus solum, sed quæcunq; de re strui posset cauillum, vt *quod non perdidisti habes*, ergo *habes mundum vel Romam quam non perdidisti.* Etenim vera eius, quæ contradicit propositio, *quod perdidisti non habes.* Potest enim peccare & æquiuocatione, cum *perdere* plura significet; Sed iam satis de ceratinis, seu cornutis, vel corneis argumentis sit dictũ, deinceps transeamus ad Crocodilitas. *Crocodilinæ*, quę & *Crocodilitæ* & πρίωνες dicuntur a *Crocodilo* animali nomen accepisse legimus, idq; ex fabula ferme tali sumtum. Finxerunt antiqui, muliere ambulante quapiam vel (*vt Lucianus ait*) patre propter Nili fluminis ripas a Crocodilo illi fuisse filium infantem ablatum, qua de re Doxipater Græcus scriptor apud Aphthoniũ ita tradit, ita illius verba Latine Politiano interpretante: *Serra* (inquit) *& Crocodilites sicuti est in Ægyptiaca fabula mulier quapiam cum filio secundũ fluminis ripas ambulabat, ei crocodilus filium abstulit redditurũ dicens, si verum sibi illa responderet, negauit illa fore vt redderetur, atq; ob id aquum arbitrabat reddi;* Hactenus ille, moxq; idem, crocodilitẽ, inquit, hanc propositionem vocant crocodili huius gratia, quam etiã πρίωνα. i. *serram* vocari a Græcis indicat. Adiuuat Lucianus in dialogo, cui titulus *Vitarum venditiones*, ita ferme Chrysippũ loquentem inducens, eique respondentem nescio quem, qui se profitebatur emtorem: *considera igitur ita, est ne tibi filius? Quorsum istud ais? Si forte illum iuxta flumen errabundum crocodilus inueniat, rapiatq; deinde redditurum polliceatur, cum verum dixeris, vtrum reddendi sit videatur, nec ne? quid eum sentire dicas? Rem sane perplexam interrogas.* atque ita Lucianus. Hac de re ita Picus noster dicere solebat. Res, inquit ita in controuersiam cadit, quod crocodilus reddere nolebat, nisi verum ab ipsa diceretur, quæ redditurum negabat, idque verum esse dicebat: illinc enim reddendum minime videbatur, quoniam negabat se redditurum, hinc reddi apparebat oportere, quoniam verum dicebat esse, illum nolle reddere, quia si reddebat, falsum videbatur, quod fœmina dixerat, ipsum nõ redditurum; Vide in hoc, aiebat

Picus, vndique strui insidias, & propterea hoc genus antiquos *πρίονα*, id est, serram vocauisse, ad quod genus etiam refertur historia illa nota satis Protagoræ, & Euathli, quæ apud Gellium, Apuleium, & Laertium legitur, tametsi alii in Tisiam & Coracẽ retulere. Vnde illud Ciceronis *Mali corui, malum ouum*, solui vero Pico auctore facile potest, si ad figuram reducatur, quæ dicitur simpliciter, & quoquo modo. Neq; enim ait, simpliciter falsum negandumue huius generis sophisma, neque verum simpliciter affirmandum, sed partim falsum, partim verum: vno modo simpliciter, alio quadantenus: & hac quidem in re Laurentius Valla in sua dialectica non satis a Pico comprobatur, dum Gellium carpit. Addebat is quidem & illud Picus, propemodum esse simile esse, quod Cicero & Lactant. tradũt de eo, qui somnio monitus erat, *ne crederet insomniis*, quo fieret, si non crederet, nihilominus crederet, quia huic ipse credebat, secundum id enim quadantenus credit, sed hac de re dicetur in *ἀσυστάτῳ*. Potest & illud quod *δίλημμα καὶ ἀντιστρέφον* dicitur referri, item alia permulta vt & illud ex II Rhet. *si iusta loqueris, homines tibi erunt inimici, si iniusta Dei: contra si iusta loquar, Dei me diligent, si iniusta homines* Item quam appellat Cicero complexionem, *Complexio*, inquit, *est in qua vtrũ concesseris, reprehenditur. ad hunc modum, si improbus est cur vteris? si probus cur accusas?* Illa quoq; Biantis argumentatio huc deduci potest *si pulcram*, inquit, *vxorem duxeris, communẽ habebis, si turpem pœnã*: sed hæc antistrephonta nõ esse, si ita dicatur vult Gellius, *si turpẽ ducam, non habebo communem, si pulcram, non habebo pœnam*: sed in hoc vide Gellium in 5. qui Phauorini sententiam affert iterũ lib. vbi Plinium carpit ex ea declamatione, quæ non modo apud Plinium ipsum, sed & apud Senecam & alios est, *vir fortis præmio quod optauerit donetur, &c.* De Pseudomeno vero & Asystato, deq; Aporo hoc loco vobis recitabo, quæ ipse in dialogo 3. de Poetis cum Philetæ Coi vitam commentarer, in medium protuli. Habitus, *inquam*, fuit Philetas inter sui temporis Grammaticos non ignobilis criticus, vsq; adeo vero in his, quę ad orationem spectant, eiusq; nitorem, studiosus fuit, vt cum forte difficile nescio quid, anxie nimis perquireret, cura & macie contabuisse feratur. Hanc ipsius mortis caussam Græcorum diligẽtes quidam scriptores fuisse arbitrati sunt, quod id genus orationis, quod tum *ψευδόμενον* tum *ψευδολόγον* Græci dicunt minime soluere quiuerit. Declarat hoc & ipsius, quod adhuc legitur epitaphium, sic a me Latine expositum.

Hospes ego hic sum pseudomenos me sermo Philetam
Perdidit, & curæ noctibus Hesperia.

Porro ne vos hoc lateat, pseudomenos sophisticæ captionis genus est, quod hodie a Dialecticis reflexũ dicitur & insolubile, Cicero *soritinosum* & inexplicabile, vt in Acad & de Fato: in II vero de Diuinatio-

ulnatione mentientem etiam appellat. Pseudomenos hoc est, *Epimenides ait, omnes Cretenses esse mendaces, & ipse est Cretensis, ergo & ipse mendax*, igitur *non est credendum*. Et ait, *Cretenses esse mendaces, ergo est non credendum. sunt ergo Cretenses veraces, & non credendũ, & hic Cretensis, ergo, est credendum*. Porro & iurisconsulti hoc genus attigere, ut in illo ad L. falc. his verbis, dixi τῶν ἀντιστρεφόντων hanc quæstionem esse, qui tractatus apud Dialecticos τοῦ ψευδομένου dicitur. τὰ ἄπορα vero perplexa dicũtur, quale illud est cap. 16 de Cond. insti. *si Titius heres erit, Seius heres esto, si Seius heres erit, Titius heres esto*. A. Gellius lib. 9. sic inquit: *exponit igitur tentamenti gratia controuersiam parem cõsistentem, quod genus Graeci ἄπορον vocant, Latine autem id non minus commode, inexplicabile dici potest*. Idem aliis in locis eiusmodi argumenta ἀντιστρέφοντα appellat. Alciatus tamen lib. primo Parerg. ἐκ τῶν ἀπόρων non τῶν ἀντιστρεφόντων legit, & argumentum id esse putat, quod ἀσύστατον dicitur, de quo libet vobis recensere, quod Lactan lib. 3. tam docte quam facunde describit. *Quod*, inquit, *Arcesilas veritate non cognita facere conatus introduxit genus philosophiæ ἀσύστατον, quod Latine instabile siue inconstans possumus dicere*. & paulo post, *huic aut simile est illud, quod in scholis proponi solet asystati generis exemplum, somniasse quendam, ne somniis crederet, si enim crediderit, tunc sequitur, ut credendum non sit, si autem non crediderit, tunc sequitur, ut credendum sit*. Non ignorandum asystati genus esse, quod ἰσάζοντα appellatur, cum eadem ex vtraque parte dicũtur, vt duo adolescentes vicini speciosas vxores habentes, nocte inuicem se conuenerunt, accusant se adulterii, quicquid enim altera pars dixerit, idem & altera dictura est, mitto quæ Fabius, & alii his de captionibus dixere. Hæc sunt mi Irenæe quæ mihi decumbenti in memoriam venere, quæ si tibi alicui frugi futura sunt, nõ frustra operam locasse mihi videbor, interea tu vale ac patri viro excellenti me interdum commendatum facito.

DIALOGISMVS VI.

Ad Ill. Aloisium Esten. Ducis F. de venatione accipitrum ceterarumq; auium rapacium.

CVm te Aloisi Estensis salutatum venire non possim propter infirmam valetudinem, qua pridem affligor ex articularis morbi doloribus, quæ non modo pedes & manus, sed & reliquũ corpus sic debilitarunt, vt nec me in grabatulo sine famuli obsequio mouere atq; excutere possem, statui hoc meo schedico, hoc est, rudi & incõdito scripto te salutare. Nam cum ab omnibus intelligam, te ista regia ac nobili indole bonas literas ceterasque ingenuas artes etiã nullo impellente studio capescere, ac quosq; optimos & doctissimos de omni re literaria percontari, quæ cognitu digna tibi videantur. Accipe igitur vice mea nostrum hunc sextum annotationum Dialogismum, in quo de re admo-

Digitized by Google

dum difficili, & a multis principibus præcipue perquisita, necdum plane patefacta, hoc est an apud antiquos hæc auium venatio, quæ per falcatas, & venaticas volucres tam passim ab omnibus nunc peragitur, in vsu fuerit: qua in re pleriquè omnes huiusce ætatis scriptores anxie admodum insudarunt. Memini me ex illa lectione, cum iunior essem ac valentior, quampiam annotationem confecisse, quam hoc tibi loco patefaciam. Nudius tertius aut quartus certe cum me salutatum venisset Othobonus iuuenis bene literatus, ac modestus, & ex me quædam ex epistolis Ciceronis obscura, vt quid sentirem, ei exponerem, rogasset. & cum me satisfactum fuisset: tunc ille, si non grauis tibi o Lili, nec molestus tibi videbor aliam multo obscuriorem a te mihi rem exponi cupio, quæ est, vt diximus, de volucrum venatione, quæ per accipitres seu aquilas fieri consueuit. Nam his diebus Herc. Estensem Ducem nostrum inclytiss. a principe philosophorum huius ce nostræ ætatis Madio percontatum audiui, an hac de re, quippiam vspiam inuenisset, atque ille ad eam diem se nequicquam inuenisse asseruisset, cum me domum contulissem, cœpi auctores hac de re, quos putarem, aliquid scribere, euoluere. nihil & ego quoque comperi. Nunc ergo optime Lili, si quid habes super hac volucrum venatione, ne nobis inuideas. Cur ego, imo Othobone annotationē habeo in meis opisthographis. Et cur, inquit Othob. eam mihi non impertis? qui eam tuo nomine edam. atque eam confestim, vt exhiberem efflagitauit. Non possum inquam, nam puer abest, qui pro me meas schedas euoluit, nam, vt vides, & pridem nostri manuum munus amisi, cum redierit ille domum, dabo operam, vt quæ in archetypo est, in macrocollum referat, atque ita factum est.

Scribit, vt ab hoc exordiar, Flauius Blondus de Italia illustrata, in regione Campaniæ cum de Cassilino egisset hæc verba. *Rem nouā ipsius viri occasione dicemus falconis auis [illegible] aucupium, quo inclytus rex Alfonsus Arago[illegible] mo vtitur: ante ducentos [illegible] omnino [illegible] Seruius Grammaticus [illegible] appellatam [illegible] Hetru[illegible] dicunt quorum [illegible] dicta auis [illegible], non scribit [illegible] auiū nomina, accipitres scilicet [illegible] aliqui falcones [illegible] auium facit mentionem, [illegible] Virgilius cum [illegible] D[illegible] quoque [illegible]*

[illegible]

A[illegible] auium, vt dicimus, [illegible] aut [illegible]

aut

aut mansueta alias aues terrestres. aut aquatiles, aut aerias capere. Atq; hactenus Blondus. qui sane hoc loco in codicem corruptū Plinii impegit, nam nusquam in Plinio achilliones legitur, sed vel buteone vel esaloa legendum, quo loco Hermolaus Barbarus ita scribit, (*esalon Graeci vocant*) scribēdum Æsalona, vt sit genus accipitris aliud, quam Buteo ex Aristotele lib. 9. de hoc & infra Plinius, *Æsalona*, inquit, *parua auis oua corui frangens*. Ouidius non æsalona sed esalon vocauit. Sed & Hermolaus hoc loco perperam citat Ouidii carmen ex duodecimo Metamorph.

Nescius assumtis Priamus pater esalon alis. cum passim legatur & legi debeat.

Nescius assumtis Priamus pater Æsacon alis. Nusquam enim lectum est *Æsalon* mutatum fuisse in mergum, sed Æsacon Priami filium, vt plane ex 11. eiusdem Ouidii videmus. Cum Blondo & alii plerique scriptores eius ætatis consentiunt, vt Valla Laurentius contra Raudensem, qui ait, cum veteres ne venaticas quidem aues mansuefecissent, nec ad prędam instituissent, vt nos facimus & hoc quidē ille dicit, quia Raudensis existimauerat noīa significare sonalium accipitrum. Budæus quoq; pluribus hoc genus venandi accipitrum in commētariis Pandectarum negat fuisse, vbi pene totam hanc nostrorum temporum venationem explicet. Vides igitur Othob. quid sentiant hac de re nostræ ætatis scriptores. Plinius tamen *lib 10. ex Aristotelis lib 9.* ita ad verbum scribit. *In Thracia parte super Amphipolim homines atq; accipitres societate quidam aucupantur. Hi ex siluis & harundinetis excitant aues, illi superuolantes deprimunt, rursus captas aucupes diuidūt cum iis. Traditum est, missas in sublime ibi excipere eos, & cum tempus sit capturæ, clangore ac volatus genere inuitare ad occasionem,* quę Plinii verba sumta sunt ex Aristotelis libro 9. de Animaliū historia. Hanc venationem apud Ælianum ita Gyllius recitat. *Accipitres in Thracia auditione accepi ad hanc rationē cum hominibus per paludes societatem aucupandi coire, homines explicatis retibus quiescere, accipitres autem superuolantes exterrere aues, ac intra retia compellere. Thraces si quas ceperint aues cum accipitribus partiri, eosq; tum ad aucupii societatem fidos habere, sin cum his earum partem, quas ceperint, auium non communicauerint, dissociari atq; distrahi.* Hæc ille. Ex quibus omnibus obscure tamen videmus, homines cum accipitribus consortium quoddam venandi habuisse non plene vt hoc tempore, verum quod manifestius hanc rem patefaciat distichon legitur Val. Martialis ex Apophoretis.

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis idem,
Decipit, & captas non sibi mœret aues.

Quibus verbis liquido patet, fuisse venationem ex rapacibus auibus. Iulius quoque Firmicus scriptor mathicos diligentissimus, qui Constantini Magni tempore floruit, l.b. 5. sic scribit in ♃ ♀

hoc est, *in Aquario Venus si fuerit inuenta, qui sic eam habuerint homines erunt, aucupiis tantum, & venationibus dediti, in ceteris vero pigri, inertes, otiosi, melancholici, & qui nulla sciant se bonarum rerum operibus applicare. Accipitres tamen, falcones, astures, aquilas, & aues huiusmodi, equosque ad venandum alere studebunt, eruntque ad huiusce exercitationis negotia valde ingeniosi, vnde etiam sibi non modica quærant vitæ subsidia:* Atque pro te hactenus Firmicus. Sidonius, præterea Apollinaris, qui Theodorici Gothorum regis ætate claruit, in quadam ad Hedicium epistola: *Omitto, inquit, quod hic primum tibi pila, pingus, accipiter, canis, equus, circus ludo fuere.* Patet ergo quoquo modo apud antiquos hanc auium venationem fuisse, sed si tempora distinxerimus, in totius rei cognitionem facile deueniemus. Primo namque tempore, hoc est, ab Aristotele vsq; ad tempora Plinii res quidem nota, sed parum vsu percepta, vtpote, quam pauci admodum, & hi quidem ignobiles tentauerint: post vero Plinium statim, vt ex Martialis disticho ostenditur, in vsu fuisse videmus, cũ accipitrem ipsum famulũ esse factum aucupis videamus, hoc est, mansuefactum ad capiendas aues, non pro se, vt antea, sed pro aucupe, manifestius hæc etiam ex supra citatis verbis Iulii Firmici, & Sidonii Apollinaris videmus. Quod in tanta, & in tam frequenti consuetudine hæc sit deducta venatio, id mihi ex recentiorum historiis colligitur, in quibus Federicũ Ænobarbum Germanorum Imperatorem magnam falconum & asturum copiam in Italiam suo tempore deportasse constat. Idem hoc & Bandellus Dominicanus, vir sane eruditus, sic in quadam oratione funebri in Principem Mantuanum repetit. *Aues autem, inquit, aucupio natas accipitres videlicet, falcones, gerofalcos peregrinos, montanos, gibbosos, astures, quos Pausanias astergios vocat, qui primus in Italiam longo postliminio Federicus Ænobardus aduexit, ac cicures effici edocuit, primusque ex Italis Rainaldus Marchio Estensis apud se in deitiis habuit, ad centum quinquaginta magnis expensis aluit.* Tunc cum me videret non plura dicturum, Othob. dixit satis quidem Lili, mihi hac de re fecisti. Hæc vero sunt illustri Aloisii, quę in illa mea annotatione iuuenis olim congeram de accipitrum, & aliarum auium venatione, quã tibi dono mitto. Vides enim & illis familiam tuam hac venatione delectatam, vtpote a Principe Rainaldo, qui suo tempore illustris Princeps fuit, quæ si tibi aliquo pacto arriserit, hanc enixe abs te peto, & obsecro, vt Illustriss. parenti tuo ostendas, ea scilicet ratione, vt & te videat operam dare literis, & historiis cognoscendis, quamquam & longe plura, & meliora ex tuis præceptoribus audire possis. Vale & me excusatum habeto, qui volui potius aliquo rudi & incondito scripto te salutare, quam omnino vt mutus nihil scribere.

DIA-

DIALOGISMVS VII.

Ad Vincentium Madium Philosophum de fascino & fascinatione.

VT aliquam exilibus meis scriptis nominis famam auspicater, Vincenti Madi nostræ ætatis philosophorum princeps, hunc meum Dialogismum tibi dicare constitui, in quo plurima de fascino, & fascinatione ex iugi mea lectione pridem collegeram. Sed nulli adhuc inscripseram. Verum cum superioribus his diebus me inquireret B. Pigna inter huiusce nostræ ciuitatis adolescentes bonarum omnium artium studiosissimus, meque ita sciscitasset, vt pleraque cum aliis de rebus, tum de fascino & fascinatione ita loqueretur. Legebam, inquit, proximis his feriis Latinis tua de Deorum gentium syntagmata, cum in eam partem incidi, in qua de Deo virilis membri multa subtiliter scripsisti, atque in ea verba incidi, quæ sunt, *fascinum* ait, pro Priapo positum apud auctores sæpe vidimus, & D. August. in libr. de Ciuitate Dei, nec semel, vt cum in 6. ait: *quid hoc dicam? cum ibi sit & Priapus, nimium masculus, super cuius immanissimum, & turpissimum fascinum sedere noua nupta iubebatur, more honestissimo & religiosissimo matronarum.* Virg.

Pedicabere fascino pedali. Idem
Priape quod tenco grauis sis fascino, item
Ruber sedere cum rubente fascino.

Vtitur & Horatius, *Minusve languet fascinum*, quo loco Porphyrion ait, quod fascinandis rebus hæc membri deformitas adderetur. Donatianus quoq; de ithyphallico carmine ita scribit, *dictū autem est inde, quod in mysteriis Liberi Athenis vates stipitem rectum in modum fascini tenebant, id quod etiam in Poetis annotaui, sunt qui puteut ad auertendum fascinum. Nam vt Aug. ait in 7. a matrona honestissima imponi illi coronam ad auertendum fascinū frugibus. Acron fascinum esse ait virilem penem. Lingua vero detersa fronte mulieres amputare se infantibus putant fascinum.* Plin. lib. 28. cap. 4. *Religione muratur & fascinus. Imperatorum quoq; non solum infantium custos, qui Deus inter sacra Romana a vestalibus colitur, & currus triumphantium: sub his pendens defendit, medicus inuidia, iubetq; eosdem recipere.* Hæc concise Plinius. Sed de fascino, qui vel oculis, vel lingua vel tactu fieri dicitur, non est cur hic scribam, alias ex philosophis & medicis seorsum annotationem conscripsi. Hæc tu quidem Lili de fascino, quo loco fateris hac de re annotationem confecisse, cur non ergo, cum nihil nos otiosos impediat, eam ipsam recitas? Cui ego, libenter tibi mi Pigna morem geram, & quæcunq; in eam compegi memoriter tibiq; quam paucioribus potero recitabo. Quoniā inquā fascini crebra adeo mentio apud auctores non poetas modo, & historicos sed philosophos etiam, non incongruum ideo mihi visum est hic subscri-

bere, quæ a multis tradita sunt. In Africa scribit Isigonus & Nimphodorus, quod & Plinius repetit, & Gellius & Solinus, familias quasdam effascinantium esse, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Esse generis eiusdé in Triballis & Illyriis adiicit Isigonus, qui visu quoque interimát, quos intueantur, iratis præcipue oculis, quod eorum malum facilius sentiunt impuberes: Notabilius esse, quod pupillas binas in oculis singulis habeant. Huius generis fœminas in Scythia, quæ vocantur *Vithra*, Prodit Apollonides, Philarchus & in Ponto Thibiorum genus, multosq; alios eiusdem naturæ. quorú notas tradit in oculo altero geminam pupillam, in altero equi effigiem, eosdem etiam non posse mergi, nec veste quidem degrauatos. Sed fascinandi mos non ex oculis tantum & aspectu, verum etiam lingua, tactu, & verbis: De oculis Vergilius.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

De verbis vero Catullus:

Conturbabimus illa ne sciatur
Aut ne quis malus inuidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

Item alibi:

Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Grammatici nónulli hoc verbum *fascino* propterea a verbo fando deriuant: alii a fasce, quidam & a verbo Græco *βασκαίνω*, quod est inuideo & fascino, β tenuem in φ suam aspiratam mutantes, & ex diphthongo αι abiicientes ι. Verbum adeo notum, vt & ecclesia nostra in Pauli ad Galatas epistola eo vtatur, *o insensati Galatæ quis vos fascinauit?* hoc est per inuidiam vos seduxit, vel maleficio aliquo affecit? sed illis hæc mittamus. Sunt & qui maleficiatos, qui a Iureconsultis dicútur, *fascinatos* esse putent, ꝙ quidé vocabulum apud eos ad alia plura transfertur. Sed enim de oculorum fascinatione, quæ a Landino super eo Vergilii carmine,

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos,

de philosophorum penetralibus ducta, hoc tibi loco referam. Ita ille scribit. Fascinatio autem morbus est, qui ex spiritu fascinátis per oculos fascinati ad cor ipsius ingresso peruenit. Spiritus enim cordis a calore ex puriori sanguine generatur. Tales autem sunt in nobis spiritus, qualis est sanguinis humor. Spiritus autem similes sibi radios per oculos quasi per vitreas fenestras emittit. Cor enim suo perpetuo quodam motu proximum sibi sanguinem agitans ex eo spiritu, in totum corpus, perque illos luminum scintillas per membra diffundit quidem singula, per oculos autem maxime. Ad altissimas partes, cum sit leuissimus, maxime euolat spiritus, eiusque lumen per oculos, cum perspicui maxime & nitidi sint, maxime emicat. Nam quod aliquod lumen in oculis sit,

patet

patet ex eo, quod quorundam brutorum oculi in tenebris micant. Quin & Aug. Octauianus adeo lucidos oculos habuisse fertur, vt cum acrius quemquam intueretur, cogeret eum quasi ad solis fulgorem oculos submittere. Tiberium quoque & in tenebris vidisse Tranquillus auctor est, sed ad breue, & cum primum a somno patuissent. Quod autem radius ab oculo emissus vaporem spiritalem secum trahat, & vapor sanguinem, ex eo iam perspicuum est, quod lippi rubentesque oculi radii sui emissione eos qui vident, eodem morbo cogunt laborare: hoc enim indicat radium vsque ad obuium illum protendi, & cum radio vna vaporem corrupti sanguinis emanare, cuius cõtagione oculus spectãtis nidificatur. Refert Aristoteles, mulieres menstruo affectas intuitu suo speculum sanguineis guttis sæpe fœdare. Est enim vapor sanguinis, sanguis quidem tenuissimus, qui aspectum fugit oculorum, sed in speculi superficie factus crassior iam apparet: Hoc in rariori aut minus tersa materia non efficitur, quia in ea penetrat aut dissipatur radius. Non ergo mirum si patefactus, & in aliquem intentus oculus, radiorum suorum aculeos in aduersos oculos iaculatur, & vna cum aculeis, qui spirituum vehicula sunt, sanguineũ illum vaporem, quẽ spiritum nominamus, inuehit. Hic violentus aculeus diuerberat oculos, & cum a percutientis corde incitatur, percussi præcordia quasi regionem propriam repetit, & cor vulnerat, neque eius duriori dorso hebescit, redit in sanguinem peregrinus hic sanguis, & cum ab eius, qui saucius est, alienus sit, sanguinem eius proprium inficit, infectus autem sanguis ægrotat, hæc ægrotatio fascinatio est, quæ iccirco magis nocet teneriori ætati, quia illius corda cum molliora sint, minus resistunt ferienti, & magis læduntur. Hæc ille. Sed alii ad infixam intentamque imaginationem totũ hoc fascinandi genus referunt, quoque quis magis est imaginosus, hanc perniciem magis inferre putatur. Sed hoc loco operæ pretium est, quæ a Plutarcho viro doctissimo traduntur hac de re libr. 5. Symposiacon asscribere, vt sunt cum a me, tum a Rucilio interpolata. Is igitur sic scribit, homines quosdam suo conspectu pusionibus negotium exhibere, quod videlicet eorum habitus humoris imbecillitatisque caussa in peiorem degeneret conditionem: qui vero solido cõcretioriq; constant corpore, vitium hoc non sentiunt, quanquam incolentes pontum Palæ hebeorũ familias referat Philarchus non infantibus modo, sed & adultis quoq; perniciosas esse, quippe cũ spiritum earum, voces & conspectum admittentes intabescere & corripi morbo cognoscantur, argumento quod hanc labem sentiant & hospites, & qui frequens cum eis ineunt commercium, illinc emtitia mancipia statim abducentes: neque forsitan minus fuerit mirabile, nam contactus & miscella, per quam euidens iam vitii continent rudimentum, & quemadmodum cæteri aqui-

larum pennis, id q Plin. affirmat mixtæ reliquarum alitum pennæ absumuntur, neque eam labem sentiunt cum aliis teneris, ac mollibus etiam putrescentibus, sic nihil intererit hominis cuiusdam salubrem esse tactum, alterius vero noxium, & molestũ haberi, qui nimirum visos iniuria lacessat, sic aucupiũ caussæ, quod difficulter assequimur, fidem vix habebit. atqui iam is vestigium & semitã inuenit caussæ, qui ad corporũ effluuia perrexerit, quãdo vox, odor, & emanans spiratio quidam sunt animalium halitus, & partem sensum mouentes, cum ab iis occursantibus afficiuntur. Longe magis verisimile fuerit ab animantium corporibus, vt quæ calore potiantur quãdam auram exspirari, præsertim cum motum perinde quasi pulsum aliquem & conturbationem spiritus excitet, a quo corpus perpetim agitatum effluuia quædam eructat, multo maxime oculis exspui perspicuum est, siquidem visus crebro motu obnoxius cum spiritu ipsum eiaculantem quandam vim igneam & mirabilem diffundit, ita vt hoc auctore permulta & agat & patiatur homo. Voluptatibus enim capitur ac rebus visis illectus amoris, qui quam maxima & violentissima animi noscitur affectio, visus fundamenta iacit, sic vt amandi facultas hinc profluat & effundatur velut ad eos prouenìens, quos pulcros & elegantes prospexerit. Ideo quam maxime demirari eos quisquam posset (vt mea fert opinio) qui & visu hominem consentire & affici molestia credunt, non item agere & nocere: etenim mutuus eorum respectus, qui forma & pulcritudine præcellunt, quodque procidit oculis ac manat, siue lumen siue profluxio quædam fuerit, amantes tabe conficit permixta dolori voluptate glycypicron, quasi dixerit *dulcamarum* appellant. neque tangentibus aut audientibus vsuuenit adeo animos vulnerari vel desideria refricari veluti inspiciẽtibus, & his, qui inspiciuntur, etenim talis intestinus ardor distributioq; a visu proficiscitur. Sed prorsus amorẽ in expertos existimare oportet, qui mirantur medicã naphtham, ad quam vndecunque vel e longinquo visam protinus transilit ignis, quem statim illa concipit, tanta est horum cognatio: venustæ siquidem formæ spectrum suum quamuis eminus iaculentur, attamen igniculum in animis animantium succendunt. Atque remedium regii morbi memoria repetendum est: *Galgulus* (vt puto) vocatur auis, quæ si spectetur sanari id malum tradunt, talem videtur ales sortita naturã, vt alliciat ad se vitium atque rapiat, ipsumque oculis effusum, tanquã effluuium asciscat. Galgulus vero, quem puto Græce vocari charadrion, regio morbo laborantem nec cernit nec tolerat, sed oculos concludens, genasque committens auersatur, non inuidens, vt nonnulli credunt, hominum saluti, sed perinde quasi ictũ accipiens vulneretur: ceterum, vt reliquos taceam morbos, lippitudinem concipiunt, qui cum tentatis ea versentur, tum perniciem

vim

vim possidet oculus, vt in alterutrum iaculetur vibretque vitii rudimentum, sed cum ex noxiis quibus corpora nostra patent, quædam ab animo prodeunt, vt fascinus, quo nam pacto vitium ad spectatos per visum deleget, iam est differendum. Nemo potest inficiari quin animus affectus suum corpus male habeat, non vides vt rei Venereæ cogitatio genitales partes titillet atque surrigat? nonné canum furores iis certaminibus, quæ cum feris ineunt visus aciem perstringunt imo frequenter penitus excœcantur. Nunquid auaritia, mœror, æmulatio colores immutant, & habitum digerũt, nec his minus inuidia, quam indueris animus, improbitate corpus explet, quam pictores dum pulcre atq; insigniter exprimere conantur, faciem inuidiæ deliniũt: itaque quoties inuidia flagrantes ita truces fixerint oculos, vt vicini & propter astantes animi maleficium alliciant, perinde quasi iacula veneno delibuta proruent, nec enim id velut absurdum abhorret a ratione: namque videmus canum morsus incandescentium ira multo molestiores esse: genituras humanas melius coalescere tradunt, quoties propius amantes applicuerint, & vt summatim loquar, affectiones animi vires corporis firmant, atque vegetiores reddunt. Quapropter familias hominum quæ fascinum amoliri traduntur, aduersus inuidiam pollere & esse remedio putant, visu scilicet præstigiis abstracto, quo suam aciem innocentius affectis adigat; sed ratio videtur illegitima moneta percuti, si quãdo pro veris statuamus, quæ cõplures de fascinatoribus prodiderunt. Id ignorandum profecto non est, quod vernas amicos, familiaresque nonnunquam patres esse fascinantem habere oculum arbitrentur, sic vt iis vxores, quos sustulerunt liberos non ostendant, nec sinant diutissime talibus cerni, quibus omnis facessit inuidiæ suspicio, nec eis vlla labes inesse creditur. Quis herum erga famulos, & parentem in filios liuore insimulabit? Sed quid, qui vt tradunt se ipsi effascinarunt, nam id posteritatis memoriæ poetis mandatum est. Cum Eutelidas miser vir in flumine se conspexisset, ipse sibi hanc fascini perniciem consciuit, ac confestim ineuitabilem contraxit noxam. Eutelidas enim pulcer alioqui sibi visus cum sui amore deperiret, in ægritudinem lapsus pristinũ corporis habitum cum venustate perdidit. Græcum hoc est carmen quod Plutarch. affert.

Εὐτελίδας αὐτὸν βασκαίνει ἰδὼν ὀλοφώϊος ἀνὴρ
Δινήεντι ποταμῷ· τὸν δ' αὐτίκα νοῦσος ἀεικής.

Quos sic ex tempore vertimus.

Noxius Eutelidas spectans se fascinat ipsum
In fluuio rapido, morbo est correptus iniquo.

Posset & hoc loco quæ de Narcisso fabula vulgata est, sed audenter est affirmandum omnes animi affectiones, si permanentes diutius hæserint, improbos habitus creare, qui quando naturæ ro-

bus asciuerint,quamuis occasione conciti,identidem inuitos etiam in peculiares & assuetas trahunt affectiones: si timidos obseruaueris inuenies quæ eis salutaria reformidare,iracūdos amicissimis fore difficiles, lasciuos & amatores etiam moribundos a pudicissimis sibi temperare nō posse corporibus,siquidē consuetudo vehementer ad hoc pollet,vt propriam exigat affectionem: sic enim in errorem prolabi necessum,qui supra modum offensis pateat, & occurrētium iniuriis sit obnoxius. nec miratu dignum eos qui pertinacem inuidentiæ notā,aut fascinatorem in se crearunt habitum,ad id quod suum est,pro affectionis natura moueri,motos sic,quod apti sunt, non quod volunt præstare: vt enim orbis circulari vertigine rotatur, & cylindrus suo more secūdum figuræ discrimen volutari cogitur, sic inuidiosum affectio inuidenter ad omnia mouet: Ceterum eis magis officere par est quæ propria sunt, & quorum desiderio tenentur. sic optimus ille Eutelidas & quotquot effascinasse se non ab re traduntur, illud mihi perpeti videntur. Bonus habitus,qui residet in summo,vt Hippocrates est auctor, tutus non est, corpora ad summum vigorem progressa non persistunt: sed velut æqua lance librata in contrarium ruunt. haud difficile summa quæq; deturbātur: itaq; quando sibi vberius incrementum vendicarunt, ac melius habentes quam sperarent,sese conspexerint, sicut cum se mirantur,& corpus explorant,iam mutationi locus est, & habitu in deteriorem partem grassante,se possunt effascinare, quod fieri potius potest defluxionibus aquarum,æquore vel speculo resilientibus,sic vt in ipsos videntes respirēt,& reciproco iaculatu in suos retorqueantur auctores, peculiarisq; veneficii tandem pœnas luant, & eisdē, quibus ceteros se fascinis labefactēt. Sic infantes plerunq; se proprio vitiant fascinatu, caussam tamen huius falso contuentibus conscribunt: vt enim spectorū,quæ inuidētes eiaculantur,nulla potest initi ratio, quamquam neq; sensu prorsus, neq; impetu vacent,sed maleficii,& effascinationis labe iactantium referciuntur, ea quod diutius iis, quos effascinare volunt,insederunt,imbuta veneno corpus & mentem conturbant,& sua vitiant sorde: ita putandum est opinione fascinari quodammodo, quod in sermone diuinitus factum aut mirabili quodam affectu accidisse prædicat Plut. Atque hactenus quidem o Pigna de fascino & fascinatione dictum a me sit. Tum vero, inquit Pigna, multa certe a te Lili hæc de re in mediū allata sunt,sed par quoque fuerit quoniam caussas attulisti,si quæ remedia a te collecta sunt præter ea, quæ in syntagmate adscripsisti ne referre graueris: non pauca inquam comperi,sed eorum e memoria pleraq; exciderūt, quæ memini in præsentia hæc sunt. Scribit Aristoteles in Quæstionibus, *rutam remedium esse fascinationis*,sed quoniam ille pluribus id explicat,apud Arist. ipsum, cum libuerit, legere poteris in 20 Problema-

blematum particula. Fascinationibus quidem peculiari adoratione occurrebat antiquitas, quibus & frontis corium resistere credidit. Easdem fascinationes repercutiebat sinistræ dextræque claudicatis occursu. Palmarum lignum in pomo osseum intente limatum contra fascinationes poliebatur. Satyrion herba quæ *orchis* cognominatur & fœmina creditur esse: distinguitur internodiis, & ramosiore frutice radice fascinis vtili. Alyssum in domo suspensum, ait Diosc. salutare amuletum contra fascinationes hominum, quadrupedumque generi. Ruellius putat baccharem valere contra fascinum, illudque citat ex Buc. Verg. *Bacchare frontem Cingite ne vati noceat mala lingua futuro:* sed quid sit baccharis N.L. nam qui chariophyllum nostrate esse putant, non satis sententiam suam rationibus comprobant. Atque hactenus quidem o doctissime Madi de fascino & fascinatione cum Pigna nostro disseruimus, quæ, & si minus digna sunt, vt subtilissimo tuo iudicio offerantur, nihilominus (prius dixi, vt aliquid mediocritati meæ auctoritatis compararem) hæc volui acerrimæ tuæ censuræ subiicere. Vale.

DIALOGISMVS VIII.

In quo per multa parum nota de chemia, & chemistis traduntur, ad Latinum Iuuenalem patritium Romanum.

LILIVS, ET IVVENALIS.

LILIVS.

AD quintum forte Cal. Maias pomeridiana hora a somno excitatus mecum nescio quid meditabar, cum ecce ancilla, est, inquit, foris, qui ad te intromitti cupit vir quidã, & quis nam est inquam? illa, tuum veterem se esse amicũ ait: introduc ergo illum: introductus ex sermone non ex facie amicũ, & quidẽ carissimum agnoui Latinu Iuuenalem virum eloquẽtem ciuem Romanum: multa ergo simul collocuti vltro citroq; de rebus, quæ acciderunt ex multo tẽpore, ex quo simul esse nõ potuimus. Ego propter aduersam valetudinẽ, qua ex articulari morbo pessime sum affectus. Ille ex negotiis summorum pontificum, & Regũ occupatus. Sed his omissis ille, inquit, iam de literis agamus, ego pridem tuos libellos editos aliquos vidi, alios ab aliis visos audiui. Puto te tametsi male affectus, nonnihil tamen aliquid moliri, vt te ostendas non omne tuum tempus Romæ in aulis contriuisse. Sic est, inquam, mi Iuuenalis optime, multa edidi, nunc in manibus habeo annotationum mearum Dialogismos quosdam, quos si vita suppetet sesquimense, aut certe eo paulo amplius perficiam, in quibus ex varia lectione permulta non indigna cognitione, vt spero, congeram. Tunc Iuuenalis mi carissime Lili da operam, vt hoc opus cõficias & si quid veteris amici apud te preces valent in his testatum facias nostram inter nos constitutam fuisse bene-

uolentiam a primis vsque annis pontificatus Leonis decimi vsq; ad Romanam direptionem, ex quo tu Roma digressus, ego neque te, neque tu me vidisti. Faciam inquam mi Latine iucundissime libenter, modo mea scripta talia sint, vt in manus hominum eruditorum perueniant: sic enim vt languet corpus, ita & plerunque oratio: illud enim nosti quod a Galeno scribitur animum sequi corporis temperamentum. mittamus ista, inquit Iuuenalis, & quid nunc meditabaris? an ne aliquod Sophocleum? minime, inquam. sed ab amicis meis quibusdā rogatus in Iuriscos. nostratem Iacobum Cagnatinum epitaphium condideram, examinabamq; illud. an possem amicis efflagitantibus exhibere. & quodnam illud est, inquit, Iuuenalis? & me illius participem effice. sed certe, inquam, nō dignum est Latine tuis auribus obstrepere, qui non scis nisi culta, atque perfecta vel legere, vel audire, ne non tamen tibi morem geram, hoc ipsum est.

D. O. M.

Hoc sub marmore conquiescit ille,
Cuius gloria vbique peruagatur,
Cagnacinus honos, decusque legum,
Consultissimus vtriusque iuris
In queis non fuerit secundus vlli,
Seu nodos canonum abditos sacrorum
Aut ænigmata iuris explicaret,
Seu caussas ageret bonus forenses
Nec doctis alienus a camœnis,
Quo Ferraria ciue gloriatur
Ticinumque dolet frui nequisse
Professor stipe quo vocatus ampla,
Hic vita tibi norma sit viator.

Vides Latine languentis senis languidos hendecasyllabos, nulla alia ratione tua auditione dignos, nisi quod recenter facti sunt. mihi vero Latinus ait, non ita languidi & inuenusti, vt ipse dicis (quæ tua fuit semper modestia) videntur. quales quales sint inquam, Latine ex tuo iudicio amicis in marmore exsculpendos tradam, & de his iam satis: nunc tibi annotationem de aureo vellere, deq; chemica arte, quā *alchimiam* nunc vulgo vocāt, parum Latinis cognita recitabo. Cum essem igitur Mirandulæ post vrbanam direptionem, quo exutus omni fortuna, & amicis pluribus summis viris orbatus, me ad Picum contuleram, & is chemiæ operam daret, me rogauit ille, si quid de ea re conditum haberem ei, vt exhiberem. eo tempore aureolū libellum inter euoluendum Græcos quosdā peruetustos codices Michaelis Pselli viri doctiss. repereram, quem manu mea exscripseram, tibi tradam. in quo Psellus ipse donatus summo honore a Cōstantino Duca Cōstantinopolitano imperatore, vt gratiam referret de ipsa *chemia*, quam

quam *chrysopœam* nũcupat subtilissime tractauit, quem libellum vna cum annotatione libenter exhibui, quæ sic habet. Vellus aureum prouerbialiter dicitur de iis, qui ex rebus admodum parui pretii pretiosissima quæque eliciunt, vel de his, qui artem parandæ pecuniæ habent, vt Romę, Genuæ & Venetiis alibique permulti, ab eo videlicet deductum, quod ex argento viuo, quod a chemicis Mercurius dicitur, aurum conflari existimatur, id quod super ea verba Apollonii ex secundo Argonauticon τὸν ῥά χρύσειον ἔθηκεν ἑρμείας. id est, *quem aureum vtique posuit Mercurius*, colligitur his verbis ab interpretibus, χρύσειον δέρας λέγεται τῇ ἐπαφῇ τοῦ ἑρμοῦ τὸ δέρας τοῦ κριοῦ γενέσθαι χρυσοῦν. *Pellis. s. aurea dicitur contrectatione Mercurii pellem arietis factam esse auream*, quibus verbis videri potest, quod parum ab aliis est obseruatum, velleris aurei fabulam conflatam esse, tametsi alii oues in regione Colchica villosas fuisse tradant, ex quarum lana pastores auro locupletabantur: alii quod ea regio auriferos amnes habeat, in quibus demissis pellibus aurum colligerent: Alii vt Eustathius ait, Thoanes populos Colchicos esse scribunt, apud quos torrentes aurum ferant, quod κωδιοτοῖς δοραῖς, id est, *velleribus vel lanosis pellibus* aurum colligerent, vt est apud Strabonem, excipiant, quanquam Græcus & Latinus Strabonis codex impressus modo Soanes, modo *Poanes* vulgo habeat, id quod ex Eustathio, eodemque Strabone facile emendatur. Alii nonnulli existimant Barbarorum ingenium atque naturam per oues auricomas significari, qui cum bruto sint ingenio ac rudi, fortunatos tamen esse constat. Sed hæc vtcunque a diuersis, at nos id astruamus, quod primo diximus, arte, quæ Græce chrysopœia vel chæmia dicitur, aurum parari ex velleribus ex aliisque speciebus hac ipsa arte conflari, atq; primum quæ Carax hac de re prodidit afferamus. Aurea igitur pellis, methodus est chrysopraxiæ, id est, auri cõficiendi, vel, vt in aliis legitur, chrysographiæ, id est, auri describendi, quæ membrana conijcietur, propter quam vti plurimi faciendam Argonautas ad Colchos nauigasse traditum est. Sed & Suidam audiamus, qui & ipse hanc Argonautarum fabulam, ita propemodum interpretatur. *Vellus* (inquit) *ouis aureum, hoc est*: χρυσόμαλλον δέρας, quod Iason per mare *Colchicon cum argonautis nauigans cepit, vnaque Medeam Æetæ Regis filiam, non sic vt poetice dicitur: Sed vellus ipsum liber erat in pellibus descriptus, continens artem, quo videlicet pacto per chæmiam aurum conficiatur, & perinde conuenienter aureum dicitur vellus, quod eius auri confectio per ipsum fiat.* Phauotinus Varinus in Lexico Δέρμα, inquit τὸ φυλαττόμενον ἐν κολχίδι οὐκ ἦν χρυσοῦν ἀληθῶς, τοῦτο γὰρ πειθανευόμενον ἐστὶν, ἀλλὰ βιβλίον ἐν δέρμασι γεγραμμένον, περιέχον ὅπως δεῖ γίνεσθαι διὰ χυμίας χρυσόν, hæc quidem Phauorinus: sed cum Pico Orphei Argonautica legeremus, eamque imprimis partem, in qua Iasonem vellus aureum excipientem inducit, non-

nulla ibi, quæ ad aurum conficiendum conuenirent Picus obseruauit, quæ hic longum esset annotare: quin & quę de malis aureis Hesperidum a poetis traduntur, ad ipsum chemiæ artis rationem conuenire monstrabat. Sed his missis, nos quæ Suidas alibi ait afferamus, χημεία, inquit, *argenti & auri apparatus est*, cuius artis libros cum Diocletianus Cęsar inquisiuisset, combussit, ea scilicet ratione, quod ii caussa essent, vt Ægyptii quotidie noua aliqua in ipsum Diocletianum molirentur, qua re immitius & crudelius cōtra eos vsus est, propter quod omnes chæmiæ argenti & auri libros ab antiquis conscriptos perscrutatus incendi iussit, ne ab Ægyptiis deinceps ex huiusmodi arte opes compararentur, neue pecuniarum copia audaciores facti impostetum contra Romanos rebellarent. Sane hæc ars hac ratione nunc vulgo abdita, verum inter paucos propagata per reges quoque serpit. Corrupte *Archimia*, quasi ars *chimia* dicta, Arabes *Alchimiam* vocant ex Arabo videlicet articulo, & *chimia* Gręca dictione, *Al* enim apud eos masculini, & fœminini generis est articulus. Atque hæc quidem de annotatione dicta, sed libet in huius calce Latine suauiss. epigramma nostrum addere, quod tunc cum Pselli libellum Pico donauimus, qualecunque composuimus.

Si velut Æsonides Nepheleia vellera quaris,
Non per Cyaneas illa petenda petras.
Si qua Tantaleis latuerunt ædibus Atrei,
Non ea Tantalea fraude paranda tibi.
Hesperidum si mala cupis seruata dracone,
Non opus Herculeo Pice labore tibi.
Si quicquid nigris auri defertur ab Indis,
Non est cum trucibus pugna futura feris,
Si quicquid Lydis vel Hiberis voluitur vndis,
Non tibi per gentes longa terenda via est.
Omnes ecce tibi ignotos quacunque parandos
Thesauros paruo codice Psellus habet.

DIALOGISMVS IX.

Ad Augustinum Beccarium de eo genere osculi, quod a nostris parentibus Florentinum vocatur, vnde originem traxerit & cur, vbi Tibulli, Plauti, & Theocriti versus explicantur, deque verbo Antestari.

Lilius & Augustinus.

LILIVS.

CVm te aliquo munusculo mihi cōciliare vellem, occurrit mihi antiqua mea quædam obseruatio iampridem a me in iuuentute confecta, quæ est de basio, quod dicitur Florentinum quæ etsi momenti non magni sit, erit tamen monumentum & pignus amoris. August. cum a te o Lili proficiscatur munus esse non potest nisi pretiosum, erit ergo mihi illud gratissimum: nam cum te scm

te semper singulari quodam amore sim prosecutus, isto tamen nonnihil etiam augebitur. L. Placet quod sim rem admodum gratam hoc tibi dono facturus. A patribus nostris, & auis cum puer essem memini, dum me oscularentur, audiuisse, Florentinum osculum eos mihi dare, quo osculo apprehendebant vtrinque mihi aures & osculabantur: postea adultior factus, dum studiis operam impenderem, comperi consuetudinem hanc osculandi antiquissimam esse, non sine ratione factam: quinimo & Græci & Latini scriptores classici, vt paulo post ostendam, eius meminere: Plutarchus certe in eo, qui est de *Audiendo* inscriptus, sic propemodum hac de re prodit: *in ea ætate maxime referre si puerorum aures bonis imbuantur colloquiis*. Xenocrates etiam non ab re præcepit, *vt aures armari ac muniri thecis, vt sic dicam, quas vocant amphotides magis quam athleta curarent*; hoc genus quidem osculi a Græcis chytra & chytron vocatur. Ænnicus poeta priscæ comœdiæ, quem perperam Eunicum, vt puto, apud Pollucem legimus, de chythra sic in fabula, quæ antea inscribitur senariolo meminit sic ʒ me conuerso. *Prehendens per aures da mihi chytra osculum*, sic enim Græce legitur libr. X. apud Pollucem λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν, quo loco Iulius Pollux ait *chytran* speciem osculi fuisse, qua puerili auriculis apprehensi oscularentur. Suidas vero χύτραν genus esse osculi & ipse prodidit. Porro notissimum est, hoc vocabulo Græcos *ollam* vocitare. Putarim ego genus hoc osculandi sumtum esse ab olla, quæ duas ansas haberet, quarum vtramque arripientes, qui olla bibebant, quasi osculari videbantur: in ollis enim non modo antiqui, sed & hoc tempore apud nonnullas nationes ebibere morem esse scimus Memini cum Romæ essem ex Hispaniis ad Leonem X. Pontificem Maxim. missam fuisse copiosissimam supellectilem vasorum istiusmodi fictilium ad ornandum abacum, quorum cum omnibus ferme aulicis (vt erat Leo liberalissimus) aliquot donasset, & mihi olla contigit, & alia quæpiam ex argilla rubra. Sed vt redeam ad osculum, quod auribus comprehensis infertur, meminit, & Theocritus in eo idyllio quod ædipori inscribitur, sic enim canit: οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι μι πρὰν οὐκ ἐφίλασε,

τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα quæ sic nos vertimus pro tempore.

Non amo Alcippem, nam non prius oscula porsit
Auribus arripiens, tribui quam dona palumbi

Hinc ego illud Tibulli in secundo Elegiarum ita lego.

Oscula comprehensis auribus arripiet.

Alludit & Plautus huic consuetudini in Pœnulo: cum Milphionem ita loquentem inducit, *sine te exorem, sine te prehendam auriculis, sine dem suauium*. Hoc loco missum facio id, quod me scripsisse memini in aliis meis annotationibus, ꝙ auris esset mne-

mo/ynæ id est memoriæ consecrata. Hinc memorem aliquem facere volentes aures illis mouere seu vellere soliti erant antiqui: vnde est illud Vergilii, *Cynthius aurem vellit & admonuit*. Sed hac de re multo plura in primo de Deorum gentium historia scripsi. Sed enim, vt locupletiorem annotationem hanc nostram faciamus, aliam apprehendendæ auris consuetudinem afferamus, de qua sic Horatius in Serm.

Ignosces, alias loquar: hunccinne solem
Tam nigrum surresse mihi, fugit improbus ac me
Sub cultro linquit, casu venit obuius illi
Aduersarius: & quo tu turpissime magna
Exclamat voce, & licet antestari? ego vero
Oppono auriculam, rapit in ius clamor vtrique
Vndique concursus, Sic me seruauit Apollo.

Quo loco Acron multa & Porphyrion super hoc verbo Antestari: denuntiantes enim litem antestatos habebant, quibus præsentibus conueniebant, ita vt aurem illis tertio vellerent. Sicletuus magister vrbis exponit, & paulo post inquit Acron ipse, solebant testium aures tenere, & ita dicere, memento, quod tu mihi in illa caussa testis eris, quod est antestari: vel sic, quoniam olim, qui antestabantur auriculam contingebant, ideo que Poeta ait libenter auriculam obtuli: Tangens autem auriculam his verbis loquebatur, licet antestari? Si ille respondisset licet, per iniectionem manus aduersarium suum in iudicium trahebat, quod si antestatus non esset, & manum iniecisset, iniuriæ reus constitui poterat. Plautus in Persa. *Leno ad Satyrionem parasitum, Nonne antestaris.* Parasitus. *tua ne ego caussa carnifex cuiquam mortali libero aures atteram.* Alia pene similia subdit Acron. Sed Porphyrion & ipse hoc loco ita ferme scribit de verbo Antestari. De hoc autem lege XII. tabularum his verbis cautum est, *si in ius vocat, testamini, igitur en capito antestari.* Est ergo antestari scilicet antequam manum iniiciat, & cetera quæ supra ex Acrone recitauimus. Est ergo antestari verbum legale, quo tantum in iudiciis vti solebant cum actor reum in ius vocare volebat. Græci antestari vt Budæus refert κλητεύειν dicere solent, idque comprobat ex Iulii Pollucis verbis, in Pandectarum posterioribus castigationibus, sed iam satis superque de chytræ osculo, & de vadato in iudicium vocato.

DIALOGISMVS X.

De Nudipedalibus sacris ad Leandrum Albertum ord. prædic.

LEander Albertus Bononiensis ex sodalibus Dominicanis, vir cum vitæ integritate, tum sacrarum literarum & prophanarum eruditione celebris, ab ineunte ætate singulari beneuolentia ac necessitudine mihi coniunctus, & quanquam non in eodem

dem loco nobis degere, & vitam traducere contigit, nihilominus tum literis, cum internuntiis beneuolentiam amoremque inuicem continuauimus: cumque accideret nostrum alterum diuertere, vbi alter moraretur, nihil vtrique nostrum potius fuit, quam vt alterutrum conueniremus. Is ergo his diebus cum ad nos ob quædam suorum sodalium negotia, & religionis caussa diuertisset, sermo fuit inter nos variis de rebus, inprimisque de re literaria, qua nostrum vterque summopere delectatur. Post multa me, o Lili, inquit, si quid habes de his sacris, quæ nudipedalia a Septimio Tertulliano, & D. Hieronymo dicuntur, quorum & in vltimo tuorum Syntagmatum meministi, te rogatum velim, vt mihi patefacias. Imo vero inquam, duæ sunt apud me annotationes hac de re, quarum altera ex Fl. Iosepho, & Egesippo concinnata est: altera vero cum adolescens Pythagoræ symbola explicarem est confecta. Tunc Leander, quin eas nunc mihi non impertis? Faciam inquam libenter, & simul vocato puero, ades dum, affer annotationum mearum opisthographos libellos, quos cum puer attulisset, priorem dixi lege clare, & distincte, vt intelligatis, confestim puer aperto libro sic cœpit.

Visum est mihi inter meas has annotationes hanc quoque addere, quæ est de Iudæorũ consuetudine in votis nuncupandis, eoque libentius, quod & Ægyptiorum quoque fuisse video, & perinde etiam melius videbimus elegantiam Callimachi poetæ, & qui eius elegiam de crinibus Berenices Latine vertit Catulli, cuius quidem elegiæ argumentum partim apud Hyginum Latinum auctorem, partim etiam apud Theonem & Achillem Alexandrinum Græcos Arati, nec non & Latinos Catulli expositores inuenies, sed qui rem vnde cœperit edisserat, haud facile se tibi offerat. Moris igitur Hebræis, quod & puto Ægyptiis fuit, cum ex morbo vel alia quapiam vrgenti necessitate implicarentur, Deo vota facientes, antequam hostias immolarent vino abstinere, & capillos tondere, tum nudis pedibus rem sacram facere, hoc quod diximus verbis Iosephi, & Egesippi scriptorum Iudaicarum rerum non ignobilium ex lib. II. *de bello Iudaico* vtriusque subsignabimus. Iosephi ergo verba hæc sunt: *Cum Berenice soror Agrippæ regis Hierosolymam venisset, et a subiungit vt vota*, inquit, *Deo solueret, is enim mos est, qui morbo vel aliis necessitatibus implicantur, orare per aliquot dies, antequam immolent hostias, abstinere quoque vino, & capillos radere, quem morem Berenice regina nudipes illis exercuit diebus.* Egesippi vero verba hæc sunt, vt sunt a D. Ambrosio tralata de Flori crudelitate & acerbitate in Iudæos. *Quæ omnia nec exaturatus agebat in conspectu Berenices*, inquit, *quæ soror Agrippæ regis ad templum religionis caussa venerat, acerbissima cæde in populum desæuiebat, nec obsecranti deferẽdum arbitratus, cum inseruientem religioni nudis pedibus astantem cerneret, & orantem sa-*

studio haberet. Vide igitur ex his verbis, quare antiquior illa Ptolemæi Berenice vouerit crines Deis pro mariti reditu, cum id moris esset in votis nuncupandis, & inde cognoscere possumus, cur vterque poeta sic cecinerit Græcus quidem.

ἡ μὲν κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Sic vero Latinus.

Idem me ille Conon cœlesti in lumine vidit
E Bereniceo vertice cæsariem.

Quod vero nudam pedes dixerit Berenicem Agrippæ sororem Iosephus, dictum esse videtur ex instituto cum Hæbreorum, tum etiam Pythagoræ, qui in suis symbolis nudis pedibus Deum adorandum præcepit, quo in loco multa recensui, cum pene puer ea Pytha. symbola interpretarer Pico nostro iuniori, quæ non ad verbum assribo, quod ea ipsa symbola excusa his diebus audiui a Io. Oporino docto viro Basileæ. Quæ tamen ad præsentem nostrum attinent sermonem, ex ea excerpam, si prius tamen expendamus carmina illa Iuuenalis ex sexta satyra, quæ sunt,

Obseruant vbi festa mero pede sabbata reges
Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Quo loco, qui ad hunc diem in Iuuenalem commentaria scripsere, mero pede exponunt. id est, nudo, dure quidem sed in Iuuenale ferendum tamen. A Domitio quidem Diod. citatur quod ad propositum faceret, si modo, quo in loco id legeretur asscripsisset cetera, quæ a commentatis afferuntur, parum ad hanc rem faciunt. Hæc cum a puero recitata fuissent, placet, inquit, Leander, sed & libenter audiam, quæ de Pythagoræ symbolo annotasti, cui ego, paucioribus quam potero hic tibi colligam. Pythagoræ igitur symbolum hoc est: *Nudis pedibus rem sacram facito, & adorato.* Pythagoras symbolum ab Hebræis accepisse videri potest: nam vt alibi ostendimus, & ipse ab Hebræis originem duxit, apud quos morem fuisse accepimus sacra & sancta non ingredi loca nisi nudis pedibus. Mosi certe DEVS Maximus præcepit, vt calciamentum solueret. quod in quo staret loco, terra sancta esset. Post Mosem quoque Iesu Naues filio idem est imperatum: sed & supra ex Iosepho & Egesippo id plane ostendimus. Hinc quoque illa Diui Leonis in quodam de ieiunio sermone exclamatio de Hebræorũ ieiunio loquentis. *Habeant,* inquit *illi nudipedalia sua, & in tristitia vultum ostendant otiosa ieiunia.* De eo quoque Hieronymus in primo contra Iouinianum, volens ostendere Paulum apostolum se in omnia vertere, vt omnes lucrifaceret, cum dicit etiam nudipedalia exercuisse. Tertullianus vero in Apologetico, *ex eo enim* (inquit) *& innocentia seculi iniquitates temperauit, & deprecatores DEI esse cœperunt: Denique cum ab imbribus æstiua hyberna suspenduntur, & annus in cura est, vos quidem quotidie pasti, statimq; pransuri*

furi balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilitia Ioui immolatus, Nudipedalia populo denuntiatis, cœlum apud Capitolium quaerens, nubila de laquearibus exspectatis, auersi ab ipso, & DEO & cœlo. Hæc Tertullianus. Et propterea ego Pythagoræ symbolum ita sum interpretatus, vt inter sacrificandum mund. & mundanis relictis curis, a scelerum inquinamentis per confessionem expiati rei diuinæ operam darent: nam & lauare pedes mystice expurgare mētem dicimus. Multa hic prætereo ne omnia inculcem, quæ in eo symbolo apposui. Illud certe non reticebo, quod scriptores de Lacedæmoniis tradūt, eos iuxta hoc Pythagoræ institutum nudis pedibus adorare, & rem diuinam facere solitos, quod nil mirum: nam Iosepho teste Lacedæmonii Hebræos socios habuere, & ab ipsis, vt alia multa, & hoc suscipere potuerunt. Porro & nostri Christiani in Parasceue in adoratione crucis nudis pedibus multi procedere solent, contra tamen Christianis nobis ex cerimoniarum ritu, & pontificum institutis, prohibitum est sacram Eucharistiam nudis pedibus conficere, & Paulus monet calciatos pedes nos habere debere, in præparationem Euangelii: Idem repetit D. Cyprianus, vt serpens, inquit, a nobis calcatus obteratur, neue armatos pedes possit mordere. Verum hac de re iam plus satis, & tibi præcipue Leander, qui in tota re sacra multo es me & doctior magis versatus.

DIALOGISMVS XI.

Ad Bern. Barbuleium de tonsura, & rasione capitis, qua corona vulgo dicitur, & de eadem re varia ac multiplicia ex diuersis auctoribus, vbi de Natali Salatino famulo.

LILIVS SOLVS.

DVo sunt omnino, mi Barbuleie, quæ in tota hac diutina seruitute Natalis meus ab obsequiis famulus enixe me rogauit, alterum, vt de se aliquam memoriam sui in meis scriptis facerem: alterum quid est, quod sacerdotes vulgo in capite coronam gerāt, vtrunque ei hac mea vnica annotatione præstabo. Et primo quidem Natalis ipse Salatino patre ruri natus est, & cum diu apud me versatus sit, nihil omnino vrbanitatis assequutus, præterquam horas impendere, vt bene curatus & comtus exsistat: ceterum mores & elegantiam, literasque adeo auersatus est, vt nihil nisi rude, ac plane agreste in eius sermone appareat. Vnum est certe, quo maxime in eo admirari soleo quod res nouas Pontificum, Cæsarum ac regum domi forisque molitas vult intelligere, ac narrare aliis. Hac igitur commendatione præsentibus ac posteris eum notum facio. Reliquum est, vt de abrasione capitis sacerdotum, quod promisi exsoluam, idq; longiore fortasse hac annotatione, quæ nunc primū nō est cōfecta, sed pridem cū plus otii & valetudinis mihi suppeteret. Hæc ea est. In sacris Hebræorum libris prætereaque

nos ad Dei immortalis cultum erudiunt, sunt etiam pleraque inspersa, quę variam multiplicemque pręse ferunt eruditionem adeo, vt nisi euolutis gentium, & aliarum nationum libris, recte explanari nequeat, quale est illud, quod succurrit in præsentia, quod in Pentateuchi libro, qui Græce ac Latine *Leuiticus*, Hebraice vero *Vaiitra* vel *Vaiecra* inscribitur, ca. XIX. habetur, quod ita Hieronymus secutus Hebræi sermonis proprietatē interpretatus est. Non in rotundum attondebitis comam, vel vt alii, non in circuitu attondebitis angulum capitis vestri. Latini super his plane nugas agunt, quorum propterea verba mitto, quando nec illi plura scire desiderant: At non sic Græci interpretes, inter quos Theodoritus, qui sic. *Consueuere*, inquit, *Græci non attondere puerorum capita, sed eis potius comam crescere sinebant, quam post certum tempus dæmonibus dicabant.* Eius sententiam Picus Princeps meus cōprobat, ex ea quæ Statii legitur de coma Earini silua. Poterant id etiam ex Homeri Iliade astruere, qui in Patrocli funere Achillem inducit flauam sibi comam tondere, pridem a patre Peleo Sperchio flumini patrio, si victor rediisset, deuotā; cuius poetæ carmina ideo vertere supersedeo, quoniam non est in præsentia mihi Homeri copia, eo scilicet mihi cum reliquis libris sublato. in miseranda a Cæsarianis militibus vrbis Romæ direptione. Idem etiam Pausanias in Attica his propemodum verbis, iuxta Cephisii um simulacra duo sunt, alterum Mnesimaches: Cephisso crinem suum detondentis pueri alterum. Fuisse vero patrium Græcis omnibus crinem fluminibus tondere ex his Homeri versibus cognosces, in quibus est Peleum Sperchio pro felici Achillis a Troia reditu crinem vouisse. Idem refert in Rep. Plato, idem Strabo, idem Suetonius. Est & apud Artemidorum *lib. 1. de Somniorum interpretatione cap. XXIII.* vbi de capitis abrasione multa, & de tonsura Ægyptiorum agit: sane & abrasio capitis apud gentes fuisse ad auertenda maleficia, & incantamina videtur in historiis nostris; vt in sanctæ Priscæ virginis & martyris vita, & D. Christinæ, cuius Dion præses caput fecit abradi propter maleficia, & carmina. De ceteris mitto breuitatis caussa. Idem vir sanctissimus Hierosolymarum antistes Cyrillus, cuius verba, vtcunque potero Latine proferam. *Græcorum*, inquit, *amentissimi pueri suas consuetudines secuti, & irrationabilium animalium vitam viuentes, comam & nutrientes dæmoniis consecrabant, atque hic quidem nymphis Oreadibus, hic fluminis ad tempus attondebat, idque religionis non fuit.* Pulcra hæc quidem interpretatio, quæ si quibus placet, eam sibi habeant, mihi certe non vsquequaque arridet. His enim ego verbis existimarim potius vanas Ægyptiorum religiones ab Hebrço populo Deum immortalem amouere iussisse; qui iam Ægyptiorum superstitionibus dediti, iisque initiari iam soliti fuissent, id enim quod iam de puerorum coma attulimus, Græcorum quam Ægy-

ptiorum

ptiorum potius religio fuit, vt plane ostendimus: quapropter de Isidis magnæ Ægyptiorum Deæ sacerdotibus libentius ego intellexerim, qui (vt tam Græcis quam Latinis auctoribus cognitum est) eo modo caput attondebant, nec aliam ob caussam, vt grammatici putant, sunt ab Ouidio, Martiale, Iuuenale, Prudentio, aliis *calui*, appellati: id quod cum manifestius ostendat Apuleius, eius ideo ex Metamorph. lib. vltimo verba subnexui. *Tunc influunt*, ait, *turba sacris diuinis initiata viri fœminæque omnis ætatis, linteæ vestis candore puro luminosi: illæ limpido tegmine crines madidos obuolutæ, hi capillum derasi funditus verticem prænitentes*: Hæc quidem Apuleius. Idem scribit Herodotus, qui & in Euterpe totos abradi scribit alternis diebus, ne pediculi cæteraque excrementa pollucrent eos. Atque ideo Lactantius in primo eos deglabratos corpore dicit. Idem Plin. Ælius quoq; Lampridius de Commodo agens *sacra*, inquit, *Isidis coluit vt & caput raderet, Anubin portaret, & omnes partes expleret*. Sane & hoc D. Hieronymus non ignorauit, qui in lib. Ezechielis ita scribit super eius verba, *caput autem suum non radent, neque comam nutrient &c. Quod autem*, inquit, *sequitur, caput autem suum non radent, neque comam nutrient: scilicet tondentes attondebunt capita sua, perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cultoresque Isidis, atque Serapis, nos esse debere, nec rursum comam dimittere, quod proprie est luxuriosorum barbarorumque*, & reliqua. LXX. tamen interpretes Ezechielis locum ita interpretati sunt καὶ τὰς κεφαλὰς αὐτῶν οὐ ξυρήσονται, καὶ τὰς κόμας αὐτῶν ψιλώσουσι quod Hieron. ita Latine vertit, *capita sua non radent, & comas suas non ad pressum tondebunt*, fortasse melius dixisset *cutem non nudabunt*, id enim ψιλόω significat; certe Chœrilus poeta antiquus de hac capillorum in rotundum tonsura, de Iudæis loquens, ita meminit, *iuuenes capillis sub rotunditate detonsis*, sic enim interpretatur Rufinus apud Iosephum in primo contra Apionem, si modo Rufinus: quo loco male pro Chœrilo *Cyrillus* legitur, sed hoc in poetis nostris melius ostendimus. Scribit Diodorus in 1. consuetudinem apud Ægyptios ad sua vsq; tempora fuisse, & peregrinantes tantum quoad domum reuerterentur, comam nutrisse, sumtumque id ab Osiride. Sed quod Deus populo Hebræo ad simulacra colenda prono prohibuit, non vsquequaque videtur Christianis sacerdotibus negasse, quippe quibus in capite corona deferri iubet, vt regale insigne, regale esso sacerdotium ostenderet, ad spineæ scilicet Christi coronæ non Isiacæ similitudinem. Qua de re & Hieron. aliique, & in decretis nostris institutionibus. Restat tamen vnus adhuc mihi in hac re scrupulus, quod LXX. id quod Hieronymus hoc loco Latine vertit *non in rotundum attondebitis comam*, ipsi in Græce interpretati sunt, οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, id est, *non facietis sisoam ex coma capitis vestri*. Sisoes n. plane a nullo exponitur, nisi

quod eius meminit sic Theodoritus, quidam, inquit, exponunt: &c. sin capillos accurate factos: Suidas quoque σισόης, inquit, τὸ πλοκίδιον, id est, vt puto *cincinnus*, & *crinis intortus*, qualibus & hodie videmus Armenios sacerdotes accurate vti: quod cum amico cuidam forte dixissem, quid si vulgare, ait, nostrũ ab hoc esset extortum, quod nunc passim a puellis dicitur, Rizzoi, pro sisoi primæ literæ frequenti immutatione S. in R. vt *Valesius Valerius*. Istud ego inquam si sic sit, longe esset alienum a nostra, & Hieronymi interpretatione, namque id ego vocabulum non Græcum, sed Ægyptium esse existimo, vt eius etiam est sonus, neque enim Græcum sonat, minus Latinum, & id apud Ægyptios significare puto, quod noster Hieronymus expressit, cum & in Ægypto, vt Iosephus, & Eusebius, & horum vetustior Aristeas prodidere LXX. interpretationem suam fecerint. Hoc vero quod de sisoe diximus, potius coniectari licet, quam asserere. Si quis tamen Homeri carmina, quæ supra citauimus, legere desiderat, rhapsodiam ψ hoc est XXIII. librum Iliados legat. Porro circumtondere crines, hoc est, ἀποκείρειν πλοκάμους prouerbio vsurpari solet pro eo, quod est irridere, & ludibrio habere, vt apud Lucianum est videre in Misanthropo, & Pseudomante. Non est quod hoc loco afferam de Nazoræis, qui neque capillum, neq; barbam attondebant, vt ex Hebræorum historiis plane cognoscimus. Habes mi Barbulete quam in gratiam nostri Natalis confecimus annotationem, quæ digna est, vt sub tuo nomine appareat. Vale.

DIALOGISMVS XII.

Ad Herc. Troctum sacræ militiæ equitem, de Materibus & Cestrosphendonis militaribus, nec non de Baronibus.

HErcules Troctus Alphonsini F. sacræ militiæ Hierosolymitanæ eques in omni equestri dignitate adolescens valde pro ætate versatus, atque in primis, cum in literarum, tum in armorum studiis: Nam & Græce & Latine probe eruditus, & equitandi peritus in omniumque armorum genere suæ ætatis adolescentibus nemini est postponendus. Is ergo superioribus diebus, me vt interdum solet languentem conuenit; atque me ita est allocutus: Lili, inquit, his æstiuis diebus succisiuis temporibus commentariorum Cæsaris lectione caloris fastidia lenio, legebamque eam partem, qua describit prælium atrox commissum cum Heluetiis, quo loco hæc verba leguntur: Nam hoc toto prælio cum ab hora septima ad vesperum pugnatum sit, auersum hostem videre nemo potuit, ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est, propterea quod pro vallo carros obiecerant, & e loco superiore in nostros venientes tela coniiciebant, & nonnulli inter carros, rotasque mataras, ac tragulas subiiciebant, nostrosq; vulnerabant. Sic Cæsar: cuius candorem video, sed quid mataras sit penitus ignoro, & si qui de re militari auctores scripsere, omnes

ferme euolui, nusquam hanc vocem comperi: legi tamen quorundam commentaria grammaticorum, qui pro mazaras machinas legunt, aut mazarias: sed non video quid ipsi sibi velint: tu si quid habes mihi impertiri velis. Cui ego, est in meis schedis annotatio quæpiam a me facta cum adolescens essem, quam tibi per puerum, qui præsto est recitari curabo, & simul hoc dicto, adesdum, inquam, puer, opisthographorum meorum librum solue, & hanc ipsam commentariorum Cæsaris annotationem Herculi huic equiti clare ac distincte perlege. Tum aperto libro puer sic cœpit. Video plerosque dubitare quid *mazeras*, seu *mazarias* significet apud Cæsarem, sed codex deprauatus est. nam pro mazaris *materes* legendum est, id quod in vetustis etiam codicibus, si non plane, adumbrate tamen videri potest. Sane materis, genus lanceæ videtur ex Sisenna historico, qui a Nonio Marcello citatur ex libr. 3. & 4. histor. In illo enim ita scribit, *Galli materibus*, Sueui lanceis configunt, in hoc vero, hoc est, in quarto alii, inquit, materibus, aut lanceis medium perturbant agmen. Ammianus quoque Marcellinus. *libr. XXI. historiarum*, lancearios, & matercarios coniungit, vt Sisenna lanceas & materes. T. Liuius histor. *libr. VII. ab V. C & quia fessis*, inquit, *iterum subeunda dimicatio erat, & quod consul dum inter primores incautius agitat, læuo humero materi prope traiecto cesserat parumper ex acie*, licet in codicibus quibusdam *machara* perperam legatur, *matere* tamen legitur in peruetustis, item in emendatis Venetis, & Germanis. Porro & in Rhetor. ad Herennium libr. IV. ita sane legitur. *Non tam cito Sarissa Græcia potita sunt? nec tam facile ex Italia materis transalpina depulsa est?* Quin & hoc nostro tempore vulgus patria voce baculum seu fustem matarum ac matarellum vocitat. Hactenus ego locum Cæsaris sum interpretatus: sed vir sane multiplici eruditione insignis veterem lectionem agnoscit ex Hesychio, literæ immutatione, qui ait, *Madares Celtis esse latiores hastas carnium*, & si alii mazaras legunt eodem Hesychio auctore, qui *eas*, ait, *Persicum esse telum*, quibus assentitur Alciatus in Parerg. Sed quoniam de armorum generibus agimus non mi Hercules ignotũ tibi minus, genus aliud hoc loco afferam, quod est apud T. Liuium lib. II. quintæ Decadis, quod *cestrosphendonus* vocatur, cuius hæc verba sunt. *Maxime*, inquit, *cestrosphendonis vulnerabantur, hoc illo bello nouum genus teli inuentum est, bipalme spiculum hastili semicubitali infixum erat crassitudine digiti, huic ad libramen pinnæ tres, velut sagittis solent, circumdabantur, funda media duo funalia imparia habebat, cum maiore sinu libratum funditor habena rotaret, excussum velut glans emicabat.* hæc quidem Liuii verba. Porro *cestrosphendonus* vocabulum conflatum esse videtur ex Græcis duabus vocibus, altera quidem cestros, quod genus teli est inprimis, vt pluribus Suidas scribit, inuentum bello

Pertico, cuius etiam figuram exprimit: altera vero ex ſphendone, quæ ſignificat apud noſtros fundam, qua nunc paſſim pueri vtuntur in lapidum prœliolis. Huiuſce teli *ceſtrophendonis* ſchematiſmon hoc eſt figuram expreſſam eſt videre in Valturio, ſed vocabulum non eſt appoſitum. Porrò vt auctiorem meam hanc annotatiunculam ac locupletiorem tibi habeas, accipe qui Barones nuncupentur, qui adeo his diebus doctiorum hominum & Iuriſconſultorum quorundam ingenia fatigarunt, dum Cic. locum in epiſt. ad Atticum illuſtrare voluerunt, quod ego tibi tantum, non vt eos doctrina, & eloquentia inſignes cauillari velle videar verbis tantummodo Iſidori Pontificis doctrina ac ſanctitate præclari ex *lib. IX. cap. VIII.* monſtrabo. *Mercenarii*, inquit, *ſunt qui ſeruiunt accepta mercede, iidem & Barones Græco nomine, quod ſint fortes in laboribus Bary enim dicitur grauis, quod eſt fortis, cui contrarius eſt leuis, id eſt infirmus.* Hæc Iſido.

Vides vero *Barones* ex Iſidori auctoritate mercenarios eſſe milites, qui conducti mercede merebant. Neque ipſe apud Cic. Barones ſtupidos homines, vt plerique docti faciunt, interpretarer, ſed cum adſcititii milites eſſent, non ordinarii: ita qui non auctores in propria facultate, ſed in alienam migrarunt, quadam metaphora a Cic. & aliis dicuntur *Barones*. Alciatus in ſuis Parergis ſic propemodum ſcribit. *Ego βαρβάρους, id eſt, Verones, ſeu immutatione Dorica Varones accepi populos Hiſpaniæ eſſe ſic a Flauio, cuius Mart. quoque meminit, dictos, qui, vt nunc Germani ſolebant principibus apparere, & excubias facere, quos & veriſimile eſt eligi ſolitos prægrandi corpore, quamuis mente ſtolida eſſent, quod huiuſce militiæ proprium eſt.* Cæſar IV. Commen. Belli ciuilis: *Caſſius ſemper Barones compluresque euocatos cum telis habere conſueuerat, a quibus ceteri intercluduntur, qui ad cædem faciendam ſubſequebantur, &c.* P. quoque Victorius in libr. ſuarum annotationum in Cic recte quidem emendare videtur aliquibus in locis ipſum Cicer. & pro corrupta veram vocem inducere Baronem. Tranſtulere & Iuriſconſulti ac Baronis vocem in eam, quam nos vulgo vſurpamus, quin & de eis multa ſcripſerunt, vt in Feudis, adeo tamen vt ad antiquam vocis ſignificationem referri poſſit. Qui Barones a muliere philoſophiæ dedita deduxere, & fatuos philoſophos interpretantur, decepti nimis, ac dure vocem deriuant. Ego tibi plura hoc loco congerere poſſim, de Barone, & Varone, & Varro, ni ſenex inepte videre malim, quam probe docere, & propterea hæc tibi hoc loco ſufficiant. Atque hactenus tibi habe mi Hercules, quæ de Matertibus & ceſtroſphendonis, & Baronibus mea annotatione comprehendi.

DIALOGISMVS XIII.

Ad Dominicum Bondinum medicum de Melanzana, seu, ut alii, mala insana, an apud veteres cognita fuerint.

Dominicus Bondinus medicus, & Lilius.

DOMINICVS.

VIdeo Lili ab omnibus, qui hac nostra tempestate de simplici rei medicæ materia scripsere, fateri se ignorare, an apud antiquos cognita fuerint mala insana, quæ nunc vulgo vocantur vel melanzana, aut melangiana, & apud Hetruscos petronciana. Inter quos Hermolaus Barbarus in suo in Diosc. Corollario, vbi de mãdragoræ generibus, ait: *de Morio mandragora nihil habeo quod addi possit iis, quæ a Diosc. notantur: sed quoniam mala terrestria & canina mandragoræ fructus appellantur, in mentem subeunt, quæ vulgo melanzana vocitamus, hoc est, vt ipse puto mala insana: de quibus nihil veteribus scriptum fuisse iam desino mirari, quod multa huiusmodi reperio: sicut hercle multa quondam fuere, quæ modo vel ignorantur, vel certe non habentur. Mala ergo insana, e frutice vulgari sunt passim nascente, vt melones & cucurbitæ. Pari quoque cultu, foliis prope ficulneis flore oblongo, specioso, candido, manditur vulgo pomum ex oleo, sale, pipere, fungorum modo coctum.* Atque hactenus Hermolaus, & ab Hermolao alii, quos est insectatus in suo in Dioscoridem vernaculo cõmẽtario Mattheolus medicus. Lilius. Sed si plura hac de re scire cupis lege Ruellium in suis de Stirpibus libris, qui & hoc pomum vocari ait apud Gallos *pomum amorum*. Mala ergo insana e frutice vulgari dependent, qui personaceam frondibus & caule prorsus æmuletur. is passim nascitur foliis prope ficulneis, flore oblongo, specioso, cãdido, fructu pomi magnitudine in orbem absolutum circinato, colore vel puniceo vel niueo, in quibus cartilago granis intercepta cucumeraceis continetur, quæ edendo sic : estur vulgo pomum ex oleo, sale, pipere, fungorum modo coctum. Alii vbi paulum inferbuit igni in orbiculos, vel taleolas digerunt & in acetariis ex oleo vel pipere & aceti momento mandunt. Salgamarii in muria acida seruant e cibo per hyemem & ver ori non ingrata, sed tamen, qui egrius cõcoquãtur, eodem gaudent cultu, quo cucumeres & melones, in hortis apud nos feruntur. Sed frequentius in fictilibus, vt fenestrarum pensiles hortulos exornẽt, sed cur amoris pomum appelletur nostris haud scio, nisi forsitan quod elegans, & perpulchrum placeat, & ita dignum, quod ametur, hæc Ruellius: quem & secutus est Antonius Musa in suo dialogo, & Fuscius non modo rem, sed & verba plerumque desumentes. Virgilius vero Marcellus in suo Dioscoride nihil hac de re penitus agit. Verum enimuero, qui mala insana interpretati sunt, possunt videri a Morio Dioscoridis verbum deduxisse: notissimum enim est, insanum & fatuum a Græcis *μωρὸν* dici, vnde & *moriones* a Latinis, qui fatui risum mouent spectantibus. Iacobus vero Forliuiẽsis sua tempestate in re medica in-

sigis habitus in 1. *Can. Fen. 2.* Melongianus color a melongiis, Melangena Berengena Hisp. quidam morion, id est, secundã Madragoræ speciem putant, & *pomum desdegnosum* nuncupant, sed falsò. Porro ne te diutius demorer, inuenio apud duos tatis celebres auctores, qui huius generis fruticis, & pomi mentionem faciunt, quos inter Aetius inter vestros auctores rei medicæ celeberrimus. Sed & Symeon Sethi Antiochensis in suo de facultate ciborum, iis verbis a me in Latinum conuersis ita agit, Ματζιτζάνιον (sic enim ille vocat, vt etiam hoc tempore a Neapolitanis melizamon) calida est & sicca secundo ordine, & melancholicum humorem gignit, crebrius vero siquis vtatur, pallorem inducit, affectusque melancholicos, at si cum aceto absumatur, adstringit. Oportet igitur eas ante decoquere: quo etenim magis coquitur, eo plus in ea mali succi elicitur: sed præstat te Symeonem ipsum suis verbis audire. Ματζιτζάνιον, inquit. τὸ λεγόμενον Ματζιτζάνιον θερμόν ἐστι καὶ ξηρὸν κατὰ τὴν β. ἀπόστασιν, ἀπογεννᾷ δὲ χυμὸν μελαγχολικόν. συνεχῶς δὲ ἐσθιόμενον, ἀχροίαν ἐμποιεῖ καὶ πάθη μελαγχολικά. μετὰ δὲ ὄξους ἐσθιόμενον, ἀποφρακτικὸν γίνεται, δεῖ δὲ τοῦτο προεψῆσαι. διὰ γὰρ τοῦ πλείονος ἑψήσεως, τὸ πολὺ τῆς ἐν αὐτῷ κακοχυμίας ἀποθέσθαι. Atque hactenus ille & ego tibi Bōdi de Mazizanio, in quo quantum tibi a me satisfactum sit, ignoro.

DIALOGISMVS XIV.

Ad Io. Bapt. Orichalcum Hieronymi medici F. De Moly herba Homerica, quanam sit, & a quo inuenta.

LILIVS, ET ORICHALCVS.

LILIVS.

DAturus in publicum meas nonnullas nugas, quas adolescēs, & pene puer confeceram, visum est ex eis vnam saltem tibi dicare, testem meæ erga te beneuolentiæ singularem. Orich. Gratias (Lili) tibi immortales ago & habeo, quod nostris hominibus testatum facies meam in te obseruantiam, quam sicuti semper præ me tuli, ita etiam velim eam plerisque omnibus notam esse. L. Multæ sunt caussæ cur semper te dilexerim, sed ea inprimis est, quod te semper a teneris (vt aiunt) vnguiculis tua sponte propensum atque incitatum ad capessendas bonas literas, & optimas quasque artes, quas vt video nec latum quidem vnguem deseris in hoc tuæ adolescentiæ flore, in quo huic nostræ ciuitati de te maximam exspectationem, atque adeo spem certam concitasti, Macte mi Orichalce hanc incudem assidue contunde, sic enim itur ad astra. Accipe ergo, quæ de moly a me conscripta sunt, vbi ex Priapeiis locus explicatur.

Pacifer huic dederat florem Cylenius album,
Moly vocant superi, nigra radice tenetur.

Carmina sunt Ouidii ex XIV. Metamorph. quæ ab Homero

desumta

desumta sunt. Ita enim ille in Odysseæ κ'. Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ ἴκελον ἄνθος μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, hoc est, *radice quidem nigra erat lactis vero persimilis flos, Molyque ipsum Dii nominant.* Hinc est, vt puto, illud in obscenis poematibus.

Hinc legitur radix, de qua flos lacteus exit,
Quam, quum moly vocet mentula moly fuit.

In quorum carminum lectione miror alios legere solitos, flos aureus exit, cum flos lacteus legendum sit, tum ex fide ipsius moly naturæ ac carminis Homerici, tum propter obscenum sensum, quo humanum semen significatur: huiusmodi tamen obscena libentius tegerem, quam scriberem: at quoniam non quæsita sese obtulere, nec aliis vulganda; hæc mihi scribo, non conticui. Commentatores vero Homeri super eius carmen ita scribunt, μῶλυ βοτάνης εἶδος παρὰ μωλύειν ὅ ἐστιν ἀφανίζειν τὰ φάρμακα. φασὶ δὲ καὶ τὸ ἐλκόμενον τῆς ῥίζης τῷ τίλλει θάνατον ἐπιφέρειν τῷ ἐσπακότι, quasi quod hæc herba demoliatur pharmaca. Vnde & ipse Poeta Homerus, & ab eo Ouidius Vlyssem hac radice a Mercurio accepta tutum a præstigiis Circes faciunt. Meminit & Lycophron in Alexandra his verbis μῶλυ σωζει ῥίζα, id est, *moly saluabit radix*, vbi Isaacius commentator ait, μῶλυ δέ ἐστι κατὰ τοὺς ἰατροὺς τὸ ἄγριον πήγανον, hoc est, Moly autem est secundum medicos ruta Syluestris, quod & Suidas. Paulus vero Ægineta in vltimo, vbi de medicina simplici, loquitur de moly in hæc ferme verba; *Moly*, inquit, *quam alii rutam syluestrem, alii armanam, Syri vero besasa vocant, tertia est apostasis calefacientium.* Vnde, ait, *incidit crassos, & glutinosos humores.* Dioscorides quoque a quo Paulus multa sustulit in 3. *Moly*, ait, *vocitatum leucoion syluestrem, folia habet graminis similia, verum latiora, florem albumm lactis persimilem, valereque contra venena, caulem etiamnum album, habere a summitate cubitiquatuor, &c.* Noster quoque Plinius XXV. Nat. histo. de Moly ita loquitur: *laudatissima est herbarum Homero teste, quam vocari ab Diis putat moly. & inuentionem eius Mercurio assignat, contraq; summa venefi. ia demonstrat. Nasci eam hodie circa Pheneum in Cyllene Arcadia tradunt, specie illa Homerica radice nigraq; magnitudine cepa, folio scylla, effodi autem difficulter: Græci auctores florem eius luteum pinxere (cum Homerus & ab eo Ouidius candidum scribant) Inueni e peritis herbarum medicis, qui & in Italia nasci eam diceret, afferrique e Campania aliquot diebus effossam inter difficultates saxeas, radicis triginta pedes longa. ac ne sic quidem solida sed abrupta.* Hactenus de ea Plinius, nec dissimilia scribuntur a Theophrasto, verum (vt mihi videtur) aliam herbam diuersam ab hac, vbi de strychnone vel, vt alii legunt, trychone loquitur, inquit enim, *& alterum genus, quod halicacabon vocant, soporiferum est, atq; etiam opio velocius ad mortem, ab aliis morion ab aliis moly appellatum.* Cum hac annotationem iuuenis conficerem nondum nec Hermolaus, nec

Ruellius, nec Marcellus Dioscoridem illustrauerunt, & propterea multa, quæ ab eis traduntur, ipse afferre potui, quæ hic te desiderantur ab eis desumere poteris, satis sit nos illustrasse carmen Ouidianum, & alterum ex Priapeiis.

DIALOGISMVS XV.

Ad Hieronymum Benintendium Belgiarinum de Aquis subruinis, quæ sint, & Cor. Celsi locus declaratur.

EXistimo te Hieronyme doctissime probe scire, quantæ auctoritatis sit Cor. Celsus apud Latinos, probeque accedere ad Ciceronis elegantiam. Quapropter soleo libenter eius lectione delectari, vt cum proximis his diebus legerem quartum ipsius librū, qua parte agit de stomachi morbis, & curationibus, quo loco hæc verba leguntur: consistere in frigidis medii capitisque fontibus, quales cutiliarum subruinarumque sunt, salutare est, quo in loco Ioannes Cæsarius vir doctus hallucinatur ita scribens: *sic quidem mihi legendum videtur cutiliarum, & subcutiliarum, non autem vt hactenus legebatur, subruinarumque: nam cuiusmodi sint hæ aquæ, nondum apud quempiam reperi scriptorem idoneum & probatum. De succutiliis vero Plin. XXXI. Capit. II. quas in salutis calidissimis esse dicit, & suctu quodam corpora inuadere, aptissimas stomacho, neruis, vniuerso corpori. Idem & de cutiliis libr. II. Capit. XCVII. & libr. XXXI. Capit. VI quas inibi bituminatis aut nitrosis bibendo vtiles esse, atque purgationibus tradit. De Cutiliis item Vitruuius libr. VIII. Capit. III. vbi scilicet de aquæductibus tractat.* Hactenus Cæsarius. Duplicem in his errorem subesse existimo priorem medii capitisque, qui recte ab emendatore castigatur, vt pro medii capitisque legatur, medicatis aquis, alter sub ruinarum: sed emendator non aduertit Celsum in frigidis aquis hoc loco consistendum non calidis, vt dicat, non eas calidas, sed in salinis calidissimis. Sed iis nullis ego quoq; fateor ratus has aquas, sed tamen inuentu faciles, iis præcipue, qui in Latio versati sunt. Cor. Tacitus *lib. XIV. histor.* de Nerone agens has aquas his verbis monstrat: *Nam*, inquit, *quia discumbentis Neronis apud symbruina stagna, cui Sublaqueum nomen est, ista dapes mensaq; disiecta est.* hæc Tacitus. Idem *lib. vndecimo* de Cl. Cæsare, fonteiq; aquarum subruinis collibus deductos vrbi intulit: nunc vero vulgo Subiaco dicuntur, notissimus locus vel diui Benedicti Cœnobio. Meminit & Syllius lib. VIII.

Quique Anienis habent ripas, gelidoq; rigantur
Symbriuio, rastrisq; domant æquicola rura.

Obseruandum tamen est, aliquos *symbriuia*, alios *symbruuia* legere, alios *symbruina*, alios vero *sumbruina*.

DIALOGISMVS XVI.

De Daphne & Lauro parum a scriptoribus cognita.

Lilius & Alphon. Toctus Herc. F.

LILIVS.

QVod ex me petisti Alphonse de Lauro in carmine Tibulli,

Laurus vbi bona signa dedit, gaudete coloni,

quid poeta significet, vt tibi exponam, altius aliquanto repetendum est, vt rem plane percipias, atque ideo tibi annotatiunculam quandam meam olim a me confectam recitabo. Alphon. sic agas obsecro mi Lilii, eo enim tibi magis debebo, nam cum istud a præceptore meo quæsissem, oportet me, inquit, istud diligentius ex scriptoribus perscrutari, quod cum adhuc nō fecerit, tu ista tua annotatione, & illi, & mihi rem gratam feceris. L. accipe igitur, quæ olim obseruaui ex Græcis, & Latinis auctoribus, in præsentia missa faciens, quæ de fabula Daphnes Ladonis, seu Penei nymphæ filiæ a poetis produntur, & quæ longe diuersa traduntur a Pauſ. in Arcadicis, vbi de Leucippo puero formosissimo Daphnes amore capto describitur historia & interitus. Obseruatio igitur nostra hæc est. Daphnem appellatam scribit Eustathius a particula δα intentiua & φωνῶ ὃ voco, quod scilicet Laurus in igne posita crepet, & quasi vocem edere videatur, quod Theocritus, Lucretius, Tibullus, aliique ostendunt: sic fortasse & nos Latini nostram Laurum deducere possumus a λα particula similiter intentiua vt *lasciuus, larini boues*, & a verbo *vro*, quasi *la, vro*, Laurus quia scilicet facile incendatur, & in igne crepet. Est igitur Laurus Apollini, qui vatum Deus a gentibus creditus, sacra, quæ futurorum significationem habere credita est. Claudianus, *venturi præscia Laurus.* Fulgentius, *Lauri folia si noctu puluino subiecta fuerint veritatem somniorum conciliari*, ait. Quin etiam ex eius crepitu dum vritur, veteres futura prædicebant, quod & philosophus Porphyrius prodidit: si enim crepuisset in igne maxime felicitatem, contra si siluisset significare putabatur: vnde & *tacita* Laurus dicta, & *infausta inauspicataque*. Tibullus icirco ita cecinit,

Laurus vbi bona signa dedit, gaudete coloni.

De altera Propertius.

Et tacet exstincto Laurus adusta foco.

Hesiodi interpretes, item Lycophronis, Laurum si edatur valere ad diuinationem & ἐνθουσιασμὸν prodiderūt, quod & Lycophron ipse in Alexandria, & Sophocles in Cassandra ostendunt. Tibullus de Sybilla.

Vera cano sic, vsque sacras innoxia Laurus
Vescar, & æternum sit mihi virginitas.

Iuuenalis, *Laurumque momordit.* hinc & a Græcis δαφνοφάγοι, id quod in poetis in Hesiodi vita copiosius retulimus, vates dicti sunt. Aphthonius etiam diuinationis symbolum Laurū esse tradidit, ideo & μαντικὸν φυτὸν est nuncupata. Sed & Parthenius in Erotico, & Constantinus, quem Dionysium aliqui appellant in

Geoponico de Daphne, quæ parū Latinis nota sunt prodiderunt. Atq; hæc quidem mi Alphonse puto tibi satis & super futura esse ad carminis Tibulli cognitionem. Si quando inter studendum te istiusmodi scrupi. & difficultates offenderint, me tibi spondeo pro facultate & viribus meis opem allaturum.

DIALOGISMVS XVII.

De Inedia toleranda, quæ a scriptoribus tradantur, & experientia ipsa comprobentur.

Alphon. Maianthus, & Lilius.

ALPHON.

MEmini cum domi tecum versarer, & ad te venisset Socinus Bentius, aliique nonnulli eiusdē professionis medicæ scholastici, sermonem incidisse de inedia toleranda, & ieiunio, quo tempore multa de ea re in medium a te allata fuere. quæ tunc minus a me memoriæ mandata sunt, nunc vero, vt nosti, cum medicæ facultati operam nauem, ea libenter ex te audire cupio. L. quod petis a me facilime impetrare potes: nam eo ipso tempore, quo ista disseruimus, ad ipsum Bentium annotationem quādam confeci in epistolæ forma. quam tu ex meis annotationum libellis arbitratu tuo excipies. Tunc Maianthus accepto libro epistolam inuentam legere sic cœpit.

L. GREG. GYRALDVS SOCINO

Bentio medico ac philosopho.

S. P. D.

QVi in assidua tantum iugique lectione, & non in veritatis speculatione versantur, quantis plerunque ignorantiæ tenebris obuoluantur, quantumque a recto deuient, optime Socine, vel hac ipsa confusanea epistola cognosces. Nam cum ipse vellem caussam indagare, cur quidam facilius aliis inediam tolerēt, vide quantas nugas fecerim, dum volo simul omnes scriptores euoluere, & simul audita colligere. Fuit Io. Scotus vir, vt audio, nō ignobili familia natus, qui ad miraculum vsque inediam tolerabat, cuius etiam rei Romæ apud Clementem VII. periculum fecit: multos enim dies cibo abstinuit, quod & suis literis Pontifex ipse testatus est. Idem Io & alio loco apud Scotos suos longiore vsus est ieiunio, nullum videlicet cibum assumens. Id ei contigisse audiui, cum ab inimicis captus, & in vincula cōiectus multorum dierum spatio cibo nullo refectus, se Deo, & patrio cuidam diuo Numano qui apud Scotos summa veneratione colitur, commēdasset, vouissetque, si eius apud Deum intercessione incolumis euaderet, se illius cineres ac reliquias inuisurum, & Romam ad Petri & Pauli limina, CHRISTIq; demum Hierosolymam sepulcrum aditurum, qua de re non multo post ope diuina liberatus votum exsoluit, Romamq; religionis ac pietatis caussa profectus rem omnem Pontifici indicauit, ab eoq; benedictione, quā

dicunt,

dicunt, impetrata & simul facultate, vt D. N. IESV CHRISTI incunabula & sepulcrum Hierosolymam inuiseret. Venit idem Bononiam mense Februario M.D.XXXIII. cum idem Pontifex Clemens, & Carolus V Cæs. Aug Bononiã conuenissent: tametsi audiuimus, & legimus etiam Scotos ipsos suapte natura patientissimos esse inediæ famisque: quod & tradit Bilibaldus in orbis descriptione Isigonus quoque Niciensis gentem esse supra Borysthenem ait, quæ tertio die tantum cibum semper capiat. Sed & H. Benedictus medicus non incelebris paucis ab hinc annis scribit, quendam Venetiis fuisse, qui XLVI. continuos dies ieiunium ageret frigida corporis habitudine, crassaque pituita, & incoctα obstructisque corporis meatibus. Quærunt igitur ex natura caussas medici, qua ratione fiat cibi tædium, quam Græci *ἀνορεξίαν*, nunc *ἀσιτίαν*, interdum & *ἀποσιτίαν* aliisq; modis vocant: nunc enim aiunt ex dimissa quotidianã exercitatione fieri, nunc deiectione quadam naturali, nunc intermissa consueta purgatione, nunc ex splenis obstructione hanc inappetentiã homini accidere, nunc etiam ex repletione, quæ difficilius soluatur Sed his missis, memorabile est, & quod legimus fuisse quendam, qui biennio nihil prorsus cibi, aut potus hauserit. Albertus etiã *VII de Animalibus* mulierem fuisse ait, quæ XXX & XX. aliquando continuos dies cibo abstinuerit: idem & atra bile vexatũ hominem septem hebdomadas sine cibo perseuerasse prodidit, alternis tantummodo diebus aquã exsorbentem. Nunquid vero minus mirũ vobis videbitur plerosq; fuisse, q sola Eucharistiæ alimonia multos annos vitam duxerunt, sicut & nostris diebus mulier nomine Colũba in Italia, & altera in Germania, item alia, vt eos nũc mittam, qui pomorũ odore viuere dicuntur, & astomi, vt *ait Plinius*, vocantur, circa Gangis fontẽ; & eum, quẽ ex Aristotele Olympiodorus scribit insomnẽ solari aere victitasse, qua de re & nos alibi. Illud vero nequaquam prætereundum, ꝙ Phauorinus apud Gellium ex Erasistrato recitat, *esuritionem, inquit, faciunt inanes patentesq; intestinorũ fibræ, & caua intus ventris, & stomachi vacua biantia, quæ vbi aut cibo complentur, aut inanitate diutina contrahuntur, & conniuent, tunc loco, in quem cibus capitur, vel stipato vel adducto volũtas capiendi eius desiderãdiq; restinguitur. Scythas quoque idem ait cum sit vsus, vt famem longius tolerẽt, fasciis ventrem strictissime circumligare, ea ventris compressione esuritionem posse depelli creditum est.* Hactenus Phauorinus. Plura Gellius *libr.16.* Sed enim & M. Damascenus prodit suo tempore in Germania fuisse rusticum, qui sub fœni ingenti cumulo per totum autumnum & brumam continue dormierit, donec appetente æstate fœno paulatim consumto experrectus, attonitusq;, ac semimortuus inuentus est. Existimat ipse Damascenus hoc fieri potuisse multaque comminiscitur, inter quæ pleraque esse animantia,

quæ pluribus mensibus viuant, nec potu, nec cibo, somno tantum indulgentes, id quod & homini contingere potest, vt de Epimenide in historia Poetarum scripsimus, & septem Ephesiis viris sanctis, ac item heroibus in Sardinia, vt Arist. in Physicis & Simplicius, aliiq; prodidere. Theophrastus Philinum quendam scriptis prodidit nullo cibo potuve vsum, prætetquam lactis. Magis mirum illud videri potest, quod hoc ipso tempore, quo nos hæc scribimus, in vrbe Spira Germaniæ, quæ ad Rhenum sita est, in pago ei vrbi proximo puella esse dicitur Margarita XIII. annos nata, quæ tres ferme annos famem tolerauit, ac vt scripto testatur Physicus insignis Gerardus Bucoldianus nomine, eam puellam duodecim dies fuisse apud se, iussu Ferdinandi Cæsaris regis Romanorum, vt rem penitus exploraret: tum demum ait, se comperisse quod puella nec cibi quicquam, nec potus assumeret, & quod puella est statura iusta, & habitudine bona, oculis cæsiis, vultu ac facie non illiberali, ingenio plane puellari ac simplici, os semper habet aridum, nihil exspuit, nihilo secius potus nihil admittit, & flet tamen, & nares emungit, dormit quietemque capit, inter respirandum non admodum venter ei contrahitur, vel dilatatur, viscera, vt ait, nihil vitii habere videntur, nec item iecur nec lien: existimat quidem Physicus ille, hoc prouenire ex humore pituitoso crudo, id quod eo facilius credit, quod ea puella saepe pituitosa vrgetur, non tamen id vt vir prudens asseuerat, sed nec etiam miraculo asscribit. Relinquit vero hoc indiscussum, tantum rem & visam a se & consideratam, ait. Tum subiungit de Gallo, qui Romæ similem inediam pertulit. citat Poggium Florentinũ in facetiis, item ex Abbate Vrspergen. qui ait in Tullensi territorio iuxta villam Comerciacum fuisse puellam duodecim circiter annorum, quæ a communione paschatis a sacerdote percepta biennium, & semis, nulla penitus alimenta assumens ieiunauit, anno sc. Domini MCCCXXII. vsque in annum M. CCCXXV. Scribit item Cor. Agrippa, qui tamen prodigiosus scriptor videtur, ex Boccatii sententia, Venetiis quempiam fuisse, qui quotannis per XL. dies absque vllo cibo ieiunium ageret, quodque magis mirum videtur, mulierem fuisse eodem tempore, in inferiore Germania, quæ in XXX. annum nihil vnquam cibi sumserit, & nunc quoque esse Nicolaum quendam de Saxo Heluetium, quem in eremo XXII. annis sine aliquo cibo vixisse constat. *Hæc ille.* qui, & hoc quoque, sunt. *inquit*, auctores, qui herbam quandam Spartanicam asserant esse, qua Scythas XII. dies durare sine cibo & potu semel gustata, vel ore retenta. Quin & prodigiosi quidam medici antidota quædam pollicentur, quorum si qui minimam particulam essitarent diuturnam possent perferre inediam, *Hæc ferme ille.* Solinus Alimam heroam celebrat in Creta, quæ admorsu diurnam famem prohibet, vnde & illi nomen factum, quod

scilicet

scilicet famem pellat. Ego vero omnia hæc ipsa collecta ad te misi, vt simul de omnibus acrem tuam censuram elicerem, ne incertus ego hanc modo, modo in illam declinem opinionem. Vale. Habes Alphonse quæ tunc dicta fuere de his, qui ieiuni famem tolerare dicuntur.

DIALOGISMVS XVIII.

Ad Ber. Barbuleium de Silano quid sit, & locus Lucretii emendatus explicatusq́, alter Cor. Celsi & Hygini. de Polycaste Claud. epigramma.

CVm forte librum mythologicon poeticon Hygini legerem, incidit in manus, vt aliter expositam Amimones fabulam inuenirem, quam tradi à Grammaticis soleat, quæ huiusmodi est. *Amimone, inquit, Danai filia missa est a patre aquam petitum ad sacrum faciendum, quæ dum quæreret, lassitudine obdormiit, quam satyrus violare voluit: illa Neptuni fidem implorauit, quod cum Neptunus fuscinam in satyrum misisset, illa se in petram fixit. Satyrum Neptunus fugauit, qui cum quæreret in solitudine a puella, illa se aquatum missam esse dixit a patre, quam Neptunus compressit, pro quo beneficium ei tribuit, iussitque eius fuscinam de petra educere, quæ cum eduxisset, & tres silani sunt secuti, qui ex Amimones nomine Amimonius fons appellatus est. ex qua compressione natus est Nauplius, hic autem fons Lerneus est postea appellatus*: Hactenus Hyginus. Hanc vero fabulam cum Barbuleie frater cariss. tibi recitassem, ex me tu quidem periisti, an hic fabularum Hygini liber legitimus esset: tunc ego tibi respondi, me existimare eius scriptoris omnino esse. Nam & alia pleraque Hyginus scripsit præter Astronomicon poeticon, quod passim habetur: sed & eiusdem leguntur, rara quidem inuentu, de constitutionibus limitum vel agrorum, item de limitibus seorsum, & chromatica, & huius quidem Hygini sunt. Tranquillus in *libr. de claris Grammaticis & rhetoribus*, vitam paucis exponit. Eusebius vero in Chronico de eodé sic meminit: *C. Iulius Hyginus cognomento Polyhistor Grammaticus habetur illustris temporibus Tiberii.* Quare minus dubitandum est, quin hic fabularum liber sit Hygini legitimus: nam & in Vergilium commentaria scripsisse in dialogis de Poetis ostendi. Tum prosecutus Barbuleius, quid vero sibi velit hæc inaudita vox *Silanos*? cui respondi, antiquam vocem esse Latinam, & tubos aquarum significare. & fistulas, id quod innuit Sext. Pompeius, qui sic scribit: *Tullios alii dixere esse Silanos, alii riuos* Meminit & silani his verbis Cor. Celsus *lib. 3. cap. 18.* vbi de conciliando somno ægrotis agit: *confert etiam aliquid ad somnum silanus iuxta cadens.* Visus est & Lucretius libr. 6. quo loco de Atheniensium pestilentia pluribus verbibus agit, ita enim in emendatis, & antiquis codicibus legitur.

Multa siti prostrata viam per proque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata iacebant.

Quem locum non intelligentes Marullus, & Baptista Pius, hic sic emendauit vel corrupit potius,

Corpora sola amnes ad aquarum strata iacebant,

Ille vero, i. Marullus sic reposuerat:

Corpora sic amnis ad aquarum strata iacebant.

Sunt & qui Silanos interpretãtur Nilos & Euripos. De Nilis porro habetur mentio apud M. Tullium, & C. Pli. sed hæc nihil ad rem faciunt. Habes igitur mi Barbuleie super vocabulo Silani, quam tibi promiseram me ostensurum meam annotationem.

Tunc Barbuleius habeo, inquit, & placet, sed postquam otiosi sedimus, velim & enixe peto, vt epigramma Claudiani de Polycaste mihi quoque si tenes, enarres.

Claud. epigramma est.

Quid non sæuus amor flammarum munere cogat?
Sanguinis affectum mater amare timet.
Pectore dum niueo miserum tenet anxia nutrix
Illicitos ignes iam fouet ipsa parens.
Vltrices pharetras tandem depone cupido,
Consule iam Venerem. forsan & ipsa dolet.

Lil. quæ de Polycaste annotarim paucis accipe, nihil enim tibi tam amãter petenti denegare possum. Fabulam hoc loco Claud. talem attigit, quæ talis est, cuius & Fenestella, & Martialis meminit. Sic enim legitur: Perdicã fuisse scribit initio venatorem, cui cum cruentum institutum, & solitudo displicere cœpisset, & continuum currendi studium, cum videret Actæona, Adonium, Hippolytũ, alios eius rei studiosus pessime interiisse, venatione spreta agriculturæ se dedisse, quo nomine terrã quasi matrem fertur adamasse, quo labore cõsumtus, macie est confectus. matrem quippe *Polycasten* vocitant, quæ *Polycarpe* a fructuum copia est interpretata, terra mater omniũ est, quæ in mortalium vsus suos producit fructus. Meminit & huius rei Cœlius Rhod. Fabulose enim finxerunt antiqui Perdicem cum Polycasta matre concubuisse, & inde filios sustulisse, qua ex re poetæ epigrammatis est commentum. De Polycaste præterea, & Perdice Fulgentius *lib. 3.* Mythologicon plura scribit. Ergo habes mi Barbuleie quid super eo epigrammate Claud. nunc succurrit.

DIALOGISMVS XIX.

Super carmine Priapeiorum de Nemesi & Cyzico, vbi multa sunt paucis Latinis exposita.

LILIVS ET HERCVLES TASSO.

LILIVS.

NVper cum ad me venisset noster ille amicus, qui studiosus est

carminum Priapeiorum, & me rogasset, vt exponerẽ quædam ex his, atque inprimis carmen illud, quod sic passim legitur.

Raptam Cocytos ostreosa diuam.

Recordatus quod apud me litescebat annotatio quædam de eadem re pridem a me cõfecta, illam tibi potius dare constitui quã illi, si ita tibi visum sit. Herc. Et quidẽ perplacet, ille enim, vt scis, suppilator est non rerum modo, sed & codicum, quare rem admodum gratam mihi feceris, si rem totam perscriptam a puero mihi dono miseris. Lil. Et cui magis inquam debeo has meas nugas largiri quam tibi? qui me a puero semper amasti, & meæ huiusce aduersæ & fortunæ, & valetudinis adiutor, & subleuator es. Sunt vero in hac annotatione pleraque altius repetita, & quæ extorta etiam videri poterunt, cognitione tamen dignissima.

Raptam Cocytos ostreosa diuam

Carmen ex poematibus obscenis, nec aliqua mihi exemplaria videre contigit, quæ aliter hoc ipsum immutatum habeant, quin Georg. Merula illud Iuuenalis,

Cecropiam soliti Baptæ lassare cocyton, Enarrans, inquit, *Corytom Proserpinam, ego contenderim a loco, vbi præcipue Dea coleretur, dictam, quod innuere videtur Vergilius dinumerãs loca, in quibus varia numina colerentur. Ait enim:*

Raptam Cocytos ostreosa diuam.

hactenus verba Merulę. sed Iuuenalis carmen Politiano dimittamus, qui in Miscellaneis optime contra Domitium illud enarrat. Videamus nos, vbi & in qua regione sit constituta Cocytos, & quod ostrea ibi prouenjant, quod nunquam me legisse succurrit: lego tamen apud Græcos *cotyttia* celebritatem quampiam in Sicilia, in qua de ramis fierent placentulæ, & fructus arborum rapi permitterent, vnde factum sit prouerbium illud ἁρπαγὴ Κοτυτίοις, vt fortasse alludat ad hanc rapinam, quod prætermissum a Politiano est. Græce ita scribitur: Κοτυτὶς ἑορτή τις ἐστὶ σικελική, ἐν ᾗ περὶ τινὰς κλάδους ἐξάπτοντες πόπανα, καὶ ἀκρόδρυα ἐπέτρεπον ἁρπάζειν. Verum ego huius sum sententiæ, vt non fortasse male legeretur:

Raptum Cyzicos ostreosa diuam.

siquidem Cyzicus nobilis est ciuitas in Propontide insula, quę ciuitas, *vt refert Strabo, in 12.* Mela, Plinius, Ptolemæus, Florus, & reliqui dicta a Cyzico rege, quẽ vt in Argonauticon 3. cauit Flaccus, Valerius, & Apollonius, inscienter Iason interemit. Meminit Pomponius, & Ouidius in Tristibus,

Cyzicos Armeniæ nobile gentis opus,

Quod autem ibi ostrea sapidissima prouenjant, docet Pli. *libr. 32. Nat. hist. cap. 6.* ex Mutiani verbis, *Cyzicena,* inquit, *ostrea maiora Lucrinis, dulciora Britannicis, suauiora Edulis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora Histricis,*

candidiora Circensibus: sed iis, neque dulciora, neque teneriora esse vlla compertum est. Patet ergo vel his Plinii verbis, ostreosam esse Cyzicon, quod vero raptam Proserpina, vt interpretantur, colitetur, non satis liquet. Qua de re ego potius Nemesin intellexerim raptam, hoc est stupratam a Ioue, *vt tradit Hyginus in Astronomico, & Crates tragœdiarum scriptor, & Pausanias & alii.* Raptam autem stupratā significat, vt rapti Ganymedis honores. item raptas sine more Sabinas. nec non alibi, Rapta Germanide nympha, quod & notat Ser. nisi forrasse quispiam legere malit, iustam diuam: cum enim superbientes, & inhumanos puniat Nemesis, iure optimo iusta appellabitur diua. In Cyzico vero maxima veneratione Nemesis colebatur, frequentabaturq; *teste Strabone.* Vnde Apollonius Argonauticon primo, ἄστυ τε καὶ πεδίον Νηπείης Ἀδρηστείης. vbi commentatores ferunt, Nepea esse campum prope Cyzicum, cuius meminit & Callimachus in Hercule. Νηπείης τ' ἄργος ἀοίδιμος ἀδρησ... Meminit etiam Antimachus his versibus:

> Ἔστι δέ τις Νέμεσις μεγάλη θεὸς, ἣ τάδε πάντα
> πρὸς μακάρων ἔλαχε· βωμὸν δέ οἱ εἵσατο πρῶτος
> Ἄδρηστος ποταμοῖο παρὰ ῥόον Αἰσήποιο
> ἔνθα τετίμηταί τε, καὶ Ἀδρήστεια καλεῖται. hoc est,
> *Est Dea, quam Nemesim dicunt Dea magna potensq;*
> *Quæ bona cælestum consensu cuncta Deorum*
> *Possidet, huic primus sacratam condidit aram*
> *Fluminis Æsapi gelidas Adrastus ad vndas*
> *Hic vbi nunc colitur, atque Adrastia vocatur.*

Quibus carminibus patet quod *Adrastea* dicitur ab Adrasto rege, quem aliqui antiquissimum quendam regem fuisse autumāt: plurimi socerum Polynicis, vt Zenobius scribit in Prouerbiis, alii nonnulli ferunt, quod in eo loco Ægialeus ipsius Adrasti filius trucidatus sit, vbi ipsius Adrasteæ ædes constituta fuit. Stephanus etiam in *lib. de Vrbibus* ait, Diogenem in primo dicere Adrasteam dictam esse ab eius nominis nympha, quæ ex Oreiadū vna erat. Fuit & in Troia regione locus Adrastia nuncupatus ab Adrastia sina Mendi, quæ ibi regnauerit, vt Charax *in 11. Hellanicorū.* Quidam Adrasteam eandem non esse cum Nemesi putant: plurimi eandem affirmant, vt Nicostratus Demetrius Scepsius existimat, vt Strabo ait. Nemesin Dianam esse: alio nomine Rhamnusia a pago Atticæ appellatur (*vt scribit Pausanias*) proinde Lucanus ait: *Et tumidis infesta colit quæ numina Rhamnes.*

Huius Deæ meminit Catullus, Ouidius, Statius, alii. Hanc eandē Latinum nomen non habere auctor est Plin. Vnde nos in nostro quodam epigrammate ad Cælium.

> *Quæ nec adhuc Latium nomen sortita rependat*
> *Digna nimis pœnas.*

Ausonii

Ausonii etiamnum exstat tetrastichon ex Græco epigrammate detortum in statuam Nemeseos. Ponitur a Græcis Nemesis pro indignatione, accusatione, pœna, contumelia, inuidia, & fortuna: quare nil mirum si Claudianus Rhamnusiam pro fortuna ponere videtur illo carmine contra Alaricum.

Sed dea quæ nimiis obstat Rhamnusia votis
Ingemuit flexitq; rotam.

Scio huic sententiæ Latinos reclamare. Castiganda sunt Capitolini verba, cuius in Maximo hæc sunt: *Multi dicunt apud veteres hanc deuotionem contra hostes factã, vt ciuium sanguine litato spem pugnarum, se hemesiis ides visis quidam fortuna satiaret.* Tu legito, *se Nemesin, id est, vim quandã fortunæ satiaret.* Hoc loco illud adscribere operæpretium videtur, Romanos ad bellum profecturos Nemesi sacrificasse, propterea quoniam ea Dea esset, quę homines ex malefactis puniret, atque etiam victores. Ideo Nemesin non frustra inuocabãt. Vnde Theætetus Græcus epigrammaton scriptor eam hæc verba dicere introducit, εἰμὶ δὲ καὶ νῦν νίκη ἐρεχθείδαις ἀσσυρίοις νέμεσις. id est, *Sum victoria certe nunc ego Erechthidis Assyriis Nemesis.* Hinc factum est, vt Latinorum plerique Nemesin existimauerint vim esse Fortunæ, alii Iustitiæ filiã, alii vim quandam inter cœlestes discurrentem: prima rerum semina, quæ fatorum, & sortium vires temperat, atque emendat, rebus humanis trutinam adhibens, e cœlo terrena despectans, nocentes punit, præmia largitur, & cum sit velocissima, quia diu non permittit impios præesse, atque grassari, alata fingitur a veteribus, & eius pedibus supponitur rota cum citissime discurrat: quamquam alatam ideo dicit Pausanias, vt Cupidinem, quoniam scilicet huius deæ numen in iis potissimum apparere autumant, qui amore capti sunt: vt hinc facilius intelligas carmen Ouidii de fabula Narcissi, & illud Catulli, *Ne pœnas Nemesis reposcat a te.* Addit idem Pausanias ipsius deæ statuam capite coronam habuisse, qua cerui & fortunæ parua insignia continerentur, læua ramum fraxineum. Quare apud Suidam corrigendum puto in Rhamnusia, κλάδον εἶχε μηλέας, pro μελίας, vt fraxineum ramum intelligat potius, quam ex malo. Idem Pausanias Oceani filiam deam ipsam credidit, cuius simulacrum primo Veneris figura constitutum fuisse refert Suidas ipse ab Erechtheo in matris honorem. Videtur Plinio XXXVI. *Nat. hist.* Agoracritum Procerium certasse cum Alcamene condiscipulo Phidiæ de Venere conficienda, qui cum peregrinus homo sententiam contra se accepisset suffragiorum Atheniensium iniquitate, signum hac lege vendidit, vt extra Athenas deportaretur, vocauitque Nemesin, positum vero fuisse in Rhamnunte pago: Apud Græcos tamen lego opus fuisse Phidiæ, qui inscriptionem Agoracrito donauit, vtpote ab eo amato. Strabo vel Diodoto vel Agoracito adscribit. Potuissem nonnulla

Persico, cuius etiam figuram exprimit: altera vero ex sphendone, quæ significat apud nostros fundam, qua nunc passim pueri vtuntur in suis prœliolis. Huiusce teli *cestrophendonis* schematismon hoc est figuram expressam est videre in Valturio; sed vocabulum non est appositum. Porro vt auctiorem meam hanc annotatiunculam ac locupletiorem tibi habeas, accipe qui Barones nuncupentur, qui adeo his diebus doctiorum hominum & Iurisconsultorum quorundam ingenia fatigarunt, dum Cic. locum in epist. ad Atticum illustrare voluerunt, quod ego tibi tantum, non vt eos doctrina, & eloquentia insignes cauillari velle videar verbis tantummodo Isidori Pontificis doctrina ac sanctitate præclari ex *lib. IX. cap. VIII.* monstrabo. *Mercenarii*, inquit, *sunt qui seruiunt accepta mercede, iidem & Barones Græco nomine, quod sint fortes in laboribus Bary enim dicitur grauis, quod est fortis, cui contrarius est leuis, id est infirmus.* Hæc Isido.

Vides vero *Barones* ex Isidori auctoritate mercenarios esse milites, qui conducti mercede merebant. Neque ipse apud Cic. Barones fatuos homines, vt plerique docti faciunt, interpretarer, sed qui alieni militis essent, non ordinarii: ita qui non auctores in propria facultate, sed in alienam migrarunt, quadam metaphora a Cic. & aliis dicuntur *Barones*. Alciatus in suis Parergis sic propemodum scribit. *Ego βαρέας, id est, Varones, seu imitatione Dorica Varones accepi populos Hispaniæ esse sic a Flauio, cuius Mart. quoque meminit, dictos, qui, vt nunc Germani solebant principibus apparere, & excubias facere, quos & verisimile est eligi solitos pregrandi corpore, quamuis mente stolida essent, quod huius militiæ proprium est.* Cæsar IV. Commen. Belli ciuilis: *Cassius semper Barones compluresque euocatos cum telis habere consueuerat, a quibus ceteri intercludantur, qui ad cædem faciendam subsequebantur, &c.* P. quoque Victorius in libr. suarum annotationum in Cic recte quidem emendare videtur aliquibus in locis ipsum Cicer. & pro corrupta veram vocem inducere Baronem. Transtulere & Iurisconsulti hac Baronis vocem in eam, quam nos vulgo vsurpamus, quin & de eis multa scripserunt, vt in Feudis, adeo tamen vt ad antiquam vocis significationem referri possit. Qui Barones a mulierę philosophiæ dedita deduxere, & fatuos philosophos interpretantur, detorquent nimis, ac dure vocem deriuant. Ego tibi plura hoc loco congerere possim, de Barone, & Varone, & Varro, ni senex ineptire videre malim, quam probe docere, & propterea hæc tibi hoc loco sufficiant. Atque hactenus tibi habe mi Hercules, quæ de Matéribus & cestrosphendonis, & Baronibus mea annotatione comprehendi.

DIALOGISMVS XIII.

Ad Dominicum Bondium medicum de Melanzana, seu, ut alii, mala insana, an apud veteres eorum notitia fuerit.

Dominicus Bondinus medicus, & Lilius.

DOMINICVS.

VIdeo Lili ab omnibus, qui hac nostra tempestate de simplici rei medicæ materia scripsere, fateri se ignorare, an apud antiquos cognita fuerint mala insana, quæ nunc vulgo vocantur vel melanzana, aut melagiana, & apud Hetruscos petronciana. Inter quos Hermolaus Barbarus in suo in Diosc. Corollario, vbi de mandragoræ generibus, ait: *de Morio mandragora nihil habeo quod addi possit iis, quæ a Diosc. notantur: sed quoniam mala terrestria & canina mandragoræ fructus appellantur, in mentem subeunt, quæ vulgo melanzana vocitamus, hoc est, ut ipse puto mala insana: de quibus nihil veteribus scriptum fuisse non desino mirari, quod multa huiusmodi reperio: sicut hercle multa quondam fuere, quæ modo vel ignorantur, vel certe non habentur. Mala ergo insana, e frutice vulgari sunt passim nascente, ut melones & cucurbitæ. Pari quoque cultu, foliis prope ficulneis flore oblongo, speciosio, candido, manditur vulgo pomum ex oleo, sale, pipere, fungorum modo coctum.* Atque hactenus Hermolaus, & ab Hermolao alii, quos est insectatus in suo in Dioscoridem vernaculo commẽtario Mattheolus medicus. Lilius. Sed si plura hac de re scire cupis lege Ruellium in suis de Stirpibus libris, qui & hoc pomum vocari ait apud Gallos *pomum amorum*. Mala ergo insana e frutice vulgari dependent, qui personaceam frondibus & caule prorsus æmulетur. is passim nascitur foliis prope ficulneis, flore oblongo, specioso, cãdido, fructu pomi magnitudine in orbem absolutum circinato, colore vel puniceo vel niueo, in quibus cartilago granis intercepta cucumeraceis continetur, quæ edendo hic : eltur vulgo pomum ex oleo, sale, pipere, fungorum modo coctum. Alii vbi paulum inferbuit igni in orbiculos, vel taleolas digerunt & in acetariis ex oleo vel pipere & aceti momento mandunt. Salgamarii in muria acida seruant cibo per hyemem & ver oti non ingrata, sed tamen, qui egitius concoquãtur, eodem gaudent cultu, quo cucumeres & melones, in hortis apud nos feruntur. Sed frequentius in fictilibus, vt fenestrarum pensiles hortulos exornẽt, sed cur amoris pomum appelletur nostris haud scio, nisi forsitan quod elegans, & perpulchrum placeat, & ita dignum, quod ametur, hæc Ruellius: quem & secutus est Antonius Musa in suo dialogo, & Fuscius non modo rem, sed & verba plerumque desumentes. Virgilius vero Marcellus in suo Dioscoride nihil hac de re penitus agit. Verum enimuero, qui mala insana interpretati sunt, possunt videri a Morio Dioscoridis verbum deduxisse: notissimum enim est, insanum & fatuum a Græcis μωρὸν dici, vnde & morones a Latinis, qui fatui risum mouent spectantibus. Iacobus vero Forliuiẽsis sua tempestate in re medica in-

signis habitus in 1. Can. Fen. 2. Melongianus color a melongiis, Melangena Berengena Hisp. quidam morion, id est, secundã Mádragoræ speciem putant, & *pomum desdegnosum* nuncupant, sed falso. Porro ne te diutius demorer, inuenio apud duos satis celebres auctores, qui huius generis fruticis, & pomi mentionem faciunt, quos inter Aetius inter vestros auctores rei medicæ celeberrimus. Sed & Symeon Sethi Antiochensis in suo de facultate cibariorum, iis verbis a me in Latinum conuersis ita agit, *Μαζιζάνιον* (sic enim ille vocat, vt etiam hoc tempore a Neapolitanis melizanion) calida est & sicca secundo ordine, & melancholicum humorem gignit, crebrius vero siquis vtatur, pallorem inducit, affectusque melancholicos, at si cum aceto absumatur, adstringit. Oportet igitur eas ante decoquere: quo etenim magis coquitur, eo plus in ea mali succi eiicitur: sed præstat te Symeonem ipsum suis verbis audire. *Μαζιζάνιον*, inquit. *τὸ λεγόμενον Μαζιζάνιον θερμόν ἐστι καὶ ξηρὸν κατὰ τὴν β. ἀπόστασιν, ἀπογεννᾷ δὲ χυμὸν μελαγχολικόν. συνεχῶς δὲ ἐσθιόμενον, ὠχροὺς ἐργάζεται ἐμποιεῖ καὶ πάθη μελαγχολικά· μετὰ δὲ ὄξους προσφερόμενον, ἀποφρακτικὸν γίνεται, δεῖ δὲ τοῦτο προεψῆσαι. διὰ γὰρ τὸ πολὺ τῆς ἑψήσεως, τὸ πολὺ τῆς ἐν αὐτῷ κακοχυμίας ἀποτίθεται.* Atque hactenus ille & ego tibi Bödi de Mazizanio, in quo quantum tibi a me satisfactum sit, ignoro.

DIALOGISMVS XIV.

Ad Io. Bapt. Orichalcum Hieronymi medici F. De Moly herba Homerica, quænam sit, & a quo inuenta.

LILIVS, ET ORICHALCVS.

LILIVS.

DAturus in publicum meas nonnullas nugas, quas adolescẽs, & pene puer confeceram, visum est ex eis vnam saltem tibi dicare, testem meæ erga te beneuolentiæ singularem. Orich. Gratias equidem tibi immortales ago & habeo, quod nostris hominibus testatum facies meam in te obseruantiam, quam sicuti semper præ me tuli, ita etiam velim eam plerisque omnibus notam esse. L. Multæ sunt caussæ cur semper te dilexerim, sed ea inprimis est, quod te semper a teneris (vt aiunt) vnguiculis tua sponte propensum atque incitatum ad capessendas bonas literas, & optimas quasque artes, quas vt video nec latum quidem vnguem deseris in hoc tuæ adolescentiæ flore, in quo huic nostræ ciuitati de te maximam exspectationem, atque adeo spem certam concitasti, Macte vel Orichalce hanc incudem assidue contunde, sic enim itur ad astra. Accipe ergo, quæ de moly a me conscripta sunt, vbi ex Priapeiis locus explicatur.

Pacifer huic dederat florem Cylenius album,
Moly vocant superi, nigra radice tenetur.

Carmina sunt Ouidii ex XIV. Metamorph. quæ ab Homero

delumta

desumta sunt. Ita enim ille in Odysseæ κ'. Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, hoc est, *radice quidem nigra erat lacti vero persimilis flos, Molyque ipsum Dii nominant.* Hinc est, vt puto, illud in obscenis poematibus.

Hinc legitur radix, de qua flos lacteus exit,
Et Quam quum moly vocat mentula moly fuit.

In quorum carminum lectione miror alios legere solitos, flos aureus exit, cum flos lacteus legendum sit, tum ex fide ipsius moly naturæ ac carminis Homerici, tum propter obscenum sensum, quo humanum semen significatur: huiusmodi tamen obscena libentius tegerem, quam scriberem: at quoniam non quæsita sese obtulere, nec aliis vulganda, hæc mihi scribo, non conticui. Commentatores vero Homeri super eius carmen ita scribunt, μῶλυ βοτάνης εἶδος παρὰ τὸ μωλύειν ὅ ἐστιν ἀφανίζειν τὰ φάρμακα. φασὶ δὲ καὶ τὸ ἐλκόμενον τῆς ῥίζης τῷ τίλλει θάνατον ἐπιφέρειν τῷ ἀνασπῶντι, quasi quod hæc herba demoliatur pharmaca. Vnde & ipse Poeta Homerus, & ab eo Ouidius Vlyssem hac radice a Mercurio accepta tutum a præstigiis Circes faciunt. Meminit & Lycophron in Alexandra his verbis μῶλυ σωτῆρος ῥίζα, id est, *moly saluabit radix*, vbi Isaacius commentator ait, μῶλυ δὲ ἐστι κατὰ τοὺς ἰατροὺς τὸ ἄγριον πήγανον, hoc est, Moly autem est secundum medicos ruta syluestris, quod & Suidas. Paulus vero Æginetain vltimo, vbi de medicina simplici, loquitur de moly in hæc ferme verba; *Moly*, inquit, *quam alii rutam syluestrem, alii armanam, Syri vero besasa vocant, tertia est apostasis calefacientium* Vnde, ait, *incidit crassos, & glutinosos humores.* Dioscorides quoque a quo Paulus multa sustulit in 3. *Moly*, ait, *vocatum leucoion syluestrem, folia habet graminis similia, verum latiora, florem album lacti persimilem, valereque contra venena, caulem etiamnum album, habere a summitate cubitu quatuor, &c.* Noster quoque Plinius XXV. Nat histo. de Moly ita loquitur: *laudatissima est herbarum Homero teste, quam vocari ab Diis putat moly. & inuentionem eius Mercurio assignat, contraq; summa veneficia demonstrat. Nasci eam hodie circa Pheneum in Cyllenio Arcadia tradunt, specie illa Homerica radice nigra q; magnitudine cera, folio scylla, effodi autem difficulter: Græci auctores florem eius luteum pinxere (cum Homerus & ab eo Ouidius candidum scribant) Inueni e peritis herbarum medicis, qui & in Italia nasci eam diceret, afferrique e Campania aliquot diebus effossam inter difficultates saxeas, radicis triginta pedes longa, ac ne sic quidem solida sed abrupta.* Hactenus de ea Plinius, nec dissimilia scribuntur a Theophrasto, verum (vt mihi videtur) aliam herbam diuersam ab hac, vbi de stychnone vel, vt alii legunt, trychone loquitur, inquit enim, *& alterum genus, quod baliaccabon vocant, soporiferum est, atq; etiam opio velocius ad mortem, ab aliis morion ab aliis moly appellatum.* Cum hãc annotationem iuuenis conficerem nondum nec Hermolaus, nec

Ruellius, nec Marcellus Dioscoridem illustrauerunt, & propterea multa, quæ ab eis traduntur, ipse afferre potui, quæ hinc te desiderantur ab eis desumere poteris, satis sit nos illustrasse carmen Ouidianum, & alterum ex Priapeiis.

DIALOGISMVS XV.

Ad Hieronymum Benintendium Belgiarinum de Aquis subruinis, quæ sint, & Cor. Celsi locus declaratur.

EXistimo te Hieronyme doctissime probe scire, quantæ auctoritatis sit Cor. Celsus apud Latinos, probeque accedere ad Ciceronis elegantiam. Quapropter soleo libenter eius lectione delectari, vt cum proximis his diebus legerem quartum ipsius librũ, qua parte agit de stomachi morbis, & curationibus, quo loco hæc verba leguntur: consistere in frigidis medii capitisque fontibus, quales cutiliarum subruinarumque sunt, salutare est, quo in loco Ioannes Cæsarius vir doctus hallucinatur ita scribens: *sic quidem mihi legendum videtur cutiliarum, & subcutiliarum, non autem vt hactenus legebatur, subruinarumque: nam cuiusmodi sint hæ aquæ, nondum apud quempiam reperi scriptorem idoneum & probatum. De cutilibus vero Plin. XXXI. Capit. II. quas in salutis calidissimis esse dicit, & suctu quodam corpora inuadere, aptissimas stomacho, neruis, vniuerso corpori. Idem & de cutiliis libr. I I. Capit. XCVII. & libr. XXXI. Capit. VI quas inibi bitumatis aut nitrosis bibendo vtiles esse, atque purgationibus tradit. De Cutiliis item Vitruuius libr. VIII. Capit. III. vbi scilicet de aquæductibus tractat.* Hactenus Cæsarius. Duplicem in his errorem subesse existimo priorem medii capitisque, qui recte ab emendatore castigatur, vt pro medii capitisque legatur, medicatis aquis, alter sub ruinarum: sed emendator non aduertit Celsum in frigidis aquis hoc loco consistendum non calidis, vt dicat, non eas calidas, sed in salinis calidissimis. Sed iis nullis ego quoq; fateor raras has aquas, sed tamen inuentu faciles, iis præcipue, qui in Latio versati sunt. Cor. Tacitus *lib. XIV. histor.* de Nerone agens has aquas his verbis monstrat: *Nam, inquit, quia discumbentis Neronis apud Symbruina stagna, cui Sublaqueum nomen est, ista dapes mensaq; disiecta est* hæc Tacitus. Idem *lib. vndecimo* de Cl. Cæsare, fonteiq; aquarum subruinis collibus deductos vrbi intulit: nunc vero vulgo Subiaco dicuntur, notissimus locus vel diui Benedicti Cœnobio. Meminit & Syllius lib. VIII.

Quique Aniene habent ripas, gelidoq; rigantur
Symbruuio, rastrisq; domant aquicola rura.

Obseruandum tamen est, aliquos *symbruina*, alios *symbruuia* legere, alios *symbruina*, alios vero *sumbruina*.

DIALOGISMVS XVI.

De Daphne & Lauro parum a scriptoribus cognita.

Lilius & Alphon. Troctus Herc. F.

LILIVS.

QVod ex me petisti Alphonse de Lauro in carmine Tibulli,

Laurus vbi bona signa dedit, gaudete coloni,

quid poeta significet, vt tibi exponam, altius aliquanto repetendum est, vt rem plane percipias, atque ideo tibi annotatiunculam quandam meam olim a me confectam recitabo. Alphon. sic agas obsecro mi Lili, eo enim tibi magis debebo, nam cum istud a præceptore meo quæsiissem, oportet me, inquit, istud diligentius ex scriptoribus perscrutari, quod cum adhuc nō fecerit, tu ista tua annotatione, & illi, & mihi rem gratam feceris. L. accipe igitur, quæ olim obseruaui ex Græcis, & Latinis auctoribus, in præsentia missa faciens, quæ de fabula Daphnes Ladonis, seu Penei nymphæ filiæ a poetis produntur, & quæ longe diuersa traduntur a Pausan. in Arcadicis, vbi de Leucippo puero formosissimo Daphnes amore capto describitur historia & interitus. Obseruatio igitur nostra hæc est. Daphnem appellatum scribit Eustathius a particula διὰ intentiua & *φωνὴ ἡ voce*, quod scilicet Laurus in igne posita crepet, & quasi vocem edere videatur, quod Theocritus, Lucretius, Tibullus, aliique ostendunt: sic fortasse & nos Latini nostram Laurum deducere possumus a λα particula similiter intentiua vt *Lastaurus, larini boues*, & a verbo *vro*, quasi *la, vro*, Laurus quia scilicet facile incendatur, & in igne crepet. Est igitur Laurus Apollini, qui vatum Deus a gentibus creditus, sacra, quæ futurorum significationem habere credita est. Claudianus, *venturi prascia Laurus*. Fulgentius, *Lauri folia si noctu puluino subiecta fuerint veritatem somniorum conciliari*, ait. Quin etiam ex eius crepitu dum vritur, veteres futura prædicebant, quod & philosophus Porphyrius prodidit: si enim crepuisset in igne maxime felicitatem, contra si siluisset significare putabatur: vnde & *tacita* Laurus dicta, & *infausta inauspicataque*. Tibullus ideirco ita cecinit,

Laurus vbi bona signa dedit, gaudete coloni.

De altera Propertius.

Et tacet exstincto Laurus adusta foco.

Hesiodi interpretes, item Lycophronis, Laurum si edatur valere ad diuinationem & ἐνθουσιασμὸν prodiderūt, quod & Lycophron ipse in Alexandria, & Sophocles in Cassandra ostendunt. Tibullus de Sybilla.

Vera cano sic, vsque sacras innoxia Laurus
Vescar, & æternum sit mihi virginitas.

Iuuenalis, *Laurumque momordit*. hinc & a Græcis δαφνοφάγοι, id quod in poetis in Hesiodi vita copiosius retulimus, vates dicti sunt. Aphthonius etiam diuinationis symbolum Laurū esse tradidit, ideo & *μαντικὴ ἐν φωνῇ* est nuncupata. Sed & Parthenius in Erotico, & Constantinus, quem Dionysium aliqui appellant in

Geoponico de Daphne, quæ parū Latinis nota sunt prodiderunt. Atq; hæc quidem mi Alphonse puto tibi satis & super futura esse ad carminis Tibulli cognitionem. Si quando inter studendum te istiusmodi scrupi. & difficultates offenderint, me tibi spondeo pro facultate & viribus meis opem allaturum.

DIALOGISMVS XVII.

De Inedia toleranda, quæ a scriptoribus tradantur, & experientia ipsa comprobentur.

Alphon. Maianthus, & Lilius.

ALPHON.

MEmini cum domi tecum versarer, & ad te venisset Socinus Bentius, aliique nonnulli eiusdē professionis medicæ scholastici, sermonem incidisse de inedia toleranda, & ieiunio, quo tempore multa de ea re in medium a te allata fuere. quæ tunc minus a me memoriæ mandata sunt, nunc vero, vt nosti, cum medicæ facultati operam nauem, ea libenter ex te audire cupio. L. quod petis a me facilime impetrare potes: nam eo ipso tempore, quo ista disseruimus, ad ipsum Bentium annotationem quādam confeci in epistolæ forma. quam tu ex meis annotationum libellis arbitratu tuo excipies. Tunc Maianthus accepto libro epistolam inuentam legere sic cœpit.

L. GREG. GYRALDVS SOCINO
Bentio medico ac philosopho.
S. P. D.

QVi in assidua tantum iugique lectione, & non in veritatis speculatione versantur, quantis plerunque ignorantiæ tenebris obuoluantur, quantumque a recto deuient, optime Socine, vel hac ipsa confusanea epistola cognosces. Nam cum ipse vellem caussam indagare, cur quidam facilius aliis inediam tolerēt, vide quantas nugas fecerim, dum volo simul omnes scriptores euoluere, & simul audita colligere. Fuit Io. Scotus vir, vt audio, nō ignobili familia natus, qui ad miraculum vsque inediam tolerabat, cuius etiam rei Romæ apud Clementem VII. periculum fecit: multos enim dies cibo abstinuit, quod & suis literis Pontifex ipse testatus est. Idem Io & alio loco apud Scotos suos longiore vsus est ieiunio, nullum videlicet cibum assumens. Id ei contigisse audiui, cum ab inimicis captus, & in vincula cōiectus multorum dierum spatio cibo nullo refectus, se Deo, & patrio cuidam diuo Numano qui apud Scotos summa veneratione colitur, commēdasset, vouissetque, si eius apud Deum intercessione incolumis euaderet, se illius cineres ac reliquias inuisurum, & Romam ad Petri & Pauli limina, CHRISTIq; demum Hierosolymam sepulcrum aditurum, qua de re non multo post ope diuina liberatus votum exsoluit, Romamq; religionis ac pietatis caussa profectus rem omnem Pontifici indicauit, ab eoq; benedictione, quā dicunt,

dicunt, impetrata & simul facultate, vt D. N. IESV CHRISTI incunabula & sepulcrum Hierosolymam inuiseret. Venit idem Bononiam mense Februario M.D.XXXIII. cum idem Pontifex Clemens, & Carolus V. Cæs. Aug Bononiã conuenissent: tametsi audiuimus, & legimus etiam Scotos ipsos suapte natura patientissimos esse inediæ famisque: quod & tradit Bilibaldus in orbis descriptione. Isigonus quoque Niciensis gentem esse supra Borysthenem ait, quæ tertio die tantum cibum semper capiat. Sed & H. Benedictus medicus non incelebris paucis ab hinc annis scribit, quendam Venetiis fuisse, qui XLVI. continuos dies ieiunium ageret frigida corporis habitudine, crassaque pituita, & incoctа obstructisque corporis meatibus. Quærunt igitur ex natura caussas medici, qua ratione fiat cibi tædium, quam Græci *ἀνορεξίαν*, nunc *ἀσιτίαν*, interdum & *ἀποσιτίαν* alijsq; modis vocant: nunc enim aiunt ex dimissa quotidianã exercitatione fieri, nunc deiectione quadam naturali, nunc intermissa consueta purgatione, nunc ex splenis obstructione hanc inappetentiã homini accidere, nunc etiam ex repletione, quæ difficilius soluatur. Sed his missis, memorabile est, & quod legimus fuisse quendam, qui biennio nihil prorsus cibi, aut potus hauserit. Albertus etiã *VII de Animalibus* mulierem fuisse ait, quæ XXX. & XX. aliquando continuos dies cibo abstinuerit: idem & atra bile vexatũ hominem septem hebdomadas sine cibo perseuerasse prodidit, alternis tantummodo diebus aquã exsorbentem. Nunquid vero minus mirũ vobis videbitur plerosq; fuisse, q̃ sola Eucharistiæ alimonia multos annos vitam duxerunt, sicut & nostris diebus mulier nomine Colũba in Italia, & altera in Germania, item alia, vt eos nũc mittam, qui pomorũ odore viuere dicuntur, & astomi, vt *ait Plinius*, vocantur, circa Gangis fontẽ; & eum, quẽ ex Aristotele Olympiodorus scribit insomnẽ solari aere victitasse, qua de re & nos alibi. Illud vero nequaquam prætereundum, q̃ Phauorinus apud Gellium ex Erasistrato recitat, *esuritionem*, inquit, *faciunt inanes patentesq; intestinorũ fibra, & caua intus ventris, & stomachi vacua biantia, qua vbi aut cibo complentur, aut inanitate diutina contrahuntur, & conniuent, tunc loco, in quem cibus capitur, vel stipato vel adducto volũtas capiendi eius desiderãdiq; restinguitur. Scythas quoque idem ait cum sit vsus, vt famem longiũ tolerẽt, fasciis ventrem strictissime circumligare, ea ventris compressione esuritionem posse depelli creditum est.* Hactenus Phauorinus. Plura Gellius *libr.16.* Sed enim & M. Damascenus prodit suo tempore in Germania fuisse rusticum, qui sub fœni ingenti cumulo per totum autumnum & brumam continue dormierit, donec appetente æstate fœno paulatim consumto experrectus, attonitusq;, ac semimortuus inuentus est. Existimat ipse Damascenus hoc fieri potuisse multaque comminiscitur, inter quæ pleraque esse animantia,

quæ pluribus mensibus viuant, nec potu, nec cibo, somno tátum indulgentes, id quod & homini contingere potest, vt de Epimenide in historia Poetarum scripsimus, & septem Ephesiis viris sanctis, ac item heroibus in Sardinia, vt Arist. in Physicis & Simplicius, aliiq; prodidere. Theophrastus Philinum quendam scriptis prodidit nullo cibo potuve vsum, præterquam lactis. Magis mirum illud videri potest, quod hoc ipso tempore, quo nos hæc scribimus, in vrbe Spira Germaniæ, quæ ad Rhenum sita est, in pago ei vrbi proximo puella esse dicitur Margarita XIII. annos nata, quæ tres ferme annos famem tolerauit, ac vt scripto testatur Physicus insignis Gerardus Bucoldianus nomine, eam puellam duodecim dies fuisse apud se, iussu Ferdinandi Cæsaris regis Romanorum, vt rem penitus exploraret: tum demum ait, se comperisse quod puella nec cibi quicquam, nec potus assumeret, & quod puella est statura iusta, & habitudine bona, oculis cæsiis, vultu ac facie non illiberali, ingenio plane puellari ac simplici, os semper habet aridum, nihil exspuit, nihilo secius potus nihil admittit, & flet tamen, & nares emungit, dormit quietemque capit, inter respirandum non admodum venter ei contrahitur, vel dilatatur, viscera, vt ait, nihil vitii habere videntur, nec item iecur nec lien: existimat quidem Physicus ille, hoc prouenire ex humore pituitoso crudo, id quod eo facilius credit, quod ea puella scabie pituitosa vrgetur, non tamen id vt vir prudens asseuerat, sed nec etiam miraculo ascribit. Relinquit vero hoc indiscussum, tantum rem & visam a se & consideratam, ait. Tum subiungit de Gallo, qui Romæ similem inediam pertulit. citat Poggium Florentinũ in facetiis, item ex Abbate Vrspergen. qui ait in Tullensi territorio iuxta villam Comerciacum fuisse puellam duodecim circiter annorum, quæ a communione paschatis a sacerdote percepta biennium, & semis, nulla penitus alimenta assumens ieiunauit, anno sc. Domini MCCCXXII. vsque in annum MCCCXXV. Scribit item Cor. Agrippa, qui tamen prodigiosus scriptor videtur, ex Boccacii sententia, Venetiis quempiam fuisse, qui quotannis per XL. dies absque vllo cibo ieiunium ageret, quodque magis mirum videtur, mulierem fuisse eodem tempore, in inferiore Germania, quæ in XXX. annum nihil vnquam cibi sumserit, & nunc quoque esse Nicolaum quẽdam de Saxo Heluetium, quem in eremo XXII. annis sine aliquo cibo vixisse constat. *Hæc illi.* qui, & hoc quoque. sunt. *inquit*, auctores, qui herbam quandam Spartanicam asserant esse, qua Scythas XII. dies durare sine cibo & potu semel gustata, vel ore retenta. Quin & prodigiosi quidam medici antidota quædam pollicentur, quorum si qui minimam particulam cibauerit diuturnam poterunt perferre inediam, *Hæc ferme ille.* Solinus Alimon herbam celebrat in Creta, quæ admorsa diurnam famẽ prohibet, vnde & illi nomen factum, quod scilicet

scilicet famem pellat. Ego vero omnia hæc ipsa collecta ad te misi, vt simul de omnibus acrem tuam censuram elicerem, ne incertus ego hanc modo, modo in illam declinem opinionem. Vale. Habes Alphonse quæ tunc dicta fuere de his, qui ieiuni famem tolerare dicuntur.

DIALOGISMVS XVIII.

Ad Ber. Barbuleium de Silano quid sit, & locus Lucretii emendatus explicatusq́; alter Cor. Celsi & Hygini. de Polycaste Claud. epigramma.

CVm forte librum mythologicon poeticon Hygini legerem, incidit in manus, vt aliter expositam Amimones fabulam inuenirem, quam tradi a Grammaticis soleat, quæ huiusmodi est. *Amimone*, inquit, *Danai filia missa est a patre aquam petitum ad sacrum faciendum, quæ dum quæreret, lassitudine obdormiit, quam satyrus violare voluit: illa Neptuni fidem implorauit, quod cum Neptunus fuscinam in satyrum misisset, illa se in petram fixit. Satyrum Neptunus fugauit, qui cum quæreret in solitudine a puella, illa se aquatum missam esse dixit a patre, quam Neptunus compressit, pro quo beneficium ei tribuit, iussitque eius fuscinam de petra educere, quæ cum eduxisset, & tres silani sunt secuti, qui ex Amimones nomine Amimonius fons appellatus est. ex qua compressione natus est Nauplius, hic autem fons Lerneus est postea appellatus*: Hactenus Hyginus. Hanc vero fabulam cum Barbuleie frater cariss. tibi recitassem, ex me tu quidem periisti, an hic fabularum Hygini liber legitimus esset: tunc ego tibi respondi, me existimare eius scriptoris omnino esse. Nam & alia pleraque Hyginus scripsit præter Astronomicon poeticon, quod passim habetur: sed & eiusdem leguntur, rara quidem inuentu, de constitutionibus limitum vel agrorum, item de limitibus seorsum, & chromatica, & huius quidem Hygini sunt. Tranquillus in *libr. de claris Grammaticis & rhetoribus*, vitam paucis exponit. Eusebius vero in Chronico de eodẽ sic meminit: *C. Iulius Hyginus cognomento Polyhistor Grammaticus habetur illustris temporibus Tiberii.* Quare minus dubitandum est, quin hic fabularum liber sit Hygini legitimus: nam & in Vergilium commentaria scripsisse in dialogis de Poetis ostendi. Tum prosecutus Barbuleius, quid vero sibi velit hæc inaudita vox *Silanos*? cui respondi, antiquam vocem esse Latinam, & tubos aquarum significare, & fistulas, id quod innuit Sext. Pompeius, qui sic scribit: *Tullios alii dixere esse Silanos, alii riuos* Meminit & silani his verbis Cor. Celsus *lib. 3. cap. 18.* vbi de conciliando somno ægrotis agit: *confert etiam aliquid ad somnum silanus iuxta cadens.* Vsus est & Lucretius libr. 6. quo loco de Atheniensium pestilentia pluribus verbibus agit, ita enim in emendatis, & antiquis codicibus legitur.

Multa siti prostrata viam per proque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata iacebant.

Quem locum non intelligentes Marullus, & Baptista Pius, hic sic emendauit vel corrupit potius,

Corpora sola amnes ad aquarum strata iacebant,

Ille vero, i. Marullus sic reposuerat:

Corpora sic amnis ad aquarum strata iacebant.

Sunt & qui Silanos interpretãtur Nilos & Euripos. De Nilis porro habetur mentio apud M. Tullium, & C. Pli. sed hæc nihil ad rem faciunt. Habes igitur mi Barbuleie super vocabulo Silani, quam tibi promiseram me ostensurum meam annotationem.

Tunc Barbuleius habeo, inquit. & placet, sed postquam otiosi sedimus, velim & enixe peto, vt epigramma Claudiani de Polycaste mihi quoque si tenes, enarres.

Claud. epigramma est.

Quid non sæuus amor flammarum munere cogat?
Sanguinis affectum mater amare timet.
Pectore dum niueo miserum tenet anxia nutrix
Illicitos ignes iam fouet ipsa parens.
Vltrices pharetras tandem depone cupido,
Consule iam Venerem. forsan & ipsa dolet.

Lil. quæ de Polycaste annotarim paucis accipe, nihil enim tibi tam amãter petenti denegare possum. Fabulam hoc loco Claud. talem attigit, quæ talis est, cuius & Fenestella, & Martialis meminit. Sic enim legitur: Perdicã fuisse scribit initio venatorem, cui cum cruentum institutum, & solitudo displicere cœpisset, & continuum currendi studium, cum videret Actæona, Adonium, Hippolytũ, alios eius rei studiosos pessime interiisse, venatione spreta agriculturæ se dedisse, quo nomine terrã quasi matrem fertur adamasse, quo labore cõsumtus, macie est confectus. matrem quippe *Polycasten* vocitant, quæ *Polycarpe* a fructuum copia est interpretata, terra mater omniũ est, quæ in mortalium vsus suos producit fructus. Meminit & huius rei Cœlius Rhod. Fabulose enim finxerunt antiqui Perdicem cum Polycasta matre concubuisse, & inde filios sustulisse, qua ex re poetæ epigrammatis est commentum. De Polycaste præterea, & Perdice Fulgentius *lib. 3.* Mythologicon plura scribit. Ergo habes mi Barbuleie quid super eo epigrammate Claud. nunc succurrit.

DIALOGISMVS XIX.

Super carmine Priapeiorum de Nemesi & Cyzico, vbi multa sunt parum Latinis exposita.

LILIVS ET HERCVLES TASSO.

LILIVS.

NVper cum ad me venisset noster ille amicus, qui studiosus est

carminum Priapeiorum, & me rogasset, vt exponerē quædam ex his, atque inprimis carmen illud, quod sic passim legitur.

Raptam Cocytos ostreosa diuam.

Recordatus quod apud me litescebat annotatio quædam de eadem re pridem a me cōfecta, illam tibi potius dare constitui quā illi, si ita tibi visum sit. Herc. Et quidē perplacet, ille enim, vt scis, suppilator est non rerum modo, sed & codicum, quare rem admodum gratam mihi feceris, si rem totam perscriptam a puero mihi dono miseris. Lil. Et cui magis inquam debeo has meas nugas largiri quam tibi? qui me a puero semper amasti, & meæ huiusce aduersæ & fortunæ, & valetudinis adiutor, & subleuator es. Sunt vero in hac annotatione pleraque altius repetita, & quæ extorta etiam videri poterunt, cognitione tamen dignissima.

Raptam Cocytos ostreosa diuam

Carmen ex poematibus obscenis, nec aliqua mihi exemplaria videre contigit, quæ aliter hoc ipsum immutatum habeant, quin Georg. Merula illud Iuuenalis,

Cecropiam soles Bapta lassare cocyton, Enarrans, inquit, *Cocyton Proserpinam, ego contenderem a loco, vbi præcipue Dea coleretur, dictam, quod innuere videtur Vergilius dinumerās loca, in quibus varia numina colerentur. Ait enim:*

Raptam Cocytos ostreosa diuam.

hactenus verba Merulę. sed Iuuenalis carmen Politiano dimittamus, qui in Miscellaneis optime contra Domitium illud enarrat. Videamus nos, vbi & in qua regione sit constituta Cocytos, & quod ostrea ibi proueniant, quod nunquam me legisse succurrit: lego tamen apud Græcos *cotyttia* celebritatem quampiam in Sicilia, in qua de ramis fierent placentulæ, & fructus arborum rapi permitterent, vnde factum sit prouerbium illud ἁρπαγὴ Κοτυτίοις, vt fortasse alludat ad hanc rapinam, quod prætermissum a Politiano est. Græce ita scribitur: Κοτυτὶς ἑορτὴ τὶς ἐϛὶ σικελικὴ, ἐν ᾗ περὶ κλάδους ἐξάπτοντες πόπανα, καὶ ἀκρόδρυα ἐπίτρεπον ἁρπάζειν. Verum ego huius sum sententiæ, vt non fortasse male legeretur:

Raptum Cyzicos ostreosa diuam.

siquidem Cyzicus nobilis est ciuitas in Propontide insula, quę ciuitas, *vt refert Strabo, in 12.* Mela, Plinius, Ptolemæus, Florus, & reliqui dicta a Cyzico rege, quē vt in Argonauticon 3. canit Flaccus, Valerius, & Apollonius, inscienter Iason interemit. Meminit Pomponius, & Ouidius in Tristibus,

Cyzicos Armeniæ nobile gentis opus,

Quod autem ibi ostrea sapidissima proueniant, docet Pli. *libr. 32. Nat. hist. cap. 6.* ex Muttani verbis, *Cyzicena,* inquit, *ostrea maiora Lucrinis, dulciora Britannicis, suauiora Edulis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora Histricis,*

Ausonii etiamnum exstat tetrastichon ex Græco epigrammate detortum in statuam Nemeseos. Ponitur a Græcis Nemesis pro indignatione, accusatione, pœna, contumelia, inuidia, & fortuna: quare nil mirum si Claudianus Rhamnusiam pro fortuna ponere videtur illo carmine contra Alaricum.

Sed dea quæ nimiis obstat Rhamnusia votis
Ingemuit flexitq; rotam.

Scio huic sententiæ Latinos reclamare. Castiganda sunt Capitolini verba, cuius in Maximo hæc sunt: *Multi dicunt apud veteres hanc deuotionem contra hostes factã, vt ciuium sanguine litato spem pugnarum, se hemesiis ides visis quidam fortuna satiaret.* Tu legito, *se Nemesin, id est, vim quandã fortunæ satiaret.* Hoc loco illud adscribere operæpretium videtur, Romanos ad bellum profecturos Nemesi sacrificasse, propterea quoniam ea Dea esset, quæ homines ex malefactis puniret, atque etiam victores. Ideo Nemesin non frustra inuocabãt. Vnde Theætetus Græcus epigrammaton scriptor eam hæc verba dicere introducit, εἰμὶ δὲ καὶ νῦν νίκη ἐρεχθείδαις ἀσσυρίοις νέμεσις. id est, *Sum victoria certe nunc ego Erechthidis Assyrius Nemesis.* Hinc factum est, vt Latinorum pierique Nemesin existimauerint vim esse Fortunæ, alii Iustitiæ filiã, alii vim quandam inter cœlestes discurrentem: prima rerum semina, quæ fatorum, & sortium vires temperat, atque emendat, rebus humanis trutinam adhibens, e cœlo terrena despectans, nocentes punit, præmia largitur, & cum sit velocissima, quia diu non permittit impios præesse, atque grassari, alata fingitur a veteribus, & eius pedibus supponitur rota cum citissime discurrat: quamquam alatam ideo dicit Pausanias, vt Cupidinem, quoniam scilicet huius deæ numen in iis potissimum apparere autumant, qui amore capti sunt: vt hinc facilius intelligas carmen Ouidii de fabula Narcissi, & illud Catulli, *Ne pœnas Nemesis reposcat a te.* Addit idem Pausanias ipsius deæ statuam capite coronam habuisse, qua cerui & fortunæ parua insignia continerentur, læua ramum fraxineum. Quare apud Suidam corrigendum puto in Rhamnusia, κλάδον εἶχε μηλέας, pro μελίας, vt fraxineum ramum intelligat potius, quam ex malo. Idem Pausanias Oceani filiam deam ipsam credidit, cuius simulacrum primo Veneris figura constitutum fuisse refert Suidas ipse ab Erechtheo in matris honorem. Videtur Plinio XXXVI. *Nat. hist.* Agoracritum Procerium certasse cum Alcamene condiscipulo Phidiæ de Venere conficienda, qui cum peregrinus homo sententiam contra se accepisset suffragiorum Atheniensium iniquitate, signum hac lege vendidit, vt extra Athenas deportaretur, vocauitque Nemesin, positum vero fuisse in Rhamnunte pago: Apud Græcos tamen lego opus fuisse Phidiæ, qui inscriptionem Agoracrito donauit, vtpote ab eo amato. Strabo vel Diodoto vel Agoracito adscribit. Potuissem nonnulla

quæ exstant de hac Dea prouerbia addere, ni complere cartas viderer, sed spero me propediem plura in syntagmate de Fortuna hac de re proditurum. Vnum illud hoc loco non præterierim, q est a Pausan. in achaicis cum de Smyrna vrbe loquitur proditum, *facile*, inquit, *se deduci Smyrnæi passi sunt: ac Nemeses quidē plures non vnam tantum venerantur, & earum matrem Noctem perhibēt, sicuti Athenienses eius, quam Rhamnunte eodem nomine colunt Deæ Oceanum patrem esse dictitant.* Habes ergo mi Hercules, quæ iuuenis admodum super eo carmine dictauerim, quæ si tibi arriserint, pretium operæ fecisse videbor. Vale.

DIALOGISMVS XX.

De Atalanta & quot eius nominis fuere, ad Hippolytum Montiscuculi comitem.

LILIVS SOLVS.

QVamquam video te tua sponte satis incitatum ad optimas quasque artes capessendas, atque eo maxime cum Gerardo præceptore tuo, viro & probo, & erudito, eam semitam ingrediaris, quæ ducit ad cultissimos eorum hortos, & amœnissima vireta; nihilominus, cum hos meos Dialogismos mearum quarundam obseruationum conficerem, volui aliquam partem eorum in tui nominis luce in publicum apparere. Accipe igitur, quam adolescens olim multo studio, & iugi lectione annotationem cōfeceram super eo Priapeiorum epigrammate, quod hoc ipsum est:

Qualibus Hippomanes rapuit Schœneida pomis,
Qualibus Hesperidum nobilis hortus erat,
Qualia credibile est spatiantem rure paterno
Nausicaam pleno sæpe tulisse sinu,
Quale fuit malum, quod litera pinxit Acontî,
Qua lecta cupido pacta puella viro est:
Talia cumq; puer dominus florentis agelli
Imposuit mensa nude Priape tua.

Huius etiam Hippomanis & Atalantæ fabula perquam lepide ab Ouidio in 10. & a Ser. in 3. commentario Æneidos, & a Sidonio Apollinari in Panegyrico ad Anthemium describitur: verum, quoniam a Lutatio in 7. supra Statii Thebaide duas fuisse Atalantas dicitur, alteram Arcadicam, alteram ex Schœno nobilem cursu, quod a doctis quamplurimis iam receptum est; non ab re mihi videtur, si, quæ ego quoque obseruaui apud Græcos auctores, adscripsero. Interpretes igitur Apollonii in 1 duas Atalantas his verbis & ipsi fuisse produnt. Ἀταλάντη ἰάσου θυγάτηρ, ἣν ἔγημε μειλανίων: ἑτέρα γάρ ἐστιν ἡ ἀργεία ἡ σχοινέως, ἣν ἔγημεν ἱππομένης. Ecce quod aiunt, duas fuisse Atalantæ nomine, altera Iasonis (quamuis ego perperam notatum a scriptoribus putauerim: ἰάσου enim legendum erat) quam vxorem duxit Mila-

nion,

rion, altera quidem fuit Argiua, vel Schœnei, quam vxorem habuit Hippomedon, qui a Latinis Hippomanes dicitur. Stephanus tamen de Vrbibus Schœnum Arcadiæ regionem inquit, dicit a Schœneo patre Atalantæ. Prima igitur a Milanione amata fuit, non Minalione, vt puto corrupte a Latinis nostris, cum *Milanion* legendum sit, & qui ita apud Ouidium & Propertium non legunt, ii Græcas literas ignorare videntur. Meminit huius fabulæ Musæus in poematio Leandri & Herus: παρθένος ἐσὶ λάληθεν ἀπ' ἀρκαδίης ἀταλάντη ἥ ποτε μειλανίωνος ἐρασσαμένου φύγεν εὐνήν. quibus verbis Leander exemplo Atalantæ flectere puellæ animum studet, quam sententiam cum Propert. æmuletur, non video cur malus mos inoleuerit, vt male hæc duo carmina a doctis legantur.

Milanion nullos fugiendo Tulle labores
Sæuitiam duræ contudit Iasidos.

Cui lectioni præter sententiæ ductum nonnulla quoque vetusta exemplaria fidem faciunt. Meminit & Xenophon Socraticus in principio eius opusculi quod de Venatione inscribitur. *Milanion, inquit, tantum studio laboris excelluit, vt ex riualibus suis, qui ad maxima connubia digniores erant, Atalantæ nuptias solus consecutus fuerit, quorum spectatissimos ætatis illius viros, æmulos habuit.* Hanc eam Atalantam existimauerim, quam etiam Meleager amauit, vt *Ouid. cecinit in Metamorph. & Diodorus in 4.* vbi Meleagri fabulam describit. Amauit & eam Hylæus non Philæus, a quo Milanion percussus vulnere rami saucius arcadiis, vt ait poeta Propert. rupibus ingemuit. Meminit & Ouid. *in tt. de Arte.* proferturq; hoc loco Atalanta secunda syllaba producta. Altera vero Atalanta prima & secunda breui pronuntiatur, quam vxorem Apollonii commentatores dixerunt Hippomedonta duxisse, alii Hippomenem, quem Palæphatus in historia incredibilium Μειλανίων appellat, vt confusa sint nomina penes Græcos, vel sit deflexum epitheton ἀπὸ τῶ μῆλον, καὶ ἀνύω, quod obseruatur apud Theocritum illo carmine ex tertio edyllio, μᾶλ' ἐν χερσὶν ἑλὼν δρόμον ἄνυεν. propterea quod cursum perfecerit manibus poma retinens. Atque hic sunt, qui hoc nomen ita scribant *Melanion.* vel potius vna tantum Atalanta fuerit, non duæ, id quod etiam manifestius ex Callimachi hymno in Dianam colligitur, qui & eam εὔσκοπον i. *apricidam* cecinit, & filiam Iasii, amatam ab Hylæo, & Rhœco centauris, quos vim sibi molientibus illa interfecit, vt ibi a Grammaticis obseruatur, nisi forte quis Callimachum dicat confundere nomina, vt a poetis sæpe fit, sed sic certe se habent eius carmina.

ἤνησας δ' ἔτι πάγχυ συαγρεσίην ἀταλάντην
κούρην ἰασίοιο συοκτόνον ἀρκασίδαο,
καί ἑ κυνηλασίην τε καὶ εὐστοχίην ἐδίδαξας,

ὅ μιν ἐπίκληθι καλυδῶνίε ἀγχόθι τῆρες
μίμφοντ᾽ ἀγκάτοιο. τὰ γὰρ σημήια νίκης
ἀρκαδίην εἰσῆλθεν. ἔχει δ᾽ ἔτι θηρὸς ὀδόντας,
οὐδὲ μὲν ὑλαῖον τὲ καὶ ἄφθεγκτα ῥοῖζον ἔοντα
οὐδὲ τοὺς ἐχθαίροντας ἐν ἀϊδι μωμήσασθαι
τόξον· οὐ γὰρ σφὶν λαγόνες συνεπιψαύοντο,
ζῶον μεταλλίη νᾶιν φόνῳ ἀμπρέζια.

Quos versus Iacobus Crucius Bononien. amicus meus aliquando sic Latine vertit.

Dum spectas: pariter pernix Atalanta probatur
Arcaside Iasis Soboles, quæ sustulit aprum.
Hancque doces agitare canes: hanc spicula certa
Mittere: curuatoque inflectere poplite neruum,
Quisquis ad Ætolum clarus concesserat aprum;
Hanc laudant, & adhuc durant insignia palmæ,
Arcadia excepit suspendens postibus altis:
Nuncque fera dentes monumenta perennia seruat.
Haud ego crediderim Ilaum Rhœcumque furentem,
Ad manes damnare arcum certasque sagittas,
Quamquam hostes, fixa arguerent namque ilia falsos.

Lubet hoc loco adnotare fabulæ fidem, quã Palæphatus ipse eodem libro describit. *Ferunt*, inquit, *Atalantã & Melaniona in leonem & leænam conuersos.* Verum huius rei veritas talis est. Atalãtæ Melanion cum venarentur persuasit, vt secũ admisceretur, vbi in spelæum deuenissent, in quo erat leonis, & leænæ cubile, illi postquam eorum voces audiuere, laceratũt: post aliquantulum temporis, cum ex ea spelunca leo, & leæna soli egrederentur, venatores, qui cum Melanione fuerãt, eos in hæc animalia mutatos crediderunt. Vrbemq; ingressi diuulgarunt, Atalantam & Melanionem in hæc animalia esse conuersos. Tertiam Atalantam nominat Suidas, qui eam Acasti vxorem dicit, amatam a Peleo. Cetera, quæ ad epigrammatis explicationem pertinent, in aliis meis obseruatis leguntur, atq; ideo hæc in præsentia satis sunto.

DIALOGISMVS XXI.

Ad Ptolemæum a Ptolemæo equitem, de Propemptico & protreptico poematum generibus.

LILIVS.

VOlenti tibi rus proficisci, vbi per hos solstitii dies, & caniculares ad captandum frigus es permãsurus, volebam aliquod carmen mi Ptolemæe mittere, vt te scilicet adhortarer non ideo tua studia bonarum artium deserere, sed remissis meridianis caloribus cum tuo Laurentio ad Musarum fontes digredi: verum cum propter aduersam valetudinem plus nimio, vt nosti, affliĉter; non potui id quod optabam præstare, sed forte mihi in mentem venit annotationem quandam aliquando confecisse,

in qua de propemptico, & protreptico carmine nõnulla disserui, quæ bene apteque tibi conuenire hoc tempore & loco videntur: eam annotationem ea de caussa tibi dono mittere statui, vt tecum deferens, & ad studia inciteris, & mei nonnihil aliquando te meminisse inuitet. Hæc ergo nostra est obseruatio. Poematium composuit lepidissimus poeta Ausonius ad Nepotulum eiusdem nominis Ausonii ex filia, quod προτρεπτικὸν inscripsit, elegans sane & doctrinæ multiiugæ: At cur ita, te multi nescire fatentur, quod & si non admodum difficile doctis, tamen vt inde labem tollamus, quæ omnes codices infecit, atque vt eorum quoque opiniones refellamus, qui apud Papinium syluigraphum προπεμπτικὸν idem esse existimant, hæc paucula non ab re fuerit notauisse. Statius igitur in 3. Syluarum Metii Celeris προπεμπτικὸν composuit, hoc est, comitatiuum carmen, προπέμπω enim est comitor: & illum ad Syros abeuntem comitatur: quo etiam modo Sidonius Apollinaris hendecasyllabon προπεμπτικὸν ad librum suum scripsit: Legimus etiam apud Stephanum a Parthenio Græco poeta conscriptum fuisse: & qua quidem carminis inscriptione, vt nõnullis placet, vsus est etiam idem Statius in 5 Syluarum ad Crispinum in agrum Tarquiniensem euntem. At ego cum illis conuenio, qui προτρεπτικὸν apud Statium hoc secundo loco legunt: namque προτρέπω & exhortor & dirigo significat, & προτρεπτικὸς, adhortatiuus & instructiuus: Admonet etiam illum, vt paternos mores imitetur, & adhortatur. Sic quoque Ausonius ad Nepotem, vt in studiis operam nauet, & se literariis curis implicet protrepticon scribit. Capitolinus in Salonino Galeno tradit M. T. Hortensium, quem de philosophiæ laudibus scripsit, & ex cuius lectione se Christianum fatetur Augustinus effectum, in formam protreptici composuisse. Athenæus quoque, *vt tradit Fabius Quintilianus*, status in quatuor diuisit partes, & primam protrepticon appellauit. Non semel quoque apud Pollucem legimus Antisthenem scripsisse protrepticon, & maxime cum de poculis loqueretur. Emendetur epistolæ Ausonii principium, vti nos correximus. Libellum, quem ad nepotulum meum sororis tuæ filium instar protreptici inseram, venturus tibi præmisi legendum: vt tibi præmisi, nõ illi promisi legatur. In eadem epistola iunceum pectus appellat leue & politum, nullis rugis corrugatum, quomodo, & alibi dixerat:

Pectore sic tenero plena sic iunceus aluo.

& Terentius, *curatura iunceas*: vel *iuncto pectore* potius legatur: Quippe verba hæc poetam a Terentio mutuatum esse noscitur: in Eunucho fabula, ita Terentianus Chęrea loquitur, *Quas matres student, demissis humeris esse iuncto pectore, vt graciles fiant*: & ita quoque exponit Donatus Grammaticus, existimo ego ea de caussa dictum, *vincto*: nam antiquitus moris erat puellas stro-

phio, & zona seu fascia quadam sororiantes mamillas cohibere, vt scribit Marcellus. In fine eiusdem epistolæ παροιμία illa Græca in aliquibus exemplaribus non integra habetur, δὶς παῖδες γέροντες. hoc est, bis pueri senes, ni modo quispiam illum cassimet de consulto præteriisse.

DIALOGISMVS XXII.

Ad Io. Ma. Balarinum, in quo perpenditur locus Iurisconſ. & A. Gellii secus, quam hactenus ab aliis sit explicatus.

LILIVS ET BALARINVS.

LILIVS.

NEc te Balarine tacitum prætereibo in his meis cum senilibus, tum puerilibus annotationibus, propter tuum erga me amorem, atque obseruantiam, quam superioribus annis erga me liberaliter ostendisti, licet nescio, qua caussa ex multis mensibus non modo, vt solebas, me inuiseris, sed nec per communes amicos salutem dixeris, vtcunque quicquid facis, & facies in bonam partem accipio. Nam cum aduersus Ingratis libellũ scripserim, dabo operam ne a quoquam ipse ingratus vocari iure possim: qua caussa inducor vt tibi hanc meam obseruationem dicare cõstituam: Tu eam accipies grato animo, atque hilari fronte. Balarinus. Sic agã optime Lili, nec putes me tui esse, nec vnquam fore immemorem, sed multa me incommoda ad hanc diem vrsere: nunc postquam mihi constitutum est philosophiæ, ac liberalibus artibus omnino vacare, & illis vacare operam, non ero tam negligens in te visendo & salutando, vt adhuc fui. Cum enim mei propinqui ac necessarii vellent, vt iuris scientiæ & legali operam darem, animo fluctuabam, & quo me verterem nesciebam: est enim adolescentibus, vt scis, permolesta increpatio propinquorum. L. Mittamus inter nos vti excusationibus, quin potius attende meam annotationem, legebam proximis his diebus libellum castigationum Egnatii viri perquam docti, quem ille Racemationes appellauit: in eo sane plurima, breui licet libello, notanda legi: quæ doctis auribus haud quaquam spernenda sunt, sed ita vt fit, cum nonum eius caput perlegerem, incidi in particulam, quæ quoniam aduersabatur antiquæ cuidam meæ annotatiunculæ, visum est non ab re fore, si altius aliquanto rem exordiar, atque opinionem meam magis fulcirem tibicinibus, vt dicitur, solidioribus. Colloquebantur aliquando Ferrariæ sub porticu prętoria, vt moris est, Nicoleos Paniciatus, & Cęlius Calcagninus viri doctissimi ibi bonarum literarum professores, cum ego quoque illuc accessi, meq; eis tertium adiunxi, qui vt sunt humanissimi ambo, benigne me susceperunt comitem: tum ipsis sermo erat de A. Gellii particula ex 4. lib. cap. 11. vbi ex Labeonis sententia definitur, quid, quantumque discriminis sit inter vitium, &

um, & morbum. A. Gellii verba hæc sunt: *Cælius Sabinus in lib. quem de edicto ædilium curulium composuit. Labeonem refert, quid esset morbus his verbis definisse: Morbus est habitus cuiusq; corporis contra naturam, qui vsum eius facit deteriorem, sed morbum alias in toto corpore accedere dicit, alias in parte corporis, totius corporis morbum esse veluti phthisis, aut febris: partis autem veluti cæcitas, aut pedis debilitas. balbus autem inquit, & athiphus vitiosi magis, quam morbosi sunt, vt equus mordax, aut calcitro, vitiosus, non morbosus est*, & quæ sequuntur. Disceptabant, quid Athiphus significaret. Cælius nolle præcipitanter se decernere, omnino tamen mendum esse, & vocem futilem dicebat: econtrario Paniciatus aphtham ibi reponere pro athipho assuerabat, vitiumque oris aphtham esse identidem reperebat, & cum ego altius ipsius verba mecum repeterem, cœpi ei penitus contradicere, vt qui aphtham morbum potius dicerem quam vitium, quod qui non aduertat ex iis, quæ subiungam verbis, penitus cœcus sit. Est enim aphtha vlcus, quod pueris maxime innasci solet, hoc est, vt ait Paulus Ægineta, γίνεται δὲ τοῖς παιδίοις καὶ ἕλκος τὸ καλούμενον ἄφθα, & reliqua. Tres eius species subiungit esse, album, rubrum, & nigrum: peius esse nigrum. Celsus vero Cor. in 6. de aphthis in hunc ferme modum loquitur: *verum ea longe periculosissima vlcera sunt, quas aphthas Græci appellant, sed in pueris, hos enim sæpe consumunt: in viris & mulieribus idem periculum non est. Hæc vlcera a gingiuis incipiunt, deinde palatum totumq; os occupant, tum ad vuam, faucesque descendunt, quibus obsessis non facile fit, vt puer conualescat, ac miserius etiam est, si lactans adhuc infans est, quo minus imperiri remedium aliquod potest.* Fatendum est igitur ex his Pauli & Cor. verbis, morbum esse & non vitium Aphthas. Quin idem Celsus in ii aphthas Latine nominari ait, *serpentia oris vlcera*. Idem fere Pli. quare longe adeo mage miratus sum, cum Egnatium legi non *Aphtham* scribere, sed *aphthiphum*. i. eum, qui patitur ea vlcera, quæ vox, vbi legatur dicat ipse: ego vero potius legendum existimauerim *Alphicus*. Alphos enim vitium est cutis, nostri modo *vitiliginem*, vt Celsus interpretatur, modo impetiginem transferunt, hoc est, maculam albam. Cornelii verba sunt ex 5. *Vitiligo quoque, quamuis per se nullum periculum offert, tamen fœda est, & ex malo corporis habitu fit: eius tres species sunt, Alphos vocatur, vbi color albus est fere subasper, & non continuus, vt quadam quasi guttæ dispersa esse videantur: interdum etiam latius, & cum quibusdam intermissionibus serpit: Melas colore ab hoc differt, & quia niger est & vmbræ similis, cætera eadem sunt: Leuce habet quoddam simile alpho, sed mage albida est, & altius descendit, in eaque albi pili sunt, & lanugini similes.* Constat igitur vel his Celsi verbis alphon vitium esse, non morbum, vnde alphicus deducitur, qui huiusce-

modi alphis notatus est. Simul emendanda in Digestis legum libris tit. de ædilitio edicto, *quæsitum est an balbus, & blæsus, & atripus, isq; qui tardius loquitur, & varus & vaticus sanus sit, & opinor eos esse sanos*. Hæc mea sententia adeo mihi mage placet, quod cum eam Io Manardo philosopho acutissimo, & medico peritissimo narrassem, per me punctum dedit.

DIALOGISMVS XXIII.

In quo de Tibiarum inuentione, & abiectione, deque tibicine Marsya varia traduntur.

ALEXANDER SARDVS, ET LILIVS, *ALEXANDER.*

CVr ad te tam raro veniam, nec vt prius inuisam Lili ne mireris. Nam cum prius, vt scis, literarum studiis sedulo operam nauarem, parentis iussu, & amicorum suasionibus, vt aliqua me ratione a tam vehementi literarum studio auocarent, musicæ operam dare sum coactus, & non modo eius parti vocali, sed & eius instrumentis vacare: quo fit, vt subcisiuis horis, quas salutationibus amicorum impendere solebam, nunc musicæ dare cõueniat, & iccirco hoc suffuratus breue tẽporis momẽtum, veni, vt quod ex te alias audiueram de tibiarum inuẽtione, & cur Minerua eas abiecerit, narrauisses, mihi nunc repeteres. L. memini inquam cum tu, & Iosephus apud me aliquando essetis, nonnulla ex tempore dixisse, quæ nunc mihi oblita sunt. Alex. ergo abs te ea, quæ requiro audire nequeo? L. bono esto animo mi Alexander, variam, & multiplicem obseruationem hac de re adolescens olim cõposueram, quam inter schedas abiectam pridem, nunc in macrocollum in tuam gratiam, vt referatur, operam dabo, & simul accito puero profer, *inquam*, annotationum volumen, & exscribe quá in Claudianum pluribus composui: itaq; allato libro sic puer cœpit. Secundus in Eutropium Claudiani liber tum amicis legebatur, cum forte incidimus in carmina illa, quæ mira facilitate res vulgo haud quaquam protritas continent. Ita enim ait:

Hic cecidit Libycis iactata paludibus olim
Tibia, fœdatam quam reddidit vmbra Mineruam.

quibus versibus fabulam hanc nõ modo attigit; sed absolute cõplectitur, quam Plutarchus in eo, qui inscribitur περὶ ἀοργησίας conscribit, in quo Fundanum cum Sylla colloquentem inducit: *Qui fabellas* (inquit) *conscribunt, non absurde aiunt Satyrum quempiam Mineruam reprehendisse, quod inter canendum tibiis buccas indecenter inflaret, quare* (inquit) *tibias depone, & arma sumes: Minerua vero vbi deformitatem oris in amne limpido conspexisset, non sine pudore, & animi molestia eas tibias abiecit, quamquam enim inflandi eas ars ipsa solatium quoddam ob harmoniam obtineat, nihilo secius Marsyas cum eas tibias collegisset larua faciem suam contegebat, & crinali auro comam coercebat, ne scilicet oris tumorem*

ex concitato anhelitu cerneret: hactenus fere Plutar. Subscribit his Ouid. in 3. de Arte.

I procul hinc dixit non est mihi tibia tanti,
Vt videat vultus Pallas in amne suos.

Idem quoque in sexto Fast. cum de minusculis quinquatriis canit. Marsyas vero Hyagnis filius Satyrus eas, vt dixi, collegit: qua de re, & apud Athenæum multa in XIV. qui super hoc, & Melanippidis poetæ, & Telestis versus citat. Marsyas igitur tibiis Palladis potius in superbiam elatus, & ipsum Phœbum prouocauit, vnde Philippus epigrammaton Græcus scriptor in Glaphyram tibicinem libro primo Epigrammatum ita cecinit.

Μαρσύη ἐψεύσω τὸν δύσερμα, τοὺς γὰρ ἀθήνης
αὐλοὺς ἐκ Φρυγίης οὗτος ἐληίσατο,
εἰ δὲ σὺ τοιούτοις τότ' ἐνέπνεες, οὐκ ἂν ὕπαγιν
τὴν ἐπὶ μαιάνδρῳ κλαῦσε δύσαυλον ἔχειν.

Super quæ carmina in quopiam glossematario Græco reperi hanc sententiam. Hic vero Marsyas cum tibias reperisset, quas Minerua inuenerat, sed propter oris deformitatem, hoc est, *διὰ τὸ τὴν ὄψιν αὐτῆς ποιεῖν ἄμορφον*, eas abiecit, quas cum reperisset Marsyas, ita est in superbiam elatus, vt contra Apollinem in musicis vellet decertare: cum vero excoriatum in flumen conuertit Apollo, vt Ouid. in VI. Metamorph. apud nos cecinit, cuius obiter hoc carmen est declarandum,

Quem Tritoniaca Latous arundine victum
Affecit pœna.

Nam tritoniacam harundinem tibias Palladis intelligit, quod minime a commentatoribus, vt mihi ibi videtur, obseruatur: quo vero modo Minerua tibias inuenerit, sic propemodum scribit Pindarus in Pythiis: *Cum, ait, Medusam Perseus occidisset, & Euriale, ac Steno sorores eam lugerent, & colubri circa eius Medusa caput sibilum ederent, tunc Dea ipsa æmulata, & sibilum serpentum, & sororum luctum, tibiarum carmen quod πολυκίφαλον νόμον dicitur, excogitasse fertur.* Sed quod de tibiis diximus, aliter a Suida refertur, dicit enim *Marsyam ex calamis eas, & ex ære cōfecisse primum.* At in Corinthiacis Pausanias cum Sileno calamitas accidisset per fluuium Marsyam, & cum eas delapsas in Mæandrum, inde Asopum cum prope Sicyniam pastor inuenisset, Apollini dicauisse. Scribit etiamnum Pausanias statuam, fuisse in Attica Mineruæ verberantis Marsyam satyrum, quoniam tibias suscepisset. Philostratus quoque in Imaginibus in antro prope Celænas eum describit. At Herodotus in VII. in vrbe inquit, *Celænarum in foro visitur suspensa Sileni Marsyæ pellis in vtrem formata, quam a Phrygibus fertur Apollo illi detractam suspendisse.* Verum philosophus Aristoteles in VIII. Politicorum talem super hanc fabulam allegoriam comminiscitur: quod scilicet non propter deformitatem oris, sed

ſed magis, quoniam ad ingenium minime tibiæ faciunt, Pallada vero, vtpote quæ ſit ingenii præſes, abiecisse, hæc ipſius verba: φασὶ γὰρ δὴ τὴν ἀθηνᾶν εὑροῦσαν ἀποβαλεῖν τοὺς αὐλούς, οὐ κακῶς μὲν οὖν ἔχει φάναι καὶ διὰ τὴν ἀσχημοσύνην τοῦ προσώπου τοῦτο δυσχεράνασαν τὴν θεόν: & alia. Scriptum quoque reliquit Pamphila in IX. & XX. commentario, & A. Gellius in lib. XV. Alcibiadem cum apud auunculum Periclem artibus, & diſciplinis liberalibus erudiretur, pariterque ab Antigenide tibiis canere doceretur, vt oris deformitatem conſpexiſſet, eas, vt Minerua olim fecerat, abiecisse, infregiſſeque. Lubet quoque hoc loco illud adnotare, quod Phrygum theologia non multo ante legimus, a Marſya Cybelem amatam fuiſſe magno, ſed caſto amore, neq; eam Venere vnquam cognouiſſe, quod ideo notauerim, vt lucubratiunculam hanc noſtram opulentiorem mantiſſa & auctario faceremus, pariterque vt intelligeretur ſanius, & caſtigarentur, duo eiuſdem Claudiani carmina ex eodem libro hoc modo.

Vel ſi ſacra placent habeas pro Marte Cybellem
Rauca Celaneos ad tympana dyce furores.

Non autem vt perperam ante legebatur Cyleneos, Marſyas enim, qui Cybelem amabat ſignificatur. In furorem, inquam, actum Marſyam tradit Suidas, ſe in flumen præcipitaſſe, vnde illi nomen. Celæne vero, quæ Phrygiæ parua vrbs eſt quæ & *Apamea* diceretur, teſte Stephano & Plinio, patria fuit Marſyę, vt notat Lutatius ſuper illud in fine II. Theb. Statii.

Fœda Celanea committere prælia buxo.

Item alibi idem Poeta.

& illuſtres ſatyro pendente Celane De ſigno quoque Marſyę, quod liberarum ciuitatum erat, Seruius grammaticus & alii: & alia multa dimitto, quæ in II. Euſeb. de *Præparatione Euangelica* ſcribit. Tradit præterea Theophraſtus fontem Marſyæ ſaxa egerere, quem in XXXI: Natur. hiſtor. ſequitur Plin. De flumine vero Marſyæ cum alii, tum Q. Curtius, qui ait: *quod placidum omnis poetarum mendacio locum feciſſe creditur.* Quippe, inquit, traditum eſt, *nymphas amore amnis retentas in illa rupe conſidere.*

DIALOGISMVS XXIV.

De Spectris, & præſtigiis quædam obſeruata.

LILIVS, ET IVLIVS PONTIVS.

LILIVS.

PAucis ante diebus, quam Iulius Pontius inter huiuſce noſtræ ciuitatis iuuenes cum moribus, tum doctrina clarus pro philoſopho cum ampliſſ. Card. Hippolyto II. Eſten. Romam proficiſceretur, ad me cum veniſſet, cœpimus de phantaſmatibus, de dæmonibus præſtigiiſque, inter nos colloqui; cumque ego forte quædam, quæ illi placuerant attuliſſem, cœpit ille vehementer me

ter me rogare, si quid haberem super his annotatum, ei absenti vt exhibere placeret, quo interdum in aula sibi gloriolam ex harum rerum narratione auspicaretur. Cui ego, inquam, nonnulla quidem collecta habeo, quæ libētissime tibi proferam. Videbar enim mihi diuinare non amplius me mei amantiss. visurú esse, eo enim quo a nobis recessit anno morte præmatura sublatus est, confestim ergo allato annotationum volumine hanc partem illi a puero exscribi iussi. Multa sibi homines cogitatione fingunt, quæ sibi visi sunt videre, cum nihil viderint, idque phantasmate aliquo oblato tam facile fit, vt nihil crebrius contingat: vnde maxima pars eorum, quæ de spectris & visione dæmonú narrantur est, orta: tum etiam dæmones oculis nostris illudunt. Nec mirum est hæc fieri posse dæmonibus & falli ab eis obtutus nostri aciem, cum a circulatoribus & præstigiatoribus nobis sic imponatur ostendaturque, quæ nisi tali hominum genere agerentur pro miraculis qui caperent, non deessent: etiam sic facta admirationi sunt, vt vix acumen ingenii rationem illorum consequatur. Suntq; qui credant de nomaca vt nō perficit: artis enim sunt exercitatissimæ, quæ celeri motu atq; agitatione defixam in res obtutum præstigiis frustratur. Ita qui edit panem, spuere cernitur farinam siccam: qui ebibit vinum per frontem id, aut etiam per iugulum remittit: magno spectatorum metu, ac horrore gladii vorantur, & ingens vis euomitur acuum, zonularum, nummorum. Hinc est epitaphium illud Bartholomæi, qui ab hac re Bagatella est cognominatus, a Cælio Calcagnino compositum.

Quis lateat tumulo non ausim dicere, ne quid
Fortasse mentiar per imprudentiam.
Hunc certe tumulum vel adit vel visus adire est
Præstigiator omnium vaferrimus.
Ille cui dederat cunctas Cyllenius artes
Et Versipelles, atque desultorias.
Qui nostris oculis adeo miracula finxit,
Vt se negarent cernere quod cernerent.
Quis potius Arcesilæ solus documenta probaret
Acerrimus magister ignorantiæ.
Quare nunquid obit, nunquid simularit obire.
Non est adhuc cuiquam expeditum dicere.
Et licet ad manes etiam descenderit, ipsis
Ibit, redibit, vt lubebit, inscijs.
Et quoties Minos releget suffragia, versis
Mutabit atra in candida acetabulis.

Transeo quæ ex magia naturali fiunt, subito apparere conuiuas omnes truncos, aut asininis capitibus, extendi per triclinium vitem, quorum rationem multi norunt, nam factu facilia sunt: quanto magis dæmones, qui nobis & agilitate præstant, & peritia rerum naturæ. Gentilibus suorum deorum, quæ narrabantur

miracula fuisse suspecta, & imaginatione quorundam commenta vulgataque satis Valer. indicat Libr. I. *Nec me praterit (inquit) de motu & voce Deorum immortalium humanis oculis, auribusque percepto, quam ancipiti opinionum aestimatione versetur, sed quia non noua dicuntur, sed tradita reperiuntur, fidem auctores vendicent, & nostrum sit inclytis literarum monumentis consecrata perinde ac vana refugisse.* Hæc Val. Liuius quoque non vno loco ait, versis in religionem periculosis temporibus, animis multa visa creditaq; prodigia, quæ non erant. Possem & hoc loco multa repetere, quæ ab aliis scriptoribus produntur, quorum & quædam in nostro de dæmonibus syntagmate copiosius sunt tradita.

DIALOGISMVS XXV.

Ad Albertum Lollium de Labaro imperatorum vexillo & insigni.

LILIVS, LOLLIVS.

LILIVS.

CVm ad me ornatissime Lolli Didacus Pyrrhus poeta Lusitanus (*vt solet interdum*) venisset, & me rogasset, vt eorum aliquem Dialogismum ostenderem, quos nunc in manibus habeo, & forte illi per puerum recitare fecissem illum, qui est de accipitrum, & aliarum auium rapacum venatione, & ei arrisisset modus hic meus commentandi, rogauit vt de insignibus priuatorum, ac publicorum Dialogismum conficerem: cui ego, id inquam ante me a plerisque factitatum est, tum Latine tum vernaculo nostro sermone, ideoque laborem hunc ab eo sum deprecatus, nonnulla tamen, quæ tunc in mentem vtrique venerant inuicem contulimus, cumque illi de labaro Imperatorum Romanorum vexillo parum nota attulissem & illi labari verbum insolens visum fuisset, recordatus, quod iuuenis de eo annotationem confecissem, eam perquiri iussi, quam placuit his nostris nugis attexere, & tibi dono mittere, ea inprimis ratione, vt tui memoriam præ me ferrem, idque merito: nam tu nullis detractorum rumoribus, nunquam acquieuisti, nec tuus erga me amor tantillum est immutatus: Si placet igitur Lolli suauissime hanc qualemcunque nostram annotationem accipe, & vt in apertum prodeat (vt tua est ingenuitas) verso pollice faue. Lollius. Imo ego optime Lili enixe te rogatum volo, vt omnibus notum sit, quo te semper amore ac pietate sum prosecutus, vt me nomenque meum tuis libellis inseras. L. Eiusmodi ergo annotatio nostra hæc est. Aurelius Prudentius, cuius vitam in viris illustribus Genadius scribit, melior omnino Christianus quam poeta meo iudicio: nam vt ex ipsius lectione auspicari potuimus, iunior quidem antiquorum scriptorum studiosissimus fuit: verum, vtpote Christianæ religioni postea addictissimus, in his studiis, quæ gentilium dicuntur, ob incuriam & desuetudinem, syllabarum & grammatices exactiorem lineam interdum

dum ipsum spreuisse crediderim, quæ ne quispiam calumniandi gratia me dixisse existimet, legenti mihi modo eius contra Symmachum libellos, vbi multa sunt acute simul, & docte scripta, occurrit carmen ipsius, vt puto, paucis intellectum, quod nos primi (verbo absit inuidia,) vt nonnulla alia aperuimus.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum.

Sed & ante Prudentium Septimius Tert. in Apolog. sic scribit, *Supara illa vexillorum & labarorum stola crucium sunt, & cetera.* Labarum enim, quod rarum est vocabulum, bellicum erat signū, quod teste Sozomeno Græco historico libr. primo Tripartitæ historiæ, inter alia pretiosissimum habebatur: Nam Imperatores præcedere solebat, & a militibus adorari moris erat. Qua de re & apud historiographos Herodianum & Latinos suppresso tamen labari nomine est facta mentio: quod postea Cōstantinus in crucis nostræ religionis signum commutauit: hæc eius sunt verba: *Iussit* (inquit) *viros eruditos ex auro, & lapidibus pretiosis in vexillum crucis trāsformare signum, quod labarum vocabatur.* Hoc enim signum bellicum inter alia pretiosius erat eo, quod imperatorem præcederet, & adorari id a militibus moris esset. Vnde præcipue Constantinum reor nobilissimum decus imperii Romani in signum mutasse crucis, vt frequenti visione, atque cura desuescerent a priore more subiecti, & eum solum arbitrarentur Deum, quem coleret Imperator, vel quo duce, atque auxiliatore vterentur aduersus hostes: semper enim hoc signum proponebatur ante ordines vniuersos, quod maxime laborantibus aciebus in præliis adesse præcipiebat. Constituit itaque certos signiferos, qui in eo laborarent, quos Iustinianus Imperator *præpositos labarorum*, vel *labari* appellat in suo Codice, lib. XII. Titulus est *de liberum vel laberum præpositis.* vbi mihi emendandum videtur *labarorum.* Item verba, quæ sequuntur. *Qui præpositi labari vel labarorum nostro iudicio promouentur,* vbi si interpretū glossulis adhæseris, Cimmeriis vmbris inuolueris. Quo etiam loco videtur mihi parū lynceus Alciatus noster. Quod autem in crucis nostræ signum commutatum fuerit, Cassiodorus in historia, quam compilauit, demonstrat, sed & Ruffinus in ecclesiastica historia. Idem innuit his verbis D. Ambrosius in quadam epistola ad Theodosium Imper. *habebis*, inquit, *Imperator comitem præuaricatorem, & huic vexilla comites victricia, huic labarum.* Rhabanus vero Maguntinus syllabam mutauit in eo carmine, quod pro sancta cruce composuit.

Hinc signant Cherubin hac labara sancta triumphum
Brachia tensa notant.

Labarum vero innuere videtur Greg. Cappadox dictum esse ἀπὸ τῆς ἀληθείας, quod scilicet σημεῖον τῆς μεγάλης ἀληθείας, id est,

id est *signum magnæ pietatis*. Vexillum enim fuit, quod in crucem commutauit Constantinus magnus, cum ei per somnum apparuisset, & ea verba Græca illi indita forent ἐν τούτῳ νίκα, hoc est, *in hoc vinces*. Ego vero aliquando existimaui labarum ita appellatum ἀπὸ τοῦ λ[illegible] λαβεῖν, quod scilicet a Constantino captum fuerit. Id autem me nonnihil monet, quod ante Constantinũ Tertullianus *labarum* appellauit. Est & quod nunc succurrit Labara ciuitas Cariæ, vt Alexander in I I. de rebus Cariæ scriptum reliquit, vnde fit nomen gentile Labareus, *vt Stephanus ostendit*. Atque hæc quidem de labaro mi carissime Lolli.

DIALOGISMVS XXVI.

Ad Laurent. FriZZolium Sotianen. an liber de viris illustribus Romanis Plinii sit, an alterius, deque Cl. Caudaci locus emendatus & expositus.

LILIVS ET LAVRENTIVS.

LILIVS.

CVr ad me tam tempestiue Laurenti venisti? nunquid aliquid te angit? Laurent. Minime quidem, sed vt abs te requiram, cuius nam tu putes libellum illum esse, qui vulgo de viris illustribus inscribitur, mihi enim animus foret eum in vernaculum nostrum sermonem conuertere, ideoque vt a te scitarer opinionem tuam, huc tam intempestiue accessi. Lil. Recte tu quidem Laurenti facis, vt te te exerceas cum Latino tũ & quotidiano vernaculoq; sermone, idque præterea etiam, vt multas historias memoriæ cõmendes. Laurent. Ego certe Lili omnibus his caussis inductus hoc meditor, ergo siquid habes hac de re te etiam atque etiam rogo, vt mihi impertias. Lil. Libenter mi Laurenti istud tibi concedam, verum eo etiam amplius annotationem quampiam meam, quam puer olim confeci, cum æqualibus meis, & condiscipulis libellum hunc ipsum, vt me exercerem, interpretarer: altius enim perquisiui, cuiusnam auctoris foret legitimus. Laurent. beasti me optime Lili, nesciebam enim hac in re, quo me verterem. Lil. accipe igitur annotationum mearum libellos, vbi de tota hac re plane disserui, deque Appio Cl. qui vel Audax, vel Caudax, vel Caudaeus cognominatus a plerisque videtur. Laur. librum accepi, aperui, annotationem inueni. Lil. lege. Laur. Liber passim Plinii titulo inscriptus de *Viris illustribus* circumfertur qui an legitimus sit, doctissimorum virorum auctoritas quandoque subdubitare cogit, perplures enim non Plinio, sed Suetonio Tranquillo ascribunt D. Hieronymi auctoritate commoti, qui in procemio de illustribus viris ait, se Tranquillum Suetonium imitaturum, quod vt verum fatear, ego quoque aliquando pedibus in hanc sententiam iui: verum siquis diligentius consideret, id penitus falsum inueniet, tum characteris ac styli diuersitate, tum magis si id quod

statum

statim in fronte Plinii de Nat. historia ex Suetonio de *Viris illustribus* sumtum conspexerit, tametsi particula illa doctis quibusdam de Plinio nepote probatur, quis enim ignorat verba illa in eo opusculo nusquã exstare? At si quis paulo curiosior expetat, quem librum significet Hieronymus, cum se de viris illustribus Tranquillum imitaturum spondeat, si, quid sentiam, dixero, nulli quicquam derogauero, nec in se quicquam inclementius dictum existimet. Significare autem videtur Hieronymus librum *de claris Grammaticis, & Rhetoribus*, quem Suetonius Tranquillus composuit, quorum etiam vtriusque pars adhuc legitur, non esse Igitur Suetonii liber ille fateatur necesse est, quicunq; id dicere Hieronymi auctoritate usus est. Barbarus vero Hermolaus, vir cuius immaturo obitu præsens & postera ætas magnam in literis iacturam fecit, Cornelio Nepoti asscribere non veretur, quem etiam secutus est Parrhasius, quod an sit, me doctiores iudicent. Verum, vt tandem eo velo vertam, quo iter dirigendum est. Is igitur vel Plinius iunior, vel Suetonius, vel Cornelius modo Nepos, vel Tacitus (vt etiã aliqui prodidere) in vita Appii Cl. ita loquitur, *Appius Claudius victis Volsinensibus cognomento Audax*, in his verbis mendum defectu solius literę inoleuit, & ita quidem, vt quotquot exemplaria mihi videre contigerit, mendosa fuerint: si vero ita legatur, *cognomento Caudex*, cum historia verba plane congruent: Is etenim Cl. *vt inquit A. Gellius lib XVII. cap* nouissimo *Caudex* cognominatus fuerit. Suetonius quoque Tranquillus in Tiberii vita, cum de gente Claudia & eorum gestis scriberet, hęc verba subintulit. *Cl. Caudex primus freto classe transiecto Pœnos Sicilia expulit, & primus nauem cõscendere persuasit, & hac de caussa Caudex cognominatus*. Nam, vt apud Marcellum M. Varro de vita patrum docet, Antiqui plures tabulas coniunctas *candices* dicebant. A. Gellius quoque testis est, caudicem esse genus nauigii, vnde *caudicaria* apud Festum, vel *codicaria*, vt apud Nonium legimus, naues ex crassioribus tabulis factæ: quibus præcipue in Tyberi antiqui vtebantur. Longe manifestius Seneca in lib. de *Vitæ breuitate* hoc omne, quod modo scripsimus ita ostẽdit. *Quis*, inquit, *Romanus primus persuasit nauem conscendere? Claudius is fuit Caudex ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus caudex apud antiquos vocabatur, vnde tabulæ codices dicuntur, & naues nũc quoque, quæ ex antiqua consuetudine commeatus subeunt, caudicariæ vocantur.* Hactenus Seneca. Quibus verbis facile eos decipi cognoscimus, qui putant Cl. Caudacem a *Caudaco* cognomen deduxisse. Caudacus enim, vt in III. de lingua Latina ad Cic. inquit Varro, suauis est, tametsi aliter a præceptoribus se accepisse tradit. Sed hac de re plura in nostris nauigiis. Sunt & alia in eodem opusculo, quæ luce indigent, quæ si interpretando tenebras tibi offuderim ea ego tibi exponam. Laur. Sic faciam.

DIALOGISMVS XXVII.

Ad Rainaldum magni Catonis I. C. F. de Vdonibus calciamentis, quorum ab Vlpiano fit mentio.

LILIVS SOLVS.

QVamquā hæc & tibi & patri notissima esse debent, nihilominus animi mei erga vos testificandi gratia, hanc de *Vdonibus calciamentis*, contra Laurentium Vallam annotatiunculam mittere operæ pretium duxi, vt contra detractores vos patronos paratiores mihi comparem. Nam cum falsam Constantini donationem D. Syluestro Pontifici ostendere vellet Laurentius, inter alia, quæ multa affert sic ait, *Vdones in priuilegio Constantini beato Syluestro facto, & sicut noster senatus calciamentis vtitur cum vdonibus, id est, candido linteamine illustretur:* Laurentius Valla, qui reprehendit, ita super ea verba, *Nec lunulas*, inquit, *appellauit, sed vdones siue cum vdonibus*, quos vt solet homo ineptus exponit, id est, *candido linteamine, quasi vdones linteamen sint.* Non occurrit in præsentia, vbi reperim Vdones, nisi apud Martialem Valerium, cuius distichon quod inscribitur Vdones Cilicini, hoc est:

Non hos lana dedit sed olentis barba mariti
Cinyphio poterit planta latere sinu.

Ergo non linei vtique, neque candidi sunt *Vdones*, quibus hic bipes asellus non calceati pedes senatorum ait, sed senatores illustrari. Hactenus Valla hac de re. Ceterum bone Valla *in libr. Pandectarum tit. de auro & argento mundo legato L argumento*, mentio fit Vdonum, tametsi passim legatur *odonum*. Verba sunt Vlpiani: *alia*, inquit, *caussa est odonum, quia vsum calciamentorum præstant*, vbi Accursius nescit, q d loquatur. Quin & Lazarus Baysius homo Gallus blaterat in suo de re vestiaria, & vascularia: hœdorū n. legit; fieriq; ait calciamenta e pellib. hœdinis. Ceterum & Octauius Horatianus *libr. IV. de Physica scientia*, vbi chalasticum medicamentum describit, quod Titianus vir clariss. in Aluca pedibus dolentibus & ligandum fasciola, & desuper vdones induendos meminit, hos & in exemplaribus quibusdam Martialis *vndones* appellari vidimus, de quibus in præsentia alia non succurrunt. Hæc vt dixi, non vt docerem, sed testificandi animi mei gratia vobis scribenda duxi.

DIALOGISMVS XXVIII.

Ad Franciscum & Achillem Fantinos de legibus scriptis & non scriptis, vbi & locus Vlpiani emendatus in Pandectis, & item alter in Institutionibus.

LILIVS SOLVS.

VIdete adolescentes optimi Francisce, tuque Achilles fratres patrueles Fantini, quas nugas ego facere, ne ineptias dicam, cum in ea ætate essem, qua vos nunc estis, tunc enim non modo humanitatis studiis contentus eram, sed vetustatem quoque iuris

ſcientiam interdum, & quidem anxie ſtudioſus adibam, cuius rei vobis manifeſtum teſtimonium hæc mea annotatio facere poteſt, quæ talis eſt. Locus eſt inemendatus *lib. 1. Digeſtorum*, vbi de iuſtitia & iure agitur, quem nos primi reſtituimus. Vlpiani verba ſunt. *Hoc igitur ius noſtrũ conſtat, aut ex ſcripto aut ex non ſcripto, vt apud Græcos:* quo loco in peruulgatis exemplaribus Græca verba deſiderantur, tametſi ea parum curant, qui nunc iuris conſultorum nomen ſibi aſciſcunt, cũ antiquitus iureconſultos conſtet verborum, & rerum obſeruantiſſimos fuiſſe: nec ab re in eorum voluminibus titulus *de verborum, & rerum ſignificatione*. Sed iſta quorſum ego? qui illis, non quæ eruditorum ſunt ſcribo, vt qui nec ſua bona agnoſcunt. Incidi igitur in librum peruetuſtum Ioannis Philippi Fontii Mutinen. iuuenis in ea profeſſione, & noſtra pariter eruditi, in quo ſi non exacte, nec ad vnguem duo hæc Græca verba, certe tamen confuſe leguntur τῶν νόμων αὖ ἐγγράφων, ex quo manifeſtiſſime perſpicimus ibi Græca verba deſiderari, atque vt nunc ſubit in mentem libr. quoque primo Inſtitutionum, vbi hæc ita ſcribuntur: *constat etiam ius noſtrum quo vtimur, aut ex ſcripto, aut ex non ſcripto, vt apud Græcos fonay monay*, vides quæ ſint hæc portenta verborum? Age legitimam lectionem ex Ariſtotelis libr. primo Rhetorices reponamus, qui cum de lege ageret, quam primum in propriam & communem diſtinguit, hoc eſt, τὸν μὲν ἴδιον νόμον, τὸν δὲ κοινὸν, ita mox ſubiungit, ἴδιον μὲν, τὸν ἑκάστοις ὡρισμένον πρὸς ἑαυτούς, καὶ τοῦτον τὸν μὲν ἄγραφον, τὸν δὲ γεγραμμένον. Vides vt in ſcriptum & non ſcriptúm ſubdiuidit, quis ergo non cenſeat caſtigandum vel potius reponendum in vtroque loco hæc Græca verba, vt genuina & propria? τῶν νόμων ἀγράφων τῶν δὲ γεγραμμένων, hoc eſt, legum non ſcriptarum & ſcriptarum, quarum, & alibi meminit idem philoſophus Ariſtoteles. Quin & Plato eadem diuiſione eſt vſus hoc eſt, νόμων διαιρέσεις δύο, ὁ μὲν γὰρ γεγραμμένος, ὁ δὲ ἄγραφος, quod & notat Laertius. Harum etiam origo, vt imperator ait, ab inſtitutis duarum ciuitatum, Athenarum ſcilicet, & Lacedæmoniorum fluxiſſe videtur: in his enim ciuitatibus ita agi ſolitum erant, vt Lacedæmonii quidem magis ea, quæ legibus obſeruarent, memoriæ commendarent: Athenienſes vero ea, quæ in legibus ſcripta comprehendiſſent cuſtodirent. De legibus ἀγράφοις & Philon Hebræus, qui & Alexandrinus vocatur, cum alibi; tum in eo, qui eſt de ſapientis vita. Illud etiam obſeruaui apud Græcos, vt quæ ſine ſcripto ſunt leges theſmos vocari dicãt, vt aliæ ſcriptæ νόμοι, & proinde quidam hunc locum ita correxerunt θεσμῶν καὶ νόμων. Si vero Budæi & Alciati ſcripta eo tempore edita fuiſſent, quo has nugas meditabar, ipſe nunquam oggan niiſſem, ſed cognoſcite vos amici optimi, nos hæc adoleſcentuli ſcribebamus.

DIALOGISMVS XXIX.

Ad eosdem Franciscum, & Achillem Fantuzzos de Arabarchia, an Halabarchia dicendum sit, & qui Arabarcha dicantur & Halabarcha, ubi Locus M. T. ad Att. perpenditur secus quam ab aliis viris doctis.

IN cod. Iustiniani Imperatoris lib. IV. titulus est *de vectigalibus commissis*, vbi hæc lex legitur.

Imppp. Val. Grat. Theod. Vsurpationem totius licentiæ submouemus circa vectigal Arabarchiæ per Ægyptum atque Augustamnicam constitutum. Ergo hoc loco pace Iurisconsultorum omnium intelligo Arabarchiam ita dictam, sicut a Dynasta & Satrapa Dynastiam & Satrapiam. Nam Iosephus lib. *de Antiquitatibus Iudæorum vltimo, venit* (inquit) *Fado successor Tiberius Alexander Alexandri filius qui etiam in Alexandria Halabarches, id est, princeps sui generis diuitiisque Alexandrinorum cunctos excellens.* Meminit & Eusebius Cæsariensis *lib. II. hist. ecclesiast.* vt Ruffinus transtulit, sed is præfectus, quasi ἀλαβάρχης intelligere videatur. Aliis *Halabarches*, præfectus talis videtur fuisse, qui exigendo vectigali depecuariis, quæ ex Arabia in Ægyptum deuehebantur, esset præpositus, vt *Arabarchia* nomen officii esset publicanorum. Quomodo Eusebius Alexandrum quendam Arabarchem nominat fratrem Philonis Hebræi Cor. quoque Tacitus lib. XVII. Alexandrum Ægyptium commemorat, quem potius quam Crispinum, vt puto, taxare videtur Iuuenalis Poeta in prima dum ita canit.

Atque triumphales inter quos ausus habere
Nescio quis titulos Ægyptius, aut Arabarches.

Vbi nugas ceteri interpretes, Merula vero sic, *Arabarchen*, inquit, *potius quam Ægyptium Crispinum appellat, quem non insulse Arabum principem dixit. Lego apud Iosephum in vltimo Antiquitatum lib. & Eusebium Cæsariensem Halabarchen dictum salis præfectum, & fuisse honoris appellationem apud Ægyptios, Arabes, & Iudæos*, Hactenus ille. Sed enim apud M. T. ad Att. lego etiam *Arabarchem*, & significari non puto M. Antonium, vt quidam viri docti inepte, nec Iulium Cæsarem, sed potius Pompeium, vt mollem & effœminatum, vt Arabes & Ægyptii sunt. Eo enim tempore quo princeps in Ægypto M. Anton. fuerat, iam Cicero pereuntus, vt liquido ex historiis colligimus: Cicero quippe proscriptus in triumuiratu, hoc est, in principio principatus Augusti. Quod vero etiam Pompeium potius Cic. intelligat, illa verba faciunt, *velim, inquit, ex Theophane resp. cere, quonam in me animo sit Arabarches.* Theophanes autem hic de quo Cicero inter Pōpeii intimos fuit, & ab eo vrbe donatus, vt nos etiam in poetis ostendimus. Ruffinus quoque, si modo Ruffinus (neque enim hoc ipse iuratus affirmarim) in III. Iudaicæ antiquitatis volumine Arabarchin sum-

num

mum Hebræorum sacerdotem vocari interpretatur. illud tamen animaduertendum est, quod cum quis præfectum salis voluerit significare *Halabarchen* cum aspiratione in principio: cum vero Arabiæ principem sine aspiratione *Arabarchen* scribendum esse. Sane sciendum, vt *Arabarchen* ita & *Asiarchen* dici, id quod cum apud alios, tum imprimis apud Strabonem est legere. Sed iam hæc de re satis: leguleii namque tam nesciunt hæc, quam nec scire volunt. Ego hæc vobis amici optimi, qui cum iuris scientia bonas literas amplexamini dixerim, & Valete.

DIALOGISMVS XXX.

Ad Aug. Mustinum Eusebium De morte & interitu Aristotelis philosophi.

LILIVS.

VSque adeo Musti præclara ingenia ignoratione torquentur, vt interdum mori potius, quam nescire aliquid sibi proponant, & ne tibi hoc loco plures commemorem, duos imprimis inter excellentissima ingenia habitos legimus, hac causa interiisse, Homerum videlicet, cum Arcadum piscatorum problema, seu ænigma soluere nequiuisset & naturæ philosophum Aristotelem, cum Euripi naturam in Chalcide non potuisset explicare, quo aufugerat accusatus Athenis, quod de Deis & male sentiret & loqueretur: Eurimedon enim Hierophanta Atheniensis sacerdos ei diem dixerat ea de caussa; id quod & Diogenes Laertius in eius vita scriptum reliquit: Quin Iustinus philosophus & martyr eius mortis caussam fuisse asserit in Admonitione ad Gentes, quam e Græco in Latinum Fr. Picus, cum apud ipsum essem, vertit: *Cum Euripi naturam, hoc est, fluxum & refluxum indagare nequiuisset*: quem & Procopius secutus est in IV. historiarum libro. Gregorius etiam Nazianzenus apud Græcos cognomento Theologus primo contra Iulianum imperatorem lib. cum scripsisset, *cum Homero esse male actum ob ignorationem problematis Arcadici*, mox Aristotelis philosophiam paruipendit in Euripi varietatibus & permutationibus, in quibus & obiisse subintulit per hæc verba: καὶ τὴν ἀριστοτέλους φιλοσοφίαν καὶ τῷ τηρίαν ἐπὶ ταῖς τοῦ εὐρίπου μεταβολαῖς ἂν τεθνήκασι, ipsius autem Theologi Græcus interpres, & earum, quas citat historiarum declarator affirmat, Aristotelem cum naturam Euripi Chalcidici, id est, pelagi eius quod septies in die mirabili modo conuertitur deprehendere non potuisset, se ipsum in ea maris parte præcipitasse hoc ipsum resonans. ἐπειδὴ Ἀριστοτέλης οὐχ εἷλε τὸν εὔριπον, εὔριπος ἔσχε τὸν ἀριστοτέλην, hoc est, *postquam Aristoteles non prehendit Euripum, Euripus habeat Aristotelem*: & subiunxit καὶ τέθνηκεν οὕτως, & ita mortuus est. Alii aliade obitu ipsius Aristotelis, quos inter Eumelus historicus ita Græce scribit, ἐν τῷ [illegible] ἀνήρ [illegible] ἀπελθόντος, ὥς φησιν

εὔμηλος ἐν τῇ πέμπτῃ τῶν ἱστοριῶν, βιοὺς ἔτη ἑβδομήκοντα, id est. Hic vero, vt ait Eumelus in 5. historiarum aconitum bibens mortuus est 70. ætatis anno. Censorinus tamen in eo libello, qui de die Natali inscribitur, ipse sic Aristotelis mortem prodidit, Aristotelem Stagiritem reperit: sed hunc ferunt naturalem stomachi infirmitatem, crebrasq; morbidi corporis offensiones adeo virtute animi diu sustentasse, vt mirum sit ad annos LVIII. eum vitam pertulisse, quam vltra non pertulisse. Atque hæc quidem mi Augustine ea de caussa tibi recensui, vt videas eos, qui sibi in religione, & Dei cultu sunt præuaricatores, non modo apud nos vere pios ac religiosos, verum etiam apud antiquos a vera religione alienos male euenisse.

IOANNIS BRODÆI TVRONENSIS MISCELLANEORVM LIBER I.

Eruditus puluis. Ciceronis locus

CAPVT I.

ADolescentes olim, vt ad ceteras artes perdiscendas, libero quidem homine dignas, animum appellebant, ita Geometriæ plurimum operæ impendebant. Quare in gymnasiis præsto semper erat abacus puluere conspersus, in quo lineas virgula describerent, ac figuras ducerent: quas commode, si quid displiceret, aut immutarent, aut delerent, aliaque ratione deformarent. Hinc puluis eruditus, pro mathematicis disciplinis, a Cicerone *libr. de Nat. deor. 2.* vsurpatur: *Sed si hoc non videtis, quia illum nunquam eruditum puluerem attigistis.* Rursus Tusculan. quæst 5 *Ex eadem vrbe humilem homunculum a puluere & radio excitabo.* Basil. homil. 9. οἱ ἐπὶ τῶν διαγραμμάτων σημαδῶν καθεζόμενοι καὶ τὴν κόνιν χαράξαντες. Huc referendum est, quod Aristippus, facto naufragio, geometrica schemata in littore descripta animaduertens, hominum vestigia se videre exclamauit. Et illæ quoque Aristophanis in Nebulis facetiæ, κατὰ τῆς τραπέζης καταπάσας λεπτὴν τέφραν, κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβὼν, ἐκ τῆς παλαίστρας θοἰμάτιον ὑφείλετο.

Susinum vnguentum idem cum eo esse, quod Græci κρίνινον appellant.

CAPVT II.

SVsinum vnguentum, ab eo quod Grece κρίνινον appellatur, nomine tantum differt. Nam quæ Græci vocant κρίνα, ea a Persis susa nuncupantur. Quod vt nonnullis, qui se id ignorare confiteantur,

tentur, satisfaceremus, magnorum virorum testimoniis probandum duximus. Theophrast. περὶ ὀσμῶν· ἐπ᾽ ἐνίων μὲν, οἷον τὸ ῥόδινον, καὶ τὸ λευκόϊνον, καὶ τὸ σούσινον, καὶ γὰρ τοῦτο ἐκ τῶν κρίνων. Athenæus in 12. κληθῆναι δὲ τὰ σοῦσα φασὶν Ἀριστόβουλος καὶ χάρης, διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου. σοῦσον γὰρ εἶναι τῇ ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον. Facetur Stephanus in voce σοῦσα. Gal αἴγιτον μύρον, ὥσπερ καὶ σούσινον μύρον καὶ κρίνινον μύρον. Sunt qui σούσινον διὰ τὸ ἐν σούσοις εὑρεθῆναι dictum arbitrantur. Est autem alterum Susini vnguenti genus simplex, alterum mixtum ac compositum.

Per calices amariores, vinum vetus a Catullo intelligi.

CAPVT III.

AVlus Gellius *libro 7. capit 20.* hos Catulli versus adducens, ita legit:

Minister vetuli puer falerni,
Ingere mi calices amariores.

Sabellicus *meraciores*: emendat, Hermolaus Barbarus *amariores*. Nos Gellianam lectionem interpolandam non putamus. Per calices vero amariores, vinum vetus intelligimus, quod multo temporis spatio amarum tandem solet euadere. Galenus libro θεραπευτ. μεθ. ιβ´ μὴ μέντοι πικροί γ᾽ ἔστωσαν ὑπὸ παλαιότητος οἱ οἶνοι. Et περὶ ἀντιδότ. α´. καλοῦσι δὲ οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ, παλαιοῦσθαι τὸ μεταβάλλειν ἑτοίμως εἰς τὴν ἐναντίαν ποιότητα τῶν παλαιουμένων. δριμύτης δ᾽ ἐστὶν αὕτη μετὰ τοῦ θερμαίνειν σαφῶς, ὕστερον δὲ καὶ πικρότης. Seneca epistola 64. *Quomodo in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat.* Pendebat autem e vasis vinariis tabella, in qua, ipso Galeno teste, vini ætas scripta erat: id est, quo tempore, quibusue Cõsulibus cõditum esset. Id quod variis poetarum locis, quæ longum esset referre, lucem adferre potest. Iuuenalis satyra 5.

——Cuius patriam titulumque senectus
Deleuit, multa veteris fuligine testæ: hinc iocus
Martialis lib. 7.
Potaui modo consulare vinum.
Quaris quam vetus, atque liberale?
Ipso Consule conditum.

Vina autem plerunque in doliis inueterascere non sinebant antiqui, sed in amphoras & cados diffundebant. Iuuenal. *Ipse capillato diffusum consule potat.* Horatius. *Vina bibes iterum Tauro diffusa.*

Impiorum animis vibices ac maculas inustas esse. Luciani & Claudiani loca enarrantur.

CAPVT IV.

LVcianus in Tyranno, eorum animis, qui magnis se facinoribus, dum vitam agerent, obstrinxerunt, maculas inustas esse

ἀ ... ὁπόσα αὐτῆς ὑμῶν πονηρὰ ἐργάζονται παρὰ τὸν βίον, καθ' ἕκαστον ἐν τῷ ἐμφανῆ εἶναι ἐπὶ τῆς ψυχῆς περιφέρει. Platonem vides, qui sic in Gorgia loquitur: ἀλλὰ πολλάκις τοῦ μεγάλου βασιλέως ἐπιλαβόμενος, ἢ ἄλλου ὁτουοῦν βασιλέως, ἢ δυνάστου κατεῖδεν οὐδὲν ὑγιὲς τῆς ψυχῆς ἀλλὰ διαμεμαστιγωμένην, καὶ οὐλῶν μεστὴν, ὑπὸ ἐπιορκιῶν καὶ ἀδικίας. Hoc attigit homilia in Psal. 6 Basilius ἵνα ἂν διεξέλθωσι ψυχαῖς ... ἀπὸ τῶν παλαιῶν πταισμάτων ἢ σπίλους τινὰς καὶ τύπους τῆς ἁμαρτίας, & libro in Ruff. 2 Claudianus:

Quid demens manifesta negas? en pectus inusta
Deformant maculæ ———

Solet autem is poeta diuini illius hominis sententias mutuari, quarum hæc in præsentia mihi succurrit: scripta est autem lib. de Raptu Proser. 1.

——— *Audaci promere cantu Mens congesta iubet.* Congesta Platoni in Phædone συνηθροισμένη αὐτὴ εἰς αὐτὴν dicitur. Idem apertius paulo supra: λογίζεται δέ που τότε κάλλιστα, ὅταν αὐτὴν τούτων μηδὲν παραλυπῇ, μήτε ἀκοὴ, μήτε ὄψις, μήτε ἀλγηδὼν, μήτε τις ἡδονὴ, ἀλλ' ὅτι μάλιστα αὐτὴ καθ' αὐτὴν γίγνηται. Grammatici quidam, cum quid ea dictio significaret, non animaduerterent, *Mens concussa* reposuerunt: sicque hodie in Griphianis exemplaribus legitur.

Defensus a Petri Victorii criminatione Cicero.

CAPVT V.

Petrus Victorius *lib. Variarum lectionum* 2. *cap.* 15. a vero dissentire Ciceronem, memoriaque lapsum putat, quod secunda quæstione Tusculana, Philoctetem ab Hercule sagittas accepisse scripserit: Pæantem enim fuisse putat ipsius patrem. Peccauit igitur cum M. Tullio Diodorus Siculus *lib.* 4. Calaber 10. Homeri scholiastes Iliados 2. Seneca in *Hercule Oetæo.* Lactantium, *lib.* 1. *capit.* 9 Philostratum, Seruium *Æneid.* 3. Ouidium *metam* 9. atque alios sexcentos commemorare operæpretium non est: quos quidem recte sentire, mihi facile persuadeo. Nam Philoctetes iam grandis natu sub Agamemnone militauit, & ipsius quoque Herculis filius Tlepolemus, *vt tradit Homerus in Bœotia.* Quare quis non videt fieri potuisse id, quod res est, vt Philoctetes adolescens cum Hercule senio confecto viueret, eique morienti adesset? Quod, quia omnibus exploratum est, pluribus argumentis confirmandum, ne id magis dubium faciam, non arbitror. Est autem omnino ridiculum, quod eiusdem libri *capit.* 12. trancheæ, Gallicæ penitus vocis, atque ipsi quidem, vt apparet, incognitæ, vt quæ vallum non significet, etymum Græcum reddat Victorius. Hanc autem cum exprimere nequeant Itali trinceam balbutientes nominant.

Ausonii

Ausonii carmen exponitur.

CAPVT VI.

MArcum quendam Pullariam masculis scortis ventrem, merito sugillat Ausonius: non tam inelegans, meo iudicio, poeta, quam volunt hi, qui eum ferreum contumeliose nominant. Hunc igitur, morte obita, si iuxta Pythagoræ παλιγγενεσίαν ad vitam redeat, scarabeum futurum prædicat. quippe qui, vt ego interpretor, scarabeorum more tunc in stercore & oleto volutaretur. Porro ex Asinorum corpore exanimato, aut excrementis hoc animal nasci, & in eorum fimo obscœne ac turpiter viuere, nemo nescit, Chrysosto. μέχρι πνιγὸς τὰ κανθάρων φθέγγεσθαι ῥήματα, τῶν ἐν βορβόρῳ διηνεκῶς ἐγκαλινδουμένων. Complura autem scarabeorum esse genera, non ignoramus. Ausonii carmen anxie nimis mihi videtur explicuisse Lud. Cælius *lib.* 5 licet ei passim hac in re lucciniant Grammatici.

Quid significet δημαγωγός.

CAPVT VII.

REprehensus est iampridem a Grammaticis D Erasmus, quod δημαγωγὸν oratorem vertisset. Nos δημαγωγὸν fere in malam partem capi annotauimus: eumque ita appellari, qui aut populi beneuolentiam epulo, visceratiombus, ludorum editionibus sibi conciliat, aut eius auram captat plausumque aucupatur, quod quia Oratoribus peculiare est, iure contigit, vt δημαγωγὸς aliquando pro rhetore vsurpetur. Gellius *lib* 3. *capit.* 13. Is Callistratus Athenis orator in Repub. fuit: illi δημαγωγοὺς appella. vt Pytheas apud Athenæum δειπνοσ β. ἀλλὰ τοὺς νῦν δημαγωγοὺς ἐσθίειν δημοσθένην καὶ δημάδην. id est, oratores. Plutarchus. τοῖς δὲ τῶν ἀθηναίων δημαγωγοῖς ἔφη χάριν ἔχειν, ὅτι λοιδοροῦντες αὐτὸν βελτίονα ποιοῦσιν. Ipsum quoque ῥητόρων nomen tam male fortasse apud vulgus audiit quam δημαγωγῶν. Vt ex hoc Aristophanis versu, qui est in Pluto, satis constat: ἕτεροι δ' ἐπλούτουν ἱερόσυλοι, ῥήτορες. Sic enim scribendum est. non ἱερόσυλοι ῥήτορες, vt inepti quidam homines manibus & pedibus defendunt: Lucia. in Timone, μὴ μακρὰν ἀφ' ἱμὴν δὲ μῶν τῶν προοιμίων ὡς περ οἱ ἐπίτριπτοι ῥήτορες.

Vestem purpuream a coccinea differre, coloremque rubrum a rufo, ac phœniceum a purpureo.

CAPVT VIII.

COccos, qui tingendo est (inquit *lib.* 4. Dioscorides, cui nemo aduersatur) surculosus parvus frutex est; cui grana ceu lentes adiacent. His colorem coccineum fieri, eoque infecta vestimenta, coccinea appellari censeo. Purpura autem, vt fatentur omnes, piscis est e concharum genere, qui florem illum tingendis expetitum vestibus, in mediis habet faucibus. Quę cum ita res se habeat, qui fieri potest, vt vestis purpurea a coccinea nil differat? Scio

tamen, Parrhasium, Garinum, atque alios complures, vestem eandem credidisse, ac literis etiam mandasse: sed eorum auctoritas plus veritate valere non debet. Venio nunc ad Alciatum, qui libr. *Parerg.* 2. colorem rubrum cum rufo confundit, quos ego, verbi caussa, ad hunc modum distinguendos existimo, vt rubrum natura sanguinem esse dicam: rufum vero, Saxonem aut Britannum: rufos capillos, rufam barbam Germanos quosdam habere, non rubram. Decepit, vt opinor, Alciatum, vernaculum idioma: siquidem Itali tam rubrum, quam rufum, *rossum* promiscue vocant. Nec inficior, homines quosdam rubros & rubicundos Latine dici posse.

Nec Phœniceum colorem a purpureo diuersum esse, silentio prætereundum. Plin. lib. 2. cap. 23. *aut enim phœniceum florem habet, qua & copiosissima est, aut purpureum. aut lacteum.* Xenophon. Cyroped. 8 ὑδὲν φειδόμενος ὔτε πορφυρίδων, ὔτε ὀρφνίνων, ὔτε φοινικίδων. Diodo. libr. 3. τῇ δὲ χρόᾳ τὰς μὲν μηλίνας, τὰς δὲ φοινικὰς, ἐνίας δὲ πορφυρίζοντας.

Decimare legionem. Dionys. H[al]. lib. [.] [loc]us emendatur.

CAPVT IX.

DEcimari legiones dicunt [..] quando sorte decimus quisque supplicio afficitur ab Imperatore, Liuius *Dec.* 1 *lib.* 2. Cetera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Græci δεκατεύειν dicunt, non δεκάζειν: longe enim hæc inter se differunt. Xiphilinus in Galba: οἱ δὲ καὶ μετὰ τοῦτο ἐδεκατεύθησαν. Polyb. ἐκ δεκάδος ἄγεσθαι ἐπὶ θανάτῳ: id quod ipse copiose & luculenter tractat libro sexto. Appianus ἐν παρθικῇ, & Plutarchus in Crasso & Antonio. His igitur auctoribus freti, Dionysium Halicar. lib. 6 emendamus, ἐκ δὲ τοῦ ἄλλου πλήθους ἀπὸ δεκάδος (non ἀπὸ δεκάδος, vt habent typis excusi codices) ἑκάστης εἷς ἀνὴρ λαχὼν κλήρῳ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἀπέθνησκεν.

Νομεῖς, ὑποζώματα, ναὸς παράσημον, χηνίσκος.

CAPVT X.

NOμεῖς in naue τὰ τῶν πλοίων ἐγκοίλια denotare auctor est Hesych. in voce νομεῖς, ἐγκοίλια enim scribendum est, non ἐγκύλια. Aristophanis Glossographus, τὰ ἐγκοίλια τὰ ἀπὸ τῆς τρόπιδος, ἀνερχόμενα ξύλα. Theophrastus. δ. περὶ φυτῶν. διὸ καὶ ἐν τοῖς ναυπηγίοις χρῶνται πρὸς τὰ ἐγκοίλια αὐτῇ. Quo vocabulo vsus in Clio Herodot. τὰ πλοῖα αὐτοῖσι ἐστὶ τὰ κατὰ τὸν ποταμὸν πορευόμενα ἐς τὴν βαβυλῶνα, ἐόντα κυκλοτερέα πάντα σκύτινα. ἐπεὰν γὰρ ἐν τοῖσι ἀρμενίοισι κατύπερθε ἀσσυρίων οἰκημένοισι νομέας ἰτέης ταμόμενοι. & reliqua Laurent. Valla, & plerique alii, aliud agentes, pastores & pecuarios reddiderunt. Callixenus apud Athenæum δειπνοσοφ. ε. ὑποζώματα δ' ἐλάμβανε δώδεκα. Quidam zonas vertunt: ego *subligacula mallem.* Aristophanis scholiastes ξύλα τῶν νεῶν interpretatur, ναὸς vero παράσημον. dei signum esse, proræ impositum, naui

nomen

nomen imponens, ex Plutarcho in Septem sapientum conuiuio, & Luciano in dialogo, cui titulus πλοῖον ἢ εὐχαί, apparet. Id tutela & insigne a Latinis nominatur Seneca epistola 77. *Nauis bona* dicitur, non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteũ rostrum est, nec cuius tutela ebore cœlata est. Sillius:

Tutelaq; Deum fluitant. Val. Flac. *Fulgens tutela carina.* Lactantius lib. 1. cap. 11. *Tutelam habent in aquila figuratam.* Ouid. Trist. primo:

——Et pictos verberat vnda Deos, hoc est,
Nauis tutelam. Tacit. lib 5.
Siue id animal seu nauis insigne fuit.

Lucianus citato nuper dialogo: ὡς δὲ ἡ πρύμνη μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα καμπύλη χρυσοῦν χηνίσκον (non χαινίσκον) ἐπικειμένη. id est, *anserculum.* Ex hoc Luciani sermone, naues quasdam esse quę *Anseres* vocentur, non recte putauit, *lib 9 cap. 17.* Ludouicus Cęlius. Tametsi eum in hanc sententiam Eustathius Οδυσσ. 5. impulisse videatur.

Sitne Calanus viri nomen, an Indi sophistæ Calani appellentur.

CAPVT XI.

CIcero lib. *Tusculanarum quæst* 2. Calanum Indum indoctum & barbarum, in radicibus Caucasi natum, sua voluntate viuum combustum refert: quo ex sermone omnes vno ore Grammatici huic viro Calanus nomen fuisse existimant. Iosephus περὶ ἀρχαιότητος ἰουδαίων, Clearchi testimonio Indos philosophos *Calanos* vocatos indicat. Idem docet ipse Clearchus apud Eusebium lib. εὐαγγ. προπαρ. θ cui astipulatur Suidas Nobis prior harum opinionum magis ad veritatem accedere videtur, cui etiam calculum suum addunt Ælianus lib. ποικίλης ἱστορ. 6. & in Alexandro Plutarchus: τὸ μὲν γὰρ καλανὸν ἔπεισεν ὁ ταξίλης, ἐλθεῖν πρὸς ἀλέξανδρον. ἐκαλεῖτο δὲ σφίνης, ἐπεὶ δὲ κατ' ἰνδικὴν γλῶτταν, τῷ καλὲ προσαγορεύων αὐτὶ τοῦ χαίρειν, τοὺς ἐντυγχάνοντας ἠσπάζετο, καλανὸς ὑπὸ τῶν ἑλλήνων ὀνομάσθη. Huc accedit quod Indi Theologi, Brachmanes aut Gymnosophistæ, non Calani, a literatis hominibus appellentur.

Quid sit πιλίδιον. Demosthenis locus.

CAPVT XII.

QVod Græci πῖλον, πιλίον, πιλίδιον dicunt: hoc Latini *Pileum,* & *pileolum* vocant. Pollux, οὐ μόνον δὲ πιλίδιον, ὁ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιτιθέμενος πῖλος οὕτως ἐκαλεῖτο, ἀλλὰ καὶ ὁ περὶ τοῖς ποσίν. Demosthenes περὶ παραπρεσ. καὶ πιλίδιον λαβὼν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, περινοστεῖ. Budæus in Pandectas, hunc Demosthenis locum exponens, τὴν ἐπιτηδευτὴν κόμην intelligit, quæ φενάκη etiam προσθετὸς & πρόσθετος κόμη. dicitur, a quo vt inuitus dissentiam, facit primum interpres, deinde Aristophanes in comœdia, quæ ἀχαρνῆς inscribitur.

ἀνεσπάδη, ἐπειδὴ περὶ ἰχωρίου μοι τοῦδε. κἀκεῖνά μοι δὸς τ' ἀνάλυμα τῶν ῥακῶν, τὸ πιλίδιον περὶ τὴν κεφαλὴν, τὸ μύσιον. Ex his vocibus ἀνάλυμα τῶν ῥακῶν, vt πιλίδιον, petasum exponas, necesse est: id quod etiam Glossographus agnoscit. Plato πολιτ γ. ἐὰν δέ τις αὐτῷ μακρὰν δίαιταν προστάττῃ, πιλίδιά τε περὶ τὴν κεφαλὴν περιθεὶς. An vlli ægrotationis generi conueniat adulterina coma, cuiuis perspicuum esse potest.

Tollitur nodus ex Horatianis versibus.

CAPVT XIII.

> *HIc dies, anno redeunte, festus:*
> *Corticem astrictum pice dimouebit*
> *Amphoræ fumum bibere institutæ*
> *Consule Tullo.*

Versus sunt Horatiani, libr. *Carm* 3. *Oda* 8. quibus lucem adfert (quod ab interpretib. prætermissum demiror) Columella *libr.* 1. *cap.* 6. Apothecæ recte superponentur his locis, vnde plerumq; fumus earum exoritur: quoniã vina celerius vetustescunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt: Tibul.

> *Nunc mihi fumosos veteres proferte falernos*
> *Consulis.* Martial. lib. 10.
> *Accipit ætatem quisquis ab igne cadus.*

Plinius *lib.* 23. *cap* 1. Vinum si sit fumo inueteratum insaluberrimum est. Id quo pacto efficerent pristini, indicat περὶ αὐτῶν. a Galenus. Fumum igitur bibere institutæ, id est, in apotheca conditæ. Per consulem Tullum, vinum vetus ostendit. Fuit enim Iulius Tullus consul proximo ante natum Horatium anno. Sed quoniam in fumi mentionem incidi, addam, *fumosum* a Latinis dici, *fumo situq; obsitum:* cuiusmodi esse solent veteres imagines, quas etiam Cicero in Pisonem fumosas appellat. Iuuenalis:

> *Fumosos equitum cum dictatore magistros.*

non *Famosos:* quod tamen videtur (*vt alios omittam*) Laurentio Vallæ, *lib. Eleg.* 1. *cap.* 21. placuisse.

Trabs Cypria, apud Horatium quæ dicatur.

CAPVT XIV.

TRabs, id est nauis Cypria, pro quacunque, meo Acronisque iudicio, ab Horatio ponitur: vti & Myrtoum mare, species scilicet pro genere. Sic Oda 35. lib 1.

> *Quicunque Bithyna lacessit*
> *Carpathium pelagus carina.*

Qua figura poetarum libri scatent. Si quis Porphyrioni adhærens Cypriis clauis fixam exponat, Vegetii patrocinio suum scholium tueri potest, qui vtilius esse ait, *Naues areis clauis quam ferreis configere.* Ianus Parrhasius, per Cypriam trabem, *æream rostratamq; nauem* accipit: cuius opinionem damnãdam puto, partim quod

quod longius quæsita sit: partim quod oneraria nauigia, mercibusque ferendis idonea, rostrata esse non soleant, sed ea tantum, quæ ad belli vsum comparantur. Addit Ianus, Temesen Cypri oppidum æris olim metalla habuisse cui vt nihil repugno, ita Homerum Odyss. α hoc versu, ἐς τεμέσην μετὰ χαλκόν, de Italica Temese sensisse, non Cypria suspicor: hoc argumento nitens, quod qui ex Italia Taphias insulas petunt, hi si ad Ithacam appellunt, ab instituta nauigatione non aberrant. Hæc contra e Cypro redeuntibus, prius occurrunt.

Quid sit σύμβαμα, & παρασύμβαμα, apud Lucianum ἐν βίων πράσει.

CAPVT XV.

CVm sectarum omnium philosophos sugillet Lucianus, tum Stoicos maxime tangit in Dialogo cui titulum nuncupauit βίων πρᾶσις, vt infra fusius explicabimus. Nunc ad rem. ἄγε, περὶ τῆς φιλοσοφίας μὴ φθονήσῃς καὶ τοῦτο εἰπεῖν, ὅ, τι σύμβαμα καὶ τι παρασύμβαμα, & reliqua. Sciendum est, inquit Priscianus, quod has quidem constructiones, quæ per nominatiuum absoluuntur, Stoici ἀξιώματα καὶ συμβάματα, id est, dignitates, vel congruitates vocabant: vt, *Ego Priscianus scribo, Apollonius ambulat*. Illæ vero, quibus transitiones ab alia ad aliam fiunt personam, in quibus necesse est cum nominatiuo etiam obliquum aliquem casum proferri, παρασυμβάματα dicebant: hoc est, minus quam congruitates. vt, *Cicero patriam seruat*. Ammonius: αὖ μὲν οὖν ὀνόματος καὶ κατηγορήματος, ἀπόφανσιν ποιῇ, κατηγόρημα, καὶ σύμβαμα παρ' αὐτοῖς (Stoicis) ὀνομάζεται συμβαίνει γὰρ ἀμφω ταῦτον, ὡς τὸ περιπατεῖ· οἷον, σωκράτης περιπατεῖ αὖ δὲ πλάγιαις παρασύμβαμα ὥσπερ παρακείμενον τῷ συμβάματι, καὶ ὃν οἷον παρακατηγόρημα, ὡς ἔχει τὸ μεταμέλει· οἷον, σωκράτει μεταμέλει.

An Augustus Caii Cæsaris filius fuerit. Octauii ætas, cum Imperium Romanum occupauit.

CAPVT XVI.

A*Tque vt diuinam filii mentionem cœlestis patris recordationi subiectam*, &c. Hæc, vt opinor, Valerii Maximi oratio non contemnendos iurisconsultos, sed historiarum rudes, impulit, vt Augustum Caio Cæsare prognatum esse dicerent: quorum opinionē refellit in Augusto & Iulio Cæsare Tranquillus. *Octauium* (inquit) *in familiā nomenq́, adoptauit*. Quæ si aliorū historiographorū scriptis docere velim, vt lectori molestus nō sim, mihi sane valde displiceam Hoc vero scitu non indignū, quot annos natus Octauius cū Antonio & Lepido societatē inierit, quo sane tēpore eum imperiū sibi arripuisse censeo. Plutarchus in Bruto, huic viginti annos. ὡς αὐτὸς (inquit) ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν εἴρηκεν: Cicero in illa graui ad eum epistola, quatuordecim tantum (nisi vitiosi sint codices) tribuere videtur. Ego, vt rem paucis absoluam, ipsum a

veritate non abhorrere Plutarchum iudico. Cum enim exploratum sit, Octauium ipso Cicerone & Antonio cõsulibus in lucem editum: si ab his exorsus, ceteros insequentes ad Hircium & Pansam vsque numeres, annos viginti intercedere comperies. Dion lib μς. ad Plutarchi opinionem prope delabitur.

Scamilli & Catasti apud Vitruuium. Tibulli locus.

CAPVT XVII.

SCamilli, apud Vitruuium *lib. 3.* vox est diminutiua a *scamnum.* Priscianus: *Scamnum, scamellum.* Apuleius tamen in prima Hermag.

Verum infirma scamillorum obice fulta fores.

Catasti autem apud eundem lib. 8. serui sunt, dicti a catasta. Martialis libr. 12.

Cum tibi Niliacus portet crystalla catastus.

non, *Catastlus* nec *cataplus*, vt tradunt innumeri Grammatici. Nec scio quid Hermolao Barbaro in mentem venerit, vt apud Vitruuium *Calastios*: quid aliis, vt *Calesastios*, aut *Catastlos* scriberent. Ludouicus Cælius nullam harum opinionum refutans, in eodem luto hæsitat. cum tamen *Catastæ* mentionem fecerint auctores quamplurimi, & in his Catullus hoc metro:

Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Gypsatos creta denotatos. Ouid.

Despice gypsati nomen inane pedis.

Plinius libro 35. cap 17. *Est & vilissima creta, qua pedes venalium trans mare aduectorum denotare instituerunt maiores.* Iuuenal. Satyra prima:

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Promethei ara.

CAPVT XVIII.

PRometheus a poetis Deus habetur, licet neget Lactantius, vnde & Catullus in nuptiis Pelei, & Thetidis eum inter Deos recenset, & apud Æschylum, Vulcanus eum vocat, *συγγενῆ θεόν*, & ipse de se loquens, *ἴδεσθέ με* (inquit) *οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός.* Fallo igitur conqueritur apud Lucianum in cognomine dialogo, nullam sibi aram dicatam esse, nullum exstructum templum: cum in honorem Iouis, Apollinis, Mercurii, fana ac delubra condita passim visantur. *μᾶλλον δὲ διὸς μὲν* (inquit) *καὶ Ἀπόλλωνος, καὶ σοῦ ὁ Ἑρμῆ, ναοὺς ἰδεῖν ἀπανταχοῦ ἐστι· Προμηθέως δὲ, οὐδαμοῦ.* Nugatur vero Prometheus, aut si mauis Lucianus. Pausanias in Attic. *ἐν Ἀκαδημίᾳ δέ ἐστι Προμηθέως βωμὸς, καὶ θέουσιν ἀπ' αὐτοῦ πρὸς τὴν πόλιν, ἔχοντες καιομένας λαμπάδας.* Ostendit & hoc in Oedipo Coloneo Sophoclis scholiastes: quem, si placet, consule.

Aliquot maculis purgatur Clemens Alexandrinus.

CAPVT XIX.

Euoluenti

F Voluenti nuper mihi Clementis Alexandrini libros, tria hæc primo statim aspectu errata conniuente eius castigatore se obtulerunt. Duo sunt in lib. 1. στρωμ. καὶ μὲν θρᾶκες πρῶτοι τὴν καλουμένην ἅρπην εὗρον. ἔστι δὲ μάχαιρα καμπύλη. Ex his postremis vocibus vides, ἅρπην restituendum esse. Eusebius quoque libr. διαγ. ἀρπην κεφ. 9. ἅρπην scribit. quem sequutus Polydorus Virgilius, falcem vocat: id est, ensem falcatum, non falcem ruralem. Claudianus: — *Non falce* (non ense falcato) *Gelonus, Non arcu pepulere Getae* — Venio ad secundum mendum. πέρσαις τε πρῶτους ἀπηνήσομεν ἁπλοῦν καὶ κλίνην, καὶ ὑποπόδιον ἐργάσασθαι, τοὺς τε σιδωνίους τριήρεις ναυπηγήσασθαι. Ego ex ipso Eusebio corrigo τρίκωπον, id est, lemmaλμον. Omnino quid sit τριήρεις, explicatu facile non est. Restat tertium in Protrep. libr. ἐπεμβα δὲ ἀθλοφόροι καὶ καλλιπύγῳ θύουσι συγχέοντες. Ex Athenæo, hoc libr. 12. explicante, καλλιπύγῳ corrigendum est.

Demosthenes βάταλος, *&* ἄργας *nuncupatus. Batauι equites.*

CAPVT XX.

Æ Schines κατὰ Τιμάρχου, Demosthenē ἐξ ἀνανδρίας τινὸς καὶ κιναιδείας βάταλον nuncupatum prodit. quem enarrat Libanius: ἐστέρηται γὰρ ἵνα βάταλον ἐφέσιον αὐλητὴν γενέσθαι, ὃς πρῶτος ὑποδήμασι γυναικείοις ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχρήσατο, καὶ μέλεσι κατεαγόσι. Plutarchus in vitis Rhetorum: φασὶ δὲ τινες καὶ ἀσώτως αὐτὸν (Demosthenem) βιῶναι, γυναικείαις τε ἐσθῆσι χρώμενον, καὶ κωμάζοντα ἑκάστοτε, ὅθεν βάταλον ἐπικληθῆναι. οἱ δὲ ὑποκοριστικῶς, ἀπὸ τοῦ ὀνόματος τῆς τροφοῦ λέγουσιν αὐτὸν οὕτω λελοιδορῆσθαι. Vnde βαταλίζειν, Theano: καὶ κατασχολοῦ πρὸς ἡδονὴν, καὶ βαταλίζεται περιαγόμενον. Aristotelis Rhetoricorum scholiastes βάταλον, αἰσχρὸν καὶ λάγνον significare putat: Didymus podicem. ὁ γοῦν (inquit ille) δημοσθένης ἐσ' αὖ λῶ νιος, ἐλέγετο βάταλος· ὕστερον δὲ γηράσας, καὶ ἀκίνητος ὢν περὶ τὰς συνουσίας, ἐλέγετο ἀργός. Cui, vt manifestum est, docti repugnant. nec vero ἀργὸς, sed ἄργας cognominatus est, vt perhibet Æschines περὶ τῆς παραπρεσβείας: & Plutarchus in Demosthene: τὸν γὰρ ἄργαν (ait) ἔνιοι τῶν ποιητῶν ἄργαν ὀνομάζουσι. (Est autem serpentis genus Hippocrati ἐπιδημ. 1. τοῦτο ὄφις ἐς τὸ σῶμα παρεισδύεται ἄργης, Galenus hoc explicans, ἄργης, ὄφις τις οὕτως ὀνομαζόμενος.) Vbi, cur etiam βατάλου nomen luctatus sit, indicat. Cuius vocis mentionem faciens Ludouicus Cælius, scribit quodam in loco, Plutarchum dicere, *Batalos esse Germanos equites præstantissimos*. Ego apud Plutarchum in Othone, τοὺς καλουμένους βατάβους, vel βατάους, non βατάλους legendum sentio. Dion. lib. νε. ξένοι τε ἱππεῖς ἐπίλεκτοι, οἷς τὸ τῶν βαταούων ἀπὸ τῆς βαταούας τῆς ἐν τῷ ῥήνῳ νήσου ὄνομα. Ptolemæus ἐν δὲ πόλεις ἀπὸ δυσμῶν τοῦ ῥήνου π. τῶν μὲν βαταούων μασίγγος. Tacitus in 18. *Cohortes Batauorum, quæ bello Neronis*, &c. Tam noti sunt ho-

die omnibus Bataui, vt in re perspicua firmanda diutius immorari pudeat.

Alcæus & Horatius declarantur.

CAPVT XXI.

NVnc est bibendum, nunc pede libero Pulsanda tellus, inquit Horatius, Ode penult. lib. 1 quæ ab Alcæo eum desumsisse, ex Athenæo patet. νῦν χρὴ μεθύσθην καί τινα πρὸς βίαν πονεῖν, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος. *Quasi innuat (verba cuiusdam) cum Myrsylus vir summus atq; immortalitate dignus perierit, ex hoc facile cognoscere nos, omnes esse morituros: atque ideo genio indulgendum.* Labitur vero Grammaticus. Ideo enim bibendum esse suadet Alcæus, quod Myrsilus vnus ex Mitylenæis tyrannis, cum quibus grauia bella gesserat, e vita decesserit. Myrsil. huius meminit ἐν ἀλληγορίαις, Heraclides. Idem Ode 19. lib. 1 Horatius: *Mactata veniet lenior hostia.* Id est, *mactata Veneri hostia, factoque sacrificio, mansuescet Glycera.* Erasmus in Chiliadibus, *Glyceram mactata hostia leniorem fore* intelligit: cui nihil opis afferre possum.

ἡ ἀναγκαία τύχη.

CAPVT XXII.

GRauis hęc Sophoclis gnome, quę est in Aiace Mastigophoro: τῆς ἀναγκαίας τύχης οὐκ ἔστιν οὐδὲν μεῖζον ἀνθρώποις κακόν. Ab Amphi Comico poeta apud Athenæum δειπνοσ. β. ridetur ac notatur τῇ χειρὶ τρίβων τὴν ἀναγκαίαν τύχην: id est, colem. Nam Græci pudendum ἀναγκαῖον nominant. Artemidorus in Onirocriticis: ἔοικε συμβαίνειν τοῦ ἀνδρὸς τὸ ἀναγκαῖον. ὅτι γὰρ καὶ τὸ αἰδοῖον καλεῖται. Penis vero suprema pars, glans a Latinis appellatur. Hinc Martialis iocus: *Pastas glande nates* βάλανον, Græci vocant. Pollux, ὥσπερ βάλανον τὸ τοῦ καυλοῦ ἄκρον. Vnde Diogenes cynædum quendam βαλανοδόρον appellauit.

Cicero a Græcis dissidens.

CAPVT XXIII.

NOn prodesse Pheræo Iasoni voluit is, qui gladio vomicam eius aperuit. Hæc lib. de Natura deorum Cicero. Plutarchus in commentario, πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο, id Prometheo cuidā Thessalo contigisse, non Pheræo Iasoni testatur: ὥσπερ γὰρ ὁ τὸ Προμηθέα κτεῖναι βουληθεὶς ... τῷ ξίφει τὸ φῦμα ... ὥστε σωθῆναι τὸν ἄνθρωπον. Idem sentit & ... : οἱ μὲν ... ἐχθρὸν. ... πλήξας ... τῷ ξίφει ... τὸ φῦμα ... Ego Græcos scriptores, in Græcis præcipue historiis, libentius amplector. Constat enim diligentiores fuisse, atq; omne tempus ætatis huiusmodi rerū cognitioni impendisse. Valerius autem Maximus, & Plinius, satis habuerunt, si in Marci Tullii sententiam pedibus irent. Idem porro Cicero Themistoclem & Coriolanum sibi vtramque mortem consciuisse

uisse lib. *de amicitia* prodit, aliter de Coriolano sentit in eius vita Plutarchus.

Ἑκάτης δεῖπνον. Apud Lucianum.

CAPVT XXIV.

QVid significet apud Lucianum primo Necricorum dialogo ἑκάτης δεῖπνον, ostēdit Aristophanis in Pluto Glossographus: κατὰ δὲ νεομηνίαν οἱ πλούσιοι ἔπεμπον δεῖπνον ἑσπέρας. ὡς θυσίαν τῇ ἑκάτῃ ἐν ταῖς τριόδοις. οἱ δὲ πένητες (addo & Cynicos) ἤρχοντο πεινῶντες, καὶ ἤσθιον αὐτά, καὶ ἔλεγον ὅτι ἡ ἑκάτη ἔφαγεν αὐτά. Ideirco Antiphanes apud Athenæum in ζ. τὰς μαινίδας ἑκάτης βρώματα appellat. Athenæus paulo infra: τῇ δ' ἑκάτῃ ἀποδίδοται ἡ τρίγλη, διὰ τὴν τοῦ ὀνόματος κοινότητα. τριοδῖτις γὰρ καὶ τρίγληνος, καὶ ταῖς τριακάσι δὲ αὐτῇ τὰ δεῖπνα φέρουσι. Huic quoque Deæ canes immolarunt prisci, vt ostendit ἐν ῥωμαϊκοῖς Plutarch. οὐ μὴν οὐδὲ καθιερούσιν ἀποτρόπαιον οἱ παλαιοὶ τὸ ζῶον καὶ ὀλυμπίων μὲν γὰρ οὐδενὶ θεῶν καθιέρωται· χθονίᾳ δ' ἑκάτῃ δεῖπνον ἑκάτῃ πεμπόμενος εἰς τριόδους ἀποτροπαίων καὶ καθαρσίων ἐπέχει μοῖραν. Theocritus in Pharmac. τὰν χθονίαν θ' ἑκάταν, τὰν καὶ σκύλακες τρομέοντι. Zetzes: θύουσι δ' αὐταῖς (Cybelæ & Hecatæ) κύνας, ὥς φησι σώφρων ἐν μίμοις. ὁ γὰρ κύων βαΰξας λύει τὰ φάσματα, ὡς ὁ χαλκὸς κροτηθείς, εἴ τι ἦν βιαστόν. Hæc quoque Luciani verba ἐν ταῖς τριόδοις, enarrat Theocriti Glossemat arius: ἱδρύοντο δὲ τὴν ἑκάτην ἐν ταῖς τριόδοις, ὅτι ἐπὶ τῶν καθαρμάτων καὶ μιασμάτων ἡ θεός.

Ἑκάτης δεῖπνον, ᾠὸν ἐκ καθαρσίων: Lucianus enarratur.

CAPVT XXV.

KΑθάρσιον Græcis, expiatio quædam erat, qua totas plerunq; insulas (vt de Delo apud Herodotū & Thucydidē legimus) vrbes, conciones, theatra, exercitum lustrabant, ad quam rite peragendam apta erant admodum oua. Ouid. in Arte:

Et veniat quæ lustret anus lectumq; locumq;
Preferat vt tremula sulphur & oua manu.

Iuuenalis Satyra 6.

——*Nisi se centum lustrauerit ouis.*

Sed nil tam necessarium, quam sulphur. Homer. Odyss. χ. οἶσε θέειον γρηῦ κακῶν ἄκος. Plinius in 35. *Habet & in religionib. locu sulphur, ad ex, sandas suffitu domos.* Hoc lib. auit lib. 8 Columella. Ceterum siue quis animalibus, siue ouis, ad expiationem vsus esset, his vesci nefas putabat, teste περὶ τῆς ἱερῆς νόσου Hippocrate. Quam superstitionem Cynici parum curantes, ea foras proiecta helluari consueuerant.

Virgilii locus exponitur.

CAPVT XXVI.

QValem primo quis surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam.

Hactenus in 6. Maro: primo mense primos mēsis dies intelligēs

Idq; Græcæ gentis more, quæ a noua luna eum auſpicabatur. Apollonius 4. Argonauticon, a quo id excerpſit Virgilius. τοὺς ἰδέ(ν), ὥς τις τε νέῳ ἐνὶ ἤματι (*nouilunio*) μήνην,

ἢ ἴδεν, ἢ ἐδόκησεν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι.

Illud vero quod in 9. reperitur, *Nec te Troia capit:*— Sumtum eſt e Philippi ſermone, Alexandri filii generoſam indolem, quod Bucephalum conſcendiſſet, laudantis Plutarchus in Alexandro: ζήτει σεαυτῷ βασιλείαν ἴσην, Μακεδονία γάρ σε οὐ χωρεῖ.

Panis & lana etymologia.

CAPVT XXVIII.

PAnis (inquit Varro *in libro de lingua Latina*) quod primo figuras faciebant, vt mulieres in lanificio, pannus. Panem itaq; quaſi pannum vocatum credit. Ego pace doctiſſimi hominis, πανὸν Doricam vocem, a qua panis, ex Athenæo δειπνοσ. γ. eſſe elicio, quam Rinthon & Archilochus, priuſquam ad eos vlla Romani nominis fama, nedum eius linguæ notitia perueniſſet, vſurparunt. Caſſiodorus: *panem a pane Deo nominatum credit*, qui primus conſparſas fruges coxiſſe perhibetur. Quid illud iam nominati auctoris? Læna, quod de lana. Mihi, lænam eſſe prima detrita litera, quam Græci χλαῖναν vocitant, valde placet. Plutarchus in Numa: καὶ γὰρ ὡς ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς λαίνας, ἰόβας φησὶ χλαίνας εἶναι. Nec me fallit, fuiſſe quoque apud Græcos veſtis genus, quæ χλανὶς diceretur. Stagnum (ſermo eſt eiuſdem Varronis) e Græco, quod nomen habet primam. Quem locum videtur interpretari Feſtus: *Stagnum quidam dici putant, quod in eo aqua ſtet: alii, quod is locus a Græcis στεγ dicitur, quia bene contineat aquam.* Nos τέμενος aut στεγνὸς reſtituendum auguramur.

Necari ſub crate. Crate volucres decipere.

CAPVT XXVIII.

AD vociferationem eorum, quos necari ſub crate iuſſerat: verba Liuii, *Decadis prima lib. 4.* quæ Tacitus in Opuſculo de morib. Germanorum explicat: *Ignauos & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, iniecta inſuper crate, mergunt.* & ipſe Decadis 1. lib. 1. Liuius: *Deiectus ad caput aquæ ferentinæ crate ſuperne iniecta, ſaxiſq; congeſtis mergeretur.* Plautus in Pœnulo: *Sub cratim vt iubeas ſeſe ſupponi, atq; eo Lapides imponi multos, vt ſeſe neces.* Hoc ſupplicii genus Carthaginenſibus peculiare fuiſſe, memoriæ a nonnullis proditur. Nec ab inſtituto alienum erit, ſi Senecam in Octauia aperuerimus: *Decipere volucres crate, vel calamo, aut leui tenere laqueo.* Noſtrates ruſtici, cum niue tecta eſt humus, ab ea vacuas areolas quaſdam concinnant, in quibus ſuperiecta crate, hordeum effundunt, variaq; ſemina ad inleſcandas aues ſpargunt. Eæ vero ſub ea deſuper incumbente paſcentes, tune, qui machinam ſuſpendit, clam laxato, omnes ſimile opprimuntur. Aucupii huius meminit in Aſinaria Plautus: Hoc vno excepto, quod

non

non crate, sed retibus aues capiuntur, qui modus etiam in Gallia frequens.

Horatius explicatur.

CAPVT XXIX.

TOrtum digna sequi potius quam ducere funem. Verba sunt Horatiana, Epistola decima: quibus ostẽdit, pecuniam alterius imperium sequi debere, non ipsa ducere. Sumta est autem a choræis metaphora, in quibus præsultor funem ducit, quem alii eodem fune apprehenso, præeuntem sequũtur. Terentius in Adelphis: *Tu inter eos restim ductans saltabis.* Donatus: *Sed ego puto, manu consertos choros puellorum puellarumq;, cantantes restim ducere existimari.* Liuius decad. 3. lib. 7. *Et per manus reste data virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt.* Vnde apud Tertullianum libro aduersus Marchio. 4. *De titulo quoq; funis ducendus est contentionis:* & de Resurrectione *carnis* 3. *Nolo nũc contentioso fune deducere.* Eidem Horatio lib. Carm. 4 Ode 2. de Pindaro ad hunc modum loquenti: *Et centum potiore signis Munere donat*, lucem adfert ipsius Pindari scholiastes hymno Nemeorũ 5. φασὶν, ὅτι οἱ οἰκεῖοι τοῦ πυθέα ἦλθον πρὸς αὐτὸν παραγγέλλοντες, ὅπως γράψῃ ἐπινίκιον. τοῦ δ' αἰτήσαντος τρεῖς δραχμὰς, ἔφασαν ἐκεῖνοι, κρεῖσσον εἶναι χάλκεον ἀνδριάντα ποιῆσαι τῆς αὐτῆς τιμῆς. χρόνῳ δ' ὕστερον γνωσιμαχήσαντες ἦλθον τὸ αὐτὸ διδόντες. ὁ δ' ἐξονειδίζων αὐτοὺς, οὕτως ἤρξατο· οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμι. Centum igitur signis, centum æreis statuis: & munere, hymno exponendum est.

Defensus a quorundam Grammaticorum calumniis Virgilius.

CAPVT XXX.

DIoscorides lib. 3. cap. 32. Dictamnum (Græcis δίκταμνον καὶ δίκταμον) neq; semen, neq; florem ferre testatur. Idem cap. 34. afferri e Creta aliud Dictamni genus fatetur, foliis sisymbrio similibus, sed ramulis maioribus, in quibus flos est agresti origano similis, niger, mollisque. De quo Virgilium *lib* 12. sensisse, credere malim, quam tanto viro pudendum errorem exprobrare:

Dictamnum genitrix Cretea carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo.— Statius Syluarum primo:
Dictamni florentis opem.—

Neque vero mihi libro sexto, —*Sedet, æternumque sedebit Infelix Tereus—* displiceret, nisi a vulgata ac recepta iampridẽ opinione recedere piaculum haberetur. Repugnant omnes, fateor, Grammaticorũ familiæ, ac *Theseus* mordicus retinẽt. Carpunt & hoc stulte nonnulli Georgicorum primo:

Sæpe etiam stellas vento impellente videbis
Præcipites cælo labi.

Quasi stellas labi putarit Virgilius: nõ hoc ignis ætherei λαμπ-

ροίας, traiectiones, scintillas esse, quas διάττοντας καὶ διᾴσσοντας ἀστέρας, Græci vocant. Theocrit Idyl ιγ.

ὡς ὅτε πυρσὸς ἀπ' οὐρανοῦ ἤριπεν ἀστήρ. Lucret.

Non cadere in terram stellas, non sidera cernis.

Poetas edisserit Seneca: Sic quæ transuersæ dicuntur stellæ, & cadentes, præteruolant & secant aera Audis quæ dicūtur. De his cōsule lib. Meteor. 1 Arist & ipsum naturaliū quæstio. lib. 1. Senecā.

Εμβρόντητοι. *Attoniti.*

CAPVT XXXI.

EΜβρόντητοι & ἐμβεβροντημένοι a Græcis κυρίως appellātur, quorum mens aut ictu fulminis, aut incredibili eius pauore obstupescit. Verunque vocabulum per metaphoram ad alia trāsfertur. Lucian in icaromenippo: εἱστήκειν δ' ὅμως ἀχανής, καὶ ὑπὸ τῆς μεγαλοφωνίας ἐμβεβροντημένος. stupidumque, atq; animi impotem plerunque significat Moschopulus, καὶ ὁ ἐμβεβροντημένος, ὁ ἔξω φρενῶν, ἀπὸ τοῦ ἐπὶ τὸν τυφῶνα κεραυνοβολημένου σκηπτῶν Hippocrat περὶ διαίτ. α. ἢν δὲ κρατηθῇ ἐπὶ πλέον τὸ πῦρ ὑπὸ τοῦ ἰόντος ὕδατος, τούτους ἤδη οἱ μὲν ἄφρονας ὀνομάζουσιν, οἱ δὲ ἐμβροντήτους. Demosthenes περὶ τοῦ στεφάνου ἐμβρόντητε, εἶτα νῦν λέγεις. Hos Latini *Attonitos* dicunt. Celsus: Attonitos quoq; raro videmus, quorū & corpus & mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo: ἀποπληξίαν hunc Græci vocant. Ex his, Tristium primo elucet Ouidius:

Non aliter stupui, quam qui Iouis ignibus ictus
Viuit, & est vitæ nescius ipse suæ.

Xenophon κυνηγ. ζοῦς δ' ἐμβροντήτους ποιεῖ τοὺς οἰομένους οὕτως ἔχειν. Et ἑλληνικῶν δ. ἐν δὲ τούτῳ περὶ τοὺς εἰρκτὰς στρατευομένου αὐτοῦ, πίπτει κεραυνὸς εἰς τὸ στρατόπεδον, καὶ οἱ μὲν τινες πληγέντες, οἱ δὲ καὶ ἐμβροντηθέντες ἀπέθανον.

Diana βενδεία βενδίδειον. Strabo emendatur.

CAPVT XXXII.

THraces Dianam βένδιν, vt vult Hesychius: aut βενδείαν, vt Palæphatus, appellant Græci festa eius deæ βενδίδεια, templum βενδίδειον. Xenophon ἑλληνικῶν 6. ἡ φέρει πρός τε τὸ ἱερὸν τῆς Μουνυχίας Ἀρτέμιδος, καὶ τὸ Βενδίδειον. Synesius, λύουντες ἐκ Βενδιδείου. Quorum testimoniis fulti, apud Strabonem libr. 9 περὶ παρὰ τοῖς Θρᾳξὶ τά τε κοτύττια καὶ τὰ βενδίδεια (non μενδίδεια) scribendum contendimus. Subdit paulo infra: τῶν μὲν γὰρ βενδιδείων πλάτων μέμνηται. Liuius decad. 4 lib. 8 *Romanorum primum agmen extra saltum circa templum Mendidium. Ego Bendidium probo.* Eundem libr. 3. Strabonem ita restituimus τὴν μὲν γὰρ ἀττικὴν οἱ μετ' Εὐμόλπου Θρᾷκες ἔσχον. τῆς δὲ Φωκίδος τὴν Δαυλίδα Aldina exemplaria αὐλίδα. perperam habent. Idem lib 8. Strabo: δελφίς τε καὶ κίρφις καὶ δαυλίς Plinius lib. 4 *Dymine regio Daulis appellata.* Thucydides in 2. δαυλίαν vocat. ἀλλ' ὁ μὲν ἐν τῇ δαυλίᾳ τῆς Φωκίδος νῦν καλουμένης & Apollodorus lib. 3. Consule Stephanū in vocabulo δαυλίδα, & Pausaniam in Atticis.

Ἀγέλαστος πέτρα. Laureata litera. Ouidius declaratur.

CAPVT XXXIII.

Hic primum sedit gelido mœstissima saxo,
Illud Cecropidæ nunc quoque triste vocant.

Ouidius Fast. 4 Athenienses lapidē hunc *ἀγέλαστον* vocant: nō *σκύθρωπον*, aut *περιπαθῆ*, vt somniant quidam. Quem edisserit libr. 1. Apollodorus & Aristophanis in Equitibus commentarius: *ἔστι δὲ καὶ ἀγέλαστος πέτρα καλουμένη παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, ὅπου καθίσαι φασὶ Θησέα μέλλοντα καταβαίνειν εἰς ᾅδου· ὅθεν καὶ τοὔνομα τῇ πέτρᾳ, ἢ ὅτι ἐκεῖ ἐκάθισεν ἡ Δημήτηρ κλαίουσα, ὅτε ἐζήτει τὴν κόρην.* Idem Amorum primo, Eleg. a 11. Ouidius:

Non ego victrices lauro redimire tabellas.

Cicero in Epist. ad Attic. *Quo die? Cassii literæ victrices.* Moris fuit apud Rom. vt quoties imperator hostiū exercitū deleuisset, aut vrbē expugnasset, lauro victoriæ signo literas inuolutas ad senatū mitteret. Liuius: *Litera a Posthumio laureata sequūtur, victoriā populi Romani esse.* Appianus in Mithridatico: *καὶ λόγος τε περὶ τῶν δὲ Ῥωμαίοις ἐπιστολὰς τὰ γράμματα δάφνη περιβαλών, ὡς ἔθος ἐστὶν ἐπὶ νίκαις.* Cicero in Pisone: *Ne tum quidem, Paule, noster tabulas Romā cum laurea mittere audebas.* Tacitus in vita agrico. *Ne laureatis quidem gesta prosecutus est*, vbi literis subauditur.

Aurea mala, & Mascula thura, apud Virgilium.

CAPVT XXXIV.

Avrea mala, Virgilius Ecloga 3. appellat, quæ *Cotonea, Cydonia. Chrysomela* etiam dicuntur. Neq; tamen spernēda est Hermolai Barbari opinio (cui succinit Erasmus) de Medicis, citriisq; intellexisse eum iudicantis, quæ, vt tradit Athenæus *δειπνοσοφ. γ. διὰ τὴν ἰδέαν χρύσεα λέγεται*) Idem Ecloga 8 *mascula thura adolenda* præcipit, quoniam (vt arbitror) diis nihil nisi singulare & excellens offerri debet: vnde *eximia hostia.* Masculū vero thus primam bonitatis gloriam habere, memorat lib 1. Dioscorides. Plinius diuersam caussam adfert, *lib 12. cap 14.* cui quo minus adhæreas, nihil impedio. Etsi vero Eclog. 3. *fraga mora* explicat Seruius: non ideo credendum est, insignem grammaticum rem eandē putasse: sed ea potius a rusticis mora appellari iudicauisse censendum, quæ, qui Latine loquuntur, *fraga* vocitant: aut, vt opinor, ob similitudinem, quam hæc cum moris habent. Sic Plinius, *vaccinia, mora: & pentaphylli fructum.* fraga nuncupat.

Cicero in Epistolis fami liaribus expenditur.

CAPVT XXXV.

Svpra Maleas, vel Maleam, aut etiam *ὑπὲρ μαλέαν* apud Ciceronē *libro Epist. familiar. 4* legi potest Plinius Nepos in 10. *Nuntio tibi, me ... ὑπὲρ μαλέαν nauigasse.* Liuius, *Super maleā nauigat Corcyrā.* Eustath. λέγεται δὲ καὶ ...

κὴ μάλλον πληθυντικῶς πρὸς ἔμφασιν τῆ κτ τὸ ἀκρωτήριον μεγέθους. Apud eundem Ciceronem lib 8. *Scenobaticam facere*, non *Embateriticam*, interim defendo, dum quis eo vocabulo Græcum aut Latinum quempiam hominem vsum patefecerit. Si quid omnino pro libidine interpolandum est, non defuturi sunt qui ἀκροβατικὴν substituant: quod quid sit, pete ex Vitruuio. Ceterum qui in eisdē Epistolis σιβυλλιᾷν vaticinari ac diuinare exponunt, culpa non carent: ea enim vox, more senum delirare significat. Aristophanes in Equitib. ὁ δὲ γέρων σιβυλλιᾷ. quem quidem morbū λῆρον, vt plurimum in senibus, μώρωσιν in pueris appellari, docet in sexto Actius. Sibyllæ vero senectus in prouerbium abiit.

Ouidius illustratur.

CAPVT XXXVI.

VErsiculum hunc Ouidianum Fastor. 4. *Pallade sit Titio dectior ille licet*: ita castigandum putarūt Grammatici, vt Tychio, cuius meminit Homerus Il. η. legendum suspicarētur. Ego veterem lectionem retineo: huncque Titium esse censeo, quem in Epistolis laudat Horatius:

Quid Titius, Romana breui venturus in ora?

Ipsum Acron ab eo derideri prodens, hallucinatur. Apud eundem Ouidium, Amorum 2.

Et gelidum Boream, præcipitemque notum:

scribimus, non *Egelidum* quæ dictio *tepidum*, Græcis χλιαρὸν, denotat: non, nimium gelidum, vt putat Seruius. Catullus:

Iam ver egelidos refert tepores,

Celsus lib. 4. cap. 20. *Vinum austerum meracum, per æstatem frigidum, per hyemem egelidum*. Desinant igitur in hoc peccare nō modo Grammatici, quod tamē parui refert, sed etiam magno ægrorum incommodo & noxa Medici: quorum nonnullos hoc ignorasse, ex eorum Commentariis apparet.

Aristophanis locus declaratur.

CAPVT XXXVI.

ΟΥ λήψη χρυσοχαυνοπρωκτ' ἰαόναυ. Aristophanes in Acharnensibus, οὐ λήψει τι χρυσίον χαυνόπρωκτε ἰαῦνε. Persæ Athenienses ἴωνας, antiquo eorum nomine appellant. Strabo: καὶ γὰρ ἴωνες ἐκαλοῦντο οἱ τότε ἀττικοί. Et: ἡ γὰρ ἀττικὴ τὸ παλαιὸν ἰωνία ἐ ἰὰς ἐκαλεῖτο. Æschylus in Persis: ἰαόνων γῆν πέρσαι θέλων. Nisi ἰαόνων exponere malis. χαυνόπρωκτοι vero, & εὐρύπρωκτοι, idem significant: quod vitium ipse in Nebul. Atheniēsibus improperat Aristophanes. Nunc Æschinem κατὰ κτησιφῶντος, huic metro lucem afferentem, audiamus. ὁ γὰρ τῶν περσῶν βασιλεὺς, ὁ πολλῷ πρότερον χρόνῳ τῆ ἀλεξάνδρου διαβάσεως εἰς τὴν ἀσίαν κατέπεμψε τῷ δήμῳ, καὶ μάλα ὑβριστικὴν & βάρβαρον ἐπιστολὴν· ἐν ᾗ τά τε δὴ ἄλλα, καὶ μάλ' ἀπαιδεύτως διελέχθη. καὶ ἐπὶ τελευτῆς αὐτῆς ἐνέγραψεν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, ἐγὼ φησὶν ὑμῖν χρυσίον οὐ δώσω, μὴ με αἰτεῖτε· οὐ γὰρ λήψεσθε.

Oculus

Oculus fascinans.

CAPVT XXXVII.

NEscio quis teneros oculus mihi fascinat agnos: Virgilius Ecloga 1. Græci ὀφθαλμὸν βάσκανον nominát. Heliodor. Æthiop. γ. μὴ θαύμαζε, εἶπον, εἰ τοσούτοις ἐμπομπεύσασα δήμοις, ὀφθαλμὸν τινα βάσκανον ἐπεσπάσατο. κυρίως δὲ βάσκανος (inquit Theocriti Glossographus) ὁ τοῖς ὀφθαλμοῖς καίνων καὶ φθείρων τὸ ἐρασθὲν ὑπ' αὐτοῦ, ἢ ὑπ' αὐτῶν. Quærit etiam Alexander Aphrodisæus lib. *Problematum* 2. διὰ τί τινες βασκαίνουσι καὶ μάλιστα παῖδας. Quare non tam in hoc poetæ rudes & inepti videntur, quam multi nobis blaterant. Basil. τοὺς δὲ φθονερούς τινες οἴονται καὶ δι' ὀφθαλμῶν μόνων τὴν βλάβην ἐπιβάλλειν. Nam vt ea, quæ de familiis quibusdá apud Illyrios, Triballos & Aphros traduntur, rideam: vt Scythicas mulieres, vt Catoblepam, leporem marinum, basiliscum serpentem, tanquã fabulosa silentio prætercam: ita ophthalmia affectũ, quem intueatur, eo morbo implicare: fœminã quoq; menstruis fluen tib. speculum inficere exploratũ est. nec quæ de Galgulo perhibent medici, vana prorsus censenda. Scribunt etiã nonnulli, noxii visus esse, qui gemina pupilla præditi sint. Ouidius Amorum 1.

——*Oculis quoq; pupula duplex*
Fulminat, & geminum lumen in orbe manet. quod attigit *lib.* 9. *cap.* 4 Gellius & Solinus *cap.* 6. Porro vt ad inceptũ redeamus, si qui idem cum Virgilio de oculo fascinante, & aspectus contagione senserint, eis molesti esse philosophi non debebunt, nisi etiam Plutarchum lib. *Sympos.* 5. *seq* 7. prius arguant.

Περιρραντήρια.

CAPVT XXXVIII.

ΠΕριρραντήρια pura erant in templis aut concionibus vasa, aqua lustrali plena, qua aut sacerdotes, aut æditui, ingrediẽtes aspergerent. Theodoritus: ἑκατέρωθεν δὲ τῆς θύρας εἱστήκεισαν νεωκόροι, περιρραντηρίοις τοὺς εἰσιόντας περικαθαίροντες, ὡς ἐνόμιζον. Sozomenus: ἐπεὶ δὲ ἔμελλεν ὑπεραμείβειν τοῦ ναοῦ τὸν οὐδόν, θαλλούς τινας διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεύς, νόμῳ ἑλληνικῷ περιέρραινε τοὺς εἰσιόντας. Æschines κατὰ Τιμάρχου· μηδ' αὐτὸς τῆς ἀγορᾶς παρὰ τῶν ῥαντηρίων. Legendum τῆς ἀγορᾶς τῶν περιρραντηρίων. Idem κατὰ Κτησιφῶντος· ὁ μὲν τοίνυν νομοθέτης τὸν ἀστράτευτον, καὶ τὸν δειλόν, καὶ τὸν λιπόντα τὴν τάξιν, ἔξω τῶν περιρραντηρίων τῆς ἀγορᾶς ἐξείργει. Ex his satis constat, περιρραντήρια ad abluendas manus non fuisse instrumenta, vt dicent nonnulli. Quidam aquiminaria vasa peritanteria a Græcis vocata scribũt, inepta ducti Etymologia cum περιρραντήρια dicere volũt, quamquam hoc etiam falsum sit. Ceterum νόμῳ ἑλληνικῷ apud Sozomenũ, vt id obiter exponamus, nihil aliud est, quã ethnico: ἑλληνίζειν enim Theologis, vetere ac ridicula Græcorum de diis persuasione adhuc imbutum esse significat: cui χριστιανίζειν opponunt. Socrates: αἱ τῶν βιβλίων τούτων ὑποθέσεις χριστιανίζουσι μὲν τῇ φωνῇ, τοῖς δὲ

δὶ᾽ ἀσμασιν ἐκλωίζεσθαι. Rurſus libr. 3 ὁ δὲ ἵππαρχος καὶ τὴν ἄλλην ἂν τὴν παρασκευὴν. Sed hoc pluribus inculcare, nihil attinet.

Virgilii loca.

CAPVT XXXIX.

OAxes flumen eſt Cretæ, non Meſopotamiæ, neque Scythiæ, vt grauioribus ſtudiis vacans prodidit Georgius Agricola: quem minuti Gloſſographi in errorem impulerunt. Virgilius Eclog 1. —*Et rapidum Cretæ veniemus Oaxem.* Fatetur Vibius Sequeſter. fuit etiã in ea inſula ὀαξὸς, non Oaxia, vt vult Solinus, oppidum: auctore Stephano, & Herodoto in Melpomene: ἐν τῆς κρήτης ὀαξὸς πόλις. Eũdem Virgilium Eclog 4. *Syluas conſule dignas* eſſe concinentem, enarrat in Iulio Cæſare Tranquillus: Eandem ob cauſſam opera optimatibus data eſt, vt prouinciæ futuris conſulibus minimi negotii, id eſt, ſyluæ colleſque decernerentur. Paucis infra verſibus, —*Quo ferrea primũ Deſinet*— legẽdũ, non *terrea.* ſubiicit enim: —*Et toto ſurget gens aurea mundo* quæ ex Heſiodo ἐν ἔργοις καὶ ἡμέρ. exhauſit Maro. Verſus Heſiodi:

χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων
ἀθάνατοι ποίησαν — Sequitur mox inferius:
νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον —

Seneca reſtitutus.

CAPVT XL.

NAm galeam illam ſi videres, agnoſceres. machæra enim Hiſpania diuiſa eſt: Seneca libro de Benef. quinto, circa finẽ. Ego, *Machæra enim Hiſpanica* reſtituendum arbitror. Polybius libr. 6. ἄνω δὲ τῷ θυρεῷ μάχαιραν. ταύτην δὲ περὶ τὸ δεξιὸν φέρουσι μηρόν. καλοῦσι δ᾽ αὐτὴν ἰβηρικήν. ἔχει δ᾽ αὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βίαιον, διὰ τὸ τὸ ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι. Gellius lib. 9. cap 13 *Et gladio Hiſpanico cinctus contra Gallum conſtitit.* Liuius: *Poſteaquam gladio Hiſpanienſi detruncata corpora.* Idem Seneca epiſt 6 *Metrodorum & Erymachum & Polyænũ, magnos viros non ſchola Epicuri, ſed contubernium fecit.* Tu *Hermachum* corrige, de quo mẽtionem facit in Epicuro Laertius, & Cicero in libris *de Finibus bonorum & malorum.* Et Epiſtola 89 *Circa eadem fere Pyrrhonii verſantur, & Megarici, & Cretici.* Scribẽdum, *& Sceptici.* Idem epiſt. 78 *Omnis in piliis Puteolorũ turba conſiſtit.* Ita legendum eſſe, non *Pyris*, infra probabo.

IOANNIS BRODÆI MISCELLANEORVM LIBER II.

Virgilii locus.

CAPVT I.

ΩΣ ἄρα μιν εἰπόντ᾽ ἔλασεν μέγα κῦμα κατ᾽ ἄκρης δεινὸν ἐπεσσύμενον. Homer Odyſſ 5. Euſtathius: τὸ δὲ ἔλασε κατ᾽ ἄκρης, ἀντὶ τοῦ ἐπάταξε κατὰ τῆς κεφαλῆς. οὕτω καὶ ἐν ἰλιάδι τὸ, ὤλετο πᾶσα πόλις κατ᾽ ἄκρης,

ἄκρης. αὐτὶ τ᾽ κατὰ τῆς κεφαλῆς. Virg. l. Æneid. 1 κατ᾽ ἄκρης, a vertice reddidit: —*Ingens a vertice pontus In puppim ferit*— Id est, fluctus percusso gubernatoris capitis vertice, in puppim ingruit. Hunc Virgilii nodum an soluerint Glossematarii, videre licet. Homerus ibidem: τρὶς μάκαρες Δαναοὶ, καὶ τετράκις. Virgilius citato nuper libro: *O terque quaterque beati.* Eustathius: τὸ δὲ καὶ τετράκις ἀφιλῶς εἴρηται, ὃ ποιεῖ οὐδὲν μέγα. Aristophanes in Pl. καὶ τρὶς κακοδαίμων, ὃ τετράκις, καὶ πεντάκις, ὃ δωδεκάκις, ὃ μυριάκις. Horatius Virgiliũ exprimere videtur: *Felices ter & amplius. O ter quaterque felices.* si quid tamen ad illum felicitatis gradum addi quicquam potest: *O sæpius felices.* Macrobius libro in Somnium Scipionis. 1. cap 6. hoc argute perscrutans, reprehensione non caret: Vnde Virgilius (*inquit*) nullius disciplinæ expers quasi non hoc multa ante secula prior dixerit Homerus: quem si quis de symphonia, quæ διὰ πασῶν appellatur, aut de numero beatitudinis & requiei, vt vult Cornelius Agrippa, cogitasse putat, infantissimus reperietur.

Defensus a criminatione Petri Victorii Cicero.

CAPVT II.

PEtrus Victorius *lib. Variarum lectionum 6. cap. 3.* multum contra Ciceronis opinionem de Aristolochia disputat, eius sermonem breuitati studens prætereo. Ipsum vero Ciceronem recte scripsisse assero, ad morsus serpentium aristolochiã posse. Theophrastus 9. περὶ φυτῶν. ἀγαθὴ δὲ καὶ πρὸς τὰ ἄλλα ἕλκη, καὶ πρὸς ἑρπετά. Nicander in Theriacis:

ἤτοι ἀριστολόχεια παλίσκιος ἐνδατέοιτο, &c.

Consentit Dioscorides, de Aristolochia clematite loquens: & Plinius, *Clematem* (aut *clematitem*) vocans, *lib. 25. cap. 8.* Videtur & Ciceroni ea planta nomẽ ab inuentore reperisse. Nicandri scholiastes: ταύτην (aristolochiam) φησὶν ἀριστοτέλης γυναικὸς εὑρηκυίας. Cuius opinionem quin sequutus sit vir ille, non dubito. ei autem mulieri *Aristolochia* nomen fuisse, hac coniectura ducor, quod & *Lysimachia, Arthemisia, Euphorbium, Teucrium, Gentiana*, ab earum inuentoribus cognominatæ sint. Sed notandus est, si Diis placet, M. Tullius, quod non ab inuentrice, sed ab inuentore nomen reperisse tradat. Nec me fugit, quoniam esset ἀρίστη λεχούσαις, Aristolochiam ab aliis, non Theophrasto, denominatam: quorũ sententia, si quibus probabilior videtur, huic per me applaudant licet, modo ne literatos viros ignorantiæ insimulent.

κέρατα. κερατίνης.

CAPVT III.

KΑὶ κέρατα φύουσιν ἀλλήλοις, καὶ κερατίνας εἶναι ποιοῦσιν Hæc primo Necricorum dialogo Lucianus, per κέρατα captiosos syllogismos, ad hunc modũ conflatos, intelligens: *Quod nõ perdidisti, habes: cornua non perdidisti: cornua ergo habes.* Græce sic Chrysippus:

εἴ τι σοὶ ἀπέβαλες, τοῦτο ἔχεις· κέρατα δὲ οὐκ ἀπέβαλες, κέρατα ἄρα ἔχεις. Crocodilus sophisma, ex fabula huiusmodi nomē habet. Mulier quædam Ægyptia, secus Nili ripas puerum errabundum a crocodilo ablatū sensit. rogat ea crocodilum, vt reddere filiū dignetur. Crocodilus respondet: *Se redditurū, si verum diceret.* Illa autem dixit, *Non mihi reddes.* conditio sane inexplicabilis erat propterea, ꝙ huius orationis veritas ex volūtate crocodili penderet. Huius argutiæ sæpenumero mentionem facit Lucianus. Quintilianus *lib. 1.* Ceratinas & Crocodilinas ambiguitates appellat.

Ἠλέκτρα. ἐγκεκαλυμμένος λόγος, ψευδόμενος, καὶ ἀργός.

CAPVT IV.

ELectram sophisma proponunt etiam Stoici, quod citato nuper dialogo expressit Lucianus. ἀγο. ἵνα τοῦτον τὸν ἐγκεκαλυμμένον, ἢ τινα τὴν Ἠλέκτραν λέγεις; χρυσ. Ἠλέκτραν μὲν ἐκείνην τὴν πάνυ, τὴν Ἀγαμέμνονος, ἣ τὰ αὐτὰ οἶδέ τε ἅμα, καὶ οὐκ οἶδε. παρεστῶτος γὰρ αὐτῇ τοῦ Ὀρέστου (Sophocles in Electra) ἔτι ἀγνῶτος, οἶδε μὲν Ὀρέστην, ὅτι ἀδελφὸς αὐτῆς. ὅτι δὲ οὗτος Ὀρέστης, ἀγνοεῖ. Qui sit ἐγκεκαλυμμένος λόγος, statim docet atque aperit Lucianus: a quo dissentit in Zenone Laertius, quem si tibi hæc curæ sunt, consule. ψευδόμενος, quē *Mentientem* vocant, sic nectitur: *Cum mentior, & mentiri me dico, mentior ne, an verum dico?* Neque tamen in hoc omnes consentiunt. nam aliud esse videtur Aristoteli ἠθικῶν νικομαχείων ζ. & εὐδημείων ε. ἀργὸν λόγον, ignauam rationem appellat Cicero: Sermo autem eorum est, qui fato omnia fieri contendunt. verbi caussa; *Si fato, morbo hoc periturus sum, siue medicum accersam, siue non, e vita discessurus sum.* cui si pareamus, omnis e vita tollitur actio.

Οὖτις. ἀχιλλεύς.

CAPVT V.

NEc prætereunda est cauillatio, cui nomen οὔτις. Ea ab Vlysse originem ducit, quem cum Polyphemus ab eo lumine priuatus percunctaretur, quod ei nomen esset? οὖτις (inquit) ἐμοί γ' ὄνομ' ἐστι, vt tradit Odyss. 9. Homerus. Laertius in Zenone: οὔτις δὲ λόγος ἐστὶ συνακτικὸς, καὶ ἐξ ἀορίστου, καὶ ὡρισμένου συνεστὼς, πρόσληψιν δὲ καὶ ἐπιφορὰν ἔχων. οἷον, εἴ τίς ἐστιν ἐνταῦθα, οὐκ ἔστιν ἐκεῖνος ἐν Ῥόδῳ. Cui Eustathius refragatur. ἔστι δὲ (inquit) τὸ σόφισμα (οὔτις) οὐ παρὰ τὴν ὁμωνυμίαν, κατά τινας, ἀλλὰ παρὰ σύνθεσιν μᾶλλον καὶ διαίρεσιν. οἱ μὲν Κύκλωπες χωρὶς νοήσαντες, καὶ σύνθετον, καὶ ἁπλοῦν, τὸ οὔτις, ὡς κλινόμενον οὔτιδος. Vsi sunt & Achille captioso sophismate philosophi, auctore libro φυσικῆς ἀκροάσεως ζ. Aristotele: Laertius in Parmenide, καὶ πρῶτος ἐρωτῆσαι τὸν ἀχιλλέα λόγον, a quo Achilleum argumentum licet quidam, quod sit insuperabile & insolubile, summo viro repugnans Achilleum vocet.

Lucianus ἐν βίων πράσει declaratur.

CAPVT VI.

Ὤρα σοὶ ὦ βέλτιστε τὸν κρείσσω παῖδα παιδεύειν. Declarat hoc Herodorus lib primo. ἀλλ' ἕν, δύο, τρία, τέτταρα, ταῦτα δέκα εἰσί. Hi sane numeri simul compositi decem efficiunt, καὶ τρίγωνον ἐντελὲς, si eos ita colloces.

ἐντελὲς τρίγωνον vocat, cui, quin sit perfectus triangulus, nihil deest: neque enim rectangulo, aut obtusiangulo triangulo absolutior est. καὶ ἡμέτερον ὅρκιον, per quaternarium numerum iurare consueuerunt Pythagorei, decem scilicet, vt admonui, valentem, quo quidem contineri omnia putabant.

οὐ μὰ τὸν ἁμετέρα ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν,
παγὰν ἀενάου φύσεως ῥιζώματ' ἔχουσαν.

αἴτιον γὰρ φύσει (vt perhibent) τὴν δεκάδα ἡγοῦντο, τὴν οἱονεὶ ἀΐδιον, καὶ αἰώνιον τῶν ὅλων φύσιν καὶ εἰδῶν ὑπάρχουσαν ῥιζώματα δ' αὐτῆς, τὰ μέχρι τετράδος α.β.γ.δ. Gregor. τὴν ἑβδομάδα τιμῶσιν ἑβραίων παῖδες ἐκ τῆς μωσέως νομοθεσίας ὥσπερ πυθαγορικὸς τὴν τετράδα ὕστερον. Tractat hoc subtilius Plutarchus lib. *de Placitis philosoph. primo*, ac περὶ τῆς ἐν τιμαίῳ ψυχογονίας. & in commentario περὶ ἴσιδος καὶ ὀσίριδος. Et Cornel. Agrip. *lib. de Occul. philosoph.* 7. a quibus nunc disputationibus supersedendum puto: cum nonnulli etiam per ῥιζώματα, quatuor exponant elementa. Lucianus paulo post: τὸ δὲ ἐπίδειον ἐκεῖνο ζηλώσεις. Euripides in Hippolyto: ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ' ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. Et aliquanto inferius: καὶ ὑπὸ τ' αὐτὸν ἱμάτιον μοι κατακείνται, ἀκούση αὐτῶν λεγόντων, μηδὲν ὑπ' ἐμοῦ δεινὸν παθεῖν. Hic Alcibiadem digito ostendit Socrates. qua de re Plato in Symposio, non procul a fine.

Homeri locus.

CAPVT VII.

TOῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε: Homerus Odyss. σ, τουτέστι (inquit Eustathius) ὁποῖα ἂν εἴη τὰ περιστατοῦντα, τοιοῦτός ἐστι καὶ ὁ νοῦς, ἐν εὐτυχίαις συνεξαιρόμενος, ἐν δὲ τοῖς ἀνάπαλιν ταπεινούμενος. Archilochus apud Theonem: τοῖος ἀνθρώποισι γὰρ θυμὸς γλαῦκε λεπτίνεω παῖ γίνεται θνητοῖσι, ὁκοίην ζεὺς ἐφ' ἡμέρην ἄγει. ἐπ' ἦμαρ, & ἐφ' ἡμέραν, in dies singulos significat, vt apparet. Plin. *lib. 7. cap.* 40. hoc edisserens. *Quid quod nemo mortalium omnibus horis sapit? vtinamque falsum hoc, & non a vate dictum quamplurimi iudicent.* Terent. *Omnibus nobis, vt res dant sese, ita magni atque humiles sumus.* Quis igitur, nisi insigniter stolidus, hoc est, astrologorum vanitati emancipatus, de die hominis natali poetam sensisse opinetur? His tamen metris, quasi huic fatuitati patrocinantibus, nos obtundunt, non modo Principibus ora sublinentia mendicabula quædam holosericata, sed etiam Grammatici, Ludouicus Cæl. lib. 1. ca. 53.

Talem animum plane mortalibus esse necesse est,
In lucem primo qualem Deus extulit ortu.

Nec vero Homericum sensum reddidit Cicero a D. Augustino citatus *lib. de Ciuit. Dei 5 cap. 8.*

Neque ipse Aristoteles *lib. de Anima 3.* e quo multa ibi compilauit Cælius, hoc docet: quod alias magnis argumentis ostensuri sumus.

Virgilius illustratur.

CAPVT VIII.

A*Mphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho*: Maro Ecloga 2. *Amphion Dircaeus*, Thebanus. a Dirce fonte. Strabo lib. 9. & Euripides *in Bacchis. In Actaeo*, in Attico Aracyntho ἀκτὴ nuncupata est aliquando Attica, *vt docet Strabo, & Stephanus in voce* ἀκτή. Aracynthus autem mons est, vt Propertio *lib. 3.* ac ipsi Stephano placet, Bœotiæ: *vt Virgilio ac Vibio Sequestro*, Atticæ. Tanta porro est earum prouinciarum vicinitas, tam confines ac continentes agri, vt si leuia hæc ad amussim examinare tentes, magnam poetis iniuriam facias. Fateor, alterum esse Aracynthum in Acarnania (non Arcadia, vt mendose apud Vibium excusum est) aliamque ibi Actam, de qua tamen Virgilium sentire non puto. Idem Georg.

—— *Boreæ penetrabile frigus adurat.*

Mirantur nonnulli, quo nam pacto frigus vrere possit. Verum hoc ita se habere, memoriæ prodit Hippocrates περὶ τῆς ἀρχαίης ἰητρικῆς, Basilius in homilia εἰς τοὺς ἁγίους τεσσαράκοντα μάρτυρας, plerique alii. Sunt enim alia præter ignem, quæ vrere recte dici possunt. Liuius. *Hyems eo anno niue saeua, & omni tempestatum genere fuit. arbores quæ obnoxiæ frigoribus sunt, deussit cunctas.* Latinusque, *igne vri*, aut *cremari*, sermo est, contra quam Laurentius Valla arbitretur. Cicero *lib.* de Inuent. 2. *Vri posse flammâ lignea materiam necesse est.* Iterum ad Q. fratrem: *Te curaturum, fumo vt combureretur.* Cæsar lib. de bello Gallico primo: *Damnatum sequi oportebat, vt igni cremaretur.* Tacitus libr. 14. *Ora & exitus specuum sarmentis virgultisque completos, igni exurit.* Liuius. *Eas collectas cum cura & igni crematas esse.*

Seneca explicatur.

CAPVT IX.

C*Ogita hoc loco carcerem, & cruces, & equuleos, & vncum, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem, & distracta in diuersum actis curribus membra, illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam.* Hactenus Seneca lib. *Epist. 2. Epistol. 14.* Equuleus (vt ab eo incipiam) tormenti genus, quo vinctis superne manibus & appensis vtrique pedi grauissimis ponderibus, homo pendens immaniter torquetur. Ammianus: *Intenduntur equulei, expediuntur pondera plumbea.* Lactantius. *Non extendens*

dens equuleus. Plautus in Asinaria: *Nudus vinctus centum pondo es quando pedes per pedes, &c.* Vncus vero, fustis ab vno latere incuruus, ac sese retorquens. *Adigere per medium hominem*, id est, per hominis sedem (honor sit auribus) stipitem: Græci recentiores πασσαλεύειν Galli *Empale*, Itali *Impalar* vocant. Hoc supplicii genus Turcis peculiare est. Et distracta in diuersum actis cruribus membra Sinnis latro importunus, quos superasset, hoc cruciatu excarnificabat: *teste in Corinthiacis Pausania.* Poetæ tunicam alimentis ignium & illitam & intextam, ex hoc Senecæ sermone explicandi molestam tantum appellant. Alia autem supplicia commenta est sæuitia, quæ longum esset referre, ea mox tantum, quæ ad soluendos nonnullos scriptorũ nodos pertinent, in pauca conferam.

Robur. Pix. Tæda. Lamina, τροχὸς, Boia.

CAPVT X.

V*Erbera, carnifices, robur, pix, lamina, tæda* Lucretius lib. 3. Robur. Robur locus erat in carcere, quo præcipitabantur sontes: ex eo dictum, quod robustis lignis antea sepiebatur Huius Valerius Max. & Apuleius mentionem, faciunt. *Pix.* Pice bulliente effusa malefici hominis corpus nudum, carnifices olim deurebãt. Huius vice, larido in palam ferream candentem coniecto ac stillãte, tortores hodie vti in quibusdam prouinciis, fama accepimus. Tędæ, faces ardentes, tum oculis, tum aliis corporis partibus admotæ, Eusebius: ἐπὶ τούτοις δὲ καὶ τὸν ἡφαπτόμενον τῷ σώματι πυρσὸν ὑπομείνας. Vtriusque supplicii meminit Plato in Gorgia: καὶ ἀδίκως ἄνθρωπος ληφθῇ τυραννίδι ἐπιβουλεύων, καὶ ληφθεὶς στρεβλῶται, καὶ ἐκτέμνηται, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκκαίηται, καὶ ἄλλας πολλὰς, καὶ μεγάλας, καὶ παντοδαπὰς λώβας αὐτός τε λωβηθεὶς καὶ τοὺς αὐτοῦ ἐπιδὼν παῖδάς τε καὶ γυναῖκα, τὸ ἔσχατον ἀνασταυρωθῇ ἢ καταπιττωθῇ, οὗτος εὐδαίμων ἔσται. Plautus in Capt. *Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat. Lamina.* Lamina ferrea ardens, ad pedes, aliudue membrum applicata, hominem grauissimo dolore afficit. Valerius: *Candentibus laminis vstus.* Cicero, *Quid, cum ignes, ardentesque laminæ.* Ex his iam liquido apparet, Grammaticos decipi, qui tria hæc, picem, laminam, tædam, tunicam molestam esse prodiderunt. Plautus in Asinaria: *Aduersum stimulos, laminas (audin laminas) crucesque, compedesque, neruos, cathenas, carceres, numellas, pedicas, boias.* Postremum hoc (nam reliqua facilia sunt) edisseramus. Sunt vero hic boiæ, vt *taurea*, lõra proprie e bubulo corio confecta, nonnullis lignea etiam ac ferrea vincula, torquesque damnatorum dicuntur Idem in Amphytrione: *Faxo vt bubulis coriis onustus sis.* At argute in Asinaria: *Vbi viuos homines mortui incursant boues.* Sozom. οὔτε βοείαις, οὔτε ξύλοις, οὔτε ὄνυξι ξαινόμενος. De rota (vt ita loquar) Germanico supplicio, triginta abhinc annos in Galliã translato, vt de ro

vulgo nota, nil acturus sum. Hoc vnum dissimulare non possum, pudendo Lud. Cælii lapsu, diuersum ab eo esse, quod τροχὸν Græci appellant. Antiphon περὶ τοῦ ἱερέως φόνου. πρῶτον μὲν ἐπὶ τὸν τροχὸν ἀναβλέψας. *Qui fieri per deos immortales potest, vt homo fractus contususque tibiarum, femorum, brachiorumque ossibus, in rotam conscendat?* Virgilius in 6.

——Radiisque rotarum Districti pendent.——

Tibullus:

Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.

Gregor.

οὐδὲ ῥοιζουμένῳ τροχῷ συγκυκλούμενος.

Claudianus:

Non rota suspensum præceps Ixiona torquet.

Plautus: *Versor in amoris rota*, quæ nihil ad Germanicam pertinere, nemo non videt: in qua sontes, iam datis pœnis, non plus doloris sustinent, quam si humi strati iacerent. monstrat & hoc Iosephus ἐν τῷ εἰς τοὺς μακκαβ. λόγῳ, κεφαλ. θ. Et Lucianus in Dialogo Iunonis & Iouis, ab vtroque vero cruciatus genere currus rotis conteri comminuique discrepat, cuius pœnæ lib. 21. meminit Ammia. Marcellinus.

Leuctra. Thyrea. Solini errata.

CAPVT XI.

Leuctra vicus est Bœotiæ, apud quem superati sunt a Thebanis, duce Epaminonda, Lacedæmonii. Fuerunt præter hæc duo alia: vnum in Arcadia, *teste Plutarcho*: alterum etiam in Peloponneso. Strabo li. x. εἶτα λεῦκτρον, τῶν ἐν βοιωτίᾳ λεύκτρων ἄποικος. Ptolemæus λακωνικῆς λεῦκτρον, nonnulli ἀργολίδος λεῦκτρα appellant. Leuctra hæc si commode distinxisset Solinus, nec peccasset ipse, nec posteris peccandi ansam præbuisset. *Est & oppidum Tanarum* (*verba ipsius sunt, cap. 13.*) *nobili vetustate. Præterea aliquot vrbes, inter quas Leuctra non obstare iampridem Lacedæmoniorum fœdo exitu. Omitto interim, quod Leuctra fœminino genere proferat.* Addit paucis infra versibus: *Antea & Cardamyle, vbi quondam fuere Thyrra, nunc locus dicitur.* Iterum labitur Solinus, nisi ita reponas: *Antea & Cardamyle, vbi quondam fuit Thyrea.* Porro *Antea* habet Strabo lib. x & Pausanias in Messen, *anthana* Thucydides, Anthana Plinius *libr. 4. capit. 5.* vnde hæc fœnerata sunt. Thyrea vero a Latinis oppidum hoc appellatur, non *Thyrra.* θυρέαν Græci vocant, ac θυραίαν, nisi deprauati sint codices. Hermolaus credit, hanc a Strabone θυρέαν nominari: qui, cur mihi in hoc non satisfaciat, id argumento est, quod eodem volumine ipse Strabo θυρέας nuncupat: περὶ ὧν (inquit) ἀργείους καὶ λακεδαιμονίους συνίστη ἀγῶν, θυραίαν lib. primo circa finem. Sed deprauatus est etiam, vt apparet, in eo vocabulo Geographus, vti & in

sequenti

sequenti: καλεῖται δ' ἐπὶ πνῶν βαίτυλος. cum ex Pausania in Lacon. & Stephano, οἴτυλος emendare oporteat. Homer. in Bœot. οἴτ' ὄιτυλον ἀμφινέμοντο. Nunc redeo ad Solinum: *Vbi quondam fuere Thyrra, nunc locus dicitur.* Quanto rectius Plinius: *Atque ibi fuere Cardamyle, Pythane, Anthana, locus Thyrrea, Gerania.*

Cicero illustratur.

CAPVT XII.

Hinc Rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plateis, Thermopylis, Leuctris, Stratoque: Cicero lib. Off. 1. de fortitudine differens. Ego *Cytheris*, non *Strato*, malim. κύθηρα neutro genere insula est, in qua tuenda singularis Atheniensium virtus enituit. Plutarchus: καὶ τὰς περὶ κύθηρα, καὶ μέγαρα, καὶ κόρινθον ἀνδραγαθίας πλείον. Idem Off. 2. Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla alia re nisi auaritia perituram. Exstat hoc Apollinis oraculum in Aristophanis scholiis: ὅτι αἰσχροκερδεῖς καὶ σμικρολόγοι οἱ λάκωνες, δῆλον ἐκ τοῦ χρησμοῦ, ἁ φιλοχρηματία σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν. Et libro Tusculanar. quæstio. 1. Nam nos decebat cœtus celebrantes domum, &c. Græcos Euripidis versus, quos nonnulli requirunt, hic apponere libuit: ἔδει γὰρ ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους, τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά. τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων. Primus horum, deficit Straboni lib. 10.

Pithaules Salpista.

CAPVT XIII.

Qvando enim chorus canebat, choricis tibiis, id est, choraulicis artifex concinebat, in canticis autem Pyraulicis responsabat. Diomedes libro tertio. Tu corrige, *Pithaulicis*. Seneca libr. Epist. 10. Epist. 77. *Pithaules bonus iudicatur.* Grammatici, *Physaules*, ab inflandis tibiis, perperam castigant. Vibiscus: *Choraules centum, etiam pithaulas centum.* Glossographi: *Pithaulas, quasi tibiis persuadentes tibicines*, indocte explicant. Nos pithaulem aut eũdem esse cum ascaule, aut parum admodum differre iudicamus, latineque vtricularium appellari. Tranquillus in Nerone Claudio, capit. 54. *Et choraulem & vtricularium.* Tibiam vero, qua is vtitur, *Pinam* vocant Itali, nos Cornemusam appellamus. Vopiscus eodem in loco: *Et item centum salpistas, vno crepitu concinentes.* Hic quoque falluntur commentarii, salpinctas reponentes. Salpistas enim recte legi potest. Aetius lib. κ. κεφ. ν. καὶ κατηχὴ παρακολουθεῖ βίαια, ὥσπερ ἐπὶ τῶν σαλπιστῶν γίγνεται. Dionysius Halicarnasseus lib. 8. εἴκοσι καὶ δύο σὺν τοῖς σαλπισταῖς καὶ βυκανισταῖς. D. Ioann. in apocal.

Τρίγωνον. Nablum. Pandura.

CAPVT XIV.

Καὶ ψαλτήρια πολύφθογγα καὶ βαρβίτους, καὶ τρίγωνα παραπέμψας: Plutarchus περὶ μοναρχίας καὶ δημοκρατίας. cuius ex ver-

bis Ludouicus Cælius, τρίβωνα musicum quoddam instrumentum esse tradit. Nos τρίγωνον emendamus. Plato πολι γ. τριγώνων ἄρα καὶ πηκτίδων καὶ πάντων ὀργάνων ὅσα πολύχορδα. Aristotel. πολιτικῶν θ. ἑπτάγωνα, καὶ τρίγωνα, καὶ σαμβῦκαι. Athenæus δειπνοσ. δ. καὶ τὸ τρίγωνον ἢ καλούμενον ὄργανον. *Nablum* vero, ipsumque vocabulum Syriacum est: atque ex ea regione in Græciam, mox inde in Italiam aduectum. Vti & *paradisus*, dictio quoque Syriaca, tametsi eam Xenophon, Theophrastus, plerique alii vsurparint. Nec inficior, me in hoc a Polydoro Virgilio discrepare. Fuit & priscis *Pandura* musicum organum, cuius meminit in 5. Athenæus, vnde *Pandurizare* deriuat Lampridius in Heliogabalo, nec citra analogiam nam & *citharisare*, pro citharam pulsare, bonus Latinitatis auctor Æmilius Probus non respuit. Est autem citharista, qui citharam pulsat: citharœdus, qui & hoc agit, & ad eam canit.

Voces quædam a Nonio Marcello parum intellecta.

CAPVT XV.

INiusto sub fasce viam dum carpit: Virgilius Georg. 2. Marcellus, *Sub fasce*, sub consule exponit. nos, *sub fasce*, sub onere, sub sarcinis. & *Iniusto*, graui supra modum. Ferebant enim milites Romani præter arma, vallum etiam, ac multorum dierum cibaria. auctor lib. 6. Polybius, Cicero lib. Tusc. quæst. 2. & Vegetius *lib. primo, cap. 19.* Virgilius Georg 2. *Et iniquo pondere rastri.* Idem Non. Marcellus, Virgilianum illud eodem volumine, *Summis linquuntur rupibus* (non montibus) *amnes*, legens: linquuntur, defluunt, exponit. Nobis *Liquuntur* arridet. vti & Georg. primo: --- *Canis cum montibus humor. Liquitur.* Ouid. Metamor. 2. *Lentaq; miserrima tabe Liquitur.* Idem, demensum, deminutum, significare apud Terentium autumat: *Vix demenso suo, suum defraudans Genium.* Nos, quaternos olim frumenti modios quolibet mense seruos a dominis suis accipere solitos annotauimus. Idque demensum appellatum esse: verum a dimetiendo, non a mense. Plaut. *Nunc argumentum vobis demensum dabo.* Et in Stycho: *Vos meministis quod Calendis petere demensum cibum.* A Græcis *ἐπιμέτρειον* dicitur. *Quod calendis*, vt id in transitu declaremus, idem denotat quod apud Vitruuium lib. 10. cap. 7. *quot mensibus*: id est, singulis, ea figura qua nos *Quotannis* dicimus. Idem Marcellus apud Terentium in Phormione, *Non simultatem meam vereri*, scribit: cum *Reuereri* legendum sit.

Generosa vina in calidis locis nasci.

CAPVT XVI.

SIt ne vinum calidum & siccum, vt tradit Hippocrates περὶ διαίτης β. an calidum & humidum, vt Mnesitheus & Aristoteles, magna inter literarum studiosos controuersia exstitit. Vicit ægre tandem, meo sane iudicio. Hippocrates. Nunc vero indagemus an in frigidissimis oris, secundum Alexandrum Aphrodisæum lib.

Problemat

Problemat. α. vinum potens & calidum generetur. διό ἐν αἰγύπτῳ (verba Alexandri cui succinit lib. Saturnal. 7. Macrobius) θερμοτάτη οὔσῃ ψυχρὸς οἶνος γίνεται, ἐν δὲ σκυθίᾳ ψυχρᾷ οὔσῃ θερμός. Quod ad Ægyptia vina pertinet, quorum lib. α meminit Athenęus fateor quędam admodum tenuia reperiri: quod se valde admirari docet Galenus, vt mox patefaciam. In Scythia vero tantum abest vt generosa nascantur, vt ne nascantur quidem penitus: vti nec in Britannia. Quæ quidem res non animo tantum consideranda, nec argumentis inuestiganda, sed oculis etiam, an vera sit, subiicienda. Interrogatus Anacharsis, *an in Scythia tibiæ essent*: Ne vites quidem, acute respondit. Contra videmus, calidas prouincias (præferuidas non dico) nobilia vina procreare: quod tamen Galeni auctoritate, neque n. sa lat Aphrodisæus, roborandum statui. ἐγὼ γοῦν καὶ μετὰ τὴν κιλικίαν, καὶ φοινίκην, καὶ παλαιστίνην, καὶ σκύρον, καὶ κρήτην εὗρον οἴνους τοιούτους λεπτοὺς (scil. cet, καὶ ὑδατώδεις, de quib. hic sermo) ἀλλ' ὅμως, οἷον εἴρηκα, καὶ κατὰ πάντα τὰ χωρία πεδιάμενα. καὶ τόγε θαυμασιώτερον ὅτι καὶ κατ' αἴγυπτον. παχεῖς γὰρ οἶνοι, καὶ ὁσμὴν ἔχοντες, καὶ ἰσχυροὶ σφόδρα, ἐν τοῖς θερμοῖς χωρίοις γίνονται. Cedamus igitur Galeni testimonio, & quod magis me mouet, experimento, atque omnino veritati: vineamque neque glaciali mundi declinatione, neque æstuosa, curæ mortalium responderet censeamus.

Virgilius enarratur.

CAPVT XVII.

C*Onuexa polus dum sidera pascet*: Virgilius Æneid. primo. Ego reclamante vulgata codicum fide, *Palus* approbo neq; enim quo pacto polus, id est, cœlum, aut circuitus cœli, pascat sidera, in animum induco. Stoici autem, quorum fere placita amplectitur Virgilius, terræ maris, aquarum vaporibus, planetas, stellas alias, atq; astra ali crediderunt: quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere. testis in libris κυκλικῆς θεωρίας Cleomedes Cicero *lib. de nat.* Deor. 2. & Laer. in Zenone. τρέφεσθαι δὲ τὰ ἔμπυρα ταῦτα, καὶ τὰ ἄλλ' ἄστρα, τὸν μὲν ἥλιον ἐκ μεγάλης θαλάττης, τὴν δὲ σελήνην ἐκ ποτίμων ὑδάτων, τὰ δ' ἄλλα ἀπὸ τῆς γῆς. Plinius. *Sidera vero haud dubie humore terreno pasci.* Per paludem igitur, aut omnem simpliciter humorem intelligo, aut mare ipsum. quod, vt alias planũ feci, λίμνην vocat Homerus. Quid si ostendam, Seruium *palus* legisse? *Pasci* (inquit, citato nuper versu) *aquis marinis cœlestes ignes Physici dicunt.* Nisi ita esset, cur aquarum marinarũ, nihil ad polum spectantium, mentionem inferret: Cur deinceps scholiũ suũ, Lucani hoc docentis testimonio fulciret? Vnus me pungit aculeus: quo sublato, patent, omnia. is vtiq; est ꝙ Virg. *in 6 spiritum Titania astra alere*, Deum innuens, refert: hunc n. spiritũ quendã igneũ esse, per vniuersum mundum permeantem ac peruagantẽ (ab eo eorum schola depromit) cuius prouidentia, tãquam domini,

sidera sustẽtẽtur, eis vero nutrimentum, humor suppeditet: vti familiæ ac seruis heri procuratione cibus & potus alimentum accommodent, & suggerant. Quidam apud Virgilium, *per spiritum, cælestem & æthereum teporem*, naturæ seminarium, spiritumque vitalem intelligunt.

Seneca declaratur.

CAPVT XVIII.

Cothurni tragica calciamenta sunt, subleuato altius subere, vt mimi priscorum heroum in scena personas induẽtes, grandiores apparerent. Soccus vero humile est calciamentorum genus, in modum crepidarum, comœdis proprium: qui fortasse *Excalceati*, cum tragicis histrionibus collati, à Seneca Epistol. 8. appellantur. Quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet? quam multa Publii, non *excalceatis*, sed *cothurnatis* dicenda sunt? Idem epist. 77. *Vt cothurnati simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Iust. Martyr. 3.* Lucian. in Menippo: καὶ καταβὰς ἀπὸ τῶν ἐμβατῶν, πένης καὶ ταπεινὸς περιέρχεται. Nescio an recte nos per excalceatos, *planipedes* exposuerimus, actores planis, id est, nudis pedibus proscenium introeuntes. Planipedia autem dicta est comœdia ob humilitatem, argumentum eius ac vilitatem actorum: qui non cothurno aut socco vtuntur in scena aut pulpito, sed plano pede: vel ideo, quia non ea negotia continet, quæ personarum in turribus aut in cœnaculis habitantium sunt sed in plano & humili loco. Idem Seneca *lib. de ira 2. capit. 9. Fraudes, inficiationes, quibus trina non sufficiunt fora.* Cum multiplicia essent Romæ fora, de tribus intelligit Seneca, in quib. caussas orarent: quorum primum, *Romanum* nuncupatur: secundum: *Caii Cæsaris*: tertium, *Augusti*. quod hæc duo postrema ab his Imperatoribus constructa essent. Martialis: *Atque erit in triplici par mihi nemo foro.*

Idem lib. Declamationum 10. Seneca: *Nulli non impressum aliquid, quod effugere non posset. Ille Passieno, prima eius syllaba in Græcum mutata obscœnum nomen imposuit.* Ludouicus Cælius *Physsienum* appellatum putat, veluti esset mentulatus follis. Ego Paschienum arbitror nuncupatum, quasi pathicum, καὶ πασχητιῶντα, πάσχειν enim Græcis plerunque hanc significationem habet. Demosthenes περὶ στεφάνου: ὧν ἐμπεσὼν ἅπαντες ἴσασι καὶ λυμεὼν ἐκ τοῦ πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν δηλονότι. Xiphilinus: ὅτι καὶ ἰσόρροπον τῷ θέματι αὐτὸ ὄντα πασχητιῶντες. Aristoph. in Ra. commentator κωμῳδοῦσι δὲ αὐτὸν καὶ ἐπὶ τῷ πασχητιᾶν. Vnde & παχινασμός. Lucianus in Alectryone: ἐγὼ νὴ Δία καὶ τὰ πρὸς τοῦτον τι καὶ παχινασμοί.

Horatius à vitio vindicatur, & explicatur.

CAPVT XIX.

Non si tricenis quotquot eunt dies: Horatius Ode 14. lib. Carm. 2. Scriben-

Scribendum est autem trecenis. Dicimus enim, *duceni* pro ducenteni, *treceni* pro trecenteni. Idem lib. Epist. 1.

Si potes Archiacis conuiua recumbere mensis.

Ergo *Archaicis* malim, id est, rudib. & impolitis, quas prisci illi frugi homines possidebant non citrias, neque marmoreas. Græci enim ἀρχαῖον & ἀρχαϊκὸν pro simplici & agresti vsurpant, *vt annotauit Budæus.* Apud eundem poetam syluæ trisyllabum hoc versu proferendum: *Niuesque deducunt Iouem, nunc mare, nunc sylua.* Ipse autem Horatius cum lib. Sermonum 2. sic loquitur, ---- *Postquam omnis res mea Ianum Ad medium fracta est.* ——— se alieno ære obstrictum fuisse, soluendisque vsuris bona amisisse prædicat. Ad Ianos enim, qui sunt in regione basilicæ Pauli, fœneratores consistebant. Ouidius:

Qui puteal Ianumque timet, celeresque calendas.

Hos Horatius *summum* & *imum* vocat, quem P. Victor edisserit: *Iani (inquit) per omnes vrbis Romæ regiones incrustati & adornati signis, duo præcipui ad Arcum Fabianum superior, inferiorque.* Docet & hoc latius in vrbis Romæ antiquitate Cornutus.

Λεωφόρους ὁδοὺς μὴ βαδίζειν.

CAPVT XX.

Erasmus in parœmia, *Nemo quenquam ire prohibet via publica, hæsitat, iusserit ne Pythagoras τὰς λεωφόρους βαδίζειν, an contra τὰς λεωφόρους μὴ βαδίζειν*: sic enim lego. Quam dubitationem tollit in 9. Athenæus: λεωφόρους ὁδοὺς μὴ στείχειν, ἀντὶ τοῦ γνώμῃ πολλῶν μὴ ἀκολουθεῖν. & Clemens στρωματ. quinto: καὶ Πυθαγόρας οὖν ἐκεῖνα παρεγγυῶν τὰς λεωφόρους ὁδοὺς μὴ βαδίζειν, προστάττων μὲν ἐν ταῖς τῶν πολλῶν ἕπεσθαι γνώμαις, ἀκρίτοις καὶ ἀνωμαλογουμέναις οὔσαις. Ælianus ποικιλ. ἱστορ. δ'. προσέταττεν ὁ αὐτὸς Πυθαγόρας καρδίας ἀπέχεσθαι, μηδὲ βαδίζειν τὰς λεωφόρους. Philo Iudæus καὶ τοῦτ' ἀναδιδάσκει ταῖς λεωφόροις μὴ βαδίζειν ὁδοῖς. Quare apud Laertium in Pythagora, ἐκτὸς λεωφόρου βαδίζειν, μὴ expuncto, scribendum suspicor: idque ea gratia, vt omnes in eo symbolo scriptores conueniant, aut ὁδοὺς λεωφόρους μὴ βαδίζειν. Laertium quoque in Xenocrate deprauatum ac mutilum ita restituo: ἦν δὲ τὴν φύσιν νωθρὸς ὥστε φασὶ λέγειν τὸν Πλάτωνα, συγκρίνοντα αὐτὸν Ἀριστοτέλει, ὡς τῷ μὲν χαλινοῦ δέοι, τῷ δὲ κέντρου. Cicero in lib. *de Claris oratoribus*, hoc ab Isocrate, de acerrimo Theopompi ingenio, & lenissimo Ephori, indicante, dictum tradit. Idem in Epimenide Laertius: ὅθεν ἔτι καὶ νῦν ἔστιν εὑρεῖν κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς ἀνωνύμους. Ego βωμοὺς θεῶν ἀγνώστων, aut θεοῦ ἀγνώστου esse conicio, quorum in Actis Apostolorum est mentio.

Lucianus explanatur.

CAPVT XXI.

Qvod nam sit inter λιτουργεῖν, ἢ λεσβιάζειν, ac φοινικίζειν discrimen, quidue sit quod Latini capitibus illudere, aut ore mo-

irrigerari appellant, prætereo. Lactantius lib. de Vero cultu 6. *Deis illis loquor, quorum teterrima libido, & execrabilis furor, ne capiti quidem parcit.* Iuuenal.

Ingenuus & capitis quæ sint discrimina nescit.

Lucianus in Apophrade: πρὸς θεῶν εἰπέ μοι τί πάσχεις, ἐπειδὰν ἐκεῖνα λέγωσιν οἱ πολλοί, λεσβιάζειν τι, καὶ φοινικίζειν. Hesychius in voce σκυλακίζων. σχῆμα ἀφροδισιακὸν, ὡς τὸ τῶν φοινικιζόντων. Gal. ἀλλὰ καὶ τοὺς αἰσχρουργοὺς μᾶλλον βδελυττόμεθα τοὺς φοινικίζοντας τῶν λεσβιαζόντων. Erasmus in Chiliadib. pro *phœnicissare*, memoria lapsus, *phœnicissare*, & φοινικίζειν pro φοινικίζειν scribit. Ortum est autem adagium a spurcissima Phœnicum libidine, quam Græci merito ἄρρητον μίξιν nominant. Plutarc. in vita Cæsaris: ἔδοξε γὰρ αὐτὸς τῇ ἑαυτοῦ μητρὶ μίγνυσθαι τὴν ἄρρητον μίξιν. Verum fœda hæc missa faciamus. Lucian. ἐν βίων πράσει: ΧΡΥΣ. οὐ μανθάνεις, ὅτι τῶν μὲν τοιούτων, τὰ μὲν ἐστι προηγμένα, τὰ δὲ ἔμπαλιν ἀποπροηγμένα. Hęc Chrysippi ænigmata explanat in Zenone Laertius: & Cicero libr. *de Finib. bonorum & malorum* 3. Idem in dialogo Iouis & Ganymedis: καὶ βρέχειν ἐν τῷ χαράδρᾳ τοῦ ὑετοῦ. Græci Iouem ὄμβριον venerati sunt, vt testatur Strabo & Pausanias: & ὕετιον, vt Arrianus & Pharnutus, Latini *Pluuium* verterunt. Tibullus:

Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.

Seneca *lib. Natural. quæstio. 4.* carmen hoc Ouidio tribuens, *pluuius* scribit, non *pluuio*. Ego vulgatam editionem non credo. Addit memorato nuper dialogo Lucianus: καὶ ἀστέρα σε φαινοῦ πάνυ κάλλιστον. Aquarium notat, quem Ganymedem esse perhibent. Licet ἄστρον κυρίως sit, non ἀστήρ, Aquarius.

Coa vestes & Serica.

CAPVT XXII.

S*Alamis, Sunium, Cos, Ceos, quæ* (vt Varro testis est) *subtilioris vestis amicula arte lanifica scientia prima in ornatū fœminarum dedit.* Hæc cap. 13. Solinus post Plinium *lib. 11. capit. 22. Rursumque texere inuenit in Coo mulier Pāphila Latoi filia.* Ego nihil in his auctoribus immutare audeo. hoc vnum non dissimulabo, me Aristoteli libr. de *Historia animalium quinto* fauere, cuius verba hæc sunt: πρώτη δὲ λέγεται ὑφᾶναι ἐν κῷ (non Ceo) παμφίλη λατώου θυγάτηρ. Tibullus:

Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa
Texat. —— Propert. in primo:
Et tenues Coa veste mouere sinus.
Horatius Sermon. 1.
Altera, nil obstat, Cois tibi pene videre est
Vt nudam —— Ouidius:
Siue erit in Cois, Coa decere puta.

Aut cunctos hos, qui circumferuntur, codices corruptos esse, aut Hermolaum Barbarum labi necesse est, qui Ceas vestes, non

Coas

Coas appellari debere, nimio defendendi Plinij studio incitatus, falso (nisi me fallit animus) existimat. Coas autē vestes nihil a bō-bycinis differre sentio. Age nunc ostendamus, veterum auctorum testimonijs, has a sericis diuersas esse. Pleriq, bombycem vermiculum esse dicunt, omni Hispaniæ, Galliæ, Italiæ notum, setam texentem. Seres autem populi, sunt lanificio syluarum nobiles quod proprie sericum vocandum, tradunt. Auctor *lib. 6 capit* 17. & alibi Plinius. Virg. Georg. 2.

Velleraque vt foliis depectant tenuia Seres.

Claudianus:

Stamine quo molli tondent de stipite Seres.

Seneca poeta: *Quæ fila ramis vltimi Seres legunt.* Quorum opinionem confirmat Arrianus in Periplo maris rubri, Serum lanitiū ciū νῆμα σηρικὸν vocans. Dion l.b. μὴ σηρικὸν ὕφασμα ... βαρ-βάρων (non Coæ) ἔργον. Strabo lib. 15. ... σηρικὰ ἐκ ... φλοιῶν (non e vermiculis) ξαινομένης βύσσου Ammianus lib. 23. de his loquens. *Et abunde syluæ sublucidæ, a quibus arborum fœtus aquarum aspergimibus crebris, velut quædam vellera mollientes ex lanugine & liquore, mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt.* Pausanias ab his recedens, *Seres* populos a sere vermiculo denominatos putat. Seruius, apud *Seres* vermiculos esse prodit qui bombyces dicuntur, sericum facientes. idem sentiunt Suidas atq; alij complures: quibus suffragatur Cardanus, quoniam ex Indicis nauigationibus nullum præter hoc serici genus aliud esse patuerit, quod si quis cōcedat, idem nullas quoq; vestes purpureas olim fuisse nullas diceres, quod multos abhinc annos esse desierint, inepte dare poterit. Nec desunt tamen qui Seruio assipulentur, neglectosq; hodie apud Seras vermiculos sine cura cultuq, sericum in arboribus facere (e quibus detrahunt ac colligunt incolæ) literis prodant, quorum ego sermones non contemnens, id in medio relinquo. D. Chrysost. καλὰ τὰ σηρικὰ ... ὕφασμα.

Marchionis Diocmita.

CAPVT XXIII.

GAlli quondam, *vt tradit Pausanias*, equūm *Marc* appellabāt: vnde Marchiones, vt opinor, dicti. Nomen retinēt hodie Britones, quorum idioma, nisi Hunnica barbarie pollutum esset, ad veterem Gallorum linguam prope accederet. Nam German eam fuisse non credo, cū Cæsar in Cōmentarijs ... Germanos Gallice loqui didicisse ... Tacitus Gothinos Galli ca vsos Pānonica lingua, coarguit non esse Germanos. A caballo quoque multę hodie prouincię *caballeros* nominat, q primū ... pręter equites denotauit. Quidā March a marque ... quasi ... limitū duces aut ... eos ... etiamnū *marque* regni limites. ... Vopiscum, atque alios, Duces limitis ...

Thracii, Rhetici, Orientalis, Rhenani. Iulius Capitolinus in Antonio philosopho: *Armauit & Diocmitas.* Vox ea rara est [illegible], quam Ammianus Marcellinus *lib. 27.* interpretatur: *Dispersis nouissimis rebus, luxuque adiumento militari marcente, adhibitis [illegible] paucis, quos Diocmitas appellant, milites vero διμοιρίτας nuncupant, dupla stipendia merent,* vt docent nonnulli: Ælianus διμοιρίτης καὶ ἡμιολοχίτης. ὁ ἄρχων τοῦ ἡμιλοχίου καὶ τῆς μοίρας. Lucianus: ἐξυρημένον ἐφεξῆς, τάχα διμοιρίτης ὤν. Kursus in Chronologione: [illegible] διπλάσιον [illegible] ἄξιον [illegible] διμοιρίτας εἶναι. Arrianus: καὶ ἐπὶ τούτοις διμοιρίτην μακεδόνα, καὶ δεκαστατήρους [illegible] ἀπὸ τῆς μισθοφορᾶς, ἥντινα μείονα μὲν τοῦ διμοιρίτου, [illegible] ἔφερεν. Curtius lib 5 *Itaque delectum [illegible] trecentos, quos Dimichas appellant, adiungit: dorso hi [illegible] arma portabant: ceterum equis vehebantur, cum res locusque posceret, pedestris acies erat.* Nescio an hic Dimoiritas, aut Diocmitas legere audeamus: tametsi Ammianus hos nullis pene armis instructos fuisse, literis mandet.

Ouidius expenditur.

CAPVT XXIV.

H*ic vndas imitatur, habet quoque nomen ab vndis.*
Crediderim nymphas hac quoque veste tegi Hic (*inquit lib. de Arte 3 Ouidius*) colorem vndarum imitatur, & ab his nomen habet: nam Cymatilis aut Talassius appellatur, & Nymphæ, vestibus hoc colore infectis teguntur, quæ Cymatiles etiam nominantur. Ridendi porro sunt, qui Trisanellum, vndonem, symballotum, aut (*vt nos loquimur*) Camallotum, ab Ouidio intelligi opinantur; quod in eo quasi vndarum fluctus intexti appareant: cum hic non de vestium generibus, sed de coloribus tractet: Nalo. Nonnulli eorum ignorantiam subolentes, Pelagium vocari absurde existimarunt. Nos vndulatam vestem (*de qua Nonius Marcellus & Plinius*) ab vndis in ea expressis, eamque a cymatili differre contendimus. Facit & vestem vndantem, qui humeros & latera quassans incedit. Spumæ fumus, cruor, flammæ quoque a poetis vndantes dicuntur. Virg. l. Georg. 2. *Totis vomit ædibus vndam,* salutatorum multitudinem eleganter quoque *vomit,* scriptum est, vnde Theatorum *Vomitoria.* Idem lib. de Arte 1. Ouidius:

Contingent oculis crura videnda tuis.

Quæ res ita declaranda est: *sub natibus femora sunt aut feminibus per articulum quod genu vocant, crura nectuntur, quorum partes anteriores, tibia, posteriores carnosa, sura appellantur.* Celsus lib. 8. *Excipitur autem crus infra ossa ex transuerso talorum, idque ipsum super os calcis situm est. Hoc igitur, si quis mulierem tunicam parum attollat, videre potest.* Quidam per crura, femora viderentur

in hoc

in hoc Ouidiano versu accepisse: *Romanasque mulieres, quemadmodum & Spartanas φαινομηρίδας fuisse*, credidisse. cui succinere me non posse, confiteor.

Festus emendatus, ac defensus.

CAPVT XXV.

Hippagines naues sunt, quibus equi vehuntur: quas Graeci ἱππηγοὺς dicunt. haec Festus. Tu emenda ἱππαγωγούς. Demosthenes: αὐτοὺς δὲ τοὺς τοῖς ἡμίσεσι τῶν ἱππέων ἱππαγωγούς. deinde: τριήρεις, καὶ πλοῖα ἱκανά. Aristoph. in Equit. ὡς. εἰς τὰς ἱππαγωγοὺς εἰσπηδῶσι ἀνδρικῶς. Polybius ἱππηγοὺς vocat: ἐπὶ δὲ τοὺς ἐπέστησαν τὰς ἱππηγούς. Herodotus ἱππαγωγὰ πλοῖα. Idem in hoc recte censet: *Lotos arboris genus est, ex cuius materia frequenter tibiae fiebant.* Fatetur in 4. Athenaeus *vnde lotum pro fistula, vti buxum, a poetis Latinis* (Claudian. *Si buxos inflare velim.* Virgil. Æneid. 9 *Buxusque vocat Berecynthia*) *vsurpari trado. Philippus, ἱμερόεν αὐλήσασιν πολυτρήτων διὰ λωτῶν*. Alcaeus: λωτοὶ δὲ οἱ κλάζοντες. Eurip. in Heracl. ἐμοὶ χερὸς μὲν ἡδὺς ὁ λίγεια λωτὲ χάρις ἐνὶ δαί. Martial. lib. 8 *Palladiis tenero lotos ab ore sonat.* Ludouicus Caelius, *Lotum tibiarum genus epithalamium fuisse.* perperam credit. Idem Festus, non modo *Nodum in scirpo quaerere legit*, verum etiam ita legendum probat. a quo recedens ipse Caelius lib. 12 sic loquitur: *Et plane scrupus quidam (etiamsi barbare scirpum dicere nonnulli aenigma permittunt) &c.* per nonnullos, vnum Erasmum intelligens, hoc in prouerbio (*Nodum in scirpo quaeris*) prodentem. Nec vero modicum peccat Caelius, qui literato viro conuitietur, atq; eũ recte sentientem carpat: deinde Festum citet, cuius, ut docui, testimonio euictus, petiturus sit.

Claudiani loca.

CAPVT XXVI.

Non ventus quateret puppes, non machina muros: Claudian. li. in Ruff. primo. *Machina, aries, testudo.* Quidam bombardam exponunt, eamque cum Roberto Valturio *lib. de re militari* 10 ab Archimede inuentam putant: quo nil fatuum magis excogitari potest. Certo enim certius est, bombardam a Bertholdo Schuuarso monacho homine Germano, circa annum 1370. esse inuentam, nec ante id tempus ab vllo cognitam, quemadmodum & typographiam a Iohanne Gutenbergio Moguntino, quam tamen apud Indos ante mille annos extitisse legi. Idem lib. in Eutrop. 2.

— *Vertat quis marmora crine supino.* Marmora, discum marmoreum. Crine supino, ex Homero Odyss. θ. τῷ ῥα περιστρέψας ἧκε στιβαρῆς ἀπὸ χειρὸς ... ἰδνωθεὶς ὀπίσω. Idem de bello Gildonico.

Praelatoque lauas Phrygios Almone leones.

Vibius: *Almon Romae fluuius, vbi mater deum 6. Calend. Aprilis lauatur.* Lucan. in 1. *Et lotam paruo reuocant Almone Cybellem.* Sillius 8. *Et picloq; fouent Almone Cybellem.*

Et paulo infra: *Mærent indigetes* (Æneas & Romulus) *& si qui Romanæ opis* (vt Isin & Serapin, Ægyptia numina) *Aut dedit ipse deos:* Caium & Augustum Cæsarem. Valerius in Prologo: *Reliquos enim deos accepimus, Cæsares dedimus.* Idem in libello de Nuptiis Honorii & Mariæ Claudianus:

--- Ad mœnia Gallis
Condita, lanigeræ suis ostentantia pellem.

Id est, Mediolanum, quod a dimidia sue lanata, cum Galli eius vrbis fundamenta iacere vellent, effosso solo reperta, nomen inuenit. *Auctor D. Ambrosius.* Cato vero in originib sic ait. *Inde ab Insubrium principe nomine Medo Mediolanum nomen seruat.*

Valerii loca.

CAPVT XXVII.

VAlerius Maximus *lib primo, capit. de insomniis*, in æde Iouis Mariana senatusconsultum de reditu Ciceronis esse factum refert. Cicero *lib. de Diuinatione* 1. Marii monumentum ædem hanc appellat. & *Actione in Verrem*, 3. monumentum pro templo vsurpat. Idem in 2. *cap. de Massiliensium ciuitu*: *Quam consuetudinem Massiliensium non in Gallia ortam, sed e Græcia tralatam inde existimo, quod illã ẽt in insula Cea seruari animaduerti.* cui loco vnus lucem affert non procul a calce lib. 9. Strabo, Menandrum citans: καλὸν τὸ κείων νόμιμόν ἐστι φανία, ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς. Idem in 7. *Cum enim Gyges regno Lydiæ armis & diuitiis abundantissimo, inflatus animo Appollinem Pythium sciscitatum venisset.* Emendo, *misisset*: vt vera sit hæc historia. nam multi in hoc, Valerio contradicunt. Adde, *Gygem pedem in Græcia nunquam posuisse.* Idem volumine 8. *Ad Euclidem Geometram venisse.* Nescio an vlli sint, qui non Euclidem hunc esse opinentur, cuius hodie extant rudimenta geometrica. Ego vero hunc nostrum multos post Platonem annos vixisse, atque Alexandrinum, non Megarensem fuisse annotaui. Idem in 9. *Valerius cap. de quodam qui interficere voluit Augustum.* Complures in Augustum homines coniurasse, Tranquill. *in Octauio capit.* 19. perhibet. Videtur tamen L. Cinnam notare Valerius, qui præ ceteris ei insidias struxisse creditur, vt docet *Seneca lib. de Clementia primo.*

Theocritus enarratur.

CAPVT XXVIII.

KAὶ τὼς κύνας ἕλαφος ἕλκει, Theoc. Idyl. α. Erasmus. *Canes etiam trahat ac vincetur*, exponit. Glossographus cui assentior ἕλκει. canum vbera sugat. Idem Idyl 3. οὐδ' ἱππομανὲς τὸ παρ' ὀπάτων πέλοντ' ὀλαίνονται: Cur ἱππομανὲς κορυφαῖος vocet is poeta, indicatum a nobus Aristophanes. Fabulæ meminit Galenus lib. περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως ια. neque enim ἱππομανὲς nuncupati sunt ἀπὸ τὰς ἵππους ἐκμαίνειν nec a verbo ἵππω id est vro quod ad ha-

mcum

meum colorem accedant Idem Idyl.11 *μὴ μοι κύσαι ἀπὸ μάζης*, *ne mihi colaphum infringas.* in voce κύσαι χεῖρα subaudio non γνάθον, nec χείλεσι, manu autē vacua, hoc est, explicita *alapam incuti mihi.* eodem παρ᾽ ἀήθμος ἐπίβωσι παρ᾽ ἀήθμῳ κτησαμένῳ notat non *vbi pauerit.* Idem Idyl.16.

ἐν ὕδατι νίζειν θολερὰν διαειδέϊ πλίνθον.

θολερὰν πλίνθον, nondum coctum laterem, neq, exsiccatum, sed recens factum: quem quanto magis lauas, eo magis lutescit. vnde prouerbium *Laterem lauas.* idem Idyll γ.

οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα. Hoc edisserit Pollux lib.9.cap. περὶ τῶν ἐν συμποσίοις παιδιῶν. Idem Idyl.ιγ.

κυάνεόν τε χελιδόνιον χλοερόν τ᾽ ἀδίαντον.

ἀδίαντον vocari tradunt Grammatici, quasi διαπαντὸς ἄβρεχον, quod etiam Nicandro placuit Hoc accidere nonnulli putant ob siccitatem superficiei. Nos adiātinum folium humorem omnino respuere negamus: imo plerumq; eo cōspersum videri, atq; aquam plane & expanso nunc insidere, si quis leniter iniiciat, nunc etiam paruis globari orbib. dicimus Quod quidem non mautum testimoniis, sed viuentium hominum oculis examinandum ac iudicandum relinquimus. Idem Idyl. ιζ. ῥηΐδιοι γοναί *mali & illegitimi partus, non faciles.*

Virgilius declaratur.

CAPVT XXIX.

F*Ixerit æripedem ceruam licet, aut Erymanthi Placarit nemora:* Virg Æneid.6. Quem Priscianus æripedem, pro aeripedem, tetrasyllabum protulisse pro pentasyllabo, refert. *Æripedem*, nemo est qui nō moti aeris ac venti instar celerem exponat Græci ἀελλόποδα maiore cum energia dicere possent. Ego tamen *æripedem*, a voce æs æris deflecto: nam & a Græcis χαλκόπους ἔλαφος appellatur. Sophocl. in Electra, ὁ δεινοῖς κρυπτόμενος λόχοις χαλκόπους ἐριννύς. & equi χαλκόποδες ab Homero Iliad. θ. ὡς εἰπών, ὑπ᾽ ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ᾽ ἵππω ὠκυπέτα, στερρόποδε, qui nullo cursu, nullo labore fatigari queant. Ouid. Metam.7. *Ecce adamanteis vulcanum naribus efflant Æripedes tauri.* Idem Geor.1. Cereale vocat papauer, aut quod Ceres herbam hanc in templis manu gestaret: aut eam in segetib. tametsi eas valde lædat, sererēt agricolæ, vt huic deæ postea offerrent. Idem Geor.1 *Aut laqueis captare feras, aut fallere visco.* Medici quidam hibisco perperam castigant: traduntq;, maceratis eius plantæ radicibus, viscum fieri. Quod an verum sit, me præterit. Nec ignoro, Dioscoridem ἀλθαίαν ῥίζαν γλισχρὰν ἔχειν scripsisse: quod vt eos fortassis in eam opinionem pellexerit, nihil tamen in Virgilio interpollandum erat.

Balista, Catapulta, Harpagones. Dari adremum.

CAPVT XXX.

ΠΕροβόλα τε, καὶ δορυβόλα, καὶ ἅρπαγας: Iosephus ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολ.6. Scribendum est autem πετροβόλα τε, quæ balistæ sunt

Vitruuio lib. 10. δορυβόλα, *catapultæ & scorpiones*. Diod. 5. πετροβόλοις ἢ χελώναις χωστρίδες. Vegetius de Re militari 4. scribit, *balistæ non solum lapides, sed & iacula mitti*. Apud Iul. Cæsarem lib. de *Bello ciuili primo*, lego, *Catapultis saxa iaci*: sicut apud Valerium, *silices balistis*: & Ciceronem *libr.* 2. Tusculan. quæst. Ammianus Marcellinus. *scorpionibus quidem lapides, balistis autem mitti sagittas* tradit. Appianus in Libyco; καταπέλτας ὀξυβελεῖς καὶ λιθοβόλους tradit Paulus Diaco. petrarias machinas dure transferr, καὶ ἅρπαγας, *Harpagones*. Curtius in 4. *Omnia belli apparatu strenui, ferreas quoque manus, Harpagonas vocant*. Cæsar: *Hi manus ferreas atque Harpagones parauerant*. κόρακας appellat Diodorus Sicu. lib. ιζ. τοῖς δὲ κόραξι, καὶ ταῖς σιδηραῖς χερσίν, κόρακα depingit Polybius libr. primo. Moschion apud Athe. lib. 5. κόρακές τε σιδηροῖ κύκλῳ τῆς νεώς, οἳ δι' ὀργάνων ἀφιέμενοι τὰ τῶν ἐναντίων, ἐκράτουν σκάφη, καὶ παρέβαλον εἰς πληγήν. Liuius: Postremo asseres ferreo vnco præfixi, *Harpagonas* vocant milites. Appianus ἐμφυλίων ε. ἐπενόει δὲ καὶ τὸν καλούμενον ἅρπαγα ὁ Ἀγρίππας, quem Plinius lib. 7. cap 56. a manu ferrea disiungens, Anacharsim inuenisse perhibet. Nec sane prætereundú, tum ad nauales pugnas, tum ad τειχομαχίας propulsandas, coraces & harpagones idoneas fuisse machinationes: id quod memoratis testimoniis palam est. Iosephus ἰουδαϊκ. ἀρχαιολ. ιζ. καὶ ὁ κόρακ ... ... ἐν τοῖς ναυτικοῖς καταλέγει. Ex hoc manifesto liquet, non voluntariis semper remigibus vsos veteres, sed etiam compeditis, damnatique noxios quosdam solitos, vt ad metalla, ita ad triremes, aut quadriremes, qui mos in Gallia inoleuit. Valer. lib. 9. *Sed cum plenus impudentia velis, ad summum audaciæ gradū fertur, imperio Augusti remo publicæ triremis affixus est*, quod *ad remum dare*, vocat *Tranquillus*.

Iudæos sub aliis ducibus stipendia meruisse.

CAPVT XXXI.

B*Ellosse Iudæos legimus stipendiis meruisse sub aliis ducibus non legimus*: Erasmus in Lucan. Nos apud Iosephum ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας ια. eos sub Alexandro stipendia meruisse legimus: & Eusebium εὐαγγελ. προπαρασκ. 9. Hi apud eundem Iosephum libro contra Appionem primo, sub Xerxe Græciam inuadente militant, id quod ipse Chœrili poetæ carminibus probat. Sequitur paulo post: ἔτι γε μὴν ὅτι Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ συνεστρατεύσαντο, καὶ μετὰ ταῦτα τοῖς διαδόχοις αὐτοῦ, ... Sub Antiocho, forsasse contra Parthos, vt docet τῆ ἀρχαιολογίας ιγ. aut Demetrio, vt ex libris *Machabæorum perspicuum est*: aut etiam sub Ptolemæo. Eusebius εὐαγγελ. προπαρασκ. x. Fuerunt in exercitu Æmilii Galli ciuis Romani quadringenti Iudæi: Strabo lib 15. *Herodes copiis suis Antonium iuuit, atque, vt Augustum Cæsarem, bello Actiaco. Plutarchus in Antonio. Quare vituperandi non sunt, qui cum sociis vestro bello lacessiti, atque iniuria cinctu arma ferunt.*

IOAN.

IOANNIS BRODÆI MISCELLANEORVM LIBER III.

Cinnabaris.

CAPVT I.

Dioscorides lib 5. multos credidisse refert, *Cinnabarim draconis sanguinem esse.* Plinius & alii, τραγικῶς ab elephanto occisi, addiderunt. Aluilius mustus, lacrymam arboris recte esse censet, & Arrianus in Periplo maris rubri hoc sermone: γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ καὶ κιννάβαρι, τὸ λεγόμενον ἰνδικὸν, ἀπὸ τῶν δένδρων ὡς δάκρυ συναγόμενον. Cum vero ait τὸ λεγόμενον ἰνδικὸν, apparet, illis etiam temporibus alia cinnabaris genera fuisse, partim (vt opinor) adulterata ac factitia, partim metallica, *vt docet in Arcad. Pausanias, Plinius ac Theophrastus περὶ λίθων*: quæ sanguinem draconis nũcupare, vel ex hoc ridiculum puto, quod id animal ceterorũ serpentum more minimum sanguinis habeat. Pharmacopolæ quoque nostri legitimum draconis sanguinem ex plantarum quarũdam succis, alterum genus spurium, quod a mulomedicis expetitur, longe immundius ac vilius ex nugis quibusdam, quas referre pudet, conficiunt. Esse porro serpentes quosdam, membranaceis pinnis alarum instar, vtentes, memoriæ proditur: Cicero 1 de nat. Deor. cum volucres angues: quod ætate nostra, ita esse compertum. delatus enim est ad Franciscum Gallorũ regem draco pennatus, apud Sanctones a rustico, cum in eum inuolaret, ligone cæsus: hunc multi eruditi, spectatæque fidei homines, se vidisse, nobis testati sunt Putabant autem, ex transmarinis regionibus, vento pulsum in eam prouinciam, emigrasse. nam Gallia monstris huiusmodi semper caruit.

Laurum ac ficum fulmine percuti.

CAPVT II.

LAurum fulmine ici, negat Plinius *lib 15. cap. 30.* Caussam adferunt Pythagorei, quod arbor Phœbæa sit & Apollini sacra: quæ tota e poeticis delitiis pendet, quasi eius Dei templa fulmine tacta & ambusta conflagrasse, apud historicos nõ legamus. Nonnulli plantæ rotunditati id acceptum ferendum nugantur, qua ictus labatur: qui mihi videntur laurum nunquam aspexisse, in acumen potius ac fastigium, tum ipso trũco, tum etiam ramis sensim tendentem. Sunt omnino pini omnes, rotundæ magis, quibus necignis cœlestis parcit: sed ne columnis quidem marmoreis, diu multumque læuigatis ac perpolitis. Nec sane mirũ. cum omnia a cœlo decidentia obliquos habeãt ictus, nõ rectos. Quare bene & sapienter agerent πάνσοφοι quidam, si tandem cassis & futilibus argumentis hominum mendacia confirmare desinerẽt. Paucos enim abhinc annos Romę de cœlo tacta est laurus Ficum quoque tradiderunt complures, *teste in Symposiacis Plutarcho,*

fulmine nunquam afflari. quibus iure contradicant hi, qui in agro Massiliensi, his arboribus fœcūdissimo, eas vi fulguris quati, comburique, nobis referunt. Eiusdem quoque vanitatis est, credere flammæ huic vitulū marinum resistere. nam si quis de gobio aut scaro eadem comminisci auderet, ecquando mendacii eum argueremus? ecquādo, per Deos immortales, alterum horum piscium fulmine exanimatum visuri sumus?

Salamandram ac Laricem vri.

CAPVT III.

SAlamandram animal lacertæ figura, tanto rigore præditum esse, vt ignem tactum extinguat fama spargit. cui multi Dioscoridem vellicantes, consentiunt: & in his medici quoque, quos hæc refellere oportebat. Nicander in Theriac.

ἥ τε καὶ ἀσβέστοιο δι' ἐκ πυρὸς οἶμον ἔχουσα
ἔσσυται ἀκμήνος καὶ ἀνώδυνος. —

Q. Serenus:

Seu Salamandra potens, nullisq; obnoxia flammis.

Ego viuam vri posse, idque quorundam experimento, qui hoc periclitati sunt, assero: multoque magis mortuam. Galenus lib. *περὶ κρασ. γ. ὡς γὰρ καὶ ἡ σαλαμάνδρα μέχρι μέν τινος ὑπὸ πυρὸς οὐδὲν πάσχει. καταφλέγεται δ' εἰ ἐπὶ πλείονι χρόνῳ τῷ πυρὶ πλησιάσειεν.* Idem: *περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους ς. σαλαμάνδρας κεκαυμένης τὴν σποδόν.* Nunc transeo ad Laricem, quam neq; ardere, nec carbonem facere, nec alio modo ignis vi consum, quam lapides, Plinius tradit multique ante eum, a quibus ista fœneratus est. Nos eam incensam ardere, in Italia ac Rhætia sæpe animaduertimus, ita tamen vt videretur flammas dedignari, ac velle a se discutere: quod mihi in primis mirum visum est, cum Larix in earum arborum numero censeatur, quæ resinam fundunt, plurimumque ex se oleagineam substantiam emittunt

Vlyssem in Oceano non nauigasse.

CAPVT IV.

QVi Vlyssem in Oceano nauigasse putāt, id ex hoc Homerico versu, qui est Odyss. κ. *ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ νηὶ δι' ὠκεανοῖο περήσῃς.* probare nituntur. Qua in sententia tametsi Strabonem esse conspiciam, nihil tamen impedit, quin ipse quid sentiam in medium proferam. Cum Homericorū nauigiorum, quæ aperta erant, forisq; carentia, speciem figuramq; cōsidero, ea longe infirmiora ac humiliora reperio, quā vt Oceani æstum perferre quirent: quem tribus anni mensibus vix triremes egregie factæ, optima materia atq; opportune cæsa ædificatæ, sustinere valēt. *ἀσκιπύργιον* vero ab eo conditum existimare, vt opinari quosdam ait Cornelius Tacitus, summæ est amentiæ. Nam per Hispanicum, Gallicum, Britannicum Oceanum peruagari, & in Germanicum demum penetrare, aras (si diis placet) illic consecrare, bene instructæ classis

opus

opus est, non lembi a paucis remigibus agitati. Sed exstant Vlyssipo, ac alia in Lusitania eius præclara monumenta: an Vlyssis omnino exstent, dubito: Homerici, inficior. Nec tamen extra fidem est, vt multos Hercules fuisse remur, ita non vnum Vlyssem putare: quod etiam mihi videtur. Tantum autem abest vt verear, ne quis mihi Virgilium obiiciat, triremibus Æneam in Italiam transmisisse prodentem: vt in hoc ipso poeta, stomacho meo non satisfaciat: aliquot enim post excidium Troianum secula, constructas Corinthi primum triremes fuisse, docet magnus in primis auctor Thucydides. Si quis vero mihi aduersetur, atq; etiam ἐπὶ ῥινὸς πλεῖν homines vt credat, per me non stabit. quare ad reliqua pergendum.

Fabulosum esse, quod tradit Homerus, Pharum a Nilo diei cursu abfuisse.

CAPVT V.

HOmerus Odyss δ. Pharum insulam a Nilo noctis & diei cursu abfuisse prodit. Credit hoc lib a Plinius: & qui me magis caussæ diffidere, si quid dubitarem, cogeret, Strabo, cuius in huiusmodi rebus auctoritati quicquam detrahere, scelus habetur. An autem ipse a vero declinem, iudicabunt periti lectores. Qui diu multumque in mari supero & infero, quique etiam in Oceano nauigarunt, omnes vno ore mihi hac de re eos curiose percunctanti responderunt, nauem secundo vento impulsam, & (vt ἐμπειρικῶς loquar) ἢ λιγὺς οὖρος ἐπιπνείῃσι ὄπισθεν, hora vna octo passuum millia conficere posse: nos remissius cum poeta agamus, ac sex tantum numeremus. Quatuor igitur & viginti horis, qui est diei ac noctis cursus, 144 passuum millia ambulat nauis Homerica, quo spatio Pharus a Nilo aberat. Nunc quæro, qui fieri potest, vt a capto Ilio ad Alexandriam conditam, id est, 1000 plus minus annis, totum illud spatium limo Nilus congesserit? Ab Alexandri vero obitu ad hanc nostram ætatem, id est, 1800 circiter annos, ne iugerum quidem soli inuexerit? æque enim vicina tum erat Alexādriæ Pharus, ac est hodie. vt tu multa eluuionum exempla, multa terræmotuum genera, quæ heroicis illis temporibus contigisse aut fingas, aut colligas: vix tamen, cui hoc persuadeas, facile inuenias. Historici quidam Canopum Nili ostiū, ac Ægypti portum, a Canobo Menelai gubernatore illic sepulto, nuncupatum tradunt. Huius plerīq; Geographi meminerūt, qui plus mille post Menelaum annos vixerūt. Nihil igitur ex ea parte aut occupauit, aut exaggerauit Nilus, quæ 12 tātum M. passuum Alexandria distat. Æmilius Probus, in Agesilao portus, qui Menelai vocatur, mētionem facit, nec tanta annorum intercapedine litori suo quicquam annexuit flumen. Neque vero, vt docent nōnulli, inuecta a Nilo humo nata est Ægyptus: 10. quippe mundi ætates ad hanc ea explendā prouinciā nō sufficerēt. Quare no-

bis ad Diodori Siculi mythologias Chaldæorumque mendacia recurrendum esset. Aristides in Ægyptio: ἐπεὶ καὶ Φάρον ἐν τοῖς ἔπεσιν εἴρηκεν, ὅμηρος τῆς Ἀλεξανδρείας ἡμερήσιον πλοῦν ἀπέχειν Αἰγύπτου. deinde, ἐγὼ μὲν οὐκ ἔχω πιστεῦσαι. Nunc Cæsarem lib. de bello ciuili 3. emendemus *Hæc insula* (Pharus) *obiecta Alexandriæ* (*vt nunc quoque esse constat*) *portum efficit, sed a superioribus regionibus.* Tu corrige, *regibus*. ita sane legendum esse, docent quæ sequuntur, hæc nempe: *In mare iactis molibus.* quæ quidē hominum opera sunt, non regionum.

Cicero in Epist. familiaribus explanatur.

CAPVT VI.

Cicero epistola prima sic ait: *Res agitur per eosdem creditores.* Hic Rabirium atque eius socios intelligi vult, regiæ pecuniæ distributores. Crinitus & alii apud eundem, in epistola quadam ad Trebatium, *Non minus Philoctetem te præbuisti*, legendum putant. nos φιλοξένεον emendamus. Hoc ab eodem auctore lib. 2. *Vt mihi ad summam gloriam nihil desit præter nomen oppidi*: iocose scriptum est, quasi Pindenissenus cognominari gestiret, vt M. Caius a capto Coriolano *Coriolanus* nuncupatus est. Idem lib. 5. *Qui tot ingenuos: matres familias*, legendum. Sic enim loquitur Cicero orat. in Verrem 6. & Philip. 2. *Ingenui pueri cum meretricibus, scorta inter matresfamilias versabantur.* Idem in quadam ad Ligarium epistola, *Calendas intercalares priores* vocat: quod duos menses intercalares Cæsar addidisset, *vt tradunt Dion & Censorinus.* Idem libr. 16. *nec tamen te auoco a syngrapha*, γόνυ κνήμης. vbi ἔγγιον subauditur. *Consule* Erasmum in adagio *Genu sura propius.*

Tolleno, κηλώνεια, χελώνια, Catadromus.

CAPVT VII.

Tolleno, *vt ostēdit Vegetius*, dicitur, quoties vna trabs in terram præalte figitur, cui in summo vertice alia transuersa longior, dimensa medietate connectitur. Hæc machina rustici atque olitores ad exhauriendam e puteis aquam, in Gallia frequenter vtuntur. Hanc Pollux & Aristoteles in Mechanicis, κηλώνεια vocant. χελώνια autem apud Vitruuium, sunt veluti ansæ, quæ arrectariis affiguntur, in quas coniecti succularum cardines versantur. atque adeo ipsæ rotæ. quod quidem admonitione indiget: siquidem Grammatici has voces confundunt, eodemque modo scribere solent, nempe Chelonia. Magna porro est inter κηλώνεια & χελώνια, differentia, haud ita in Latina scriptura euidens. Quærunt etiamnum, vt video, Iurisconsulti, quid signent hæc Labeonis verba, *Si per catadromum seruus curreret.* Quidam, *catadromū* spatium esse, in quo præcipiti cursu agerentur: Budæus locum corruptum putat. Nos, catadromum funem protensum exponimus, per quem histriones ingrederentur, saltarent, ac decurrerēt. Tranquil. in Nerone, cap. 11. *Notissimus eques Romanus, elephanto*

superse-

superſedens, per catadromum decucurrit. Si catadromus hic *hippodromum* denotat, nihil mirum fuiſſet, hominem elephanto inſidentem per eum decurrere. Funambulos autem elephantes Romæ quondam viſos, alias ad plenum docui. Inuenio & apud Pollucem ἀνθρώπους ... & ... τ ἄρχυλ... χαινία eſſe, quæ vocabula catadromo propinqua & affinia ſunt. In cloacam vero deſcendere, eiuſdem fere olim artis fuiſſe ſuſpicor, ac ſe hodie in puteos immittere, aut in caminorum gulas repere ac ſcandere: quæ res periculo non carent.

Cur Theſeus crines raſerit. Cur altero pede nudo pugnarent Hernici & Ætoli.

CAPVT VIII.

THeſeus anteriores capitis crines raſiſſe memoratur, haud ita cauere cupiens (*vt docet Polyænus*) ne quis eum in pugna apprehenderet: ſed vt eos (*teſte Plutarcho*) diis dicaret, quod etiam feciſſe Achillem, canit *Iliad.* ψ Homerus. Ipſe vero Polyænus hãc Theſei capillorum raſuram imitatos Euboenſes, falſo quoque perhibet: ea ſiquidem ante genitum Theſeum apud eos conſuetudo inualuerat, *vti ex Euſtathio colligere licet.* tametſi, *vt ait Plutarchus,* ὅπως μὴ παρέχειν ἐκ τ̃ τριχῶν ἀντίληψιν τοῖς πολεμίοις, ἀπεκείρατο. Nunc alia tractemus. Virgilius in 7. *Hernices ſiniſtro pede nudo in acie ſtare,* commemorat: *— Veſtigia nuda ſiniſtri Inſtituere pedis. —* Seruius: *Atqui ipſe eſt in pugnantibus primus. Sed bene nudus, quia tegitur clypeo: dextrum autem tectum eſſe conueniebat, quaſi ab armis remotum.* Euripidis Gloſſematarius ſimiliter prodit, *Aetolos* τ̃ δεξιὸν μὲν ὑποδεδέσθαι πόδα, γυμνὸν δ' ἔχειν τ̃ ἀριστερόν. Thucydides vero libr. 3 de Platæenſibus, noctu clanculum e ciuitate profugientibus, ſeſeque ſurripientibus, ad hunc modum loquitur: ἦσαν δὲ οὗτοι ψιλοί τε τῇ ὁπλίσει, καὶ τ̃ ἀριστερὸν μόνον πόδα ὑποδεδεμένοι, ἀσφαλείας ἕνεκα τ̃ πρὸς τὸν πηλόν. Commentarius: ὑποδεδέσθαι τ̃ μὲν ἕνα τ̃ ποδῶν δι' ἀσφάλειαν, τ̃ δ' ἕτερον γυμνὸν διὰ κουφότητα. Ea quoque de cauſſa Hernicos & Aetolos altero pede nudo confligere ſolitos reor. Quanquam ab Euripide diſſentiens Ariſtoteles, dextro putat, quoniam (niſi fallor) vti περὶ ζώων πορείας traditur, κινεῖν πέφυκε τὸ δεξιὸν, κινεῖσθαι δὲ τὸ ἀριστερόν.

Mare rubrum falſo ita appellari.

CAPVT IX.

QVod Græci mare Erythræum, a rege Erythra, qui ibi (*vt mea fert opinio*) regnauit, vocant, hoc Latini *rubrũ* dixerunt: alii, ſolis repercuſſu talem reddi colorem exiſtimantes: alii, ab harena, terraque: alii, tali aquæ ipſius natura, *vt ſcribit Plinius.* plura adfert Strabo. Sæpenumero de multis ſciſcitatus ſum, qui tempeſtatibus in hoc eiecti, quique etiam hoc peregre in has regiones profecti, multos dies contemplati eſſent, an veritati conſentirẽt, quæ de eius rubra aqua, & harena, partim vulgo iactarentur, par-

tim etiam a claris hominibus literis mandarentur: quorũ nonnulli infantiam meam mirari, alii stultitiã ridere, qui mihi fucum fieri non sentirem. Neminem porro adhuc tam stolidum nautã reperi, qui mare illud *rubrum* nuncupatum, ab Oceano nostro quicquã differre prædicaret. Quare explosa, reiectaq. quorundã scriptorum mentiendi licentia, Curtium recte *lib.* 8. iudicantem aliquando amplectamur: *Mare certe quo alluitur, ne colore quidem abhorret a ceteris, ab Erythro rege inditum est nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt.* Hebræi quoq; Græcas nugas perosi, iam *Suph*, id est, mare caricosum. Plinio nõ repugnante, appellat, in hoc syluis refertum esse *lib* 13. memoriæ prodente. Quæ in eo arbores nascuntur, docet lib. περὶ φυτῶν δ. Theophrastus.

Lyncurium.

CAPVT X.

LYncum vrinam coire in duritiem pretiosi calculi, fateri eos, qui lapidum naturas exquisitius sunt persequuti, prodit nõ modo Solinus, sed alii complures: quos commemorare non est necesse. Hi vero longe opinione falluntur. nam qui lyncas diu voluptatis gratia in leporariis aluerunt, meientesq; μυελάκις obseruarunt, earum egestam vrinam, nunc terra, nunc harena permixtam condiderunt, & abstulerunt: ex ea tamen neque concreta, neque congelata Lyncurium nasci, vnquam deprehenderunt. Quamobrem ego cum Plinio falsum id totum arbitror: in hoc adhuc hæsitans, an ea appellatione gemma vlla reperiatur. Iosephus λιγύριυ (quod *Lyncurium* esse, cum Alberto coniicio) hoc sermone meminit, ἰνδυϊκῆς ἁλώσεως ι. ἀχάτης ἀμέθυσος, λιγύριον ὄνυξ, ὀνήλλ@. Theophrast. περὶ λίθων. καὶ τὸ λυγκούριον καὶ γὰρ ἐκ τούτου γλύφεται τὰ σφραγίδια, καὶ ἔστι στερεωτάτη, καθάπερ λίθος. Tertullian. libr. aduersus Marcio 2. Carbunculum, Saphirum, Iaspim, Ligurium, Achatem. Strabo *in* 4 de Liguribus loquens: πλεονάζει δὲ καὶ τὸ λιγγούριον παρ' αὐτοῖς. (cum tamen apud eos nullæ sint lynces) ὅ τινες ἤλεκτρον προσαγορεύουσι. Addit Solinus, ea animalia egestum liquorem illico arenatum cumulis, quantum valent, contegere: inuidia scilicet, ne talis egeries transeat in nostrum vsum. Ea pariter de caussa, ait, *castorem testiculos* suos *detiorare*, quod in vsum medelarum appetantur. Hic multa sunt, in quibus a Solino discrepare cogar, qui nullum brutum animal hominum inuidere putem. Prius enim quam bestiam vllam affectioni huic obnoxiam iudices, in hanc rationem cadere, vt sentias oportet. Tantum autem abest, vt fibrum inuidiæ plenum arguerer, vt testes eum suos morsu amputare negem, ac pernegem: vtpote enim adeo paruos habet spinæque similiter adhærentes, vt ipse eos prærodere, si maxime velit, ac sine certa sua pernitie non possit.

Serpentes in Creta esse. Cerastem, animal parere.

CAPVT XI.

IN Creta insula nec esse lupos, nec vulpes, vrsosve, atque omnino nullum maleficum animal, præter phalangium, docet Plinius *libr.* 8. quod statim arripiens Solinus: *Ager,* inquit, *Creticus lupos, vulpes, aliaq́ quadrupedum noxia nusquã educit, serpens nulla.* Aperte labitur: sunt enim (*vt ex multis Cretensibus,* spectatis atque honestis viris, quibus cum magna mihi fuit aliquando Venetiis cõsuetudo, accepi) in Creta serpentes, quorum morsus alii noxios esse aiebant, alii inficias ibant: quod etiam Plinio creditur, nullum in ea insula maleficum animal esse perhibenti, nullumq; (vt interpretamur) maleficũ serpentem, atq; ita clarum auctorem subleuamus. Nec nos a sententia depellit Diodor. libr. 4. *διὸ καὶ ἐν τοῖς ὕστερον χρόνοις οὐδὲν ἔτι τῶν ἀγρίων ζώων ὑπῆρχεν ἐν τῇ νήσῳ, οἷον ἄρκτων, λύκων, ὄφεων, ἢ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων.* Locus hic me monet, vt mihi complurium scripta modicum placere dicam, qui eo tantum nomine viperam a ceteris serpentibus distinguere solent, quod animal pariat. Id enim cerastæ quoque vsuuenire certum est. nam qui bestiam hanc discendi studio in Ægypto & Africa dissecuerunt, catulis grauidam multoties offenderunt. Quam autem circulatores Itali viperam nobis ostentant, quamq; Romę cuidam familiari meo dono datam, sępe diuq; aspexi, ea antiquorum vipera mihi non visa est.

Stipem ac tesseras spargere.

CAPVT XII.

FVit apud Romanos antiqui moris, vt qui in theatro ludos darent, multitudini ad spectaculum admissæ stipem spargerent. Cæsares in hoc postea opulentius, huberiusque, ad deliniendam plebem se gesserunt. Siquidem C. Cæsar, nummos non mediocris pretii effudit in populũ: Nero, rerum omnium missilia, tesseras frumentarias, aurum, argentũ, gemmas, naues, agros, iumenta, *vt narrat Trãquillus.* Martial. *Nũc dat spectatas tessera larga feras.* Xiphilinus in Augusto: *καὶ τέλος σύμβολά τινα εἰς τὸ θέατρον κατὰ κορυφὴν ἔρριψε, τὰ μὲν ἀργύριον, τὰ δὲ ἐσθῆτα, τὰ δ' ἄλλο τι φέροντα.* Idem in Tito apertius hæc extricat: *σφαιρία γὰρ ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἐρρίπτει, σύμβολον ἔχοντα, τὸ μὲν ἐδωδίμου τινός, τὸ δὲ ἐσθῆτος, τὸ δὲ καὶ ἀργυρῶν σκευῶν, ἄλλο χρυσοῦ, ἵππων, ὑποζυγίων, βοσκημάτων, ἀνδραπόδων, ἃ ἁρπάσαντές τινες ἔμελλον πρὸς τοὺς δοτῆρας αὐτῶν ἀπενεγκεῖν, τὸ λαβεῖν τὸ ἐπιγεγραμμένον.* Eas porro tesseras, in quibus scripta erant cessura vulgo munera, ex hac Tranquilli in Claudio Cæsare, perperam intellecta oratione, *sigillaria* absurde vocitant quidam: *Quadraginta aureos in Saturnalia & sigillaria misisset ei.* Hic, *Sigillaria, Sigillariorum dies,* Saturnalibus adiectus explico,

quibus imagunculæ in vico Romano, cui *Sigillaria* nomen, venibant: non symbola, aut tesseras. Gellius *lib. 2. cap. 3. Ostendisse mihi librum Æneidos 2. miranda vetustatis emtum in Sigillariis.* Pisanæ Pandectæ de Legat. & fideicom. *Lances numero duas leues, quas de sigillaribus emi.*

Virgilii loca.

CAPVT XIII.

NOn tantum Pan sanguineis ebuli baccis, minioque rubens, ob aeris (*vt tradunt Gussographi*) similitudinem, pingitur: verum etiam Iupiter, *Plinius lib. 34. cap. 7.* Cicero *lib. epist. fam. 9. aut etiam Polygnum miniani Iouis similem.* Pacuuius: Pausanias in Achaic. ξόανον ... ἀπὸ κινναβάρεως τὸ ἄγαλμά ἐστιν ἐπαληλιμμένον: ac reliquorum deorum simulacra. Plutarchus ἐν ῥωμαϊκ. ... γὰρ ἐξανθεῖ τὸ μίλτινον, ᾧ τὰ παλαιὰ τῶν ἀγαλμάτων ἔχριζον. Nunc, an vera sint quæ tradit Georg. primo Virgilius, consideremus.

At si virgineum suffuderit (luna) ore ruborem,
Ventus erit — Aratum vertens:
λεπτὴ δὲ καὶ ... μάλ' ἐρεύθηται, πνεύματι ἔστω.

Mox:

Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor.

Ego Aratum non video hoc potius quarto, quam tertio lunæ diei tribuisse: tametsi circa finem φθίνοντος, ἱσταμένοιό τε μηνὸς τετράδας ἀμφοτέρας commendet.

ἀλλ' ... τι τετάρτη τε πέλητοι
μέσφα διχαιομένης διχάδος γέρας, αὖτις ἐπ' αὐτὴν
σημαίνει διχόμηνος. quæ verba περὶ κρισιμ. ἡμερ. γ. explicat Galenus. Theophrastus vero, e quo superiora ad verbum Aratus mutuatur, hoc vno excepto, quod diem quartum tantum nominat, vt Virgilium a culpa vindicet, magis optem, quam arbitrer, si quis morosior repugnet: ὡς δ' αὔτως ἔχει καὶ περὶ τὸν μῆνα ἕκαστον. διχοτομοῦσι γὰρ αἵ τε πανσέληνοι, καὶ αἱ ἑβδόμαι. καὶ αἱ τετράδες· ὥστε ἀπὸ νουμηνίας εἰς ἀπ' ἀρχῆς δεῖ σκοπεῖν. μάλιστα μὲν γε, ὡς εἰπεῖν ποῦ, ἐν τῇ τετράδι· εἰ δὲ μή, ἐν τῇ ἑβδόμῃ· εἰ δὲ μή, πανσελήνῳ· ἀπὸ δὲ πανσελήνου, εἰς ὀγδόην φθίνοντος· καὶ ἀπ' αὐτῆς, εἰς τετράδα. ἀπὸ δὲ τετράδος, εἰς τὴν νουμηνίαν. Hactenus Theophrastus. Cuius ex verbis, id quod decem iam annos obseruo, ex die neque tertio, neque quarto, addo etiam contra vulgi opinionem, sexto, de ceteris certum iudicium faciundum esse, liquido constat: neque enim plus is auctor quarto, quam octauo, quam demum plenilunio, virium tribuit: nec quartum his præfert, cuius ductu atq; imperio mensis regitur.

Polysigma in oratione vitandum. Sigma.

Zeta.

CAPVT XIV.

VItandos esse tum in versu, cum in soluta oratione, *Iotacismos, lambda-*

lambdacismos, metacismos, ac aliarum literarum supra iustum decorem iterationes, monent nos Grammaticæ & Rhetoricæ artis magistri. hæ siquidem delicatas aures radunt atq; offendunt. Fugiẽdum est inprimis polysigma, vbi σ litera crebrius geminatur: quæ etiam solitaria iniucunda est. Quare metrum hoc Euripidis in Medea, *ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι*, a Platone & Eubulo poëtis Comicis irrisum, miros aliquãdo Athenis in theatro cacchinnos excitauit Athenæus in 2. *οἱ γὰρ μουσικοί, καθάπερ πολλάκις ἀρίστοξεν@ φησὶ τὸ σῖγμα λέγειν παρῃτοῦντο, διὰ τὸ σκληρόστομον εἶναι καὶ ἀναυλητικὸν αὐλῷ.* Fatetur Dionys. Halicarnass. *ἄχαρι δὲ καὶ ἀηδὲς τὸ σ καὶ εἰ πλεονάσειε σφόδρα λυπεῖ. θηριώδους γὰρ καὶ ἀλόγου μᾶλλον ἢ λογικῆς ἐφάπτεσθαι δοκεῖ φωνῆς ὁ συριγμός. τῶν γοῦν παλαιῶν σπανίως ἐχρῶντό τινες αὐτῷ καὶ πεφυλασμένως. εἰσὶ δὲ, καὶ οἱ ἀσίγμους ᾠδὰς ὅλας ἐποίουν.* Hoc libat Quintilian lib. 1. cap. 11. *Ne illas quidem circa σ literam delitias hic magister feret.* Idcirco Glossematariis quibusdam credendum non est, hoc Euripidem delectatum elemento perhibentibus. Nec valde his assentior, quæ tradit Eustathius: *ἄλλος δὲ διατύπος ἱστορεῖ, τοὺς κωμικοὺς μάλιστα ἐκκλίνειν παρὰ τὸ ἦχον σιγμὸν, καὶ ἐξήγησιν, καὶ ψόφον, ἃ τῇ τραγῳδίᾳ μάλιστα αὖ ἁρμόττοι.* Significat & *sigma*, mensam ad effigiem huius literæ Grçcæ factam, hac C figura: quę male a Grammaticis ita formatur, σ. Martialis:

Accipe lunatum scriptum testudine sigma.

Quã etiam *σιγμοειδὴς sinus* a Medicis perhibetur & *σιγμοειδεῖς τῆς τραχείας ἀρτηρίας χόνδροι.* Ludouicus Cælius ab eius elementi titulo dici pelle, ridicule censet, foribus superposito, qua nota discubituris silentium indici videbatur. Zeta vero, pro loco, in quo suscipiuntur hospites, vti & *diæta*, vsurpatur: non ab huius literæ imagine ac similitudine, vt in sigma docuimus, sed ἀπὸ τοῦ ζέειν, ab aquæ feruentis in hoc fornice, Euripo, aut περὶ τὸ ζῆν. Nec desunt, qui Dores *Zitam*, pro diætam, vti *ζαβάλλω*, pro διαβάλλω, efferre testantur.

Versus in monosyllaba desinentes. μίτρῳ διαλύειν.

CAPVT XV.

SEruius super hoc Virgiliano versu,

Sternitur, exanimisq; tremens procumbit humi bos,

pessimum esse ait, versum in monosyllaba desinentem. Sunt alii, qui non iniucundum arbitrentur. Qua de re Quintilianus lib. 8. sed præstat Græcos audire: *καὶ γὰρ τῶν ἐπῶν τὰ εἰς μονοσύλλαβόν τι μέρος τοῦ λόγου ἱστάμενα, δι' αὐτὸ περί πως καὶ κρουστικώτερα εἰσὶν, ἀλλ' οὐ σεμνότερα. οἷον, ἀμβροσίη νύξ. καὶ, ἀλλότριος φώς.* Hactenus Hermogenes. Spectatur autem in Græcis & Latinis metris tum maxime sermonis elegantia ac puritas, cum sublato rhythmo, quasi detracta persona, aut exterso fuco, nuda sese ostendunt, *vt tradit*

lib. ῥητορ. γ. *Aristoteles*: licet mendosi sint ea in parte nostri codices: neque enim διαπαθήσαντες legi potest, nec quid sit μέτρον διαλύειν, recte exposuit anonymus Paraphrastes, cuius verba hæc sunt: εἰσὶ τὸ μέτρον εἶναι δὲ λέξ. εἰ διαλύσῃς εἰς τὸ μὴ, καὶ τὸ κ, καὶ ἁπλῶς εἰς τὰ στοιχεῖα ἐξ ὧν συνετέθη φαίνονται οὐδὲν, ἢ ἄρρυθμα. Ego μέτρον διαλύειν, id est, versum soluere, sic intelligendum puto, vt si (verbi causa) ita dicam: *Cano arma, virumq. qui primus ab oris Troiæ*. Nullus quippe in hac oratione, sublatis scilicet numeris, lepos videtur. Sunt autem multa Plautina carmina quæ etiam soluta Latini sermonis nitorem retinent: sed præ ceteris Terentiana. Nobis autẽ in Encomio Euagoræ opitulatur Isocrates: ἢν γάρ τις τῶν ποιημάτων τῶν εὐδοκιμούντων τὰ μὲν ὀνόματα, καὶ τὰς διανοίας καταλίπῃ, καὶ τὸ μέτρον διαλύσῃ, φανήσεται πολὺ καταδεέστερα τῆς δόξης, ἧς νῦν ἔχομεν περὶ αὐτῶν. & Quintil. lib. 1 cap. 9.

Ὑσσοὶ σάρισσα λόγχη.

CAPVT XVI

APpianus ἐν κελτικῇ sic inquit: τὰ δὲ δόρατα ἦν τῶν ἱππέων ἃ κοντὶ ῥωμαῖοι καλοῦσι ὑσσούς. Tu corrige ὑσσοὺς. Idem ἐν ἰβηρικῇ. καὶ τοῖς ὑσσοῖς πολλοὶ τινες ἐν χερσὶ ἐκτείναι τοὺς πρώτους. Rursus ἐν συριακῇ· καὶ τὰς σαρίσσας ἐν τάξει πυκνὰς προὔβαλλοντο. Sarissa, *Curtio interprete*, hasta appellatur. *Macedo* (inquit) *iusta arma sumserat, æreum clypeum, hastam quam sarissam vocant, læua tenens*. Cum vero Ælianus in lib. *De instruendis aciebus*, sarissæ longitudinem ad cubita 14 esse tradat, quorum duo, manus auferre, reliqua 12 prominere: nemo non videt, hic sarissam Italorum & Gallorum picquam, vt Vulgus loquitur, esse, quam Xenophon ἀνάβασ. δ. δόρυ nominat: εἶχον δὲ καὶ δόρυ ὡς πεντεκαίδεκα πηχῶν, μίαν λόγχην ἔχον. Modestus *sarissas*, longissimos contos appellat, quos in elephantes Romani dirigerent. Prisci quoque λόγχην manibus retentam, vti ex Homero liquet, agitabant: plerumque etiam pili teliq; ritu eiaculabantur. Chrion προσπελάσαντες δὲ οἱ θρᾶκες πρὶν εἰς ἐφικτὸν ἐλθεῖν, ἠκόντιζον τρεῖς λόγχας ἕκαστος. Curtius, *Igitur Macedo haud dubius eminus interfici posse, lanceam* (λόγχην) *emisit*. Est autem Lancea, si credimus Diodoro lib. 6 Gallicum vocabulum. προβάλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγχίας καλοῦσι. Milites vero κλίνειν, ἐπὶ δόρυ, ἐπιστρέφειν ἐπὶ δόρυ, aut ἐπὶ ξίφος, ad dextram: ἐπὶ ἀσπίδα, ἐφ' ἡνίαν, aut χαλινὸν, ad læuam significat.

Ἡμέραι ἀποφράδες. *Dies nefasti.*

CAPVT XVII.

NOtatus est a quodam Lucianus, vt ex eius scriptis cognoscimus, quod vocem hanc ἀποφράς, perinde ac barbaram vsurpasset: quam vel hoc vno argumento ἀνέλεγκτον probare possem, quod eam Plato νόμων. ζ. in ore habuerit. ὁπόταν ἡμέραι μὴ καθαραὶ ὦσιν, ἀλλ' ἀποφράδες ὦσι. Plutarchus, περὶ τῶν ἀποφράδων ἡμερῶν

περὶ μεγάλων φρονοῦσιν. [illegible] Dionys. Halicarnass. τὴν δὲ ἡμέραν ἐκείνην, ἐν ᾗ τὸ πάθος ἐγένετο, μέλαιναν ... ἀποφράδα ... id est atram, inauspicatam & nefastam. Dicitur & ἀποφρὰς ἄνθρωπος, meo tamen iudicio parum scite. Aulus Gellius *lib. 4 cap. 19. Religiosi dies dicuntur, tristi omine infames, impeditique, in quibus & res diuinas facere, & rem quampiam nouam exordiri, temperandum est* quos multitudo imperitorum praue & perperam, *Nefastos* appellat. Ego, pace Gellii, fastos dies voco, quibus fari licet prætori tria verba solemnia. *Do, dico, addico.* quorum primum ad actiones, quibus rem dari petimus: secundum ad facta, vel rei vindicationem: postremum ad executiones pertinet, sicut & *adiudico.* His contrarios, *Nefastos* recte Latineque nominari pugno. Ouidius:

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur.

Horatius:

Ille & nefasto te posuit die.

Varro: *Vocantur dies Nefasti, per quos dies nefas fari prætorem, Do, dico, addico.* Multos prætereo. Dies vero quosdam aut Fastos aut Nefastos philosophu existimare, magna socordia est, sed quæ prope ad stultitiam accedit: nam qui semel effluxit dies, is quasi ad carceres nec retroire, nec excursum spatium idem repetere potest: iam enim auolauit.

An detractis alis exhibendæ sint cantharides.

CAPVT XVIII.

AN demtis alis exhibendæ sint cantharides, inter summos medicos controuersia est. Hippocrates, περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν. δίδοναι δὲ καὶ κανθαρίδας, ἀφελὼν πτερὰ καὶ κεφαλῆς. Idem περὶ γυναικείης φύσιος κανθαρίδας ... πτερὰ, καὶ τοὺς πόδας, καὶ τὴν κεφαλήν. Idē περὶ γυναικείων α. κανθαρίδας πέντε, ... τῶν ποδῶν, καὶ τῆς κεφαλῆς. Hic πτερὰ scilicet quæ paulo infra nominat: κανθαρίδας πέντε, ἀποτίλας τὰ πτερὰ καὶ τὰ σκέλεα, καὶ τὴν κεφαλήν. Rursus, γυναικείων β. κανθαρίδας πέντε, ἀποτίλας τὰ πτερὰ, καὶ τὰ σκέλεα, καὶ τὴν κεφαλήν. Idē περὶ διαίτης ... κανθαρίδας ... ἀφελὼν τὴν κεφαλὴν ... πόδας καὶ πτερά. Nunc Galenum περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως ... audiamus: ἔνιοι δὲ καὶ ... τοὺς πόδας ... Meminit & in calce opusculi cui titulus, εἰς τὸ περὶ διαίτης ... & Aetius lib. 6 κεφ ... Dioscor. & Plin. *Cantharidum pennas ... maleficio aduersari, in quacunque parte sit venenum* tradunt. Quod ideo mihi non probatur, quoniam eas si res ita se haberet, non auellerent Aetius & Hippocrates. Quid enim id toties inculcatū, ἀποτίλας τὰ πτερὰ, insinuat? Pharmacopolæ nostri huius opinio-

nem, in qua Arabes esse animaduerto, amplectuntur: recentes vero medici Galeni sententię applaudunt, cantharides integras dādas suadentes. Nos, in huiusmodi disputationibus fidem experimento habendam statuimus.

Multa præter canem, animalia insanire.

CAPVT XIX.

GAlenus libr. *De locis affectis*, vltimo, vnum inter animalia canem insanire his verbis existimat: μαθεῖν γάρ ἐστι καὶ τὸ τῶν κυνῶν, ὅσον ἔχει δύναμιν ἡ πρὸς τὸ παθεῖν, ἐπειδὴ ἐπιτηδειότης. οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τῶν ἄλλων ζώων ἁλισκομένων λύττῃ μόνου ἁλίσκεται τοῦτο. Idem sentit Aphrodisæus, quibus iure repugnat Porphyrius, hoc etiam morbo equum tentari docens: καὶ τέτανος λαμβάνει ἵππον, καὶ ποδάγρα, καὶ πυρετὸς, καὶ λύσσα. Deinde aliquanto inferius: ἔτι δὲ καὶ τοὺς φασὶ μαίνεσθαι καὶ ἀλώπεκας. Absyrtus, ἔγραψαί μοι ἐπερωτῶν περὶ τοὺς μαινομένους καὶ λυσσῶντας ἵππους ὅσι βοηθήμασι χρῆσθαι. Hierocles: συμβαίνει τὸ τῆς μανίας καὶ λύσσης πάθος τοῖς ἵπποις μάλιστα. διὰ καύματος ὑπερβολὴν, ἢ περισσοτέραν ὀρόβων πλείονων. &c. Palladius: *Hoc mense toto eruum adhuc seri potest, quia Martio serendum non est, ne pastu suo pecoribus noceat, & boues reddat insanos.* His profecto testimoniis nemini dubium est, præter canes, alias quoque animantes rabiem sentire: quibus lupos, vulpes & camelos admisceo. Omnia autem a cane insano demorsa animalia, in rabiem agi constat. Podagra vero laborantes equos, bis videre mihi contigit: Mutinæ semel, iterum Sellis Biturigum oppido. Aristoteles: τῶν δὲ ἵππων αἱ μὲν φορβάδες ἄνοσοι τῶν ἄλλων ἀῤῥωστημάτων εἰσὶ, πλὴν ποδάγρας. Nec quin aliquando equi insaniant, hoc libro, qui est περὶ ζώων ἱστορίας 9. inficiatur, neque etiam Plutarchus.

Seruorum hominum apud Athenienses insolentia.

CAPVT XX.

MAgnam fuisse Athenis seruorum hominum insolentiā incredibilemque pene ad omnia, quę his collibuisset, impune agenda, licentiam, indicat Philippica 3. Demosthenes: ὑμεῖς τὴν παῤῥησίαν ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων, οὕτω κοινὴν οἴεσθε δεῖν εἶναι πᾶσι τοῖς ἐν τῇ πόλει, ὥστε καὶ τοῖς ξένοις, καὶ τοῖς δούλοις αὐτῆς μεταδεδώκατε. Plautus in Sticho: *Atque id ne vos miremini, homines seruulos potare, amare, atque ad cœnam condicere, licet hoc Athenis nobis.* Caussa videtur a lege pendere, quam κατὰ μειδίου citat ipse Demosthenes: ἐάν τις ὑβρίζῃ τινὰ, ἢ παῖδα, ἢ γυναῖκα, ἢ ἄνδρα τῶν ἐλευθέρων, ἢ τῶν δούλων, ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ εἰς τούτων τινὰ, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος ἀθηναίων οἷς ἔξεστιν. Subdit illico: ἀκούετε, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τῆς νόμου τῆς φιλανθρωπίας, ὃς οὐδὲ τοὺς δούλους ὑβρίζεσθαι ἀξιοῖ. Nec ab eo discordat Xenophon, in Libello, cui titulum fecit ἀθηναίων πολιτεία· τῶν δούλων δ᾽ αὖ (inquit) καὶ τῶν μετοίκων πλείστη ἐστὶν

ἀκόλασ-

ἀθλώησι ἀκολασία. καὶ ὅτι παίζουσι ἔξεστιν αὐτόθι, ὅτι ἐπικηδεύεταί τις ὁ δοῦλος. Deinde ait: εἰ δὲ τις καὶ τοῦτο θαυμάζει, ὅτι ἐῶσι τοὺς δούλους τρυφᾶν αὐτόθι, καὶ μεγαλοπρεπῶς διαιτᾶσθαι ἐνίους, καὶ τοῦτο γνώμῃ φανοῖεν ἂν ποιοῦντες. & reliqua. Athenæus in 6. ἀθλιωτάτη δὲ καὶ τῆς τῶν δούλων μετιόντες τύχης, ἐνόμοθέτησαν καὶ ὑπὲρ δούλων γραφὰς ὕβρεως εἶναι. Atqui hæc abunde sufficiant ad inferendam, quem citauimus, cum Plauto, tum aliis etiam scriptoribus lucem, de seruorum hominum apud Athenas intemperantia disputãtibus: quos longum esset, & non necessarium, referre.

Aristophanes illustratur.

CAPVT XXI.

Σῦκινος Græcis non tantum fragilem, & ad omnia ferme inutilem significat, vnde & συκίνη ἐπικουρία pro debili: verum etiam πικρὸν καὶ δριμύ. Aristophanes in Fucis, φέρ' ἴδω τίνος ξύλου σύ. φιλο. συκίνου βδελ. νὴ τὸν δί' ὅσπερ γ' ἐστὶ δριμύτατος τῶν καπνῶν. Theophrast δριμύτατος δὲ ὁ καπνὸς συκῆς. Quærit etiam in Symposiacis Plutarchus, τί δή ποτε πίων καὶ γλυκὺς οὕτως καρπὸς ἀπὸ δριμυφύτου πικροτάτου: vbi, ex eo ligno fumum exsistere acerrimũ ac molestissimum perhibet. Si qua igitur apud Lucianum ratio Alexandrum pseudomantem impulit, vt Epicuri κυρίας δόξας ficulnis cremaret lignis, ea (vt opinor) fuit, non vt eum nullius pretii philosophum iudicaret. Idem in Pluto Aristophanes: φορῶ γὰρ πριάμενος τὸν δακτύλιον. Hunc quidam φαρμακίτην καὶ φυσικὸν appellant: cuius Lucianus in Dialogo meminit, quem πλοῖον ἢ εὐχαὶ nuncupauit. ἐγὼ δὲ βούλομαι τὸν Ἑρμῆν ἐντυχόντα μοι δοῦναι δακτυλίους τοιούτους τινὰς τὴν δύναμιν· ἕνα μὲν, ὥστε ἀεὶ ἐρρῶσθαι καὶ ὑγιαίνειν τὸ σῶμα καὶ ἄτρωτον εἶναι, καὶ ἀπαθῆ· ἕτερον δὲ, ὡς μὴ ὁρᾶσθαι τὸν περιθέμενον, οἷος ἦν ὁ τοῦ Γύγου. Quidam huiusmodi annulos construendos docent, quando stella aliqua ascendit fortunata, & a luna feliciter aspecta, vel cum ea iuncta, tuncque lapidem herbamque huic stellæ subditam, capiendam præcipiunt, huicque metallum conforme. Quæ vt nugas omnium maximas vecordumque nebulonum deliramenta, prætereo, prætereundaq; censeo. His scilicet nugis freti dormientes Plato & Aristoteles, multarum rerum cognitionem habuerunt: his inquam Alexander, Caius Cæsar, multa feliciter bella gesserunt. Nec pudet homines non indoctos, aniculis ludibrio esse.

Luciani dialogus, cui titulus ἁλιεὺς, ἢ ἀναβιοῦντες, expenditur.

CAPVT XXII.

Ὠς πήρα πλήρεις. Alludit ad hunc Homericũ versum Il. β. Lucianus: ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ φῦλα δὲ φύλοις.

Ferebant autem peram & baculum aliquando philosophi, sed in primis Cynici. τὴν ἀξίαν, δίκην, θυέλλης ὀργῆς. Homerus Il. ζ. θ. μενέσαθι δὲ θυέλλης ἀλκῆς. κρατῆρας. Ætnæ crateres, in quos præ

cipitem se dedisse memoratur Empedocles, λακισθὲν ἐν πέτραισιν. Placet κάκιστον est autem Euripidis senarius φωτὸς ἱκεσίου, δίος. ὀμηρικὰ ἀλίγα Il χ. τὰ δὴ φιλέχετο σοφοί τοῦ Homer. Il ζ.

> ζώγρει ἀτρέος υἱέ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα,
> πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται
> χαλκός τε χρυσός τε.

Lucianus e suo, μὴ δὴ φιλέχετο τι φειδοῦς, addidit μὴ δὴ μοι φύξιμα. Est hic & Homeri versus Il κ. vt ille quoque λάινον ἕσσο χιτῶνα. Il γ. μὴ κλῆσαι. Euripidis carmen. ἵππον ἐκεῖνος ἐς πεδίον τὸν ἵππον. Hoc est, quod dici solet, *Equum in planitiem*. Erasm. in adagio. *Equus in planitiem*, quod ita enodat Eustathius. ἵππος εἰς πεδίον. αὐτὴ γὰρ εἰς πεδία ἄγουσι ἵπποι ὅταν χρήσιμοι, ἐάν τις ἐπὶ νέος ἵππου καθέζηται, ἐξεφαυλίζετο παρὰ τοῖς σοφοῖς, ὃ αὐτὸς καὶ στρατεύεσθαι κατὰ νοῦν εἶχε. ἐν τῇ χρείᾳ. in ferro & armis.. ξυμπαραβηθεὶς. Emenda, ξυμπαραβυθεὶς. ὦ πολιάς O *Minerua*. αἱ μέλαιναι. ψῆφοι τῆς σωτηρίας. ψῆφον, *albam* scilicet. Hæc ad fabulam de iudicio Orestis spectant, in quo & Minerua auxilium tulit, ac suo illum suffragio liberauit. ὡς ὁ μέγας Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. Lucianus Platonem subsannat, cuius in Phædro verba hæc sunt: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. πεισθεὶς *Communem omnium caussam*. οἱα ὅπως ἀπέθανε Corrige οὕτως. τὸ ὕδωρ. *clepsydra*. πλείοσι κρατήσας, *pluribus suffragiis* ἀριστοφάνει in Nebulis. καὶ ὁ θεός. *Bacchum*. μίνιππον Consule in eius vita Laertium. ἀναπιμπλῶσιν. Castiga, ἀναπιμπλῶσιν ἔγχει *aquam infunde*. εἰ ἄρα τοῦτον. Lege, ἢ ἄρα τοῦτον. καὶ οὐ τοὺς λόγους ἐποιεῖτο. Placet, προσεποιεῖτο. ἀγῶνα ἐρήμην. *indicta caussa*. τοῖν θεοῖν. *Cereris & Proserpina*. ἐκ παλαιοῦ. *iam olim*. πλημμελέστατα. Homerus, ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. ἀπαίσιος. ψῆφοις ὦ μεγαλοσεμνότατε. Hoc in fine quarundam tragœdiarum apud Euripidem videre licet. ὁ δεύτερον κρατῆρος, aut id a *combibentibus ac commessatoribus* translatum, aut ad clepsydram reiiciendum. δύο χρυσοῖο τάλαντα τῷ δόμεν, ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴπῃ. Homerus Iliad σ.

> κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δύω χρυσοῖο τάλαντα,
> τῷ δόμεν ὃς μετὰ τοῖσι δίκην ἰθύντατα εἴποι,

ἀνάκειον. Pollucis & Castoris templum. ὅσα τε φύλλα. Homer. Iliad. β. χρήματα. quæ inter bona annumerant Peripatetici. φυτικόν. Placet πυθικόν. μαχαιρίδιον πυθικόν. *Delphicum gladium*. ἐν χρῷ. ἐν χρῷ, *ad viuum, ad cutem*. ἢ ἐγκαυστέον. quo modo prisci fugitiuorum frontem inurebant. ἀλωπεκίας vulpe notatos. ἱέρεια de qua supra Lucianus. ἀνέθηκεν. diis dicauit. διαθρυλοῦνται. deinde ἱέρεια non παρρησιασθεὶς. ἐκ τοῦ πελασγικοῦ. Pelasgicū, locus fuit Athenis. ἰχθῦν Lege ἰχθῦς αἰεὶ cū multi sint pisces. μὴ καὶ ἐμπρήσωμεν Supra, μίαν ἡμέραν ταύτην παραιτησάμενοι, ἥκομεν ἐπ' αὐτ.

An sola animalium coturnices, præter hominem, morbum comitialem sentiant.

CAPVT

CAPVT XXIII.

SOlas animalium coturnices, præter hominem, morbum comitialem sentire, putarunt Plinius & Solinus, quorum auctoritati acquiescendum putarem, nisi Hippocrates, aut alius in libello περὶ ἱερῆς νούσου, capras & oues hoc eodem morbo tentari proderet: γνοίη δ' ἄν τις ἐν τοῖσι μάλιστα ζώοισι τοῖσι προβάτοισι τοῖσι καταλαμβανομένοισιν ὑπὸ τῆς νούσου ταύτης, καὶ μάλιστα τῇσιν αἰξίν. Accipitres quoque, capos & graculos, male habet epilepsia: cui nemine adhuc eâ laborantib. auibus nouum nomen indidisse suspicor. Venio nũc ad explicandas, quæ de eo morbo increbuerant, fabulas, ab Hippocrate, aut alio, citato nuper volumine delinatas: ἢν μὲν γὰρ αἶγα μιμῶνται, μητέρα θεῶν φασὶ αἰτίην εἶναι. Rheæ quippe sacerdotes, gracili clamore caprinum referente, vtpote castrati, ac caput rotantes, eius deæ sacra faciebant. καὶ φασὶ Ποσειδῶνα. Idque ob maris strepitum: aut quod Neptunus in equum mutatus, Cererem constuprarit, primumque equum ex ea ediderit, aut certe terra effuderit. ἐνοδίη. Dianæ, quæ in triuiis olim colebatur. Ἀπόλλων νόμιος. Credo, quod in pascuis canãt volucres. Ἄρης τὴν αἰτίαν ἔχει. Nam bellicosi plerumq; homines, in ipso cõflictu spumas in ore agunt. Homer. Iliad. ο. ἀφλοισμὸς δὲ περὶ στόμα γίνετο. Ἑκάτης φασὶν εἶναι Hecaten nocturnis huiusmodi visis, spectris ac terroribus præesse, credidit antiquitas.

Quintilianus enarratur.

CAPVT XXIV.

VT Cæcilius *quadrantariam Clytemnestram*, in triclinio *Coam*, in cubiculo *Nolam*: Quintilian *lib.* 8 *cap.* 6. Hoc grypho Cæcilius in mulierem quandam inuehitur, *quadrantariam Clytemnestrã* eam vocans. Clytemnestram, quod vt illa Agamemnonis Clytemnestra nuptias contaminauit, ita hæc marito fidẽ fefellisset. Quadrantariã vero, quoniã vili pretio sui copiã faceret. hoc sane nomen Clodiæ Metelli Celeris vxori impositum est, ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον, ὡς ἀργύριον εἰσέπεμψε: ait Plutarchus. non quod artem balneariã exercens, quadrantem, vt tum vsus erat, ab his exigeret, qui lauarent, vt perhibent nonnulli, quos (vt video) Tulliana hæc pro M. Cælio verba in errorem pepulerunt. Nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. *In triclinio Coam*: id est, impudicam, & aliam Venerem, quæ etiam in ludo talorum *Coa* dicta est. Quidam, ad verbum Coco allusionem esse arbitrãtur. In cubiculo *Nolam*, quia nollet & reluctaretur amantibus: hoc est, in conuiuio meretriciis sermonibus, ac blanditiis homines illicientem: in cubiculo vero, iam sui dissimilem, negantem. Quibusdam videtur a duobus oppidis *Co* & *Nola* iocum trahi. Nos idcirco, neque per *Choam* bibacem, a *Choa* mensura, neque per *Nolam* loquacẽ, vocatã auguramur. Fuerũt enim, vt nolæ pri-

scis illis ignotæ, ita ipsum vocabulum inauditum. Choa vero peregrina dictio, Romanas aures in hoc ænigmate non perinde titillasset.

ᾠὰ ὑπηνέμια. Oblongane, an rotunda oua, mares gignant.

CAPVT XXV.

GAllinæ neque plumis oua fouent, vt videtur tradere Ouidius *Fast 1.* neque sympathia quadam; sed calore tantum, quem pennæ adiuuant. Si enim arcana vi quadam, nobis obscura, ouis tantum suis incubarent, atque ex his pullos excluderent, paullulum hærerem: cum vero eas & anatum, & anserum oua fouere, vnusquisque quotidie videat, omniaque hyeme operosius, quid est, quod de eo amplius dubitet? Fuit & patrum nostrorum memoria vir quidam in Gallia Neapolitanus, qui lentis temperatisque ignibus oua perficeret: id quod hodie passim in Ægypto factitari, peruulgatum est: (non eo quo olim in ea prouincia modo, ac Syracusis, quem tradit Aristoteles) suppositis vno plerunq; in furno plus tribus ouorum millibus. Nugantur vero impudenter, qui ex ouis, quæ Græci ὑπηνέμια, οὐρμιαῖα & ζεφύρια vocant, pullos nasci tradunt: quos reprehendit libro περὶ ζώων γενέσεως γ. Aristoteles, τὰ μὲν οὖν ὑπηνέμια λαμβάνει τὴν γένεσιν, μέχρι τοῦ ἐνδεχομένου αὐτοῖς τελειωθῆναι μὲν γὰρ εἰς ζῷον ἀδύνατον. & Galenus: ἔστι δὲ δὴ τοῦτο κἀπὶ τῶν ἀλεκτορίδων εὔδηλον. κυΐσκονται γὰρ αὗται τὰ ὑπηνέμια καλούμενα τῶν ὠῶν, ἄνευ τῆς πρὸς τοὺς ἄρρενας ὁμιλίας. εἰς ὅτι μὲν εἶδος τι πρὸς τὸ τέλειον, ἐκ τοῦ μὴ δύνασθαι ζῷα ἐξ αὐτῶν γεννηθῆναι δηλοῦται. Vtra autem marem oua gignant, oblonga ne & acuta, an rotunda: ipse indicat lib. de *historia animal 6.* Aristoteles: ἔστι δὲ τὰ μὲν μακρὰ καὶ ὀξέα τῶν ὠῶν, θήλεα· τὰ δὲ στρογγύλα, καὶ περιφερῆ ἔχοντα κατὰ τὸ ὀξὺ, ἄρρενα. A quo *libr. 7.* discrepat Columella: *Cum deinde quis volet quamplurimos mares excludi, longissima, quæque & acutissima oua subiiciet: & rursus cum fœminas, quam rotundissima.* Cui succurrit Plinius: *Fœminam edunt, quæ rotundiora gignuntur: reliqua marē.* Auicenna Aristotelem tuetur, eiusq; opinionem & experimento & physicis argumentis fulcire conatur. Ego neutris adhæreo. Video enim, & quod Aristoteli placet, quodque ei aduersus probat Columella, nonnunquam accidere, nullamque omnino huiusce rei fixam certamq; esse regulam. Nec abs re erit, si priusquam ab ouo discedam, hoc quoq; mihi compertum esse profitear ex albumine pullum nasci ac luteo seu vitello nutriri, contra quam primæ classis medici suspicentur.

Sophoclis loca.

CAPVT XXVI.

OY δραπέτην τὸν κλῆρον ἐς μέσον καθεὶς ὑγρᾶς ἀρούρας βῶλον: Sophocles in Aiace Mastigophoro. Veteres Græci in vrnam sortes, id est, calculos, aut ex humo fictos globulos, nota quadā, qua suum quisq;

um quisque agnosceret, signatos, coniicere solebant, qui vero primi exibant, hi prædam aliudue commodum, aut e contra periculum ac mortem, pro placita conditione, sortiebantur. humidi vero calculi, vasis fundo adhærentes, tardius exibant, ocyus sicci. huius ducendarum sortium consuetudinis meminit Iliados γ. Homer. vnde Horatius *Serius ocyus sors exitura.* οὐ δραπέτην. pugnam fugientis ac detrectantis hominis. ὑγρᾶς δρουέρας βάλεν. Hoc ad historiam Cresphontis, summis digitis a Glossographo delibatam, videtur spectare, quam Apollodorus libr. 2. Polyænus lib. Stratagem. primo luculenter enarrant, & Pausanias in Messeniacis. Idem eadem tragœdia Sophocles: οὐκ ἔτι. λαμπρᾶς γὰρ ἄπερ στερπᾶς ἀΐξας νότος ὡς, λήγει. Hoc est, *tum a morbo statim recreatur, cum eum miserrime cruciauit.* Noti porro cessare cupientis, hoc indicium est, si magis ac magis augescat. Aristoteles in Problemat. διὰ τί ὁ μὲν βορέας ἀρχόμενος, μέγας, λήγων δὲ, μικρὸς, ὁ δὲ νότος ἀρχόμενος, μικρὸς, λήγων δὲ, μέγας. Et. διὰ τί ὁ νότος ἀρχόμενος μὲν μικρός ἐστι, λήγων δὲ μείζων γίνεται, ὁ δὲ βορέας ἀνάπαλιν. Consule Suidam in voce στερπή.

Plautus illustratur.

CAPVT XXVII.

Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram: Plautus in Aulul. Hoc est, cœpit salire ac palpitare. Idem in Cistell. *Iam horret corpus, cor salit.* Id metu accidere, quosdam existimare philosophos, prodit in Arato Plutarchus. Fuit apud Romanos moris, vt domo egrediens noua sponsa, limen transiliret, Idem in Casina: *Sensim super attolle limen pedes noua nupta.* Catull. *Transfer omine cum bono Limen laureolos pedes.* Lucanus 2. *Tralata vitat contingere limina planta.* Plutarchus. ἐν ῥωμαϊκοῖς. διὰ τί τὴν γαμουμένην οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸν οὐδὸν τῆς οἰκίας, ἀλλ' ὑπεραίρουσιν οἱ προπέμποντες. Idem in Casina: *Vbi tu es, qui colere mores Massilienses postulas?* Hoc est, molles. aiunt enim, ipsos Massilienses delicato muliebrique cultu vsos. Athenæus: μασσαλιῶται δ' ἐθηλύνθησαν. αἰσχημονοῦσι γοῦν διὰ τὴν ἐν ταῖς ψυχαῖς μαλακίαν, διὰ τε φιλογυναικοπαθοῦντες. ὅθεν καὶ παροιμία παρῆλθεν, πλεύσειας εἰς μασσαλίαν M. Tullius & Strabo eius vrbis disciplinam ac seueritatem mirifice collaudant: nec tamen eos inter se discrepare auctores sentiendum. Credibile est enim, ipsos Massilienses diuersis quidem seculis & molles, & effœminatos, cōtra graues ac fortes extitisse: & vna quidem ætate parce ac duriter vixisse, alia luxuria & lasciuia diffluxisse. Quocirca Athenæum de Massilia Gallica loquutum suspicor: licet Hecatæus & Thucydidis commentator alteram in Aphrica nominent. Quis vero Rempub. Romanam, ex pulcerrima & optima pessimam ac flagitiosissimam factam ignorat? Ipsi vero Massilienses a Phocaensibus oriundi sunt: non Phoceasibus, vt millies typographorum incuria excusum osten-

des. Senex autem Acheronticus, apud eundem Plautum, capularem, mortique proximum significat.

Bestias quasdam esse, quæ in suum genus sæuiant.

CAPVT XXVIII.

PAuca suspicor esse eiusdem speciei animalia, quæ non de venere ac pastu inter se dimicent: quod attigit lib. *de Historia animal.* 8. Aristoteles. Si quis tamen id, in suum genus sæuire, vocandum non putet, ac Iuuenali suffragetur, *Parcit cognatis maculis similis leo:* —— & Horatio, *Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus, nunquam nisi in dispar feris* (vbi feris adiectiuum nomen est, cum voce hac *leonibus* copulandum: & in vocabulo *dispar genus* subauditur) bestias quasdam tamen inueniet vsque adeo immanes, vt cum natura ipsa bellum gerere videantur, quarum in numero primas meretur *hippopotamus*, qui patrem, vt matrem ineat, si vlla ratione potest, interficit. Sed vt e proximo petamus exempla, esse quædam scropharum, domesticarumque felium genera videmus, quæ suis fœtibus vim adferant, eosque mandere non dubitent: a quo scelere non abhorret olor, teste Aristotele, neque thymna, quæ vt ex se pepetit, statim suam procreationem eiecto parentis animo deuorat. Polypi quoque acerrima edacitate esse dicuntur persæpeque inter se non abstinent, sed a maiore minor editur. Onager testes pullorum suorum, eos tanquam riuales pertimescens, morsu amputare traditur. Horum tamen fides sit penes auctores. Viperam autem marem a fœmina, capite in os eius inserto atque abroso necari, tam nugatorium est, quam eius bestiæ catulos, adeso matris vtero ac lateribus, paternæ necis vindices in lucem erumpere. Theophrastus autem scribit, eos parentis vterum exedere atque conficere, sed eam vteri angustiis compulsam non parere, sed dirumpi. Siquidem marinæ acus, quod sint pertenues, duroque cortice, & minime tortuosum aluum, fœtuumque capacem habent, ideo incrementum non sustinentes, dirumpuntur. Non igitur eos pariunt, sed expellunt viperarum modo, atque eiiciunt.

Cur magnes ferrum ad se trahat. Nautica pixidicula.

CAPVT XXIX.

QVid est, cur magnes seu Heraclius lapis, (nam hos temere separat Hesychius) ferrum ad se trahat? ingens inter philosophos pugna est. Aristoteles περὶ ψυχῆς α. ἔοικε δὲ καὶ Θαλῆς ἐξ ὧν ἀπομνημονεύουσι κινητικόν τι τὴν ψυχὴν ὑπολαμβάνειν, εἴπερ τὸν λίθον ἔφη τὴν ψυχὴν ἔχειν, ὅτι τὸν σίδηρον κινεῖ. Galenus περὶ στοιχ. β. φυσικὴ γάρ τίς ἐστι δύναμις ἑλκτικὴ τῶν οἰκείων ἑκάστῳ τῶν ὄντων, ὥσπερ ἐν τῇ λίθῳ τῇ ἡρακλείᾳ τοῦ σιδήρου. Clemens Alexand. ἕλκει τὸν σίδηρον διὰ συγγένειαν. Gregorius. ἀρρήτῳ τῇ φύσεως βίᾳ. Cecropis. τὴν μαγνῆτιν λίθον ἐρᾶν τοῦ σιδήρου. Epicurus, atomis ad se quasi vncis duci: alii ἀπορροίαις τισὶ ῥευματώδεσι, teste Plutarcho. Quidam magnetem ferrum appetere tanquam cibum, quo vitam sustentet, eaque lapides

omnes via viuere, probare non cessant. Nos τῇ ἀρρήτῳ ἰδιότητι id fieri putamus. Nonnullæ porro, pluresque huiusmodi sententiæ, quas referre piget, indignæ sunt, quæ confutentur, præter vnam Galeni, cui succinit Clemens: quæ ideo mihi non arridet, quod permulta, varias res ad se deriuent, cum quibus nulla est prorsus συμφυΐα. Quæ enim Rhabarbari cum flaua bile, quæ agarici cum pituita οἰκειότης? alia sileo: quæ succini cum paleis, quæ adamantis cum festucis, quæ plantę cuiusdam cum sanguine, cum (vt tradit ipse Galenus) allicientis affinitas? Alter restat scrupulus. *Quid est, quod pyxidiculæ nauticæ extremum perpendiculum temperati magnete ferri ad polum semper sese conuertat?* hoc etiam ingenio humano obscurum suspicor. Nam qui montes sub polo arctico esse vaticinantur, ferro & magnete confertos, idque ea idcirco ratione fieri contendunt, plurimum peccant. Qui enim septentrionales regiones peragrarunt, ac de his iampridem libros in lucem emiserunt, negant vllos illa in plaga montes esse, ne Riphæos quidem, reluctantibus licet Geographis. Adde, magnetis ferrique copiam in Hispania, & illa vicina Corsicæ insula, non in Septentrionalibus tantum prouinciis nasci. In hoc vero præcipue ieiuna eorum labascunt argumenta, quod si quando æquinoctialem circulum transgrediantur nautæ, haud amplius polum arcticum illud pyxidis perpendiculum spectare vident, sed iam austrinum. Qua etiam in parte si montes ferri & magnetis fertiles esse, quis ambigat, is demum pertinacior ac tardior esse pergit, quam vt a nobis amplius aut docendus, aut monendus esse videatur.

An amnis vnus omnium Nilus nullas auras exspiret.

CAPVT XXX.

NIlum amnem vnum omnium nullas exspirare auras, testatur lib. quinto Plinius: quod multa ante eum secula scriptum reliquit in Euterpe Herodotus. τῆς αὔρης δὲ πέρι, ὅτι οὐκ ἀποπνέει ἀπὸ τοῦ Νείλου, τήνδε ἔχω γνώμην, ὡς ἐκ τῶν κάρτα θερμῶν χωρέων οὐκ οἰκός ἐστι οὐδὲν ἀποπνέειν. αὔρη δὲ ἀπὸ ψυχροῦ τινὸς φιλέει πνέειν. Si quis his quæ ab Herodoto adferuntur, tanquam Apollinis responso acquiescat, eadem de omnibus generatim fluminibus, quæ sub eodem climate enascuntur, iure existimabit: nedum de his quæ ad æquinoctialem propius accedunt. Quare omnes Aphricæ amnes auram nullam spirabunt. Cum enim imbecillus solis calor, eam sursum trahat, nec dissipet tamen, quod sub ortum & occasum eius in his regionibus fieri videmus: quid est quod in feruentissimis locis non hanc impensius depascatur & absumat, quam in Ægypto? Hoc igitur nequaquā priuatim Nilo accidit, sed id is cum Aphricanis ac Æthiopicis fluuiis commune habet, quod etiam in libello περὶ ἀνέμων Theophrasto videtur. ἐπὶ μέσου δὲ τοῦ Νείλου δοκοῦσιν οὐκ ἀποπνεῖν αὖραι, ἢ ἐλάχισται. διότι θερμὸς ὁ τόπος, καὶ ἐξ οὗ, καὶ εἰς ὃν ῥεῖ αὖραι πνεουμένου τοῦ ὑγροῦ εἰσι.

διὰ καὶ οὐδ' ἀπὸ τῶν ἐν λιβύῃ ποταμῶν, οὐδ' ἀφ' ἑνὸς αὔραι οὐδαμῶς. Atqui quem in Syria *ἀναύρους*, ac item in Thessalia nominant, ambos ego eo vocatos nomine credo, non quod auram nullam ex se exhalant, sed quod pertenuem. idemque de Nilo iudico. Neq; porro priuatiuæ Græcę particulæ vniuersam penitus rem euelliunt ac extrahunt, sed plerunque, si maximam eius partem resecent ac circumcidant, contentæ sunt: quod alias abunde patefeci.

Virgilius declaratur.

CAPVT XXXI.

Δαυνίοις δὲ μήλων τύμβον ἐγκοιμωμένοις, χρήσει καθ' ὕπνον πᾶσι νημερτῆ φάτιν. Hæc Lycophron. Virgilius in 7.

Pellibus incubuit stratis, somnosque petiuit.

Tzetzes vtrunque poetam edisserit. ἐν Δαυνίᾳ ὁ Δαύνιος, ἤτοι οἱ Καλαβροὶ, ἐν μηλωταῖς καθεύδειν ἐν τῷ τάφῳ τοῦ Ποδαλειρίου, καὶ καθ' ὕπνους λαμβάνειν χρησμοὺς ἐξ αὐτοῦ. Strabo lib. sexto hoc attigit. Virgilius autem *ποιητικῶς* historiam paululum immutat. Nec desunt, qui ad Amphiarai oraculum eum alludere opinentur: cuius rei iudices sint lectores. Pausanias in Attic. προεξειργασμένων δὲ τούτων, κριὸν θύσαντες αὐτῷ, καὶ τὸ δέρμα ὑποστρωσάμενοι, καθεύδουσιν, ἀναμένοντες δήλωσιν ὀνείρατος. Idem Æneidos 4. Virgilius:

——Rapido pariter cum flamine portant.

Quæ quidem alæ æque celeriter eum portant, ac venti feruntur. ex Homero Odyss. α.

ὥς εἰπὼν ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα,
ἀμβρόσια, χρύσεια, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν,
ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.

Eustathius: ἅμα πνοιαῖς ἀνέμου, ἤτοι ὁμοίως ἀνέμοις. Glossulæ, ἰσαἀνέμως.

Herba Promethea.

CAPVT XXXII.

HErbam Prometheam ad dirimendas dissuendasque amicitias plurimum posse, autumat lib. 1. Propertius.

Inuidia fuimus, num me deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis diuidit (amantes separat) *herba iugis?* id est, in monte Caucaso, in quo Prometheum scelerum suorum pœnas luisse, translatitium est. *Apollonius* 3. *Argonaut.* Planta hac contrita, eam φάρμακον προμήθειον vocans, si quis corpus liniat, re diuina Proserpinæ facta, illumque neque ferro vulnerari, neq; igni lædi posse scribit.

ἦτ' ἂν ὅγ' οὔτε ῥηκτὸς ἔοι χαλκοῖο τυπῇσιν
οὔτε κεν αἰθομένῳ πυρὶ εἰκάθοι.

Eam ad multa simul vtilem parat Medea apud Valerium Flaccum lib. 7.

——Et qua sibi fida magis vis
Nulla, Promethea florem de sanguine fibra

Cau-

Caucaseum. Plutarchus iunior περὶ ποταμῶν nouam ei facultatem assignat. φύεται δὲ ἐν τῷ καυκασίῳ ὄρει βοτάνη προμήθειος καλουμένη, ἣν μάγοι συλλέγουσι καὶ λειοτριβοῦσα, πρὸς αὐτὴν ἀπαθείας τοῦ πυρὸς ἐγχρῶνται. Ego in huiusmodi nugis poetas ludere facile patior. Si qui vero his fidem vllam habendam censent, vti nonnullos, vt ex eorum scriptis apparet, video, quod inter poeticos iocos & res serias discrimen sit, parum intelligunt, tantum abest, vt vllam arcanæ disciplinæ notitiam teneant. nam quis per deos immortales, putas putasque fabulas, nutricularumque narratiunculas, magiam aut sanus, aut sobrius appellet?

IOANNIS BRODÆI MISCELLAneorum Liber Quartus.

Neque deformis viri, neque Mauri occursum inauspicatum esse.

CAPVT I.

CVm vario superstitionum genere priscorum hominum animi a pueris statim imbuerentur, tum ea mirum in modum illos stultitia occupabat, vt si deformi cuipiam viro, Æthiopi, Eunucho, mane domo exeuntes primum occurrerēt, inauspicatum omen putarent. Chrysosto. οἷον ὁ δεῖνα μοι πρῶτος ἐνέτυχεν ἐξιόντι τῆς οἰκίας, πάντως μυρία δεῖ κακὰ συμπεσεῖν. νῦν ὁ οἰκέτης ὁ μιαρὸς τὸ ὑπόδημα μοι ἐπιδοὺς πρότερον ὤρεξε τὸ ἀριστερόν. hæc vero clausula Suet. in Augusto *cap 92* edisserit. Lucianus περὶ ἀποφράδος. κἂν εἴ τις βάκηλον, ἢ εὐνοῦχον ἴδοι, ἢ πίθηκον, εὐθὺς ἐξιὼν τῆς οἰκίας, ἀπὸ πόδα αὖθις ἀναστρέφει, ἢ ἐπανέρχεται, οὐκ ἀγαθὰς μαντευόμενος τὰς ἐφημέρους ἐκείνας πράξεις ἔσεσθαι αὐτῷ, ἀπὸ πονηρᾶς τῆς πρώτης καὶ δυσφήμου ἐκείνης κληδόνισμενη. Idem in Timone δυσαντήτου καὶ ἀποτροπαίου θέαμα ὄψιν ὑπολαμβάνοντες. Idem alibi, δυσοιώνιστόν τι καὶ δυσαντήτον θέαμα, εἴ τις ἴδοι ἐξιὼν ἐκ τῆς οἰκίας. Eunuc. forte fortuna viderit, existimat. Basil. κακὸν συνάντημα τῆς ἑορτῆς. Appian. Alexandrinus ἐμφυλίων δ΄. ἐξιόντι δὲ τῷ στρατῷ, πρὸ τῶν πυλῶν αὖθις ὑπήντησεν αἰθίοψ. καὶ τόνδε μὲν ὡς οἰώνισμα φαῦλον, ὁ στρατὸς αὐτίκα συνέκοψε. Consentit in Bruto Plutarchus. Imperator quoq; Adrianus ex Mauri occursu maximam sibi calamitatem impendere præsagiuit. Iuuenalis:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Seneca. *Sacerdos non integri corporis, quasi mali ominis res vitanda est.*

Xenophon οὗτοί τε γὰρ ὑπολαμβάνουσιν, οὔτε τὰς ὄρνιθας, οὐδὲ τὰς ἀπαντῶντας, εἰδέναι τὰ συμφέροντα τοῖς μαντευομένοις. Cicero in Vatin. *Cum viderint, tanquam auspicium malum detestantur.* Tranquillus in Octa. *Nam pumilios atque distortos, & omnis generis eiusdemq; vt ludibria naturæ malique ominis abhorrebat.* Eadem quoque in-

Tecti vanitate, sepulcra declinabant. Ammian. *libr. 31. Ædificiis nullis vnquam tecti, sed hæc velut ab vsu communi discreta sepulcra declinant.* Hoc a priscis factitatum augurer, quod Sorodamones formidarent, maniumque laruas & Hecate, quam Theocritus a canibus metui docet, ἐρχομέναν νεκύων ἀνά τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα. Non parua mihi aliquando fuit cum vtriusque linguæ peritissimo viro necessitudo, qui sic Mauros homines auersabatur, vt eorum vultum non ferret, eos crebro κακὸν οἰώνισμα vocitans: quam tandem vanam opinionem, tam penitus insitam, tam vetustam ex eius animo conuulsi.

Iuuenalis loca.

CAPVT II.

De tuberibus hæc traduntur peculiariter. Cum fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maxime e tonitribus. Hæc Plinii oratio, Iuuenalem satyra 5. exercicat.

——Post hunc raduntur tubera, si ver
Tunc erit & faciant optata tonitrua cœnas
Maiores ——

Consule lib. Sympos. 6. eodemque segm. Plutarchum. Dioscorides, tuber radicem esse putat, sine foliis, ac sine caule: quibusdam terræ callum vocare placet. Idem Satyra 6.

Ibit ad Ægypti finem, calidaque petitas
A Meroe portabit aquas, vt spargat in æde
Isidis ——

Quæ, vt arbitror, ex Ægypto Romam nauibus deferebantur. Setuii vero a Iuuenale recedentis sermonem hic apponere libuit. Sciendum, in sacris simulata pro veris accipi vnde cum de animalibus quæ difficile inueniuntur, est sacrificandum, de pane, vel de cera fiunt, & pro veris accipiuntur. hinc est illud:

Sparserat & latices simulatos fontis Auerni.

Nam & in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur. Idem Satyra prima:

——Inter quos ausus habere
Nescio quos titulos Ægyptius atque Arabarches.

Quidam arabarchem mollem & eneruem exponunt: aut Arabum regem alii, aliis præfectum, arabarchen. neutri recte. Ego tamen magistratus apud Alexandrinos ita dictum nomen tenui certo scio. Iustinianus [illegible] [illegible]

Ouidiacea.

CAPVT III.

Ianitor indigna dura religate catena: Ouidius Amor. 1. Nihil est quod hic subtilius inuestigent Grammatici, fuerunt enim quondam apud Romanos ianitores vinculis ad fores alligati. Sueton. de claris Rhetorib. *Lucius Otacilius Pilitus seruiisse dicitur, atque etiam hostiarius veteri more in catena fuisse.* Seneca libr. de Ira 3. *Traiectus ergo catenario cani, quem paulo ante hostiarium appellarat.* Fatetur lib primo Columella. Idem in Helenæ Epistola Ouidius:

An nescis, longas regibus esse manus?

An nescis, reges per suos, quibus manuum & brachiorum vice vtuntur, posse etiam procul dissitos male multare? Hoc ad tempus referri posse, ex Aristotele in Politicis, non autumo: quod reges, etiam si diutius dissimulant, soleāt tamen aliquando pœnam sumere de his, quibus infensi fuerint. Idem de Arte 2.

——*Et ex horto quæ venit herba salax.*

Eruca, Venerem stimulans, quam ipse alibi nominat:

Nec minus erucas aptum est vitare salaces.

Idem in Ibin.

Qui simul impuræ matris dilapsus ab aluo,
Cyniphiam fœdo corpore pressit humum.

Solebant veteres, vbi quis natus esset, ac sublatus ab obstetrice, eundem protinus in terra statuere, deorumque opem inuocare, vt nascenti auxilio essent. Cuius rei meminerunt D. Augustinus, & Plinius. Statius Syluar. 5. —— *Tellure cadentem Excepi, fouique sinu.*——

οἶνος μυρτίτης.

CAPVT IV.

Dioscorides libro quinto, οἶνον μυρσινίτην ita cōficiēdum docet. *Sumito nigra myrti, cum suis baccis, ramulos, &c.*

Superiore vero proximo capite οἶνον μυρτίτην ad hunc modum. *Sumito nigra myrti quam maturissimas baccas: & reliqua.* Hoc igitur primum lectorem monere volo, duo hæc vina, myrteum que Catonis, longe inter se differre, tametsi parum id a quibusdam Medicis obseruatum annotarim. Nunc vero hanc Æliani lib ποικίλης ἱστορίας κϛ. orationem examinemus. μύρρῃ δὲ οἶνον μιγνύντες οἱ Ἕλληνες, ὅπως ἔπινον, ἢ ἀπεφρανζοντο τῶν τοιαύτων χρείων, καὶ ἐκαλεῖτο ὁ οἶνος μυρρίνιτης. quem in hoc, vt verbo expediam, nequaquam probo. Non quod ignorem, quosdam olim vnguentum in potu addidisse, vt odore prodigo fruerentur ex vtraque corporis parte. hinc Stat 6. Iuuen. *Cum perfusa mero spumant vnguenta falerno.* Mart lib 14. *Luxuriose bibas si foliata sitis.* sed quoniam a vocabulo μύρρα quo pacto μυρρινίτης formare propius queas possis, in animum non induco: quod tamen videtur fecisse Ælianus. Imo huius Pollux.

ἣν δέ τις μυῤῥινὴς (non μυῤῥινίτης) οἶνος, μύρῳ κεκραμένος. οἱ δὲ τὸν γλυκὺν οὕτως οἴονται κεκλῆσθαι.

Nec desunt, qui myrtite vinum, aromatite vocari posse tradant, quibus (licet ea separet Dioscorides) vt hoc concedam nunquam tamen propterea conuincant, quin duo hæc, ab eo quod μυῤῥινὴς οἶνος a Polluce nuncupatur, diuersa sint. quippe cum nemini dubium sit, aromata ab vnguentis & re, & nomine discrepare. De Murrina infra loquemur.

Vnguenta ceram olere, non terram.

CAPVT V.

IN veteribus Ciceronis exemplaribus, lib. de Oratore 3. ita legitur. *Licet hoc videre in reliquis sensibus, vnguentis minus diu nos delectari, summa & acerrima suauitate conditis, quam his moderatis: & magis laudari quod ceram, quam quod crocum olere videantur.* Grammatici quidam e Plinii *lib. 17. cap. 5.* vbi terræ genera enumerat, terram scribendum docent. Ego, Tulliani ne, an Pliniani codices, an etiam vtrique deprauati sint, ignoro. Quare posthabito librorum testimonio, atq; omissis testibus, *ceram* legi oportere existimo. Nam vt malagmatis plerunque, ne præter modum mollescant, gummi admisceri [illegible]et, nec non collyriis, vt vbi facta ina ruerint glutinata sint, neq; [illegible]entur; ita vnguentis ceram (mitto eius facultates) aliquando aduci dico, partim, ne penitus diffluant ac liquescant, partim ad retundendam hebetandamque aliorum acrimoniam. id quod attingit Cicero. Paulus Æg. κηρὸς ἐγκρατὴς ὤν, ὕλη τῶν ἄλλων γίνεται φαρμάκων. *Terra* vero, si vnguentis adhiberi nunquam solet, qui fieri potest, vt eam sapiant? Fingamus addi, neque tamen sic odorem vllum spirabit. Quæro & hoc, quem terræ odorem hæc olebunt vnguenta? an quem citato nuper loco refert Plinius? an quem proscisso solo vomer plerunque excitat? an quo, qui metalla effodiunt, perfunduntur, vario sane ac multiplici? ἄορνα & πλουτώνια Græcorum, noxiosque omnes halitus charoneasque scrobes silentio prætereo. Adde tot terræ odores, quot sapores, vbique gentium reperiri: licet sensum remissius feriant. At quis e cera suauem quendam & moderatum odorem, quis e croco vehementiorem afflari, non sentit?

Felices, & infelices arbores. Non ex omnibus lignis fieri simulacra.

CAPVT VI.

DVobus modis *felices arbores* a Latinis appellantur. Vno quo quæ fructum ferunt, *felices* dicuntur: *infelices*, quæ non ferunt. Quod si quis admittat, vna eademque arbor & fausta, & religione damnata nominari potest. Nam platani & palmæ in Syria ac Ægypto fructum producunt: in Italia, vt ipsi vidimus, steriles perpetuo sunt. Eadem de olea ratio, quæ in Græcia & Italia fœcunda

cunda est, in Germania & Britannia nil gignet. Altero, quo felices arbores putantur, quercus, esculus, ilex, suber, fagus, corylus, sorbus, ficus alba, pirus, malus, vitis, prunus, cornus, lotus: infelices, quæ inferum deorum, auertentiumq; in tutela sunt, vt tradit Macrobius. Videntur & dii arbores quasdam amasse, e quibus statuas sibi fieri vellent. Vnde Pythagoras non ex omni ligno Mercurium exsculpi debere ex stimabat. Quod de Mercurio tantum, vt tradunt quidam, intelligendum non est: sed de reliquis aliorum deorum simulacris, teste lib *εὐαγγελικ. προπαρασκευ.* 5. Eusebio. *ἔτι δὲ καὶ τὰ ἀγάλματα αὐτοὶ ὑπέθεντο πῶς χρὴ ποιεῖν, καὶ ἐκ ποίας ὕλης, δηλώσει τὰ τῆς Ἑκάτης, ἔχοντα τοῦτον τὸν τρόπον:*

ἀσκώλια. ὀστομάχιον.

CAPVT VII.

Mollibus in pratis vnctos saliere per vtres: inquit Georgic. 2. Virgilius, qui ludēdi mos initium videtur sumsisse e tabula; cuius meminit libr. *Signorum cœlest.* 2. in Arctophylace Hyginus: quem consule. Hoc Græci *ἀσκωλιάζειν* vocant, festumque ipsum *ἀσκώλια*. Aristophanis Scholiastes. *ἑορτὴν οἱ ἀθηναῖοι ἦγον τὰ ἀσκώλια, ἐν ᾗ ἥλλοντο ἐπ᾽ ἀσκοῖς αἰγείοις, εἰς τιμὴν τοῦ διονύσου· δοκεῖ γὰρ ἐχθρὸν εἶναι ἀμπέλῳ τὸ ζῶον. κυρίως δ᾽ ἀσκωλιάζειν ἔλεγον, τὸ ἐπὶ τῶν ἀσκῶν ἅλλεσθαι, ἕνεκα τοῦ γέλωτα ποιεῖν. ἐν μέσῳ δὲ τοῦ θεάτρου ἐτίθεντο ἀσκοὺς πεφυσημένους, καὶ ἀληλιμμένους, εἰς οὓς ἐναλλόμενοι ὠλίσθαινον.* Tzetzes *ἐγίνετο δὲ τὰ ἀσκώλια οὕτως. ἀσκοὺς πεφυσημένους τιθέντες κατὰ γῆς, ἐπὶ τούτοις ἐφαλλόμενοι, ἄνωθεν τούτων ἐφέροντο, καὶ πολλάκις κατολισθαίνοντες εἰς γῆν ἔπιπτον.* Fuit etiam apud Græcos aliud præter cetera, ludicrum *ὀστομάχιον*, quod quid sit, declarat in epistola centoni suo præfixa Ausonius. Hoc, vt opinor, Latini *oscillis aut ossisulis* ludere nominant. Sueton. in August. cap. 83. *Animi laxandi caussa, modo piscabatur hamo, modo talis, aut ossisulis* (sic enim lego) *nucibusque ludebat cum pueris, minutis.* Quidam *occellatis*, nonnulli *xysto* scribūt: hæc quæ *nuces ocellata* dici queant, ariolari quidem adhuc possunt. Quid vero minutis pueris cum xysto?

Vocabula quædam a Ludouico Cælio non satis cognita.

CAPVT VIII.

Pammachus dicitur, non *pancratiastes*, sed qui in omnibus certaminum generibus, his tamen præcipueque quinque, iactu disci, cursu, saltu, iaculatione, luctatione, exercitatus est. *Polypus*, secundum Aristotelem, octo pedes habet, non septem: vocaturq; etiam hodie vulgo Græce *octapos*, non *heptápos*: nulli vero animāti impar est pedum numerus. *Berenice*, vel *Pherenice*, in omnibus exemplaribus legi pōst. nam Macedones β pro φ vsurpare solent. Apud Suetonium in Tiberio, capit. 36. *religiosas vestes cum instrumento omni comburere repono*: non *religiosas vestas*. Rhaponticum a Rha barbaro differre, alias probaturus sum. Hunc quoque ver-

sum ita recte stare confirmo, *Nuda Cytheriaca* (Veneri sacræ) *splendent agitata columba*: nec mensum carminis refragari Ouidius:

Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

Martialis lib. 2.

Lenior e conchis Galle Cytheriacis.

χαρώνιος θύρα (inquit Zenobius) μία τῶν τοῦ δεσμοφυλακίου θυρῶν, δι' ἧς οἱ κατάδικοι τὴν ἐπὶ θανάτῳ ἐξάγονται. Hinc apud Pollucem χαρώνιοι κλίμακες. τὰ χαρώνεια vero apud Laert. in Zenone, & Geographos, barathra quædã, & Plutonia, fœdos odores exhalantia, significant Gal. πολλάκις δ' ἀπὸ τοῦ πνεύματος μόνου κατὰ τὴν εἰσπνοὴν ἡ βλάβη γίγνεται, καθάπερ ἐν τοῖς χαρωνείοις ὀνομαζομένοις χωρίοις. Hæc in præsentia animo succurrunt, in quib. a Ludouico Cælio dissentio. Plura suo tempore commodius. Nunc etiam hoc addam: *Phauorinum* (verba Cælii) *vel Gellii monumentis percelebrem, fuisse patria Gallum, memoriæ proditum est, ex Arelate, prope Padum.* Philostratus, vnde hæc excerpta sunt, ita habet: ἦν μὲν γὰρ τῶν ἑσπερίων Γαλατῶν οὗτος, Ἀρελάτου πόλεως, ἣ ἐπ' Ἠριδανῷ ποταμῷ ᾤκισται. Eridanus flumen, licet proprie Padus sit, Græci tamen (vt alibi probaui) Ἠριδανὸν aliquando pro Rhodano accipiunt, qui Arelatem vrbem ad hunc vsque diem alluit: quo in genere mihi oculato testi credendum est. Quare, prope Rhodanum, versum mallem.

Martialis locus.

CAPVT IX.

Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus: Martialis lib. 14. Etsi non dubitem, celerrimas fuisse notariorum manus, vt recitatam orationem statim exciperent, ac conscriberent: hoc tamen sic accipiendum puto, vt caracteribus quibusdam verba notarent, nec ea quidem integra deformarent. Seneca Epistola 91. Martiali quasi data opera lucem adferens: *Quid verborum notas, quibus quamuis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus sequitur.* Modestinus ff. *quibus ex causs. Maiores: eos qui notis scribunt acta præsidum caussa non abesse certum est.* Galenus: μηδ' εἰς βιβλίων ὠνὴν, καὶ κατασκευὴν, καὶ τῶν γραφόντων ἄσκησιν, ὥστε γε εἰς τάχος διὰ σημείων. Basilius de vera virginitate. *Et sicut qui notam exceptoriam didicit notarum omnium figuras, & nomina signaque octadum & tetradum memoria tenens, & reliq.* Tranquillus auctor est, Titium imperatorem cum amanuensibus suis per ludum ea de re certare solitum. Et Pedianus, orationem Ciceronis pro Milone exceptam esse scribit, quæ adhuc tempore suo extaret. Tametsi has notas Dion li. 55. Mecœnatem inuenisse refert: καὶ πρῶτος σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε, καὶ αὐτὰ διὰ Ἀκύλα ἀπελευθέρου συχνοὺς ἐξεδίδαξε. Per notas etiam sensa expresserunt antiqui, vt docet in Iulio Cæsare

Tranquillus. & Cicero *libr. Epistol. ad Attic. 13* quæ scribendi ratio non multum differt ab ea, quam hodie vulgus chiffram vocat; in qua plures aliquando vnius literæ figuræ, vocalium præcipue, quibus frequentius opus est, effinguntur. Eo tamen peruenit hominum solertia, vt nil tam arcanum & obscurum sit, quod non indageut atque aperiant: nisi quis fenestratam perforatamque variis in locis superinductam cartam adhibeat, ac inanitatem sermonibus quasi ad rem facientibus impleat: qua vna via, quamlibet subtilis ingeniorum industria, tota concidat ac iaceat necesse est.

Columella loca.

CAPVT X.

D*ardaniæ veniant artes*, inquit lib. 10. Columella: id est, magicæ, a Dardano insigni, vt tradunt, mago, cuius commentariis diligenter perlectis, longe doctissimus euasisse Democritus memoratur. Consule Plinium *libr. 30. capit. 1.* Apuleius: *Vel ipse Dardanus, vel quicunque alius post Zoarestrem.* Euseb. lib. εὐαγγελ. προπαρασκ. β. ὅτι ὁ Δάρδανος ὁ μύθους θεῶν καταδιδάξας, τὰ μυστήρια. Idem lib. 9. Apum reges sine pilo, siue spiculo esse. Id constabilit in libr. de Clementia Seneca: *Iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt. rex ipse sine aculeo est.* Aculeum vero eum gerere, putat Basilius ὁμιλίᾳ η. eo tamen ad iniuriam propulsandam non vti: ἔστι μὲν γὰρ κέντρον τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' οὐ χρῆται τούτῳ πρὸς ἄμυναν. Plinius *lib. 11. cap. 12.* hac de re inter auctores non constare, eleganter ostendit. Idem lib. 12. *Nec ignoro, etiam cibarium oleum esse faciendum*: hoc est, vile, paruique pretii. Cibarius panis sordidus dicitur, a quo furfur excretum non est. Græci αὐτόπυρον nominant. Cibarium etiam vinum, pro ignobili sumitur. Pleraque alia, quæ accumulare vnusquisque potest.

Dictiones quædam a Grammaticis perperam explicatæ.

CAPVT XI.

HElcyon pro fune vsurpant nonnulli. Licet eum proprie significet, quo *helcyarii* aduersis fluminibus, aut vento contrario naues trahunt. *Martial. lib. 1.* Nec clamor valet helcyariorum: Nos vocis antiquæ obsoleta quædam vestigia adhuc retinemus; *halyeros* eos appellantes.

Mesonautæ dicuntur, qui partim vt nautæ, regendæ naui operam suam impartiunt: partim etiam vt vectores, nonnihil nauiculatoribus, aut nauarchis pendent, μεσόνεοι vero non dicuntur: hi namque in media naue remigant. ζύγιοι itidem nuncupati. Poscam quamplurimi Grammatici loram esse suspicantur: ego semper apud Plinium, *oxycratum*. Qui zythum apud eum esse existimant, nugantur. ipse enim poscæ & cythii, vt diuersarum po-

tionum, mentionem infert. Nec vero, vt tradunt, e farina in aqua decocta, priscorum zythus conficiebatur. nec de eo poscæ nomine loquuntur historici. Suetonius in Vitellio: *Cum Puteolis poscam vendere deprehendisset.* Spartian. *Cibis etiam castrensibus, in propatulo libenter vtens*: hoc est, larido, caseo & posca. Bucellatum panis est, quem vulgus nostrum bis coctum, Ammianus Marcellinus ad vsus diuturnitatem excoctum vocat. Hinc clarum est, eo non tantum nautas, vnde nauticus a viris doctis nominari consueuit, vsos, sed etiam milites. Lucianus: καὶ ἄρτους ὀκτὼ ναυτικούς. Plinius: *Vetus aut nauticus panis tusus, atque etiam coctus, sistit aluum.* Strophium vox Græca est, Romana tamen ciuitate donata, fasciam pectoralem notans, quæ tumorem papillarum cohibet, atque etiam coronam. Virg. in Coppa:

Et grauidum roseo necte caput strophio.

Quem edisserit *lib. 21. cap. 2.* Plinius. In Diui autem Ioannis hymno, strophium bidentes: zonam & cingulum, non coronam, nec sacerdotum insigne, vt credit Blondus.

Ouidii locus. Leges in æs incisæ.

CAPVT XII.

NEc *vere minantia fixo Ære ligabantur*, inquit Metamorph. 1. Ouidius: nec leges supplicia minantes, in æs incisæ figebantur. Typographi quidam cum locum hunc neutiquam caperent, ita eum macularunt: ——— *Nec vincla minacia collo Ære ligabantur.* ... Iā, priscos illos Græcos ac Latinos. leges, fœdera, res magni omnino momēti in ęreis tabulis insculpsisse doceamus. Tzetzes. οἱ κύρβεις εἶχον, νόμους δὲ, τοὺς περὶ δημοσίων. ἦσαν δὲ χαλκαῖ, οἱ μὲν τι ἀπὸ ξύλων. Aristoph. Schol. τοῦτο οὖν ἐκήρυξαν, καὶ ἐν χαλκῇ στήλῃ ἔγραψαν. Diod li. 16 καὶ τελεσθείσης τῆς ὑποκειμένης νομοθεσίας, ταύτην εἰς δώδεκα χαλκοῦς πίνακας χαράξαντες οἱ ὕπατοι προσήλωσαν τοῖς πρὸ τοῦ βουλευτηρίου τότε κειμένοις ἐμβόλοις. Diony. Hal. ἐπικυρώσαντος δὲ καὶ τοῦ δήμου τοὺς νόμους, στήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτούς. Seruius: *Fixit autem ideo, quia incisæ in æreis tabulis leges, affigebantur parietibus.* Cicero Orat. in Catilin. 3. *Et legum æra liquefacta sunt.* Pomponius Iurisconsultus, publica auctoritate ait placuisse decem constitui viros, per quos peterentur leges a Gręcis ciuitatibus, vt ciuitas fundaretur legibus, quas in tabulis eburneis proscriptas pro rostris composuerunt, vt possent apertius percipi. Cui repugnat Liuius: *Priusquam vrbem ingrederentur leges decemuirales, quibus XII. Tabulis est nomen inditum, in æs incisas, in publico proposuerunt.*

Porphyrio in Horatium, leges in ligno incisas refert. *Æreis*, inquit, *tabulis antiqui non sunt vsi, sed roboreis, his incidebāt leges: vnde adhuc Athenis legum tabulæ Axones vocantur.* Cui, quod ad Axones pertinet, succurrit in Solone Plutarchus. Nos vero posthabita grammatici sententia, Platonem sequamur, cuius in Minoe

verba

verba hæc sunt. ὁ γὰρ πόλεως τελῶν ἄρχει τοῦ ἐνιαυτοῦ κατὰ τὰς κώμας, φυλάττων τοὺς νόμους, ἐν αὐταῖς ἐγχαλκίοις γραμματείοις ἔχων γεγραμμένους τοὺς νόμους, ὅθεν χαλκοῦς ἐκλήθη. Ceterum sunt, qui Pomponio adhærentes, libros illos *eburneos*, elephantinos a Flauio Vopisco in Tacito appellari credant: nõ quod illis temporibus tales essent, sed quod olim fuissent. Licet quamplurimi ab operis magnitudine, quasi elephanti proceritate, nomen inuenisse testentur.

Ærata & Cerata naues.

CAPVT XIII.

Rostratæ naues, quas Græci χαλκεμβόλους & χαλκήρεις vocitant, vnde dictæ sint, nemo est vel mediocriter literis imbutus, qui ignoret: earum autem nauium rostra quia ex ære fiebant, æratæ etiam nominabantur. Cæsar: *Interim L. Nasidius a Cn. Pompeio cum classe nauium sedecim, in quibus pauca erant ærata.* Virgil. lib 9. licet Heroicis temporibus nullæ tales essent: *Quot prius æratæ steterant ad littora puppes.* Ceratæ vero naues a quibusdam dicuntur, quasi cera & ebore, cistroque, id est, vermiculo pictę: quos lib.30. in eam adduxit opinionem Plinius. Non sum nescius, Troianis seculis pictas etiam fuisse naues: siquidem eas μιλτοπαρήους vocat Homerus. Monstrat & hoc Herodotus *lib. tertio.* Hoc in præsentia asseuero, ceratas, quasi cera piceque simul confusis oblitas, a plerisque appellari: licet repugnent clari grammatici. Ouidius Metamorph.11.

Iamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ
Rima patet. ———

Idem lib. de Remed. amor. 2.

Nec satis vna tenet ceratas anchora puppes.

Seneca lib. de Benef. 7. *Cui triremes & ceratas mitterem.* Mihi sane (ne mentiar) *æratas* non displicuisset: nihil tamen immuto. Veget. lib. 4. capit. 37. *Cera etiam qua vngere solent naues inficitur.* Græci quoque κηρὸν pro eadem ceræ picisque mixtura accipiunt. Arria. in Periplo maris Euxini ἀλλὰ καὶ οἱ ἧλοι, καὶ ὁ κηρὸς ἀπεξύσθη, ὡς μηδενὸς ἄλλου ξύλου δεῖσθαι ναυπηγησίμου. Lucia. in dialogo Mercurii & Charontis. καὶ κηρὸν ὡς ἐπιπλάσαι τοῦ σκαφιδίου τὰ ἀνεῳγότα. Consule lib.16 cap.12. Plinium & Dioscor. lib.2. in Zopissa.

Quæ quibus locis optima.

CAPVT XIV.

Ad victum optima fert (inquit Varro, Italiæ dotes persequẽs) *ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Thusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis.* Hęc autem ipsius quoque Varronis testimonio, quæ ingluuies vestigauit, aliis præstant. pauus e Samo, Phrygia attagena, grues Melliciæ, hœdus ex Ambracia, palamis Chalcedonia, muręna Tartesia, aselli

Pessinuntii, ostrea Tarentina, pectunculus Chius, helops Rhodius, scari Cilices, glans Iberica, id est (*vt ego interpreter*) Hispanica, nuces Thaliæ palma Ægyptia. Græci vero miris celebrant laudibus τὰς ἐν πορθμῷ τῷ Σικελικῷ σμυραίνας (Latini murenas *Flutas* vocant) καὶ τὰς ἐγχέλεις τὰς Μαιανδρείους (aut Copaides in Bœotia) καὶ τοὺς ἐν Μήλῳ ἐρίφους καὶ τοὺς ἐν Σκιάθῳ κεστρεῖς, καὶ τὰς Πελωρίδας κόγχας, καὶ τὰ ὄστρεα τὰ Ἀβυδηνά, τὰς ἐν Λιπάρᾳ μαινίδας, τὴν στρογγύλην τὴν Μαντινικήν, τὰ παρὰ τοῖς Ἀσκραίοις σεῦτλα, καὶ κτένας Μηθυμναίους, καὶ ψήττας Ἀττικάς, καὶ τὰς Δαφνίους κίχλας, χελιδονίους ἰσχάδας, ὄρνεις ἔνθεν ἀπὸ Φάσιδος ἀτταγᾶς Αἰγυπτίας, μηδὲν τοιαῦτα. Ab Antiphane vero præcipue commendatur, Βοιωτία μὲν ἔγχελυς, μῦς Ποντικοί, θύννοι Μεγαρικοί, μαινίδες Καρύστιαι, φάγροι δ' Ἐρετρικοί, σκάροι δὲ κάραβοι. Alii a Plinio pisces *lib. 9. cap* 54 Apuleius Apologia prima, eiusdem argumenti Ennianos quosdam versus depromit, magna tamen ex parte delumbatos. Vinum autem Chium, equi Thessali, & Spartanæ mulieres, primas tenuerunt.

Euripides illustratur.

CAPVT XV.

Αἰαῖ, τί δῆτα τοῖσδ' ἀνέστεμμαι κάρα πλεκτοῖσι φύλλοις, δυστυχὴς θεωρὸς ὤν: Euripides in Hippolyto ἔθος γὰρ ἦν (ait Glossographus) τοὺς ἐξ ἱεροῦ στελλομένους στέφεσθαι. Paulo supra hanc fuisse priscis docet consuetudinem, vt accepto oraculo, coronati domum redirent. Sophocles in Oedypo tyranno: οὐ γὰρ ἂν κάρα πολυστεφὴς ὧδ' εἷρπε παγκάρπου δάφνης. Scholium: οἱ γὰρ ἐπί τινι αἰσίῳ παραγινόμενοι ἐκ Δελφῶν ἐστεμμένοι ἐπανήεσαν. Aristophanes in Pluto. οὐ γὰρ μὲ τὸν θεὸν στέφανον ἔχοντά γε. Idem nominata prius tragœdia: τοῦ τιμήματος τῆς ἀξίας ἐνδεῶν, id est, pro census amplitudine, pro bonorum cuiusque ac facultatum æstimatione, vt inopes parce quidem munera, bene numati & locupletes large ac cumulate diis offerrent: quæ non arithmetica proportione examinanda, sed geometrica expendenda sunt. In quo enucleando nodo literatos viros lapsos offendimus: qui, si hæc Euripidis vincat auctoritas, tenuis fortunæ homines liberis cariturος dictitant. Idem, eadem fabula: καὶ τὴν ἐν Ἴδῃ γραμμάτων πλήσας τις πτύχην, nec si quis ex Ideis piceis tabellas, aut nec si quis Idearum picearum complicatos cortices côcinnet, quos scriptura impleat, qui cuiusmodi olim essent, ostendit in Solone Plutarchus: καὶ οἱ νόμοι κατεχαράχθησαν εἰς ξυλίνους ἄξονας, ἐν πλαισίοις περιέχουσι στρεφομένους.

Ephippia Arenarii

CAPVT XVI.

EPhippia, stragula sunt quibus equi sternuntur, vel sellæ equis ad insidendum impositæ. Nonn. Marcell. *Ephippium tegmen equi ad mollem vecturam paratum.* Horat. *Optat ephippia bos piger.* Cæsar. lib. de bel. Gall. 4. *Neq; eorum moribus turpius quicquam, aut inertius habetur, quam ephippiis vti. Itaq; ad quemuis numerum ephippia-*

phippiatorum equitum, quamuis pauci adire audent. Lamprid. in Alex. *Equis etiam instructi. & ephippiis ac frenis decentib. prorsus.* Martial. lib. 13 in Ephippium:

Stragula succincti venator sume veredi.

Sunt qui lora illa (*staphas* vocant Itali) quibus in equo sedentium pedes vtrinq; innituntur ac sustinentur, *ephippia* ab antiquis, ipsoque Lampridio nominata putent: sed hi sane tota via aberrant. Fuerunt enim hæc priscis incognita, vt ex equestrib. statuis, tū ex ære fusis, tum e lapide factis, addo etiam numismata, colligere licet; in quibus nil tale visitur. *Arenarii* a Capitolino, & Iul. Firmico appellantur, qui ab aliis *bestiarii*: hiq; in arena, id est, amphitheatro (sic enim hodie quoque *Nemausi* vocatur) contra bestias pugnabant. Græci θηριομάχους nominat. Basilius περὶ πλεονεξίας: οὐχ ὁρᾷς τοὺς ἐν τοῖς θεάτροις, παγκρατιαστάς, καὶ μίμους, καὶ θηριομάχους τινὰς ἀνθρώπους.

Pecunias in templis deponere.

CAPVT XVII.

Diuites olim in templis pecunias suas deponere soliti erant, eas quasi diis committere ac credere se existimantes: id quod & probare, & vna bonis auctoribus lucem adferre instituimus. Plautus in Bacch. *Nos ibi apud Theotimum omne aurū deposuimus, qui illic sacerdos est in Diana Ephesia.* Iuuenalis Satyra 14.

——Et ad vigilem ponendi Castora nummi.

Non apud mensarios, qui erant in foro, vbi erat ædes Castoris. Cæsar libr. de Bello ciuili 3. *Praterea Ephesi a fano Diana depositas antiquitus pecunias Scipio tolli iubebat*, & primo, pecuniæ a municipiis exiguntur, & e fanis tolluntur, huius moris Cicero *lib. de legib.* 2 & Herodianus lib. 1. mentionem faciunt. Veteres etiam ædibus sacris publicam pecuniam commendabant, *vt docet Aristophanes in Pluto* Thucydides Scholiastes: ἔθος γὰρ τοῖς παλαιοῖς τὰ κοινὰ χρήματα ἐν τοῖς ἱεροῖς ταμιεύειν. Romæ sane in templo Saturni ærarium fuisse, neminem latet. Vt audirent quoque in fanis legatos, antiqua fuit consuetudo, non solum Latinorum (Virgil. Æneid. 7.

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Vrbe fuit summa——)

Verum etiam Græcorum: cui quod Æschines minime paruisset, hoc ei Demosthenes, περὶ παραπρεσβείας vt culpam crimenque obiicit οὔτ' ὅτε ἐκεῖσε ἐπρεσβεύοντο, οὔθ' ὅτ' ἐκεῖθεν δεῦρο τοὺς ὅρκους ἔλαβεν, ἀλλ' ἐν τῷ πανδοκείῳ, τῷ παρὰ τῶν διοσκούρων, ὅστις ὑμῶν εἰς Φερὰς ἀφῖκται.

Virgilius explicatur.

CAPVT XVIII.

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur: Maro Æcloga 2. Seruius *ligustrum* florem esse candidissimum, sed vilissimū. Quidam *Lilium album*, alii *conuoluulum*, & Arabum *alcannam*.

Ligustrum vero, vt ipse sentio, arbor est parua, foliis oleæ similibus, floribus candidis, racematim Maio mense emergentibus, semine primum virente, deinde temporis processu nigro, in quibusdam Italiæ partibus adhuc nomen seruans. Massarius nō eandem cum cypro arborem existi : at, parum prospiciens, cum nihil inter se discrepent nisi quod alterum Græcum, alterum Latinum nomen est. Seruius *vacinia* violas purpurei coloris exponit: *hyacinthos* plerique, alii mora agrestia esse dictitant, quæ a rubro sentis producta, ad tingendas seruorum, plebisque vestes olim legebantur. Quot homines, tot sententiæ, ego Vacinia Ligustri baccas expono, hoc sensu, *albi Ligustrorum flores cadunt, at eorum bacca nigra colliguntur*, ad aucupia nempe & inducendos colores. Idem Ecloga 7.

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

& 10.——*Olim cantare periti Arcades.*——

Quæ lib. 4. enucleat Polybius. διότι σχεδὸν παρὰ μόνοις ἀρκάσι, πρῶτον οἱ παῖδες ἐκ νηπίων ἄδειν ἐθίζονται κατὰ νόμους, τοὺς ὕμνους καὶ παιᾶνας: &c. Ac multo sermone lib. δειπνοσοφ. ιδ. Athenæus: quem adi, si tibi hæc curæ sunt.

Transenna. Quadratum corpus.

CAPVT XIX.

TRansenna, cancellos significat: vnde, *per transennam inspicere*, pro summatim & strictim rem quampiam intueri, prouerbiali figura dictū est M. Tul. lib. de orat. 1. *Quasi per transennam prætereuntes strictim aspeximus.* Seru. in 5. *Trāsenna dicitur extensus funis.* Sal. *Transenna demissum victoria simulacrum cū machinato strepitu tonitruū coronā capiti imponebat.* Nonius Marcel. hūc Sall. locū citans, transennam scribit, ac fenestrā interpretatur. Hunc ipsum quoque proferens *libr. Saturnal. 3.* Macrobius, *Cum sedenti in transenna legit.* Quare in tanta scriptorum controuersia nihil certi exsculpere possum. Mihi tamen transenna demissum, vt legit Seruius, arridet: sic tamen, vt transenna cancelli sint, quibus apertis ac laxatis, machinæ deos aut heroas portantes, tum remitterētur, tum detorquerentur, adducerenturq;. Amminanus Marcel. lib. 25. Et cum latendi copiam nocturna quies daret tanquam e transenna simul emissi, spe citius ripas occupauere contrarias. Hinc a Plauto in *Bacchid.* pro crate (*de qua supra*) ad decipiendas aues concinnata, fortasse ponitur : *Nunc a transenna hic turdus lumbricum petit.* Quadratum corpus videtur mediæ staturæ esse. Celsus *libro secundo. Corpus habilissimum quadratum est, neque gracile, neque obesum.* Columell. libro septimo. *Pinguis & campestris situs, proceras oues tolerat: gracilis & collinus, quadratas: syluestris & montosus, exiguas.* Et de canibus loquens: *Probatur* (inquit) *quadratus potius, quam longus, aut breuis.* Plauto in Asinaria, commoda statura dicitur: *Truculentis oculis, commoda*

commoda statura, tristi fronte. Tranquillo in Tiberio, iusta: *Corpore fuit amplo atq; robusto, statura qua iustam excederet*. Græcis vero τετράγωνος ἀνήρ, vere bonus fortisque intelligitur. Aristoteles Moral. Nicomach. 1 ὅ γ' ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου. Quod ex Simonide excerptum est. Plato in Protagora: λέγει γάρ που σιμωνίδης πρὸς σκόπαν τὸν κρέοντος υἱὸν τοῦ θετταλοῦ, ὅτι ἄνδρ' ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπὸν, χερσί τε καὶ ποσὶ, νόῳ τε τετράγωνον, ἄνευ ψόγου τετυγμένον. Is loquendi modus a quadrata figura sumitur, quæ in quamcunque partem voluatur, sui semper similis est.

Murina. Caseus viridis.

CAPVT XX.

MVrina, inquit Festus, *genus potionis, quæ Græce dicitur μυῤῥίνη, vel μυῤῥίνη*. hanc mulieres vocant *muriolam*, quidã *murratum vinum*: quidam id dici putant ex vuæ genere *Murrina* nomine hanc Romanæ mulieres vti loream, & passim bibere solitæ erant. Plinius lib 14. cap. 13. *Lautissima apud priscos vina erãt myrrhæ odore* (non miro odore, ne vnguentum putes) *condita*, vt apparet in Plauti fabula, quæ *Persa* inscribitur, quanquam & in ea calamum addi iubet. verba Plauti: *Bene in struthëis concaleat (mulsum) & calamum inice*. Columella *libr 12. cap 19.* quo pacto condiatur mustum, vt perenne sit, docens, hunc Plauti locum edisserit. tametsi vero neuter illorum condituram illam Murinam appellet: Plinianam tamen lectionem radendam non puto. In huiusmodi enim vinorum confectionibus myrrham adiicit Columella. Plinio vero, odor myrrhæ myrrhæ aromata significat. Idem Columella supra nominato capite: *Seu quoscunque voluerit conuenientes odores adiiciat*. & 20. *Ad prædictum autem modum musti, adiici debent hi odores: nardi folium, iris Illyrica, nardum Gallicum*. Cels. libr. 4. cap. 20. *Præter hæc in omnibus vesicæ doloribus, idoneæ potiones sunt, quæ ex odoribus fiunt*, id est, *spica nardi, croco, cinnamomo, casia, similibusq;*. Quare ego Murinam, mustũ fuisse censeo: vt defrutum, varie conditum, cui aromata, odores, atque id genus nonnulla inspergerentur, nõ μύρα, hoc est, vnguẽta. Caseus viridis, mollis & recens appellatur: ne quis, additis quibusdam herbis, quod apud Rhætos fieri animaduerti, eo esse colore suspicetur. Græci χλωρὸν nuncupant. Aristophanes in Ranis: οὐδὲ τὸν τυρόν γε, τὸν χλωρὸν τάλαν. huic ξηρὸς a Medicis opponi solet. Oleum quoque viride pro recenti a Tranquillo vsurpatur in Iul. Cæs.

Eunuchi.

CAPVT XXI.

EVnuchorum varia sunt genera. Sunt enim, qui natura sine testibus progeniti sint. Sunt qui habeant, non in scroto quidẽ, sed intus, muliebri pene modo abditos ac latentes. Thlasiæ, &

Thladiæ a Græcis nominantur, quibus fracti ruptique sunt: Spadones, quibus auulsi: Thlibiæ, quibus collisi, attritique: Ectomiæ, quibus resecti & amputati sunt. Sunt qui non solum testibus, sed ipso etiam cole priuantur, atque hi proprie *Eunuchi* (a quibusdam *Castrati*) dicuntur, quod virgines curarent, eorumque lectos sternerent, ac custodirēt, omni prorsus criminis suspicione exsoluti. Venerea sane libidine thlasiæ, thlibiæ, & spadones pruriunt: quod eis vis tanta illata non sit, quin adhuc portio aliqua supersit, quæ huic excitando desiderio largiter sufficiat. Aetius lib 6. οἱ γὰρ θλασθέντες ποτὲ ἢ συνουσίας ὀρέγονται, μέχρις ἂν ὡς ἔοικεν, τῶν διδύμων ἐν τῇ θλάσει διαφυλαχθέντος. Quæ in ectomiis ratio minus procedit, quod funditus partium illarum stirpes incidantur. Quare de his, vt opinor, loquens Polybus περὶ γονῆς, sic inquit: οἱ δὲ εὐνοῦχοι διὰ ταῦτα οὐ λαγνεύουσιν, ὅτι σφίσιν ἡ δίοδος ἀμαλδύνεται τῆς γονῆς. Et Aristoteles libr. περὶ ζώων γενέσεως α. οὐδὲν γὰρ εἰσι μετέχει τῶν πόρων οἱ ὄρχεις, ἀλλὰ προσκεῖνται, καθάπερ τοὺς λαίας προσάπτουσιν αἱ ὑφαίνουσαι τοῖς ἱστοῖς. ἀφαιρουμένων γὰρ αὐτῶν, ἀνασπῶνται ἐντὸς οἱ πόροι, ὥστε οὐ δύναται γεννᾶν τὰ ἐκτεμνόμενα. Quæ verba aperit Galenus περὶ σπέρματος α. Sed videtur Iuuenalis Satyra 6. Polybo aduersari:

Sunt quas Eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ,
Seu quod abortiuo non est opus.—

Qui hac ratione defendi potest. quod si rem cum mulieribus habeant Eunuchi, nullum tamen sperma fundunt. Proinde ita λαγνεύειν, vt interpreteris, meo sane iudicio necesse est, vt etiam vera sint, quæ a Iuuenale scribuntur. quem Martial. *lib. 6. in disticho ad Pannicum*. Alexand. Aphrod. *lib. Probl α.* & Hebræi Glossographi mire subleuant, hoc amplius addentes: *Homines testibus mutilatos, nisi simul & veretrum demetatur, amatores mulierum esse, atque aliquid posse, licet nil generent, arbitrantur.* Basilius *in lib. de vera virginita.* Nam qui ad virilitatis annos cum genitalibus per ætatem ad coitū idoneis peruecti, solos postea testes abscindunt, eos aiunt acrius atque ardentius inflammari libidine, & ad cubitum impatientissime ferri, id quod infra & rationibus, & exemplis probat. Obscurius est, quod idem περὶ γονῆς tradit Polybus: ὁκόσοι δὲ παρ' ὃς τετμημένοι εἰσὶν, οὗτοι λαγνεύουσι μὲν καὶ ἀφίασιν, ὀλίγον δὲ, καὶ ἀσθενὲς, καὶ ἄγονον. Quod edisserit περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, Hippocrates: εἰσὶ γὰρ παρὰ τὰ ὦτα φλέβες, ἃς ἐάν τις ἐπιτάμῃ, ἄγονοι γίνονται οἱ ἐπιτμηθέντες. Hoc argumento fulti Arabes medici, permultum seminis e cerebro promanare ostendunt. Cū vero grauia secundū aures vulnera milites nostri quotidie accipiant, qui tamen propterea ἄγονος euaserit, vidi adhuc sane neminem, ne fama quidem accepi: neque enim e cerebro tantum, sed ex aliis etiam corporis partibus profluit semen.

Sacchа-

Saccharum.

CAPVT XXII.

QVi saccharum Galeno incognitum fuisse scribunt, si accurate illius viri opera perlegissent, sententiam mutassent. Sacchari vero non solum meminit Galenus lib. περὶ τῆς τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως ζ. καὶ τὸ σάκχαρ δὲ καλούμενον, ὅπερ ἐξ ἰνδίας τε καὶ τῆς εὐδαίμονος ἀραβίας κομίζεται: sed qui cum aliquot annos præcesserunt. Varro Narbonensis:

Indica non magna nimis arbore crescit arundo,
Illius e lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Statius Syluar. 1.

—Et quas præcoquit Ebutia cannas.

Lucanus lib. 3.

Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos.

Quid enim aliud est saccharum, quam succus e planta sua contrita expressus? Quo vel vno carmine tolli omnis dubitatio potuit, adiuuante præcipue lib. 15. Strabone: εἴρηκε δὲ καὶ περὶ τῶν καλάμων, ὅτι ποιοῦσι μέλι, μελισσῶν μὴ οὐσῶν. Hoc ego μέλι, saccharum expono. Arrianus in Periplo maris Erithræi: καὶ μέλι τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον σάκχαρι. Diodor. lib. β. καὶ διὰ τὸ ἐν τοῖς ἕλεσι ῥίζας ἐκφύοντες τοῦ καύματος, καὶ μάλιστα τῶν μεγάλων καλάμων. Dioscorides *lib. 2.* in India, felicique Arabia, in arundinibus inueniri concretione salis simili putat: quare a Paulo Ægineta ἅλς ἰνδικὸς vocatur. Sed qui post Dioscoridem vixerunt, hocque exactius considerarunt, rectius e succo arundinum saccharum exprimi, quam in eis reperiri, vt experimento constat, nobis tradiderunt. Mel vero aerium, atque Arabum mannam, rem vnam esse, alias ostendam: eandemque a saccharo diuersam, facile probabo, ac conuincam.

Bitumen. ἄσφαλτος. πισσάσφαλτος.

CAPVT XXIII.

BItumen in lacu Iudææ, qui vocatur *Asphaltites*, certo tempore anni supernatans, filo tantum auelli, quod menstruum mulierum profluuium infecerit, auctor est Plinius. Iosephus lib. ἰουδαϊκῆς ἁλώσεως δ. hoc, ἐμμήνῳ γυναικῶν αἵματι καὶ οὔρῳ, οἷς μόνοις εἴκει, τοὺς τῆς λίμνης ἐργάτας διαλύειν confirmat. a quibus Strabo lib. decimo quinto dissentit: γνῶναι δὲ ὅτι ἀναπίπτεσθαι φησὶν ἐπῳδὰς ὁ ποσειδώνιος τοὺς ἀνθρώπους, καὶ οὖρα, καὶ ἄλλα δυσώδη ὑγρά. Vtri horum vera dicant, adhuc sane hæreo. Nemo autem inter ἄσφαλτον & πισσάσφαλτον latam esse differentiam arbitretur. Dioscorides libro I. καλεῖται δὲ τις καὶ πισσάσφαλτος γινομένη ἐν ἀπολλωνίᾳ τῇ πρὸς ἐπιδαύρῳ. Aristotel. (imo alius quispiam auctor) περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, ἄσφαλτον nominat. ἐν δὲ ἀπολλωνίᾳ τῇ πλησίον κειμένῃ τῆς ἀτλαντικῶν χώρᾳ, φασὶ γίγνεσθαι ἄσφαλτον ὀρυκτήν, καὶ πισσαν,

τ̃ αὐτὸν τρόπον ἐν τῆς γῆς συναναπηδῶσαν τοῖς ὕδασι. Castigandum est autem (vt id obiter annotemus) τ̃ ταυλαντίων Thucydides lib. 1. ἐπίδαμνός ἐστι πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι τ̃ ἰόνιον κόλπον. προσοικοῦσι δ' αὐτὴν ταυλάντιοι βάρβαροι. Liuius decad 5 libr. 5. Non solum liberos, sed etiam immunes fore Issenses & Taulantios. Lucan. lib. 6. Taulantius incola petram Et Strabo lib ζ. ἐν δὲ τῇ χώρᾳ τ̃ ἀπολλωνιατῶν καλεῖταί τι νυμφαῖον· πέτρα δ' ἐστὶ πῦρ ἀναδιδοῦσα, ὑπ' αὐτῇ δὲ κρῆναι ῥέουσι χλιαροῦ ἀσφάλτου.

Στιγματίαι.

CAPVT XXIV.

VEteres seruorum suorū faciem, si quid grauius deliquissent, pœnæ nomine, aut literis, aut aliis quibusdam notis, per ignominiam inurebant. Quare στιγματίαι vocabantur. Lucianus, πρὸ γὰρ ἐγὼ στιγματίας ἐγενόμην. Valerius Maximus: *Seruus ab eo vinculorum pœna coercitus, inexpugnabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus.* Plautus in Casina, his literarum notis inustis insignem literatum appellat: *Si hoc literatus me sinat.* Plinius lib. 18 cap 3. inscriptos vultus: *At nunc eadem illa vinctis pedes, damnata manus, inscripti vultus exercent.* a qua nos inhumanitate reuocat Phocylides:

στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονειδίζων θεράποντα.

Tametsi vero seruile esset stigmatis compungi, Samios tamen captiuis Atheniensium noctuam, & Athenienses vicissim illis Samaenam, quod est nauigii genus, inussisse legimus: Plutarchus in Nicia, de Syracusanis loquens: καὶ τούτους (Athenienses) ὡς οἰκέτας ἐπώλουν, στίζοντες ἵππον ἐς τὸ μέτωπον. Idem περὶ τ̃ ὑπὸ τ̃ θείου βραδέως τιμωρουμένων· οὐδὲ γὰρ θρᾷκας ἐπαινοῦμεν ὅτι στίζουσι ἄχρι νῦν, τιμωροῦντες τῷ ὀρφεῖ, τὰς αὐτῶν γυναῖκας. Nostra vero ætate noxiis quibusdam, notas fronti scribi conspicimus: qua pœna sacrilegos afficit Plato νόμων. θ.

Virgilii locus.

CAPVT XXV.

ET *passo Psythia vtilior, tenuisq; Lageos.* Virgilius Georg 2. Seruius, *Lageon* leporariam Latine dici, recte putat: a leporis, vt opinor, colore, vt alopecis. Plinius libr. 14. cap. 3. *Contra damnantur etiam visu cinerea, & rabuscula, & asinisca, minus tamen caudas vulpium imitata alopecis.* Vidi nuper quosdam, qui *lageam* ex eodem Plinii capite, Ægyptiam perperam interpretarentur. Scio *Ptolemaeum* primum Ægypti regem, *Lago*, vt putant quamplurimi, patre genitum, vel Amynta, si credimus Pausaniæ: πτολεμαῖον μακεδόνες φιλίππου παῖδα εἶναι, τ̃ ἀμύντου, λόγῳ δὲ λάγου νομίζουσι. Vnde *Lagea iuuentus*, pro Ægyptia, a Lucano lib 10. nominatur.

Cæsaris in iugulum præstet Lagea iuuentus.

Ex citato vero nuper Plinii loco, vuis quibusdam, ab earum colore nomen indi liquet, quarum in numero *heluola* ponendæ: est

enim *heluus color* Columellæ, qui neque purpureus est, neque niger. Festus & Cato eum inter ruffum & album collocant: mihi sane ad flauum proxime accedere videtur, flauum tamen penitus esse non autumo. Idem fortasse denotat & *Heluinus*. Iuuen. Sat. 5.

Me quoq; ad heluinam Cererem, vestramq; Dianam. Tibull.

Flaua Ceres, tibi sit nostro de rure corona.

Falsa quadam de Demosthene tradi. Ciceronis locus.

CAPVT XXVI.

SEruius Demosthenem *abstemium fuisse* refert, *ob idq; acrioris natura*: Valerius Maximus, *eius patrem cultellos vendidisse*. Quæ mihi minime probantur: nec enim Demosthenes a vino abstinebat, nisi siquando philosophiæ studiis vacaret, orationes scriberet, cautiam orare vellet. Athenæus, χρόνον ὕδωρ μόνον πεπωκέναι ostendit & Lucianus in eius encomio. Libanius, ὅτι μὲν ὅτι τὸ ὕδωρ ἐπιτηδεύσει πίνειν ἵνα ἐγρηγορῇ μᾶλλον περιέχεται τὴν διὰ τούτων ἀπᾶσι ὁμολογῇ). Nec eius pater cultellos vnquam vendidit: fuit enim καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν (auctore apud Plutarchum Theopompo) &, vt temporibus illis copiosus plane & locuples. Indicat ipsius Demosthenis κατ᾽ Ἀφόβου oratio: ὁ γὰρ πατὴρ (inquit) κατέλιπε δύο ἐργαστήρια τέχνης οὐ μικρᾶς ἑκάτερον, μαχαιροποιοὺς μὲν τριάκοντα καὶ δύο, quibus (non enim hoc curabat ipse) aut ex eius libertis quispiam, aut atriensis præesset. Idcirco tamen ab Æschine per contumeliam & probrum μαχαιροποιοῦ υἱὸς, vocatus est, cui satyra assipulator Iuuenalis. Idem κατὰ Μειδίου: εἰσφέρειν οὐκ ἐστὶ ὑπάρχει τῆς οὐσίας: ὑπὸ γὰρ ἐπιτρόπων ἀπεστερήμην, ἀλλ᾽ ἐστὶ τῆς δόξης ὧν ὁ πατήρ μοι κατέλιπε. Verum est autē, quod tradit in libro de Oratore ad Brutum Cicero: Æschinem quædam Demosthenis verba reprehendere, quem nunc locum edisseremus. Æschines κατὰ Κτησιφῶντος: οὐ μέμνησθε αὐτοῦ τὰ μικρὰ καὶ ἀπίθανα ῥήματα, ὅπως ποθ᾽ ὑμεῖς ὦ σιδήρειοι ἐκαρτερεῖτε ἀκροώμενοι. Sequuntur Demosthenis verba. Deinde ait Cicero: *Quinetiam quærit ab ipso, cum quidem eum beluam appellet.* Æschines ibidem: ταῦτα δὲ τίνος ἐστιν ὦ κίναδος (non κίναιδος. Cicero beluam reddit) ῥήματα ἢ θαύματα. κίναδος vulpem notare, tradunt literati Grammatici: non ἀναιδῆ καὶ ἀναίσχυντον, vt scribit Thomas. Idem κατὰ Κτησιφῶντος Æschines, Demosthenem carpit, quod eo vocabulo ἀπορρῆξαι, esset vsus: ὁ γὰρ ἔφη δεῖν. καὶ γὰρ τὸ ῥῆμα μέμνημαι ὡς εἶπε διὰ τὴν ἀηδίαν τοῦ λέγοντος, ἅμα καὶ τοῦ ὀνόματος, ἀπορρῆξαι τῆς εἰρήνης τὴν συμμαχίαν. Æschines mollius ac suauius sic loqui sibi videtur: ὁ δὲ γινώσκειν ἔφη τὴν εἰρήνην ἀπὸ τῆς συμμαχίας.

Dirigenda non esse ad normam poetica carmina. Virgilius illustratur.

CAPVT XXVII.

DIrigenda ad normam non esse secundæ classis poetarum car-

mina, ne ipsius quidem Virgilii, Latinorum omnium facile principis, hæc indicabunt exempla: *Bis capti Phryges*: oratio eius est, Æneid. 9. Nos non *bis* tantum, sed *ter*. captum excisumque Ilium tum fuisse censemus: primum ab Hercule, deinde ab Amazonibus, postremo a Græcis duce Agamemnone, vt probat Tzetzes. Theocrit. in ara is τεύχεϊ δ' ἄγαγε τρίπορθον. Idem paulo supra Virgilius:

Stridentem fundam positis Mezentius armis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena.

Vegetius lib. 2. *semel circum caput agitandam fundam* docet, hoc sermone: *Semper assuescendum est etiam, vt semel tantum funda circa caput rotetur, cum ex ea emittitur saxum.* Rursus Georg. 2.

—*Insolita fugiunt in flumina phocæ.*

Eas alii poetæ Romane, *vitulos marinos* appellant. Phocæ vero, & vituli marini, nomine tantū discrepant. Qua in re Plinius de natura animaliū scribens, quia sæpe peccauit, culpa non caret. nam lectoris animus facile perturbatur, si vnā eandemq; variis nominibus bestiam nūcupari sentiat. Mitto, quod nisi apprime eruditus sit, diuersam primo aspectu credet. Idem Georgic. 2. Virg.

Septima post decimam felix, & ponere vites,
Et prensos domitare boues, & licia telæ
Addere.— Nos hic poetam, *septimum* & *decimum* ad ea quæ enumerat, felices & commodos dies scribere opinamur: ita tamen, vt decimum septimo bonitate antestare tradat. Secus vero putans Hesiodus, decimam tertiam ἡμέραν φυτὰ δ' ἐνθρέψασθαι ἀρίστην censet. nec nonam despicit: est enim, vt docet, ἐσθλὴ μὲν γὰρ ἥδε φυτευέμεν, quas inserendis ponendisq; vitibus a Virgilio destinari, non videmus. Ipse ad domandos boues vigesimamnonā magni pendit Hesiodus, ἀρίστην vocans ἄρξασθαί τε πίθου, καὶ ἐπὶ ζυγὸν αὐχένι θεῖναι βουσὶ καὶ ἡμιόνοισι Ad eos vero mansuefaciendos, decimæ quartæ palmam dat. Duodecima vero, ad addenda, vt ait Virgil. telæ licia, aptissima ab eo creditur.

ἡ δὲ δυωδεκάτη τῆς ἑνδεκάτης μέγ' ἀμείνων,
τῇ δ' ἱστὸν στήσαιτο γυνὴ, προβάλοιτό τε ἔργον.

Ego ad rerum potius naturam, quam magistros, mentis oculos conuertens, crescente luna vites conserendas, telam (si quid interest) in coitu texendam puto: est enim tum frigidior ac humidior luna. Domandis vero bobus diem alium alio, tanquam magis idoneum, præcellere non arbitror.

Aqua pluuialis. Plinius a Medicis dissidens.

CAPVT XXVIII.

INter medicos conuenit, aquam leuissimam pluuialem esse. Celsus *libro 2. cap. 18. Aqua leuissima pluuialis est.* Aetius lib. 3. cap ξ ι. φαίνεται δὲ καὶ οὕτως τὸ μὲν ὄμβριον κουφότατον, καὶ διὰ τοῦτο βέλτιον, ἐν τοῖς ἄλλοις πρὸς τὸ πίνεσθαι κάλλιον, παραχρῆμα ἱστάμενον περιδέχεσθαι:

ἐξαιρεθύμενον. Fatetur Hippocrates in libro περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, quem egregie Paulus Ægineta lib α. cap ν. explicat: λευκὸς δὲ ἐν τῷ σταθμῷ δοκιμάζουσι τὰ κοῦφα τῶν ὑδάτων, νομίζοντες εἶναι κρείττω. τοῦτο δὲ εἰ μὲν πρὸς τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει τοῖς εἰρημένοις, ἐπαινεῖται, μόνον δὲ οὐκ ἐξαρκεῖ τεκμήριον εἶναι. Nos igitur, vt leuis admodum sit, e niue, aut glacie concretam aquam vituperantes (nisi prius bene cōcinnatam, quo modo δικήνζων apud Galenum lib θεραπευτ. μεθόδου ζ. videmus) Hippocrati applaudimus, ei frustra obtrectante lib. 2 Athenæo. Verba Hippocratis citato nuper libro: τοῦτο οὐδ νομίζω πονηρότατα τοῦ τα τὰ ὕδατα εἶναι, τὰ ἀπὸ χιόνος καὶ κρυστάλλου. quibus apud Gellium *lib.19.cap.5* subscribit Aristoteles. Pondere vero aquarum leuitatem deprehendi posse, si quis diligentiam adhibere velit, eo ipso fretus doctore lib. περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, contendo. Athenæus in β. σταθμήσας τὸ ἀπὸ τῆς ἐν κορίνθῳ πειρήνης καλουμένης ὕδωρ, κουφότερον πάντων εὗρον τῶν κατὰ τὴν ἑλλάδα. Plinius lib 31. cap 3 aduersus ea, quæ nunc retuli, *niues imbribus a Medicis* (haud dubie quin pessimis) *preferri, niuibusq; etiam glaciem, tradit: perrarumq; esse, vt lentior sit aliqua.* Ego sane hoc in genere nobilium Medicorum placita, non Pliniana decreta, amplector. Videant autem, qui huic viro patrocinari studēt, ne a natura ipsa desciscant, ac veritatem oppugnent: quod fecisse nonnullos, quorum me miseret, nemo nescit.

Nili fluminis aqua.

CAPVT XXIX.

Nunc videamus, an de Nili fluminis aqua præclari inter se viri discrepent. Aetius libro tertio: ποτάμιαι δὲ ὕδατα καὶ λιμναῖα πάντα τὰ κακά, πλὴν τοῦ νειλώου. τοῦτο γὰρ πάσαις ταῖς ἀρεταῖς κεκόσμηται. Spartianus in Pescennio Nigro, *tantam illius fluminis dulcedinem esse* ostendit, *vt accolæ vina non quærant.* Quid Hircius, aut Oppius, de bello Alexādrino? *Nam quæ flumine Nilo fertur aqua, adeo est limosa atq; turbida, vt multos variosq; morbos efficiat.* Quibus verbis, vanam esse quorūdam sententiam manifesto apparet, qui huius fluminis aquas ideo salubres esse aiunt, quod solis calore torreantur ac decoquantur. Quæ si probanda esset, hād tamen potius sibi amnes gloriam arrogarent, qui propter æquinoctialis propinquitatem rectis solis radiis pene ad lineam pendentib⁹ feriuntur. Quare nos Oppio, vel Hircio adstipulātes, Nili aquā vt noxiam damnamus: nullamq; salubrem, quæ illius ritu limosa sit, putamus. Delirant igitur & Aetius, & Spartianus? Minime sane, sed eos excusat libro περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως α Galenus: ἔστι δὲ δήπου καὶ τὸ ἰλυῶδες ὕδωρ, σκληρότερον, ὡς καὶ τὸ τοῦ νείλου, καὶ κατ' αἴγυπτον, ἀλλὰ διὰ τῶν κεραμίων ἀγγείων διηθούμενον, ἀκριβῶς γίνεται καθαρόν. χρὴ δὲ μὴ ἅπαξ, καὶ δὶς ἢ τρὶς διηθεῖν αὐτό, &c. Idem εἰς τὸ ιε τῶν ἐπιδημιῶν ὑπομ. δ. quæstionem hanc perstringit, quam in pauca concludentes, colatam Nili aquam, ac tam-

diu in vase testaceo seruatam, donec omnis prorsus limus subsederit, ac in limpidam defecatamq; abierit, cum Aetio valde probamus: turbidæ potum summopere fugiendum existimamus. Quæ vero de Nilo sentimus, eadem ipsi in vtramque partem de Tiberi Romæ, de Rheno Bononiæ, de Rhodano Arelate (pace Aetii, qui vnum Nilum excipit) a vero non declinare, periclitati sumus.

Τυμβαῦλαι. βυκανισταί.

CAPVT XXX.

VT funus ad tubam aut tibiam deduceretur, antiqua fuit consuetudo. Persius:

> *Hic tuba candelæ, tandemq; beatulus alto*
> *Compositus lecto.——*

Qui ad huiusmodi nænias accersebantur *tibicines*, τυμβαῦλαι à Græcis, a Romanis *siticines* aut *sicinnistæ* nominantur. Galenus, *βομβώδεις δ' εἰσὶν ἕτεροι, τοῖς ἐξ εὐρυτάτων αὐλῶν ἐοικότες, οἵπερ ἔχουσιν οἱ τυμβαῦλαι καλούμενοι.* Ælianus *ἐκφρήνης δὲ πατρὸς ὄντι ἔργου, καὶ τυμβαύλου πίπτοντος ἐκβιάζ.* Qui in triremibus tibia canebāt, *τριηραῦλαι* vocabantur. Demosthenes *περὶ τοῦ στεφάνου· ἀλλ' ὡς ὁ τριηραύλης Φορμίων.* nec scio cur Suidas *ὄνομα κύριον* esse putet. Qui *tuccina*, *βυκανισταί.* Dionysius Halicar. *τὴν δὲ τρίτην, εἴκοσι καὶ δύο οὖσι τοῖς σαλπισταῖς καὶ βυκανισταῖς.* *Σίτυρισταὶ* vero. *fistulatores* non sunt, sed *satyri*, apud Appianum *ἐν λιβυκῇ*, motu turpi atque indecoro saltantes ac gesticolantes: *καὶ χορὸς κιθαριστῶν τε καὶ τιτυριστῶν, ἐς μίμημα τῆς τυρρηνικῆς πομπῆς.* Ælianus, *ὅτι οἱ συγχορεύοντες Διονύσου σάτυροι ἦσαν, οἱ ὑπ' ἐνίων τίτυροι ὀνομαζόμενοι.* Theocriti commendator *τίτυρος δὲ, ὁ πίθηκος ὁ μικρὸν ἔχων οὐρὰν.* Auctor anonymus: *ἀμέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι, καὶ τίτυρον* (Satyrum) *κλήσκουσι.* Nec ignoro; *αὐλὸν* quendam *τιτύρινον* vocatum. Eustathius *παρὰ τοῖς ἀλεξανδρεῦσιν, ὁ μόναυλος γίγγρας, καλούμενος τιτύρινος τοῖς ἐν Ἰταλίᾳ δωριεῦσιν, εἴτ' οὖν σατυρικός· τίτυροι γὰρ δωρικῶς οἱ σάτυροι.* At *σαμβύκη* neque tibiæ genus est, neque fistulæ, vt tradunt imperiti Grammatici: sed instrumentum musicum triangulum, cuius meminit libr. *δειπνοσ. ιδ'.* Athenæus. Vnde apud eundem lib. *δ'.* *συμβυκίστριαι, καὶ μουσουργοί, καὶ συμβυκίστριαί τινες ῥόδιαι.* Ceterum, tametsi auctore in Problematis Aristotele *ὁ αὐλὸς ἥδιον τῆς λύρας* habitus sit: citharœdi tamē honore ac dignitate aulœdos antecellebant. Cicero pro Murena: *Vt aiūt in Græcis artificibus eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerint.*

An musicis cantibus sanentur ischiadici.

CAPVT XXXI.

AVlus Gellius creditum a plerisque, ac memoriæ mandatum refert, *Ischiadici cum maxime doleant, tum si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores.* Se autem in libris Theophrasti scriptum inuenisse; *viperarum morsibus tibicinem scite moduleteq; adhibitum;*

hibitum, mederi. Athenæus priorem opinionem confirmat, lib. ιδ. ὅτι δὲ καὶ νόσους ἰᾶται μουσικὴ, Θεόφραστος ἱστόρησεν ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμοῦ, ἰσχιαδικοὺς φάσκων ἀνόσους διατελεῖν, εἰ καταυλήσει τις τοῦ τόπου τῇ φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ. Nec silentio prætereunda sunt Martiani Capellæ verba: *Ad affectiones animi Theophrastus tibias adhibebat. Ischiadas quis nesciat expelli aulica suauitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Thaleatem Cretensem cithara suauitate cōpertum est, morbos ac pestilentiam fugauisse. Nos phreneticos legimus ab Asclepiade, vel tibiarum, vel fidicularū cantu adhibito, sanatos. Dicitur quoque Ismenias Thebanus ischiadicos tibiæ sonis ad incolumitatem restituisse.* Esse in Apulia phalangium araneorum genus audio (Itali a Tarento vrbe *tarentulā* nuncupant) alio anni tempore ad nocendū non magnam vim habens, in magnis vero solis ardoribus, acerbitatis virus pestiferū infligere: huiusq; perniciei vnam hanc salutarem inuentam esse medicinam, vt ictus vario ac multiplici cantu tibiarum ac citharistarum, aliorumve musicorū permulceatur. Nec alienum nobis videtur, morbos eos, qui animum vehementer exagitant, ac fodicant, hoc canore leuari, lenirique: huc enim vocum concentus influere, & occulto quodam tramite sese insinuare atque applicare, perspicuum est. quem in numerum cum coxarum ægrotationes aggregandæ non sint, quā in his spem ponere debeant ischiadici, non perspicio. In phreneticis, melancholicis, atque id genus ægris hoc nihil admirationis habet. Si quis porro vincere percupiat, ac Phrygiam harmoniam illis adhibendam censeat, cantiunculis quinti (vt vocant) toni modulatione inflexis, quæ huic fere harmoniæ respondent, quin id tentet nihil moror, tametsi parum promoturum arbitrer: nec enim hoc in morbo ea laborant, quæ reficere tibicines aut citharœdi queant: qui, an viperarum morsibus medeantur inuestigare adhuc me fateor. Cum autem multa cur id non putem, sese offerant, tum hoc in primis, quod neq; Græci vlli, neq; Latini nobiles medici quorū quidem in lucem opera exierint, id vnquā literis mandauerint. Plus negotii est autem his, qui, quæ de Tarantula a nobis relata sunt asserunt, respōdere, cum id se in Apulia vidisse clament ac testentur. ἐγὼ δὲ (vt Herodoti verba vsurpem) περὶ μὲν τούτου οὔτε ἀπιστέω, οὔτε πιστεύω λίην. Quare hæc in medio relinquo. Quin tibiarum tubarumque sonus ægros huiusmodi a somno reuocet, & ad saltandum incitet, quo lethargus mitigatur, quumve labore ac sudore tum vincatur, tum expellatur id genus, non nego. Locus hic me monet, vt rem priscis ignotam, multis inauditā referam. Est apud Cenomanos Galliæ populos bestia quædam, (*Surdum* vocant) medium quoddam inter lacertam & ranam genus, aluo tantum exiliore, quaternis pedibus incedens, dentibus firmis prædita, quibus si quempiam corripuerit (solet autē dormientes in agris adoriri) morsum nūquam linquit: experimento

autem constare ferunt, hac genis, aut gutturi adhærente, eadē aut interemta illico homines interire. Nos vtcunq; sit, rusticum quendam nuper vidimus, qui tres iam annos pestem hanc malis affixam aluerat, qui se nihilo minus nō mala esse valetudine, nulloque ob id carnis incommodo infestari prædicabat.

Μυκτηρίζειν. χλευάζειν.

CAPVT XXXII.

Plinius lib 11. cap. 32. nouos mores ait subdolæ irrisioni nasum dicauisse. Horatius:

—Naso suspendis adunco. Martialis:

Nasutus sis vsq; licet, sis deniq; nasus.

Quas loquendi formulas a Græcis Latini acceperunt. Gregorius. μυκτὴρ ὕβριν πνέων καὶ ἀδελφοφθόνων. Lucian. ὅρα μὴ ἐς εἰρωνείαν φῇ, ἢ μυκτῆρα οἷον τ' ἀτεχνῶς προσεῖναι τῷ ἱππείῳ. Pollux, καὶ τὸ εἰρωνεύεσθαι μυκτῆρα καλοῦσι. Hinc μυκτηρισμὸς pro derisu. Quintilian. libro 8. *Adiiciunt his μυκτηρισμὸς, simulatum quidem, sed non latentem derisum.* Simplicius, μῶμος δὲ ἐστιν ὁ μυκτηρισμός. Et μυκτηρίζειν. Athenæus lib δ. τὸ δὲ πλάτωνος πλῆρές ἐστι μυκτηρισμῶν ἀλλήλους τωθαζόντων. Et μυκτηρίζειν καὶ ἀντιμυκτηρίζειν, *vicissim naso adunco suspendere.* χλευάζειν præter vulgarem significatum conuiciari denotat. Pollux. καὶ τὸ σκώπτειν, τωθάζειν. ἀφ' οὗ καὶ τὸ λοιδορεῖν. χλευάζειν. καὶ, χλευασίαν με ποιεῖς ἡ κωμῳδία φησὶ (Aristophanes in Pluto) ἤγουν ἐξονειδίζεις, ἢ αἰσχύνεις. Dion τοὺς κρείσσονας αὐτοῦ καὶ πατεῖ, καὶ χλευάζει. Demosthenes, ἐν τῇ κατὰ Νεαίρας ἐνδείξει καὶ ποτὲ μὲν λοιδορουμένους, καὶ χλευάζοντας αὐτοὺς τ' ἀπόρρητα. Artemidorus lib. Onirocrit. A cap. 8 χλευάζειν ἐλέγχειν significare, ex his Menandri versibus probare nititur: ἐὰν γὰρ κακῶς μου τὴν γυναῖχ' οὕτω λέγῃς, τὸν πατέρα καὶ σὲ τοὺς νεωτέρους ἐγὼ χλευάσω. ἀντὶ τοῦ (inquit) ἐλέγξω aut χλευάσω, κακῶς λέξω. Apud Plautum quoque in Cistellaria. *frigidam subdole suffundere*, clanculum mordere, probro maledictisque incessere, notat. Licet Erasmus in prouerbio, *Frigidam aquam suffundere*. hoc secus explicuerit. Nec abs re erit si in transcursu Horatium satyra 4. emendemus, *E quibus vnus auet quauis aspergere cunctos præter eum qui præbet* (qui conuiuium præbet) *aqua*, non *aquam*, tametsi quid sit *præbere aquam*, adhuc a multis quæratur.

Prima fax. Hora duodecima.

CAPVT XXXIII.

Qvod maxima olim populi circa horā, vt antiqui illi numerabant *quintam*, vt nos Galli *vndecimam*, in foro esset frequentia: hoc a Græcis hominibus tempus. ἀμφὶ πλήθουσαν ἀγορὰν vocabatur. Lucianus ἐν φιλοψευδεῖ. ἤδη δὲ ἐς ἀγορὰν πλήθουσαν ... ἐκπλαγέντες, ἐσβάλλειν εἰς τὰ ἄλλα, ἀμφὶ πλήθουσαν ἀγορὰν, ... Hoc porro sic patefacio. Xenophon ... ἤδη τε ἦν ἀμφὶ ἀγορὰν πλήθουσαν. *Iam instabat tempus, quo implentur hominum conuentu fora.* Consumto vero aliquo in capiendis

...nis temporis interuallo, subdit. & ἤδη τι πῶ μέσον ἡμέρας, & ὥσπερ ... Diodor lib. ... Galenus ... λύχνων ἡμμένων. pro hora vespertina, qua lucernæ accendi solent, vsurpauit: ἥκεις ... ἡμέρας ... λύχνων ἡμμένων. *Prima fax* ideo a Latinis vesper non dicitur, quod faces & lucernæ vesperi accēderentur, vt tradūt quidam: sed quoniam Venus & vesperugo, fax cœlestis, & stella post solis occasum prima lum lucere incipit. Apuleius in asino aureo: *Sed prima face in cubiculum tuum adero.* Macrobius Saturnal lib. 1. cap 3. *Et post primam facem, ante mediam noctem reuertuntur.* Qui in fine eius capitis, sententiam nostram obscure confirmat. Duodecima vero hora aliquid aggredi ac moliri, sero & tarde significat, quod ea sit diei vltima. Plutarchus in Crasso: ... τῇ βασιλείᾳ ..., πάνυ μὲν ὄντα γηραιὸν ἤδη, κτίζοντα δὲ νέαν πόλιν, ... εἰπεῖν ... δωδεκάτης ὥρας οἰκοδομεῖν ἀρχῆ.

IOANNIS BRODÆI MISCELLANEORVM LIBER V.

Sandyx.

CAPVT I.

QVid sit sandyx, indicat lib. 5. cap 57 Dioscorides. Galenus, ... ψιμμύθιον εἰς τὴν καλουμένην σάνδυκα μεταβάλλεται. Aetius, καιόμενον δὲ τὸ καθαρὸν ψιμμύθιον εἰς τὸ καλούμενον συρικὸν μεταβάλλεται ὅπερ οἱ ἰατροὶ σάνδυκα ὀνομάζουσι. Paulus, σάνδυξ ἢ συρικόν. Plinius lib. 35. cap. 6. Virgilium herbam existimasse scribit, illo versu:

Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.

Cui in hoc repugno vti & Seruio, *sandycem* herbam esse tradenti. Nec scio an vocabuli sandycis cum scandicis affinitas, vti que aliud agenti, fraudi fuerit. Georgius Agricola ex Vitruuii lib. 7. cap 12 *sandaracam a sandyce nil interesse*, ostendere conatur: quod Galenus, Paulus & Aetius, coarguunt. Ipsi vero, Paulus & Aetius, vt perspicuum est, Syricum & sandycem rem candem opinantur: vt iam fere compertum sit, hæc duo nihil inter se differre. At ea disiungit nominato nuper loco Plinius, Syricum sinopide & sandyce mixtis fieri docens. *Præterea* (inquit) *e vilioribus, Ochra, cerussa vsta, sandaracha, sandyx Syricum, atramentum.* secernit & cerussam vstam: cum ex ea tamen vsta, sandaracha, ochra, & sandyx conficitur. Nec, quin altera sit ochræ species, quæ per se nascens fodiatur, ignoro. Vopiscus in Aureliano, ad hunc modum scribens: *Dicitur enim sandyx Indica talem purpuram facere, si curetur:* de purpurisso, eodem teste Plinio, sermonem habere mihi videtur. Ceterum Virgiliani versus hic sensus est: *Ouium pascentium lana sponte sua egregiis coloribus imbuentur, vt noua tinctura vsu non sit.*

Glastum.

CAPVT II.

G*Lastum*, Gallica & Britannica vox est, herbam eam notans, quæ a Græcis *ἰσάτις* vocatur: *luteum* Vitruuius appellat, lib. 7. cap. 14. Nos hodie *guadum*, & *pastellũ*, quod trusatilibus molis pressa & exsucta, in pastillos digeratur. Cæsar lib. de bello Gallico, 5. *Omnes vero se Britanni glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem.* Nonnulli (quibus aduersor) vitro, aut luteo corrigendum digladiantur. Glasto sane Plinium legisse, hæc eius oratio lib. 22. cap 1. indicat: *Simile plantagini glastum in Gallia vocatur*, &c. Cũ igitur ita sapientiæ professor loquatur Plinius, nihil est, quod Cæsarem, tanquam *ῥιζοτόμον*, luteum a Romanis nuncupari, scire curasse existimemus. Quid, quod hæc tractantes literati homines, hallucinantur? Alciatus, qui *glastum*, in Parergis, Latinum vocabulum putat: Calcaguinus, qui Taciti testimonio, cuius nulla apud eum est mentio, sed succini, quod *Glesum* Germani vocant, de eo disputat. Alios prætereo, qui eius plantæ folia lactucæ similia perhibent. Quæ cum ita sint, quis de eo Imperatore valde miretur? Adde, quod ipse *lib. 33. cap. 5* Plinius, de lutea herba sermonem habens, glastum esse, modeste silet. vt si qui in eo peccet, eis ignoscere æquum sit.

Mulieres castrari, & incidi.

CAPVT III.

QVi primus castrandas mulieres suasit, næ dignus fuit, cuius mater eas pœnas lueret. quod scelus, quia multis partim inauditum est, partim incredibile videtur, probandum statuimus. Athenæus δειπνοσοφ. ιβ. Λυδοὶ δὲ εἰς τοσοῦτον ἦλθον τρυφῆς, ὡς καὶ πρῶτοι γυναῖκας εὐνουχίσαι. Mox infra: ὁ δ᾽ οὖν Ξάνθος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Λυδιακῶν, Ἀδραμύτην φησὶ τὸν Λυδῶν βασιλέα πρῶτον γυναῖκας εὐνουχίσαντα χρῆσθαι αὐταῖς ἀντὶ ἀνδρῶν εὐνούχων. Id maxime fieri, si testes intus reconditi incidantur. περὶ σπέρματος α. docet Galenus: ὅτι δὲ καὶ εἰ θήλεος ζώου τοὺς ὄρχεις ἐκτέμνοις, οὔτ᾽ ἐξ[...] κατὰ τὸ τοιοῦτον, οὔτε προσίεται τὸ ἄρρεν, ἀφροδισίων κοινωνίας ἕνεκεν. Hanc principio rem hominis monstrum in suibus tentasse suspicor, eo quo retuli modo: deinde se ad mulieres transtulisse. Nam suum vuluas ferro exulcerat Columella, & cicatricibus claudit, ne sint genitales: idque cibi penuria fieri autumat. Galenus citato volumine hanc adfert rationem, quoniam ἥδιόν τι τὸ κρέας ἴσχουσι τῶν ἄλλων θηλειῶν. quam a quibusdam gulæ proceribus vehementer laudari sentio, qui se id quotidie in gallinis experiri impudenter gloriantur. Attingit hæc *lib. 8. cap 51.* Plinius. Strabo lib. ιζ. Ægyptios vetere ritu, καὶ τὰ θήλεα ἐκτέμνειν, solere refert: ὥσπερ, inquit (quod absurdum esse certo scimus) καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμιμον. ac libr. ις, καὶ αἱ γυναῖκες ἰουδαϊκῶς περιτετμημέναι. Quod sic accipiendum est, vt nymphæ, quam *Eugium* vocant, portiunculam resecarent. quibus

quibus demandata esset hæc prouincia. Galen. ἡ νύμφη δὲ τὸ ἀπο-κύπτειν ἐστὶ πολὺ, ἐν ἐνίαις ἀξιοῦται παρ' αἰγυπτίαις, ἐπὶ τῶν παρθένων. Qui mos a Sophianis mulieribus hodie seruatur, quibus etiam caruncula hæc mirum in modum augeri solet.

Bis pueri senes. Plato illustratur.

CAPVT IV.

ΑΡ' ὡς ἔοικε δὶς γένοιτ' αὖ παῖς γέρων. Aristophanis Scholiastes senarium hunc, quo *bis puerum esse senem* traditur, Platoni mediæ, aut (veteris, vt iudico) Comœdiæ poetæ, tribuit, quem paululum immutans νόμων α. Plato philosophus sic inquit: οὐ μόνον ἄρ' ὡς ἔοικεν, ὁ γέρων δὶς παῖς γίγνοιτ' αὖ, ἀλλὰ καὶ ὁ μεθυσθείς. Id est, *Non solum igitur senex, vt videtur, bis erit puer, sed ipse etiam temulentus.* Erasmus in adagio, *Bis pueri senes*, Platonem ad hunc modum loquentem iterum citans, hallucinatur: ἄρ' ὡς ἔοικε, δὶς γέγονεν αὖ παῖς γέρων. id est, vt ipse vertit: *Similis videtur bis seni puer senex.* id enim vsquam apud Platonem reperiri inficior: nec γέγονε, sed γένοιτο legendum. Multa consulto prætereo. Exstat & Theopompi, poetæ comici (non historiarum scriptoris) in eandem sententiam trimeter iambicus δὶς παῖδες οἱ γέροντες ὀρθῷ τῷ λόγῳ. Plautus in Mercatore: *Senex quum extemplo est, iam nec sentit, nec sapit.* Aiunt solere eum rursum repuerascere.

Acinaces. ἐπώνυμοι. Lucianus declaratur.

CAPVT V.

TAmetsi ἀκινάκης vocabulum sit Persicum, ensem significans, vt tradit in Polymnia Herodotus, καὶ τὸ περσικὸν ξίφος, τὸν ἀκινάκην καλέουσι: Græci tamen etiam pro gladio Scythico vsurpare solent, quem, sicut deum quendam, gens illa obseruaret ac coleret. Clemens Alexan. σκυθῶν δὲ οἱ σαυρομάται, ὥς φησιν ἱκέσιος ἐν τῷ περὶ μυστηρίων, ἀκινάκην σέβουσι. Ammianus lib. 31. *Nec templum apud eos visitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum cerni vsquam potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque vt Martem, regionum quas circumeunt præsulem, verecundius colunt.* Ex his Lucianum περὶ φιλίας elucidamus: οὐ μὰ γὰρ τὸν ἄνεμον, καὶ τὸν ἀκινάκην, οὐδὲν πρὸς σε, ὦ Μνήσιππε, ψεῦδος ἐρῶ, περὶ τῶν φίλων τῶν σκυθικῶν. Rursus in Ioue tragœdo: σκύθαι μὲν ἀκινάκῃ θύοντες, καὶ θρᾷκες ζαμόλξιδι. ἐπώνυμοι vero prisci heroes fuerunt, a quibus (non a duodecim diis, vt nugantur plerique) Atticæ tribus sua cognomina acceperunt. his magni honores ab Atheniensibus collati, statuæque in arce eius vrbis collocatæ. Lucianus περὶ γυμνασίων. ὥστε εὐεργέτης ὑμῶν ὁ ἀνὴρ ἀναγεγράφθω, καὶ χαλκοῦν αὐτὸν ἀναστῆσαι παρὰ τοὺς ἐπωνύμους ἐν πόλει, παρὰ τὴν ἀθηνᾶν. Horum nomina si quis callere desiderat, Pausaniam in Attic. aut Demosthenem ἐν ἐπιταφίῳ consulat.

Euripus. Senecæ locus.

CAPVT VI.

EVripus, maris pars est inter Aulidem Bœotiæ portum, & Eubœam insulam, a cuius prodigiosa quadam reciprocandi celeritate, aquæ olim Romæ in prophanas ædes, circum, theatra, per fistulas aut tubos, Euripi nomen lucrantes (*vt alias luculenter ostendi*) immittebãtur. Quod vt obtrectatoribus meis obsequar, probandum decreui. Statius Syluar. 1. —*An emissas per cuncta cubilia lymphas.* Suetonius: *Circensibus spatio circi ab vtraq; parte producto, & in gyrũ Euripo addito.* Valer. Maxim. lib. 2. *Cneus Pompeius ante omnes, aqua per semitas decursu æstiuum minuit feruorẽ.* Sunt qui maiores aquarum ductus, atq; adeo emissaria, Nilos vocare malint, ac Ciceronem *in lib. de legib. 7.* ad hunc modũ citant, Ductus vero aquarum quos isti Nilos & Euripos nominant. Nec indecens est, si de huiusmodi rebus disserentem *epistola 91.* Senecam in transcursu castigemus, & explicemus: *Hodie vtrum tandẽ sapientiorem putas qui inuenit, quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat.* Crocum scribe (non, *orcum*) quo cum vino mixto, theatra, vt tradit Plinius, replebant. Martialis *lib. 1.*

Et Cilices nimbis qui maduere suis.

Id est, croco cilicio, cui prima nobilitas. Spartianus in Hadriano: *In honorem Traiani balsama, & crocum per gradus theatri fluere iussit.* Hoc deinde, vt ad prima reuertar, contexit Seneca: *Qui Euripum subito aquarum impetu implet, aut siccat.*

Στακτὴ

CAPVT VII.

QVid sit στακτὴ, his verbis nos instruit in libello περὶ ὀσμῶν Theophrastus: ἐκ κοπτομένης, καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ· στακτὴ δὲ καλεῖται διὰ τὸ μικρὸν στάζειν. Idem περὶ φυτῶν. 1. τῆς σμύρνης δὲ ἡ μὲν στακτὴ ἡ δὲ πλαστή. Dioscorides, περὶ στακτῆς σμύρνης κεκομμένης τὸ λιπαρὸν (de cinnamomo tacens) stactam vocat. Cum his *lib. 12. cap. 15.* cõgrediens Plinius, *myrrham sponte, prius quam incidatur, stactem sudare*, manifesto errore scribit. Nec sane Basilii εἰς τὸν μδ. ψαλμὸν, adhuc opinionem concoquo: ἡ δὲ στακτὴ (inquit) καὶ αὐτὴ σμύρνης ἐστὶν εἶδος τὸ λεπτότατον ἐκθλιβέντος γὰρ τοῦ ἀρώματος, ἔστι μὲν αὐτοῦ ῥυτὸν, εἰς ἣν στακτὴν ἀπομερίζεται· τὸ δὲ παχὺ ἀπομεῖνον σμύρνα προσαγορεύεται. Lucretius lib 2 *stactam*, pro vnguento e stacta (nã per se hoc nomine vnguentum facit) hoc versu sumit:

Sicut amaracini blandum, stactæq; liquorem.

Athenæus ἐπιστολαῖς ἐπιτάσιν αὐτῆς καταχρίων τῆς κεφαλῆς, μύρα πολυτελέστατα· τὸ μύρον τῆς στακτῆς καὶ τμήσεις. Nec, quin huic oleum admisceri possit, inficias eo. στακτὴν porro μύρα, hoc est, liquida, vocitant Græci. Archestratus apud eundem Athenæum lib. 3 περὶ σταλάξιν μύροις (sic enim placet legere) ἀγαθοῖς χαίτην

ς...

γυμνάσαι. Aristophanes in Pluto: ὑπὸ μυέρων μυρίσας στακτῇ. Cæterum quæ de stacta Theophrastus & Dioscorides prodiderunt, ea a præclaris medendi doctoribus valde probari animaduerto.

Ouidii & Virgilii loca.

CAPVT VIII.

Muneribusq; datis, & aceruis thuris honores: Ouid. Metam. 8. Nos, *Et acerris thuris honores,* castigamus. Idem Fastor. 2.

Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.

Hic, *tribus digitis,* nemo ab Ouidio fortuito & temere positum existimet: eo enim modo prisci thure litabant. Porphyrius, ἡ γὰρ αὐτόπτης τῶν θεῶν ἐκείνῳ τοὺς χρυσόκερως βοῦς, καὶ τὰς ἑκατόμβας τοῦ πυθίου ... μᾶλλον ἔφησεν ἡ πυθία ... τῶν ψαιστῶν ἐκ τῆς πηράδιος τοῖς τρισὶ δακτύλοις. Lactantius lib. de iustit. 5. *Nam cruciari atq; interfici malle, quam thura tribus digitis comprehensa in focum iactare.* Vt sacra quoque diis facientes, excepto solum Saturno, caput tegerent, antiquum fuit institutum. Virgilius Æneid. 3.

Et positis aris iam vota in littore solues,
Purpureo velare comas adopertus amictu.

Caussam adfert Seruius. Valer. Argon. 5. *Obnubensq; caput cineri dat vina vocato.* Varro. *Sicca aritu, quod Romano ritu sacrificium fœmina cum faciunt, capita velant.* Vt in culpam merito veniat Demetrius Triclinius, illud Pindari hymno Olympiorũ 6. *νυκτὸς ὑπαίθριος,* sic edisserens: δίχα λινὸς ἐν τῇ κεφαλῇ καλύμματος. ὑπὸ γὰρ ... ἔθος ἀρχαῖον. Iudæi, sicuti nunc etiam videre licet, Deo supplicantes, linteo caput obnubunt.

Homerum cæcum non fuisse.

CAPVT IX.

Qui cæcum Homerum fuisse perhibent, quibus veterum idoneorumque auctorum monumentis nitantur, mihi nondum liquet. Plato in Phædro, eum, quod in Helenam inuectus ac debacchatus esset, oculis ab ea priuatum, iocose tradit. Nos ei iam grandi natu, infortunium hoc aut morbo, aut senectute contigisse credimus. Herodotus, οἱ μὲν δὴ ἰθακήσιοι λέγουσι, ὅτι μὲν παρ' ἑαυτοῖς τυφλωθῆναι: ὡς δὲ ἐγὼ φημί, ὅτι μὲν ὑγιὴ γενέσθαι, ὕστερον δὲ ἐν κολοφῶνι τυφλωθῆναι. Pausan. in Messen. διεφθάρη δὲ ὁ θαμύρις, ἐμοὶ δοκεῖν, ἀπὸ νόσου τοὺς ὀφθαλμούς· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὁμήρῳ συνέπεσεν ὕστερον. Tzetzes, πένης πλὴν δὲ ὁ ἀνὴρ (Homerus) καί γε τυφλὸς ἐκ γένους. At repugnat lib. *Tuscul. Quæstion.* vltimo Cicero: *Traditum est etiam Homerum cæcum fuisse.* Fateor equidem: si tamen in sententia permaneam, nemini me iniuriam facere suspicor.

Dionysius Halicar. exponitur. Romanorum nomina.

CAPVT X.

Romæ aliquãdo sacrificia extraordinaria fiebãt, inter q̃ Gal-

lus & Galla, Græcus & Græca, in foro Boario sub terra viui demittebantur vt docet *decad 3 lib. 2* Liuius: & Plutarchus in Marcello: ἐπὶ τοῦ πολέμου συμπεσόντος, ἠναγκάσθησαν εἶξαι λογίοις τισὶν ἐκ τῶν σιβυλλείων· δύο μὲν ἕλληνας, ἄνδρα καὶ γυναῖκα, δύο δὲ γαλάτας ὁμοίως ἐν τῇ καλουμένῃ βοῶν ἀγορᾷ κατορύξαι ζῶντας. Qui cum his Phrygem & Phrygiam coniungunt, turpiter labuntur. Siquidem apud Dionysium Halicarnass. libr. β. ἱερᾶται δὲ αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ καὶ γυνὴ Φρυγία: verbum hoc ἱερᾶται, sacra facit, significat, non immolatur, nec de immanibus illis victimis vllus hic sermo habetur. A Græcis autem tribunitia comitia, φυλετικαὶ ἐκκλησίαι: centuriata, λοχίτιδες: ius trium liberorum. τιμαὶ τριπαίδες: & ὑπὸ δόρυ πωλούμενοι, sub hasta venditi dicuntur. Idem libr δ. ἤδη γὰρ συνεστάμενοι παρὰ τοῦ δημοσίου τοὺς ὑπὸ δόρυ πωλουμένους ἐκ τῶν λαφύρων. Ipsi porro tria Romanis nomina Græci tribuunt, non quatuor: quorum primum κοινὸν καὶ προσηγορικὸν: alterum, συγγενικὸν, καὶ πατρωνυμικὸν: tertium, τρίτον καὶ ἐπώνυμον vocant. Idem lib. γ. Dionysius: μαθὼν, ὅτι ῥωμαίων ἑκάστῳ κοινὸν τὸ ὄνομα κεῖται, καὶ μετὰ τὸ κοινὸν ἕτερον, ὃ δὴ συγγενικὸν αὐτοῖς ἐστι, καὶ πατρωνυμικόν. Et, αὐτὸς μὲν ἐκαλεῖτο κοινὸν ὄνομα, καὶ προσηγορικὸν, τίβιος, τὸ δὲ συγγενικὸν ἄττιος. Ac ἐπώνυμον, κόρδος. Plutarchus in Coriolano: ἐκ τούτου τρίτον ἔσχεν ὄνομα, τὸ κοριολανός. Rursus in Mario: γαΐου μαρίου τρίτον οὐκ ἔχομεν εἰπεῖν ὄνομα.

Pollutas animas circa sepulcra vagari.

CAPVT XI.

PLato in Phædone, *quæ polluta impuraq; anima a corpore discesserit:* hoc est, quæ illud semper amplexa coluerit & amauerit, eius voluptatibus ac libidinibus seruierit: *eam morte obita, circa monumenta ac sepulcra vinolui* tradit, vt quæ prorsus ab eo non emigrarit. Sunt qui eorum animas, qui sibi mortem consciuerint, post fata cadaueribus magis magisq. vinciri, atque his assidue cohærere, ideoque circa funus ac sepulturam peruagari suspicentur. Hinc orti phantasmatum, vmbrarum, lemurum terrores. Apuleius Apologia prima: *Omnia nocturna occursacula, omnia bustorū formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta.* Poetæ vero, qui nihil sibi non permittunt, ipsas e sepulcris vmbras euocant, & inimicos suos spectris exagitare, ac imaginibus quibusdam exercere comminiscuntur. Virgilius Æneid. 4.

Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus vmbra locis adero.—

Quæ pauca, ad declaranda partim poetarum, partim etiam aliorum scriptorum deliramenta, quibus eorum libri referti sunt, sufficere existimaui.

Æschines illustratur.

CAPVT XII.

KΑὶ γὰρ αὖ καὶ δεινὸν, ὦ ἀθηναῖοι, εἰ τὰ μὲν ξύλα, καὶ τοὺς λίθους, καὶ

τὸν

τὸν σίδηρον, τὰ ἄψυχα καὶ ἀγνώμονα, ἐάν τινα ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ ὑπερορίζομεν. Verba Æschinis, κατὰ Κτησιφῶντος: quæ omnibus perspicua spero fore, si lignum, gladium, lapidem, aut aliud quidpiam inanimum, quod forte fortuna e superiore loco cadẽs, hominem interfecisset, e finibus Atticis eiiciendum, amandandumque, quasi exilio multandum, legibus suis sanxisse Draconem, ostendero. Æschili commentator ἐκεῖνος γὰρ (Draco) ὑπὲρ τοῦ μηδὲν ἁμαρτάνειν, φησὶ κἂν ἄψυχον ᾖ τὸ ἀποκτεῖναν, κἂν ξύλον, κἂν σίδηρος, κἂν χαλκὸς, ἐξορίζεσθαι αὐτὰ. Pausanias in Attic. τὸ δὲ ἐν πρυτανείῳ καλούμενον, ἔνθα τῷ σιδήρῳ καὶ πᾶσιν ὁμοίως τοῖς ἀψύχοις δικάζουσιν, ἐπὶ τῷδε ἄρξασθαι νομίζω. Rursus Eliac. β. καὶ οἱ Θάσιοι καταποντοῦσι τὴν εἰκόνα, ἐπακολουθήσαντες γνώμῃ τῇ Δράκοντος, ὃς Ἀθηναίοις θεσμοὺς γράψας φονικοὺς, ὑπερώρισε καὶ τὰ ἄψυχα εἴγε ἐμπεσόν τι ἐξ αὐτῶν ἀποκτείνειεν ἄνθρωπον. Qua de re lib. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων Porphyrius.

Cur vero fora, in quibus capitales caussæ agerentur, sub dio essent, hoc sermone docet Antiphon: ἔπειτα δὲ ὁ πάντας οἶμαι ὑμᾶς ἐπίστασθαι, ἅπαντα τὰ δικαστήρια ἐν ὑπαίθρῳ δικάζει τὰς δίκας τοῦ φόνου, οὐδενὸς ἄλλου ἕνεκα, ἢ ἵνα τοῦτο μὲν οἱ δικασταὶ μὴ ἰῶσιν εἰς τὸ αὐτὸ τοῖς μὴ καθαροῖς τὰς χεῖρας. Ea Iudæos ratione arbitror in prætoriũ minime gentium introisse, ne Pascha celebraturi inquinarentur.

Senecæ loca.

CAPVT XIII.

Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo: nec aliter concitantur, quam Phrygii solent tibicinis sono semiuiri, & ex imperio furentes. Hactenus Seneca epistola 109. Per *semiuiros*, Gallos, matris deum sacerdotes, haud obscure innuens, qui audito Phrygio tibicine, statim in furorem aguntur, id quod aliis itidem hominibus vsu non venit. Lucian. in Nigrino: ὥσπερ γὰρ οἱ τοῦ Φρυγίου αὐλοῦ ἀκούοντες, οὐ πάντες μαίνονται, ἀλλ' ὁπόσοι αὐτῶν τῇ Ῥέᾳ λαμβάνονται, οὗτοι δὲ πρὸς τὸ μέλος ὑπομιμνήσκονται τοῦ πάθους. Philostratus: οἱ τελούμενοι τῇ Ῥέᾳ μαίνονται, πληγέντες τὰ ὦτα κτύποις ὀργάνων. Quintilia. lib. 1. cap. 10. *Et etiam non inerudito ad declamandum ficta materia, in qua ponitur tibicen, qui sacrificanti* (Gallo fortasse sacerdoti) *phrygium cecinerat.* Idem lib. de Ira 2. *Mindyridem aiunt fuisse ex Sybaritarum ciuitate.* Corrige Smindyridem. Aristoteles ἠθικῶν εὐδημείων α. οἱ δὲ Σαρδανάπαλον μακαρίζοντες, ἢ Σμινδυρίδην. Is porro in eorum grege primas tenet, qui nunquam orientem, neque occidentem solem vidisse memorantur. Idem libr. de Beata vita Seneca: *Voluptatem inuenies latitantem sæpius, ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia.* Ædilitiæ potestatis erat ganeæ ciuibus interdicere, ac insontes vindicare. (Sueton. in Tiber. *dataque ædilibus negotio popinas ganeasque vsque eo inhibendi, vt ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent*) Thermarum

munditie ac popinarum curam habere, ne quid in his flagitii committeretur prouidere. Martial. *Arcana modo raptus e popina Ædilem rogat udus aleator*, vtque pro sua quisque dignitate ludos spectaret animaduertere. Fuit enim tempus, cum plebei homines a senatoribus segregati essent. Cautum deinde lege Othonis, vt quibus quadringentorum sestertiorum census non fuisset, spectandi in quatuordecim ordinibus ius non esset. Id ne dolo aliquo fieret, neue fallacia vlla adhiberetur, ædiles operam dabant.

Phrenes rationis expertes esse.

CAPVT XIV.

Sintne phrenes (quas nos septum transuersum, Græci διάφραγμα, ἀνακιλίαν, καὶ διάζωμα nominant) rationis & prudentiæ participes, & compotes, an econtrario expertes, inter doctos homines nondum plane congruit. Eas Grammatici, Homero fulti, συμπλεῖν εἰς τὸ φρονεῖν, καὶ φλεγμαινούσας παραφρονοῦντας ποιεῖν, atque idcirco ab eo μιλαίνας appellari, dicunt, quos Hippocrates, aut alius περὶ ἱερῆς νούσου refellit, οὐδὲ οἶδα ἔγωγε, τίνα δύναμιν ἔχουσιν αἱ φρένες, ὥστε φρονέειν τι καὶ νοεῖν. Et paulo infra: διότι ἡ καρδίη αἰσθάνεταί τε μάλιστα. καὶ αἱ φρένες τῆς μὲν τοι φρονήσιος, οὐδετέρῳ μέτεστιν. Negat etiam Trallianus ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ διαφράγματος γίνεσθαι τὰς φρενιτικάς. Nec strictim tractans, legendus est lib. περὶ ζώων μορίων γ. Aristoteles: διὸ καὶ καλοῦνται φρένες, ὡς μετεχουσαί τι τοῦ φρονεῖν· αἱ δὲ μετέχουσι μὲν οὔ. ἐγγὺς δ᾽ οὖσαι τῶν μετεχόντων, ἐπιδήλως ποιοῦσι τὴν μεταβολὴν τῆς διανοίας. Quę si festinanter non transcurrisset Plinius, hoc ei *lib. 11. cap. 37.* nunquam excidisset: Huic accepta refertur subtilitas mentis. Longum esset, quid de eo sentiat lib. περὶ πεπονθότων τόπων, ac περὶ ἀνατομ. ἐγχειρήσεων, vtrobiq; s. Galenus, commorare. Septo vero oblæso ac saucio, hominem necessario interire, recte ab Hippocrate libro περὶ νόσων traditur: nec repente tamen, atq; ilico, vti cordi & cerebro semper conting t: quippe cum plus mensem, vitam quendam propagasse, nuper conspexerim.

Athenæi loca.

CAPVT XV.

Καὶ συνωρίδες τράγων ἑξήκοντα κώλων * δύο. Nos locum hunc ita resarciendum credimus: καὶ συνωρίδες τράγων ἑξήκοντα, κώλων δωδεκάδες, ὀρύγων ἑπτά. Et hunc quoque aliquot infra versibus, κόλοι λευκοὶ (deest, nisi fallor, horum numerus, nisi καὶ addas) καὶ βόες ἰνδικοὶ εἴκοσι ἕξ, αἰθιοπικοὶ ὀκτὼ δρυτὸς (non δρυτὸς) μὲν λευκὴ μεγάλη μία. Quæ vero bestia sit κῶλος, aut (vt alius placet) κόλος, Strabo libr. ζ. indicat: ἐστὶ δὲ τῶν τετραπόδων ὁ καλούμενος κόλος, μεταξὺ ἐλάφου καὶ κριοῦ τὸ μέγεθος, λευκὸς, ὀξύτερος τούτων τῷ δρόμῳ. Idem lib. 6. Athenæus, στράτευμα δὲ ὁ μονοκέρως ὅν τε πάσης πόλεως ἱκανῶς δένδρεσι, κατὰ τὰ μέτρα ἀτίμῳ. Casau-

bones

io ex coniectura, κατὰ τὰ μεθόρια Βισσεῖα: in quibus initio manum coegisse Spartacum, historiarum scriptores testantur, nisi κατὰ τὰ Βισσεῖα forte malis. Appian. ἐς τὸ Βεσούιον ὄρος ἐξέφυγεν. Strabo: ὄρος Βεσούιον appellat. Idem lib. 2. βὼξ δὲ ἰχθὺς εὔπεπτος, ἐπανάδοτος, corrige διανάδοτος. Diascor. πυρὸς σπορὰς δίχα ἀλῶν ἐσθιόμενος τρόφιμος, δυσέμετος, διανάδοτος. Idem lib. ιδ. circa finem: οἱ δ᾽ ἀγαθοὶ ποιηταὶ, ὥς τις ἄλλος τῶν μετὰ τοὺς ἑπτά. Græci hos septem insignes poetas a pari stellarum numero Pleiada vocant. Strabo lib. ιδ. ποιητὴς δὲ τραγῳδίας ἄριστος τῶν τῆς πλειάδος καταριθμουμένων. Eustathius: τραγικοί τε γάρ τινες ἑπτὰ λόγου πολλοῦ ἄξιοι, πλειὰς ἐλέγοντο. Tzetzes in Lycoph. ἦν δὲ εἷς τῶν ἑπτὰ ποιητῶν, οἵτινες διὰ τὸ ἑπτὰ εἶναι τῆς πλειάδος ἐλέγοντο, ὧν τὰ ὀνόματα, Θεόκριτος, & reliqua cui in omnibus non conuenit cum Hephestionis scholiaste.

Quæ numeris Pythagorei nomina imponerent.

CAPVT XVI.

Pythagoræi τὴν μονάδα, νοῦν, φρόνησιν, δίαν, ἀπόλλωνα, ναῦν, ἅρμα, φίλον ζωὴν, εὐδαιμονίαν, πρωτέα, nominabant: τὴν δυάδα, ἀνδρείαν, τόλμαν, ὁρμὴν, ἄρτεμιν, δόξαν, κίνησιν, ἔριν, γένεσιν, μεταβολὴν, διαίρεσιν, μῆκος, αὔξησιν, σύνθεσιν, κοινωνίαν, ἑτερότητα, διομήτορα, σελήνην. τὴν τριάδα, εὐβουλίαν, ἑκάτην, φρόνησιν, εὐσέβειαν, δίκην, σωφροσύνην, φιλίαν, εἰρήνην, ἁρμονίαν. τὴν τετράδα, ἀέναον φύσιν, κλειδοῦχον φύσεως, ἡρακλέα, δικαιοσύνην. τὴν πεντάδα, γάμον, δικαιοσύνην, νέμεσιν, δίκην, βουβάστειαν, ἀφροδίτην, γαμηλίαν, ἀνδρογυνίαν, ἡμίθεον, παλλάδα, καρδιάτιν. τὴν ἑξάδα, ἀρρενόθηλυν, γάμον, ὁλομέλειαν, φίλωσιν, εἰρήνην, ὑγείαν, ἄκμονα, ἑκατηβελέτιν, τελεσῖτιν, διχρονίαν, ἀμφιτρίτην, ἀγχίδικον, θάλειαν, πανάκειαν. τὴν ἑβδομάδα, παρθένον, ἀμήτορα, τελεσφόρον, ἀγελείαν, στρατίδα, τύχην, καιρὸν, ἀθηνᾶν. τὴν ὀκτάδα, παναρμόνιον, καδμείαν, μητέρα, ἔρωτα, μῆτιν, ἀσφάλειαν, ἕδρασμα. τὴν ἐννεάδα, συμπάθειαν, ἀντιζυγίαν, ἀνισίαν, ἀνταπόδοσιν, ἀμοιβὴν, ἥφαιστον, ἥραν, διὸς ἀδελφὴν, καὶ σύνευνον, ἑκάεργον, κουρῆτιδα, κόρην, ὑπερίονα, τερψιχόρην, παλιμπίτειαν, σκότωσιν, τελεσφόρον. τὴν δεκάδα, κόσμον, οὐρανὸν, πᾶν, εἱμαρμένην, αἰῶνα, κράτος, πίστιν, ἀνάγκην, ἄτλαντα, ἀκάμαντα, θεὸν, φάνητα, ἥλιον, κλειδοῦχον, παντέλειαν. Ex his q̃ plurimi auctores explicari possunt. Plutarchus περὶ ἴσιδος καὶ ὀσίριδος: οἱ δὲ πυθαγόρειοι, καὶ ἀριθμοὺς καὶ σχήματα θεῶν ἐκόσμησαν προσηγορίαις. τὸ μὲν γὰρ ἰσόπλευρον τρίγωνον ἐκάλουν ἀθηνᾶν. Porphyrius: οἱ γοῦν πυθαγόρειοι περὶ τοὺς ἀριθμοὺς, καὶ τὰς γραμμὰς σπουδάζοντες, ἀπὸ τούτων τὸ πλεῖον τοῖς θεοῖς ἀνήψαντο. τὸν μὲν τινα ἀριθμὸν ἀθηνᾶν καλοῦντες, τὸν δὲ τινα ἄρτεμιν. Aristoteles lib. τῶν μετὰ τὰ φυσ. μ. οἱ δὲ πυθαγόρειοι πρότερον περί τινων ὀλίγων, ὧν τοὺς λόγους εἰς τοὺς ἀριθμοὺς ἀνῆπτον. οἷον τί ἐστι καιρὸς, ἢ τὸ δίκαιον, ἢ γάμος: Sunt & alia huiusmodi, quæ scientes præterimus, satis est enim specimen eorum dedisse.

mina, ne ipsius quidem Virgilii, Latinorum omnium facile principis, hæc indicabunt exempla: *Bis capti Phryges*: oratio eius est, Æneid. 9. Nos non *bis* tantum, sed *ter* captum excisumque Ilium tum fuisse censemus: primum ab Hercule, deinde ab Amazonibus, postremo a Græcis duce Agamemnone, vt probat Tzetzes. Theocrit. in ara is τοῦχεῖδ᾽ ἄγαγε τρίπορθον. Idem paulo supra Virgilius:

Stridentem fundam positis Mezentius armis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena.

Vegetius lib. 2. *semel circum caput agitandam fundam* docet, hoc sermone: *Semper assuescendum est etiam, vt semel tantum funda circa caput rotetur, cum ex ea emittitur saxum.* Rursus Georg. 2.

—Insolita fugiunt in flumina phocæ.

Eas alii poetæ Romane, *vitulos marinos* appellant. Phocæ vero, & vituli marini, nomine tantũ discrepant. Qua in re Plinius de natura animaliũ scribens, quia sæpe peccauit, culpa non caret. nam lectoris animus facile perturbatur, si vnã eandemq; variis nominibus bestiam nũcupari sentiat. Mitto, quod nisi apprime eruditus sit, diuersam primo aspectu credet. Idem Georgic. 2. Virg.

Septima post decimam felix, & ponere vites,
Et prensos domitare boues, & licia telæ
Addere.— Nos hic poetam, *septimum* & *decimum* ad ea quæ enumerat, felices & commodos dies scribere opinamur: ita tamen, vt decimum septimo bonitate antestare tradat. Secus vero putans Hesiodus, decimam tertiam ἡμέρην φυγεῖν δ᾽ ἐνθρέψασθαι ἀρίστην censet. nec nonam despicit: est enim, vt docet, ἐσθλὴ μὲν γὰρ ἤδε φυτευέμεν, quas inserendis ponendisq; vitibus a Virgilio destinari, non videmus. Ipse ad domandos boues vigesimamnonã magni pendit Hesiodus, ἀρίστην vocans ἐξ ἠοῦς τε πίθον, καὶ ἐπὶ ζυγὸν αὐχένι θεῖναι βουσὶ καὶ ἡμιόνοισι Ad eos vero mansuefaciendos, decimæ quartæ palmam dat. Duodecima vero, ad addenda, vt ait Virgil. telæ licia, aptissima ab eo creditur.

ἡ δὲ δυωδεκάτη τῆς ἑνδεκάτης μέγ᾽ ἀμείνων,
τῇ δ᾽ ἱστὸν στήσαιτο γυνή, προβάλοιτό τε ἔργον.

Ego ad rerum potius naturam, quam magistros, mentis oculos conuertens, crescente luna vites conserendas, telam (si quid interest) in coitu texendam puto: est enim tum frigidior ac humidior luna. Domandis vero bobus diem alium alio, tanquam magis idoneum, præcellere non arbitror.

Aqua pluuialis. Plinius a Medicis dissidens.

CAPVT XXVIII.

INter medicos conuenit, aquam leuissimam pluuialem esse. Celsus *libro 2. cap. 18. Aqua leuissima pluuialis est.* Aetius lib. 3. cap 165. Φαίνεται δὲ καὶ οὗτον τὸ μὲν ὄμβριον κουφότατον, καὶ λεπτότατον, ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσι πίνεσθαι κάλλιστον, παραχρῆμα ἰσχυρὸν περὶ
δὲ ...

ἐξαιρούμενον. Fatetur Hippocrates in libro περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων, quem egregie Paulus Ægineta lib. α. cap. ν. explicat: λοιπὸς δὲ τῷ σταθμῷ δοκιμάζουσι τὰ κοῦφα τῶν ὑδάτων, νομίζοντες εἶναι κρείττω ταῦτα. τὸ δὲ εἰ μὲν πρὸς τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει τοῖς εἰρημένοις, ἐπαινεῖται. μόνον δὲ οὐκ ἐξαρκεῖ τεκμήριον εἶναι. Nos igitur, vt leuis admodum sit, e niue, aut glacie concretam aquam vituperantes (nisi prius bene cōcinnatam, quo modo δηχόμενον apud Galenum lib. θεραπευτ. μεθόδου ζ. videmus) Hippocrati applaudimus, ei frustra obtrectante lib. 2 Athenæo. Verba Hippocratis citato nuper libro: ταῦτα οὖν νομίζω πονηρότατα ταῦτα τὰ ὕδατα εἶναι, τὰ ἀπὸ χίονος καὶ κρυστάλλου. quibus apud Gellium *lib. 19. cap. 5* subscribit Aristoteles. Pondere vero aquarum leuitatem deprehendi posse, si quis diligentiam adhibere velit, eo ipso fretus doctore lib. περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων, contendo. Athenæus in β. σταθμήσας τὸ ἀπὸ τῆς ἐν Κορίνθῳ Πειρήνης καλουμένης ὕδωρ, κουφότερον πάντων εὗρον τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα. Plinius lib. 31. cap. 3. aduersus ea, quæ nunc retuli, *niues imbribus a Medicis* (haud dubie quin pessimis) *praeferri, niuibusq; etiam glaciem, tradit: perrarumq; esse, vt lentor sit aliqua.* Ego sane hoc in genere nobilium Medicorum placita, non Pliniana decreta, amplector. Videant autem, qui huic viro patrocinari studēnt, ne a natura ipsa desciscant, ac veritatem oppugnent: quod fecisse nonnullos, quorum me miseret, nemo nescit.

Nili fluminis aqua.

CAPVT XXIX.

NVnc videamus, an de Nili fluminis aqua præclari inter se viri discrepent. Aetius libro tertio: ποτάμια δὲ ὕδατα καὶ λιμναῖα πάντα τὰ κακά, πλὴν τοῦ Νείλου. τοῦτο γὰρ πίστεως τῆς ἀρίστης κεκόσμηται. Spartianus in Pescennio Nigro, *tantam illius fluminis dulcedinem esse* ostendit, *vt accolæ vina non quærant.* Quid Hircius, aut Oppius, de bello Alexādrino? *Nam quæ flumine Nilo fertur aqua, adeo est limosa atq; turbida, vt multos variosq; morbos efficiat.* Quibus verbis, vanam esse quorūdam sententiam manifesto apparet, qui huius fluminis aquas ideo salubres esse aiunt, quod solis calore torreantur ac decoquantur. Quæ si probanda esset, hād tamen potius sibi amnes gloriam arrogarent, qui propter æquinoctialis propinquitatem rectis solis radiis pene ad lineam pendentibus feriuntur. Quare nos Oppio, vel Hircio adstipulātes, Nili aquā vt noxiam damnamus: nullamq; salubrem, quæ illius ritu limosa sit, putamus. Delirant igitur & Aetius, & Spartianus? Minime sane, sed eos excusat libro περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως α. Galenus: ἔστι δὲ δήπου καὶ τὸ ἰλυῶδες ὕδωρ, σαῦ ὥσπερ, ὡς καὶ τὸ τοῦ Νείλου, καὶ κατ' Αἴγυπτον, ἀλλὰ διὰ τῶν κεραμίων ἀγγείων διηθούμενον, ἀκριβῶς γίνεται καθαρόν. χρὴ δὲ μὴ ἅπαξ, ἀλλὰ δὶς ἢ τρὶς διηθεῖν αὐτό, &c. Idem εἰς τὸ ἕκτον τῶν ἐπιδημιῶν ὑπομ. δ. quæstionem hanc perstringit, quam in pauca concludentes, colatam Nili aquam, ac tam-

diu in vase testaceo seruatam, donec omnis prorsus limus subsederit, ac in limpidam defecatamq; abierit, cum Aetio valde probamus: turbidæ potum summopere fugiendum existimamus. Quæ vero de Nilo sentimus, eadem ipsi in vtramque partem de Tiberi Romæ, de Rheno Bononiæ, de Rhodano Arelate (pace Aetii, qui vnum Nilum excipit) a vero non declinare, periclitati sumus.

Τυμβαῦλαι. βυκανισταί.

CAPVT XXX.

VT funus ad tubam aut tibiam deduceretur, antiqua fuit consuetudo. Persius:

Hic tuba candelæ, tandemq; beatulus alto
Compositus lecto.——

Qui ad huiusmodi nænias accersebantur *tibicines*, τυμβαῦλαι à Græcis, a Romanis *siticines* aut *sicinnistæ* nominantur. Galenus, βομβώδεις δ' εἰσὶν ἕτεροι, τοῖς ἐξ εὐρυτάτων αὐλῶν ἐοικότες, ὁποίους ἔχουσιν οἱ τυμβαῦλαι καλούμενοι. Ælianus εὐφυὴς δὲ πατρὸς ἀπόρου, καὶ τυμβαύλου πιστὸς αὐτοῦ γενεᾶς. Qui in triremibus tibia canebāt, τριηραῦλαι vocabantur. Demosthenes περὶ τοῦ στεφάνου. ἀλλ' ὡς ὁ τριηραύλης Φορμίων. nec scio cur Suidas ὄνομα κύριον esse putet. Qui *tuccina*, βυκανισταί. Dionysius Halicar. τὴν δὲ τρίτην, εἴκοσι καὶ δύο σὺν τοῖς σαλπισταῖς καὶ βυκανισταῖς. σικινισταὶ vero, *fistulatores* non sunt, sed *satyri*, apud Appianum ἐν λιβυκῇ motu turpi atque indecoro saltantes ac gesticolantes: καὶ χοροὺς κιθαριστῶν τε καὶ σικινιστῶν, ἐς μίμημα τῆς τυρρηνικῆς πομπῆς. Ælianus, ὅτι οἱ συγχορευταὶ διονύσου σάτυροι ἦσαν, οἱ ὑπ' ἐνίων σίτυροι ὀνομαζόμενοι. Theocriti commendator σίτυρος δὲ, ὁ πίθηκος ὁ μικρὰν ἔχων οὐράν. Auctor anonymus: ἀμέλει δὲ καὶ πίθηκον θρέψαι, καὶ σίτυρον (Satyrum) κλήσεται. Nec ignoro, αὐλὸν quendam σιτύρινον vocatum. Eustathius παρὰ γοῦν ἀλεξανδρεῦσιν, ὁ μόναυλος κάλαμος, καλούμενος σιτύρινος τοῖς ἐν ἰταλίᾳ δωριεῦσιν, εἴτ' οὖν σατυρικὸς· σίτυροι γὰρ δωρικῶς οἱ σάτυροι. At σαμβύκη neque tibiæ genus est, neque fistulæ, vt tradunt imperiti Grammatici: sed instrumentum musicum triangulum, cuius meminit libr. δειπνοσ. ιδ'. Athenæus. Vnde apud eundem lib δ'. σαμβυκίστριαι, καὶ μουσουργοὶ, καὶ σαμβυκίστριαί τινες ῥόδιαι. Ceterum, tametsi auctore in Problematis Aristotele ὁ αὐλὸς ἡδίων τῆς λύρας habitus sit: citharœdi tamē honore ac dignitate aulœdos antecellebant. Cicero pro Murena: *Vt aiūt in Græcis artificibus eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerint.*

An musicis cantibus sanentur ischiadici.

CAPVT XXXI.

AVlus Gellius creditum a plerisque, ac memoriæ mandatum refert, *Ischiadici cum maxime doleant, tum si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores.* Se autem in libris Theophrasti scriptum inuenisse; *viperarum morsibus tibicinem scite modulateq; adhibitum;*

hibitum, moderi. Athenæus priorem opinionem confirmat, lib. ιδ. ὅτι δὲ καὶ νόσους ἰᾶται μουσικὴ, Θεόφραστος ἱστόρησεν ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμοῦ, ἰσχιακοὺς φάσκων ἀνόσους διατελεῖν, εἰ καταυλήσοι τις τοῦ τόπου τῇ φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ. Nec silentio prætereunda sunt Martiani Capellæ verba: *Ad affectiones animi Theophrastus tibias adhibebat. Ischiadas quis nesciat expelli auleticæ suauitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Thaletam Cretensem citharæ suauitate cõpertum est, morbos ac pestilentiam fugauisse. Nos phreniticos legimus ab Asclepiade, vel tibiarum, vel fidicularũ cantu adhibito, sanatos. Dicitur quoque Ismenias Thebanus ischiadicos tibiæ sonis ad incolumitatem restituisse.* Esse in Apulia phalangium araneorum genus audio (Itali a Tarento vrbe *tarentulã* nuncupant) alio anni tempore ad nocendũ nõn magnam vim habens, in magnis vero solis ardoribus, acerbitatis vi eius pestiferũ infligere: huiusq; perniciei vnam hanc salutarem inuentam esse medicinam, vt ictus vario ac multiplici cantu tibiarum ac citharistarum, aliorumve musicorũ permulceatur. Nec alienum nobis videtur, morbos eos, qui animum vehementer exagitant, ac fodicant, hoc canore leuari, lenirique: huc enim vocum concentus influere, & occulto quodam tramite sese insinuare atque applicare, perspicuum est. quem in numerum cum coxarum ægrotationes aggregandæ non sint, quã in his spem ponere debeant ischiadici, non perspicio. In phreneticis, melancholicis, atque id genus ægris hoc nihil admirationis habet. Si quis porro vincere percupiat, ac Phrygiam harmoniam illis adhibendam censeat, cantiunculis quinti (vt vocant) toni modulatione inflexis, quæ huic fere harmoniæ respondent, quin id tentet nihil moror, tametsi parum promoturum arbitrer: nec enim hoc in morbo ea laborant, quæ reficere tibicines aut citharœdi queant: qui, an viperarum morsibus medeantur inuestigare adhuc me fateor. Cum autem multa cur id non putem, sese offerant, tum hoc in primis, quod neq; Græci vlli, neq; Latini nobiles medici quorũ quidem in lucem opera exierint, id vnquã literis mandauerint. Plus negotii est autem his, qui, quæ de Tarantula a nobis relata sunt asserunt, respõdere, cum id se in Apulia vidisse clament ac testentur. ἐγὼ δὲ (vt Herodoti verba vsurpem) περὶ μὲν τούτων οὔτε ἀπιστέω, οὔτε πιστεύω λίην. Quare hæc in medio relinquo. Quin tibiarum tubarumque sonus ægros huiusmodi a somno reuocet, & ad saltandum incitet, quo lethargus mitigatur, quumve labore ac sudore tum vincatur, tum expellatur id genus, nõn nego. Locus hic me monet, vt rem priscis ignotam, multis inauditã referam. Est apud Cenomanos Galliæ populos bestia quædam, (*Surdum* vocant) medium quoddam inter lacertam & ranam genus, aluo tantum exiliore, quaternis pedibus incedens, dentibus firmis prædita, quibus si quempiam corripuerit (solet autẽ dormientes in agris adoriri) morsum nũquam linquit: experimento

autem constare ferunt, hac genis, aut gutturi adhærente, eos à qui interemta illico homines interire. Nos vtcunq; sit, rusticum quendam nuper vidimus, qui tres iam annos pestem hanc malis affixam aluerat, qui se nihilo minus nō mala esse valetudine, nulloque ob id carnis incommodo infestari prædicabat.

Μυκτηρίζειν. πλευάζειν.

CAPVT XXXII.

PLinius lib 11. cap. 32. nouos mores ait subdolæ irrisioni nasum dicauisse. Horatius:

—Naso suspendis adunco. Martialis:

Nasutus sis vsq; licet, sis denique nasus.

Quas loquendi formulas a Græcis Latini acceperunt. Gregorius, μυκτῆρ ὕβριν πνέων καὶ ἀδελφοφθόνος. Lucian. ὅρα μή τις εἰρωνείαν φῇ, ἢ μυκτῆρα, οἷον τὸν ἀττικὸν προσεῖναι τῷ ἐπαίνῳ. Pollux, καὶ τοὺς εἴρωνας μυκτῆρας καλοῦσι. Hinc μυκτηρισμὸς pro derisu. Quintilian. libro 8. *Adiiciunt his μυκτηρισμὸν, simulatum quidem, sed non latentem derisum.* Simplicius, μῶμος δέ ἐστιν ὁ μυκτηρισμός. Et μυκτηριστής. Athenæus lib. ς. τὸ δὲ πλάτωνος πληρές ἐστι μυκτηρισμῶν ἀλλήλους τωθαζόντων. Et μυκτηρίζειν καὶ ἀντιμυκτηρίζειν, *vicissim naso adunco suspendere.* πλευάζειν præter vulgarem significatum conuiciari denotat. Pollux. καὶ τὸ χλευάζειν, ὅτι ποιεῖς. ἀφ' οὗ καὶ τὸ λοιδορεῖν, πλευάζειν. καὶ, πλευάζεις με ποιεῖς, ἡ κωμῳδία φησὶ (Aristophanes in Pluto) ἤγουν ἐξονειδίζεις, ἢ αἰσχύνεις. Dion τοὺς κρείσσονας αὐτοῦ καὶ πταίει, ἢ πλευάζει. Demosthenes, ἐν τῇ κατὰ Μειδίου ἐνδείξει· καὶ ποτὲ μὲν λοιδορουμένους, καὶ πλευάζοντας αὐτοὺς τ' ἀπόρρητα. Artemidorus lib. Onirocrit. β. cap. 8 πλευάζειν ἐλέγχειν significare, ex his Menandri versibus probare nititur: ἐὰν γὰρ κακῶς μου τὴν γυναῖκ' ἔτι λέγῃς, τὸν πατέρα καὶ σὲ τούς τε σοὺς ἐγὼ πλευάσω. ἀντὶ τοῦ (inquit) ἐλέγξω aut πλευάσω, κακῶς λέξω. Apud Plautum quoque in Cistellaria, *frigidam subdole suffundere*, clanculum mordere, probro maledictisque incessere, notat. Licet Erasmus in prouerbio, *Frigidam aquam suffundere*, hoc secus explicuerit. Nec abs re erit si in transcursu Horatianum satyra 4. emendemus, *E quibus vnus amet quauis aspergere cunctos præter eum qui præbet* (qui conuiuium præbet) *aqua*, non *aquam*, tametsi quid sit *præter aquam*, adhuc a multis quæratur.

Prima fax. Hora duodecima.

CAPVT XXXIII.

QVod maxima olim populi circa horā, vt antiqui illi numerabant, *quintam*, vt nos Galli *vndecimam*, in foro esset frequentia: hoc a Græcis hominibus tempus ἀμφὶ πλήθουσαν ἀγορὰν vocabatur. Lucianus ἐν φιλοψευδεῖ· ἧκε δέ τις ἐς μέλλων τῷ πατρί, μίδαν τὸν ἀμπελουργόν, ἐρριμμένον ἐς τὰ ἄλλα, ἀμφὶ πλήθουσαν ἀγοράν, ὑπὸ ἐχίδνης δηχθέντα. Hoc porro sic patefacio. Xenophon ἀνιόντας ἀεὶ ἦν ὅτε ἦν ἀμφὶ ἀγορὰν πλήθουσαν. *Iam insi:auat tempus, quo implentur hominum conuentu fora.* Consumto vero aliquo in capiendis

...nis temporis interuallo, subdit. ἤδη τε ἦν μέσον ἡμέρας, ... Diodor lib. ιγ ... Galenus ... λύχνων ἡμμένων. pro hora vespertina, qua lucernæ accendi solent, vsurpauit: ἥκειν ... λύχνων ἡμμένων. *Prima fax* ideo a Latinis vesper non dicitur, quod faces & lucernæ vesperi accēderentur, vt tradūt quidam: sed quoniam Venus & vesperugo, fax cœlestis, & stella post solis occasum primam lumen lucere incipit. Apuleius in asino aureo: *Sed prima face in cubiculum tuum adero.* Macrobius Saturnal lib. 1. cap. 3. *Et post primam facem, ante mediam noctem reuertuntur.* Qui in fine eius capitis, sententiam nostram obscure confirmat. Duodecima vero hora aliquid aggredi ac moliri, sero ac tarde significat, quod ea sit diei vltima. Plutarchus in Crasso: ... βασιλεία ... ἤδη, ... νέαν πόλιν, ... βασιλεῦ, ... ἀρχῇ.

IOANNIS BRODÆI MISCELLANEORVM LIBER V.

Sandyx.

CAPVT I.

QVid sit sandyx, indicat lib. 5. cap. 57 Dioscorides. Galenus, ... ψιμμύθιον εἰς τὴν ... μεταβάλλει. Aetius, καιόμενον δὲ τὸ καθαρὸν ψιμμύθιον εἰς τὸ ... συρικὸν μεταβάλλεται ... οἱ ἰατροὶ σάνδυκα ὀνομάζουσι. Paulus, σάνδυξ ἢ συρικόν. Plinius lib. 35. cap. 6. Virgilium herbam existimasse scribit, illo versu:

Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.

Cui in hoc repugno vti & Seruio, *sandycem* herbam esse tradenti. Nec scio an vocabuli sandycis cum scandicis affinitas, vtrique, aliud agenti, fraudi fuerit. Georgius Agricola ex Vitruuii lib. 7. cap 12 *sandaracam a sandyce nil interesse*, ostendere conatur: quod Galenus, Paulus & Aetius, coarguunt. Ipsi vero, Paulus & Aetius, vt perspicuum est, Syricum & sandycem rem eandem opinantur: vt iam fere compertum sit, hæc duo nihil inter se differre. At ea disiungit nominato nuper loco Plinius, Syricum sinopide & sandyce mixtis fieri docens. *Præterea* (inquit) *e vilioribus, Ochra, cerussa vsta, sandaracha, sandyx Syricum, atramentum.* secernit & cerussam vstam: cum ex ea tamen vsta, sandaracha, ochra, & sandyx conficitur. Nec, quin altera sit ochræ species, quæ per se nascens fodiatur, ignoro. Vopiscus in Aureliano, ad hunc modum scribens: *Dicitur enim sandyx Indica talem purpuram facere, si curetur*: de purpurisso, eodem teste Plinio, sermonem habere mihi videtur. Ceterum Virgiliani versus hic sensus est: *Ouium pascentium lanæ sponte sua egregiis coloribus imbuentur, vt noua tinctura vsus non sit.*

Glastum.

CAPVT II.

GLastum, Gallica & Britannica vox est, herbam eam notans, quæ a Græcis *ἰσάτις* vocatur: *luteum* Vitruuius appellat, lib. 7. cap. 14. Nos hodie *guadum.* & *pastellū*, quod trussatilibus molis pressa & exsucta, in pastillos digeratur. Cæsar lib. de bello Gallico, 5. *Omnes vero se Britanni glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem.* Nonnulli (quibus aduersor) vltro, aut luteo corrigendum digladiantur. Glasto sane Plinium legisse, hæc eius oratio lib. 22. cap 1. indicat: *Simile plantagini glastum in Gallia vocatur*, &c. Cū igitur ita sapientiæ professor loquatur Plinius, nihil est, quod Cæsarem, tanquam *ῥιζοτόμον*, luteum a Romanis nuncupari, scire curasse existimemus. Quid, quod hæc tractantes literati homines, hallucinantur? Alciatus, qui *glastum*, in Parergis, Latinum vocabulum putat: Calcagninus, qui Taciti testimonio, cuius nulla apud eum est mentio, sed succini, quod *Glesum* Germani vocant, de eo disputat. Alius præterea, qui eius plantæ folia lactucæ similia perhibent. Quæ cum ita sint, quis de eo Imperatore valde miretur? Adde, quod ipse *lib. 33. cap. 5* Plinius, de lutea herba sermonem habens, glastum esse, modeste silet. vt si qui in eo peccét, eis ignoscere æquum sit.

Mulieres castrari, & incidi.

CAPVT III.

QVi primus castrandas mulieres suasit, næ dignus fuit, cuius mater eas pœnas lueret. quod scelus, quia multis partim inauditum est, partim incredibile videtur, probandum statuimus. Athenæus δειπνοσοφ. ιβ. Λυδοὶ δ' εἰς τοσοῦτον ἦλθον τρυφῆς, ὡς καὶ πρῶτοι γυναῖκας εὐνουχίσαι. Mox infra: ὁ δ' αὐτὸς Ξάνθος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν Λυδιακῶν, Ἀδραμύτην φησὶ τὸν Λυδῶν βασιλέα πρῶτον γυναῖκας εὐνουχίσαντα χρῆσθαι αὐταῖς ἀντὶ ἀνδρῶν εὐνούχων. Id maxime fieri, si testes intus reconditi incidantur περὶ σπέρματος α. docet Galenus: οὕτω δὲ καὶ εἰ θῆλυ ζῶον τοὺς ὄρχεις ἐκτέμνοις, οὔτ' ἐς ἀεὶ ἔτι τὸ τοιοῦτον, ὅτι προσίεται τοῦ ἄρρενος, ἀφροδισίου κοινωνίας ἕνεκεν. Hanc principio rem hominis monstrum in suibus tentasse suspicor, eo quo retuli modo: deinde se ad mulieres transtulisse. Nam suum vuluas ferro exulcerat Columella, & cicatricibus claudit, ne sint genitales: idque cibi penuria fieri autumat. Galenus citato volumine hanc adfert rationem, quoniam ἥδιόν τι τὸ κρέας ἔχουσι τῶν ἄλλων θηλειῶν. quam a quibusdam gulæ proceribus vehementer laudari sentio, qui se id quotidie in gallinis experiri impudenter gloriantur. Attingit hæc *lib. 8. cap 51.* Plinius. Strabo lib ιζ. Ægyptios vetere ritu, καὶ τὰ θήλεα ἐκτέμνειν, solere refert: ὅπερ, inquit (quod absurdum esse certo scimus) καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμιμον. ac libr. ις. καὶ αἱ γυναῖκες ἰουδαϊκῶς περιτετμημέναι. Quod sic accipiendum est, vt nymphæ, quam *Engium* vocant, portiunculam resecarent. quibus

quibus demandata esset hæc prouincia. Galen. ἡ νύμφη διὰ τὸ προκύπτειν ἐπὶ πολύ, ἐν δ᾽ ἐνίαις ἀξιοῦται παρ᾽ αἰγυπτίοις, ὑπὸ τῶν παρθένων. Qui mos a Sophianis mulieribus hodie seruatur, quibus etiam caruncula hæc mirum in modum augeri solet.

Bis pueri senes. Plato illustratur.

CAPVT IV.

Ἄρ᾽ ὡς ἔοικε δὶς παῖς γίγνοιτ᾽ ἂν πᾶς γέρων. Aristophanis Scholiastes senarium hunc, quo *bis puerum esse senem* traditur, Platoni mediæ, aut (veteris, vt iudico) Comœdiæ poetæ) tribuit, quem paululum immutans νόμων α. Plato philosophus sic inquit: οὐ μόνον ἄρ᾽ ὡς ἔοικεν, ὁ γέρων δὶς παῖς γίγνοιτ᾽ ἄν, ἀλλὰ καὶ ὁ μεθυσθείς. Id est, *Non solum igitur senex, vt videtur, bis erit puer, sed ipse etiam temulentus.* Erasmus in adagio, *Bis pueri senes*, Platonem ad hunc modum loquentem iterum citans, hallucinatur: ἄρ᾽ ὡς ἔοικε, δὶς γέροντ᾽ ἂν παῖς γέρων. id est, vt ipse vertit: *Similis videtur bis seni puer senex.* id enim vsquam apud Platonem reperiri inficior: nec γέροντ᾽, sed γίγνοιτ᾽ legendum. Multa consulto prætereo. Extat & Theopompi, poetæ comici (non historiarum scriptoris) in eandem sententiam trimeter iambicus δὶς παῖδες οἱ γέροντες ὀρθῷ τῷ λόγῳ. Plautus in Mercatore: *Senex quum extemplo est, iam nec sentit, nec sapit.* Aiunt solere eum rursum repuerascere.

Ἀκινάκης. ἐπώνυμοι. Lucianus declaratur.

CAPVT V.

Tametsi ἀκινάκης vocabulum sit Persicum, ensem significans, vt tradit in Polymnia Herodotus, καὶ τὸ περσικὸν ξίφος, τὸ ἀκινάκην καλέουσι: Græci tamen etiam pro gladio Scythico vsurpare solent, quem, sicut deum quendam, gens illa obseruaret ac coleret. Clemens Alexan. Σκυθῶν δὲ οἱ σαυρομάται, ὥς φησιν ἱκέσιος ἐν τῷ περὶ μυστηρίων, ἀκινάκην σέβουσι. Ammianus lib. 31. *Nec templum apud eos visitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum cerni vsquam potest: sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque vt Martem, regionum quas circumeunt præsulem, verecundius colunt.* Ex his Lucianum περὶ φιλίας elucidamus: οὐ μὰ γὰρ τὸν ἄνεμον, καὶ τὸν ἀκινάκην, οὐδὲν πρὸς σε, ὦ Μνήσιππε, ψεῦδος ἐρῶ, περὶ τῶν φίλων τῶν Σκυθικῶν. Rursus in Ioue tragœdo: σκύθαι μὲν ἀκινάκῃ θύοντες, καὶ θρᾷκες ζαμόλξιδι. ἐπώνυμοι vero prisci heroes fuerunt, a quibus (non a duodecim diis, vt nugantur plerique) Atticæ tribus sua cognomina acceperunt. his magni honores ab Athenienfibus collati, statuæque in arce eius vrbis collocatæ. Lucianus περὶ γυμνασίων. ὥστε δίκαιος ὑμῶν ὁ ἀνὴρ ἐν ἀγορᾷ χαλκοῦς ἑστάναι, καὶ χαλκοῦν αὐτὸν ἀνεστάναι παρὰ τοὺς ἐπωνύμους ἐν πόλει, παρὰ τὴν ἀθηνᾶν. Horum nomina si quis callere desiderat, Pausaniam in Attic. aut Demosthenem ἐν ἐπιταφίῳ consulat.

Euripus. Senecæ locus.

CAPVT VI.

EVripus, maris pars est inter Aulidem Bœotiæ portum, & Eubœam insulam, a cuius prodigiosa quadam reciprocandi celeritate, aquæ olim Romæ in prophanas ædes, circum, theatra, per fistulas aut tubos, Euripi nomen lucrantes (*vt alias luculenter ostendi*) immittebātur. Quod vt obtrectatoribus meis obsequar, probandum decreui. Statius Syluar. 1. *—An emissas per cuncta cubilia lymphas.* Suetonius: *Circensibus spatio circi ab vtraq; parte producto, & in gyrū Euripo addito.* Valer. Maxim. lib. 2. *Cneus Pompeius ante omnes, aqua per semitas decursu æstiuum minuit feruorē.* Sunt qui maiores aquarum ductus, atq; adeo emissaria, Nilos vocare malint, ac Ciceronem *in lib. de legib. 7.* ad hunc modū citant, Ductus vero aquarum quos isti Nilos & Euripos nominant. Nec indecens est, si de huiusmodi rebus disserentem *epistola 91.* Senecam in transcursu castigemus, & explicemus: *Hodie vtrum tandē sapientiorem putas qui inuenit, quemadmodum in immensam altitudin in crocum latentibus fistulis exprimat.* Crocum scribe (non, *orcum*) quo cum vino mixto, theatra, vt tradit Plinius, replebant. Martialis *lib. 1.*

Et Cilices nimbis qui maduere suis.

Id est, croco cilicio, cui prima nobilitas. Spartianus in Hadriano: *In honorem Traiani balsama, & crocum per gradus theatri fluere iussit.* Hoc deinde, vt ad prima reuertar, contexit Seneca: *Qui Euripum subito aquarum impetu implet, aut siccat.*

Στακτὴ

CAPVT VII.

QVid sit στακτὴ, his verbis nos instruit in libello περὶ ὀσμῶν Theophrastus: ἐκ κινναμώμου, καὶ ἐκ σμύρνης κοπτομένης ἔλαιον ῥεῖ στακτὴ δὲ καλεῖται διὰ τὸ μικρὸν στάζειν. Idem περὶ φυτῶν. 1. τῆς σμύρνης δὲ ἡ μὲν στακτὴ ἡ δὲ πλαστή. Dioscorides, πρόσφατον σμύρνης κοπτομένης τὸ λιπαρὸν (de cinamomo tacens) stactam vocat. Cum his *lib. 12. cap. 15* cōgrediens Plinius, *myrrham sponte, prius quam incidatur, stactem sudare*, manifesto errore scribit. Nec sine Basilii εἰς τὸν ψαλμὸν, adhuc opinionem concoquo: ἡ δὲ στακτὴ (inquit) καὶ αὐτὴ σμύρνης ἐστὶ· εἶδος τὸ λεπτότατον ἐκλιβόντι γὰρ τὸ ἄρωμα, ἔστι μὲν αὐτοῦ ῥυτόν, ὡς ἐκεῖνο στακτὴν ἀπομερίζεται· τὸ δὲ παχὺ ἀπομένον σμύρνα προσαγορεύεται. Lucretius lib 2 *stactam*, pro vnguento e stacta (quā per se hoc nomine vnguentum facit) hoc versu sumit:

Sicut amaracini blandum, stactaeq; liquorem.

Athenæus ὁ ἱππόλυτος ἐπείσατο αὐτοῦ καταχυθῆναι τῆς κεφαλῆς, μίγνυσι κεράμιον πολυτελεστάτου μύρου τῆς στακτῆς καλουμένης. Nec, quin huic oleum admisceri possit, inficias eo. στακτὴν porro μύρον, hoc est, liquida, vocitant Græci. Archestratus apud eundem Athenæum Lib. 3 καὶ στακτῷ μύροις (sic enim placet legere) ἀγαθοῖς χαίτην

στεφά-

θυμιάται. Aristophanes in Pluto: ὑπὸ μύρεσι μυρίοισι σπονδαῖς. Cæterum quæ de stacta Theophrastus & Dioscorides prodiderunt, ea a præclaris medendi doctoribus valde probari animaduerto.

Ouidii & Virgilii loca.

CAPVT VIII.

M*Vneribusq; datis, & acernis thuris honores*: Ouid. Metam. 8. Nos, *Et acerris thuris honores*, castigamus. Idem Fastor. 2.

Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.

Hic, *tribus digitis*, nemo ab Ouidio fortuito & temere positum existimet: eo enim modo prisci thure litabant. Porphyrius, οὐ γὰρ ἀπό τι τῆς ἑκατόμβης ἐκείνης τοὺς χρυσόκερως βοῦς, καὶ τοὺς ἐκατόμβας τοῦ πυθίου ἀνθεῖναι, μᾶλλον ἔφησεν ὁ πυθία τῶν ἑρμιονέα κεχαρίσθαι τὸν θύσαντα τῶν ψαιστῶν ἐκ τῆς πηρίδιου τοῖς τρισὶ δακτύλοις. Lactantius lib. de iustit. 5. *Nam cruciari atq; interfici malle, quam thura tribus digitis comprehensa in focum iactare.* Vt sacra quoque diis facientes, excepto solum Saturno, caput tegerent, antiquum fuit institutum. Virgilius Æneid. 3.

Et positis aris iam vota in littore solues,
Purpureo velare comas adopertus amictu.

Caussam adfert Seruius. Valer. Argon. 5. *Obnubensq; caput cineri dat vina vocato.* Varro. *Sicca a ritu, quod Romano ritu sacrificium fœminæ cum faciunt, capita velant.* Vt in culpam merito veniat Demetrius Triclinius, illud Pindari hymno Olympiorū 6. νυκτὸς ὑπαίθριος, sic edisserens: δίχα τινὸς ἐν τῇ κεφαλῇ καλύμματος. ἔθος γὰρ ἦν ἔθος δίχα. Iudæi, sicuti nunc etiam videre licet, Deo supplicantes, linteo caput obnubunt.

Homerum cœcum non fuisse.

CAPVT IX.

QVi cœcum Homerum fuisse perhibent, quibus veterum idoneorumque auctorum monumentis nitantur, mihi nondum liquet Plato in Phædro, eum, quod in Helenam inuectus ac debacchatus esset, oculis ab ea priuatum, iocose tradit. Nos ei iam grandi natu, infortunium hoc aut morbo, aut senectute contigisse credimus. Herodotus, οἱ μὲν δὴ ἴωνες οἱ λέγουσι, ὅτι μὲν παρ᾽ ἑαυτοῖς τυφλωθῆναι: ὡς δὲ ἐγὼ φημὶ, ὅτι μὲν ὑγιὴς γενέσθαι, ὕστερον δὲ ἐν κολοφῶνι τυφλωθῆναι. Pausan. in Messen διεφθάρη δὲ ὁ θάμυρις, ἐμοὶ δοκεῖν, ὑπὸ νόσου τοὺς ὀφθαλμούς· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὁμήρῳ συνέβη ὕστερον Tzetzes, πένης πλὴν δὲ ὁ ἀνὴρ (Homerus) καί γε τυφλὸς ἐκ γένους. At repugnat lib. *Tuscul Quæstion.* vltimo Cicero: *Traditum est etiam Homerum cœcum fuisse* Fateor equidem: si tamen in sententia permaneam, nemini me iniuriam facere suspicor.

Dionysius Halicar. exponitur. Romanorum nomina.

CAPVT X.

ROmæ aliquādo sacrificia extraordinaria fiebāt, inter q̄ Gal-

lus & Galla, Græcus & Græca, in foro Boario sub terra viui demittebantur vt docet *decad 3 lib. 2* Liuius: & Plutarchus in Marcello: ἐπὶ τοῦ πολέμου συμπεσόντος, ἠναγκάσθησαν εἶξαι λογίοις τισὶν ἐκ τῶν Σιβυλλείων· δύο μὲν Ἕλληνας, ἄνδρα καὶ γυναῖκα, δύο δὲ Γαλάτας ὁμοίως ἐν τῇ καλουμένῃ βοῶν ἀγορᾷ κατορύξαι ζῶντας. Qui cum his Phrygem & Phrygiam coniungunt, turpiter labuntur. Siquidem apud Dionysium Halicarnass. libr. β. ἱερᾶται δὲ αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ καὶ γυνὴ Φρυγία: verbum hoc ἱερᾶται, sacra facit, significat, non immolatur, nec de immanibus illis victimis vllus hic sermo habetur. A Græcis autem tribunitia comitia, φυλετικαὶ ἐκκλησίαι: centuriata, λοχῖτιδες: ius trium liberorum. ἴκμαι τρίπαιδες: & ὑπὸ δόρυ πωλούμενοι, sub hasta venditi dicuntur. Idem libr. δ. ἢ γὰρ συνωνούμενοι παρὰ τοῦ δημοσίου τοὺς ὑπὸ δόρυ πωλουμένους ἐκ τῶν λαφύρων. Ipsi porro tria Romanis nomina Græci tribuunt, non quatuor: quorum primum κοινὸν καὶ προσηγορικόν: alterum, συγγενικὸν, καὶ πατρωνυμικόν: tertium, τρίτον καὶ ἐπώνυμον vocant. Idem lib. γ. Dionysius: μαθὼν, ὅτι Ῥωμαίων ἑκάστῳ κοινὸν τὸ ὄνομα κεῖται καὶ μετὰ τὸ κοινὸν ἕτερον, ὃ δὴ συγγενικόν αὐτοῖς ἐστι, καὶ πατρωνυμικόν. Et, αὐτοῦ μὲν ἐκαλεῖτο κοινὸν ὄνομα, καὶ προσηγορικὸν, Τίβιος, τὸ δὲ συγγενικὸν Ἀτίλιος. Ac ὃ ἦν ἐπώνυμον, κόρδος. Plutarchus in Coriolano: ἐκ τούτου τρίτον ἔσχεν ὄνομα, τὸ Κοριολανός. Rursus in Mario: Γαΐου Μαρίου τρίτον οὐκ ἔχομεν εἰπεῖν ὄνομα.

Pollutas animas circa sepulcra vagari.

CAPVT XI.

PLato in Phædone, *quæ polluta impuraq; anima e corpore discesserit*: hoc est, quæ illud semper amplexa coluerit & amauerit, eius voluptatibus ac libidinibus seruierit: *eam morte obita, circa monumenta ac sepulcra vinolui* tradit, vt quæ prorsus ab eo non e- m gratiȩ. Sunt qui eorum animas, qui sibi mortem consciuerint, post fata cadaueribus magis magisq. vinciri, atque his assidue cohærere, ideoque circa funus ac sepulturam peruagari suspicentur. Hinc orti phantasmatum, vmbrarum, lemurum terrores. Apuleius Apologia prima: *Omnia noctium occursacula, omnia bustorū formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta.* Poetæ vero, qui nihil sibi non permittunt, ipsas e sepulcris vmbras euocant, & inimicos suos spectris exagitare, ac imaginibus quibusdam exercere comminiscuntur. Virgilius Æneid. 4.

Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus vmbra locis adero.—

Quæ pauca, ad declaranda partim poetarum, partim etiam aliorum scriptorum deliramenta, quibus eorum libri referti sunt, sufficere existimaui.

Æschines illustratur.

CAPVT XII.

KΑὶ γὰρ αὖ οὐ δεινὸν, ὦ Ἀθηναῖοι, εἰ τὰ μὲν ξύλα, καὶ τοὺς λίθους, καὶ

τὸν

τὸν σίδηρον, τὰ ἄψυχα καὶ ἀγνώμονα, ἐάν τινʼ ἐμπεσόντα ἀποκτείνῃ ὑπερορίζομεν. Verba Æschinis, κατὰ κλεισθένους: quæ omnibus perspicua spero fore, si lignum, gladium, lapidem, aut aliud quidpiam inanimum, quod forte fortuna e superiore loco cadēs, hominem interfecisset, e finibus Atticis eiiciendum, amandandumque, quasi exilio multandum, legibus sui: sanxisse Draconem, ostendero. Æschili commentator ἐκεῖνος γὰρ (Draco) ὑπὲρ τοῦ μηδὲν ἁμαρτάνειν, φησὶ κἂν ἄψυχον ᾖ τὸ ἀποκτεῖναν, καὶ ξύλον, κἂν σίδηρος, κἂν χαλκὸς ἐξωβάλλεσθαι. Pausanias in Attic. τὸ δὲ ἐν πρυτανείῳ καλούμενον, ἔνθα τῷ σιδήρῳ καὶ πᾶσιν ὁμοίως τοῖς ἀψύχοις δικάζουσιν, ἐπὶ τῷδε ἄρξασθαι νομίζω. Rursus Eliac. β. καὶ οἱ θάσιοι καταποντεύουσι τὴν εἰκόνα, ἐπακολουθήσαντες γνώμῃ τῇ δράκοντος, ὃς ἀθηναίοις θεσμοὺς γράψας φονικοὺς, ὑπερώρισε καὶ τὰ ἄψυχα εἴγε ἐμπεσόν τι ἐξ αὐτῶν ἀποκτείνειεν ἄνθρωπον. Qua de re lib περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων Porphyrius.

Cur vero fora, in quibus capitales caussæ agerentur, sub dio essent, hoc sermone docet Antiphon: ἔπειτα δὲ ὁ πάντας οἶμαι ὑμᾶς ἐπίστασθαι, ὅτι ἅπαντα τὰ δικαστήρια ἐν ὑπαίθρῳ δικάζει τὰς δίκας τοῦ φόνου, οὐδενὸς ἄλλου ἕνεκα, ἢ ἵνα τοῦτο μὲν οἱ δικασταὶ μὴ ἴωσιν εἰς τὸ αὐτὸ τοῖς μὴ καθαροῖς τὰς χεῖρας. Ea Iudæos ratione arbitror in prætoriū minime gentium introisse, ne Pascha celebraturi inquinarentur.

Senecæ loca.

CAPVT XIII.

Quidam ad magnificas voces excitantur, & transeunt in affectum dicentium, alacres vultu & animo: nec aliter concitantur, quam Phrygii solent tibicinis sono semiuiri, & ex imperio furentes. Hactenus Seneca. epistola 109. Per *semiuiros*, Gallos, matris deum sacerdotes, haud obscure innuens, qui audito Phrygio tibicine, statim in furorem aguntur, id quod aliis itidem hominibus vsu non venit. Lucian. in Nigrino: ὥσπερ γὰρ οἱ τοῦ φρυγίου αὐλοῦ ἀκούοντες, οὐ πάντες μαίνονται, ἀλλʼ ὁπόσοι αὐτῶν τῇ ῥέᾳ λαμβάνονται, οὗτοι δὲ πρὸς τὸ μέλος ὑπομιμνήσκονται τοῦ πάθους. Philostratus: οἱ τελούμενοι τῇ ῥέᾳ μαίνονται, πληγέντες τὰ ὦτα κτύποις ὀργάνων. Quintilia. lib. 1. cap. 10. *Et etiam non inerudite ad declamandum ficta materia, in qua ponitur tibicen, qui sacrificanti* (*Gallo fortasse sacerdoti*) *phrygium cecinerat.* Idem lib. de Ira 2. *Mindiridem aiunt fuisse ex Sybaritarum ciuitate.* Corrige Smindyridem. Aristoteles ἠθικῶν εὐδημείων α. οἱ δὲ σαρδανάπαλον μακαρίζοντες, ἢ σμινδυρίδην. Is porro in eorum grege primas tenet, qui nunquam orientem, neque occidentem solem vidisse memorantur. Idem libr. de Beata vita Seneca: *Voluptatem inuenies latitantem sæpius, ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria, ac loca ædilem metuentia.* Ædilitiæ potestatis erat ganeæ ciuibus interdicere, ac insontes vindicare. (Sueton. in Tiber. *dateque ædilibus negotio popinas ganeasque vsque eo inhibendi, vt ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent*) Thermarum

lo ex coniectura, κατὰ τὰ μεθόρια Βισσίας: in quibus initio manum coegisse Spartacum, historiarum scriptores testantur, nisi κατὰ τὰ ὄρη Βισσία forte malis. Appian. ἐς τὸ βέσβιον ὄρος ἐξέφυγον. Strabo: ὄρος βεσούβιον appellat. Idem lib. 2. βὼξ δὲ ἐφθὸς εὔπεπτος, ἐπιτρόδοντος, corrige διατρόδοντος. Dioscor. τυρὸς νεαρὸς δίχα ἁλῶν ἐσθιόμενος εὔφθαρτος, εὐστόμαχος, διατρόδοντος. Idem lib. ιδ. circa finem: ὁ δ' ἀγαθὸς ποιητὴς, εἴ τις ἄλλος τῶν μετὰ τοὺς ἑπτά. Græci hos septem insignes poetas a pari stellarum numero Pleiada vocant. Strabo lib. ιδ. ποιητὴς δὲ τραγῳδίας ἄριστος τῶν τῆς πλειάδος καταριθμουμένων. Eustachius: τραγικοί τε γάρ τινες ἑπτὰ λόγου πολλοῦ ἄξιοι, πλειὰς ἐλέγοντο. Tzetzes in Lycoph. ἦν δὲ εἷς τῶν ἑπτὰ ποιητῶν, οἵτινες διὰ τὸ ἑπτὰ εἶναι τῆς πλειάδος ἐλέγοντο, ὧν τὰ ὀνόματα, θεόκριτος, & reliqua cui in omnibus non conuenit cum Hephestionis scholiaste.

Quæ numeris Pythagorei nomina imponerent.

CAPVT XVI.

PYthagoræi τὴν μονάδα, νοῦν φρόνησιν, ὕλην, ἀπόλλωνα, ναῦν, ἅρμα, φίλον ζωὴν, εὐδαιμονίαν, σπέρμα, nominabant: τὴν δυάδα, αὐθάδειαν, τόλμαν, ὁρμὴν, ἄρτεμιν, δόξαν, κίνησιν, ἔραν γένεσιν, μεταβολὴν, διαίρεσιν, μῆκος, αὔξησιν, σύνθεσιν, κοινωνίαν, ἔρωτα, διομήτορα, σελήνην. τὴν τριάδα, εὐβουλίαν, ἑκάτην, φρόνησιν, εὐσέβειαν, δίκην, σωφροσύνην, φιλίαν, εἰρήνην, ἁρμονίαν. τὴν τετράδα, ἀένναον φύσιν, κλειδοῦχον φύσεως, ἡρακλέα, δικαιοσύνην. τὴν πεντάδα, γάμον, δικαιοσύνην, νέμεσιν, δίκην, βουβάστειαν, ἀφροδίτην, γαμηλίαν, ἀνδρογυνίαν, ἡμίθεον, παλλάδα, καρδιάτην. τὴν ἑξάδα, ἀρρενόθηλυν, γάμον, ὁλομέλειαν, φιλίαν, εἰρήνην, ὑγείαν, ἀκμονα, ἑκατηβολίτην, τριοδίτην, διχρονίαν, ἀμφιτρίτην, ἀγχίδικον, θάλειαν, πανάκειαν. τὴν ἑπτάδα, παρθένον, ἀμήτορα, τελεσφόρον, ἀγελείαν, σεπτάδα, τύχην, καιρὸν, ἀθηνᾶν. τὴν ὀκτάδα, παναρμόνιον, καδμείαν, μητέρα, ἔρωτα, μῆτιν, ἀσφάλειαν, ἕδρασμα. τὴν ἐννεάδα, συμπάθειαν, ἀντιζυγίαν, ἀνοικίαν, ἀνταπόδοσιν, ἀμοιβὴν, ἥφαιστον, ἥραν, διὸς ἀδελφὴν, καὶ σύνευνον, ἑκάεργον, κουρῆτιν, κόρην, ὑπερίονα, τερψιχόρην, παλιαπίτειαν, σκέδασιν, τελεσφόρον. τὴν δεκάδα, κόσμον, οὐρανὸν, πᾶν, εἱμαρμένην, αἰῶνα, κράτος, πίστιν, ἀνάγκην, ἄτλαντα, ἀκάματον, θεὸν, φάνητα, ἥλιον, κλειδοῦχον, πανοτίλειαν. Ex his quod plurimi auctores explicari possunt. Plutarchus περὶ ἴσιδος καὶ ὀσίριδος: οἱ δὲ πυθαγόρειοι, καὶ ἀριθμοὺς καὶ σχήματα θεῶν ἐκόσμησαν προσηγορίαις. τὸ μὲν γὰρ ἰσόπλευρον τρίγωνον ἐκάλουν ἀθηνᾶν. Porphyrius: οἱ γοῦν πυθαγόρειοι περὶ τοὺς ἀριθμοὺς, καὶ τὰς γραμμὰς σπουδάζοντες, ἀπὸ τούτων τὸ πλεῖον ταῖς θυσίαις ἀπήρχοντο, τὸν μέν τινα ἀριθμὸν ἀθηνᾶν καλοῦντες, τὸν δέ τινα ἄρτεμιν. Aristoteles lib. τῶν μετὰ τὰ φυσ. μ. οἱ δὲ πυθαγόρειοι πρότερον περί τινων ὀλίγων, ὧν τοὺς λόγους εἰς τοὺς ἀριθμοὺς ἀνῆπτον. οἷον τί ἐστι καιρὸς, ἢ τὸ δίκαιον, ἢ γάμος: Sunt & alia huiusmodi, quæ sciéntes præterimus satis est enim specimen eorum dedisse.

Homerum quatuor tantum ventos nosse. Lucani & Senecæ loca.

CAPVT XVII.

QVatuor sunt cœli regiones, Ortus, occasus, meridies, & septentrio. Ortus & occasus mobiles & varii sunt, meridies & septentrio statæ sunt & manent. emergit enim sol non indidem semper, sed aut Æquinoctialis oriens dicitur, aut Solstitialis, aut Brumalis. eadem de occidente est ratio. Inter solstitiorum & æquatoris parallelos, alios interiacere, probe callemus: sed post exercitatos in his disciplinis homines, quos, non tantum Phauorinum, stulte arguunt quidam, sic rem commode distinctam putamus. Seneca lib. Nat. q 5. *Sed alius est ortus occasusque æquinoctialis (bis autem æquinoctium est) alius solstitialis, alius hybernus.* Ex his igitur quos supra memoraui, quatuor mundi cardinibus, totidem numero ventos exsurgere, indicat Homerus Odyss.

σὺν δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἔπεσον, Ζέφυρός τε δυσαής,
καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης ——

Labuntur autem, qui plures eorum, videlicet medios ab eo nominatos ariolantur. Siene vero, Thebaidos oppidum, sub Cancri tropico constitutum est, vbi cum sol quandam eius signi partem ingreditur, horæ diei sexta, nullam arrecta corpora vmbram iaciunt. Lucanus in Pharsal. 2.

—— *Atque vmbras nusquam flectente Siene.*

Macrobius, *Nunquam*, peruerse legit: & in illum poetam, mathematicarum artium minime rudem, per calumniam inuehitur. *Nusquam*, procul dubio scripsit Lucanus id est, nullam in partem. Atqui tum sol supra eius vrbis verticē delatus, radios suos ad perpendiculum fundit. Seneca in Hercule furente.

Et qua sol medium tenens meridies (qua medio solstitii die) vmbræ absumuntur.

Vmbras corporibus negat.

Aristophanis loca.

CAPVT XVIII.

ΨΥχῶν σοφῶν τοῦτ' ἐστὶ φροντιστήριον: Aristophanes in Nebulis. Interpres, φροντιστήριον οἱονεὶ βουλευτήριον, exponit, quem sane non carpo in hoc tamen Socratē traduci censeo: qui φροντιστὴς cognominatus est. Xenophō in Symposio: ἆρα σύ, ὦ Σώκρατες, ὁ φροντιστὴς ἐπικαλούμενος. Gal. αἱ γὰρ [illegible] διανοήσεις, ὀνομάζονται φροντίδες, ὅθεν καὶ τὸν Σωκράτην φροντιστὴν ἐκάλουν, καὶ φροντίδας τὰ σοφὰ βουλεύματα τ' ἀνδρὸς ὠνόμαζον, nec sine more ψυχῶν dixit, non ἀνθρώπων. Nam Socrates animam hominem esse disputauit, cum tamen ex anima & corpore constet. Idem paucis infra carminibus ad hunc modum loquens Aristophanes: τοὺς ὠχριῶντας, τοὺς ἀνυποδήτους λέγεις. Ipsum iterum Socratem præcipue pungit, nu-

dis

dis pedibus fere ambulantem. Plato in Sympusio: ἔφη γὰρ οἱ συγγένειαν εὐτυχεῖν λελουμένον τε, καὶ τὰς βλαύτας ὑποδεδεμένον, ἃ ὀλιγάκις ἐποίει.

Vasa fictilia in sacris.

CAPVT XIX.

QVin prisci illi Græci & Latini homines, vasis aut fictilibus, aut ligneis domi vterentur, neminem latere puto. Ouid. Fastor. 5.

Terra rubens crater pocula fagus erant.

Cum autem alia pretii maioris publice non possiderent, ea demum in sacrificiis adhibere cogebantur. Tametsi vero tractu téporis vbique gentium opes in immensum crescerent, ea tamen vasa, quibus antiquitas necessario sacra faciebat, in solemnibus cerimoniis ac deorum cultu plerunque remanserunt. Porphyrius: Διὰ τοῦτο καὶ τοῖς κεραμείοις ἀγγείοις καὶ τοῖς ξυλίνοις καὶ πλεκτοῖς ἐχρῶντο, καὶ μᾶλλον πρὸς τὰς δημοτελεῖς ἱεροποιίας τοιούτοις χαίρειν πεπεισμένοι τὸ θεῖον. Dionys. Halicar. καὶ σπονδὰς εἶδον ἐγκεκραμένας ἐν ἐκ ὀργυρῷ κοὐ χρυσοῖς ἄγγεσι, ἀλλ' ἐν ὀστρακίνοις. Valer. lib. 4. Et æternos Vesta focos fictilibus etiamnunc vasis contentos iuro. Idem sentit Apuleius & Plinius *lib. 35. cap. 12.* Varro de ling. Latin. *Hisce etiam (pateris) nunc in publico conuiuio antiquitatis retinenda, causa cum magistri fiunt potio circumfertur, & in sacrificando Deis hoc poculo magistratus dat Deo vinum.* lib. 35. capit. 12. Cicero 2. de Legib. *Ad diuos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amouento* Locus hic me mouet, vt vas illud pulcerrimum, quod Genuæ spectatur, siue é smaragdo, siue ex alia insigni gemma constet, lancem fuisse negem, in quam salutis humanæ parens CHRISTVS, manum cum Iuda immisit: licet vulgus secus opinetur, cui Clemens Alexandrinus contradicit, ὁ κύριος τρυβλίῳ ἐπιψάτο εὐτελεῖ.

Theognis declaratur. ἄστρον. δένδρα ἀστρόβλητα.

CAPVT XX.

ΑΦρονες ἄνθρωποι, καὶ νήπιοι, οἵ τινες οἶνον Μὴ πίνουσ' ἄστρου καὶ κυνὸς ἀρχομένου. Versus sunt Theognidis, in quibus voces illæ, καὶ κυνὸς redundare possunt, siquidem Græci ἄστρου nomine canem intelligunt, Theophrastus περὶ φυτῶν β. κεφ. περὶ φυτεύσεως. οἱ μὲν ἄλλοι τοῦ ἦρος, οἱ δ' ἐν Βαβυλῶνι περὶ τὸ ἄστρον. Alcæus: τέγγε πνεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται. Xenophon in Cynegetico: ἐπὶ τοῦ λαγὼ ὀσφραίνονται ἐν τόποις ψιλοῖς ξηροῖς, περὶ ἡλίου, τοῦ ἄστρου ἐπιόντος. Hinc ἀστρόβλητα δένδρα. Aristoteles περὶ νεότητος καὶ γήρως: ἐν τῷ θέρους ἰσχυρῷ συμβαίνει καύματα καὶ μὴ δύναται τὸ αἰρόμενον ἐκ τῆς γῆς ὑγρὸν καταψύχειν, φθείρεται μαραινόμενον τὸ θερμόν, καὶ λέγεται σφακελίζειν, καὶ ἀστρόβλητα γίνεσθαί τα δένδρα. Theoph. ἀστρόβλητα μὲν οὖν μάλιστα γίνεται τὰ φυτά, καὶ οἱ μίσχοι, διὰ τὴν ἀσθένειαν. συμβαίνει δὲ τὸ πάθος, ὅταν ὑγρὰ ξηρανθῇ, καὶ μὴ ἔχωσιν ἰκμάδα οὐδὲ ἰσχὺν, διὸ καὶ ἐπὶ ἄστρον ταῦτα. Quidam a sideribus tactas & percussas arbores, ridicule exponut.

Quid vero est, quod citatis dudum a me carminibus fatuos putet Theognis, qui cane, atque omnino, vt interpretor) æstate, nó potent? an quod tum ingentes calores sit m... candentes, ad bibendum homines prouocet? an quod eo tempore, si credimus Hesiodo, optimum sit vinum? τῆμος πιόταταί τ' αἶγες, καὶ οἶνος ἄριστος. Glossographi: ὁ οἶνος ἄριστος, ὡς τότε ἤδη κεκερασμένος, τὰς μεταβολὰς τῶν ἀέρων ἀμφιγνοῶν, καθ' ἃς ἦν κινδυνος τραπῆναι.

Κλίβανος. κρίβανος. ἰπνός.

CAPVT XXI.

ATheneus lib. δειπνοσοφ. γ. qui ab Atheniensibus, κρίβανος nominatur, hunc ab Herodoto κλίβανον appellari dicet: vt nullum inter κριβανίτας & κλιβανίτας ἄρτους discrimen esse existimandum sit. Moschopulus περὶ σχεδῶν, quiduam sit κλίβανος ostendit: σκεῦός τι σιδηροῦν, ἐφ' ᾧ τοὺς ἄρτους ὀπτῶσι, πῦρ ὑποκαίοντες, καὶ περικλείσαντες αὐτό. Quem vero κλίβανον vocat Moschopulus quidam ἰπνὸν esse perperam existimant: quæ vox nequaquam clibanum, sed furnum proprie notat, vti mox docebo. Hippocrat. περὶ διαίτης καὶ οἱ ἰπνῖται ἄρτοι, τροφιμώτεροι τῶν ἐσχαριτῶν καὶ ὀβελιῶν. οἱ δὲ κλιβανῖται καὶ οἱ ἐγκρυφίαι ξηρότεροι. Galenus περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας: εὔχυμα τοίνυν ἐδέσματα τῶν μὲν σιτηρῶν, ἄρτοι τ' ὅσοι ... καθαροὶ κατεσκευασμένοι καλῶς, ὀπτηθεῖσί τε τῷ διὰ κριβάνου. περὶ τούτων δ' ἐν τοῖς περὶ ἀρτῶν, οἵ τ' ἰπνῖται. Vide igitur, κρίβανον & ἰπνὸν rem diuersam esse. Idem περὶ εὐπορίστων α. ὁ πάντων δ' εὐχυμός τι καὶ καλῶς ὠπτημένος ὁ ἄρτος ἔστω κριβανίτης, οὐκ ἰπνίτης. Diphilus apud eundem Athenæum Ipniten a caminite nil differre censet: ὁ δ' ἰπνίτης καλούμενος, καὶ καμινίτης, δυσοικώτερος. Et vtrumque a clibanite recte separat: ὁ δὲ κλιβανίτης (inquit) πάσαις τοῖς ἀρτοῖς περὶ τούτων. Symeon Zethi: Κάλλιστοι μὲν οὖν ἄρτοι οἱ κλιβανῖται καθ' ὃν εἴρηται τρόπον ὠπτημένοι ἐφεξῆς δὲ οἱ φουρνῖται. Est igitur κλίβανος, fornaculus aut ferreus, aut testaceus, mobilis, in quo prunis subiectis, ac superne congestis panis olim, nunc placentæ, farcimina, botuli p[r]a condita, decoquuntur. eo hodie lautæ mensæ in Gallia vtuntur, ne gulæ lenocinia ad pistores dulciarios assidue mittant. De furno, vt re omnibus cognita, nihil acturus sum. Scio innumerabiles ea, quæ nunc retuli, scriptores ignorasse, in hisq; exponendis peccasse Marcellumq;, in primis Virgilium, qui apud Dioscorid. libr. α. κεφ. ϛζ. κλιβανοειδῆ, quod furni simile sit, interpretatus est, cum clibani vertere debuisset: quæ duo Plinius, vt diuersa, merito discludit.

Τραχίζειν. τραχύνειν. σκυζᾶν.

CAPVT XXII.

DOcui iampridem, alarum fœtorem, caprum & capram a Latinis appellari, τράγον a Græcis: vnde τραγίζειν, virus illud olere. Hippocrates: ἐπὴν ἀφροδισιάζειν ἄρξωνται, ὁ τραγίζειν: hinquitinam

τὰ ἄλλα. Sed quia malus ille odor raro quenquam inuadit, nisi qui rem cum mulieribus habere per ætatem queat: aut quoniam tum maxime fœtent hirci, cum coitum appetunt: Theophrastus περὶ ὀσμῶν: διὸ καὶ οἱ τράγοι, καὶ οἱ ἔλαφοι, καὶ οἱ λαγῷ, καὶ τ' ἄλλα, περὶ τὰς ὀχείας μάλιστα ὄζει: eo factum est, vt τράγος aliquádo pro libidine Venerea vsurpetur. Luci. καὶ τὸ πολὺ τῆς νυκτὸς, ἢ πίνοντες, ἢ γυναιξὶν ὁ ὅπως αὖ ὁ τράγος χελιδὼν, συναναφυρέντες. τραγᾶν vero quid significet, indicat lib. de Histor. animal. 5. Aristoteles: οἱ δὲ τράγοι πίονες ὄντες ἧττον γόνιμοί εἰσιν, ἀφ' οὗ καὶ τὰς ἀμπέλους, ὅταν μὴ φέρωσι, τραγᾶν καλοῦσι. τραγίζειν quoque, ac τραγᾶν, pro eo quod est hircinam vocem æmulari, offendes. Idem lib. ζ. καὶ αἱ ὕες δὲ, ὅταν ἔχωσι πρὸς τὴν ὀχείαν ὁρμητικῶς, ὃ καλεῖται καπρίζειν, ὠθοῦνται καὶ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους. περὶ δὲ τὰς κύνας τὸ τοιοῦτον πάθος καλεῖται σκυζᾶν quam dictionem perperam explicuit Varinus. Latini *Catulire* dicunt, non *Canire*, vt nonnulli interpretantur. Varro li. de re Rust. 2. de fœtura: *Principium admittendi faciunt veris principio, tunc enim dicuntur Catulire*, id est, ostendere se velle maritari.

Τραγικὸς Θεοκρίνης. βλητοί. βλιτοί.

CAPVT XXIII.

EN τούτοις λαμπροφωνότατος, μνημονικώτατος, ὑποκριτὴς ἄριστος, τραγικὸς Θεοκρίνης: Demosthenes περὶ στεφάνου, hoc sermone Æschinem Theocrinem vocans, hunc vt pessimum sycophantam probro afficit: quod is vir, si quis alius vnquam Athenis, ciues suos, falsis circumuenire criminibus soleret, vt ipse in oratione κατὰ Θεοκρίνου indicat orator. τραγικὸν vero, quod actor tragœdiarum fuerit Æschines, qui etiam ab eo τριταγωνιστὴς, id est, vilis, tertiarumque partium histrio nuncupatur: atque ὁ ἀπὸ τῆς σκηνῆς κρεοφάγος, καὶ λέγων, καὶ σπερμολόγος. Hæc omnino vocabula, τραγικὸς Θεοκρίνης, mimum calumniatoremque significant. Erasmus in adagio Tragicus Theocrines hunc primum tragœdiarum actorem fuisse refert. a quo valde dissentio. Nam multos ante Demosthenem annos tragœdiarum actores Athenis extitisse constat: qui tamen, nisi aduersus coætaneum suum, orationem habere atque edere non potuit. nec sane Theocrinem histrionicam nunquam exercuisse comperio. Ad βλητοὺς transeo, ἀποπλήκτους a Græcis nominatos, quorum Hippocrati & Galeno est mentio. βλιτοὶ autem, periora, εὐήθεις ab his dicuntur. Vnde Blitomammantes Thetæ, ἐκ τε τοῦ βλίτου εὐτελοῦς λαχανώδους πεφυκότος, καὶ τοῦ μάμμαν, τοὺς ἄρτους δὲ οὕτω φασὶ τὰ βρέφη. Nos rectius sentiétē Hesychium sequimur: μάμμη, ἡ μήτηρ τῆς γονῆς, ἢ ὑποκόρισμα μητρός. Ceterum dictiones has βλητοὺς & βλιτοὺς minime Grammaticos secreuisse ex eorum monumentis apparet.

Cepos, Manticora. Cebus.

CAPVT XXIV.

IIsdem ferme temporibus exhibita monstra sunt, *Cephos* ap-

pellant. hæc cap. 33. Solinus. Restituendum est autem, *Cepos* quadquam *Cephos* scribat Plinius. Strabo lib. 15 ἔστι δὲ (inquit) ὁ κῆπος, τὸ μὲν πρόσωπον ἐοικὼς σατύρῳ, τ' ἄλλα δὲ κυνὸς καὶ ἄρκτου μεταξὺ γίνεται δ' ἐν αἰθιοπίᾳ. Agatharchides ὁ δὲ κῆπος ἔχει τὸ μὲν, πρόσωπον ἐοικὸς λέοντι, τὸ δὲ σῶμα πάνθηρι, τὸ δὲ μέγεθος δορκάδος. Diodor lib. 3. ὁ δὲ λεγόμενος κῆπος, &c. Aristoteles *Mantichoram* nominant, etiam Pausanias in Bœotic. *Martioram*, Philostratus in Apollonio *Martichoram* vocat. Quæ porro de ea bestia a Plinio traduntur, e Ctesia Cnidio ad verbum expressa sunt: vt mendacii crimen in Plinio non hæreat, sed in eo fabuloso (vt docent Aristoteles. Plutarchus & Strabo) scriptore, qui *pygmaeos*, *Sreganopodes*, *Pegasos*, *Sphinges*, atque infinita huiusmodi portenta, a quibus natura abhorret, partim architectatus est, partim vt res haud dubie certas defendit: nec puduit vanissimum hominem cuius extant fragmenta quædam, tot mendaciis posteros onerare. Simiæ proprie cauda carent: habēt vero, vt ex nomine palam est, cercopitheci, quorum ego speciem cebos esse sentio, tametsi non desunt, qui has animantes disiungant: Aristotelem manifesto oppugnantes, cuius verba hæc sunt lib. περὶ ζώων ἱστορίας β΄ οἷον πίθηκοι, καὶ κῆβοι, καὶ κυνοκέφαλοι. ἔστι δ' ὁ μὲν κῆβος, πίθηκος ἔχων οὐράν. Habent & callitriches, flauo aureoque colore præditi.

Virgilius explicatur.

CAPVT XXV.

Pars in gramineis exercent membra palestris,
Contendunt ludo, & fulua luctantur arena:

Hæc Æneid. 6. Virgilius, e Pindaro mutuatus est, quem libro πρὸς ἀπολλώνιον citat Plutarchus: καὶ τοὺς μὲν ἵπποις γυμνασίοις, τοὺς δὲ πεσσοῖς, τοὺς δὲ φορμίγγεσι τέρπονται.

Idem Georgic. 1

Arctos Oceani metuentes æquore mergi.

Sumtum ex Homero, Odyss. 5.

ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι,
οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν ὠκεανοῖο.

Quæ quidem metra ad eas terrarum oras referenda sunt, quarum declinatio supra 38 gradus tollitur. harum enim sub Horizōtem vrsæ non merguntur. Nec ignoro, Strabonem hoc prolixius enucleasse. Idem lib. 9. Virgilius:

Qualis in Euboico Baiarum littore quondam
Saxea pila cadit ———

Fiebant autem eiusmodi pilæ (de quarum constructione Vitruuius lib. 5.) plerunque e puluere Puteolano, qui in aqua lapidescit. Strabo lib. 5. ἡ δὲ πόλις ἐμπορεῖον γεγένηται μέγιστον, χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους, διὰ τὴν εὐφυΐαν τῆς ἄμμου; δίοτι τῇ χάλικι καταμίξαντες τὴν ἀμμοκονίαν, προβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλατταν. Suetonius: Congestis pilis superposuit altissimam turrim.

Oi.

Οἶνος ἀνθοσμίας. πυῤῥίχη. βίβασις.

CAPVT XXVI.

ΩΣτ' οὐκ ἐθέλειν πίνειν, εἰ μὴ ἀνθοσμίας εἴη. Xenophon: ἐλλιπτικῶς. vbi οἶνος eleganter subauditur. Gregor. μὴ πωλήσομεν ὅμως τῆς ἀνθοσμίας. Aristophanes in Pluto: οἱ δ' ἀμφορῆς, οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου De quo consule ibidem Glossographum, & Athenæum lib α. I h mas: ἀνθοσμίας οἶνος οὐκ ἔνοσμος. Emenda, ὁ εὔοσμος. Συνώνυμον ὀδώδης. Idem ἀνάβασις. ς. Xenophon: η δὲ ὠρχήσατο πυῤῥίχην ἐλαφρῶς. Lucianus: περὶ ὀρχήσεως, hoc tripudii genus a Pyrrho Achillis filio. Pollux lib. δ. a rythyco quodam nomen inuenisse tradit. vbi βίβασιν εἶδος λακωνικῆς ὀρχήσεως, esse docens, sic inquit: ἔδει ἢ ἀλλέσθαι, καὶ ψαύειν τοῖς ποσὶ περὶ τὰς πυγάς. de qua Oribasius *lib. collect. ó. cap. 31.* Cuius tamen non videtur Iuuenalis meminisse Satyra vndecima:

Qui Lacedæmonium pedemate lubricat orbem.

Nec his adhuc Grāmaticis faueo, qui *Ptysmate, & Pytilismate* legere malunt. Est n. vt idem testatur Oribasius, *πτυλίζειν summis peditibus ingredi, tensis in sublime manibus; hanc quidem antrorsum, illam vero retrorsum quam celerrime mouendo.* Ex Cicerone vero in Pisonem, *Cumque ipse nudus in conuiuio saltaret, in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat:* orbem hunc ligneum τύμπανον fuisse, in quod desilirent, φq; modo saltantes pedib. circū ducerent, modo per longū spatiū superstātes vno impetu lubricādo agitaret, aliquādo suspicatus sum. nam Burdigalæ petauristam quendā, saltationis huius bauum, adolescens conspexeram. Nunc in eam opinionem inclino, vt illud tripudii genus esse putem, in quo diu se in gyrum versantes, hodie quoque mimi subinde emicant, ac subsiliunt.

De Milesiis & Lugdunensibus virginibus. Iuuenalis & Ouidii loca.

CAPVT XXVII.

QVi olim morbus, cuius in libro, cui titulus γυναικῶν ἀρεταὶ, meminit Plutarchus, Milesias virgines inuasit, idem l. 2.. giuta domine plus minus annos Lugdunenses miserrime afflixit. permultæ enim mentis impotes, se in puteos deturbare, quædam laqueo sibi gulam frangere, aliæ in ferrum incumbere omnes mortis desiderio teneri. hoc quamplurimi in neglectas religiones, ac prætermissas ceremonias: mathematici, in siderum potestatem, & defluxum quendam perniciosum conferebant. Quorū ego sermones ita admitto, vt Hippocratem, diuinum hominem, loco mouendum non putem, qui in commentariolo περὶ παρθενίων, qua caussa hoc ægrotationis genus, quo sacras deo virgines laborare crebro cernimus, grassetur, nos instruit: nec tamen is sum ego, qui certis annorum tempestatib. morbos quosdam nasci, in-

grauescere, sese remittere, euanescere penitus, non fer-riam. Vter porro maiore in coitu voluptate fruatur, vir ne, an mulier, ipse περὶ γονῆς indicat Hippocrates, aut Polybus: quem si quis curiosius adeat, quo pacto accipienda sint hæc Iuuenalis verba Sat. 6. (*Vir mollet fieri, nam quantula nostra voluptas?* Et illa quoque Ouidii Metamorph. 3.

——Et maior vestra profecto est,

Quam quæ contingat maribus, dixisse, voluptas) facile intelliget.

Homerus excutitur.

CAPVT XXVIII.

HOmerus in Bœotia, *Titaresium amnem*, quem *Eurotam* vocant Geographi, in Peneum influere, nec tamen cum eo misceri, sed olei modo supernatare refert. Qua in re edisserenda bis peccant Grammatici. Primum, quod neque Titaresium, aut cum Lucano *Pharsal 6.* Titaresum, neque Eurotam, sed Orcum nominant. Deinde, quod huius fluminis aquæ leuitati id referunt, quos carpit Strabo li. 8. τὸ μὲν οὖν πηνειοῦ καθαρὸν ἐστι ὕδωρ: τὸ δὲ τοῦ τιταρησίου, λιπαρὸν, ἔκ τινος ὕλης, ὥς' οὐ συμμίσγεται. Cōstat porro, fluuios per pingues terrarum venas profluentes, quasi oleo perunctos erumpere. Esse quoq; lacus ac fontes, quorum summa aqua olei ac pinguedinis similitudinem gerat, certo scimus. quod etiam lib. 8. Vitruuius testatur. Nec me a Strabonis opinione depellit Arrianus in Periplo Euxini ponti: ἐνθένδε εἰς τὸν φᾶσιν εἰσπλεύσαμεν ... ποταμῶν, ὧν ἐγὼ οἶδα, κουφότατον ὕδωρ παρεχόμενον, καὶ τὴν χρόαν μάλιστα ἐξηλλαγμένον. τὴν μὲν γὰρ κουφότητα, τῷ σταθμῷ τεκμήραιτο ἄν τις καὶ ... τούτου, ὅτι ἐπιπλεῖ τῇ θαλάσσῃ, οὐχὶ δὲ συμμίγνυται. καθάπερ τὸν τιταρήσιον λέγει ἐπιρρεῖν ὅμηρος καθ' ὕπερθεν ἠΰτ' ἔλαιον. Quin marina aqua fluuiali longo pondere grauior sit, nemo ignorat, vt subsidere necesse sit. Ouid. 4. de Ponto. *Innatat vnda freto dulcis leuiorq; marina est.* Hoc porro in amnibus, aut fontibus etiam cōtingere, difficulter concesserim, licet Plinius quosdam inter se supermeare prodat.

Veteres neque trophæa euertisse, neque res diis dedicatas sustulisse.

CAPVT XXIX.

EA fuit antiquis consuetudo, vt trophæa euertere, resque diis dedicatas amouere nefas putarent. Dion. lib. μϛ. καὶ τρόπαιον ἐπειδὴ ... ὁ μιθριδάτης ... τριάρχης ... ἔστησαν, καθελεῖν μὲν γὰρ τὸ τοῦ φαρνάκου οὐκ ἐτόλμησεν ὡς καὶ τοῖς ἐμπολεμίοις θεοῖς ἱερωμένον. Vitruuius lib. 2. *Postea autem Rhodii religione impediti (quod nefas est trophæa dedicata remoueri) circa locum eum ædificium struxerunt.* Xenoph Helle. 4 καὶ τὰ μὲν τρόπαιον οὐ κατέλυσαν. Plutarchus in Cæsare: καὶ δεικνύουσιν ἐγχειρίδιον ... ἱερῷ κρεμάμενον, ὡς δὴ καίσαρος ἀφῃρημένον. ὁ δὲ θεασάμενος, αὐτὸς ὕστερον ἐμειδίασε, καὶ τῶν φίλων καθελεῖν κελευόντων, οὐκ εἴασεν, ἱερὸν ἡγούμενον.

Eodem persuasi ritu veteres, neque fornices, autarcus, quos ἀψῖδας τροπαιοφόρους vocant Græci, neque aras, neque sepulcra, neq; sacella, quibus religio quædam ac reuerentia debetur, mouebant.

φάρυγξ. παροψίς. κηρυβαίολος. κισσᾷν. κρείττων.

CAPVT XXX.

Ἔστι δὲ φάρυγξ μὲν, ἡ τῆς φωνῆς δίεξοδος. λάρυγξ δὲ, ἡ τῶν σιτίων κατάποσις. Thomas. Nos Galenum in Hippocratis aphorismos audiamus: ἡ κατὰ τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν, ἢ τὴν οἷον κεφαλὴν αὐτὴν ἣν ὀνομάζουσι λάρυγγα. Est igitur larynx, caput atque ostium asperæ arteriæ. Deinde: καὶ ποτὲ κατὰ τὴν προκειμένην διεξοδείαν ταύτης ἣ τοὔνομα φάρυγξ ἐστὶ, πνίγεσθαι πέφυκεν. Etiã ex eo quid sit pharynx, planum est: παροψὶς, τὸ ὄψον, οὐχὶ δὲ τὸ ἀγγεῖον, τοῦτο δὲ τρυβλίον: Phrynicus. Athenæus hoc confutans, pro vase escario paropsida sumi probat. fatetur Pollux. Non improbandus est igitur Martialis:

Quam portat gaudens ancilla paropside rubram,
Halecem. ———

αἰόλον, λέγεται τὸ ποικίλον. αἰόλον δὲ τὸ ταχὺ, ἀπὸ ἀέλλα, ἀφ' οὗ κηρυβαίολος εἴρηται: Moschopulus post Porphyrium. καὶ κηρυβαίολος ὁ συντόμως κινῶν τὴν κόρυθα. Sic vero Eustathius: κηρυβαίολος δηλοῖ τὸν ἔχοντα αἰόλην κόρυθα, ἤγουν ποικίλην περικεφαλαίαν. τὸ πέλεχος δεῖ λέγειν, ἀλλ' οὐχ ὁ πέλεχος. Thomas: πέλεχος masculino quoque genere efferri, docet lib. 3. Athenæus: κισσὸς φυτόν τι ἀνατεθειμένον τῷ διονύσῳ, ὃ συμπλέκεται ἀεὶ τοῖς παρακειμένοις. ἀπὸ τούτου κισσᾷν, ἐπὶ γυναικὸς τὸ μεθ' ἡδονῆς συλλαμβάνειν: Moschopulus. Hoc autem omnino stultum est. κισσᾷν mulieres prægnantes dicuntur, cum ore ventriculi oblæso, cibos aut fastidiunt, aut malos appetunt. Galeno teste lib. περὶ τῶν πεπονθότων τόπων: vocis etymologiam adducit. Paul. Æg. lib. & cap. 1. ac *Problem.* 2. Aphrodisæus. κρείττων, præter vulgarem significationem, deum etiam notat, aut rem, in qua vis inest maior aliqua. Plato in Sophista: ταχ' οὖν ἂν καὶ τούτοις οὗτος τῶν κρειττόνων συνεπεῖτο. Plutarchus in Pyrrho: τοῦτο τοὺς βαρβάρους ἐπῆρε τοῦ πλείονα χωρεῖν, ὡς ἄν τινα τῶν κρειττόνων θαυμάσαντες. Heliodorus: θεοπλαστοῦσι τὸν νεῖλον αἰγύπτιοι, καὶ κρειττόνων τὸν μέγιστον ἄγουσι. Quem loquendi modum videtur explicare Xenophon: κοιμηθεὶς δὲ ἐν τῷ βασιλείῳ, ὄναρ εἶδε τοιόνδε. ἔδοξεν αὐτῷ προσελθεῖν κρείττων τις ἢ κατὰ ἄνθρωπον.

Vinum gelascere.

CAPVT XXXI.

QVærit libro problematum α. Alexander Aphrodisæus, *Quid est, quod oleum & aqua frigore concrescant, nunquam autem vinum, nec acetum conglaciet.* Præterea, quæ sequuntur. Ego pace Alexandri, vinũ, tametsi calidum & exile sit, congelare tamen assevero, non tantum in Scythia (vt præclare sentit nutantib. Grammaticis Virg. Georg. 3 ... *Caeduntq́; securibus humida vina,*

Et Ouid. trist. 3. *Nudaque consistunt formam seruantia testæ Vina, nec hausta meri, sed data frustra bibunt.* sed et aiũ in Gallia, non in ipsis tamen (vt opinor) cellis ac doliis conditum, sed in vasculo sub dio positum: cuius equidem rei periculum aliquando feci. Xenophon ἀναβ. 7. de Thynnis populis loquẽs ἦν δὲ χιὼν πολλὴ καὶ ψῦχος, οὕτως ὥστε τὸ ὕδωρ, ὃ ἐφέρετο ἐπὶ δεῖπνον ἐπήγνυτο, καὶ ὁ οἶνος ὁ ἐν τοῖς ἀγγείοις. Licet Plinius *lib.* 14. vini naturam non gelascere, sed ad frigus stupere tantum scribat, aliique ab Homero αἴθοπα οἶνον ea ratione appellatum tradant. In regionibus quoque septentrionalibus, acetum coalescere facile crediderim. Diodo lib. 3 πήγνυται δὲ ὁ οἶνος καὶ τὰ λοιπὰ τῶν χυμῶν. Qui porro mare Scyhticum gelu stringi ac consistere negant, Herodotum sugillantes, ferendi non sunt. Constat enim ita esse, haud quidem semper, sed hyeme tantum. nã calore æstiuo, vel in his, q̃ sub ipso polo sitæ sunt, prouinciis, glacies liquescit ac dissoluitur. Scio me in hoc a quibusdam philosophis dissentire, quorum placita nemo me libẽtius amplectitur: nisi forte τοῖς φαινομένοις aduersantur. Nec desunt, qui illud etiam Virgilianum:

Et lac concretum cum sanguine potat equino.

ab eo poeta fictum dicunt. Ego verissimum arbitror: Callimachus εἰς Ἄρτ᾽ ἐπὶ δὲ στρατὸν ἱππημολγῶν ἤγαγε Κιμμερίων ψαμάθῳ ἴσον. Martial.

Venit & epoto Sarmata pastus equo.

Apollinaris: *Aut ad Caucasigenas Alanos, ac ad equimulgas Gelonos.* Quin eæ quoque gentes equinum lac potarent, ex eoque factum caseum (ἱππάκην vocant) ederent, non abnuit Hippocrates.

Tibiæ pares & impares.

CAPVT XXXII.

QVæ dicatur *acta tibiis paribus*, quæ *imparibus* comœdia, ostẽdit lib. 3. Diomedes. Cuius rei indicia produnt nobis antiquæ comœdiæ, in quib. inuenimus, *acta tibiis paribus, aut imparibus, aut serranis.* Quando enim chorus canebat choricis tibiis, id est, choraulicis, artifex concinebat, in canticis autem pithaulicis responsabat. Sed quod paribus tibiis, vel imparibus inuenimus scriptum: hoc significat, quod si quando monodio agebat, vnam tibiam inflabat. si quando synodio, vtranque. Seruius *in lib. Æneid.* 9. aliud adfert. Tibiæ aut serranæ dicuntur, quæ sunt pares, & æquales habent cauernas: aut Phrygiæ, quæ impares sunt, & inæquales habent cauernas. vt enim, ait Varro, *tibia Phrygia dextra vnum habet foramen, sinistra duo: quarum vnum acutum sonum habet, alterum grauem.* Tu consule Varronem *lib. de re Rust. 1. cap.* 1. Festus impares tibias numero foraminum discernit. Plinius *libr.* 16. cap. 26. cannam, quæ proxima, & attigua est radici, congruere ait ad tibias sinistras conficiendas: quæ ad acumen assurgit, ad dexteras

ætas tibias. Iam arundinem esse capaciorem sub radicem, ac proinde amplioris & grauioris soni, quam quæ ad acumen vergit, quis ignorat?

Mensa Sicula, & Italica.

CAPVT XXXIII.

SIculæ, Syracusanæ, atque Italicæ mensæ, prælautæ ac opiparæ dicebantur. Plato πολιτειῶν γ. συρακουσίαν δὲ ὦ φίλε, τράπεζαν, καὶ σικελικὴν ποικιλίαν. Idem in Epistolis: ἰταλιωτικῶν τε, καὶ συρακουσίων τραπεζῶν πλήρης. Docet hoc *lib.* 12. copiose Athenæus. Tametsi vero auste & frugaliter posteris temporibus agerent Itali & Siculi, eadem tamen semel de eorum delitiis & immoderatis epulis in animos hominum impressa opinio, perpetuo inualuit. Lucian. καὶ οἶνος ἀνθοσμίας, καὶ τράπεζαι ὑπὲρ τὰς ἐν σικελίᾳ. Basilius: ὅτι εἰ σε ἐνταῦθα πάλιν λάβοιμι, σικελικὴν, ἢ ἰταλιῶτιν τρυφὴν ἀπὸ δείξω τὰ παρόντα. Neque sane horum virorum seculo, aut Italos, aut Siculos voluptatibus præter modum addictos fuisse conspicio, quemadmodum nec hodie Thessalos fama accipimus: licet Plato in Critone, illam gentem eo etiam nomine, nec iniuria fortasse, culpet: ὁ ποιῶν ἢ εὐωχούμενος ἐν θετταλίᾳ, ὥσπερ ἐπὶ δεῖπνον ἀποδεδημηκὼς εἰς θετταλίαν. Persicas quoq; ac Asianas delitias extinctas videmus, quibus olim nihil inquinatius, nec mollius. Thucydides τράπεζάν τε μηδικὴν παρετίθετο. Chrysost. ἅμα σκῆπτρα καὶ ἁλουργίδες, καὶ μηδικὴ τράπεζα. proinde referenda sunt hæc omnia ad veterum auctorũ, non recentium ætates. nihil enim in his est perpetuũ quicquam: quod vel hoc vno Macrobii sermone, *libro Saturnalior.* 7. perspicuum est: Modum eum seruat, qui sui potẽs est, & in mensa Sicula, vel Asiana. Vitam porro victumque hominum, moresque ciuitatum mutari conspicimus.

Πεζαίτεροι, αὐτοκαύδαλοι, αὐτολήκυθοι.

CAPVT XXXIV.

Πεζαίτεροι, οἱ περὶ τοῦ ἀλεξάνδρου πεζοὶ, οὕτω προσηγορεύθησαν, inquit Moschopulus. Philippum vero Alexandri patrem πεζαιτέρους etiam habuisse, indicat Olynth. 2. Demosthenes: οἱ δὲ δὴ περὶ αὐτὸν ὄντες ξένοι καὶ πεζαίτεροι. Quæ vox, vt sentio, recte ita scribitur. quanquam Arrianus πεζέταιροι malit: nisi vitiosi sint codices. αὐτοκαύδαλοι. viles prorsus, ac nihili homines dicuntur. Lycophron: αὐτοκαύδαλον σκάφος. Interpres αὐτοσχέδιον τὸ εἰκῆ, καὶ ὡς ἔτυχε γεγονός. εἴρηται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῶν ἀλφίτων. αὐτοκαύδαλα γὰρ λέγεται κυρίως, τὰ ὡς ἔτυχε φυραθέντα ἄλφιτα. Quidam ita sentiunt: λέγεται δὲ τὸ αὐτοκαύδαλον, τὸ ταπεινὸν, καὶ εὐτελὲς, καὶ αὐτόξυλον, καὶ αὐτοσχέδιον ἐκ μεταφορᾶς τῶν κορυναφόρων ἐν οἷς οὐχὶ τὸ ἀπηξιωμένον ἄκρον περὶ τοῦ ξύλου, ἐν ᾧ τὸ ξίφος ἐντίθεται. Ath. li. 14. σικυώνιοι μὲν γὰρ φαλλοφόρους αὐτοὺς καλοῦσιν, ἄλλοι δ' αὐτοκαυδάλους (Eustath. καὶ ἰάμβους addit) οἱ δὲ φλύακας, ὡς ἰταλοί. αὐτολήκυθος inopem scurram, mendicumque nebulonem, ac parasitum significat, quique se ad omnia

obeunda onera paratum vltro offert. Demosthenes aduersus Cononem καὶ καλοῦσι τοὺς μὲν ἰθυφάλλους, τοὺς δὲ αὐτοληκύθους. Plutarchus: ἀλλὰ μὴ καθάπερ οἱ πολλοὶ τοὺς αὐτοληκύθους τινὰς λεγομένους, καὶ τραπεζέας, καὶ μετὰ τὸ κατὰ χεῖρας ἀκουομένους. ὥς τις εἶπε, κόλακας νομίζομεν, ὧν ἐν μιᾷ λοπάδι καὶ κύλικι μετὰ βωμολοχίας καὶ βδελυρίας ἡ αὐθάδεια γίνεται κατάδηλος. Lucianus in Lexiphane, has duas dictiones vsurpauit.

Senecæ loca.

CAPVT XXXV.

T*Heram, & Theream, hanc nostra ætatis insulam, spectantibus nobis in Ægæo mari enatam, quis dubitat, quin in lucem spiritus vexerit?* Hic Senecæ lib. Natural. quæstion. 6 locus corruptus est, legendum autem suspicor: *Theren, & Thiam, hanc nostra ætatis insulam.* Coniecturam nostram adiuuat ac confirmat *lib. 2. cap. 87.* Plinius, *ac lib. 4. capit. 12. Et in nostro æuio Thia iuxta eandem Hieram nata.* Dion li. LX. ἀνεφάνη δὲ καὶ νησίδιόν τι, ἐν τῷ ἔτει τούτῳ, παρὰ τῇ Θήρᾳ τῇ νήσῳ, οὐκ ὂν πρότερον. Eidem Senecæ epistula 67. errare visus est Virgilius, cum dixit,

Gratior & pulcro veniens in corpore virtus.

Cuius sane Stoicum paradoxum nemo, nisi stultitia obcœcatus probauerit, quique Thersiten ab Achille, hoc est, distortissimum a formoso non secernat. Idem Epistula 96. *Tuberonis ligneos lectos, &c.* Cicero pro Murena, *Strauit pelliculis hœdinis lectulos punicanos.* In hoc igitur sordes Tuberonis damnantur, quod non ex ære, aut ex ebore, aut ex testudine lectos comparasset, nec eos peristromatis, tapetis, aut Babylonicis strauisset.

Virgilii loca.

CAPVT XXXVI.

E*St in aure ima memoria locus, quem tangentes antestamur* (non *attestamur*, licet Erasmus sic legat) Plinius lib. 11. cap. 45. Huc Ecloga 6. respiciens Virgilius, sic ait:

——*Mihi Cynthius aurem Vellit, & admonuit.*——

Horatius:

——*Et, licet antestari: Ego vero oppono auriculam.*...

Idem Æneid. 6.

——*Pars semina flammæ Abstrusa in venis silicis.*——

Plerique reuera quædam in lapidibus esse ignis semina docent. Ego Alexandro Aphro. subscribo: καὶ ἀὴρ συναχθεὶς βίᾳ πῦρ γεννᾷ, ἀπὸ τῆς παρατρίψεως τῶν λίθων μεταβαλλομένου ἀέρος. οὐδὲ φασι, καὶ αὐτὸ πῦρ ἐνεργείᾳ συμπεπηγέναι. Galenus, ignem in corporibus δυνάμει εἶναι καὶ οὐκ ἐνεργείᾳ, probe sentit. Idem Æne. 3. *Recedunt vrbes* eleganter sane. Cum enim nauigio vehimur, quoniam in eo stamus, oculus quiescere nos iudicat: motu vero conspecto, quasi semet retractans, ripas, arbores, oppida nauem versus tendere suspicatur. Idem Georg. primo: ..*Et amaris intyba fibris.* Græcorum

πικρίδα

πικρίδα καὶ κιχώριον signat, alteram erratici intybi speciem. Ridenda porro est eorum opinio, qui intybam auem amari iecoris esse produnt. Idem Georg. 2. --- *Atque immemor herba.* Quidam, cum Marcello Herbæ, victoriæ exponunt. Ego, *Herba, graminis & pabuli*, ipso Ecloga 8 fauente Virgilio. *Immemor herbarum quos est mirata iuuenca.*

IOANNIS BRODÆI MISCELLANEORVM LIBER SEXTVS.

Homerus declaratur.

CAPVT I.

Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα, ἢ καὶ ὀνειροπόλον: Homer. Ilia. α. quem, vt vno & altero verbo finiam, sic exponit Eustathius: ὅτι ἐρωτῆσθαι τις μάντις, οἷον ἱερεὺς ἢ ὀνειροπόλος. vt μάντις genus sit, ἱερεὺς καὶ ὀνειροπόλος species. Galenus vero ita sentit: ἱερέα μὲν λέγει (Homerus) τὸν ἱεροσκόπον, ὀνειροπόλον δὲ τὸν περὶ τοὺς ὀνείρους ἔχοντα, μάντιν δὲ δηλονότι τὸν οἰωνιστήν: quo etiam nomine περὶ ὀξέων νοσημάτων ab Hippocrate οἰωνιστὴς vocatur. Idem ὀδυσ. ξ. Homerus.

ἔσθιε νῦν ὦ ξεῖνε, τά τε δμώεσσι πάρεστι χοίρεα.

Grammatici quidam, porculos a seruis edi solitos tradunt, quod macri & graciles si fere sint, obœsiores porci. Ego χοίρεα, τουτέστι δέλφακας, his apponi censeo, quod in his minus sit alimenti. Si quis enim sedulo animaduertat, Homerum pluris semper ciborum copiam, quam lautitiam pendere, viniqueabundantiam generositati præferre, rusticorum baiulorum operariorumque more, famem sitimque timentium, comperiet. Sic enim canit Iliad. δ. --- σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ ἕστηχ' ὥσπερ ἐμοί .. Paulo infra.

ἔνθα φίλ' ὀπταλέα κρέα ἔδμεναι, ἠδὲ κύπελλα
οἴνου πινέμεναι μελιηδέος, ὄφρ' ἐθέλητον.

Galenus ea de re loquens, sic inquit: αἰσθάνονται τούτου πάντων ἥκιστα οἱ γυμναστῆρες εἰς ἀδηφαγίαν ἐμπίπτοντες ἅμα, καὶ ἡδονὴν ἰδεῖν μάτην. Quam etiam declarat lib. θ. Athenæus.

Horatii loca.

CAPVT II.

Cicero *lib Offic. primo*, Plautinos libros altero iocandi genere, quod elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum nominat, refertos tradit. Horatius in Arte, nimium patienter eius poetæ sales a proauis laudatos perhibet. Ego, vt M. Tullio adhæream, primũ eius me mouet auctoritas: deinde, quod Plautinæ facetiæ mihi mirum in modum lepidę ac iucundæ videntur. Macrob. lib. Satur. 2. cap 1. *Et iam primo animaduerte duos, quos eloquentissimos antiqua ætas tulit Comicum Plautum & oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venustatẽ cæteris præstitisse.* Idem li. *Epod. 5. Od.* 4. allium cicuta nocentius putat, venenum appellans: cum quo ex

diametro dissidens lib θεραπευτικῆς μεθόδ. ιβ. Galenus: τῶν ἀρχαίων θηριακὴν τὰ σκόρδα nuncupat. Idem, Oda eiusdem lib. 9. Horatius: *Ad hunc frementes verterunt bis mille equos*
Galli canentes Cæsarem.

Hic Gallos accipio, non Gallogræcos: id quod ex Plutarchi Antonio perspicuum est, vbi quoties κελτοὺς video, Gallos semper intelligo. Qui vero Alexandriam longiore a Gallia itineris spatio abesse dicunt, quam vt illuc proficisci Galli equites potuerint, eos sub ipso Antonio, ac M. Crasso in Parthia meruisse, memoria non tenent. *Homerus illustratur.*

CAPVT III.

Salis vsum multis gentibus Troiano seculo incognitum fuisse, testatur Odyss. λ Homer.

——οἵ οὐκ ἴσασι θάλασσαν ἀέρες,
οὐδέ θ' ἅλεσσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσιν.

ἵνα δηλοῖ (verba Eustathii) ἀκραν ἀγροικίαν ἀνθρώπων ἐκείνων, οἳ οὐδαμῶς ἅλας οἴδασιν, οὔτε θαλασσίους, οὔτε ὀρυκτοὺς, οὔτε τοὺς ἄλλους. In cuius descēdit sententiā Pausan. in Attic. οἱ μηδὲ ἅλσης ἰλὺν θάλασσαν οἱ πολλοὶ, μηδὲ ἅλσιν ἐπιστάντο πω χρῆσθαι. μαρτυρεῖ δέ μοι καὶ Ὁμήρου ἔπος ἐν Ὀδυσσείᾳ. Salust. in bel. iugurth. *quia Numidæ plerumque lacte & ferina vescebantur, & neque salem, neque alia gulæ irritamenta, quærebant.* Aperte igitur falluntur, qui secus poetam exponunt, quique sine sale mortales degere nequiuisse suspicantur. Nunc ostendamus, ipsum Homerum celerem equum plane nosse, hoc versu qui est Odysseæ ε. αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς --- ἀμφ' ἑνὶ δούρατι βαῖνε, κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων. Et illo quoque Iliad. κ. καρπαλίμως δ' ἵππων ἐπιβὴσατο: dissentiente his verbis Polluce: ὡσπερ οἱ Ὁμήρου ἥρωες μάχονται. οὗτος γὰρ οὐκ οἶδε μονίππους ἱππείας. Constat etiam, ante bellum Troianum in præliis & excursionibus Centauros in equis consedisse. Idem in Iliade:

ὑμῖν μὲν προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν.

Insignes Grammatici cum Galeno μελίφρονα πυρὸν, τὴν τίφην explicant commodissimum equis pabulum. Et Iliad. ς. ὁμίλεον δ' αἰ τι ζωοὶ βροτοὶ ἠδ' ἐμάχοντο. Iidem ὁμιλεῖν, ὁμοῦ εἰλεῖσθαι, non συσφαιρίζεσθαι καὶ συγγυμνάζεσθαι enarrant.

Galeni loca. CAP. IV.

Cibum per stomachum descendere, potum vero & spiritum per asperam arteriam illabi, Plato in Timæo videtur credidisse: τὴν τε πεδόμενος ἰδέαν ἐνεφύτευσαν, ἵνα τό, τε πεδόμενα, καὶ τὸ πόμα δεχομένη, &c. Hoc tractat libr. Saturnal. 15. capit. Macrobius, quem quidem ex Plutarchi libr. sympos. ζ. segmento α. restitues. Illic enim, præter depravatum Alcæi carmen, quod etiam in 82. Athenæi ostendimus, Euripidis testimonium desideratur. Galenus lib περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην καὶ Πλάτωνα κ. postremo, in ea hæresi Platonem non fuisse ostendit, vt huius omnino
quæstionis

quæstionis exitum, arduum sit reperire. Quid vero senserit Hippocrates, hæc eius in lib. περὶ νούσων indicat oratio: ὅτι οὐ δοκέει σοι αὐξάνεται τοῖς τὸ ποτὸν εἰς τὸ πλεύμονα φέρεσθαι ἐνανπίωσομαι. Cui iure his aduersanti, vera ratio cõsentit. Idem ὑγιεινῶν α. Galenus, quicquid ortum est, necessario interiturum prædicat. ἄφθαρτον μὲν γὰρ πάντῃ τι γεννητὸν οὐχ οἷον τε. Idem περὶ μαρασμοῦ, secus (nisi fallor) existimat τὸ γὰρ ὅτι τὸ γεννητὸν πᾶν φθαρήσεται πάντως, οὔτ' ἐπιστημονικὴν, οὔτ' ἀναγκαίαν ἔχει τὴν ἀπόδειξιν, ἀλλ' ἄχρι τοῦ πιθανοῦ προέρχεται. Ego, consentientibus philosophis, omne quod nascitur, defectumum aliquando desiturumq; censeo: id quod nos non sophismatibus, sese vt plurimum gladiatorum instar cõicientibus, sed experimento docet nunquam mentiens natura.

De lapide noxium.

CAPVT V.

DE lapide *noxium*, apud Columellam libro & capite tertio, mortis damnatum, ac de Capitolino lapide deiectum, aut dignum qui iamiam præcipitetur complures exponunt Grammatici. Ego de lapide intelligendum puto, in quo stante & pretium faciente præcone, venibant serui probi, malique. Plautus in Bacchid. *O stulte stulte, nescis nunc vendi te, atq; in eo ipso adstas lapide, vbi præco prædicat.* Cicero in Pisonem: *Prætorq; duos de lapide emtos.* Hãc quoque Græcis consuetudinem inoleuisse, nõ me fugit. Pollux lib. 3 ἐπὶ δὲ τῶν πωλουμένων λίθος καὶ πωλητήριον καὶ ὡς Ἡρόδοτος, πρατήριον. Et 7. ἐφ' ὃ δὴ βαίνοντες οἱ δοῦλοι πιπράσκονται, τὸ τράπεζαν Ἀριστοφάνης καλεῖ. Plutarchus in Solone, ἀναβὰς ἐπὶ τὸν τοῦ κήρυκος λίθον. Plinius *lib. 18. cap. 3.* ita Columellam æmulatus est: *At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus exercent.* Noxius vero, furem, percussorem, quique forte virginem constuprarit, vitiosum omnino, ac criminis reum, noxæque deditum, & ob id venire iussum, significat.

Angari.

CAPVT VI.

ANgarii, regii tabellarii apud Persas erant, literas sibi inuicem perferendas (nam certis itinerum spatiis mutabantur) tradentes, quibus, vt docet Xenophon *Cyrop.* 8. constituti erant ἱππεῶνες. Fiebant & alio modo hi reges, rei quam scire valde cuperent, ocyssime certiores, si qua Apuleio fides. Ex eo numero erant & cursores diurni, atque nocturni exploratores, & per vices incensæ faces ex omnibus regni sublimibus locis, in vno die imperatori significabant, quod erat scito (*non cito*) opus. Æschylus in Agamemnone, ad hunc Persarum morem videtur, vt tradunt quidam, allusisse: φρυκτὸς δὲ φρυκτὸν δεῦρ' ἀπ' ἀγγάρου (aut ἀγγέλου) πυρὸς ἔπεμπεν (non ἔλαμπεν) Fateor equidem, me, quod refert Apuleius, apud libelli περὶ κόσμου auctorem reperisse: vt mirum sit, Xenophontem & Herodotum nunquam id testatum reliquisse,

cum tamen hic de Persicis angaricis ad hunc modum in Vrania loquatur: ὁ δὲ δὴ ἀγγαρήϊος δραμὼν, παραδιδοῖ τὰ ἐντεταλμένα τῷ δευτέρῳ, ὁ δὲ δεύτερος τῷ τρίτῳ. τὸ δὲ ἐνθεῦτεν ἤδη κατ' ἄλλον διεξέρχεται παραδιδόμενα, καθάπερ Ἕλλησιν ἡ λαμπαδηφορία. Nec scio, an verum sit, quod a Cleomede in literas relatum est: ὁ πέρσης ἡνίκα ἐπὶ ἑλλάδα ἐστράτευεν, λέγεται διαστῆσαι ἀνθρώπους ἀπὸ σούσων μέχρι ἀθηνῶν, ὡς δύνασθαι διὰ φωνῆς δηλοῦσθαι τὰ γινόμενα ὑπ' αὐτοῦ ἐν ἑλλάδι τοῖς πέρσαις διαδεχομένων τῶν διεστώτων τὰς παρ' ἀλλήλων φωνάς. Nostri vero nuntii multo celerius, quam illi Persici, iter conficiunt: vt qui singulis pene horis equos subinde mutēt. Quare inuenti sunt, qui Lutetia profecti 150 horis Romam peruolarint.

Βατραχὶς, σύνθεσις. *tunica ima.*

CAPVT VII.

BAτραχὶς, vestis genus erat, aut quod ad colorem βατράχου accederet, aut quod ranunculo tingeretur, ita nuncupata. Aristophanes in Equit. ἔπει δὲ ταυτηνὶ λαβόντα τὴν βατραχίδα. Dion ἐν ἰσχυρῶς γὰρ τοῦ τὴν βατραχίδα ἐνδεδυκότος, καὶ διὰ τοῦτ' ἀπὸ τοῦ χειμῶνος τοῦ προσίνα κεκαλυμμένου προσοίχετο. Romani Saturnalibus togas deponebāt, & syntheses induebant: Nero etiam alio tempore. Hinc Tranquillus in eius vita, *cap. 51.* elucescit: *Ac plerunque synthesin indutus.* Synthesis quoque a Iureconsultis accipitur, pro tota veste alicubi recondita ac composita. Alciatus in Parergis, ordinem quendam & conformem vestium compositionem Gallis libream oscitanter exponit. Tunicam lineam, vel imam, vulgo *camisiam*, interiorem tunicam appellat Valerius Max. Nam si huius consilii mei interiorem tunicam consciam esse sensero. Gellius intimam: *Tunicam intimam nisi in locis tectis non exuit.* Athenæus, de Phryne loquens. χιτώνιον ἐχέσαρκον, quam vocem pro muliebri solum tunica accipiendam, Lucianus in Lexiphane innuit: cum eam tamen, sui oblitus, in commentario περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, pro virili obtruserit.

Thynnoscopi. Salsamentarii.

CAPVT VIII.

TAmetsi passim in editiore rupe stantes thynnoscopi, a Strabone lib. 5 θυννοσκοπεῖον vocata, thynnos spectarent, vt tradit in Equitib. Aristophanes, κἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυννοσκοπῶν: in Ponto tamen præcipue, ex alta summa trabe in vado defixa, pisces collustrāt ac obseruant hodie thynnoscopi, qui mos antiquis fuit. Philostratus Iconum primo: θήρα δὲ ὧδε θηρᾶ. σκοπιωρεῖται γάρ τις ἀφ' ὑψηλοῦ ξύλου, ταχὺς μὲν ἀριθμῆσαι, τὴν δὲ ὄψιν ἰσχυρός. Quæ tamen piscatio ab Vlpiano in *l. Venditor ff. Communia prædiorum.* tignaria non appellatur, nā & in meis codicibus *Thynnaria* recte scriptum sit. Qui vero a Latinis *salsamentarii* appellātur, eos Græci ταριχοπώλας & ταριχεμπόρους vocant. Cicero ad Herennium: *Vt si salsamentarii filio dicas, Quiesce tu, cuius pater cubito*

Digitized by Google

bito se emungere solebat. Laertius in Bione hoc explicans: ἐμοῦ ὁ πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος, διεδήλου δὲ τὸν ταριχέμπορον. Plutarchus in Symposiac. ὁ γὰρ εἰπὼν ταριχοπώλην αὐτὸν ἐλοιδόρησεν. ὁ δὲ φήσας, μεμνήμεθά σε τῷ βραχίονι ἀπομυττόμενον, ἔσκωψε.

Cicero expenditur.

CAPVT IX.

EVripides autem, vt multa præclare, sic hoc breuiter. Verba M. Tullii, lib. *de Natura deor.* 2. Euripidis versus sic habent: ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ᾽ ἄπειρον αἰθέρα, καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ᾽ ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις, τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ᾽ ἡγοῦ θεόν. Idem de *Senectute*: Solonis quidē sapientis elogium est. Hoc est Solonis distichum:

> μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
> ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς.

Idem de *Finib. bon. & mal.* *At vtinam ne in nemore* (reliqua libr. ad *Herennium* 2. offendi) *Pelio securibus cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes.* Euripides in Medea: μηδ᾽ ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε τμηθεῖσα πεύκη. Vbi, cur Ennius πεύκη *abiegnam trabem* verterit, cum πεύκη *picea* sit, clam me est. Idem Cicero 6. in Verrem actione: *Quid? ex æde Iouis religiosissimum simulacrum Iouis imperatoris, quem Græci Vrion nominant.* Hic vitiatus est Cicero. Græci enim Iouem ὅριον, vel ὄρειον *finium limitumq; præsidem* & suspicātur, & appellant. Demosthenes περὶ τῆς Ἀλοννήσου καί τι χέρρος ἐστὶν οἱ ὅροι εἰσὶν, οὐκ ἀγορά, ἀλλ᾽ ὁ βωμὸς τοῦ Διὸς τοῦ ὁρίου. Dionysius Halicar. κελεύσας γὰρ ἑκάστῳ περιγράψαι τὴν ἑαυτοῦ κτῆσιν, καὶ στῆσαι λίθους ἐπὶ τοῖς ὅροις, ἱεροὺς ἀπέδειξεν ὁρίου Διὸς τοὺς λίθους. Arrianus, τὸ ἱερὸν τοῦ Διὸς τοῦ οὐρίου δίχα ἀπὸ Βυζαντίου. Quod quidem vocabulum, quo pacto ad Imperatorem accommodari possit, non video. Idem libr. *Epist. familiar.* 5. Cicero: Et *dicunt verecundiores præcones ludorū gymnicorum. Ipsi enim præcones inter se decertabant quoque.* Pausanias Eliac α. σαλπικταῖς δὲ ἱδρυμένον αὐτῷ, καὶ τοῖς κήρυξιν ἀγωνίζεσθαι καθέστηκε. Ac lib. *earundem Epist.* 9. *Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen. Is Connus vocitatus est.* Plato in Epitaphio: καὶ Κόννος γε τοῦ Μητροβίου. Huic viro nomen fuisse Connas, non Connos, Aristophanis in Vespis Glossographus contendit.

Plautus declaratur.

CAPVT X.

T*V ne etiam amator audes esse hallex viri*: Plautus in Pœnulo. *Allex*, ab alliciendo dictum credit Alciatus. *Alex*, meo sane iudicio, indignum qui vir censeatur, signat, sitque viri fex quædā potius, quam plane vir. Est autem Plinio *alex*, gari vitium: imperfecta, nec colata fex. Idem in Aulular. *Nam noster nostræ qui est magister curiæ, Is Curio appellatur.* Cicero, curiones diuisores tribuum vocat. Romulus in tres tribus populum Romanum diuisit, Titiensem, Ramnensem, & Lucerem: vnamquamq; vero tribum

in decem curias partitus est, quibus qui præeant, *Curiones* nominati. Inseruire curiæ apud iuris canonici scriptores est, curiis serui instar operam nauare: quod grauissimum esse libero homini supplicium duco. Qui ibi curiam laicorum forum intelligunt tabulæ, falluntur. Idem in Curculione: *Tu stacte, tu cynamum, tu rosa, tu crocum, & casia es, tu petalium*, quidam, *Pardalium*, ex Plinii *lib.13.cap.1.* reponunt. Ego *petalium* retineo, ac *nardinum*, siue *foliatum*, ipso fretus Plinio: aut malobathrum, cum Dioscoride sentiens *lib 1.cap.11.* explico. Idem in Persa: *Dabuntur dotis inde sexcenti tibi longi atq; Attici omnes, nullum acceperis Siculum.* Castiga, *logi*: ac longi, abrade. Nam, vt tradit Asconius Pedianus, Siculi Græca ac Romana lingua male vtebantur.

Μυλίας, & μυλίτης λίθος. *Assius* λίθος.

CAPVT XI.

QVi a Græcis μυλίας, & μυλίτης λίθος dicitur, hunc molarem lapidem vocant Latini. Strabo, ἐ πετρώδης, ἐ μυλίου λίθου δύνοιξόδους. Qui, quia durus admodum est, ad turres mœniaq; construenda vtilissimus censetur. Procopius lib. περὶ τῶν ἰουστινιανοῦ κτισμάτων ὃ τῷ πέμπτῳ τόπῳ πύργον ἀνῳκοδομήσατο μυλίῳ λίθῳ, καὶ φύσει σκληρῷ. Idem paulo supra μυλίτην vocat. Herodianus libro tertio, ἐπιτετείχιστό τε γενναίως ὃ μέγιστον ἡ πόλις τεῖχος, πεποιημένον ἐκ μυλίτου λίθου. vbi Politianus, Milesium lapidem perperam vertit, cuius errorē sequuti sunt Procopii interpretes. Galenus lib. θεραπευτ. μεθόδου ιδ. ὀνομάζουσι δὲ τὸν μυλίτην λίθον, ἐξ οὗ τὰς μύλας, ἐφ᾽ ὧν ἀλοῦσι, κατασκευάζουσιν. contra Serui. *in 8. Æneid. Molaribus, asperrimis saxis non unde molæ fiunt.* Assius lapis, ab Asso oppido nominatur, geminoque *s* rectius scribitur. Quidam duos videntur lapides Assios nosse: alterum sarcophagum, alterum gustu salsum, podagras lenientem. Nos, fauente Galeno, & Aetio, vtramque facultatem vni Assio lapidi tribuimus. Iidem, & eius lapidis florem halinitrum vocare non dubitant, ex quo aut cum salicis, aut cum enodis coryli carbonibus, ac sulphure mixto, Pyrius puluis cōficitur: quorum sane opinionem nec ratam penitus, nec longe tamen a veritate abesse, ex Dioscoride conspicimus.

Quintiliani loca.

CAPVT XII.

QVintilianus *lib. 6. cap 3.* hunc Catullianum versum citans, *Nulla in tam magno corpore mica salis*: nihil in corpore eius esse ridiculum, exponit. Ego cum illius venia, nihil in corpore eius esse gratiæ ac Veneris. Plinius: Nam ita sales appellantur, omnisque vitæ lepos, & summa hilaritas. Græcis ἅλες idem plerūque signant. Plutarchus in Symposiac. κινδυνεύουσι γὰρ οἱ ἅλες τῶν ἄλλων ὄψων, ὄψον εἶναι ἐ ἥδυσμα. διὸ ἐ χάριτας ἔνιοι προσαγορεύουσιν αὐτούς. Non sum ignarus, ab Erasmo Quintilianum defendi. Idē *lib 4 cap.1.* in hoc Ciceronis pro Ligario exordio, *Nouum crimen C. Cæsar:*

C. *Cæsar*: ironiam esse existimat. Ipse nullam puto. Idem *lib.5.cap.10. Non possum togam prætextam sperare, cum exordium pullum videam*. Nos, *exomium*, non *exordium*, legimus. Græci ἐξωμίδα vocant. Plutarchus, ἐπανελθὼν δὲ εἰς τὸ χωρίον, αὐτὸ μὲν ἢ χλαμύν, ἐξωμίδα λαβών. Est autem exomium, substricta ac breuis tunica, citra humerum desinens. Idem libr.7.cap.9. Sic apud Græcos contendit λίαν & παντελίαν, cum scriptura dubia est. Ex eo liquido constat, veteres illos Græcos accentus dictionibus non apposuisse, nulla alioqui in scriptura fuisset ambiguitas, accentu scilicet huic voci πάντα applicito. verbi caussa; πάντα λίοντι, παντελίοντι. Nunc, sublatis prosodiis, παντελίοντι, nascitur controuersia.

Ciceronis loca.

CAPVT XIII.

SEd quid ego Socratem, aut Theramenem, præstantis viros virtutis, & sapientiæ gloria, commemoro? cum Lacedæmonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est: & reliqua. Cicero *lib. Tuscul. quæst. 1.* Plutarchus in Laconic. apophtheg. θεκταμένην appellat: huiusque dictum paulo diuersius, quam Cicero, refert. Idem lib. de Amicitia, *commodissimum esse quam laxissimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas cum velis, vel remittas.* Euripides apud Plutarchum περὶ πολυφιλίας. ἀπό τ' ὤσασθαι καὶ ξυνθεῖναι, καθάπερ πόδα νεώς, ἐπιδιδόντα καὶ προσστέλλοντα ταῖς χρείαις τὴν φιλίαν. Idem lib de Natura deorum 2. *Auditum est pantheras, quæ in Barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere, hominis tempe excrementa.* Plinius libr.8. cap.21. Tametsi vero Homerus Laertem agrum stercorantem, vt tradit ipse lib. de *Senectute* Cicero, non inducat, sed λιστρεύοντα φυτόν, Odyss.ω. agros tamen Troiano seculo a priscis illis stercoratos indicat hoc versu:

——————ὄφρ' αὖ ἄξοιεν
δμῶες ὄνθον ἑῶ τέμενος μέγα κοπρήσοντες.

Quam ab illis curam ideo prætermissam, falso asserunt nonnulli, quod salubritati potius, quam fertilitati & copiæ consulerent. Constat, etiam veteres Italos Stercutio filio Fauni immortalitatem tribuisse, quod stercore fœcunditatem agris comparasset. Quære lib.17.cap.9. Plinius.

Nonnulla ad corpus humanum spectantia.

CAPVT XIV.

ETsi dentes in ossium numero reponendi sunt, sensu tamen præditos esse constat, nec vero omnem sentiendi vim ossibus adimendā suspicor. At plures viris, quam mulieribus dentes ascribere, æque nugatorium est: ac eas nos costā vna superare. Nec sane homines talis orbauit natura, qui ne a bestiarum quidem talis, quibus pedes in digitos dirimuntur, aut forma, aut situ quicquam discrepant. Hi porro, perperam a nonnullis malleoli vo-

cantur: hos Græci σφυρὰ, talos ἀστραγάλυς vocant. ὀβελιαία, aut ὀβελοειδὴς sutura, interdum frontem mediam secās, ad summum vsque nasum procedit, idque in viris non sæpe, valde raro in mulieribus. Boues atque equos, os in corde habere, pace Aristotelis, vix adducor vt credam: substantiam vero cartilagineam, atq; omnino magnæ arteriæ radices esse existimo. Cum autem digitorum ossa medullæ expertia apud insignes medicos lego, parum admodum medullæ habere, non nullam prorsus, interpretor: alioqui culpa non vacarent. quemadmodum nec hi, qui cutem omni sensu destituunt. Cicero lib. *de Natur. deor. 2.* agitatione & motibus linguæ depelli cibum, ac in stomachum detrudi censet: cum id ventriculi ac intestinorum fibris acceptum referendū sit. Idem paulo infra: *Naturam nos celsos & rectos constituisse, vt deorum cognitionem, cælum intuentes, capere possemus:* nec dissentit Plato in Cratylo. Ouidius Metamorph. 1.

Os homini sublime dedit, cælumq; videre, &c.

Quæ merito lib. περὶ χρείας τῶν ἐν ἀνθρώπου σώματι μορίων γ. respuit ac refutat Galenus. Idem Cicero μεσεντέριον, quod & μεσάραιον vocatur, intestinum putat: cum vinculum sit, cuius beneficio intestina ad dorsum colligantur: dura ob id, membranaceaque substantia constans Arteriæ a corde, nerui a cerebro, non a corde, vt quibusdam visum est, oriuntur. Quo nomine nerui collum continentes, a Celso *libr 8. cap. 1.* appellentur, nondum liquet. quidā eos τένοντας, quod ego magis probarim, plerique κάρωτας reponūt. Galenus in Isagoge: τῶ τραχήλυ ἃ μὲν ὀπίσθεν ἰδίως τένοντες ὀνομάζονται nec abnuit Pollux. Carotides vero arterias, ex altero arteriæ Aortæ ramo prodeuntes, id præstare non posse, ex Galeno lib. περὶ ἀνατομικῶν ἐγχειρήσεων η. perspicuum est.

Quædam Erasmi μνημονικὰ ἁμαρτήματα.

CAPVT XV.

Ὑμεῖς δ' αἰγιέες, ὔτε τρίτοι, ὔτε τέταρτοι. Erasmus in Parœmiis, Megarenses neque tertii, neque quarti, &, Cretensis cum Æginēta, oraculum hoc Æginensibus, aut Megarensibus redditum existimat. Ego αἰγιέας, *Ægienses*, ab Achaiæ oppido, quod Græci αἴγιον, nos *Ægium* vocamus, explico. cui patrocinatur in voce αἴγιον Stephanus. Ab hac autem dictione αἰγιεὺς, αἰγιεῦς, aut αἰγιεύτης ducitur, non αἰγινῆς. Idem Erasmus in adagio, *Aliquid mali propter vicinum malum: Quemadmodum Aetolis & Acarnanibus euenit, qui se mutuis cladibus euerterunt, inter se finitimi. Item Carthaginensibus & Biontinis, quarum hi sterrarum meminerunt* Hesiodi interpretes. Tu Proclum ita castigabis: καὶ χαλκηδόνιας, καὶ βυζαντίυς διὰ ἔμφυτον δυσμένειαν, διὰ σιωλλιμον εἰπεῖν ἀγνοῶν. Tretzem quoque ad hunc modum: ὁμοίως & χαλκηδόνιοι, καὶ βυζάντιοι. *Chalcedonii & Byzantini*, non *Carthaginenses & Biontini*. Hos

quoq;

quoque apophthegmate, φορτίον συγκαθαιρεῖν, μὴ δὲ συνεπιτιθέναι, Demenda esse, non imponenda onera, suadere videtur Pythagoras: miserosq; calamitate potius leuandos, quam nouo incommodo affligendos. Idem in prouerbio, *Veritatis simplex oratio*, *ἁπλῶς ligont* nescio *cur reddidit*. Et in adagio, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: πυρὶ *incendiis* vertit, cum hic πυρὶ *atheri* notet, quem in Academi. quæstionibus ignem appellat Cicero, isque hunc sensum habet Senarius, perinde ac si diceret: *Terra cælo misceatur, atq; omnia perturbentur*. Si quis tamen ei *lib. de finib. bon. & mal. 3.* adhæreat, nihil repugno.

Mela loca.

CAPVT XVI.

Commageni, *Murrani, Vegeti, Cappadoces* ex Plinio, & Strabone *lib. 12. Heneti* legendum suspicor. Idem *cap. 9. Thebas centum portas, aut centum aulas habere*, tradit: solitasque singulas, vbi negotium exegerat, dena armatorum millia fundere. Hic Mela memoria vacillat. Homer Iliad. 9.

αἵ θ' ἑκατόμπυλοί εἰσι, διηκόσιοι δ' ἀν' ἑκάστην
ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι ———

Idem lib. & cap. 2. *In ea flumē Ægos, naufragio classis Attica insigne*. Classis Attica nullam illic vnquam passa est naufragium: insignē vero cladē accepit, a Lysandro Lacedæmoniorū duce profligata, captaq.. Idē eod. lib. *cap. 3.* Per Istros. ister emittitur Nobiles Geographi flumen hoc non agnoscunt: videtur aūt Mela antiquorū scriptorū opinioni adhærere, qui Danubium ramum quendam, aut subterraneas venas in sinum Adriaticum effundere prodiderunt. Idem cap. 5. *Rhodanus nō longe ab Istri Rhenīq; fontibus*. Vidi ego Rheni & Rhodani fontes, qui non plus sex horarum itinere inter se distant. hi porro longissime absunt a Danubii, seu istri capite, quod e montanis Hercyniæ, vulgo nigræ syluæ effunditur, non procul ab vrbe Rotauilla. Idem cap. 7. *Tarrichia & Ægates Romana clade memorabiles*. Imo *Punica clade*: iuxta enim has insulas, Romani prælio nauali Carthaginenses vicerunt. Sillius: — *Aust* (Hannibal) *Ægates abolere parentum Dedecus*. Florus, *Rebus a duersis Pœnos pluribus ducibus gestis summam victoria, C. Lutatius consul victa ad Ægates insulas classe Poenorum finem bello imposuit*. Docent & hoc alii historici. Idem *lib. 3. cap. 7. Super Britanniam Iuuerna est*. Cæsar in Commentariis, & Plinius, *Hyberniam*, Claudianus, *Iernam* appellat. Græci quoque non vnum nomen ei tribuunt. eam nempe Lycophron κέρνην, alii βερνίαν, Aristoteles ἰέρνην, & Strabo hīc δ᾽ ἰέρνην. Eustathius οὐερνίαν. Ptolemæus ἰουερνίαν vocat, quod annotare libuit, ne qui cum Stephano diuersas insulas putarent.

Arrianus in Epicteto declaratur.

CAPVT XVII.

Καὶ κιρκήσια δοῦναι, καὶ σπυρίσι δειπνῆσαι. κιρκήσια δοῦναι. Circenses ludos dare, expono. His autem vocibus σπυρίσι δειπνῆσαι, antiquum morem tangit Arrianus, quo canistris ac sportulis cœnæ ac prandia inferebantur. Athenæus lib. η. οἴδασι δὲ οἱ ἀρχαῖοι, καὶ τὰ νῦν καλούμενα ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνα. τοῦτο δὲ σαφῶς δηλοῖ τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, ὅταν τις αὐτὸς αὑτῷ σκευάσας δεῖπνον, καὶ συνθεὶς εἰς σπυρίδα παρ' ἑτέρῳ δειπνήσων ἴῃ. Hoc genus durat hodie inter locupletes aulicos. nam Gallicum vulgus, cœnam coctam ac paratam, lancibus deferendam curat. Apud eundem Arrianum, ἀναγκοτροφεῖν, καὶ ἀναγκοφαγεῖν, certum quendam stato tempore & modo cibum necessario sumere, significat. Quod non modo athletes ad amussim obseruasse, sed eum etiam ambulando perficere consueuisse, annotauimus. Porro διψᾶν, summopere cupere est. Artemidorus, τὸ μὲν γὰρ διψᾶν οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ ἐπιθυμεῖν. Synesius, πῶς οἴει με διψῶντα τοῖς ἡδίστοις ἐπιστολαῖς ἐντετυχηκέναι. Latini, *Sitire* in eadem significatione vsurpant. Cicero Philip. 5. *Sanguinem nostrum sitiebat.* Rursum pro Plancio: *Deinde sitientem me virtutis tuæ deseruisti.*

Gregorii & Plutarchi loca. Melia fames.

CAPVT XVIII.

Ὦ γῆ καὶ ἥλιε, καὶ ἀρετὴ, τραγῳδίαν γὰρ ποιῶ μικράν: Gregorius in quadam ad Basilium epistola. Erasmus pro ἀρετὴ corrigendum putat αἰθὴρ. nonnulli ἀήρ. Nos Æschinem κατὰ Κτησιφ. vnde hæc desumta sunt, auscultemus: ἐγὼ μὲν οὖν ὦ γῆ, καὶ ἥλιε καὶ ἀρετὴ, καὶ σύνεσις, καὶ παιδεία, ᾗ διαγινώσκομεν τὰ καλὰ, καὶ τὰ αἰσχρὰ, βεβοήθηκα καὶ εἴρηκα. quæ Demosthenes περὶ στεφάνου deridet hoc sermone: ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα, ὦ γῆ. καὶ ἥλιε, καὶ ἀρετὴ καὶ τὰ τοιαῦτα. *Melia fames*, a *Melo* eiusdem nominis insulæ oppido dicitur, non a *Melo* Thessaliæ vrbe. Thucydides lib quinto, postremis versibus, *Lucerna sublata nil discriminis inter mulieres esse*, sic accipiendum puto, vt omnes in tenebris æque lasciuas ac libidinosas esse, sentire videatur adagium, teste Plutarcho, apud quem in Laconic. apophth. ἀλλ' οὐ τί ἐστι καλλιππίδας ὁ δεικηλίκτας, legendum, non κηλικτής. illo quidem nomine hypocritas appellant Lacedæmonii, vt testatur ipse in *Agesilao Plutarchus*. Hesychius & Eustathius δεικηλιστὰς scribunt. Athenæus lib ιδ'. δικηλιστάς. Apud eundem Plutarchum, ὅτι πρόσθεν φύλακα τὸ τῶν ἐρώντων δέδοικε βαλανεῖον, legere malim, quam ἱερώντων: tametsi non multum intersit.

αὐτὸς ἐν νεφέλαις. οὐδὲν πέπονθας δεινόν. τί δή·
αἰσχρὸν εἰμί.

CAPVT XIX.

Lectori molestus futurus sim, si Grammaticos adagium hoc αὐτὸς ἐν νεφέλαις, explicare studentes, pluribus coarguã quod vt vno & altero verbo finiam, de vrbe, de homine, de re omnino

quapiam, quæ longe ceteris præcellat, dictum censeo. Aristophanes ὡς ἐν νεφέλαισιν αἰετὸς γενήσομαι. Scholium, οἷον βασιλεὺς μέγας ἐπιφεύξεις ἁπάντων, ὥσπερ αἰετὸς τῶν ὀρνέων. Aristides in Panathenaico, de Athenis loquens: αἰετὸν δὲ ἐν νεφέλαις αὐτὴν ὁ θεὸς καλεῖ περὶ τὰ ἄλλα πολίσματα. Hunc vero Menādri senarium, οὐδὲν πέπονθας δεινὸν ἂν μὴ προσποιῇ, edisserit περὶ ἀθυμίας Plutarchus: τί γὰρ πέπονθας δεινόν, φησίν, ἃ μήτε σαρκὸς ἅπτεται μήτε ψυχῆς. οἷόν ἐστι δυσγένεια πατρός, ἢ μοιχεία γυναικός, ἢ στεφάνου τινός, ἢ προεδρίας ἀφαίρεσις. & quæ sequuntur. Lucianus in Ioue tragœdo: ὀρθῶς ἐκεῖνό μοι ὁ κωμικὸς (Menander) εἰρηκέναι δοκεῖ, Οὐδὲν πέπονθας δεινόν, &c. Aristoteles ῥητορικῆς α & β, hunc versum citat: νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει. quem a Stasino poeta editum, in Græcanicis quibusdā fragmentis reperiri: vt qui ab Homero compositum putent, manifesto decipiantur. τί δ' αἰσχρὸν εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ. Euripidis versus, quo nil turpe censendum visus est existimare, nisi qui id patrassent, ipsi turpe & flagitiosum putassent. Quem merito improbans Antisthenes, sic prudēter immutauit: αἰσχρόν, τό γ' αἰσχρόν, κἂν δοκῇ (τοῖς χρωμένοις) κἂν μὴ δοκῇ. Senarium adducunt, Plutarchus, Athenæus *lib. 13.* plerique alii: quibus, quæ nunc retulimus paucula, lucem afferre possunt.

Nullam Homericis carminibus vim inesse.

CAPVT XX.

SÆpenumero mirari soleo, quosdam homines exstitisse, quibus dedita opera mentiri satis nō fuit, nisi turpiter atque impudenter in eo peccarent, ac monstra etiam sua emitterent. Quo ex cœtu minime prætereundi sunt, qui Homericis carminibus vim quandam inesse garriunt. Potores itaq; ebrios fieri negant, si primis poculis metrum hoc,

τρὶς δ' ἄρ' ἀπ' ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητίετα ζεύς,

pronuntiarint. Illud arbori appensum,

χαλκῷ δ' ἐν κεφαλῇ δέδετο τελειηγέθεα μηλέας,

fructū cōtinere, nec iniuriā vlla cœlesti decidere, tradūt. Atq; hoc,

τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δ' ἐστοναχίζετο γαῖα,

arthriticos dolores mitigare. Librum vero Iliados quartum capiti suppositum, quartanam febrem auertere, cur non etiam tertium tertianam? Quibus ego bonam mentem opto. Hoc autem versu qui est Iliad β.

αἰνείας, τὸν δ' ὑπ' ἀγχίσῃ τέκε δῖ' ἀφροδίτη.
ἴδης ἐν κνημοῖσι, θεὰ βροτῷ εὐνηθεῖσα,

Ægyptiorum ac Stoicorum nugas confutare in animo est, Deos rem cum mulieribus habere, ac ex his liberos procreare, existimantiū: contra, virum e dea nil gignere posse, stulte contendentium: hic enim ex Anchise, Venere matre, nascitur Æneas. Quæstionem hanc tractat in Numa, & libr. Symposiac. η. Plutarchus. Ego, si fabulas ac puerilia deliramēta persequi friuolum nō est;

deos Homericos cum deabus cōsuescere, nec his mulieres equabus, aut vaccis formosiores videri arbitror, non magis quam bobus aquilas, leporibus elegantiores: homines vero, suum genus in cœlum tollentes, ac cetera animalia caussa indicta spernentes, quod mulieres diligant, earumque desiderio cœlestia quoq; numina teneri sibi persuaserunt: hoc fortasse ignorantes, asinum, pulcerrimam ac venustissimam bestiam asinam censere, equos & equas mutuo amore flagrare. Sic auro, argento, gemmis, quæ prima mortales ducunt, his deos quoque inhiare suspicati sunt poetæ vnde aurea priscorum simulacra, aurei crateres, gemmata donaria, mille alia, quæ super uacuum esset commemorare.

Plinii loca

CAPVT XXI.

O*Veniam ventus non aliud intelligitur, quam fluctus aeris:* Plinius lib. 2. cap. 43 Ego scribendum puto, & *vam fluxus aeris*: Plutarcho in Caussis naturalibus fretus: [Greek illegible] E, [Greek illegible]. Nemo est, qui vel primoribus labris Græcas literas deguttarit, qui non ῥύσιν fluxum notare, non fluctum, certo sciat. Hæc attigit lib. Meteor. primo Aristoteles. Sic vero definit Hippocrat. [Greek illegible]. Idem *lib 8 cap 34.* Plinius, *solum animalium nec cibo nec potu alitchamaeleonem, nec alio quam aeris alimento*, falso tradit. Linguam enim sesquipalmum longam habens, eam porro in insecta, quibus maxime vescitur, exserit ac vibrat: eiusq. mucore, scarabeos, locustas, formicas, muscas ad se adducit. multos tamē menses famem tolerare, cuncti fatentur Platycerotes nempe haruncos carentes, in ceruorū potius, quam caprarum specie habēdi. vt Oppiano Cyneget 2 eos [Greek] appellanti, ac ipsi Plinio *lib. 11. cap. 37.* placuit. Quare apud Dioscoridem lib. 6. κεφαλ. [Greek] ibi, [Greek illegible], Capreæ & Platycerotis, vertere debuit Marcellus Virgilius: non, Capreæ quam a latitudine cornuum Platycerota dicunt. duorum quippe animalium hoc loco meminit Dioscorides. Est autem Platyceros, animal ceruo minus, cauda pro corporis proportione longiore, pilo magis albicante. cornibusq; supra fidem patulis: vnde ei nomen. Galli Dain vocant. nullum est ei cum ceruo amicitiæ vinculum, raroque ob id simul degant.

Plutarchi loca.

CAPVT XXII.

K[Greek illegible]: Plutarchus in Agide & Cleomene. Legendum est, [Greek illegible], non [Greek]. Thucydides lib α. [Greek illegible]. Pausanias in Messen. [Greek illegible]. Strabo lib. η. [Greek illegible]

μηνίοις

μορίοις ἀποπλανᾶν τι. Idem in Placitis philosoph Plutarchus: ἔνιοι τῶν φιλοσόφων, καθάπερ Ἀναξαγόρας ὁ μιλήσιος. Germana lectio, ὁ μήλιος, Melius, e Melo insula. etiamsi Odyss. γ. Eustathius μιλήσιος scripserit. Idem ἐν στοιχείοις ἐπαυξήμασι. ἄγρια δὲ ἔργα καὶ βάρβαρα, καὶ γαλακτικά. Restitue γαλατικά. Idem περὶ ἴσιδος καὶ ὀσίριδος· ἡ μὲν γὰρ μεγίστη τοῦ νείλου ἀνάβασις περὶ τὴν ἐλεφαντίνην, ὀκτὼ γίνεται, καὶ εἴκοσι πήχεων. Nulli, quod sciam, fide digni auctores, octo & viginti cubitos Nilum consurgere memorant, sed 18 tantum. Herodotus in Euterpe: τοῦ ποταμοῦ κατελθόντος μέγιστα δὴ ἔτι ἐπ' ὀκτωκαίδεκα πήχεας ἀναβαίνειν τὰς ἀρούρας. Plinius lib. 5 cap. 9. Maximum incrementum ad hoc æui fuit cubitorum, 18 Strabo lib. ιζ. ἐπὶ γοῦν τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων ἡ μεγίστη μὲν ἦν φορὰ (non φθορά) καὶ ἀνάβασις, ἡνίκα ἐπὶ τεσσαρεσκαίδεκα πήχεις ἀνέβαινεν ὁ νεῖλος.

Plura esse quam septem metalla.

CAPVT XXIII.

QVi septem tantum metalla esse perhibent, aurum Soli, Lunæ argentum, Mercurio electrum, Marti ferrum, Saturno plumbum, Veneri æs, Cyprium vero æs Ioui attribuunt, horumque Planetarum viribus ea nasci disceptant Ego primum longe his plura, deinde stellarum influxibus minime procreari ostendam. Mercurius igitur, vt inquiunt, electrum producit. Hoc ego metallum esse inficior, sed auri argentique mixturam quandam. mox probabo: in qua si Sol aurum, Luna argentum conficit, nullum Mercurio locum relinquunt. Est autem, teste Pausania. ἤλεκτρον, κατὰ μεμιγμένον ἀργύρῳ χρυσός. Nam si in quatuor auri portionibus quinta argenti insit hoc Electrum vocare non dubitant quamplurimi. Quid si in tribus auri quarta argenti reperiatur? Imponendum sane erit huic nouo quoq; metallo nomen. Hoc porro fieri posse nemo non videt. *Omni* (ait Plinius) *auro inest argentum, vario pondere: alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte.* Cur non igitur tot metalla? Quid si eadem auri, quæ argenti, copia inueniatur? Saturno plumbum tribuunt: quæro, nigrum ne, an album? aut etiam vtrumq;? Si nigrum, quæ album stella procreat? si vtrumque quid est, cur æs Veneri, Cypriũ Ioui assignant isti. quæ minus inter se differunt, quam duo hæc, de quibus loquor, plumbũ horum genera? Pergamus ad alia. Quæ stella chalybem generat? quod metallum esse nemo nescit: quæ plumbum cinereum, quod *Bisemutũ* appellant Germani? quæ chrysocollam? quæ argentum viuum? quæ Gallicũ Albicagense? quæ pseudargyrũ in Tmolo mõte? Quæ Turcicum rusma? Non (opinor) Cometes quispiam aut Berenicæ crinis: quid enim istis cum psilotro? Quæ ὀρείχαλκον, vt scribit Apollonii scholiastes: aut ὀρείχαλκον, vt Arrianus? Quidã Latinis *Orichalcũ*, vocant alii *aurichalcũ*: Diomedes vtrumq; separat. lex cæ a homini prætereo. Quamobrẽ doctiss. virorũ testimonio fidens, varias metallorum species, quæ penitus exciderint,

quondam exstitisse, multas quotidie nasci suspicor: obortiurasq; aliquando alias, quæ nunquam antea visæ sint. Superest, vt aurū solis vi atq; appulsu nequaquam nasci, palam faciamus: quo sublato, quæ de ceteris planetis traduntur, facile corruant. Nego equidem tantam huius potentiam esse, vt ad ima vsque terræ viscera, maniumq; sedem, e qua aurum effodicur, penetrare queat. Demus ita esse: cur non eadem auri venam producunt cœli climata, solem ex æquo admittentia? cur hoc nunc e quibusdā Macedoniæ ac Thraciæ montibus, non ex vniuersa illa regione eruitur, quæ non secus atq; illa sole fruitur? Nasci in India ac Germania aurum, experimento constat: cum tamen hæc frigore, nunc pruina obrigeat, illa calore infestetur & exardeat. At multæ, quæ has inter a se remotissimas regiones, prouinciæ interiacent, aureis secturis carent, magna solis inuidia: quippe cuius radiis, minus etiam obliquis, quam septentrionalis plaga, collustrātur. Iam quis emendicatum lunæ fulgorem in profundissimas puteorum scrobes penitusq; abditas, in quibus argentum fodirur, atq; elicitur, peruadere credat? Quis hoc vnquam mentis compos putauit? Plumbo abundat Britannia: terra Gallia effœta, modico ab ea freto diuisa. malo, credo, in Gallos est animo Saturnus: Britannos amat, ac eos locupletat. Ferrum Hispania Indica nō gignit, nullam scilicet in longinquis & exteris oris potestatem, Mars habet. Pudet me sane harum ineptiarum. Quo vero pacto aurum, argentum, ac cetera metalla nascantur, Georgius Agricola, plerique alii tradiderunt: quorum e scriptis libris, Chymistas ac nebulones quosdam errare perspicuum est, qui planetas, tanquam fugitiuos criminum reos, ac capitis damnatos, ad metalla damnant.

ὄξος ἑψητόν. βραχέα.

CAPVT XXIV.

A*Pud Phœnices autem tingebatur pretiosissima purpura, quorū tincturam Suidas appellauit Oxum:* ὄξος ἑψητὸν ἀπὸ φοινίκων: *Hinc oxybapha, in l. 2. C. quares vendi non possunt.* Hæc Alciatus, in tres posteriores lib. Codicis. Ego ὄξος ἑψητὸν, acetum coctum notare assero. Xenophon ἀναβάσεως 6. σῖτος δὲ σῖτος πολὺς, καὶ οἶνος φοινίκων (vinum palmeum) καὶ ὄξος ἑψητὸν ἀπὸ τῶν αὐτῶν, αὐταὶ δὲ αἱ βάλανοι τῶν φοινίκων, &c. Suidam quoque citra caussam lædit Alciatus, ita loquentem: ὄξος ἑψητὸν τὸ ἀπὸ φοινίκων. quæ Suidæ verba e citato a me Xenophontis loco sumta esse, liquido apparet. Quæ Latini *Breuia* vocant, vadosa quædam in mari spatia, quorum meminit lib. Æneid 1. Virg.

In breuia & syrtes vrget: ——

ea Græci βραχέα nominant. Polybius lib. α. ἐν ᾗ ἐκπεσόντες εἰς τινα ἀβραχία, διὰ τὴν ἀπειρίαν. Tu emenda βραχέα. Sic quoq. paulo [illegible] pr legendum est: καὶ πλεύσαντες διὰ πορθμοῦ, ἀποπλανηθέντες
τὶς μετ-

τῆς μεσημβρίας διασωθέντα τῶν πλοίων ἐκ τῆς ναυαγίας. non ναυμαχίας. Iterum lib. δ. οἷς μὲν οὖν βραχία συνεπιστήσουσι, καὶ νῦν ἔτι δῆλον τὸ γινόμενον. Strabo libi. γ. ἥτε γῆ ἐκβαλλομένη χοῦς ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ, βραχέα ποιεῖ. Arrianus lib. η. τὰ δὲ βραχέα, ἐς πελάγος τοῦ αἰγιαλοῦ. Eadem & βράχη Stephano, in vocabulo βραχία, dicuntur. Et Diodo. lib. ιζ. ἐπεὶ περὶ τὰ βράχη προσωκείλησαν.

Phthisici. Cœlum a cœlo differt.

CAPVT XXV.

PLinius *lib. 21. cap. 6.* Phth. si affectos, aut sanguinem egerentes, longa nauigatione recreari existimat. nec enim Ægyptum propter se peti, sed propter longinquitatem nauigandi. Plinius vero Secundus lib. *Epistolarum 5.* quendam sanguinem reiicientem, in Ægyptum misisse fatetur, in cœlo illo potius, quam in nauigatione spem habens. Celsus præclare admodum, & longa nauigatione, & cœli mutatione in huiusmodi morbis opus esse tradit, sic vt densius, quam id est, ex quo discedit æger, petatur. Ideoque, inquit, aptissime Alexandriam ex Italia itur. Longe autem cœlum a cœlo differre, siue homines, siue bruta animalia, siue plantas spectemus, apparet: adeo vt quidã leones in Italia parere, obstante regionis situ negẽt. Ego id ea ratione fieri arbitror, quod ea ad prædam, cursum, laborem, nata animalia, aut vinculis alligata, aut in viuariis coercita, vberius alantur, nec corpus exerceant. Si enim libera ac soluta, camporumq; planitie, ac syluarũ receptu fruerentur, prolem quidem in Italia ederent non ita fortasse immanem atque feram. Variæ porro arbores, quæ in calido climate proueniunt, fructusq; gignunt, si in frigidum transferantur, eas aut interire, aut certe frugiferas nõ esse constat, quod palmis, oleis, sycomoris, plerisq; aliis vsu euenire conspicimus.

Auli Gellii loca.

CAPVT XXVI.

MVtilatus est *lib. 2. cap. 6.* Aulus Gellius, Aldinis typis excusus: ὅρος τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. ex Epicuro Laertii resarciendus: ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. Frobeniani codices ὑπεξείρεσις perperam ediderunt. Fatetur & ipse nominati a me libri *capite nono* Gellius. Idem volumine 15 *capite septimo*, sexagesimum tertium vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire tradit. Cuius quidem rei hanc adferunt caussam mathematici, quod septem ac nouem anni per omne vitæ tempus, naturali quadam & latente ratione, variis hominem periculorum discriminibus semper afficiunt. vnde & 63. annus, quia vtriusque numeri summam pariter excipit, Androdas ab Ægyptiis appellatus est, quasi vitæ substantiam frangens. Nouies enim septem, anni LXIII fiunt: & rursus septies nouem, simili modo anni fiunt LXIII. Hoc vberius edisserit *lib. 4. cap. 14.* Iulius Firmicus. Apud eundem *lib. 10. cap. 25.* Gellium, de nauium appella-

tionibus tractantem: *Corbita* (non *cornita*) lenunculi (non *remusculi*) actuariæ, quas Græci πεντηκοντόρους vocant, vel ἐπακτρίδας (non, ἱστίπους vocant, vel ἐπιβατρίδας) & prosumiæ (non *psumia*) restituendum existimo.

Homeri loca.

CAPVT XXVII.

HOmerus Iliad. β. ac λ. χαλκὸν νώροπα appellat. ἐκ τοῦ νῶ στερητικοῦ, καὶ ὁρῶν, καὶ τοῦ ὤψ, vt tradit Eustath. Ea vox splendidū omnino significat: splendor autem ferri & armorum oculis caliginem solet offundere. Nec me ab hac opinione dimouet lib. *Sympos. 3. segmento 10.* Plutarchus, subtilior hac in parte, cum nihil opus sit, scholiastes: eaq; sane in medium afferens, quæ nunquam οὐδ' ὄναρ suspicatus est Homerus. Explodēdus est pariter Stephanus, νώροπα χαλκὸν, a Noraco Pannoniæ oppido nomen inuenisse existimans. Idem porro Stephanus in vocabulo αὐγέας. sic ait: πανσανίας δ' ἐν ἠλιακοῖς. τὴν ὑπηρεσίαν αὐγέαν μετονομάσθαι, ἣν ὅμηρος πυρεσίην φησί. Castigo, ὑπερησίην. Homer. in Bœotia:

οἵ θ' ὑπερησίην τε, καὶ αἰπεινὴν γονόεσσαν.

Eustathius, ὑπερησία δὲ, πόλις φασὶν ἀχαΐας. ἀπὸ ὑπερήσους ὀνομασθεῖσα, υἱοῦ λυκαόνος. οἱ δὲ καλέσαντες αὐτὴν ὑπερησίαν, κακῶς εἶπον.

Canes calore ac siccitate in rabiem inflammari.

CAPVT XXVIII.

CAnis siccissimum animal, sub cane astro in rabiem aliquādo inflammatur, vehementi scilicet calore affectum atque oppressum. Posidonius, οἱ κύνες θερμοὶ καὶ ξηροὶ φύσει τυγχάνοντες, ἐπικλιθέντος τὸ θέρος ἐκ τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος, ἰσχυρὰν θερμότητα καὶ ξηρότητα, καὶ τῇ ἀμετρίᾳ τῆς δυσκρασίας ὑπομένουσι μανίαν, ἣ καλεῖται λύσσα. Qui canis sideris ἀπορροίαις id contingere scribunt, patientia nostra valde abutuntur. Eos equidem libenter percunctarer. Quid est, cur canis ille cœlestis, hos nostros terrestres, quibus nihil nocet Cerberus, male mulctet? Plinius *lib. 32 cap. 5.* nihil æque aduersari serpentibus, quam cancros, perhibet: ideoque cum sol sit in cancro, torqueri serpentes. Hoc ego tametsi ridiculū putem, minus tamen absurdum est, cancrum, serpentem infestam sibi bestiam vlcisci, quam canem in sui generis animalia sæuire. Cui porro mirum non videtur, canceros tot passuum millibus ab anguibus remotos, eis aduersari: canesq; tanto a nostris interuallo distitos, adoriri, morsuq; appetere? Vnde tanta cœlo cum hoc animale discordia: est enim cœli pars sidus hoc, vt aries ὁ κριὸς, inquit Basilis, ἀφ' οὗ τὸ γένεσιν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνειν οὐρανοῦ μέρος ἐστὶ τὸ δωδέκατον. Si quando mundi ἀποκατάστασις foret, aut nouum quempiam Timæus, vel Democriticæ atomi architectarētur, canemq; in mensem frigidū atq; humidū relegarēt: tum nequaquā ipsum insaniam inferre, sed hanc præ nimio æstu ac siccitate cōtingere, facile appareret. Supra docui, alia quoq; animalia sub cane rabiē senti-

ſentire, quæ nullas cum canibus inimicitias exercent, nullamque cum his vitæ ſocietatem habent, vt ipſis nec infenſi eſſe, nec inuidere debeant. Nunc, vt frigida gerronum commenta funditus labefactentur & concidant, procyonem nominetenus canem eſſe, ipſis mathematicis teſtibus, oſtendam. Procyon hic (*verba Hygini*) in lacteo circulo defixis pedibus æquinoctialem circulum tangit: ſpectat ad occaſum, vt inter geminos & cancrũ cõſtitutus: qui, quod ante maiorem canem exoritur, *Procyon* appellatus. Hic autẽ occidit exortu Capricorni cum Leone: & habet vnam ſtellam in capite. & aliam in pectore, in lumbo vnam. eſt omnino ſtellarũ numerus trium. Quid eſt, per deos immortales, quare tres ad hunc modum poſitæ ſtellæ

Canis potius nominentur, quam lupus, vulpes, fiber, ſimia, felis, viuerra? nec enim ad canis propius imaginem, q̃ ad horũ quampiam, quę ſupra retuli, animaliũ ſimilitudinẽ accedunt. Imponẽdum fuit hoc aſtro nomẽ. Hoc ego non modo fateor, verũ etiam probo, atq; ita vocandũ cenſeo: ſed ea lege, vt ſi terreſtribus canibus dentẽ e cœlo infligere, morbos immittere, qui ſub eo naſcũtur homines fore, vt a rabioſis canib. mordeãtur, quis propterea exiſtimet, nobiſq; formidines ac μορμολύκεια opponat & intẽtet, donũ iam meum repetã, canẽq; haud amplius, ſed ψιλὸδήκωμα vocem. Mitto, quæ de hoc cane narrantur, fabulas, quas ſi quis accuratius perpendat, hunc ipſum canẽ, Lyrã, Argo, ſexcenta alia, partim ab Ægyptiis portentis, vt docet περὶ ἴσιδος καὶ ὀσίριδος Plutarchus, partim etiã a Græcis poetis in cœlũ euecta eſſe comperiet, quorũ in exprimendis formis non minor quã in canina fatuitas deprehendetur. Nunquã tamen, vt video, deſinent μωρολογεῖν ineptiſſimi ſcurræ, qui ſub lepore editos, venatores: qui ſub lyra, citharœdos futuros (alia prætereo) pugnãt ac contendunt: cũ nulla ſit interim lyra, nullus mehercule lepus. Cumq; nonnullæ hac ætate necẽ mortalibus inferant peſtes, non multos abhinc annos exortæ, eas quoq; ſiderũ vi irrepere docẽt: ab his itaq; ſtellæ atq; aſtra inuenta, quæ glande plũbea milites trucidarent, plus ſex annorũ millibus innocua: reperta & alia, quæ Neapolitana ſcabie (imo Indica, quam *puam* ea gens appellat) corpora implicarẽt, ea fortaſſe, quæ colũ & mentagrã nouas ægrotationes olim excitarunt. Quæ ſi quis recipiat atq; admittat, quantum a veritate rectoq; iudicio declinet, poſteris diſcutiendum relinquo.

Martialis declaratur.

CAPVT XXIX.

INter ea quæ peſſime olere ſolẽt, *ieiunia ſabbatariorum*, hoc eſt, Iudæorum, die ſeptimo ab omni opere ferientium, enumerat *lib.* 4. Martialis. Sabbatoriorũ porro, riſus aucupandi gratia politum eſt: quaſi quæ ieiunant ceteræ nationes, grauẽ animã nõ exhalent. id quod a Græcis νηστείας ὄζειν vocatur, vt docet legmento

Problemat.12 quæstion.7. hunc poetæ nodum soluens Aristoteles. Idem *lib 6.* postremo Martialis, hoc rursus argumentum tractãs, *os leonis* inserit, quod *libr. 11.* enarrat Plinius: *Anima leonis virus graue, vrsi pestilens.* Idem lib.2.

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit:
Hoc, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Quo disticho eos videtur insanos iudicare poeta, qui sibi manus adferant: quæ non tam facilis explicatu est quæstio, quam nonnulli autumant. quippe cum Cicero pro Cluentio, fortes viros mortem sibi ipsis in magnis doloribus cõsciscere dicat, & Æschines κτ̃ κλησιφῶντος. Æschylus κρεῖσσον γὰρ &c. quibus Aristoteles libr. νικομαχείων γ. & libr. περὶ τῶν πεπονθότων τόπων ι. aduersatur Galenus: ἀνὴρ δ' οὐδεὶς μεγαλόψυχος, οὔτ' ἐπὶ λύπαις, οὔτ' ἐπὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα λύπης ἰσχυρότερα θανάτῳ περιέπεσεν. ὅτι γὰρ τόνος τῆς ψυχῆς, αὐτοῖς ἰσχυρὸς ἐστι τὰ τε παθήματα σμικρά. Quæ si vera sunt, haud amplius fortis Cato putandus, qui tamen ne moreretur, semet non interfecit (hæc enim inter se vehementer repugnant) sed vt liber ac Romanus, non Cæsaris mancipium e vita discederet, ne eius insolens supercilium tam bona in caussa victus intueretur, ne amissam ac prostratam funditus rempublicam videret, eamque a flagitiosis ciuibus per scelus occupatã. κρεῖσσον γὰρ, inquit Æschyl.) εἰσάπαξ θανεῖν, ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς. Ceterum argumentum hoc secus ac Philosophi, tractat libr *de ciuitat. Dei 1.* D. Augustinus, & Lactant. *lib. de falsa sapientia 3. cap.18. & 23. Mureti varia lectiones 35. & Plato 31. in Phadone.*

Calare.

CAPVT XXX.

ET cælatura, ait *lib.2.* Quintilianus, quæ auro, argento, ære, ferro opera efficit. Nam sculptura lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea, quæ supra dixi, etiã complectitur. Quæ nominum differentia, tametsi ad vnguem non seruetur (quippe cum *lib.36 cap.12.* Plinius, fictilia templorum fastigia mira cælatura esse dicat) Cardanum tamen labi constat, qui *calare*, cauam (vt eius verbis vtar) facere imaginem: *sculpere*, cum eam prominere facimus, significare arbitratur. *Artaba Medica*, modium Atticum conficit Polyæno. Rhemnio,

Artaba, cui superat modii pars tertia post tres.

Maris, decem valet choas Atticas Polyæno: aut, vt tradit Aristot. sex cotylas. Testularum suffragiũ, ὀστρακισμὸν notat. *Aera*, a Chronographis & astrologis temporum exordia vocantur. *Archiatri*, principum medici dicuntur, non *archiacri*, vt apud Iuliũ Firmicum perperam excusum est: vti *vrnatores*, pro *vrinatores*. Nam *naupegi* apud eũdem, Gręcum est vocabulum, omnibus notum: apud eũdem Mercurius ipse *psepopactas* sæpe fecisse: castigandũ, expunctis *phopectas* & *psephodectas*. auctor Suidas in voce ψηφολόγοι, &

91,& Pollux lib.8. *Itiner*, a Manilio *iter* vſurpatur, & *itere* pro *Itinere* a Lucretio. Vocum harum interpretationem hic ideo ſubiunximus, quod de his quid ſentirem quidam Grammatici, vt ad eos ſcriberem, per literas nuper me rogarunt.

Homerus enarratur.

CAPVT XXXI.

ΟΔ' οὔτασεν ἠλιονῆα, υἱὸν φόρβαντος πολυμήλου, τόν ῥα μάλιστα ἑρμείας τρώων ἐφίλει. His verbis indicat Homerus, Mercurium ouium procurationem habere, earumque greges magis ac magis augere. Idem Iliad. α. ἀλλὰ κακῶς ἀφίει. τουτέστιν, ἀργία; καὶ αὐθαδῶς, καὶ παρὰ τὸ προσῆκον. οἶνος vero αἴθοψ ab eo vocatur, οἷον (inquit Euſtathius) ἐπικεκαυμένος τὴν ὄψιν, ἤτοι μέλας καὶ ἐρυθρὸς, καὶ ὁ θερμὸς, καὶ ἐκκαίων, παρὰ τὸ αἴθω. Plutarchus διαυγῆ καὶ λαμπρὸν explicare mauult aliud adfert Gellius lib.17.cap.8. & Athenæus lib. ια. Idem Odyſſ. γ.

ὦ ξεῖνοι τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα.
ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε,
οἷά τε ληϊστῆρες.——

His, quos tamen non citat, verſibus priſcis illis nec turpe, nec indecorum fuiſſe oſtendit, piraticam exercere, lib.1. Thucydides. Apud eundem Odyſſ. μ

ἐς πόντον προϊεῖσι βοὸς κέρας ἀγραύλοιο.

Nonnulli cum Polluce, βοὸς κέρας, βοὸς τρίχα enarrant. A quibus diſſentit Plutarch. in libr. cui titulum fecit, πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα. Cui videtur Euſtathius adſtipulari.

Bouem ac taurum Ioui immolari.

CAPVT XXXII.

AGamemnon, plerique alii apud Homerum, Ioui bouem immolant: nemo, quod ſciam, taurum. Id vero, ac fortuito canat poeta: ad huic deo, Troiano ſeculo ſacra facere huiuſmodi hoſtia piaculum eſſet, haud facile coniicere poſſum. Græcos enim Ioui aliquando taurum mactaſſe: vel vnus in quadam ad Libanium epiſtola Iulianus palam teſtatur: καὶ ἔθυσα τῷ διῒ βασιλικῶς, ταῦρον λευκόν. Perſas Xenoph. in Cyripæd. πρῶτον μὲν ἦγον τῷ διῒ ταύρους πάγκαλος εἰς τέσσαρας. Tractat hæc li. *Saturnal.3.cap.*10. Macrobius, vbi ex hoc Virgiliano carmine,

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.

ſententiam ſuam parum ſtabilit: quod nos ex hoc Homerico Iliad. λ. ταῦρον δ' ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ ποσειδάωνι,

deſumtum arbitramur. Falluntur autem, qui Solitaurilia Græcorum τριττὺν fuiſſe putant. Illa enim ex ſue, oue, & tauro. Tacit. lib.5. *Cum hic more Romano ſue, oue taurilia daret.* Liuius. *Inſtructum exercitum omnem ſue, oue taurilibus luſtrauit.* Quintilia. lib. 1.cap.8. *Nam Solitaurilia tam perſuaſum eſt eſſe ex ſue, oue & tauro.* aut verre, tauro, ariete, & hirco: atque apud Athenienſes, ex ſue, ariete

riete, & hirco tantum, *vt docet Aristophanis commentator.* Neque tamen illud sacrificii genus, e Græco ritu ad Romanos emanasse negauerim. Hom. Odyss. λ *ῥέξας ἱερὰ καλὰ ποσειδάωνι ἄνακτι, ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον*, Consule Eustathium & Diodor. *l. b. 8. biblioth.* Sunt porro qui apud Tacitum *solitaurilia*, & e contrario apud Liuium *Solitauribus*, aut *Suouetauribus*, ac Quintilianum *Suouetaurilia* scibere malint.

MISCELLANEORVM LIBRI SEXTI & vltimi Finis.

CHRISTOPHORI RVFI

Antexegemata seu diuersæ explanationes scriptorum veterum, potissimum Aristotelis.

AD PETRVM VICTORIVM.

SCilicet ea est humani generis, sicut reliquorum, quæ infra Lunam sunt, omnium, natura, ea certa lex atque inuatiabilis cōstitutio, vt summa omnia faciat licet, multis tamen nominibus incoata, nulla ex parte perfecta esse comperiatur. Nam quāquam hæc a summo illo rerum opifice Deo Optimo Maximo ex quadam sui parte æterna effecta est, atque Diuina, mortalis tamen, caducique corporis ratione, quod perpetuo fluxu labens nunquam vno eodemque statu consistit, argumento satis magno suam ipsius nobis indicat in omni genere imbecillitatem. Si etiam conuertat quis animum, atque omnes omnium ætatum, seculorumque homines mente circumspiciat, eorumque, si fieri possit, vitæ, doctrinarumque & artium studia cogitatione intueatur, vera perfectaque laude cumulatum sciet prorsus exstitisse neminem. Vt iam minus mirandum sit nostrorum etiam temporum præclarissimis ingeniis, summaque eruditione viros, dum in ea facultate versantur, quam *ἐξηγητικὴν* Græci dicunt, dormitasse nonnunquam, neque ita fuisse ad omnia perspicaces: cùm ne Argus quidem illud præstare potuerit, vt ipsum omnino nunquam somnus complecteretur. Atque hæc eo sane pertinet oratio, vt intelligant omnes non me contradicendi studio, neque quod quicquam de præstantissimorum hominum laude detractum voluerim adductum fuisse, vt *ἀντεξηγήματα* hæc conficerem. Illud potius quod vt verissimum est, ita optimo cuique persuasissimum esse optarim me, cum eorum libros attentiore cura legendos esse iudicarem, multaque præclare ab eisdem scripta fuisse animaduerterem, ferre deinde

re deinde non potuisse, vt horum egregia opera quibusdam quasi sordibus fœdata conspicerentur. Aliquot itaque locis studio, quam potui, maximo enixus sum, vt eos libentes subleuarem: ne præsertim ipsorum fidem, auctoritatemque secutos in ruinam secum fraudemque deducerent: vtque intelligeretur tandem, non esse, cur nostrum vsquam iudicium adhibere desinamus, rei ipsius rationem semper quantumuis literati hominis auctoritati præponentes. Hoc summum doctorem, & magistrum Aristotelem, hoc nobilissimos quosque Philosophos, hoc denique istos ipsos factitasse reperio. Omnes enim in eo elaborarunt (quod Crassi etiam apud Ciceronem præcepto vt faciamus admonemur) vt aliorum scripta nemini vni addicti, corrigerent, immutarent, refellerent, si possent. Qua ex re tantum abest, vt inuidiam odiumue sibi apud quenquam conciliarint, vt immortalem potius laudem apud omnes suo meritissimo compararint. Nam cum a natura homines, si modo sunt homines, ita instituti sint, vt nihil quam verum ipsum malint, illudque semper experant, semper inquirant, ac inuestigent, illud vnaquaque in re ament, amplectantur, carissimumque habeant, illius denique desiderio flagrent incredibili: quales tandem iis habebimus gratias, qui sua opera suisque vigiliis, etsi illud fortasse non consequuntur semper, contendunt certe, vt falsis mendaciis obrutam veritatem in apertissimam lucem producant? Quod si ita est, nec mihi etiam vitio vertendum esse puto, qui istuc ipsum facere aggressus fui, maiore fortasse fiducia, quam effectu, animo quidem certe candidissimo, & ab omni obtrectandi studio, vt qui maxime, alieno.

Quod si quis tamen rem, aliter atque est accipere voluerit, quoniam ita facti sumus plerique, vt nostra fere ita vehementer amemus, vt vitia etiam nos interdum delectent; quando ille adest murus aheneus, neque vlla vexat animum conscientia, haud sane magnopere commouebitur Hippoclides. Si qui etiam in eo me accusabunt, quod solus eruditiorum munus, ad quos hæc quasi censura spectasset, vsurpare mihi videar, neque enim ἡμεῖς ποτ' ἀνδρῶν κλοπὰς ἐφάσθην, totam ego accusationem istam, vt iniquam & inanem contemnam & irridebo. Namque illud primo notissimum est, in medio palmam positam esse omnibus: dicam esse deinde quod sibi gaudeant potius, actumque secum esse præclare fateantur, quam mecum de mea ingenii literarumque tenuitate expostulent, aut conquerantur. Nam si ego non eruditissimus aliqua potui in eorum scriptis reperire, quæ minus recte se haberent, quid? quanto plura doctiorem, acutioremque virum credendum est proferre potuisse? quanto omnia commodius explicare atque vberius? Quin potius ista me ratio vehementius ad hoc suscipiendum certamen

excitauit, atque accendit: cuius vter tandem exitus futurus esset, non tam turpe esse mihi perspiciebam, si alicubi inferior essem, quam si cum tantis viris contendissem, laudabile atque decorum. Qui vero totam hanc scribendi rationem serie rerum minime continenti vituperabunt, ex iis ego, ne complures enumerem tum veterum, tum recentium, in hisque teipsum & Politianum nostrum (at quos viros) qui in hoc genere summa cum laude versati sunt, libenter quæsierim, quidnam de Galeno ipso sensuri sint, qui integrum libellum etiamnum exstantem conficiendum sibi duxit, vt Aristotelis locum vnum duntaxat de Sophisticis Elenchis, quod is ab aliis antea aut non bene, aut non plene explicatus esset, melius ipse ac fusius interpretaretur. Demittendo autem libro non Lucilii mihi, non Crassi visum est sequi sententiam: quorũ alter librũ suũ legi nolebat a doctissimis: orationem alter suam non intelligi, quam reprehendi malebat Themistii magis exemplo (quanquam pagina iudicium docti subitura veretur) ad te eruditissimum virum mittere placuit: apud quem vitia errataque omnia in occulto esse cum non possint, maximum quid assecutum me putabo, si tuo potissimum beneficio nosse me ipsum aliqua ex parte didicero. Laus vero si qua (quod Deus velit) abs te laudatissimo viro proficiscatur, tuo testimonio confirmatus hoc quod reliquum est itineris, quod profecto multum est, conficere multo alacrius enitar. Ad ista vero περίοπτα χρυσόμαλλα, vt Diogenes appellabat, caussæ nihil esse videbam, quamobrem hoc quicquid est libelli mitterem. Dici enim vix possit, quam me ineptiæ istæ inanesque opiniones non delectent. Sed hæc hactenus. Incipiam itaque: Tu vero ὑγίαινε, καὶ φίλ☉ ἴσθι ὡς μάλιστα.

Demosthenes περὶ εἰρήνης.

Τὴν δὲ θηβαίων πόλιν * διοικεῖν.] Demosthenis (vt ab omnium nobilissimo oratore nostra hæc exordiatur oratio) locus est in ea, quam de pace conscripsit, oratione, nullo pacto integer, sed mendosus omnino, & mire deprauatus. Ex quo minus iam mirandum est, complures, eosque, qui aliquo eruditorum numero censeantur in eo explicando lapsos fuisse, atque ineptas quasdam, & quæ vllo modo consentaneæ esse non possent, attulisse interpretationes. Bracchus Placentinus certe, qui hanc orationem Latinam a se factam edidit, non admodum sagax hoc loco fuit, qui verterit, *Vt Thebanorum ciuitas in optimo statu constitueretur.* Aliquot etiam Bononiæ nominis in literis quidem Græcis haud obscuri, ad quos ipse de loco, vt eorum exquirerem sententias, retuleram, ii quoq; misera quadam, & importuna religione impediti, receptam lectionem immutare non audebant: quam tueri dum conantur, quam sint ea fatua, quæ afferunt, quamque a Demosthenis sententia, & abs toto hoc loco aliena & discrepantia, non intelligũt.

Nam

Nam quam hostili inter se animo fuerint Athenienses & Thebani, cum aliunde sciri cognoscique potest, tum ex iis, quæ in prima Olynthiaca hic ipse dixit orator: αὖθ' ἐκεῖνα φίλιππος λάβῃ, τίς αὐτὸν ἐπικωλύσει δεῦρο βαδίζειν, Θηβαῖοι; μὴ λίαν πικρὸν εἰπεῖν ᾖ, καὶ συνεισβαλοῦσιν ἑτοίμως. Quis iam non videat aperte dum spe Philippus Athenienses polliceri cupiebat, non eum debuisse commodum vllum a se profecturum in Thebanos polliceri, quin damnum potius ad detrimentum aliquod, quo ipsis gratificaretur magis? Sententia itaque non nisi ineptissima & falsa prorsus ex ista lectione elici potest. Verba quoque ipsa reclamant, neque pati illud præsens tempus possunt inter quatuor futura. Hæc mihi tum summa diligentia curaque adhibita consideranti placuit tandem, vt locum adiuncta tantum syllaba restituerem, διοικιεῖ que futurum Atticis & Demostheni ipsi vsitatissimum efficerem: qua ex re sententiam, tempora, reliquaque omnia conuenire, & concinna, aptaque mirum in modum reddi perspiciebam. Conuersio præterea Oetingensis cuiusdam, quæ,* *Dissipaturum* habet, vt constantius in hoc proposito permanerem faciebat Sed ea quoque non plane mihi dubitationem adimebat, quod cernebam ibi etiam locum esse asterisco notatum. Quare amplius mihi quærendũ cum censerem, egi cum optimo adolescente meo familiari Ænea Desiderio, vt is per epistolam præceptorem suum Franciscum, virum in paucis eruditissimum, quique iure optimo bonarum literarum quidam quasi portus habeatur, quid ille hac in re sentiret, percõtaretur. Hic vt virum summo ingenio, præstantissimoque iudicio decuit, his ipsis verbis respondit: *Quel* διοικεῖν *a giuditio mio si ha da leggere* διοικιεῖ, *da* διοικίζω, *che vuol dire, disunire, e smembrare vna Citta in piu parti per debilitare le sue forze:* sic ille. Verum, quia non desunt fere vnquam qui vni sibi sapere videantur, ceteros pro n hilo habeant, vel, Demosthene, teste horum peruicacem impudentiam conuincamus. Is enim in luculentissima oratione περὶ πρεσβείας ferme ad extremum de eadem re eodem verbo vsus ita ait: αὐτὶ δὲ τοῦ τὰς Θήβας ταπεινὰς γενέσθαι καὶ περιαιρεθῆναι τὴν ὕβριν καὶ τὸ φρόνημα, τὰ τῶν συμμάχων τῶν ὑμετέρων Φωκέων τείχη κατεσκάπτετο. Θηβαῖοι δ' ἦσαν οἱ κατασκάπτοντες οἱ διοικισθέντες ὑπ' αἰσχίνου τῷ λόγῳ. Ecce itaque quam sibi ipsi verum, quod plus vno esse non potest, vndequaque consentiat.

Demosthenes περὶ Χερρονήσου.

Τίς οὖν ἡ τούτης περιουσία, τῶν φόβων ἀφῃρημένων καὶ τῶν κινδύνων τοῦ βουληθέντος αὐτὴν ἀδικῆσαι;] Quid hoc loco declaret περιουσία, quę sit verbi vis, non assecuti sunt magistri quidam Bononienses, qui pro Facultate accipiunt, exponentes deinde ταύτης, nempe δίκης, de qua dudum facta mentio fuerat. Sed ne Vuolfii quidem recta est hac in parte tralatio. *Prerogatiuam* enim ipse vertit. Nos autẽ in eum potius sensum accipimus, vt conseruatio Cheronesi hoc

Καὶ κιρκήσια δοῦναι, καὶ σπυρίσι δειπνίσαι κιρκήσια δοῦναι. Circenses ludos dare, expono. His autem vocibus σπυρίσι δειπνῆσαι, antiquum morem tangit Arrianus, quo canistris ac sportulis cœnæ ac prandia inferebantur. Athenæus lib. η. εἰδέναι δὲ οἱ ἀρχαῖοι, καὶ τὰ νῦν καλούμενα ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνα. ὅτι δὲ σαφῶς δηλοῖ τὸ ἀπὸ σπυρίδος δεῖπνον, ὅταν τις αὐτὸς αὑτῷ σκευάζων δεῖπνον, καὶ συνθεὶς εἰς σπυρίδα παρά τινα δειπνήσων ἴῃ. Hoc genus durat hodie inter locupletes aulicos. nam Gallicum vulgus, cœnam coctam ac paratam, lancibus deferendam curat. Apud eundem Arrianum, ἀναγκοτροφεῖν, καὶ ἀναγκοφαγεῖν, certum quendam stato tempore & modo cibum necessario sumere, significat. Quod non modo athletes ad amussim obseruasse, sed cum etiam ambulando perficere consueuisse, annotauimus. Porro διψᾶν, summopere cupere est. Artemidorus, τὸ μὲν γὰρ διψᾶν οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ ἐπιθυμεῖν. Synesius, πῶς οἴει με διψῶντα ταῖς ἡδίσταις ἐπιστολαῖς ἐντετυχηκέναι. Latini, *Sitire* in eadem significatione vsurpant. Cicero Philip. 5. *Sanguinem nostrum sitiebat.* Rursum pro Plancio: *Deinde sitientem me virtutis tuæ deseruisti.*

Gregorii & Plutarchi loca. Melia fames.

CAPVT XVIII.

Ὦ γῆ καὶ ἥλιε, καὶ ἀρετὴ, τραγῳδίσω γάρ τι μικρόν: Gregorius in quadam ad Basilium epistola. Erasmus pro ἀρετὴ corrigendum putat αἰθὴρ. nonnulli ἀὴρ. Nos Æschinem κατὰ κλησιφ. vnde hæc desumta sunt, auscultemus: ἐγὼ μὲν οὖν ὦ γῆ, καὶ ἥλιε, καὶ ἀρετὴ, καὶ σύνεσις, καὶ παιδεία, ᾗ διαγινώσκομεν τὰ καλὰ, καὶ τὰ αἰσχρὰ, βεβοήθηκα καὶ εἴρηκα. quæ Demosthenes περὶ στεφάνου deridet hoc sermone: ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ βοῶντα, ὦ γῆ, καὶ ἥλιε, καὶ ἀρετὴ καὶ τὰ τοιαῦτα. *Melia fames*, a *Melo* eiusdem nominis insulæ oppido dicitur, non a *Melo* Thessaliæ vrbe. Thucydides lib quinto, postremis versibus, *Lucerna sublata nil discriminis inter mulieres esse*, sic accipiendum puto, vt omnes in tenebris æque lasciuas ac libidinosas esse, sentire videatur adagium, teste Plutarcho, apud quem in Laconic. apophth. ἀλλ' οὐ τί ἐστι καλλιππίδας ὁ δεικηλίκτας, legendum, non κηλικτὴς. illo quidem nomine hypocritas appellant Lacedæmonii, vt testatur ipse in *Agesilao Plutarchus*. Hesychius & Eustathius δεικηλιστὰς scribunt. Athenæus lib ιδ. δικηλιστάς. Apud eundem Plutarchum, ὅτι πρέπει φύλαξ τὸ τῶν ἱμάτων δεδέσθαι βαλάντιον, legere malim, quam ἱμάτων: tametsi non multum intersit.

αὐτὸς ἐν νεφέλαις οὐδὲν πίπτειν δεινόν. τί δ' αἰσχρὸν εἰμὶ.

CAPVT XIX.

Lectori molestus futurus sim, si Grammaticos adagium hoc αὐτὸς ἐν νεφέλαις, explicare studētes pluribus coarguā quod vt vno & altero verbo finiam, de vrbe, de homine, de re omnino

quapiam

quapiam, quæ longe ceteris præcellat, dictum censeo. Aristophanes ὡς ἐν νεφέλαισιν αἰετὸς γενήσομαι. Scholium, οἷον βασιλεὺς μέγας ὑπερέξεις ἁπάντων, ὥσπερ αἰετὸς τῶν ὀρνέων. Aristides in Panathenaico, de Athenis loquens: αἰετὸν δὲ ἐν νεφέλαις αὐτὰς ὁ θεὸς καλεῖ πρὸς τἆλλα πολίσματα. Hunc vero Menādri senarium, οὐδὲν πέπονθας δεινὸν ἂν μὴ προσποιῇ, edisserit περὶ ἀθυμίας Plutarchus: τί γὰρ πρὸς σὲ ἐστί φησιν, ἂν μήτε σαρκὸς ἅπτηται μήτε ψυχῆς. οἷόν ἐστι δυσγένεια πατρός, ἢ μοιχεία γυναικός, ἢ στεφάνου τινός, ἢ προεδρείας ἀφαίρεσις. & quæ sequuntur. Lucianus in Iouiæ tragœdo: ὀρθῶς ἐκεῖνό μοι ὁ κωμικὸς (Menander) εἰρηκέναι δοκεῖ, Οὐδὲν πέπονθας δεινόν, &c Aristoteles ῥητορικῆς α & β, hunc versum citat: νήπιος, ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει. quem a Stasino poeta editum, in Græcanicis quibusdā fragmentis reperiri: vt qui ab Homero compositum putent, manifesto decipiantur. τί δ' αἰσχρὸν εἰ μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῇ. Euripidis versus, quo nil turpe censendum visus est existimare, nisi qui id patrassent, ipsi turpe & flagitiosum putassent. Quem merito improbans Antisthenes, sic prudēter immutauit: αἰσχρὸν, τό γ' αἰσχρὸν, κἂν δοκῇ (τοῖς χρωμένοις) κἂν μὴ δοκῇ. Senarium adducunt, Plutarchus, Athenæus lib. ιγ. plerique alii: quibus, quæ nunc retulimus paucula, lucem afferre possunt.

Nullam Homericis carminibus vim inesse.

CAPVT XX.

SÆpenumero mirari soleo, quosdam homines exstitisse, quibus dedita opera mentiri satis nō fuit, nisi turpiter atque impudenter in eo peccarent, ac monstra etiam sua emitterent. Quo ex cœtu minime prætereundi sunt, qui Homericis carminibus vim quandam inesse garriunt. Potores itaq; ebrios fieri negant; si primis poculis metrum hoc,

τρὶς δ' ἄρ' ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητίετα Ζεύς,

pronuntiarint. Illud arbori appensum,

χαλκέῳ δ' ἐν κεράμῳ δέδετο τρεισκαίδεκα μῆνας,

fructū cōtinere, nec iniuriā vlla cœlesti decidere, tradūt. Atq; hoc,

τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δ' ἐστοναχίζετο γαῖα,

arthriticos dolores mitigare. Librum vero Iliados quartum capiti suppositum, quartanam febrem auertere, cur non etiam tertium tertianam? Quibus ego bonam mentem opto. Hoc autem versu qui est Iliad β,

Αἰνείας, τὸν δ' ὑπ' Ἀγχίσῃ τέκε δῖ' Ἀφροδίτη.
Ἴδης ἐν κνημοῖσι, θεὰ βροτῷ εὐνηθεῖσα,

Ægyptiorum ac Stoicorum nugas confutare in animo est, Deos rem cum mulieribus habere, ac ex his liberos procreare, existimantiū: contra, virum e dea nil gignere posse, stulte contendentium: hic enim ex Anchise, Venere matre, nascitur Æneas. Quæstionem hanc tractat in Numa, & libr. Symposiac. η. Plutarchus. Ego, si fabulas ac puerilia deliramenta persequi friuolum nō est;

deos Homericos cum deabus cõsuescere, nec his mulieres equabus, aut vaccis formosiores videri arbitror, non magis quam bobus aquilas, leporibus elegantiores: homines vero, suum genus in cœlum tollentes, ac cetera animalia caussa indicta spernentes, quod mulieres diligant, earumque desiderio cœlestia quoq; numina teneri sibi persuaserunt: hoc fortasse ignorantes, asinum, pulcerrimam ac venustissimam bestiam asinam censere, equos & equas mutuo amore flagrare. Sic auro, argento, gemmis, quæ prima mortales ducunt, his deos quoque inhiare suspicati sunt poetæ vnde aurea priscorum simulacra, aurei crateres, gemmata donaria, mille alia, quæ super uacuum esset commemorare.

Plinii loca

CAPVT XXI.

O*Veniam ventus non aliud intelligitur, quam fluctus aeris*: Plinius lib. 2. cap. 43. Ego scribendum puto, *quam fluxus aeris*: Plutarcho in Caussis naturalibus fretus: *αἰ ἀξήματα δρόμ., ἀνέμους εἶναι ῥύσιν ἀέρος* E , *οἱ περὶ πνεῦμα ἀέρος εἶναι ῥύσιν*. Nemo est, qui vel primoribus labris Græcas literas degustarit, qui non *ῥύσιν* fluxum notare, non fluctum, certo sciat. Hæc attigit lib. Meteor. primo Aristoteles. Sic vero diffinit Hippocrat. *ἄνεμος γάρ ἐστιν ἀέρος ῥεῦμα καὶ χεῦμα*. Idem *lib 8 cap 34*. Plinius, *solum animalium nec cibo nec potu alit chamaeleonem, nec alio quam aeris alimento*, falso tradit. Linguam enim sesquipalmum longam habens, eam porro in insecta, quibus maxime vescitur, exserit ac vibrat: eiusq, mucore, scarabeos, locustas, formicas, muscas ad se adducit. multos tamē menses famem tolerare, cuncti fatentur Platycerotes nempe hamunco carentes, in ceruorū potius, quam caprarum specie habēdi vt Oppiano Cyneget. 2. eos *εὐρυκέρωτας* appellanti, ac ipsi Plinio *lib. 11. cap. 37.* placuit. Quare apud Dioscoridem lib. 6. *κεφαλ.* ibi, *καὶ δορκάδος καὶ πλατυκέρωτος*, Capreæ & Platycerotis, vertere debuit Marcellus Virgilius: non, Capreæ quam a latitudine cornuum Platycerota dicunt. duorum quippe animalium hoc loco meminit Dioscorides. Est autem Platyceros, animal ceruo minus, cauda pro corporis proportione longiore, pilo magis albicante, cornibusq; supra fidem patulis: vnde ei nomen. Galli Dain vocant. nullum est ei cum ceruo amicitiæ vinculum, raroque ob id simul degant.

Plutarchi loca.

CAPVT XXII.

K*Αἱ τοὺς ἱππεῖς χιλίους ἀπάγειν εἰς τὴν καλουμένην δικάδα*: Plutarchus in Agide & Cleomene. Legendum est, *τὴν καλουμένην καιάδαν*, non *δικάδα*. Thucydides lib. *α*. *καὶ αὐτὸν ἐμέλλησαν μὲν εἰς τὸν καιάδαν, οὗπερ τοὺς κακούργους ἐσβάλλειν εἰώθεσαν*. Pausanias in Messen. *τούτους ἐγνώκεσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι ῥίψαι πάντας εἰς τὸν καιάδαν*. Strabo lib. 8. *καὶ καιάδας τὸ δεσμωτήριον, ὅπερ ἐστὶ τὸ παρὰ Λακεδαι-*

μονίοις

μεγίους ἀντήλαιόν τι. Idem in Placitis philosoph Plutarchus: ἕνιοι τῶν φιλοσόφων, καθάπερ Διαγόρας ὁ μιλήσιος. Germana lectio, ὁ μήλιος, Melius, e Melo insula. etiamsi Odyss. γ. Eustathius μιλήσιος scripserit. Idem ἐν σοφιστικοῖς ἐναντιώμασι. ἄργια δὲ ἔργα καὶ βάρβαρα, καὶ χαλκικά. Restitue χαλκευτικά. Idem περὶ ἰσίδος καὶ ὀσίριδος· ἡ μὲν γὰρ μεγίστη τοῦ νείλου ἀνάβασις περὶ τὴν ἐλεφαντίνην, ὀκτὼ γίνεται, καὶ εἴκοσι πήχεων. Nulli, quod sciam, fide digni auctores, octo & viginti cubitos Nilum consurgere memorant, sed 18 tantum. Herodotus in Euterpe: τοῦ ποταμοῦ κατελθόντος μέγιστα δὴ ἔτι ἐπ' ὀκτωκαιδεκα πήχεας αὐτὰ περιέβαλλε ἐς δέρεας. Plinius lib. 5 cap. 9. Maximum incrementum ad hoc æui fuit cubitorum, 18 Strabo lib. ιζ. ἐπὶ γοῦν τοῦ πετρωνίου ἡ μεγίστη μὲν ἦν φορὰ (non φθορὰ) καὶ ἀνάβασις, ἡνίκα ἐπὶ τεσσαρεσκαίδεκα πήχεις ἀνέβαινεν ὁ νεῖλος.

Plura esse quam septem metalla.

CAPVT XXIII.

QVi septem tantum metalla esse perhibent, aurum Soli, Lunæ argentum, Mercurio electrum, Marti ferrum, Saturno plũbum, Veneri æs, Cyprium vero æs Ioui attribuunt, horumque Planetarum viribus ea nasci disceptant. Ego primum longe his plura, deinde stellarum influxibus minime procreari ostendam. Mercurius igitur, vt inquiunt, electrum producit. Hoc ego metallum esse inficior, sed auri argentique mixturam quandam, mox probabo: in qua si Sol aurum, Luna argentum conijcit, nullum Mercurio locum relinquunt. Est autem, teste Pausania, ἤλεκτρον, ἀναμεμιγμένος ἀργύρῳ χρυσός. Nam si in quatuor auri portionibus quinta argenti insit, hoc Electrũ vocare non dubitant quamplurimi. Quid si in tribus auri quarta argenti reperiatur? Imponendum sane erit huic nouo quoq; metallo nomen. Hoc porro fieri posse, nemo non videt. *Omni* (ait Plinius) *auro inest argentum, vario pondere: alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte.* Cur non igitur tot metalla? Quid si eadem auri, quæ argenti, copia inueniatur? Saturno plumbum tribuunt: quæro, nigrum ne, an album? aut etiam vtrumq;? Si nigrum, quæ album stella procreat? si vtrũque quid est, cur æs Veneri, Cypriũ Ioui assignant isti. quæ minus inter se differunt, quam duo hæc, de quibus loquor, plumbũ horum genera? Pergamus ad alia. Quæ stella chalybem generat? quod metallum esse nemo nescit: quæ plumbum cinereum, quod *Bisemutũ* appellant Germani? quæ chrysocollam? quæ argentum viuum? quæ Gallicũ Albicazense? quæ pseudargyrũ in Tmolo mõte? Quæ Turcicum rusma? Non (opinor) Cometes quispiam aut Berenicæ crinis: quid enim istis cum psilotro? Quæ ὀρείχαλκον, vt scribit Apollonii scholiastes: aut ὀρίχαλκον, vt Arrianus: Quidã Latinis *Orichalcũ*, vocant alii *aurichalcũ*: Diomedes vtrumq; separat seorsim homini præterea. Quamobrẽ doctiss. virorũ testimonio fideus, varias metallorum species, quæ penitus exciderint,

quondam exstitisse, multas quotidie nasci suspicor: oboriturasq; aliquando alias, quæ nunquam antea visæ sint. Superest, vt aurũ solis vi atq; appulsu nequaquam nasci, palam faciamus: quo sublato, quæ de ceteris planetis traduntur, facile corruant. Nego equidem tantam huius potentiam esse, vt ad ima vsque terræ viscera, maniumq; sedem, e qua aurum effoditur, penetrare queat. Demus ita esse: cur non eadem auri venam producunt cœli climata, solem ex æquo admittentia? cur hoc nunc e quibusdã Macedoniæ ac Thraciæ montibus, non ex vniuersa illa regione eruitur, quæ non secus atq; illa sole fruitur? Nasci in India ac Germania aurum, experimento constat: cum tamen hæc frigore, nunc pruina obrigeat, illa calore infestetur & exardeat. At multæ, quæ has inter, a se remotissimas regiones, prouinciæ interiacent, aureis secturis carent, magna solis inuidia: quippe cuius radiis, minus etiam obliquis, quam septentrionalis plaga, collustrãtur. Iam quis emendicatum lunæ fulgorem in profundissimas puteorum scrobes, penitusq; abditas, in quibus argentum foditur, atq; elicitur, peruadere credat? Quis hoc vnquam mentis compos putauit? Plumbo abundat Britannia: terra Gallia effœta, modico ab ea freto diuisa. malo, credo, in Gallos est animo Saturnus: Britannos amat, ac eos locupletat. Ferrum Hispania Indica nõ gignit, nullam scilicet in longinquis & exteris oris potestatem, Mars habet. Pudet me sane harum ineptiarum. Quo vero pacto aurum, argentum, ac cetera metalla nascantur, Georgius Agricola, plerique alii tradiderunt: quorum e scriptis libris, Chymistas ac nebulones quosdam errare perspicuum est, qui planetas, tanquam fugitiuos criminum reos, ac capitis damnatos, ad metalla damnant.

ὄξος ἑψητόν. βραχέα.

CAPVT XXIV.

APud Phœnices autem tingebatur pretiosissima purpura, quorũ tincturam Suidas appellauit Oxum: ὄξος ἑψητὸν ἀπὸ φοινίκων: *Hinc oxybapha, in l. 2. C. quares vendi non possunt.* Hæc Alciatus, in tres posteriores lib. Codicis. Ego ὄξος ἑψητὸν, acetum coctum notare assero. Xenophon ἀναβάσεως β. ἐνῆν δὲ σῖτος πολὺς, καὶ οἶνος φοινίκων (vinum palmeum) καὶ ὄξος ἑψητὸν ἀπὸ τῶν αὐτῶν, αὗται δὲ αἱ βάλανοι τῶν φοινίκων, &c. Suidam quoque citra caussam lædit Alciatus, ita loquentem: ὄξος ἑψητὸν τὸ ἀπὸ φοινίκων. quæ Suidæ verba e citato a me Xenophontis loco sumta esse, liquido apparet. Quæ Latini *Breuia* vocant, vadosa quædam in mari spacia, quorum meminit lib. Æneid 1. Virg.

In breuia & syrtes vrget: ——

ea Græci βραχέα nominant. Polybius lib. α. ἐν ᾗ συνθεωρήσαντες εἰς τὰ ἀπόραχια, ἀφ. τὴν ἀπορίαν. Tu emenda βραχέα. Sic quoq. paulo ſ. pr. legendum est: καὶ πλεύσαντες διὰ πορθμοῦ, περιπλεύσαντες

τῆς μετ-

τῆς μεσογαίας διασωθέντα τῶν πλοίων ἐκ τῆς ναυαγίας. non ναυμαχίας. Iterum lib. δ. ὅτι μὲν ἐπὶ βραχέα συνεπηγνύασι, καὶ νῦν ἐστι δῆλον τὸ γινόμενον. Strabo libr. γ. ἥτε γὰρ ἐκβαλλομένη χοῦς ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ, βραχέα ποιεῖ. Arrianus lib η. τὰ δὲ βραχέα, ἃ κατὰ τοὺς αἰγιαλούς. Eadem & βράχη Stephano, in vocabulo βραχία, dicuntur. Et Diodo. lib ιγ. ἐπεὶ περὶ τὰ βράχη προσωκείχθησαν.

Phthisici. Cœlum a cœlo differt.

CAPVT XXV.

PLinius *lib 21. cap 6.* Phthisi affectos, aut ſanguinem egerentes, longa nauigatione recreari exiſtimat. nec enim Ægyptum propter ſe peti, ſed propter longinquitatem nauigandi. Plinius vero Secundus lib. *Epiſtolarum 5.* quendam ſanguinem reiicientem, in Ægyptum miſiſſe fatetur, in cœlo illo potius, quam in nauigatione ſpem habens. Celſus præclare admodum, & longa nauigatione, & cœli mutatione in huiuſmodi morbis opus eſſe tradit, ſic vt denſius, quam id eſt, ex quo diſcedit æger, petatur. Ideoque, inquit, aptiſſime Alexandriam ex Italia itur. Longe autem cœlum a cœlo differre, ſiue homines, ſiue bruta animalia, ſiue plantas ſpectemus, apparet: adeo vt quidã leones in Italia parere, obſtante regionis ſitu negẽt. Ego id ea ratione fieri arbitror, quod ea ad prædam, curſum, laborem, nata animalia, aut vinculis alligata, aut in viuariis coercita, vberius alantur, nec corpus exerceant. Si enim libera ac ſoluta, camporumq; planitie, ac ſyluarũ receptu fruerentur, prolem quidem in Italia ederent non ita fortaſſe immanem atque feram. Variæ porro arbores, quæ in calido climate proueniunt, fructuſq; gignunt, ſi in frigidum transferantur, eas aut interire, aut certe frugiferas nõ eſſe conſtat, ꝙ palmis, oleis, ſycomoris, pleriſq; aliis vſu euenire conſpicimus.

Auli Gellii loca.

CAPVT XXVI.

MVtilatus eſt *lib. 2. cap. 6.* Aulus Gellius, Aldinis typis excuſus: ὅρος τῆς ἀλγηδόνος ὑπεξαίρεσις. ex Epicuro Laertii reſarciendus: ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν, ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις. Frobeniani codices ὑπεξαίρεσις perperam ediderunt. Fatetur & ipſe nominati a me libri *capite nono* Gellius. Idem volumine 15 *capite ſeptimo*, ſexageſimum tertium vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire tradit. Cuius quidem rei hanc adferunt cauſſam mathematici, quod ſeptem ac nouem anni per omne vitæ tempus, naturali quadam & latente ratione, variis hominem periculorum diſcriminibus ſemper afficiunt. vnde & 63. annus, quia vtriuſque numeri ſummam pariter excipit, Androdas ab Ægyptiis appellatus eſt, quaſi vitæ ſubſtantiam frangens. Nouies enim ſeptem, anni LXIII fiunt: & rurſus ſepties nouem, ſimili modo anni fiunt LXIII. Hoc vberius ediſſerit *lib. 4. cap. 14.* Iulius Firmicus. Apud eundem *lib. 10. cap 25.* Gellium, de nauium appella-

tionibus tractantem: *Corbitæ* (non *cornita*) lenunculi (non *remunculi*) actuariæ, quas Græci πρόσπλως vocant, vel ἱππηγέας non, ἱσίππους vocant, vel ἱππαγωγίδας) & prosumiæ (non *psumia*) restituendum existimo.

Homeri loca.

CAPVT XXVII.

HOmerus Iliad. ε. ac λ. χαλκὸν νώροπα appellat. ἐκ τοῦ νῶ στερητικοῦ, καὶ ὁρᾶν, καὶ τοῦ ὤψ, vt tradit Eusta: h Ea vox splendidũ omnino significat: splendor autem ferri & armorum oculis caliginem solet offundere. Nec me ab hac opinione dimouet lib. *Sympos. 3. segmento 10.* Plutarchus, subtilior hac in parte, cum nihil opus sit, scholiastes: eaq; sane in medium afferens, quæ nunquam οὐδ' ὄναρ suspicatus est Homerus. Explodēdus est pariter Stephanus, νώροπα χαλκὸν, a Noraco Pannoniæ oppido nomen inuenisse existimans. Idem porro Stephanus in vocabulo αὔγλεα, sic ait: πόλιν ταύτην δ' ἔτερα λέγει. τὴν ὑπηρεσίαν αὔγλεαν μεθονομάζει, ἣν ὅμηρος πυρεσίαν φησί. Castigo, ὑπερησίην. Homer. in Bœotia:

οἵ θ' ὑπερησίην τε, καὶ αἰπεινὴν γονόεσσαν.

Eustathius, ὑπερησία δὲ, πόλις φασὶν ἀχαΐας, ἀπὸ ὑπερήνορος ὀνομασθεῖσα, ἢ οὐ λυκάονος. οἱ δὲ καλέσαντες αὐτὴν ὑπέρειαν, κακῶς εἶπον.

Canes calore ac siccitate in rabiem inflammari.

CAPVT XXVIII.

CAnis siccissimum animal, sub cane astro in rabiem aliquãdo inflammatur, vehementi scilicet calore affectum atque oppressum. Posidonius, οἱ κύνες θερμοὶ καὶ ξηροὶ φύσει τυγχάνοντες, ἐπικλινῶς κατὰ τὸ θέρος ἐκ τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος, ἐπίσαν θερμότητα καὶ ξηρότητα, καὶ τῇ ἀμετρίᾳ τῆς δυσκρασίας ὑποπίπτουσι μανίαν, ἣ καλεῖται λύσσα. Qui canis sideris ἀπορροίαις id contingere scribunt, patientia nostra valde abutuntur. Eos equidem libenter percunctarer. Quid est, cur canis ille cœlestis, hos nostros terrestres, quibus nihil nocet Cerberus, male mulctet? Plinius *lib. 32 cap. 5.* nihil æque aduersari serpentibus, quam cancros, perhibet: ideoque cum sol sit in cancro, torqueri serpentes. Hoc ego tametsi ridiculũ putem, minus tamen absurdum est, cancrum, serpentem infestam sibi bestiam vlcisci, quam canem in sui generis animalia sæuire. Cui porro mirum non videtur, cancros tot passuum millibus ab anguibus remotos, eis aduersari: canesq; tanto a nostris interuallo dissitos, adoriri, morsuq; appetere? Vnde tanta cœlo cum hoc animale discordia: est enim cœli pars sidus hoc, vt aries ὁ κριὸς, inquit Basilis, ἀφ' οὗ τὸ φῦναι τοῦ αὐθημερινοῦ λαμβάνειν ἀρχὴν τοῦ μέρους ἐστὶ τὸ δωδέκατον Si quando mundi ἀποκατάστασις foret, aut nouum quempiam Timæus, vel Democriticæ atomi architectarētur, canemq; in mensem frigidũ atq; humidũ relegarēt: tum nequaquã ipsum insaniam inferre, sed hanc præ nimio æstu ac siccitate cõtingere, facile appareret. Supra docui, alia quoq, animalia sub cane rabiē senti-

ſentire, quæ nullas cum canibus inimicitias exercent, nullamque cum his vitæ ſocietatem habent, vt ipſis nec infenſi eſſe, nec inuidere debeant. Nunc, vt frigida gerronum commenta funditus labefactentur & concidant, procyonem nominetenus canem eſſe, ipſis mathematicis teſtibus, oſtendam. Procyon hic (*verba Hygini*) in lacteo circulo defixis pedibus æquinoctialem circulum tangit: ſpectat ad occaſum, vt inter geminos & cancrũ cõſtitutus: qui, quod ante maiorem canem exoritur, *Procyon* appellatus. Hic autẽ occidit exortu Capricorni cum Leone: & habet vnam ſtellam in capite, & aliam in pectore, in lumbo vnam. eſt omnino ſtellarũ numerus trium. Quid eſt, per deos * * immortales, quare tres ad hunc modum poſitæ ſtellæ * Canis potius nominentur, quam lupus, vulpes, fiber, ſimia, felis, viuerra? nec enim ad canis propius imaginem q̃ ad horũ quampiam, quę ſupra retuli, animaliũ ſimilitudinẽ accedunt. Imponẽdum fuit hoc aſtro nomẽ. Hoc ego non modo fateor, verũ etiam probo, atq; ita vocandũ cenſeo: ſed ea lege, vt ſi terreſtribus canibus dentẽ e cœlo infligere, morbos immittere, qui ſub eo naſcũtur homines fore, vt a rabioſis canib. mordeãtur, quis propterea exiſtimet, nobiſq; formidines ac μορμολύκεια opponat & intẽtet, donũ iam meum repetã, canẽq; haud amplius, ſed ψυδδίκιωνα vocem. Mitto, quæ de hoc cane narrantur, fabulas, quas ſi quis accuratius perpendat, hunc ipſum canẽ, Lyrã, Argo, ſexcenta alia, partim ab Ægyptiis portentis, vt docet περὶ ἴσιδος καὶ ὀσίριδος Plutarchus, partim etiã a Græcis poetis in cœlũ euecta eſſe comperiet, quorũ in exprimendis formis non minor quã in canina fatuitas deprehendetur. Nunquã tamen, vt video, deſinent μεγαλογεῖν ineptiſſimi ſcurræ, qui ſub lepore editos, venatores: qui ſub lyra, citharœdos futuros (alia prætereo) pugnãt ac contendunt: cũ nulla ſit interim lyra, nullus mehercule lepus. Cumq; nonnullæ hac ætate necẽ mortalibus inferant peſtes, non multos abhinc annos exortæ, eas quoq; ſiderũ vi irrepere docẽt: ab his itaq; ſtellæ atq; aſtra inuenta, quæ glande plũbea milites trucidarent, plus ſex annorũ millibus innocua: reperta & alia, quæ Neapolitana ſcabie (imo Indica, quam *puam* ea gens appellat) corpora implicarẽt, ea fortaſſe, quæ colũ & mentagrã nouas ægrotationes olim excitarunt. Quæ ſi quis recipiat atq; admittat, quantum a veritate rectoq; iudicio declinet, poſteris diſcutiendum relinquo.

Martialis declaratur.

CAPVT XXIX.

INterea quæ peſſime olere ſolẽt, *ieiunia ſabbatariorum*, hoc eſt, Iudæorum, die ſeptimo ab omni opere ferientium, enumerat *lib.*4. Martialis. Sabbatoriorũ porro, riſus aucupandi gratia poſitum eſt: quaſi quæ ieiunant ceteræ nationes, grauẽ animã nõ exhalent. id quod a Græcis νηστείας ὄζειν vocatur, vt docet legimento

Problemat.12 quæstion.7. hunc poetæ nodum soluens Aristoteles. Idem *lib 6.* postremo Martialis, hoc rursus argumentum tractás, *os leonis* inserit, quod *libr. 11.* enarrat Plinius: *Anima leonis virus graue, vrsi pestilens.* Idem lib 2.

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit:
Hoc, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Quo disticho eos videtur insanos iudicare poeta, qui sibi manus adferant: quæ non tam facilis explicatu est quæstio, quam nonnulli autumant. quippe cum Cicero pro Cluentio, fortes viros mortem sibi ipsis in magnis doloribus cõsciscere dicat, & Æschines κατὰ κτησιφῶντος. Æschylus κρεῖσσον γὰρ &c. quibus Aristoteles libr. νικομαχείων γ. & libr. περὶ τῶν πεπονθότων τόπων ε. aduersatur Galenus: ἀνὴρ δ' οὐδεὶς μεγαλόψυχος, οὔτ' ἐπὶ λύπαις, οὔτ' ἐπὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα λύπης ἰσχυρότερα θανάτῳ περιέπεσεν. ὅτι γὰρ τόνος τῆς ψυχῆς, αὐτοῖς ἰσχυρός ἐστι τά τε παθήματα σμικρά. Quæ si vera sunt, haud amplius fortis Cato putandus, qui tamen ne moreretur, semet non interfecit (hæc enim inter se vehementer repugnant) sed vt liber ac Romanus, non Cæsaris mancipium e vita discederet, ne eius insolens supercilium tam bona in caussa victus intueretur, ne amissam ac prostratam funditus rempublicam videret, eamque a flagitiosis ciuibus per scelus occupatã. κρεῖσσον γὰρ (inquit Æschyl.) εἰσάπαξ θανεῖν, ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶν. Ceterum argumentum hoc secus ac Philosophi, tractat libr *de ciuitat. Dei 1.* D. Augustinus, & Lactant. *lib. de falsa sapientia 3. cap. 18. & 23. Mureti variæ lectiones 35. & Plato 31. in Phædone.*

Cælare.

CAPVT XXX.

ET cælatura, ait *lib. 2.* Quintilianus, quæ auro, argento, ære, ferro opera efficit. Nam sculptura lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea, quæ supra dixi, etiã complectitur. Quæ nominum differentia, tametsi ad vnguem non seruetur (quippe cum *lib. 36 cap. 12.* Plinius, fictilia templorum fastigia mira cælatura esse dicat) Cardanum tamen labi constat, qui *cælare*, cauam (vt eius verbis vtar) facere imaginem: *sculpere*, cum eam prominere facimus, significare arbitratur. *Artaba Medica*, modium Atticum conficit Polyæno. Rhemnio,

Artaba, cui superat modii pars tertia post tres.

Maris, decem valet choas Atticas Polyæno: aut, vt tradit Aristot. sex cotylas. Testularum suffragiũ, ὀστρακισμὸν notat. *Aera*, a Chronographis & astrologis temporum exordia vocantur. *Archiatri*, principum medici dicuntur, non *archiatri*, vt apud Iuliũ Firmicum perperam excusum est: vti *vrnatores*, pro *vrinatores*. Nam *nauegus* apud eũdem, Græcum est vocabulum, omnibus notum: apud eũdem Mercurius ipse *psopopactas* sæpe fecisse: castigandũ, expunctis *phopoctas* & *psephodectas*. auctor Suidas in voce ψηφολόγοι, &

ρι, & Pollux lib. 8. *Itiner*, a Manilio *iter* vſurpatur, & *itere* pro *Itinere* a Lucretio. Vocum harum interpretationem hic ideo ſubiunximus, quod de his quid ſentirem quidam Grammatici, vt ad eos ſcriberem, per literas nuper me rogarunt.

Homerus enarratur.

CAPVT XXXI.

O Δ' οὔτασεν ἠλιονῆα, ἱὸν φόρβαντος πολυμήλου, τόν ῥα μάλιστα ἑρμείας τρώων ἐφίλει. His verbis indicat Homerus, Mercurium ouium procurationem habere, earumque greges magis ac magis augere. Idem Iliad. α. ἀλλὰ κακῶς ἀφίει. τυπέσιν, ἀργία: καὶ αὐθαδῶς, καὶ παρὰ τὸ πρέπον. οἶνος vero αἴθοψ ab eo vocatur, οἷον (inquit Eustachius) ἐπικεκαυμένος τὴν ὄψιν, ἤτοι μέλας καὶ ἐρυθρὸς, καὶ ὁ θερμὸς, καὶ ἐκκαίων, παρὰ τὸ αἴθω. Plutarchus διαυγῆ καὶ λαμπρὸν explicare mauult aliud adfert Gellius lib. 17. cap. 8. & Athenæus lib. ια. Idem Odyſſ. γ.

> ὦ ξεῖνοι τίνες ἐστέ: πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα.
> ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἤ μαψιδίως ἀλάλησθε,
> οἷά τε ληϊστῆρες.———

His, quos tamen non citat, verſibus priſcis illis nec turpe, nec indecorum fuiſſe oſtendit, piraticam exercere, lib. 1. Thucydides. Apud eundem Odyſſ. μ

> ἐς πόντον προίησι βοὸς κέρας ἀγραύλοιο.

Nonnulli cum Polluce, βοὸς κέρας, βοὸς τρίχας enarrant. A quibus diſſentit Plutarch. in libr. cui titulum fecit, πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα. Cui videtur Euſtathius adſtipulari.

Bouem ac taurum Ioui immolari.

CAPVT XXXII.

Agamemnon, plerique alii apud Homerum, Ioui bouem immolant: nemo, quod ſciam, taurum. Id vero, ac fortuito canat poeta: ad huic deo, Troiano ſeculo ſacra facere huiuſmodi hoſtia piaculum eſſet, haud facile coniicere poſſum. Græcos enim Ioui aliquando taurum mactaſſe: vel vnus in quadam ad Libanium epiſtola Iulianus palam teſtatur: καὶ ἔθυσα τῷ διὶ βασιλικῶς, ταῦρον λευκόν. Perſas Xenoph. in Cyripæd. πρῶτον μὲν ἦγον τῷ διὶ ταύρους πάγκαλους εἰς τέσσαρας. Tractat hæc li. *Saturnal.* 3. *cap.* 10. Macrobius, vbi ex hoc Virgiliano carmine,

> *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.*

ſententiam ſuam parum ſtabilit: quod nos ex hoc Homerico Iliad. λ. ταῦρον δ' ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ ποσειδάωνι,

deſumtum arbitramur. Falluntur autem, qui Solitaurilia Græcorum τριττὺν fuiſſe putant. Illa enim ex ſue, oue, & tauro. Tacit. lib. 5. *Cum hic more Romano ſue, oue taurilia daret.* Liuius. *Inſtructum exercitum omnem ſue, oue taurilibus luſtrauit.* Quintilia. lib. 1. cap. 8. *Nam Solitaurilia tam perſuaſum eſt eſſe ex ſue, oue & tauro.* aut verre, tauro, ariete, & hirco: atque apud Athenienſes, ex ſue, ariete

riete, & hirco tantum, *vt docet Aristophanis commentator.* Neque tamen illud sacrificii genus, e Græco ritu ad Romanos emanasse negauerim. Hom. Odyss. λ *ῥέξας ἱερὰ καλὰ ποσειδάωνι ἄνακτι, ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον.* Consule Eustathium & Diodor. *lib. 5. biblioth.* Sunt porro qui apud Tacitum *solitaurilia,* & e contrario apud Liuium *Solitauribus.* aut *suouetaurilibus,* ac Quintilianum *Suouetaurilia* scibere malint.

MISCELLANEORVM LIBRI SEXTI & vltimi Finis.

CHRISTOPHORI RVFI

Antexegemata seu diuersæ explanationes scriptorum veterum, potissimum Aristotelis.

AD PETRVM VICTORIVM.

SCilicet ea est humani generis, sicut reliquorum, quæ infra Lunam sunt, omnium, natura, ea certa lex atque inuariabilis cõstitutio, vt summa omnia faciat licet, multis tamen nominibus incoata, nulla ex parte perfecta esse comperiatur. Nam quãquam hæc a summo illo rerum opifice Deo Optimo Maximo ex quadam sui parte æterna effecta est, atque Diuina, mortalis tamen, caducique corporis ratione, quod perpetuo fluxu labens nunquam vno eodemque statu consistit, argumento satis magno suam ipsius nobis indicat in omni genere imbecillitatem. Si etiam conuertat quis animum, atque omnes omnium ætatum, seculorumque homines mente circumspiciat, eorumque, si fieri posit, vitæ, doctrinarumque & artium studia cogitatione intueatur, vera perfectaque laude cumulatum sciet prorsus exstitisse neminem. Vt iam minus mirandum sit nostrorum etiam temporum præclarissimis ingeniis, summaque eruditione viros, dum in ea facultate versantur, quam ἐξηγητικὴν Græci dicunt, dormitasse nonnunquam, neque ita fuisse ad omnia perspicaces: cùm ne Argus quidem illud præstare potuerit, vt ipsum omnino nunquam somnus complecteretur. Atque hæc eo sane pertinet oratio, vt intelligant omnes non me contradicendi studio, neque quod quicquam de præstantissimorum hominum laude detractum voluerim adductum fuisse, vt *αὐτεξηγήματα* hæc conficerem. Illud potius quod vt verissimum est, ita optimo cuique persuasissimum esse optarim me, cum eorum libros attentiore cura legendos esse iudicarem, multaque præclare ab eisdem scripta fuisse animaduerterem, ferre deinde

re deinde non potuisse, vt horum egregia opera quibusdam quasi sordibus fœdata conspicerentur. Aliquot itaque locis studio, quam potui, maximo enixus sum, vt eos labentes subleuarem: ne præsertim ipsorum fidem, auctoritatemque secutos in ruinam secum fraudemque deducerent: vtque intelligeretur tandem, non esse, cur nostrum vsquam iudicium adhibere desinamus, rei ipsius rationem semper quantumuis literati hominis auctoritati præponentes. Hoc summum doctorem, & magistrum Aristotelem, hoc nobilissimos quosque Philosophos, hoc denique istos ipsos factitasse reperio. Omnes enim in eo elaborarunt (quod Crassi etiam apud Ciceronem præcepto vt faciamus admonemur) vt aliorum scripta nemini vni addicti, corrigerent, immutarent, refellerent, si possent. Qua ex re tantum abest, vt inuidiam odiumue sibi apud quenquam conciliarint, vt immortalem potius laudem apud omnes suo meritissimo compararint. Nam cum a natura homines, si modo sunt homines, ita instituti sint, vt nihil quam verum ipsum malint, illudque semper expetant, semper inquirant, ac inuestigent, illud vnaquaque in re ament, amplectantur, carissimumque habeant, illius denique desiderio flagrent incredibili: quales tandem iis habebimus gratias, qui sua opera suisque vigiliis, etsi illud fortasse non consequuntur semper, contendunt certe, vt falsis mendaciis obrutam veritatem in apertissimam lucem producant? Quod si ita est, nec mihi etiam vitio vertendum esse puto, qui istuc ipsum facere aggressus fui, maiore fortasse fiducia, quam effectu, animo quidem certe candidissimo, & ab omni obtrectandi studio, vt qui maxime, alieno.

Quod si quis tamen rem, aliter atque est accipere voluerit, quoniam ita facti sumus plerique, vt nostra fere ita vehementer amemus, vt vitia etiam nos interdum delectent; quando ille adest murus aheneus, neque vlla vexat animum conscientia, haud sane magnopere commouebitur Hippoclides. Si qui etiam in eo me accusabunt, quod solus eruditiorum munus, ad quos hæc quasi censura spectasset, vsurpare mihi videar, neque enim ἡμῖν τοῦτ' ἀνδρῶν κλέος ἐστὶν, totam ego accusationem istam, vt iniquam & inanem contemnam & irridebo. Namque illud primo notissimum est, in medio palmam positam esse omnibus: dicam esse deinde quod sibi gaudeant potius, actumque secum esse præclare fateantur, quam mecum de mea ingenii literarumque tenuitate expostulent, aut conquerantur. Nam si ego non eruditissimus aliqua potui in eorum scriptis reperire, quæ minus recte se haberent, quid? quanto plura doctiorem, acutioremque virum credendum est proferre potuisse? quanto omnia commodius explicare atque vberius? Quin potius ista me ratio vehementius ad hoc suscipiendum certamen

excitauit, atque accendit: cuius vter tandem exitus futurus esset, non tam turpe esse mihi perspiciebam, si alicubi inferior essem, quam si cum tantis viris contendissem, laudabile atque decorum. Qui vero totam hanc scribendi rationem serie rerum minime continenti vituperabunt, ex iis ego, ne complures enumerem tum veterum, tum recentium, in hisque teipsum & Politianum nostrum (at quos viros) qui in hoc genere summa cum laude versati sunt, libenter quæsierim, quidnam de Galeno ipso sensuri sint, qui integrum libellum etiamnum exstantem conficiendum sibi duxit, vt Aristotelis locum vnum duntaxat de Sophisticis Elenchis, quod is ab aliis antea aut non bene, aut non plene explicatus esset, melius ipse ac fusius interpretaretur. De mittendo autem libro non Lucilii mihi, non Crassi visum est sequi sententiam: quorũ alter librũ suũ legi nolebat a doctissimis: orationem alter suam non intelligi, quam reprehendi malebat Themistii magis exemplo (quanquam pagina iudicium docti subitura veretur) ad te eruditissimum virum mittere placuit: apud quem vitia errataque omnia in occulto esse cum non possiat, maximum quid assecutum me putabo, si tuo potissimum beneficio nosse me ipsum aliqua ex parte didicero. Laus vero si qua (quod Deus velit) abs te laudatissimo viro proficiscatur, tuo testimonio confirmatus hoc quod reliquum est itineris, quod profecto multum est, conficere multo alacrius enitar. Ad ista vero τὰ οὕτω χρυσόμαλλα, vt Diogenes appellabat, caussæ nihil esse videbam, quamobrem hoc quicquid est libelli mitterem. Dici enim vix possit, quam me ineptiæ istæ inanesque opiniones non delectent. Sed hæc hactenus. Incipiam itaque: Tu vero ὑπεράγαμαι, ἐπεὶ φίλος ἔπλεο μείζους.

Demosthenes περὶ εἰρήνης.

Τὴν δὲ θηβαίων πόλιν * διοικεῖν.] Demosthenis (vt ab omnium nobilissimo oratore nostra hæc exordiatur oratio) locus est in ea, quam de pace conscripsit, oratione, nullo pacto integer, sed mendosus omnino, & mire deprauatus. Ex quo minus iam mirandum est, complures, eosque, qui aliquo eruditorum numero censeantur in eo explicando lapsos fuisse, atque ineptas quasdam, & quæ vllo modo consentaneæ esse non possent, attulisse interpretationes. Bracchus Placentinus certe, qui hanc orationem Latinam a se factam edidit, non admodum sagax hoc loco fuit, qui verterit, *Vt Thebanorum ciuitas in optimo statu constitueretur.* Aliquot etiam Bononiæ nominis in literis quidem Græcis haud obscuri, ad quos ipse de loco, vt eorum exquirerem sententias, retuleram, ii quoq; misera quadam, & importuna religione impediti, receptam lectionem immutare non audebant: quam tueri dum conantur, quam sint ea fatua, quæ afferunt, quamque a Demosthenis sententia, & abs toto hoc loco aliena & discrepantia, non intelligũt.

Nam

Nam quam hostili inter se animo fuerint Athenienses & Thebani, cum aliunde sciri cognoscique potest, tum ex iis, quæ in prima Olynthiaca hic ipse dixit orator: *αὖθ' ἐκεῖνα Φίλιππος λάβῃ, τίς αὐτὸν ἐπικωλύσει δεῦρο βαδίζειν; Θηβαῖοι; μὴ λίαν πικρὸν εἰπεῖν ᾖ, καὶ συνεισβαλοῦσιν ἑτοίμως.* Quis iam non videat aperte dum ipse Philippus Athenienses polliceri cupiebat, non eum debuisse commodum vllum a se profecturum in Thebanos polliceri, quin damnum potius ad detrimentum aliquod, quo ipsis gratificaretur magis? Sententia itaque non nisi ineptissima & falsa prorsus ex ista lectione elici potest. Verba quoque ipsa reclamant, neque pati illud præsens tempus possunt inter quatuor futura. Hæc mihi tum summa diligentia curaque adhibita consideranti placuit tandem, vt locum adiuncta tantum syllaba restituerem, *διοικιεῖν*que futurum Atticis & Demostheni ipsi vsitatissimum efficerem: qua ex re sententiam, tempora, reliquaque omnia conuenire, & concinna, aptaque mirum in modum reddi perspiciebam. Conuersio præterea Oetingensis cuiusdam, quæ,* *Dissipaturum* habet, vt constantius in hoc proposito permanerem faciebat. Sed ea quoque non plane mihi dubitationem adimebat, quod cernebam ibi etiam locum esse asterisco notatum. Quare amplius mihi quærendū cum censerem, egi cum optimo adolescente meo familiari Ænea Desiderio, vt is per epistolam præceptorem suum Franciscum, virum in paucis eruditissimum, quique iure optimo bonarum literarum quidam quasi portus habeatur, quid ille hac in re sentiret, percōtaretur. Hic vt virum summo ingenio, præstantissimoque iudicio decuit, his ipsis verbis respondit: *Quel διοικεῖν a giuditio mio si ha da leggere διοικιεῖν, da διοικίζω, che vuol dire, disunire, e smembrare vna Citta in piu parti per debilitare le sue forze:* sic ille. Verum, quia non desunt fere vnquam qui vni sibi sapere videantur, ceteros pro nihilo habeant, vel, Demosthene, teste horum peruicacem impudentiam conuincamus. Is enim in luculentissima oratione *περὶ πρεσβείας* ferme ad extremum de eadem re eodem verbo vsus ita ait: *αὐτὴ δὲ τοῦ τὰς Θήβας ταπεινὰς γενέσθαι καὶ περιαιρεθῆναι τὴν ὕβριν καὶ τὸ φρόνημα, τὰ τῶν συμμάχων τῶν ὑμετέρων Φωκέων τείχη κατεσκάπτετο. Θηβαῖοι δ' ἦσαν οἱ κατασκάπτοντες, οἱ διοικισθέντες ὑπ' Αἰσχίνου τῷ λόγῳ.* Ecce itaque quam sibi ipsi verum, quod plus vno esse non potest, vndequaque consentiat.

Demosthenes περὶ Χερρονήσου.

Τίς οὖν ἡ ταύτης περιουσία, τῶν φόβων ἀφῃρημένων καὶ τῶν κινδύνων τοῦ βουληθέντος αὐτὴν ἀδικῆσαι;] Quid hoc loco declaret *περιουσία*, quę sit verbi vis, non assecuti sunt magistri quidam Bononienses, qui pro Facultate accipiunt, exponentes deinde *ταύτης*, nempe *δίκης*; de qua dudum facta mentio fuerat. Sed ne Vuolfii quidem recta est hac in parte tralatio. *Prærogatiuam* enim ipse vertit. Nos autē in eum potius sensum accipimus, vt conseruatio Cheronesi hoc

nomine, & salus significetur. Quam sententiam præterquam quod reperio, Budæo quoque probari in Commentariis, dum quid valeat apud Græcos totum hoc, ἐκ περιουσίας explicat. accedit vt ipsius etiā Demosthenis verba superius paulo posita & eodem pertinentia aperte confirment: ea sunt, αὖ τίνος αἴτι Φωκέων καὶ πολλῶν κ τῶν ἄλλων τῶν ἀπολωλότων χέῤῥονησ⊕, ὡς περίεσι τῇ πόλει λέγω, περὶ διὸς καὶ θεῶν μὴ ἀποδέξησθε. περιεῖναι porro hanc vim habere notius est, quam vt multis sit adstruendum exemplis. quare vno tantummodo contenti erimus, sumto ex Appiano Alexandrino ἐμφυλ. α΄. οὐκ ἐλπίζων δ᾽ ἔτι τὴν πόλιν περιέσεσθαι, quod est, *Desperata vrbis salute & incolumitate.*

Demosthenes περὶ παραπρεσ.

Καὶ παραγγελία γέγονεν.) Illud fermè omnes constanter tenent, παραγγελίας nomen patere etiam ad ambitum, proque prehensatione & precibus vsurpari: quod ipsum negari non potest. propriè autem, primoque & præcipue in ea re poni verbum hoc, id vero non ita facile concedendum esse videtur. Nam, quia παραγγέλλειν εἰς ἀρχὴν apud probatissimos scriptores in vsu est, pro, Nomen suum profiteri in petitione magistratus, qua in re preces plurimum & prehensatio, summum denique studium adhiberi solent: fit vt pro his ipsis rebus propriam verbi significationem consequentibus ponatur nonnunquam: vt in suo Sophista a Themistio etiam factum est aptissime. ἐμοὶ δὲ, inquit ille eius orationis initio, ἐδ μὲν δοκεῖ εἶναι, καὶ πολλοῦ ἄξιον ἄκουσμα, ἔπαιν⊕ ἄδολ⊕ καὶ ἀληθινός, ὁποῖος ὁ παρ᾽ ὑμῶν ἀπαντᾶ μοι ἀεὶ αὐτοκέλευστος, καὶ αἱ δὲ παραγγελίαι: cum tamen illa prior sit vera vis ac germana verbi. Id quod in promtu est vt intelligatur & apud Plutarchum referente Budæo, & apud Appianum Alexandrinum, tum aliis quamplurimis in locis, tum Ciuilium primo: sic enim de C. Graccho loquitur: πολλῶν δ᾽ αὐτοῦ καταφρονούντων ἐν τῷ βουλευτηρίῳ παρήγγειλεν ἐς δημαρχίαν. Et paulo infra, κ γάρ τις ἤδη νόμος κεκύρωτο, εἰ δήμαρχος ἐνδέοι παραγγελίαις, τὸν δῆμον ἐκ πάντων ἐπιλέγεσθαι. In quo sane posteriore nulla ne suspicio quidem precum & prehensationis esse potest. Ex hoc item vsu forensi illud, ἐκ μειρακίων εἰς ἄνδρας παραγγέλλειν, quod a Polluce etiam recensetur, ortum, deductumque crediderim: quo declarabatur aliquis sumta iam toga viriles actiones profiteri. Quare homines certi, qui Demosthenis explicationem profitentur, viderint ipsi quam laute oratorem accipiant.

Homerus Iliad. μ΄.

Κρόσσας μὲν πύργων ἔρυον, καὶ ἔρειπον ἐπάλξεις.) Frigere nobis non parum videtur scholiastes, qui hunc locum ita reddat. πύργων ἔρυον αὐτὶ τοῦ ἐπὶ τοὺς πύργους εἷλκον. παρετίθεσαν. Quid est vim afferre verbis, si hoc non est? Quis vnquam tam dure loqui audeat? An non præterea pugnat maxime secum, dicere Troianos scalas applicare ad

ad turres, eosdem summa deinde vi turrium labefactare fundamenta: Homerus enim hoc ait,

> στήλας τε προβλῆτας ἐμόχλεον ἃς ἄρ᾽ ἀχαιοὶ
> πρώτας ἐν γαίῃ θέσαν ἔμμεναι ἔχματα πύργων.

At κρόσσαι (vt forcasse dixerit aliquis) scalas declarant. At κρόσσαι, teste Suida, dicuntur etiam αἱ τῶν ἐπάλξεων στεφάναι, οἱονεὶ κεφαλίδες. In quo vsu & hic accipi debent: cum præsertim appareat, verbum quoque ἐρύειν non pro ἕλκειν positum esse ab Homero, sed pro, *diruere*, atque *euertere*. Nam inquit paulo post, non de turribus, sed de lapidibus illis ad fundamenta collocatis, quas στήλας ipse appellat, τὰς οἵγ᾽ ἔρυον. Atque his sane argumentis nos adducimur, vt scholiastæ interpretationem improbemus.

Aristoteles Ethic. Nicoma. 2.

Διὸ δεῖ τὸν στοχαζόμενον τοῦ μέσου, πρῶτον μὲν ἀποχωρεῖν τοῦ μᾶλλον ἐναντίου καθάπερ καὶ ἡ Καλυψὼ παραινεῖ, τούτου μὲν καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτὸς ἔεργε νῆα.) Multis modis peccauit ἄρρητ☉ ille Chiliadum auctor, dum in prouerbio, *extra fumum & vndam*, explicare voluit hunc locum. sic enim inquit: *Aristoteles indicat esse verba Calypsus adhortantis Vlyssem, vt neque nimium littori vicinus nauiget, fumum fecutus, neque se profundo credat pelago: quod sibi periculum sit a saxis & vadis, hic ab vndis: Argyropylus autem interpres ea verba tribuit Circe, quod secutus nescio.* Hactenus ille. Cuius explicatio quãtum absit ab Aristotelis consilio, nemo est omnium, quin intelligat, qui paulum modo attendat ad verba Philosophi. Is enim sine aliqua controuersia illud docere voluerat, vitandum esse, semperque fugiendum vitiosius extremum. Nam minus errabit, si quis medium cupiens attingere ad id declinet extremum, quod non ita longe a virtute recedat; quam expositionem & præcedentia verba postulant, & confirmant sequentia, quæ sunt: τῶν γὰρ ἄκρων τὸ μὲν ἐστὶν ἁμαρτωλότερον, τὸ δ᾽ ἧττον. Lapsus est igitur, qui Aristotelem nõ sit ea in parte assecutus. Non recte etiam illud dixit, quod ad præcepta Vlyssi tradita apud Homerum attinet. Namque id admonitus est Vlysses, cum illi inter Scyllam & Charibdim, duos periculosissimos scopulos, cursus dirigendus esset, vt summo studio contenderet, ne ad magis periculosum fluctibus abrepta nauis delaberetur. Quod ex ipsius Poetæ carminibus Odysseæ μ' luce clarius patet:

> ἀλλὰ μάλα Σκύλλης σκοπέλῳ πεπλημένος ὦκα
> νῆα παρὲξ ἐλάαν, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτερόν ἐστιν
> ἓξ ἑτάρους ἐν νηῒ ποθήμεναι, ἢ ἅμα πάντας.

Atque ex eo etiam loco, vnde carmen attulit Aristoteles, manifesto idipsum cognoscitur. In hunc enim modum ab Homero scribitur eodem libro:

> τούτου μὲν καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτὸς ἔεργε
> νῆα, σὺ δὲ σκοπέλου ἐπιμαίεο, μή σε λάθῃσι

Κεῖς ἐξορμήσουσι, καὶ ἐς κακὸν ἀμμι[illegible]

Auget postremo tanti viri crimen, quod is se scire negarit, quid ita fecerit Argyropylus, vt ea verba Circe tribueret. Secutus est enim vir dignissimus, cui vniuersa Italia in perpetuũ debeat quippe qui alter Triptolemus bonarum literarum semina in nostras has terras importarit, secutus, inquã, est Argyropylus interpretis auctoritatem primo, siue is Aspasius fuerit, siue alius quiuis, qui quidem in eum locum sic scribit: τὰ ἔπη ταῦτα ἡ κίρκη δοκεῖ λέγειν πρὸς τῷ ποιητῇ, οὐχ ἡ καλυψώ. Res deinde apud Homerum eo loco per se ipsa constat. Sociis enim narrat expresse Vlysses ea se præcepta & admonita a Circe habere. Postremo eiusdem libri in calce ante intelligitur Vlysses ea habuisse præcepta, quam ad Calypso peruenire. Ait enim de seipso: ἔνθεν δ' ἐννῆμαρ φερόμην, δεκάτῃ δέ με νυκτὶ νῆσον ἐς ὠγυγίην πέλασαν θεοί, ἔνθα καλυψὼ ναίει ἐϋπλόκαμος. Quam itaque negligenter in re illa tractanda homo se gesserit, his omnibus rationibus satis probatum fuisse credimus.

Ouidius Metamorpho.

Nec formidatis ceruos includite pennis.]

Regius, is qui diuinissimum hoc opus suis commentariis egregie illustrauit, credo assiduitate laboris defatigatus, diligentiam, qua vna literarum studia constant, non satis ad extremum seruauit existimauit. Nã vocẽ integrã & incorruptã sibi immutandã esse duxit, proque ea *Formidantis* legendum. Ac cum semel cœpisset, ad eum errorem labitur, vt *pennis* pro sagittis, exponat qua in re fallitur magnopere. Namque Ouid. venatorum artem quãdam in captandis ceruis intelligere voluit: quam adhuc planius XII Æne. expressit poeta his carminibus:

Inclusum veluti si quando flumine nactus
Ceruum, aut Puniceæ septum formidine pennæ
Venator cursu canis, & latratibus instat.

Quæ sane non venisse illi in mentem cum ea scriberet, mirandum est: ac multo etiam magis, quod de eadem re in tertio quoq; Georgicorum sic fiat mentio:

Puniceaue agitant pauidos formidine pennæ.

Lucianus ἀλεκτρυόνι.

συνεχὲς ἐπισκοπῶν ὁπόσους ὁ γνώμων τὸ στοιχεῖον ἔχει.] Enimuero nemo tam Lynceus est, quin quandoque offendat: & somnus nonnunquam alioquin vigilantissimis viris obrepit. Nam quid aliud existimare debemus de illo Chiliadum auctore, nisi eum dormitasse, & otiose mehercule, dum hunc Luciani locum verteret? hic enim reddit; *Dum subinde respicio quot pedes in gnomone index haberet litera.* Quorsum hic de litera? Quid opus fuit gnomone? Referres te, bone vir, ad egregium scriptorem Iulium Pollucem: quæque is de stœchio Onomastico suo mandasset, studiose obseruares. Sed ne multis, ea quæ scribit Pollux in primo ad hunc ferme modum se habent:

se habent: ἐγὼ δὲ καὶ ἡμιώβολον, σημεῖον, ὡς μένανδρος, ὀνομάζετο παρὰ τοῖς παλαιοῖς. καὶ ἐπὶ σκιᾶς δὲ ἐδηλεῖτο. οἷον δεκάπους ἡ σκιὰ, καὶ ἑνδεκάπους. Sed idem adhuc longe explicatius libro VI. τῇ σκιᾷ δὲ ἐτεκμαίροντο τὸν καιρὸν τῆς ἐπὶ τὸ δεῖπνον ὁδοῦ, ἣν καὶ στοιχεῖον ἐκάλουν, ὥστε δέοι πορεύεσθαι, εἰ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον εἴη. An non luce clarius iam est, quid sibi Lucianus voluerit? Verum verbis etiam grauissimorum testium Suidæ & Athenæi idipsum comprobare non grauabor: quorum alter sic ait, eo loco, vbi quid esset antiquis δεκάπους σκιὰ declarat. Τὸ παλαιὸν οἱ καλοῦντες ἐπὶ δεῖπνον, καὶ καλούμενοι παρεσημαίνοντο τὴν σκιάν, mox ex Aristophane hæc profert, σοὶ δὲ μελήσει ἔσται ἡ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον λιπαρῶς χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον: quæ ipse exponens subiungit, περὶ ἡλίου τροπάς φησι τουτέστι, τοῦ ἡλίου ἡ σκιὰ ὅταν ᾖ δεκάπους, ἤγουν ὅτε γίνεται ὀψινόν. Athenæus vero ὁ δειπνοσοφιστῶν primo verba quædam ex Eubulo Comico refert huc mirandum in modum spectantia, quæ sunt ἐν φασὶ παραλληφθέντ' ἐπὶ δεῖπνον πρός φίλου τινὸς, εἰπόντος αὐτῷ τοῦ φίλου, ὁπηνίκ' ἂν εἰκοσίποδος μετροῦντι τὸ στοιχεῖον ᾖ, ἧκεν ἕωθεν αὐτὸν εὐθὺς ἡλίου μακρεῖν ἀνίσχοντος. καὶ ἐγρηγορὼς ὁ ουσης ἐπὶ πλεῖν ἢ δυοῖν ποδοῖν παρεῖναι τῆς σκιᾶς.

Lucianus ἀλέκτρυ.

καὶ στρατιὰ ἦν πολλὴ καὶ ἵππος συγκεκροτημένη.] Locum hunc sic Latinum fecit Chiliadum auctor; *Ad hæc equa spectatissima, atque excellens, satellitum haud exiguum.* Si pro, *Equa*, equitum copias intellexit, quod nequit vllo pacto consistere, recte omnino conuertit. Nam ἵππος in genere fœminino pro, *equitatus*, vsu patuit: nemo negat. Sin is vnam aliquam equam, vt videtur, significare voluit, iure hac in parte cum sua interpretatione reiicitur.

Homerus Iliad. ξ'.

στῆσ' ἐξ οὐλύμποιο κατ' ἀπὸ ῥίου.] Doctissimus interpres, nescio quid ita, ἀπὸ ῥίου, reddidit ἀπὸ τοῦ ἀκρωτηρίου τοῦ ὄρους, arbitratus scilicet de montis alicuius cacumine loqui hic Poetam: cũ ex sequẽtibus carminibus facile sit videre in cœlo tum fuisse Iunonem: siquidem ingredientem eam facit Homerus in cubiculum, expolientem se ac comentem, vestesque mutantem, vnguentis denique illinentem os totum sibi, vt his illecebris Iouem facilius ad concubitum pelliceret: quarum rerum nullam in monte fieri consonum est. De cœli itaque vertice ego intelligendum esse credo, vt id fecisse dicatur ab Homero Iuno, quod fecit Iupiter apud Vergilium, qui, *Vertice cœli Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.* In τ'. planius adhuc tota hæc res cognoscitur, eo carmine.

ἥρη δ' ἀΐξασα λίπεν ῥίον οὐλύμποιο.

Vbi iisdem verbis vtitur Homerus, cum manifestissime Iuno deprehẽdatur esse in Cœlo cum reliquis diis, ad quos vniuersos tum Iupiter locutus fuerat.

κέκλυτέ μευ πάντες τε θεοὶ, πᾶσαί τε θέαιναι

Ille tamen eo etiam loco ῥίον, ὄρους ἀκρωτήριον pergit interpretari.

Sed nequicquam omnia. nam in θ' vis nominis apertissime percipitur.

σφῆν μὲν καὶ ἔπειτα περὶ ῥίον [illegible]

Aristoteles Physic.

δῆλον δ' ὅτι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῦτ' ἔστι τὸ ἐν χρόνῳ εἶναι, τὸ μετρεῖσθαι αὐτῶν τὸ εἶναι ὑπὸ τοῦ χρόνου.] Quanti sit ad sententias saepe in summis Philosophis assequendas diligens illa & minuta verborũ pensitatio, animaduersioque, atque obseruatio, satis superque indicarunt hoc loco clarissimi interpretes Simplicius, Philoponus, & Vicomercatus, qui seu quadam, nec vera impulsi ratione, cómmodissimam & rectam Alexandri ἀπόδοσιν repudiarunt, & longe a [illegible] ipsi nullo modo ferendas commenti sunt. Verum si in Aristotele animaduertissent (quod abs te in eiusdem Rhetorica factum est diligentissime quatuor fere locis) solere saepe δὲ particulam vim suam amittere, & cuiusdam ornatus gratia tantummodo poni: nae illi tantas nunquam non excitassent turbas; id quod non ardui admodum neque [illegible] esse potuisset. Nam praeter ea, quae abs te iam obseruata sunt, est in libro περὶ ἑρμηνείας locus, in quo commune [illegible] habet. Locus autem hic est, *ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὰ μὲν καθόλου τῶν πραγμάτων, τὰ δὲ καθ' ἕκαστον. λέγω δὲ καθόλου μὲν ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι, καθ' ἕκαστον δὲ, ὃ μὴ, οἷον ἄνθρωπος μὲν, τῶν καθόλου, Καλλίας δὲ τῶν καθ' ἕκαστον, ἀνάγκη δὲ ἀποφαίνεσθαι ὡς ὑπάρχει τι ἢ μὴ, ὁτὲ μὲν τῶν καθόλου τινὶ, ὁτὲ δὲ τῶν καθ' ἕκαστον.* Alibi quoque idem facit Aristoteles, vt in Meteorologicis; ait enim, *ὅσα μὲν οὖν ὑπὸ ψυχροῦ τῶν κοινῶν γῆς καὶ ὕδατος, πλέον ἔχοντα γῆς τὰ μὲν τῷ θερμῷ ἐξεληλυθέναι πηγνύμενα, τήκεται θερμῷ, εἰσιόντος πάλιν τοῦ θερμοῦ, οἷον ὁ πηλός, ὅσα δὲ διὰ ψύξιν καὶ τοῦ θερμοῦ συνεξατμισθέντος ἅπαντος, ταῦτα δ' ἄλυτα [illegible] ἀλλὰ μαλάττεται, οἷον σίδηρος καὶ κέρας.* Et inferius aliquanto, *ἐπεὶ οὖν [illegible] ὕδατος [illegible] ἔνια δὲ καὶ κοινά, οἷον κέρας. ὅσα δὲ ὑπὸ [illegible] ταῦτα [illegible] γῆς.* quod omnino δὲ praetermissa *ταῦτα γῆς* dici potuit. Neque vero apud Aristotelem solum, sed & apud Homerum interdum eodem modo vsurpari solet particula haec, vt eo loco,

ἕως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν

ἕλκετο δ' ἐκ κολεοῖο μέγα ξίφος, ἦλθε δ' Ἀθήνη οὐρανόθεν.

Iulius Pollux Onomast. lib. 9.

[illegible]] Locus [illegible] vtilissimus ad intelligenda veterum scripta, ita germina [illegible] quae tamen non ita magno negotio elui possit, si quis animum attendat, inquit [illegible]. Nam necessario post illud [illegible] verbis, καὶ [illegible] comes

[illegible] sua appareat explicatio, quæ est, ἡ δύο ἥμισυ, sicut ceterorum, quæ proposita sunt. Inferius quoque pro ἐὰν μὴ legendum est ἐὰν [illegible], quam lectionem & sensus & subsequens particula [illegible] abunde [illegible]. Gualterus tamen, qui hunc scriptorem de Græco in Latinum conuertit, vt in plerisque, sic & hoc loco, [illegible] nimis, ne dicam imperite se gessit. Maxime enim insignis locus est, qui [illegible] plurimum conferat voluendis veterum monumentis, ea propter non fuit ita tractandus negligenter. Quem quidem si Laurentius Valla animaduertisset, numquam ἡμιτάλαντον τὸ τρίτον, duo talenta cum dimidio, vertisset. Namque longe aliam docet rationem Pollux, cum quo facit & Suidas eo loco, vbi dictionem [illegible] exponit. Atque eo libentius facio, vt eius verba huc transferam, quod cum mihi corrupta esse videantur, possunt facillime ex hoc [illegible] loco in integrum restitui, ea sunt; [illegible] ἡμιτάλαντον, καὶ πέμπτον ἡμιτάλαντον, καὶ [illegible] ἥμισυ καὶ τὸ ἕβδομον ἡμιτάλαντον ἓξ ἥμισυ. καὶ ὅλως οὕτως [illegible] ἡμιτάλαντον, [illegible] τοῖς ταλάντοις. οἷον [illegible] ἥμισυ Restitutio in primis verbis sic facienda est [illegible] τρίτον ἡμιτάλαντον, καὶ πέμπτον ἡμιτάλαντον, δύο ἥμισυ, [illegible] ἥμισυ. Ita hic multa a superiore loco, ille etiam nonnulla ab hoc ad sui accipit instaurationem. Ceterum illud mihi [illegible] adiungere, quod alia omnino huius vsus ratio est, quum nomine ipso numerali, multitudinisque numero vtimur. Tunc enim dimidium tantum eius numeri significatur, qui per [illegible] exprimitur: quemadmodum ex Xenophonte [illegible] μισθὸν, inquit [illegible] ἔφερεν, αὐτὶ δαρεικοῦ τρία ἡμιδαρεικὰ [illegible]. Altero autem modo, [illegible] ἡμιδαρεικον dicendum fuisset.

Aristoteles Physic.

[illegible] τὸ [illegible] σῶμα τὸ [illegible]] Nemo non videt Philosophum nunquam sic ex abrupto fuisse aggressurum explicare, quid valeat apud ipsum, τὸ [illegible] σῶμα, nisi proxime his ipsis vocibus [illegible] fuisset. quam quoniam omnino nusquam [illegible], eas pro certo statuendũ est desiderari: cum præsertim & Ammon [illegible] vim atque naturam loci definitione assignans, eas ipsas [illegible] sic inquit, [illegible] τὸ πέρας τοῦ [illegible]. Huc adiungitur grauissima [illegible], qui locum mancum ibi videri dixit, atque ex Simplicii commentariis post illud [illegible] totum hoc, [illegible] addendum esse censuit.

Aristoteles de anima.

[illegible] ψυχικόν. [illegible] ὁ λόγος]

Digitized by Google

rionibus tractantem: *Corbitæ* (non *cornitæ*) lenunculi (non *remunculi*) actuariæ, quas Græci πέρπλεις vocant, vel ἐπακτρίδας (non, ἱππους vocant, vel ἱππαγωγίδας) & prosumiæ (non *prumiæ*) restituendum existimo.

Homeri loca.

CAPVT XXVII.

HOmerus Iliad. ε ac λ. χαλκὸν νώροπα appellat. ἐκ τοῦ νῦ στερητικοῦ, καὶ ἀργῶν, καὶ τοῦ ὤψ, vt tradit Eustath. Ea vox splendidũ omnino significat: splendor autem ferri & armorum oculis caliginem solet offundere. Nec me ab hac opinione dimouet lib. *Sympos. 3. segmento 10.* Plutarchus, subtilior hac in parte, cum nihil opus sit, scholiastes: eaq; sane in medium afferens, quæ nunquam οὐδ' ὄναρ suspicatus est Homerus. Explodẽdus est pariter Stephanus, νώροπα χαλκὸν, a Noraco Pannoniæ oppido nomen inuenisse existimans. Idem porro Stephanus in vocabulo αἴγειρα. sic ait: παυσανίας δ' ἐν ἠλιακῇ. τὴν ὑπερησίαν αἴγειραν μετονομάζει, ἣν ὅμηρος πυρεσίαν φησί. Castigo, ὑπερησίην. Homer. in Bœotia:

οἵ θ' ὑπερησίην τε, καὶ αἰπεινὴν γονόεσσαν.

Eustathius, ὑπερησία δὲ, πόλις φασὶν ἀχαΐας. ἀπὸ ὑπερήσους ὀνομασθεῖσα ἡλίου λυκαίου. οἱ δὲ καλοῦντες αὐτὴν ὑπέρειαν, κακῶς εἶπον.

Canes calore ac siccitate in rabiem inflammari.

CAPVT XXVIII.

CAnis siccissimum animal, sub cane astro in rabiem aliquãdo inflammatur, vehementi scilicet calore affectum atque oppressum. Posidonius. οἱ κύνες θερμοὶ καὶ ξηροὶ φύσει τυγχάνοντες, ἐπειδὰν καὶ τὸ θέρος ἐκ τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος, ἐπίσαν θερμότητα καὶ ξηρότητα, εἰς ἀμετρίαν τῆς δυσκρασίας ὑποπίπτουσι μανίαν, ἣ καλεῖται λύσσα. Qui canis sideris ἀπορροίαις id contingere scribunt, patientia nostra valde abutuntur. Eos equidem libenter percunctarer. Quid est, cur canis ille cœlestis, hos nostros terrestres, quibus nihil nocet Cerberus, male mulctet? Plinius *lib. 32 cap. 5.* nihil æque aduersari serpentibus, quam cancros, perhibet: ideoque cum sol sit in cancro, torqueri serpentes. Hoc ego tametsi ridiculũ putem, minus tamen absurdum est, cancrum, serpentem infestam sibi bestiam vlcisci, quam canem in sui generis animalia sæuire. Cui porro mirum non videtur, cancros tot passuum millibus ab anguibus remotos, eis aduersari: canesq; tanto a nostris interuallo distitos, adoriri, mortuq; appetere? Vnde tanta cœlo cum hoc animale discordia: est enim cœli pars sidus hoc, vt aries ὁ κριὸς, inquit Basilis, ἀφ' οὗ τὸ γλύνοι τοῦ αὐτοῦ πρώτου λαμβάνειν μέρος τοῦ μέρους ἐστὶ τῶν ζωδιακῶν. Si quando mundi διακόσμησις foret, aut nouum quempiam Timæus, vel Democriticæ atomi architectarẽtur, canemq; in mensem frigidũ atq; humidũ relegarẽt: tum nequaquã ipsum insaniam inferre, sed hanc præ nimio æstu ac siccitate cõtingere, facile appareret. Supra docui, alia quoq, animalia sub cane rabiẽ

senti-

ſentire, quæ nullas cum canibus inimicitias exercent, nullamque cum his vitæ ſocietatem habent, vt ipſis nec infenſi eſſe, nec inuidere debeant. Nunc, vt frigida gerronum commenta funditus labefactentur & concidant, procyonem nominetenus canem eſſe, ipſis mathematicis teſtibus, oſtendam. Procyon hic (*verba Hygini*) in lacteo circulo defixis pedibus æquinoctialem circulum attingit: ſpectat ad occaſum, vt inter geminos & cancrũ cõſtitutus: qui, quod ante maiorem canem exoritur, *Procyon* appellatus. Hic autẽ occidit exortu Capricorni cum Leone: & habet vnam ſtellam in capite, & aliam in pectore, in lumbo vnam. eſt omnino ſtellarũ numerus trium. Quid eſt, per deos immortales, quare tres ad hunc modum poſitæ ſtellæ Canis potius nominentur, quam lupus, vulpes, fiber, ſimia, felis, viuerra? nec enim ad canis propius imaginem q̃ ad horũ quampiam, quę ſupra retuli, animaliũ ſimilitudinẽ accedunt Imponẽdum fuit hoc aſtro nomẽ. Hoc ego non modo fateor, verũ etiam probo, atq; ita vocandũ cenſeo: ſed ea lege, vt ſi terreſtribus canibus dentẽ e cœlo infligere, morbos immittere, qui ſub eo naſcũtur homines fore, vt a rabioſis canib. mordeãtur, quis propterea existimet, nobiſq; formidines ac μορμολύκεια opponat & intẽtet, donũ iam meum repetã, canẽq; haud amplius, ſed ψωδόκιμα vocem. Mitto, quæ de hoc cane narrantur, fabulas, quas ſi quis accuratius perpendat, hunc ipſum canẽ, Lyrã, Argo, ſexcenta alia, partim ab Ægyptiis portentis, vt docet περὶ ἴσιδος καὶ ὀσίριδος Plutarchus, partim etiã a Græcis poetis in cœlũ euecta eſſe comperiet, quorũ in exprimendis formis non minor quã in canina fatuitas deprehendetur. Nunquã tamen, vt video, deſinent μεγαλογονεῖν ineptiſſimi ſcurræ, qui ſub lepore editos, venatores: qui ſub lyra, citharœdos futuros (alia prætereo) pugnãt ac contendunt: cũ nulla ſit interim lyra, nullus mehercule lepus. Cumq; nonnullæ hac ætate necẽ mortalibus inferant peſtes, non multos abhinc annos exortæ, eas quoq; ſiderũ vi irrepere docẽt: ab his itaq; ſtellæ atq; aſtra inuenta, quæ glande plũbea milites trucidarent, plus ſex annorũ millibus innocua: reperta & alia, quæ Neapolitana ſcabie (imo Indica, quam *puam* ea gens appellat) corpora implicarẽt, ea fortaſſe, quæ colũ & mentagrã nouas ægrotationes olim excitarunt. Quæ ſi quis recipiat atq; admittat, quantum a veritate rectoq; iudicio declinet, poſteris diſcutiendum relinquo.

Martialis declaratur.

CAPVT XXIX.

INter ea quæ peſſime olere ſolẽt, *ieiunia ſabbatariorum*, hoc eſt, Iudæorum, die ſeptimo ab omni opere ferientium, enumerat *lib.* 4. Martialis. Sabbatoriorũ porro, riſus aucupandi gratia poſitum eſt: quaſi quæ ieiunant ceteræ nationes, grauẽ animã nõ exhalent. id quod a Græcis νηστείας ὄζειν vocatur, vt docet ſegmento

Problemat.12 quæstion.7. hunc poetæ nodum soluens Aristoteles. Idem *lib 6.* postremo Martialis, hoc rursus argumentum tractãs, *os leonis* inserit, quod *libr. 11.* enarrat Plinius: *Anima leonis virus graue, vrsi pestilens.* Idem lib 2.

Hostem cum fugeret, se Fannius ipse peremit:
Hoc, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Quo disticho eos videtur insanos iudicare poeta, qui sibi manus adferant: quæ non tam facilis explicatu est quæstio, quam nonnulli autumant. quippe cum Cicero pro Cluentio, fortes viros mortem sibi ipsis in magnis doloribus cõsciscere dicat, & Æschines κατὰ κλησιφῶντος. Æschylus κρεῖσσον γὰρ &c. quibus Aristoteles libr. νικομαχείων γ. & libr. περὶ τῶν πεπονθότων τόπων ε. aduersatur Galenus: ἀνὴρ δ' οὐδεὶς μεγαλόψυχος, οὔτ' ἐπὶ λύπαις· οὔτ' ἐπὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσοι λύπης ἰσχυρότερα θανάτῳ περιέπεσον. ὅτι γὰρ τόνος τῆς ψυχῆς, οὗτοις ἰσχυρός ἐστι τὰ τε παθήματα σμικρά. Quæ si vera sunt, haud amplius fortis Cato putandus, qui tamen ne moreretur, semet non interfecit (hæc enim inter se vehementer repugnant) sed vt liber ac Romanus, non Cæsaris mancipium e vita discederet, ne eius insolens supercilium tam bona in caussa victus intueretur, ne amissam ac prostratam funditus rempublicam videret, eamque a flagitiosis ciuibus per scelus occupatã. κρεῖσσον γὰρ (inquit Æschyl.) εἰσάπαξ θανεῖν, ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶν. Ceterum argumentum hoc secus ac Philosophi, tractat libr *de ciuitat. Dei 1.* D. Augustinus, & Lactant. *lib. de falsa sapientia 3. cap. 18. & 23. Mureti varia lectiones 35. & Plato 31. in Phædone.*

Calare.

CAPVT XXX.

ET cælatura, ait *lib. 2.* Quintilianus, quæ auro, argento, ære, ferro opera efficit. Nam sculptura lignum, ebur, marmor, vitrum, gemmas, præter ea, quæ supra dixi, etiã complectitur. Quæ nominum differentia, tametsi ad vnguem non seruetur (quippe cum *lib. 36 cap. 12.* Plinius, fictilia templorum fastigia mira cælatura esse dicat) Cardanum tamen labi constat, qui *calare*, cauam (vt eius verbis vtar) facere imaginem: *sculpere*, cum eam prominere facimus, significare arbitratur. *Artaba Medica*, modium Atticum conficit Polyæno. Rhemnio,

Artaba, cui superat modii pars tertia post tres.

Maris, decem valet choas Atticas Polyæno: aut, vt tradit Aristot. sex cotylas. Testularum suffragiũ, ὀστρακισμὸν notat. *Aera*, a Chronographis & astrologis temporum exordia vocantur. *Archiatri*, principum medici dicuntur, non *archiacri*, vt apud Iuliũ Firmicum perperam excusum est: vti *vrnatores*, pro *vrinatores*. Nam *naupegos* apud eũdem, Grçcum est vocabulum, omnibus notum: apud eũdem Mercurius ipse *psopopactas* sæpe fecisse: castigandũ, expunctis *phopoctas* & *psephodectas*. auctor Suidas in voce ψηφολόγοι, &

ϑι, & Pollux lib. 8. *Itiner*, a Manilio *iter* vsurpatur, & *itere* pro *Itinere* a Lucretio. Vocum harum interpretationem hic ideo subiunximus, quod de his quid sentirem, quidam Grammatici, vt ad eos scriberem, per literas nuper me rogarunt.

Homerus enarratur.

CAPVT XXXI.

Ὁ Δ' εὔπεσεν ἠλιονῆα, ὡς φόβασεν πολυμήλυ, τὸν ῥα μάλιστα ἑρμείας τρώων ἐφίλει. His verbis indicat Homerus, Mercurium ouium procurationem habere, earumque greges magis ac magis augere. Idem Iliad. α. ἀλλὰ κακῶς ἀφίει, τυτέστιν, ἀργίας καὶ αὐθαδῶς, καὶ παρὰ τὸ πρέπον. αἴθοψ vero αἴθοψ ab eo vocatur, οἷον (inquit Eustathius) ἐπικεκαυμένος τὴν ὄψιν, ἤτοι μέλας καὶ ἐρυθρὸς, καὶ ὁ θερμὸς, καὶ ἐκκαίων, παρὰ τὸ αἴθω. Plutarchus διαυγῆ καὶ λαμπρὸν explicare mauult aliud adfert Gellius lib. 17. cap. 8. & Athenæus lib. ια. Idem Odyss. γ.

ὦ ξεῖνοι τίνες ἐστέ: πόθεν πλεῖτ' ὑγρὰ κέλευθα.
ἤ τι κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε,
οἷά τε ληιστῆρες.———

His, quos tamen non citat, versibus priscis illis nec turpe, nec indecorum fuisse ostendit, piraticam exercere, lib. 1. Thucydides. Apud eundem Odyss. μ

ἐς πόντον προΐησι βοὸς κέρας ἀγραύλοιο.

Nonnulli cum Polluce, βοὸς κέρας, βοὸς τρίχα enarrant. A quibus dissentit Plutarch. in libr. cui titulum fecit, πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα. Cui videtur Eustathius adstipulari.

Bouem ac taurum Ioui immolari.

CAPVT XXXII.

Agamemnon, plerique alii apud Homerum, Ioui bouem immolant: nemo, quod sciam, taurum. Id vero, ac fortuito canat poeta: ad huic deo, Troiano seculo sacra facere huiusmodi hostia piaculum esset, haud facile coniicere possum. Græcos enim Ioui aliquando taurum mactasse: vel vnus in quadam ad Libanium epistola Iulianus palam testatur: καὶ ἔθυσα τῷ διὶ βασιλικῶς, ταῦρον λευκόν. Persas Xenoph. in Cyripæd. πρῶτον μὲν ἦγον τῷ διὶ ταύρους πάγκαλος εἰς τέσσαρας. Tractat hæc li. *Saturnal.* 3. *cap.* 10. Macrobius, vbi ex hoc Virgiliano carmine,

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.

sententiam suam parum stabilit: quod nos ex hoc Homerico Iliad. λ. ταῦρον δ' ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ ποσειδάωνι,

desumtum arbitramur. Falluntur autem, qui Solitaurilia Græcorum τριττὺν fuisse putant. Illa enim ex sue, oue, & tauro. Tacit. lib. 5. *Cum hic more Romano sue, oue taurilia daret.* Liuius. *Instructum exercitum omnem sue, oue taurilibus lustrauit.* Quintilia. lib. 1. cap. 8. *Nam Solitaurilia tam persuasum est esse ex sue, oue & tauro.* aut verre, tauro, ariete, & hirco: atque apud Athenienses, ex sue, ariete

riete, & hirco tantum, *vt docet Aristophanis commentator.* Neque tamen illud sacrificii genus, e Græco ritu ad Romanos emanasse negauerim. Hom. Odyss. λ *ῥέξας ἱερὰ καλὰ Ποσειδάωνι ἄνακτι, ἀρνειὸν, ταῦρόν τε, συῶν τ' ἐπιβήτορα κάπρον.* Consule Eustathium & Diodor. *l. b. ε. biblioth.* Sunt porro qui apud Tacitum *solitaurilia*, & e contrario apud Liuium *Solitauribus*, aut *suouetauribus*, ac Quintilianum *Suouetaurilia* scibere malint.

MISCELLANEORVM LIBRI SEXTI & vltimi Finis.

CHRISTOPHORI RVFI

Antexegemata seu diuersæ explanationes scriptorum veterum, potissimum Aristotelis.

AD PETRVM VICTORIVM.

SCilicet ea est humani generis, sicut reliquorum, quæ infra Lunam sunt, omnium, natura, ea certa lex atque inuariabilis cõstitutio, vt summa omnia faciat licet, multis tamen nominibus incoata, nulla ex parte perfecta esse comperiatur. Nam quãquam hæc a summo illo rerum opifice Deo Optimo Maximo ex quadam sui parte æterna effecta est, atque Diuina, mortalis tamen, caducique corporis ratione, quod perpetuo fluxu labens nunquam vno eodemque statu consistit, argumento satis magno suam ipsius nobis indicat in omni genere imbecillitatem. Si etiam conuertat quis animum, atque omnes omnium ætatum, seculorumque homines mente circumspiciat, eorumque, si fieri possit, vitæ, doctrinarumque & artium studia cogitatione intueatur, vera perfectaque laude cumulatum sciet prorsus extitisse neminem. Vt iam minus mirandum sit nostrorum etiam temporum præclarissimis ingeniis, summaque eruditione viros, dum in ea facultate versantur, quam ἐξηγητικὴν Græci dicunt, dormitasse nonnunquam, neque ita fuisse ad omnia perspicaces: cum ne Argus quidem illud præstare potuerit, vt ipsum omnino nunquam somnus complecteretur. Atque hæc eo sane pertinet oratio, vt intelligant omnes non me contradicendi studio, neque quod quicquam de præstantissimorum hominum laude detractum voluerim adductum fuisse, vt ἀντεξηγήματα hæc conficerem. Illud potius quod vt verissimum est, ita optimo cuique persuasissimum esse optarim me, cum eorum libros attentiore cura legendos esse iudicarem, multaque præclare ab eisdem scripta fuisse animaduerterem, ferre deinde

re deinde non potuisse, vt horum egregia opera quibusdam quasi sordibus fœdata conspicerentur. Aliquot itaque locis studio, quam potui, maximo enixus sum, vt eos labentes subleuarem: ne præsertim ipsorum fidem, auctoritatemque secutos in ruinam secum fraudemque deducerent: vtque intelligeretur tandem, non esse, cur nostrum vsquam iudicium adhibere desinamus, rei ipsius rationem semper quantumuis literati hominis auctoritati præponentes. Hoc summum doctorem, & magistrum Aristotelem, hoc nobilissimos quosque Philosophos, hoc denique istos ipsos factitasse reperio. Omnes enim in eo elaborarunt (quod Crassi etiam apud Ciceronem præcepto vt faciamus admonemur) vt aliorum scripta nemini vni addicti, corrigerent, immutarent, refellerent, si possent. Qua ex re tantum abest, vt inuidiam odiumue sibi apud quenquam conciliarint, vt immortalem potius laudem apud omnes suo meritissimo compararint. Nam cum a natura homines, si modo sunt homines, ita instituti sint, vt nihil quam verum ipsum malint, illudque semper expetant, semper inquirant, ac inuestigent, illud vnaquaque in re ament, amplectantur, carissimumque habeant, illius denique desiderio flagrent incredibili: quales tandem iis habebimus gratias, qui sua opera suisque vigiliis, etsi illud fortasse non consequuntur semper, contendunt certe, vt falsis mendaciis obrutam veritatem in apertissimam lucem producant? Quod si ita est, nec mihi etiam vitio vertendum esse puto, qui istuc ipsum facere aggressus fui, maiore fortasse fiducia, quam effectu, animo quidem certe candidissimo, & ab omni obtrectandi studio, vt qui maxime, alieno.

Quod si quis tamen rem, aliter atque est accipere voluerit, quoniam ita facti sumus plerique, vt nostra fere ita vehementer amemus, vt vitia etiam nos interdum delectent; quando ille adest murus aheneus, neque vlla vexat animum conscientia, haud sane magnopere commouebitur Hippoclides. Si qui etiam in eo me accusabunt, quod solus eruditiorum munus, ad quos hæc quasi censura spectasset, vsurpare mihi videar, neque enim ἡμῖν ποτ' ἀνδέρα κίονας ἱζόθεν, totam ego accusationem istam, vt iniquam & inanem contemnam & irridebo. Namque illud primo notissimum est, in medio palmam positam esse omnibus: dicam esse deinde quod sibi gaudeant potius, actumque secum esse præclare fateantur, quam mecum de mea ingenii literarumque tenuitate expostulent, aut conquerantur. Nam si ego non eruditissimus aliqua potui in eorum scriptis reperire, quæ minus recte se haberent, quid? quanto plura doctiorem, acutioremque virum credendum est proferre potuisse? quanto omnia commodius explicare atque vberius? Quin potius ista me ratio vehementius ad hoc suscipiendum certamen

Nam quam hostili inter se animo fuerint Athenienses & Thebani, cum aliunde sciri cognoscique potest, tum ex iis, quæ in prima Olynthiaca hic ipse dixit orator: οὐδ' ἐκεῖνα Φίλιππος λάβῃ, τίς αὐτὸν ἐπικωλύσει δεῦρο βαδίζειν, Θηβαῖοι; μὴ λίαν πικρὸν εἰπεῖν ᾖ, καὶ συνεισβαλοῦσιν ἑτοίμως. Quis iam non videat aperte dum ipse Philippus Athenienses polliceri cupiebat, non eum debuisse commodum vllum a se profecturum in Thebanos polliceri, quin damnum potius ad detrimentum aliquod, quo ipsis gratificaretur magis? Sententia itaque non nisi ineptissima & falsa prorsus ex ista lectione elici potest. Verba quoque ipsa reclamant, neque pati illud præsens tempus possunt inter quatuor futura. Hæc mihi tum summa diligentia curaque adhibita consideranti placuit tandem, vt locum adiuncta tantum syllaba restituerem, διοικιεῖν que futurum Atticis & Demostheni ipsi vsitatissimum efficerem: qua ex re sententiam, tempora, reliquaque omnia conuenire, & concinna, aptaque mirum in modum reddi perspiciebam. Conuersio præterea Oetingensis cuiusdam, quæ,* *Dissipaturum* habet, vt constantius in hoc proposito permanerem faciebat. Sed ea quoque non plane mihi dubitationem adimebat, quod cernebam ibi etiam locum esse asterisco notatum. Quare amplius mihi quærendũ cum censerem, egi cum optimo adolescente meo familiari Ænea Desiderio, vt is per epistolam præceptorem suum Franciscum, virum in paucis eruditissimum, quique iure optimo bonarum literarum quidam quasi portus habeatur, quid ille hac in re sentiret, percontaretur. Hic vt virum summo ingenio, præstantissimoque iudicio decuit, his ipsis verbis respondit: *Quel διοικεῖν a giuditio mio si ha da leggere διοικιεῖν, da διοικίζω, che vuol dire, disunire, e smembrare vna Citta in piu parti per debilitare le sue forze:* sic ille. Verum, quia non desunt fere vnquam qui vni sibi sapere videantur, ceteros pro nihilo habeant, vel, Demosthene, teste horum peruicacem impudentiam conuincamus. Is enim in luculentissima oratione περὶ παραπρεσβείας ferme ad extremum de eadem re eodem verbo vsus ita ait: αὐτὴ δὲ τοῦ τὰς Θήβας τὰς πέντε γενέσθαι καὶ παρελαμβάνειν τὴν ὕβριν καὶ τὸ φρόνημα, τὰ τῶν συμμάχων τῶν ὑμετέρων Φωκέων τείχη κατεσκάπτετο. Θηβαῖοι δ' ἦσαν οἱ κατασκάπτοντες οἱ διοικισθέντες ὑπ' Αἰσχίνου τῷ λόγῳ. Ecce itaque quam sibi ipsi verum, quod plus vno esse non potest, vndequaque consentiat.

Demosthenes περὶ παραπρεσβ.

Τίς οὖν ἡ τούτης περιουσία, τῶν φόρων ἀφῃρημένων καὶ τῶν κινδύνων τοῦ βουληθέντος αὐτὴν ἀδικῆσαι;] Quid hoc loco declaret περιουσία, quę sit verbi vis, non assecuti sunt magistri quidam Bononienses, qui pro Facultate accipiunt, exponentes deinde ταύτης, nempe δίκης; de qua dudum facta mentio fuerat. Sed ne Vuolfii quidem recta est hac in parte tralatio. *Prærogatiuam* enim ipse vertit. Nos autẽ in eum potius sensum accipimus, vt conseruatio Cheronesi hoc

nomine, & salus significetur. Quam sententiam præterquam q reperio, Budæo quoque probari in Commentariis, dum quid valeat apud Græcos totum hoc, ἐκ περιουσίας explicat. accedit vt ipsius etiā Demosthenis verba superius paulo posita & eodem pertinentia aperte confirment: ea sunt, αὖ τοίνυν αἱ τι Φωκέων καὶ πυλῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀπολωλότων χερρόνησος, ὡς περιέσει τῇ πόλει λήξει, περὶ ἧς διὸς καὶ θεῶν μὴ ἀποδώσετε. περιεῖναι porro hanc vim habere notius est, quam vt multis sit adstruendum exemplis. quare vno tantummodo contenti erimus, sumto ex Appiano Alexandrino ἐμφυλ. ά. οὐκ ἐλπίζων δὲ ἔτι τὴν πόλιν περιέσεσθαι; quod est, *Desperata vrbis salute & incolumitate.*

Demosthenes περὶ παραπρεσβ.

Καὶ παραγγελία γέγονεν.) Illud ferme omnes constanter tenent, παραγγελίας nomen patere etiam ad ambitum, proque prehensatione & precibus vsurpari: quod ipsum negari non potest. propriè autem, primoque & præcipue in ea re poni verbum hoc, id vero non ita facile concedendum esse videtur. Nam, quia παραγγέλλειν εἰς ἀρχὴν apud probatissimos scriptores in vsu est, pro, Nomen suum profiteri in petitione magistratus, qua in re preces plurimum & prehensatio, summum denique studium adhiberi solent fit vt pro his ipsis rebus propriam verbi significationem consequentibus ponatur nonnunquam: vt in suo Sophista a Themistio etiam factum est aptissime. ἐμοὶ δὲ, inquit ille eius orationis initio, τοῦ μὲν δοκεῖ εἶναι, καὶ πολλοῦ ἄξιον ἄκουσμα, ἔπαινος ἀδολος καὶ ἀληθινὸς, ὁποῖος ὁ παρ᾽ ὑμῶν ἀπαντᾷ μοι ἀεὶ αὐτοκέλευστος, καὶ αὖ δὲ παραγγελίαν: cum tamen illa prior sit vera vis ac germana verbi. Id quod in promtu est vt intelligatur & apud Plutarchum referente Budæo, & apud Appianum Alexandrinum, tum aliis quamplurimis in locis, tum Ciuilium primo: sic enim de C. Graccho loquitur: πολλῶν δ᾽ αὐτοῦ καταφρονούντων ἐν τῷ βουλευτηρίῳ παρήγγειλεν ἐς δημαρχίαν Et paulo infra, καὶ γάρ τις ἤδη νόμος κεκύρωτο, εἰ δήμαρχος ἐνδέοι παραγγελίαις, τὸν δῆμον ἐκ πάντων ἐπιλέγεσθαι. In quo sane posteriore nulla ne suspicio quidem precum & prehensationis esse potest. Ex hoc item vsu forensi illud, ἐκ μειρακίων εἰς ἄνδρας παραγγέλλειν, quod a Polluce etiam recensetur, ortum, deductumque crediderim: quo declarabatur aliquis sumta iam toga viriles actiones profiteri. Quare homines certi, qui Demosthenis explicationem profitētur, viderint ipsi quam laute oratorem accipiant.

Homerus Iliad. μ'.

Κρόσσας μὲν πύργων ἔρυον, καὶ ἔρειπον ἐπάλξεις.) Frigere nobis non parum videtur scholiastes, qui hunc locum ita reddat. πύργων ἔρυον μή τι τοῦ ἐπὶ τοὺς πύργους κλίμακας παρετίθεσαν. Quid est vim afferre verbis, si hoc non est? Quis vnquam tam dure loqui audeat? An non præterea pugnat maxime secum, dicere Troianos scalas applicare

ad

ad turres, eosdem summa deinde vi turrium labefactare fundamenta: Homerus enim hoc ait,

> στήλας τε προβλῆτας ἐμόχλεον αἶ ἄρ' ἀχαιοὶ
> πρώτας ἐν γαίῃ θέσαν ἔμμεναι ἔχματα πύργων.

At κρόσσαι (vt forcasse dixerit aliquis) scalas declarant. At κρόσσαι, teste Suida, dicuntur etiam αἱ τῶν ἐπάλξεων στεφάναι, οἱονεὶ κεφαλίδες. In quo vsu & hic accipi debent: cum præsertim appareat, verbum quoque ἐρύειν non pro ἕλκειν positum esse ab Homero, sed pro, *diruere*, atque *euertere*. Nam inquit paulo post, non de turribus, sed de lapidibus illis ad fundamenta collocatis, quas στήλας ipse appellat, τὰς οἳ ἔρυον. Atque his sane argumentis nos adducimur, vt scholiastæ interpretationem improbemus.

Aristoteles Ethic. Nicoma 2.

Διὸ δεῖ τὸν στοχαζόμενον τοῦ μέσου, πρῶτον μὲν ἀποχωρεῖν τοῦ μᾶλλον ἐναντίου, καθάπερ καὶ ἡ καλυψὼ παραινεῖ, τούτου μὲν καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτὸς ἔεργε νῆα.) Multis modis peccauit ἀῤῥητος ille Chiliadum auctor, dum in prouerbio, *extra fumum & vndam*, explicare voluit hunc locum. sic enim inquit: *Aristoteles indicat esse verba Calypsus adhortantis Vlyssem, vt neq; nimium littori vicinus nauiget, fumum secutus, neque se profundo credat pelago: quod sibi periculum sit a fluxu & vadu, hic ab vndis: Argyropylus autem interpres ea verba tribuit Circe, quod secutus nescio.* Hactenus ille. Cuius explicatio quantum absit ab Aristotelis consilio, nemo est omnium, quin intelligat, qui paulum modo attendat ad verba Philosophi. is enim sine aliqua controuersia illud docere voluerat, vitandum esse, semperque fugiendum vitiosius extremum. Nam minus errabit, si quis medium cupiens attingere ad id declinet extremum, quod non ita longe a virtute recedat, quam expositionem & præcedentia verba postulant, & confirmant sequentia, quæ sunt: τῶν γὰρ ἄκρων τὸ μέν ἐστιν ἁμαρτωλότερον, τὸ δ' ἧττον. Lapsus est igitur, qui Aristotelem nō sic ea in parte assecutus. Non recte etiam illud dixit, quod ad præcepta Vlyssi tradita apud Homerum attinet. Namque id admonitus est Vlysses, cum illi inter Scyllam & Charibdim, duos periculosissimos scopulos, cursus dirigendus esset, vt summo studio contenderet, ne ad magis periculosum fluctibus abrepta nauis delaberetur. Quod ex ipsius Poetæ carminibus Odysseæ μ' insce clarius patet:

> ἀλλὰ μάλα Σκύλλης σκοπέλῳ πεπλημένος ὦκα
> νῆα παρὲξ ἐλάαν, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτερόν ἐστιν
> ἓξ ἑτάρους ἐν νηὶ ποθήμεναι ἢ ἅμα πάντας.

Atque ex eo etiam loco, vnde carmen attulit Aristoteles, manifesto id ipsum cognoscitur. in hunc enim modum ab Homero scribitur eodem libro:

> τούτου μὲν καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτὸς ἔεργε
> νῆα, σὺ δὲ σκοπέλου ἐπιμαίεο, μάλα δ' ὦκα ἐλαύνειν

Κεῖσ' ἐξορμήσωσι, καὶ ἐς κακὸν ἀμμιβάλησθα.

Auget postremo tanti viri crimen, quod is se scire negarit, quid ita fecerit Argyropylus, vt ea verba Circe tribueret. Secutus est enim vir dignissimus, cui vniuersa Italia in perpetuũ debeat quippe qui alter Triptolemus bonarum literarum semina in nostras has terras importarit, secutus, inquã, est Argyropylus interpretis auctoritatem primo, siue is Aspasius fuerit, siue alius quiuis, qui quidem in eum locum sic scribit: τὰ ἔπη ταῦτα ἡ κίρκη δοκεῖ λέγειν παρὰ τῷ ποιητῇ, οὐχ ἡ καλυψώ. Res deinde apud Homerum eo loco per se ipsa constat. Sociis enim narrat expresse Vlysses ea se præcepta & admonita a Circe habere. Postremo eiusdem libri in calce ante intelligitur Vlysses ea habuisse præcepta, quam ad Calypso peruenirct. Ait enim de seipso: ἔνθεν δ' ἐννῆμαρ φερόμην, δεκάτῃ δέ με νυκτὶ νῆσον ἐς ὠγυγίην πέλασαν θεοί, ἔνθα καλυψὼ ναίει ἐϋπλόκαμος. Quam itaque negligenter in re illa tractanda homo se gesserit, his omnibus rationibus satis probatum fuisse credimus.

Ouidius Metamorpho.

Nec formidatis ceruos includite pennis.]

Regius, is qui diuinissimum hoc opus suis commentariis egregregie illustrauit, credo assiduitate laboris defatigatus, diligentiam, qua vna literarum studia constant, non satis ad extremum seruauit existimauit. Nã vocẽ integrã & incorruptã sibi immutandã esse duxit, proque eã *Formidantis* legendum. Ac cum semel cœpisset, ad eum errorem labitur, vt *pennis* pro sagittis, exponat qua in re fallitur magnopere. Namque Ouid. venatorum artem quãdam in captandis ceruis intelligere voluit: quam adhuc planius XII Æne. expressit poeta his carminibus:

Inclusum veluti si quando flumine nactus
Ceruum, aut Puniceæ septum formidine pennæ
Venator cursu canis, & latratibus instat.

Quæ sane non venisse illi in mentem cum ea scriberet, mirandum est: ac multo etiam magis, quod de eadem re in tertio quoq; Georgicorum sic fiat mentio:

Puniceaue agitant pauidos formidine pennæ.

Lucianus ἀλεκτρυόνι.

συνεχὲς ἐπισκοπῶν ὁπόσων ἀπέχει τὸ στοιχεῖον ἔτι.] Enimuero nemo iam Lynceus est, quin quandoque offendat: & somnus nonnunquam alioquin vigilantissimis viris obrepit. Nam quid aliud existimare debemus de illo Chiliadum auctore, nisi eum dormitasse, & ociose mehercule, dum hunc Luciani locum verteret? sic enim reddit, *Dum subinde respicio quot pedes in gnomone index haberet litera.* Quorsum hic de litera? Quid opus fuit gnomone? Referres te, bone vir, ad egregium scriptorem Iulium Pollucem: quæque is de stœchio Onomastico suo mandasset, studiose obseruares. Sed ne multis, ea quæ scribit Pollux in primo ad hunc ferme modum se habent:

le habent: ἀρχὴ δὲ καὶ ἡμιμέτρον σημεῖον, ὡς μένανδρος, ὀνομάζετο παρὰ τοῖς παλαιοῖς. καὶ ἀπὸ σκιᾶς δὲ ἐδηλοῖτο. οἷον δεκάπους ἡ σκιά, καὶ ἐνδεκάπους. Sed idem adhuc longe explicatius libro VI. τῇ σκιᾷ δὲ ἐπεχρῶντο τὸν καιρὸν τῆς ἐπὶ τὸ δεῖπνον ὁδοῦ, ἣν καὶ στοιχεῖον ἐκάλουν, καὶ ὅθεν εἰ πρεῖον, εἰ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον εἴη. An non luce clarius iam est, qui sibi Lucianus voluerit? Verum verbis etiam grauissimorum testium Suidæ & Athenæi idipsum comprobare non grauabor: quorum alter sic ait, eo loco, vbi quid esset antiquis δεκάπους σκιὰ declarat. Τὸ παλαιὸν οἱ καλοῦντες ἐπὶ δεῖπνον, καὶ καλούμενοι παρεσημαίνοντο τὴν σκιάν, mox ex Aristophane hæc profert, σοὶ δὲ μελήσει ὅπως ἂν δεκάπουν τὸ στοιχεῖον λιπαρῶς χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον: quæ ipse exponens subiungit, περὶ ἡλίου τροπαὶ φησὶ ταῦτα, ἢ ἡλίου ἡ σκιὰ ὅταν ᾖ δεκάποδος, ἤγουν ὅτι γίνεται ὀψιαίτερον. Athenæus vero ἐν δειπνοσοφιστῶν primo verba quædam ex Eubulo Comico refert huc mutandum in modum spectantia, quæ sunt ἐν φησὶ παρακληθέντ' ἐπὶ δεῖπνον ὡς φίλου τινός, εἰπόντος αὐτῷ τοῦ φίλου, ὁπηνίκ' ἂν εἰκοσίποδον μετρῶν ᾖ τὸ στοιχεῖον ἥκειν, ἕωθεν αὐτὸν εὐθὺς ἡλίου μετρεῖν ἀνίσχοντος. μακροτέρας δ' οὔσης ἐπιπλεῖν ἢ δυοῖν ποδοῖν παρεῖναι τῆς σκιᾶς.

Lucianus ἀλέκτρυ.

καὶ στρατιὰ ἦν πολλὴ καὶ ἵππος συχνὴ κεκροτημένη.] Locum hunc sic Latinum fecit Chiliadum auctor; *Ad hæc equa speciosissima, atque excellens, satellitium haud exiguum.* Si pro, *Equa*, equitum copias intellexit, quod nequit vllo pacto consistere, recte omnino conuertit. Nam ἵππος in genere fœminino pro, *equitatus*, vsu patui: nemo negat. Sin is vnam aliquam equam, vt videtur, significare voluit, iure hac in parte cum sua interpretatione reiicitur.

Homerus Ilia. ξ'.

στῆσ' ἐξ οὐλύμποιο ἀπὸ ῥίου.] Doctissimus interpres, nescio quid ita, ἀπὸ ῥίου, reddidit ἀπὸ τοῦ ἀκρωτηρίου τοῦ ὄρους, arbitratus scilicet de montis alicuius cacumine loqui hic Poetam: cũ ex sequẽtibus carminibus facile sit videre in cœlo tum fuisse Iunonem: siquidem ingredientem eam facit Homerus in cubiculum, expolientem se ac comentem, vestesque mutantem, vnguentis denique illinentem os totum sibi, vt his illecebris Iouem facilius ad concubitum pelliceret: quarum rerum nullam in monte fieri consonum est. De cœli itaque vertice ego intelligendum esse credo, vt id fecisse dicatur ab Homero Iuno, quod fecit Iupiter apud Vergilium, qui, *Vertice cœli Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.* In τ'. planius adhuc tota hæc res cognoscitur, eo carmine.

ἥρη δ' ἀΐξασα λίπεν ῥίον οὐλύμποιο.

Vbi iisdem verbis vtitur Homerus, cum manifestissime Iuno deprehẽdatur esse in Cœlo cum reliquis diis, ad quos vniuersos tum Iupiter locutus fuerat.

κέκλυτέ μευ πάντες τε θεοί, πᾶσαί τε θέαιναι

Ille tamen eo etiam loco ῥίον, ὄρους ἀκρωτήριον pergit interpretari.

Sed nequicquam omnia. nam in δ' vis nominis apertissime percipitur.

σφαῖραν μὲν καὶ ἔπειτα περὶ βίον οὐλόμενον διεσσύμενον

Aristoteles Physic.

δῆλον δ' ὅτι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῦτ' ἔστι τὸ ἐν χρόνῳ εἶναι, τὸ μετρεῖσθαι αὐτῶν τὸ εἶναι ὑπὸ τοῦ χρόνου] Quanti sit ad sententias sæpe in summis Philosophis assequendas diligens illa & minuta verborũ pensitatio, animaduersioque, atque obseruatio, satis superque indicarunt hoc loco clarissimi interpretes Simplicius, Philoponus, & Vicomercatus, qui leui quadam, nec vera impulsi ratione, cõmodissimam & rectam Alexandri ἀπόδοσιν repudiarunt, & longe alias ipsi nullo modo ferendas commenti sunt. Verum si in Aristotele animaduertissent (quod abs te in eiusdem Rhetorica factum est diligentissime quatuor fere locis) solere sæpe δὲ particulam vim suam amittere, & cuiusdam ornatus gratia tantummodo poni: ne illi tantas vnquam non excitassent turbas; id quod non ardei admonitum neg[illegible] esse potuisset. Nam præter ea, quæ abs te iam obseruata sunt etiam in libro περὶ ἑρμηνείας locus, in quo commemorare casse[illegible] habet. Locus autem hic est, *ἐπεὶ δ' ἐστὶ τὰ μὲν καθόλου τῶν πραγμάτων, τὰ δὲ καθ' ἕκαστον. λέγω δὲ καθόλου μὲν ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι, καθ' ἕκαστον δὲ ὃ μή, οἷον ἄνθρωπος μὲν τῶν καθόλου, Καλλίας δὲ τῶν καθ' ἕκαστον, ἀνάγκη δὲ ἀποφαίνεσθαι ὡς ὑπάρχει τι ἢ μή, ὁτὲ μὲν τῶν καθόλου τινί, ὁτὲ δὲ τῶν καθ' ἕκαστον.* Alibi quoque idem facit Aristoteles, vt in Meteorologicis ait enim, *ὅσα μὲν οὖν ὑπὸ ψυχροῦ τῶν κοινῶν γῆς καὶ ὕδατος, πλεῖον δ' ἔχοντα γῆς τὰ μὲν τῷ θερμοῦ ἐξεληλυθέναι πήγνυται, τὰ δὲ [illegible] πάλιν τοῦ θερμοῦ, οἷον ὁ πηλός, ὅταν [illegible] ψύξιν καὶ τοῦ θερμοῦ συνεξατμίζοντος [illegible] ἀλλὰ μαλάττεται, οἷον [illegible]* Et inferius aliquanto, *ἐπεὶ οὖν [illegible] καὶ ὅσα [illegible] ὕδατος τὰ δ' ἕτερα. ἔνια δὲ καὶ κοινά, οἷον [illegible]. ὅσα δὲ ὑπὸ [illegible] ταῦτα δὲ γῆς.* quod omnino δὲ prætermissa ταῦτα γῆς dici potuit. Neque vero apud Aristotelem solum, sed & apud Homerum interdum eodem modo vsurpari solet particula hæc, vt eo loco,

[illegible] ἅρματα καὶ [illegible]

[illegible] μέγα [illegible] οὐρανόθεν.

Iulius Pollux Onomast. lib. 9.

[illegible]] Locus [illegible] vel [illegible] ad intelligenda veterum scripta, ita geminta macula quæ tamen non ita magno negotio elui possit, si quis animum [illegible] tendas, [illegible]. Nam necessario post illud [illegible] [illegible] haec verba, καὶ [illegible]

rum sua appareat explicatio, quæ est, ἡ δύο ἥμισυ, sicut ceterorum, quæ propositæ sunt. Inferius quoque pro ἐὰν μὴ legendum est ἐὰν δὲ, quam lectionem & sensus & subsequens particula δὲ abunde comprobant. Gu[illegible]terus tamen, qui hunc scriptorem de Græco in Latinum conuertit, vt in plerisque, sic & hoc loco, oscitanter nimis, ne dicam imperite, se gessit. Maxime enim insignis locus est, qui [illegible] plurimum conferat volentibus veterum monumentis, ea propter non fuit ita tractandus negligenter. Quem quidem si Laurentius Valla animaduertisset, numquam ἡμιτάλαντον τρίτον, duo talenta cum dimidio, vertisset. Namque longe aliam docet rationem Pollux, cum quo facit & Suidas eo loco, vbi dictionem [illegible] exponit. Atque eo libentius feci, vt eius verba huc transferrem, quod eum mihi corrupta esse videantur, possint facillime ex hoc [illegible] loco in integrum restitui, ea sunt, [illegible] ἡμιτάλαντον, καὶ πέμπτον ἡμιτάλαντον, [illegible] ἡμιτάλαντον ἐξ ἥμισυ. καὶ ὅλως [illegible] ἡμιτάλαντον, [illegible] ταλάντοις. [illegible] Restitutio in primis verbis sic facienda [illegible] ἡμιτάλαντον, καὶ [illegible], δύο ἥμισυ, [illegible]. Ita hic multa a superiore loco, ille etiam non nihil ab hoc vicissim accipit instaurationem. Ceterum illud mihi præterea libet adiungere, quod alia omnino huius vsus ratio est, quum nomine ipso numerali, multitudinisque numero vtimur. Tunc enim dimidium tantum eius numeri significatur, qui per [illegible] exprimitur: quemadmodum ex Xenophonte intelligere [illegible] μισθὸν, inquit [illegible] ἔφευγεν, [illegible] ἡμιδαρεικὰ [illegible]. Altero autem modo, [illegible] ἡμιδαρεικὰ dicere nemo fallet.

Aristoteles Physic.

λέγω δὲ τὸ [illegible] τὸ κινητὸν κατὰ φοράν.] Nemo non videat Philosophum numquam sic ex abrupto fuisse aggressurum explicare, quid valeat apud ipsum, τὸ [illegible], nisi proxime his ipsis verbis vsus fuisset. quam quoniam omnino nusquam exstitit, eas pro certo statuendum est desideratas: cum præsertim & Ammon [illegible] vim atque naturam loci definitione assignans, eas ipsas apposuerit: sic quidem sic inquit, [illegible] Hic adiungitur grauissima Vicomercati auctoritas, qui locum manca[illegible] sibi videri dixit, atque ex Simplicii commentariis post illud [illegible] totum hoc, [illegible], addendum esse censuit.

Aristoteles de anima.

[illegible] ἡ ψυχή [illegible] ὁ λόγος]

Aliis fortasse aliter placeat; ego certe, re multum totaque loci sententia animaduersa contenderim, verba illa proprio loco eiecta, in alienum irrepsisse. Ad hunc enim modum collocanda esse iudico, ἑκάστη μὲν οὖν αἴσθησις τοῦ ὑποκειμένου αἰσθητοῦ ἐστιν, ὑπάρχουσα ἐν τῷ αἰσθητηρίῳ ᾗ αἰσθητήριον. καὶ κρίνει τὰς τοῦ ὑποκειμένου αἰσθητοῦ διαφοράς, οἷον λευκὸν καὶ μέλαν ὄψις. γλυκὺ δὲ καὶ πικρὸν, ἡ γεῦσις. ἁφὴ δὲ, τὸ θερμαντικὸν ἢ ψυκτικόν. ὁμοίως δ᾽ ἔχει, & quæ deinceps.

Aristoteles Posterio.

εἰ οὖν τις δείξειεν ὅτι αἱ ὀρθαὶ οὐ συμπίπτουσι.] Mire concisa quadam breuitate vsus est in his verbis Aristoteles, & plura multo expressis intelligenda nobis reliquit. Ex quo minus mirandum est locum hunc Latinis istis obscurissimum ignotissimumque fuisse. Nisi enim quis optime norit vim & vsum harum vocum, εὐθεῖαι & ὀρθαί, numquam satis apte poterit Aristotelis sententiam percipere. At qui vsu aliquo edoctus sciuerit priorem vocem in significandis duntaxat lineis rectis a probatissimis quibusque scriptoribus semper poni solere, posteriorem angulorum solummodo declarare rectitudinem, is facile rem totam penitus introspiciet; ac Aristotelis dicta in hunc aut consimilem modum supplēs illustrabit, ὅτι εὐθεῖαι ἐκεῖναι οὐ συμπίπτουσιν εἰς ἃς εὐθεῖα ἐμπίπτουσα τὰς γωνίας πάσας ποιεῖ ὀρθάς. Atq; hac ratione loc⁹ ex squallido & intorto ac obscurissimo, nitidissimus explicatissimusq; & summopere clarus efficietur. Negare enim Aristotelem apparebit, vere demonstrari lineas aliquas rectas non concurrere, si ex eo demonstretur, quod recta in illas incidens faciat angulos omnes rectos, atque ita inter se æquales, quia hæc non est vera & propria caussa, cum aliæ esse possint, puta si illa incidens alternatim angulos æquos inter sese fecerit, aut exteriorem angulum interiori & opposito ad easdem partes æqualem constituerit, *vt docet etiam Euclides primo Elemētorum propositionibus vigesimaseptima, & vigesimaoctaua.* Torqueant sese igitur quantum velint, huc atque illuc fluctuent, laborent, desudent, si quando in huiusmodi locos inciderint bona pars istorum doctorum, hominum minime politorum, nūquam tamen, qua se ratione expediant, reperire poterunt. Latinos Latine audire iuuat loquentes, Græci mihi Græce legantur.

Aristoteles Topic.

ἢ τὰς ἀνὰ μέσον προτάσεις ὁρίζεσθαι.] Codex Græcus ita habet, quam etiam scripturam probasse in sua tralatione Perionius videtur. Veterem tamen interpretem legisse constat πορίζεσθαι, quem nos libentissime sequimur loci sententia sic primum persuadente. Vbi enim notum fuerit (namq; hoc ipsum agit Aristoteles) quodnam illud sit, quod problema difficilis impugnationis efficiat, definitione vti oportebit, siquidem ex definitionis indigentia difficultas oriatur: aut diuidendum erit, si multiplex sit: aut conuertendæ, & quoquo modo inueniendæ erunt intermediæ propositiones

ſiones, ſi in eo verſetur totius rei cardo, quod non remote a principiis & immediatis propoſitionibus ſumtum problema fuerit. Verba deinde ſuperius paulo poſita, cum eodem pertineant, me non mediocriter mouent: ea ſunt, ἔτι δὲ δύναται ἐπιχειρῆσαι καὶ τὰ λίαν ἐγγὺς τῆς ἀρχῆς. οὐ γὰρ ἐνδέχεται πολλοὺς πρὸς αὐτὰ λόγους πορίσασθαι, ὀλίγων ὄντων τῶν ἀμέσων αὐτοῦ καὶ τῆς ἀρχῆς, δι' ὧν ἀνάγκη δείκνυσθαι τὰ μετ' αὐτά. Equidem non tam ſoleo eos, qui temere ac præcipitanter omnia immutant, inuertunt, accuſare, quam illos reprehendere, qui vana quadã & abiecta in veteres chartas (ſic de ſe ipſi prædicant) obſeruantia deterriti, ea etiam, quæ impune ac vere licet, emendare expolireque dubitant. Vtrumque enim niſi cum aliquo iudicio fiat, imperitiæ crimen ſubeat neceſſe eſt.

Ariſtoteles Analyt. Poſt.

δι' ὀλίγων δ' ἢ δυοῖν.] Cum ſit in confeſſo apud omnes, atque etiam apud Ariſtotelem ipſum pleriſque in locis pluſquam conſtitutum & certum, tres neceſſario terminos ad ſyllogiſmi conformationem requiri, nequeo vllo pacto perſuaderi eam particulam ἢ niſi deſtructiue eſſe accipiendam. atque hoc eo aſſeuero cõſtantius, quod video Theodorum Gazam vim quandam huiuſcemodi in hac coniunctione agnoſcere. Nam ad hunc maxime modum de ea ſcribit in quarto: διαζευκτικοὶ μὲν τοίνυν εἰσὶ, ἀπλῶς, ὅτε εἰς στέρησιν, λέγεται ἤτοι προκειμένου ἢ νοουμένου. ὁ ἐστερημένος δὲ, ὅτι συνδιαστατικὸς ὡς μέρος κεῖται. βούλομαι ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι. σημαίνει γάρ τι, οὐκ ἀπολέσθαι. ὅθεν ἴσως, καὶ ἀναιρετικὸς ὁ οἰκείως προσαγορεύοιτο. Huc adiungimus & accuratiſſimi veterum librorum interpretis Galeni ſententiam, qui non obſcure particulam iſtam negatiue & ipſe interpretatur apud Hippocratem: ex quo cum eorum vlcerum curationem afferret, in quæ vitioſus iam non influit humor, hunc in modum ſcripſit Therapeuticæ methodi quarto: μηκέτι μὲν οὖν ἐπιρρέοντος, αὐτὸ μόνον ἰᾶσθαι χρὴ τὸ ἕλκος· εἰ μέντοι ἢ πελιδνὸν, ἢ μέλαν, ἢ ἐρυθρὸν εἴη, σκιάζοντας τι καὶ τοῦ αἵματος ἀφαιροῦντας. εἶθ' οὕτως παραχρῆμα μὲν ἐπιθέντες ὡς αὐτὸ, ἐλάσσω, ὕστερον ξηρότερον μᾶλλον ἢ ὑγρότερον. οὐ γὰρ ἀγνοητέον οἶμαί τινα τὸ, ἐμμόρφον ἀπὸ φύσεως ἔχον ἐν παιδικῷ δύναμιν. ὡς εἰ καὶ οὕτως εἴπη, ξηρότερον οὐχ ὑγρότερον. Litigioſorum iſtorum turba, vt lubet, ſentiat.

Virgilius Æneid.

Et rapti Ganymedis honores.] Non eſſe temere ſtatuendum de fabulis, quibus priſca ætas certa ratione delectata eſt, omnes illi probe norunt, qui aut in phyſicis myſteriis aut priſcarum rerum monumentis nonnihil verſati ſunt. Ita ſic vt non ſtupide Iouis ſtupra, adulteriaque & conſimilia multa animo parum cauto excipienda ſint. Omnia enim hæc aut hiſtoriam quandam antiquiorem inuolutam cõtinent, aut naturæ occultum aliquod arcanum. Cœli virilia hunc delapſa Venerem conſtituiſſe, quid niſi vim omnem propagandi, quæcumque ea eſt in his inferioribus, a Cœle-

Digitized by Google

stium corporum tum lumine tum motu permanere atque durare censendum? vt non iniuria Cœlum quidem ac Solem patres genitoresque sapiens appellarit antiquitas, matris vero nomen concesserit terræ ipsi; quippe in quam diuina illa corpora velut in fœminæ vterum procreationis virtutem immittunt. Quam quidem illa exceptam complexu suo fouens primo, varia animantium genera educit in hanc lucem iucundissimam. Quam ipsam rem & vates ille Romanus augustissimo sic cecinit carmine.

Deniq; cœlesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est, vnde alma liquentes
Humorum guttas mater cum terra recepit,
Fœta parit nitidas fruges, arbustaq; læta,
Et genus humanum, parit omnia sæcla ferarum,
Pabula cum præbet, quibus omnes corpora pascunt:
Et dulcem ducunt vitam, prolemque propagant.
Quapropter merito maternum nomen adepta est.

Saturni contra voracitas nonne certissimam naturæ legem nobis indicat, qua semel statutum est interire iis, quæ aliquando genita fuerunt? Ganymedis quoque raptus (ne longius, quam par est, vagetur oratio) non Iouis flagitium habet, sed eam historiam, a qua non parum excitari possint homines ad Dei optimi cultum. Historia vero in hanc ferme sententiam a Suida recensetur: *In Phrygum regione regnauit Tros Ilis pater atq; Ganymedis, cumque is duas vrbes exædificasset, alteram quidem a se Troiam appellauit, reliquam vero de filii nomine vocauit Ilium. Postea vero quam vrbes cultoribus frequentes reddidit, regulos, quotquot illis locis dominabantur, conuocauit in encæniis, Tantalo vno Thraciæ rege prætermisso. Nec multo post imprimis carissimum sibi filium Ganymedem tradens illi quinquaginta viris missis ad sacrificium cum reliquis donis Ioui Europi ferendum, gratum animum, vtpote beneficiorum memorem cupiens testificari. Ceterum Tantalus veritus, ne ius regni speculator adesset, eum comprehendit, antequam sacrum ipsum absolueret, mox cognita caussa hominem honorificentissime excepit. Is autem paruum admodum commoratus erat, quum morbo oppressus occubuit: quo casu mœrens Tantalus, ipsi quidem tumultum constituit, comitem autem misit, qui de illius obitu patri renuntiarent.* Poetæ vero raptum a Ioue Ganymedem fuisse prodiderunt, ipsam mortem in cœlestem ad fabulam reuocantes.

Ouidius Metamorph.

Sano alimenta parentis
Antæo eripuit.

Ea fuit apud antiquissimos illos philosophiæ obscuratam maiestas, vt ipsam quasi pollui crederent, si imperitæ multitudinis

manibus

manibus teri posset. Fecerunt itaque, vt per fabularum inuolucra eam ipsam traderent, quæ tamen ab acutis hominibus, nec plane hebetibus, valerent explicari, quibus solis ea nota esse dum vellet, non destiterunt talia quædam inferere atque admiscere, quæ ad rem ipsam animo, menteque comprehendendam satis magno adiumento esse possent. Id quod politissimus Ammonius εἰς τὸ περὶ ἑρμηνείας suo locupletissimo testimonio comprobat, οὐ δὲ τῶν ποιητῶν (ita ego corrigo) τοὺς μύθους παρεμέλησαν τῶν τοῦ πράγματος, τοῖς ἀκροωμένοις αὐτῶν ἀφορμὰς δι' ὧν ἀποστήσουσι μὲν τοῖς κατὰ τὸ φαινόμενον λεγομένοις, ζητήσουσι δὲ τὴν ἀλήθειαν, καὶ ὑπὲρ τὸ πλεῖστον ... ἐπικεκρυμμένην διάνοιαν, εἰ μὴ τύχοιεν ἐν τοῖς διηκριβωμένοις τῶν σοφῶν. Ergo & in Antæi fabula, cui prostrato integro ideoque vires a matre reparabantur, præclarum aliquod naturæ opus delitescere credendum est. Illud ego esse existimarim, quod in philosophia naturali celebre est, graue quod sit aut leue, in propriis denique sedibus vim suam & robur pate facere atque aperire; vt ex Aristotele colligitur in primo de cœlo capite octauo. τεκμήριον δὲ τὸ μὲν εἰς ἄπειρον φέρεσθαι καὶ τὴν γῆν θᾶττον ὅσῳ ἂν ἐγγυτέρω ᾖ τοῦ μέσου ἢ τοῦ μέσου ... φέρεσθαι, τὸ δὲ πῦρ ... ἄνω. In secundo præterea eiusdem operis capite sexto non obscure illud idem percipitur in his verbis; ἅπαντι γὰρ ἡ ἀνώμαλος φορὰ καὶ ἄνεσιν ἔχει καὶ ἐπίτασιν καὶ ἀκμήν. ἀκμὴ δ' ἐστὶν ἢ ὅθεν φέρεται, ἢ οὗ, ἢ ἀνὰ μέσον, οἷον ἴσως τοῖς μὲν κατὰ φύσιν οὗ φέρονται, τοῖς δὲ παρὰ φύσιν, ὅθεν, τοῖς δὲ ῥιπτουμένοις ἀνὰ μέσον. Neque illud impedit quicquam, quod est in huius secundi extremo: quo loco terram sphæricæ figuræ probans esse Aristoteles, videri possit pondus atque grauitatis vim omnem abstulisse a terra, vbi ea ad medium iam venerit. Ait enim, ἕκαστον γὰρ τῶν μορίων βάρος ἔχει μέχρι πρὸς τὸ μέσον. Sed βάρος hic ῥοπὴν significat, quemadmodum patet paulo post, τὸ γὰρ πλεῖον, inquit, ἀεὶ τὸ πρὸ αὐτοῦ ἔλαττον προωθεῖν ἀναγκαῖον, μέχρι τοῦ μέσου τὴν ῥοπὴν ἐχόντων ἀμφοῖν. Nec lõge ab eo loco rursus. ἀλλὰ δεῖ κρατεῖν τὸ πλεῖον, ἕως ἂν λάβῃ τῷ αὑτοῦ μέσῳ τὸ μέσον. μέχρι τούτου γὰρ ἔχει τὴν ῥοπήν. Consimili igitur modo gigas hic e terra ortus tum demum valentius pugnam capessebat, si quando ad terram, vnde editus fuerat, afflictus delaberetur.

Aulus Gellius libro quarto.

ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου

Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίς, Χῖος, Ἄργος, Ἀθῆναι]

Sic quidem in libro ipso legitur. In ea autem voluminis parte, qua Græcarum dictionum interpretatio continetur, pro Χῖος legitur Ἴος. Horum tamen vtrumque, & quod ad historiam & quod ad syllabæ rationem attinet, rectissime se habet sine vlla controuersia. Nam de Chio, quod ea voluerit sibi suũ esse Homerum vendicare, tum apud Ciceronẽ constat pro Archia, tũ alia epigrammata satis amplam fidem faciunt. De Io vero & hoc

Digitized by Google

loco tradit ex Aristotele Gellius, & ex Antipatri epigrammate, quod est in quarto epigrãmatum libro, apertissime scimus: quod ob incredibilem ipsius elegantiam, suauitatemque totum huc libentissime traducam:

οἱ μὲν σοῦ Κολοφῶνα τιθηνήτειραν Ὅμηρε,
οἱ δὲ καλὰν Σμύρναν, οἱ δ' ἐνέπουσι Χίον,
οἱ δ' Ἴον, οἱ δ' ἐβόασαν ἐΰκλαρον Σαλαμῖνα,
οἱ δέ νυ τὰν Λαπιθᾶν ματέρα Θεσσαλίαν.
ἄλλοι δ' ἄλλο μέλαθρον ἀνίαχον. εἰ δέ με Φοίβου
χρὴ λέξαι πινυτὰν ἀμφάδα μαντοσύναν,
πάτρα τοι πέλει μέγας οὐρανὸς, ἐκ δὲ γυναικὸς
οὐ θνατᾶς, ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας.

Quantitas autem extremæ syllabæ in *σαλαμῖς* magnopere consentit. nam & vsu, & regula tradita a Theodoro Gaza in tertio, longa, quod dactyli initium postulat, esse deprehenditur. Et quãquam ea suapte natura breuis esse quibusdam contentiosis illis quidem, sed non satis (vt res indicat) literatis hominibus concederetur, non obtinerent tamen versum stare non posse, si ios legatur. Cum etenim finalis sit, eamq; nulla consequatur consonans, syllaba communis fieret, vt tradit Hephestion enchiridii his verbis: *τρίτος δὲ τρόπος κοινῆς συλλαβῆς, ὅταν βραχεῖα συλλαβὴ τελικὴ λέξεως ᾖ μὴ ἐπιφερομένων τῶν τῆς θέσεως μακρᾶς ποιητικῶν συμφώνων, ἀλλ' ἤτοι ἑνὸς ἢ μηδενός* afferrque illa multa exempla. ex quibus ego vnum huic nostro simillimum adiungam.

αὐτὰρ ἐπεὶ δεκαμῆνος ἔην' ἰαχὴ περίοδός τι.

Et hæc quidem hactenus.

Aristoteles Topic.

ἢ τοῦτο αἰτησάμενος ἐπὶ τοῦ καθόλου τὴν ἀντίθεσιν ἐρωτῶν τι λαμβάνειν.] Sic & incorrupte quidem se habet lectio, eam tamen immutare ausus est Antonius Demochares, nullam fortasse aliam ob caussam, nisi quod Aristotelis hac in parte consilium non assequebatur; quod est docere totidem modis accidere, vt petantur contraria, quot eius, quod ex principio, fiebat petitio tribusque enumeratis quartum hoc loco adiungit, qui tertio altera ex parte respondet. Ibi enim ostendebantur peti contraria, si quis primo omnium contrariorũ vnam esse scientiam sumeret, vellet sibi concedi deinde salubris, & morbosi scientiam esse diuersam. Hic [illegible] uerso modo peti dicuntur contraria, si quis eandem assumat esse scientiam, omnium contrariorum postea diuersam esse tentet accipere. Namque hoc illud est, *ἐπὶ τοῦ καθόλου τὴν ἀντίθεσιν* vt manifesta nobis fides fit a doctissimo Alexandro, cuius hæc est huius loci interpretatio: *τέταρτος δὲ τρόπος ὅταν τὸ [illegible] μὲν αἰτήσας τὸ τοῦ ὑγιεινοῦ καὶ τοῦ νοσώδους τὴν αὐτὴν εἶναι ἐπιστήμην. [illegible] ἐπὶ τοῦ καθόλου περὶ πάντων λαβὼν τὴν ἀντίφασιν, δόξας ἂν ὁ ποιῶν τὸ [illegible] αἰτεῖν.*

...ται ἡ αὐτὴ ἐπιστήμη. Quare viderit Demochares, cur τὴν αὐτὴν ... ἦν legendum esse censuerit.

Homerus Iliad. τ.

ἡ δ' ἐκύει φίλον υἱόν, ὁ δ' ἕβδομος ἑστήκει μείς.]

Placuit hac in parte scholiastæ, vt digrederetur ad monstrandam caussam tum naturalem, tum mathematicam, secundum quam fiat, vt si 7 mense infans in lucem prodeat, superstit ac viuat, deficiat idem ac pereat, si mense pariatur octauo. Verum in eius dictis mendum est, aut ego fallor, eo loco, συνεχοῦς κινήσεως οὔσης περὶ τὸν θ'. fortasse enim περὶ τὸν ζ'. legendum sit. quia cum loquatur de iis, qui octauo mense eduntur, quomodo potest fieri, vt dicat, commotionem, quæ mense octauo accidit, continuã esse cum nono? cum non debeat noni mensis commotio in huiusmodi partubus considerari. Nam si octauo editur fœtus, quomodo ad nonum vsque pertingit? Intelligatur itaque de septimo: cuius mensis commotionem si consequatur commotio in octauo, sic vt duabus his continuis commotionibus debilitatus infans nonnisi mortuus exoriatur. Quod autem ad huius rei historiam attinet, multa legi possunt apud Galenum περὶ φιλοσόφου ἱστορίας (quamquam Galeni opus esse negant) tertio etiam περὶ κρισίμων ἡμερῶν paucula quædam. Quo quidem in libro & Mathematicas illas Pythagoreorum numerorum vires omnino, vt rem vanissimam deridet. Apud Aulum Gellium etiam, atque ὅρων ἰατρικῶν auctorem, nec non Hippocratem ipsum in proprio περὶ ὀκταμήνου libello, & septimo de historia animaliũ cap. quarto apud Aristotelem aliqua. A nobis enim, quia præter institutum videntur, ac nihil minus, quam vanissimas istas ostentationes misere amamus, eo consilio prætermittuntur.

Vergilius Æneid.

Æoliam venit, hic vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.]

Elegantissima profecto ac omni suauitate referta res est fabularum notitia, non puerilem illam dico etiam imperitæ multitudini expositam, sed eam, quæ caussas, vnde illæ emanarint, aliqua ratione perspicere potest. Ecce enim vbi fictitii huius Æoli regni caussa ex Aristotele innotuerit (nam Strabonem nunc, Palæphatumque περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν omittimus) quis iam non mira animum voluptate perfundatur? Scribit itaque in Meteorologicis summus Philosophus, quod apud Aeoli appellatas Insulas, vbi ventus futurus est Notus, fit eius rei significatio quædam. Edi enim in locis iis, vbi flatus sub terra ge-

Digitized by Google

petrari, aut quoquo modo intercludi solent, sonitus quosdam ait; id autem ex eo accidere, quod mare a vento e longinquo impulsum intercludat egressum subterranei spiritus, eumque ad specus repellat interiores. Sed hæc melius, atque latius invenies Aristotelis verbis, quæ sunt: τεκμήριον δ' ἐστι τοῦ ῥεῖν ὑπὸ γῆν ... τὸ γιγνόμενον περὶ τὰς ... νήσους. ὅταν γὰρ ... μέλλῃ πνεῖν νότος, προσημαίνει πρότερον· ἠχοῦσι γὰρ οἱ τόποι ... γίνεται τὰ ... φυσήματα, διὰ τὸ τὴν θάλασσαν μὲν ... πόρρωθεν· ὑπὸ δὲ ταύτης τὸ ἐκ τῆς γῆς ἀναφυσώμενον ἀπὸ ... τῆς εἴσω ... ἐπέρχεται ἡ θάλαττα ταύτῃ. Quam quidem rem Aeolius fortasse cum obseruasset, potuit facile apud feras propemodum, incultasque gentes rex ventorum existimari. Quod deinde factum Poetæ exceptum adeo lepide suis carminibus persecuti sunt, quod non temere Cornel. Gallus, Poetarum mendacia dulcia, dixit.

Aristoteles Meteorol.

οἷον ὕδωρ ἐν σώματι οὐ δυνάμενον διεξελθεῖν.]

Aldi quidem codex & ipse sic habet. Ego tamen totum illud ἐν σώματι, vtpote otiosum ac superuacaneum, censeo esse auferendum: quippe ex proximo loco sine omni dubio huc irrepsit. quod quidem, ceteris omissis, ex interprete Latino patet, atque adeo ex Alexandro ipso. qui ea verba nullo modo exprimentes tacite prætereunt.

Aristoteles Analyt. Priorum primo cap. 29.

τὸ γὰρ β τῷ μὲν α παντί, τῷ δὲ η οὐδενὶ ὑπάρξει.]

Etsi recte admodum Paron ille Pythagoreus ἀμαθέστατον tempus appellare consueuerat, propterea quia obliuionem plerunque in rebus induceret; non insipienter tamen aliqui contra sequenti σοφώτατον πάντων ipsum esse dixerunt. Siquidem plurimarum rerum scientiam secum subinde affert dies, variusque labor mutabilis æui. Ecce locus hic obscurissimus antea & nemini cunquam nec veterum, nec recentium (quod quidem conster) satis cognitus lucem aliquam, ni fallimur, hoc tempore a nobis recipiet. Cum enim corruptissimum sine omni dubitatione eum esse intelligeremus, sublato mendo sic expurgantes legimus, τὸ γὰρ β τῷ μὲν α παντί, τὸ δ' ε οὐδενὶ ὑπάρξει. Ratio autem, quæ me, vt ita scriberem, impulit, ea est. Cum enim β & ε contraria esse ponantur, hoc est cum aliquod consequens ad α ponatur contrarium alicui antecedenti ipsum ε, vt puta exempli gratia (ἀγαθὸν ... enim καὶ ἐπιστητόν) cum appetendum, quod ad α consequitur, sit contrarium huic antecedenti ipsum ε, iucundum. Cum igitur appetendum & iucundum sint posita esse contraria, patet quod illi verum

Digitized by Google

verum est dicere, *Omne α bonum est appetendum*, verum etiam fuerit, *Nullum bonum est iucundum*. At *omne iucundum est voluptuosum*, factaque conuersione huius quæ futura est minor in secunda figura, sequetur *quod aliquod η voluptuosum non est α bonum*. Idem est enim ac si statim coniugationem ε η fecissemus. Quia η iucundum cum sit positum esse contrarium ipsi β consequenti ad α, alienum erit ab eodem α. At in δ constituta sunt, quæ aliena ab α. Atqui in coniugatione δ η semper fit syllogismus particularis negatiuus, vt est notatum etiam in diagrammate, & si fiat in secunda figura, minoris facienda conuersio est. quæ omnia in nostra interpretatione congruere apparent. Quam apte autem & reliqua verba consentiant, satis perspicuum est, ea nempe, ὥστ' ἀνάγκη τὸ η πρῶτον ἐν εἶναι τῷ δ. Quorsum enim hæc, nisi dictum esset ipsum η nulli α inesse? ἀπροσδιόνυσα sunt certe, quod aiunt. Verum & quæ adhuc sequuntur, τὸ γὰρ μὴ ἐνδέχεσθαι τὸ β, καὶ τὸ η τῷ αὐτῷ ὑπάρχειν, id ipsum maxime confirmant.

Aristoteles Topic.

ἁπλῶς δ' οὐκ εἰσὶ φύσει σπουδαῖοι.]

Facinus indignum fortasse, & nefarium propemodum crimen censeri posset, si quis eo impudentiæ deueniat, vt Alexandri inter Peripateticos interpretes maximi expositionem vnquam accusare, aut tantillum labefactare aggrediatur. Atque ego quidem cunctanter sane hoc ipsum facio, ac nisi res ipsa pro se & Aristoteles aliquot locis aperte contra Alexandrum starent, nunquam me hercule cum tanto viro congredi sustinuissem. Ait itaque Alexander, illud φύσει superuacaneum esse, sic inquiens: κατὰ δὲ τὴν λέξιν τὴν, ἁπλῶς δ' οὐκ εἰσὶ, τὸ φύσει περισσῶς πρόσκειται. ἔστι γὰρ αὐτάρκες τὸ, ἁπλῶς δ' οὐκ εἰσὶ σπουδαῖοι ἀνθρ. Negatur ista αὐτάρκεια o Alexander. Siquidem rei, quæ hic traditur, ratio huiuscemodi est: Non valet in omnibus, quod si quid verum sit secundum quid, aliquando, alicubi, simpliciter etiam verum est. Nam liberales ac temperantes studiosi sunt illi quidem natura secundum quid, non tamen simpliciter natura. Quia si simpliciter natura studiosi sint, necessario erunt tales: atque non ex consuetudine recte & cum virtute agendi. Quare nec virtutes quidem ethicas habebunt: & liberales temperantesque non erunt, nec liberales nec temperantes. Hæ enim sunt virtutes per bonam consuetudinem acquiratæ. aduersarius autem necessario eos tales esse asserit, cum natura simpliciter liberales esse ac temperantes affirmet. Manifestum itaque est, quod illæ particulæ κατά τι & ἁπλῶς debent omnino adiungi ipsi nomini φύσει. Quod si, vt vult Alexander, auferatur, iam quo illæ particulæ referantur, non habebunt. Retinenda ergo est vox φύσει. Illo enim

animum intendit Aristoteles, quod Ethicorum Nicomachicorum secundo docuit his verbis: καὶ ἔτι δυνατοὶ μὲν ἐσμὲν φύσει, ἀγαθοὶ δὲ ἢ κακοὶ οὐ γινόμεθα φύσει. εἴπομεν δὲ περὶ τούτου πρότερον: Facultas quædam inquit, tributa est nobis a natura, vt aut boni, aut mali esse possimus, eiusque rei semina quædam tantum in nobis sunt, sed non perfecte tales, aut tales natura nascimur, quemadmodum & paulo ante dixerat, οὔτε ἄρα φύσει, οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρεταί, ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτὰς, τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους. Quod ipsum ante etiam Aristotelem a sapientissimo Timæo Locro in suo de animo mundi & natura libello traditum est, sicuti cetera, diuinitus. Is enim postea quam docuit, quibusnam rebus tum corporis, tum animi bona continerentur, horum principia quidem a natura nobis tributa esse dicebat, medias vero affectiones, perfectosque habitus diligentia omnino ac industria parari debere. Ipsius autem verba hæc sunt: τουτέων δὲ ἀρχαὶ μὲν ἐκ φύσιος, μέσα δὲ καὶ πέρατα ἐξ ἐπιμελείας σώματος τε διὰ γυμναστικᾶς καὶ ἰατρικᾶς. ψυχᾶς δὲ διὰ παιδείας καὶ φιλοσοφίας. Ex quibus iam planissime constat, non simpliciter natura homines studiosos esse aut vitiosos, sed natura secundum quid: simulque clarum fit, quod verbum φύσει non est, vt placuit Alexandro, vllo pacto expungendum.

Aristoteles Topic.

Οἷον ἐπεὶ ὁ εἴπας ζῶον ἴδιον τὸ ψυχὴν ἔχειν, οὐδενὶ κέχρηται κοινῷ.] Quæ hic ab Alexandro scribuntur, tametsi vera sunt, ab hoc tamen loco sunt alienissima. Hæc autem scribit, τὸ δὲ λέγειν ἴδιον τοῦ ζώου τὸ ψυχὴν ἔχειν, ἔοικε γραφικὸν εἶναι σφάλμα. οὐ γὰρ ἠγνόησεν ὁ φιλόσοφος μὴ εἶναι ἴδιον τοῦ ζώου τὸ ψυχὴν ἔχειν. κοινὸν γὰρ τοῦτο καὶ τοῖς φυτοῖς. κεῖσθαι γὰρ μᾶλλον ὀφείλει ζώου ἴδιον εἶναι, τὸ αἰσθητικὸν εἶναι, ὡς τοῦ αἰσθητικοῦ μόνῳ τῷ ζώῳ ἐφαρμόζοντος. Sed nullum est in scriptura mendum, integerrime omnia se habent, vt intelligere quiuis facile potest, qui alios locos inspexerit, in quibus eandem proprietatem animali assignauit Aristoteles. Nam & paulo infra dixit, οἷον ἐπεὶ καθ' οὗ τὸ ψυχὴν ἔχειν τὸ ζῶον ἀληθεύεται, καὶ καθ' οὗ τὸ ζῶον τὴν ψυχὴν ἔχειν, εἴη ἂν τὸ ψυχὴν ἔχειν ζώου ἴδιον. Et adhuc inferius, ἢ ἁπλῶς καθάπερ ζώου τὸ ζῆν. Locus postremo, qui est in fine fere huius quinti, dictum Alexandri omnino refellit. Locus vero est, οἷον ἐπεὶ ἦττόν ἐστιν ἴδιον ζώου τὸ αἰσθάνεσθαι ἢ τὸ ζῆν, ἔστι δὲ τοῦ ζώου τὸ αἰσθάνεσθαι ἴδιον, εἴη ἂν τὸ ζῆν τὸ ζῷον ἴδιον. Neque vero rationum nostrarum robur infringere vllo modo debet, quod Aristoteles ipse proprietatem hanc ab animali remouisse appareat, quo loco ait, οἷον ἐπεὶ ὁ εἴπας ζῶον ἴδιον τὸ ψυχὴν ἔχειν οὐκ ἔθηκεν εἰς τὸ τί ἐστι τὸ ζῶον, οὐκ ἂν εἴη καλῶς κείμενον τὸ τοῦ ζώου ἴδιον. Alias enim eandem rem modo adstruere in cæte-

exemplis, modo euertere solitus est in his libris Ecce paulo supra proprium esse hominis τὸ ζῷον ἐπιστήμης δεκτικὸν statuit, cum diceret, οἷον ἐπεὶ τὸ ζῷον ἐπιστήμης δεκτικὸν κατὰ παντὸς ἀνθρώπου ἀληθεύεται, καὶ ᾗ ἄνθρωπος, εἴη ἂν ἀνθρώπου ἴδιον τὸ ζῷον ἐπιστήμης δεκτικόν. & tamen reiicit idipsum non longe ab hoc loco his verbis: ἐπεὶ τὸ μὲν ζῷον ἐπιστήμης δεκτικὸν ἀληθεύεται κατὰ θεοῦ, ὁ δ' ἄνθρωπος οὐ κατηγορεῖται, οὐκ ἂν εἴη τοῦ ἀνθρώπου ἴδιον ζῷον ἐπιστήμης δεκτικόν. Hæc si Alexander animaduertisset, numquam puto vitium esse in lectione dixisset. Non enim hæc nunc sibi ad docendum proposuit Aristoteles, verum sit animali magis proprium sensus an anima. sed satis habet, si quæ ab ipso de proprio dicuntur, exemplis aliquibus aperire atque illustrare possit.

Aristoteles Topic.

ἄλλος γὰρ, ὁ ἐν ἠρεμίᾳ καὶ ὁ ὁρισμοῦ.]

Sic quidem legitur in libris omnibus, quos inspexi. Sed perperam dubio procul. ὁρισμὸν enim restituendum est, quemadmodum & Alexander legit interpretaturque, & sequentia verba ac loci sententia postulant.

Aristoteles Physic.

ἴσωνται αἱ ἰσῶντες ἴσοι ὄγκοι ἐφ' ὧν τὰ α α α α.]

Egregius nostra tempestate Philosophus Franciscus Vicomercatus, qui & voce, & scriptione rem Philosophicam iuuare summo studio cõtendit, nonnihil atque adeo multum deceptus est hac in parte, qui moles illas ab Aristotele hoc situ atque ordi-



ne statui crediderit. sic enim eas ipse in hoc diagrammate nobis exponit. Ceterum isti diagrammati Aristotelis dicta conuenire non possunt. Nam constituatur primo initium spatii D. Ex molibus itaque α α α α, quæ in medio spatio collocatæ sunt prima erit, quæ prima & propius spectat ipsum E spatii extremum. Circa has ipsæ β ad medium collocentur. Non potes supra α collocare, si ipsæ γ debeant incipere ab extremo α, & ferri contrariò

motu quam ipse β, atq; etiam si primum γ, & primum β debent peruenire ad contraria extrema. Hunc enim situm, hunc ordi-



nem requirit, docetque Aristoteles. Moles igitur sic instruendæ sunt ex vera, germanaque auctoris sententia. Sed non omnis omnes.

Aristoteles περὶ οὐρανοῦ.

Ἀνάγκη ἄρα ἐκ τούτων, εἴ τι ἔστιν ἄπειρον βάρος, κινεῖσθαι μὲν ἢ τοσόνδε ὅσον τι πεπερασμένον, καὶ ἔτι, κινεῖσθαι δὲ ἢ ἀνάλογον μὲν οὐ κατὰ τὰς ὑπεροχὰς μὴ κινεῖσθαι, ἐναντίως δὲ τὸ μεῖζον ἐν τῷ ἐλάττονι. Sic & in Aldinis, & iis, quos recens Basileæ impressos vidimus [illegible] rum corruptissime. vt mirum sit, tantam labem in tam nobili scriptore vel non animaduersam, vel non elutam fuisse. Cum præsertim & Argyropylus, & vetus interpres, satis ad id præbendum afferrent adiumenti. quantum enim ex eorum translationibus intelligere possumus, particulam negatiuam οὐκ, post dictionem ἔτι, non post ὑπεροχὰς, legisse videntur: quamquam, quod ad Philosophi sententiã attinet, neque isti, meo iudicio, aliena admodum sunt. Vnde factum est, vt ante καὶ in interpunctionem fecerint: atque inde rursus sequentis membri initium statuerint. Ita enim ipsorũ se habet interpretatio, Argyropyli quidem, *Moueatur enim necesse est, quo tantum quantum est finitum: & insuper non moueatur rursus necesse est, &c.* Veteris vero interpretis, *Nec [illegible] est igitur ex his, si quæ est infinita grauitas, moueri quidem secundum tantum quantum finita: & adhuc non moueri quidem eo quod, & reliqua.* Verum omnino illud totum καὶ ἔτι connectendum est cum præcedentibus, mox post ipsum interpungendum est, quemadmodum & Græci habent codices. Locus itaque sic legetur, ἀνάγκη ἄρα ἐκ τούτων, εἴ τι ἔστιν ἄπειρον βάρος κινεῖσθαι μὲν ἢ τοσόνδε, ὅσον τι πεπερασμένον, καὶ ἔτι. μὴ κινεῖσθαι δὲ, ἢ ἀνάλογον [illegible] κατὰ τὰς ὑπεροχὰς κινεῖσθαι, ἐναντίως δὲ τὸ μεῖζον ἐν τῷ ἐλάττονι. Ex qua quidem lectione sensus aptissime elegans

elegans elicitur homini. Si itaque pondus aliquod infinitum est, inquit, necesse est, illud ratione suæ immensæ molis moueri quidem tantum, quantum pondus finitum, & moueri adhuc amplius quam finitum. quatenus deinde excessuum analogia quædam attendenda est in maioris minorisque ponderis motione, ita vt quod maius est, idem spatium in minori semper pertranseat tempore, quod minus est viceuersa in maiori; eadem eum ratione fieri non potest, vt infinitum vllo pacto moueatur: cum nulla reperiri possit finiti ad infinitum proportio. Atque ita locum satis restitutum simulque explicatum esse arbitror. Id quod & in ceteris vt faceremus, sedulo operam dedimus.

Aristoteles περὶ γενέσ. & φθορ. τοῦ β.

[τὰ δ' ἔσχατα στήκει εἰς ἄλληλα.]

Si quis loci sententiam expendat non oscitanter, atque ea, quæ hac in parte & inferius adhuc traduntur, studiose animaduertat, illud fore arbitror, vt is propositis in verbis integritatem plane requirat. Equidem quorsum attineant verba hæc, si quemadmodum nunc sunt in omnibus codicibus legantur (*ingenii fortasse culpa*) perspicere non possum. Etenim quæ nam vel tantillum apta sententia, ac rei, qua de agitur, consentiens educetur vnquam? Nam quæ a Ioan. Grammatico affertur nullo modo mihi potest placere. Eam autem ex ipsius commentariis petat, si quis volet. Nos enim in eo sumus maxime, ne nostrum hoc exile opusculum ex traductis hinc inde aliorum scriptis augere coaceruareque velle videamur: perinde quasi moles operi pretium addat, non egregia summi artificis industria. Sed ad sese reuertatur iam instituta oratio. Perspicuum certe est, Aristotelis consilium esse, vt doceat, non posse ex elementis vnum aliquod reliquorum esse principium. Nam siue illud extremum sit, siue intermedium elementum, quin absurda maxima consequantur, euitari non potest. Si enim extremum sumseris, puta ignem aut terram, ex quo reliqua tria constituas; etiam illa tria eiusdem erunt naturæ, ignea nempe aut terrea. Quare ex igne omnia oriri aut ex terra dicenda erunt. Sin aerem aut aquam, quæ intermedia sunt, principium statuas ceterorum elementorum, eueniet rursus vt Empedoclis confirmetur opinio, quæ tamen & in his libris, & iis, qui de Cœlo conscripti sunt, acerrime impugnata est; cum is elementa hæc quatuor ἀμετάβλητα esse asseueret: quod & hi facere coguntur, qui intermedium elementum principium ponunt. Nam cito sane, aer quidem in ignem & aquam mutetur, aqua vero in aerem & terram; extrema ipsa in quodnam mutabuntur? Neque στήκει εἰς ἄλλα, (sic enim sic legendum est) non igitur in alia præter hæc quatuor.

alioquin res nobis in infinitum abibit. Quare omnibus, vt etiam paulo post Aristoteles colligit, mutua erit inter sese transmutatio; neque ex his vnum præcipue erit aliorum principium; atque ita, quod initio volebamus, assequimur. Hæc quanquam satis sunt, vt tu vides doctissime Victori, explicatione nostra illustrata, vt de hac lectione dubitandum non sit, faciam tamen, vt ex eo potissimum Aristotelis loco, qui paulo infra positus est, planissime rem omnem communiam atque confirmem; locus is est ὅτι δ' εἰς ἄπειρον οὐχ οἷόν τε ἰέναι (καίπερ μέλλοντες δείξειν ἐπὶ τούτου ἔμπροσθεν ἤλθομεν) δῆλον ἐκ τῶνδε. εἰ γὰρ πάλιν τὸ πῦρ ἐφ' ᾧ Ω εἰς ἄλλο μεταβαλεῖ, καὶ μὴ ἀνακάμψει, οἷον εἰς τὸ Ψ, ἐναντιότης τις τῷ Ψ ἄλλη ὑπάρξει τῶν εἰρημένων. Quo nam spectat hæc oratio? Vos ego appello, magni Philosophi, qui quotidie in scholis super Aristotele vociferamini, nihil aliud. quo, quæso vos, ea tendit? an non vt probet non posse extrema elementa mutari in alia corpora ab intermediis elementis diuersa, sed necessariam esse reflexionem? Est ita sane. Atqui id ipsum, vbi etiam a me notatus est error, facere instituerat. ceterum cum alio vagata esset oratio, in hunc ipsum locum reiecit.

Aristoteles de anima 3.

εἰ δ' ἡ συμφωνία φωνή τίς ἐστιν.]

Insanire fortasse istorum cuipiam videbor, qui cum vixdum Aristotelem attigerim, audeam meam in eo interpretando consummatissimis Philosophis, exercitatissimisque interpretibus anteferre sententiam. Sed amabo te animum huc aduerte, egone an isti grauiter, vt solent sæpissime, deliraturi sint. Nego ego satis erudite facere Io. Grammaticum, Simplicium vestrum, Plutarchum etiam, atque eos omnes, qui lectionem hanc integram, quæque in optimis quibusque libris reperiatur, immutantes, εἰ δὴ scribi oportere peruicacissime defendunt. Quid nasum contraxistis vanissimi vestri ipsorum admiratores? An ægre fit v... s, quod inueterata vestra in apertum prodit inscitia? Dicite ... c causam vestram. An ea vos impellit ratio, ne prædicato articulus adiungatur? Probe sane. Vitium enim esset vel maximum. Sed illud mihi dicite excellentissimi viri (namque his nominibus gaudere vos animaduerti) est ne συμφωνία prædicatum? Est certe, asseuerabitis. Atqui hoc ipsum ego iamiam euertam. Nonne clarum admodum est id agere Aristotelem, vt doceat, auditum ipsum esse λόγον τινα? Vt autem id commode efficiat, accipit primo minorem, ἡ συμφωνία φωνή τις. mox maiorem propositionem adiungit, quæ est: λόγος δὲ ἡ συμφωνία. ergo in tertia concluditur, τὴν ἀκοὴν λόγον τινὰ εἶναι. Ac ratione quidem sumtorum in propositionibus terminorum debuisset conclusionis subiectum esse ἡ φωνή. Sed crimen iam amouit Aristoteles

stoteles, cum ob hanc ipsam rem docuit, vocem & auditum aliquo modo esse idem, eo loco: ἡ δὲ φωνὴ καὶ ἀκοὴ ἐστιν ὡς ἕν. Quare si quæ de voce concludenda erant, ea de auditu, cum idem cum voce sit, concluduntur, nemini iam mirum videri debet. Satis ne hæc vobis cohærere videntur? Satin' candida est, emendataque recepta lectio? plusquam satis, opinor. Illud etiam postremo loco negligendum non fuit (quanquam vos egregii enarratores, qui altissima speculari videri vultis, leuia hæc parui penditis) quam docte ac scienter coniunctio collectiua, δὴ, initio alicuius futuri sermonis collocari possit, cum in fine potius vel natura nos moneat, vt statuamus. Phalereus enim in his, quæ de vsu expletiuarum coniunctionum præcipit, aliam omnino rationem secutus, quæ oratorum magis, poetarumque propria est, ἀρχαϊκῶς quandoque ipsam δὴ ad orationis magnificentiam poni dixit. Εἰ δὲ autem rectissime eo modo vsurpatur, quale est, ne longe discedamus, quod paulo superius legitur. εἰ δ᾽ ἐστιν ἡ κίνησις, καὶ ἡ ποίησις, καὶ τὸ πάθος ἐν τῷ κινουμένῳ, ἀνάγκη καὶ τὸν ψόφον, καὶ τὴν ἀκοὴν τὴν κατ᾽ ἐνέργειαν ἐν τῇ κατὰ δύναμιν εἶναι. Quare hoc etiam in loco, εἰ δ᾽ ἦ, non εἰ δὴ legendum esse apparet.

Ouidius Metamorph.

Ille etiam Thracum populis fuit auctor amorem
In teneros transferre mares.

Quod scribit Homeri Scholiastes in secundum Iliad. nonnihil visum est mihi facere ad hunc locum. Is enim nequaquam cũ Ouidio consentit. Nam alium affert huius amoris auctorem. De Thamyri enim nescio quo loquens ita scribit: οὗτος παῖς ἦν φιλάμμωνος, καὶ ἀργιόπης νύμφης, τὸ γένος θρᾷξ, ὃς ἔσχεν αἰσχρὸν ἔρωτα ἀρρένων ἀρξάμενος ὁρμῶν ἀρρένων.

Ouidius Metamorph.

Sine pondere habentia pondus.]

Vere illud dici potest, non aerem, non aquam, non ignem plures vsus præbere mortalibus, quam literas Græcas omnis humanitatis studiosis. Ecce in poeta Latino, nisi illæ præsto sint, laborabimus frustra, & diu ne quicquam torquebimur, aptum horũ verborum connexum indagantes. Ad si ad Græcorum phrasim rem reuocemus, faciamusque βάρος ἀβαρὲς, plana omnia & dilucida erunt.

Horatius Carmin.

Persicos odi puer apparatus.]

Suidas cum explicat, quid sit περσικὸς ὄρνις, illud addit, τὰ πολυτελῆ πάντα, οἷς ὁ βασιλεὺς ἐχρῆτο ἐκαλεῖτο περσικά. Hunc vsum secutus Horatius lautissimos & immodici sumtus apparatus Persicos appellauit.

Terentius Andr.

Commigrauit huc viciniæ.]

Interpretum partim *Huic* putat legendum, partim viciniæ asseruat esse παρ' ἄλλων. Puto ego expressum fuisse a Comico eum loquendi modum, quo & ipse Atticæ eloquentiæ princeps in oratione περὶ στεφάνου vsus est, ὁ γὰρ ἐνταῦθα, inquit, ἑαυτὸν τάξας τῆς πολιτείας εἰμὶ ἐγώ. Iam videre est eodem modo hic dictum esse, ἐν ταῦθα τῆς πολιτείας & illic, *Huc vicinia*. Summus quoque & dicendi, & intelligendi magister Plato primo Politicorum sic locutus est: οἱ γὰρ ἦν τοῦτ' αἴτιον κἂν ἐγὼ τὰ αὐτὰ ἐπεπόνθειν ἕνεκά γε γήρως. καὶ ἄλλοι πάντες ὅσοι ἐν ταύτῃ ἦλθον ἡλικίας.

Virgilius Æneid.

Monstrare meorum

Vidistis si quam hic errantem forte sororum.]

Dixit *Hic* etiamsi vtatur participio motum significâte. Quod tamen ipsum recte fit, eo modo, quo Græcis etiam præpositio ἐν, in motu exprimendo vsurpatur. quem modum in libro περὶ σχεδῶν tradit Moschopulus his verbis: ἐνίοτε καὶ κίνησιν ἐν ἡ ἐν δηλοῖ. οὐ μόνον ἐπὶ τῶν ἀπὸ τινος εἰς τι.

Euclides Element. primo.

Καὶ ἡ ἐφεστηκυῖα κάθετος καλεῖται ἐφ' ἣν ἐφέστηκεν.] Postrema horum verborum non sunt, vt prima fronte videri possint, superuacanea, imo contra in definitione catheti necessario collocanda sunt. Vt enim eius natura, quæ quidem in relatione consistit, recte ac scienter euolui declararique posset, illud quoque, ad quod refertur, adiungendum fuit. Quod melius adhuc nobis expositum fuerit, si locum tertii eiusdem propositione 18. inspexerimus. is ipse est: ἐὰν κύκλου ἐφάπτηταί τις εὐθεῖα, ἀπὸ δὲ τοῦ κέντρου ἐπὶ τὴν ἁφὴν ἐπιζευχθῇ τις εὐθεῖα, ἡ ἐπιζευχθεῖσα κάθετος ἔσται ἐπὶ τὴν ἐφαπτομένην.

Ouidius Metamorph.

Et humanas motura tonitrua mentes.]

Pythagoræorum sententiam aliquam ex parte secutus esse videtur eam, quam in secundo Analy. Posteriorum refert Aristoteles eo loco, vbi docet fieri posse, vt eadê res & propter finê aliquê sit, fiatque, & ex necessitate. Eius verba sunt, ὥσπερ εἰ βροντᾷ ἀποσβεννυμένου τοῦ πυρὸς, ἀνάγκη σίζειν καὶ ψοφεῖν, καὶ ὥσπερ οἱ πυθαγόρειοί φασι, ἀπειλῆς ἕνεκα τοῖς ἐν τῷ ταρτάρῳ, ὅπως φοβῶνται.

Aristoteles Analyt. Poster. I.

Τοῦτο δ' εἰ ἔστι περιττὸν ὁ ἀριθμὸς συντιθέασι.]

Sic sane interpuncta reperitur lectio, in quibuscunque videre mihi contigit exemplaribus. quam & res ipsa, si attendatur diligenter, probat, & Aristotelis subsequentia dicta plane confirmant: quæ talia sunt, ἀλλὰ μὴν ἀνάγκη γε πάντα ὑπάρχειν τῷ περιττῷ, εἰ ἐστὶ δ̓ ὑψ... Quare quid secutus Ioannes Grammaticus sui Philosophi distinctionem refellere tentarit, non satis ego videre possum.

Aristo-

Aristoteles Poster. 2.

ἔτι πρὸς τὸ μηδὲν παραλιπεῖν ἐν τῷ τί ἐστι. οὕτω μόνως ἐνδέχεται.] Non est Eustratii hac quidē in parte accipienda expositio: quippe ad quam in Aristotelis dictis apertissima consequatur repugnantia. Est autem hominis explanatio; τοῦτο ἴσως ἐστὶ τῆς διαιρέσεως χρήσιμον. ἐπεὶ γὰρ ἐκλεγομένους τὰ μέρη τοῦ ὁρισμοῦ δεῖ πάντα ἀθροίζειν ἀνελλιπῶς τὰ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενα, καὶ ἐκ τούτων συνθεῖναι τὸν ὁρισμόν. φησὶ τοῦτο μὴ ἂν ἄλλως γενέσθαι, ἢ διὰ τῆς διαιρέσεως. Atque ita existimat consilium Aristotelis esse, vt doceat solam diuisionem præstare posse, ne quid in rerum vi, atque natura per definitionem demonstranda prætermittatur. At in hoc eodem libro diuisiua methodus redarguta est, eiusque est ad hoc etiam munus obeundum monstrata ineptitudo, eo loco; ἔτι τί κωλύει ἢ προσθεῖναί τι, ἢ ἀφελεῖν, ἢ ὑπερβεβηκέναι τῆς οὐσίας; Quid ergo? Longe aliam loci interpretandi rationem nos inimus, hanc videlicet; *Methodus ista non est admodum opportuna ad definitionis constitutionem.* Ceterum si certa adhibeatur cautio, hoc tantum pacto vtilis erit & commoda. Nam si ordo seruetur is in adiungendis ipsi primo generi differentiis, vt primum semper obtineat locum ea, quæ amplior & magis erit communis, vt prædicata omnia assumantur, quæ rei naturam constituere possint (quod hic facere, & in loco, quem attulimus, docemur) aliquid atque adeo multum vtilitatis ex diuisione percipiemus. Atque huc tendere Aristotelis dicta, tum ex ea, quam statim affert, intelligi ratione potest, tum vero ex his, quæ paulo infra posita sunt, apertissime constat, quæ sunt: οὕτω μὲν οὖν βαδίζοντι ἐστιν εἰδέναι, ὅτι οὐδὲν παραλέλειπται. ἄλλως δὲ, καὶ παραλιπεῖν ἀναγκαῖον, καὶ μὴ εἰδέναι. Etiam satis, puto, huius viri refutatam esse interpretationem; & eam pariter (nam nihil discrepant) quam Philoponus tuetur.

Virgilius Æneid.

Troiaq; nunc, pueri Troianum dicitur agmen.]

Tangit veterem nobilium adolescentum apud Romanos cōsuetudinem: de qua politissimus scriptor Dion Nicæus in Iulio Cæsare meminit, τὴν δὲ ἱππασίαν, scribit ille, τὴν τροίαν καλουμένην οἱ παῖδες εὐπατρίδαι, κατὰ τὸ ἀρχαῖον, ἐποιήσαντο. ἐφ᾽ ἁρμάτων οἱ νεανίσκοι οἱ ὁμόλογοι αὐτοῖς ἡμιλλήσαντο.

Theodorus Gaza Grammat. 4.

πολλοὺς τὸν λόγον, ἐνδεῖν τὴν κατὰ] Quisquis verba hæc conuertit, ridicule illud & inscite fecit. Sic enim Latina habet interpretatio: *Sæpe eidem in oratione deficere* κατά. Cum Theodorus πολλοὺς τὸν λόγον, truncæ exemplum orationis esse voluerit.

Virgilius Eclog.

Æthiopum versemus oues sub sidere Canceri.]

Non est enim quisquam vitio vertat Virgilio, quod is, dum vellet maximum feruentissimumq; Æthiopiæ æstum exprimere, id anni tempus protulerit, in quo remissior multo ibi solis est ardor: vt iis quoque notum est, qui astronomica leuiter attigerūt. Nam quanto ad nos propius sol accedit, eo magis eiusdem recessu Æthiopiæ ceterarumque, quæ iuxta æquinoctialem plagam incolunt, regionum mitescit feruor. Verum poeta vulgarem, & quæ ouium pastorem deceret, opinionē secutus est: qui crassam quādam instituentes ratiocinationem, ex eo, quod eo mense in nostro climate calorem ingrauescere sentiunt, multo illic vehementius adaugeri æstum arbitrantur. Nisi forte intellexit de Æthiopia Media appellata, quæ prope est Tropicum Cancri, vt ex iis patet, qui τὰ περιηγήσεις describunt.

Aristoteles Topic.

οὐ γὰρ ἡ ἀποβολὴ ἢ τὸ ἐναντίον φευκτότερον αὐτὸ αἱρετώτερον.] Pudet me Perionii vicem hoc loco, qui plusquam pueriliter in eo vertendo lapsus fuerit, particulāq; ἢ. comparationem, nescio quam, non disiunctionem potius significare crediderit. Nam reddit, *Quam cōtrarium.* Quod homini non ineruditissimo, modo paulum quid & sententiam, & orationem ipsam perpendat atque examinet, ne in mentem quidem veniet opinari. Quis est enim tam hebes, quin intelligat Arist. velle, Illud magis expetendum esse, cuius amissio, aut cuius contrarium magis est fugiendum?

Virgilius Æneid.

Iustitiæ ne prius mirer, belli ne laborum?]

Deesse accusatiuum, *Te*, Græcorumque locutionem credimus imitatum esse Virgilium. Illi enim frequentissime sic loquuntur, θαυμάζω σε τοῦτου: *In te admiror hanc rem*, siue *admiror te ob eam rem*. Deficit enim in huiusmodi phrasi præpositio ἕνεκα, vt recte docuit etiam Budæus.

Valerius Maximus lib. 5. cap. 8.

Titus autem Manlius Torquatus propter egregia multa raræ dignitatis, iuris quoque Ciuilis & sacrorum pontificalium peritissimus.] Sic quidem legunt & Aldus, & Gryphius: sententia tamē, & consecutio particulæ, *Quoq;*, cogere propemodum videntur, vt *Præter*, legamus.

Valerius Maximus lib. 5. cap. 3.

Cum interim cineribus nostris fœde ac miserabiliter dispersis, Oedipodis ossa cæde patris, nuptiis matris contaminata inter ipsum Areopagum, diuini atque humani certaminis venerabile domicilium, & excelsis præsidiis Mineruæ arcē honore aræ decoratos sacrosanctiores colis: adeo tibi aliena mala tuis bonis gratiora sunt.] Aut mutanda lectio est, aut solœcismum admisit Valerius, qui dixerit, *Ossa decoratos & sacrosanctiores.* Ceterum est quod Deo ipsi gratuam

tiam habeamus, quo iuuante in codicem nuper incidimus in membranis exaratum: cuius ope factum est, vt quam lectionem vtroque loco certa quadam ratione tantum innixi probaramus, eam in auctore ipso ita integre se habentem, certa nunc fide liceat agnoscere. Nam & priore illo loco, *Prater*, legitur in eo libro: posteriore vero, *Decorata*, & *sacrosanctiora*.

Appianus Alexandrinus ἐμφυλ. γ΄.

* ἔτι δ' ὄντες Ἀττικοὶ στρατηγοί.] Ita quidem scriptus, itaque asterisci nota insignitus locus est in nostro codice, typis Regiis excuso. Ceterum nemo est, quin videat mendum inesse, quod tamen nullo negotio auferri potest, si ἀστικοὶ faciamus. Sermonem enim persequitur, quem de Cassio & M Bruto instituerat: de quibus cum dixisset, ᾕρηντο μὲν καὶ οἵδε ὑπὸ τοῦ καίσαρος, nunc apodosin faciens, inquit, ἔτι δ' ὄντες. Neque vero in dubium reuocari decet, fuerint ne hi viri eo tempore prætores, vt ad illos potissimum pertinere debeant verba hæc, ἀστικοὶ στρατηγοί. Nam, vt omittam Ciceronem, Dionem Nicæum in Iulio Cæsare, & alios, plerisque in locis Appianus ipse hoc idem tradit constantissime. Siquidem & ἐμφυλ. β΄. sic scribit: ἀκμάζοντος δ' ἔτι τοῦ περὶ βασιλείας λόγου, καὶ συνόδου μελλούσης ἔσεσθαι τῆς βουλῆς μετ' ὀλίγον, ὁ κάσσιος ἐμβαλὼν δὴ χεῖρα τῷ βρούτῳ, τί ποιήσομεν, ἔφη, περὶ τὸ βουλευτήριον, ἂν οἱ κόλακες τοῦ καίσαρος γνώμην περὶ βασιλείας προθῶσι; καὶ ὁ βροῦτος οὐκ ἔφη παρέσεσθαι τῷ βουλευτηρίῳ. ἐπανερομένου δὲ τοῦ κασσίου, τί δ' ἂν ἡμᾶς καλῶσιν ὡς στρατηγούς, τί ποιήσομεν ὦ ἀγαθὲ βροῦτε; ἀμυνῶ τῇ πατρίδι, ἔφη, μέχρι θανάτου. Non solum autem prætores fuisse, sed vrbanos quoque prætores testatur eodem libro Appianus his verbis: μέλλοντες δὲ ἀμφὶ τότε τῆς πόλεως στρατηγήσειν ὁ βροῦτος, καὶ ὁ κάσσιος ἐς ἀλλήλους διήριζον περὶ τῆς καλουμένης πολιτικῆς στρατηγίας ἢ τῶν ἄλλων προὔχει μάλιστα. patet idipsum & hoc tertio ἐμφυλίων ibi: τοῦ δὲ χρόνου οὕτω συγχωροῦντος αὐτοῖς ἀπειπεῖς ἡγούμενοι τὴν ἐν ἄστει στρατηγίαν προλιπόντες ἀπελθεῖν δόξαν ὑποκρίσιν φιλαρχίας ἰδίων ἐνέγκασθαι, ἡροῦντο ὅμως ὑπ' ἀνάγκης τὸ ἐν μέσῳ διάστημα διατρίψαι ποι μᾶλλον ἰδιωτεύοντες, ἢ ἐν ἄστει στρατηγεῖν. Repetitur eadem ista res, & in δ΄ his verbis: κάσσιος δὲ καὶ βροῦτος ἐστρατήγουν μὲν ἔτι τῆς πόλεως, ᾕρηντο δ' ἐπὶ στρατηγίᾳ καὶ οἵδε ὑπὸ γαΐου καίσαρος ἡγεῖσθαι, συρίας μὲν ὁ κάσσιος, μακεδονίας δὲ ὁ βροῦτος. Ac, ne garrulorum obtrectationi locus vllus relinquatur, στρατηγοὺς sæpe Græcis intelligi, quos prætores vocabant Romani, eiusdem Appiani testimonio, ne longius abeam, plane confirmabo. Ita enim ἐμφυλ α΄ de Sylla Dictatore loquens, ait: καὶ φυλακὴν τοῦ σώματος περιέθετο πολλήν. νόμους τε ἔλυεν, καὶ ἑτέρους ἐτίθει, καὶ στρατηγεῖν ἀπεῖπε πρὶν ταμιεῦσαι, καὶ ὑπατεύειν πρὶν στρατηγῆσαι. Etenim apud Romanos enumerans honorum gradus, id comprobare, quod nos diximus, manifesto deprehenditur.

Virgilius Æneid.

Crateras magnos statuunt & vina coronant.]

Tanta fuit diuinissimi Homeri apud Virgilium admiratio, vt ipsius non res quam plurimas solum, sed & verba sæpissime sibi duxerit esse imitanda, atque Latino ore exprimenda; id quod hoc quoque carmine illum fecisse puto: reddidisse enim hæc Homeri verba, κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο. quæ sic exposuit interpres, ἄχρι τῆς στεφάνης ἐπλήρωσαν, ὅ ἐστιν, ἄχρι τοῦ χείλους. Eorundem Athenæus etiam δειπνοσοφιστῶν α΄ parem attulit sententiam, quæ est: ἐπιστέφονται δὲ ποτοῖο οἱ κρατῆρες, ἢ τοι ὑπερχειλεῖς οἱ κρατῆρες ποιοῦνται, ὥστε διὰ τοῦ ποτοῦ ἐπιστεφανοῦσθαι.

Aristoteles Analy. Prior. I.

ἀλλ' ἔστω μὲν ἐνδέχεσθαι λέγεται, ἢ τῷ ἐξ ἀνάγκης μὴ ὑπάρχειν, ἢ τῷ μὴ ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχειν.] Sic in omnibus, quæ mihi inspicere cótigit, exemplaribus scriptum reperio. Veruntamen locum ego vitiatum esse iudico, omninoque ita censeo esse legendum: ἢ τῷ μὴ ἐξ ἀνάγκης μὴ ὑπάρχειν, negatiua videlicet particula ad posterius illud, ὑπάρχειν adiuncta: quam & sententiæ ratio, & exemplum allatum postulant: & verba, quibus ad exempli expositionem vsus est plane flagitant: hæc enim sunt, τὸ δ' οὐκ ἐξ ἀνάγκης μὴ ὑπάρχειν. Qui quidem locus, quod a nemine hactenus animaduersus fuerit, non parua me capit admiratio. Et iactant deinde nonnulli plusquam gloriose 20 annos, & eo amplius in Aristotele publice interpretando se consumsisse. Vlyssis, credo, erroribus labores suos pares esse existimantes, aut etiam superiores. Sed quid mirum, si παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει φρένας;

Ouidius Metamorph.

Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso.]

Arguit Lucianus fabulosa quædam Græcorum inuenta, in quibus illud etiam, quod de Saturno fabulose traditum est ab eisdem, refellit: rationemque simul explicat, quidnam illi Græci secuti mendacium istud commenti fuerint. Quæ cum minime mihi aliena esse viderentur ab hoc Ouidii loco, libens feci, vt totidem verbis huc transferrem. Is igitur in libello περὶ ἀστρολογίας, scribit in hunc modum: Οὐ μὲν οὖν οὐδὲ τὸν Κρόνον ὁ Ζεὺς ἔδησεν, οὐδὲ ἐς τὸν Τάρταρον ἔρριψεν, οὐδὲ τὰ ἄλλα ἐμήσατο, ὁκόσα ἄνθρωποι νομίζουσιν. ἀλλὰ φέρεται γὰρ ὁ Κρόνος τὴν ἔξω φορὴν πολλὸν ἀπ' ἡμέων, καὶ οἱ νωθρή τε ἡ κίνησις, καὶ οὐ ῥηιδίη τοῖσι ἀνθρώποισι ὁρέεσθαι. διὸ δή μιν ἑστάναι λέγουσιν, ὅκως πεπεδημένον. τὸ δὲ βάθος τὸ πολλὸν τοῦ ἠέρος Τάρταρος καλέεται. Phornutus autem de natura Deorum φυσιολογικῶς περὶ totá rem istam explicare nititur.

Salustius Iugur.

In diuisione orbis terræ plerique, &c.]

Non est vanum existimandum, quod hic traditur a Salustio. Nam illius diuisionis, quæ vniuersum terrarum orbem in duo

præci-

præcipue secabat, sui comparent auctores, & hi quidem grauissimi. Isocrates enim in limatissima oratione ferme extrema (Panegyricum dico) eodem modo partitus est terræ vniuersum ambitum: ait enim τῆς γὰρ γῆς ἁπάσης τῆς ὑπὸ τῷ κόσμῳ κειμένης δίχα τετμημένης, καὶ τῆς μὲν ἀσίας, τῆς δ' εὐρώπης καλουμένης, τὴν ἡμίσειαν ἐκ τῶν συνθηκῶν εἴληφεν.

Ouidius Heroidib.

Cum Venus & Iuno, Pallasque in montibus Ida
Corpora iudicio supposuere tuo.]

Vnde hæc primum orta sit fabula, ostendit Suidas in πάριον. Explicans enim eam dictionem scribit in hanc fere sententiam: πάριον nomen agri, a Paride eo, qui & Alexander, appellatum. Eo enim loci misit Priamus pater educandum. Antea vero Amander hic ipse locus vocabatur. Cumque ibi 30. annos commoratus esset Alexander, ingenii dexteritate præditus, vniuersam Græcorũ sapientiam edoctus est. Edidit autem & orationem, qua Veneris laudatio continebatur, dicens ipsam Pallade præstantiorem esse, atque etiam Iunone. Siquidem Venerem ipsam dixit esse cupiditatem eam ex qua pulcerrima quæque (καλὰ enim nos legimus, non, vt habent codices, κακὰ) hominibus oriuntur. Hinc fertur fabula, nempe ipsum Paridem sententiam tulisse inter Palladem, Iunonemque ac Venerem, Venerique ipsi pomum attribuisse, quod est, victoriam. Hymnum etiam cecinit in eandem, qui Cestus dicitur. Belli caussam hanc fuisse scribunt. Exactis enim triginta annis pater accersitum misit ad sacrificia, qui Spartam profectus cum Helenam reperisset, eam ipsam rapuit. Hæc longiora sint licet, quia tamen non ita trita sunt, aliquibus fortasse grata speramus futura.

Cicero de Offic.

Bene Pericles cum haberet collegam in pratura Sophoclem, & qua sequuntur.] Reperimus in Isocratis Atheniensis oratoris vita, quæ a Plutarcho scripta fertur, non Periclem, sed Isocratem ea de re Sophoclem admonuisse; Plutarchi verba hæc sunt: σοφοκλέα δὲ τὸν τραγικὸν θεασάμενος ἑπόμενον ἐρωτικῶς παιδὶ, εἶπεν, οὐ μόνον δεῖ σοφόκλεις τὰς χεῖρας ἔχειν παρ' αὑτῷ, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὀφθαλμούς. Ita quidem in eius vita legitur, quæ ipsius orationum volumini præfixa Plutarchi nomine circumfertur, falso omnino. Nam præter alia multa, quibus posset conuinci fallacia, testis adest locupletissimus Plutarchus ipse, ex cuius Pericle hæc totidem verbis huc ego transtuli: καί ποτε τοῦ σοφοκλέους, ὅτε συστρατηγῶν (de Pericle autem loquitur) ἐξέπλευσε μετ' αὐτοῦ, παῖδα καλὸν ἐπαινέσαντος, οὐ μόνον, ἔφη, τὰς χεῖρας ὦ σοφόκλεις δεῖ καθαρὰς ἔχειν τὸν στρατηγὸν, ἀλλὰ καὶ τὰς ὄψεις. Nisi velimus itaque eundem sibi pugnantia scribere, Isocratis vitæ auctorem Plutarchum nunquam agnoscemus.

Nec Oetingensis ille (nomen enim effari non licet) reprehensione caret, qui eam tanquam a Plutarcho conscriptam Latinam fecerit.

Aristoteles Ethic. 2.

Τριῶν δὲ διαθέσεων οὐσῶν, δύο μὲν κακιῶν, τῆς μὲν καθ' ὑπερβολὴν, τῆς δὲ κατ' ἔλλειψιν, μιᾶς δ' ἀρετῆς τῆς μεσότητος.] Non est, vt Ferrarienses quidam multis audientibus affirmare sunt ausi, locus iste corruptus aut vitiatus, ne tantillum quidem. Nam quod isti aiunt quod ab Aristotele dictum sit, vitia, & virtutes non esse dispositiones, sed habitus, qui ex dispositionibus comparentur, & quasi coalescant, ea re peruinci maxime, vt ἕξεων, pro διαθέσεων, restituendum sit, totum illud nihil est. Latius enim multo, quam illi putarunt, patet vocabuli vis atque significatio. Etenim dispositionis nomen ad habitum etiam commune est, cuius rei exstat Ammonii testimonium, qui εἰς κατηγορίας, inquit, τὸ τῆς διαθέσεως ὄνομα διττόν ἐστι. τὸ μὲν γὰρ γενικώτερον, ὃ κατηγορεῖται, καὶ κατὰ τῆς ἕξεως. τὸ δὲ, εἰδικώτερον, ὃ ἀντιδιαστέλλεται πρὸς τὴν ἕξιν. Exstat Aristotelis etiam auctoritas dicentis: εἰσὶ δ' αἱ μὲν ἕξεις καὶ διαθέσεις, αἱ δὲ διαθέσεις οὐκ ἐξ ἀνάγκης ἕξεις. οἱ μὲν γὰρ ἕξεις ἔχοντες καὶ διάκεινταί γε πως κατ' αὐτάς. Ex quo item loco recentioris cuiusdam medici error manifesto deprehenditur, qui in suis Medicinæ institutionibus Aristotelem non semel negarit, vllam vnquam huiusmodi significationem in voce διαθέσεως, agnoscere; inque ea re a Galeno differre maxime, quod is sæpe διάθεσιν & ἕξιν pro eodem vsurper. Vt vel hinc appareat, quanta auctoritate, dum vult Aristotelis scriptorum censuram agere, censeri debeat.

Aristoteles Sophist. Elen.

Εἰς οὓς πλειστάκις ἐμπίπτειν εἰώθεισαν ἑκάτεροι τοὺς ἀλλήλους λόγους] Huiusmodi est huius loci scriptura, in quibus ego inspicere potui exemplaribus, quæ quam parum candida integraque sit, eos omnes arbitror intelligere, qui bonos libros bene studiose legere consueuerunt. Mihi quidem illud εἰώθεισαν, ita molestum esse videtur hoc loco, ita interturbare omnia, vt nullus omnino locus sit ei relinquendus. Explosum igitur reiiciatur, proque eo (si quid coniectura valet) ἀήθεισαν sufficiatur; cum præsertim duo Basileæ impressi codices propiore lapsu, εἰώθεισαν, legant.

Porphyrius Isagog.

καὶ τῶν μὲν δύο μιᾷ λειπομένων διαφορᾷ.]

Vir doctissimus Boetius minus lucide, minus etiam recte locũ conuertit. Ita enim transfert, & secundis quidem vna differentia superatis. In quo illud primo non satis proprie, τῶν δύο, secundis, vertit. Namque & hoc aliquid ad obscuritatem facit. Deinde vim participii, λειπομένων, recte nequaquam expressit. Quanquã enim λειπο-

λείπομαι sæpe pro, *Superior & Inferior sum*, ponatur; hoc certe loco aliam obtinet significationem. Cum enim velit Porphyrius differentiarum colligere numerum, earumque quasi summam quandam conficere, incipit singillatim hunc in modum colligere. Inquit autem, cum duæ differentiæ in vna remaneant, & ad vnam tantum redigantur, eo quod altera iam accepta sit, tres restent in duabus quatuor in tribus, in quatuor quinque, totũ quod ex singulis partibus remanebit, denarii summam conficiet. Hanc vero esse vim participii cum res per se ipsa declarat, tum ex Porphyrio aliquot potest locis aperte cognosci. Cum enim dicit, ἡ διαφορὰ δὲ τῇ μὲν διενήνοχε τοῦ γένους εἴρηται, ὅτι τῇ διαφέρει τὸ γένος αὐτῆς ἐφείρηται. λειπὸν δὲ τῇ διαφέρει τοῦ εἴδους, καὶ τοῦ ἰδίου, καὶ τοῦ συμβεβηκότος ῥηθήσεται. An non manifesto per hoc λοιπὸν δὲ, quo sensu accipi illud λειπομένων debeat, indicat? Sed adhuc apertius ibi: τὸ δὲ ἴδιον τῇ διαφέρει τοῦ συμβεβηκότος καταλειφθήσεται. quod ferme est, in vna differentia relinquetur, residuaque erit vna tantum differentia.

Ouidius Fast.

A spumis est Dea dicta maris.) Celebratissimum est de Veneris ortu poetarum commentum, quod ea scilicet orta sit e spuma maris, ex quo etiam factum sit, vt ipsa ἀφροδίτης nomen inuenerit. Hinc Apelles etiam veterem famam secutus orientis Veneris effigiem mira arte confecit. Hinc Antipatri, Sidonii, Archiæque; & aliorum admirabilis ingenii vis emicuit, qui suis lepidissimis epigrammatis eandem e mediis vndis existentem conati sunt persequi. Inter quos nemini vni concedit politissimus ille vir, Politianum inquam, qui tanta elegantia Græcum epigramma fecit eodem argumẽto, vt Venerem ipsam suo vati facile credas præsto affuisse. Verum si a fabulis secedere paulisper velimus ad ea, quæ sunt physicæ rationi magis consentanea, operæ haud exiguũ precium erit (puto) audire, quæ de huius Deæ appellatione diuinissimus scribat Philosophus de animalium generatione secundo. Namq; ea ratione dictam esse priscis ἀφροδίτην existimauit, vt declararetur semen ipsum, ex quo animalia gignuntur, esse ἀφρώδους cuiusdam naturæ, quippe non aquæ tantum, sed & spiritus particeps esse affirmat: qua etiam de caussa euenire, vt album sit in omnibus, præter Herodoti opinionem. Sed verba Aristotelis ipsius adiungo, quæ totam rem grauiorem, venustioremque mihi videntur efficere. ea vero sunt, ἔοικε δὲ οὐδὲ τοὺς ἀρχαίους λανθάνειν ἀφρώδης ἡ τοῦ σπέρματος οὖσα φύσις. τὴν γοῦν κυρίαν θεὸν τῆς μίξεως ἀπὸ τῆς δυνάμεως ταύτης προσηγόρευσαν.

Xenophon Cyro. Pæd. 4.

τὸ δὲ πλεῖστον ἦν τῶν ἀποθανόντων ἀσυρίων, καὶ ἀραβίων. ἐν γὰρ τῇ ἑαυτῶν ὄντες χώρᾳ συντονώτατα πρὸς τὴν πορείαν εἶχον.) In recentioribus quidem libris, qui a me conspici potuerunt, ita legi constat locum

hunc Xenophontis. Eum tamen Franciscus Philelphus aliter atque adeo opposito penitus modo aut scriptum comperisse, aut (quod veri est similius) legendum esse censuisse videtur, qui conuerterit, *Nam quia essent in agro suo lente admodum incedebant.* Quid ita vero a recepta, eaque germana lectione sibi discedendum putarit, huiuscemodi quædam afferri possit ratio, quod probabilius omnino ei videretur trucidari eos, qui lente languideque incederent, quam qui paulo maiori studio itineri conficiendo incumberent. Verum ratio ista neque per se ipsa si expendatur vera firmaque satis videtur esse (sæpe enim fit, vt ad declinandum periculum tarditas adiuuet) neque si ad locum illud tempusque referatur, necessario quicquam vrgere apparebit. Nam ex historia ipsa Xenophontis optime scire est, multo eos tutiori in loco collocatos, qui remansissent in castris, quam qui locorum suorum propinquitate adducti sunt, ne se diutius castris continerent, sed perpetuis itineribus domos suas, quæ non longe abessent, peruenire contenderent. (Sic enim exprimenda esse puto verba illa, *συντονώτατα πρὸς τὴν πορείαν εἶχεν.*) Maximam autem exercitus partem substitisse castris conclusam, Xenophontem ipsum in proxima Cyri demegoria dicentem audiamus: οὐ γὰρ, παρατέτακται ὑμῖν, ἃ βουλόμεθα, ἀλλ' αὐτὰ πάντα νῦν ἀκμάζει μάλιστα δεόμεθα. ἔχομεν γὰρ ἐν τῷ στρατοπέδῳ πολεμίους πολλαπλασίους ἡμῶν, καὶ τούτους λελυμένους, οὓς καὶ φυλάττεσθαι ἔτι προσήκει καὶ φυλάττειν, ὅπως ἂν καὶ οἱ ποιήσοντες ἡμῖν τὰ ἐπιτήδεια.

Aristoteles Rhetoric. I.

Οὔτ' ἂν εὐτυχὴς διαμείνειεν.) Quemadmodum veterum operam probamus, summisque laudibus eam ferimus in cœlum, qui præclarissimis suis monumentis consulere posteritati voluerunt, nobilissimas artes scriptis persequentis sues; sic non inanis censendus est, opinor, eorum labor, qui illa emendare, sicubi visum est oportunum, non neglexerunt. Neque enim nihil omnino efficere existimantur, qui aurum quidem ipsi non gignunt (namq; id naturæ beneficio fit intra terræ viscera) sed fæce aliqua idem expurgatum purius nobis reddunt. Ac quanq̃ antiquorum libri temere nusquam immutandi sunt, si qua tamen exstent vestigia, quæ duce etiam non stulta aliqua ratione ad meliorem lectionem nos queant perducere, non video quis locus iam tergiuersationi vlli relinquatur, cum præsertim non cum tyranno aliquo res nobis sit, cuius aures a veritate mirifice abhorreāt, sed liberalia hæc studia tractentur, in quib. liberi hominis esse puto pro viribus in commune consulere, spretis etiam ineptorum complurium obtrectationib. Bono animo igitur in literaria republica sententiam meam, qualis qualis ea est, dicā, te maxime faciente eius dicēdæ potestatē. Omnino illud in aperto est Aristot. sibi proposuisse ad probandum, quod *εὐγηρία*, quam dicit, ex duab. reb. cōstet necesse est, ex virtutibus

tibus nempe corporis, & ex fortuna, quorum alterum si cui desit, is nunquam εὔγηρως appellari mereatur. Cumque primo corporis commoda necessario requiri exposuisset, ea allata ratione, quod in morbo & in summa virium afflictione tolerabilem nemo habere senectutẽ possit, quorsum ea spectent, q̃ sequuntur, *Nec vllo modo secundũ fortunã retinere potuerit*, ego prorsus, vt diu q̃sierim, ignoro. Hoc.n. neutiq̃ est, ꝙ probandum susceptũ fuerat. Consiliũ n Arist. illud haudquaquam erat dictis suis firmare, ꝙ is, q morbis affligeretur, viresq; fere amisisset, secundã fortunam retinere non posset, sed ꝙ cõmoda beataq; senectus indigebat tũ corporis tum fortunæ munerib. vt ea optime cõstitui posset. Atq; cũ ostendisset, ꝙ nisi bona valetudo roburq; virium reperiantur in sene, nũquam ille εὔγηρως dicetur, verisimile admodũ est, eundẽ præterea adiunxisse, quod nisi secundus reliquarũ rerum cursus seruetur vsque ad extremum spiritum, impedietur nihilominus bona illa senectus. Neq; n. in sũma inopia, vt id genus alia omittã, leuis esse senectus potest, ne sapienti quidem, quod dicebat apud Ciceronem Cato Maior. Quare cum res ita se habere videatur, caussæ nihil esse video, cur οὔτ' ἂν μὴ εὐτυχὴς διαμείνῃ, non restituamus, præsertim cum particula illa negatiua legatur in Basileę impressis codicibus, quanq̃ proprio loco eiecta. Ad hũc n. modum ibi sese habet lectio, οὐδ' ἄλυπος, μὴ πολυχρόνιος. quod si particulam illam quis non iniuria adiungendam esse nobiscum censet, consentiat idem necesse est in modi permutatione. Quanquam enim Budęus coniũctionem ἂν in eadem hac significatione positam optatiuo etiam dari scribit, allatis ex Demosthene, Platoneque & Isæo locis, dubitarit tamen aliquis de vera eorum locorum lectione. Illud certissimum est ex frequentissimo scriptorum vsu conuenire magis modũ subiunctiuum. Accedit eo, vt non parum intersit ante ne, an post verbum in hoc Aristotelis loco constituas ipsam ἂν. atqui hoc citra discrimen fit, cum particula hæc ad optatiuum spectat, quemadmodum optime præceptum est Grammaticæ institutionis quarto a Theodoro; qui huius vsus verum indicium afferens ita scriptum reliquit: ἐπὶ δὲ γνωσιμώτερον, ἂν μὲν καὶ πρὸ τοῦ ῥήματος, καὶ μετὰ τὸ ῥῆμα δύναται ὁ ἂν τίθεσθαι, ἀδιαφόρως, πρὸς εὐκτικὸν· ἂν δὲ μὴ ἐναμφοτερίζῃ τοῖς τόποις, πρὸς ὑποτακτικὸν μόνον. Qui locus ob id etiam nobis opportunus accidit, quod in eo perspicere est consuetæ locutionis accõmodatissimum exemplum, his in verbis scilicet, ἂν δὲ μὴ ἐναμφοτερίζῃ. Ita nos iampridem in hunc locum scripseramus. A liquot post mensib ecce tibi affertur M. Ant. Mureti familiaris nostri liber. In quo forte fortuna illud factũ esse animaduerti, vt cliuo sudaremus in vno. Ac cũ primo mirabile hominis ad excogitandũ ingeniũ agnouissem, ꝙ is subesse hac in parte mẽdũ cẽsuisset, ꝑspexi tandem in eo auferendo illum defecisse. tantum

abfuit

abfuit, vt vel tantillum de sententia decederem. Quando enim commiscendo alia, alia detrahendo, non vitat tamen, quin minus elegantem eliciat sententiam; qua ratione reiecta mea explicatione hãc ego queã accipere? Nã ἄλυπος & πολυχρόνιος spectant omnino ad prius mẽbrũ. neq; est, ꝙ diuellamus. Vetat loci sẽtẽtia, vetat particulæ οὐδὲ vsus, quæ & in hoc loco, & in aliis consimilibus nõ poscit in principio membri collocari. οὔτε autem eam sedem optime potest obtinere, quod certe hic fieri debet. Et permagni sane ad sensum, syntaxinque refert vtra pro altera vtatis. Ille tamen totum locum hunc sic legit μὴ ἄνοσος γὰρ ὤν, μηδ' ἰσχυρὸς ὢν ἴσως ἀπαθὴς οὐδ᾽. ἄλυπος καὶ πολυχρόνιος ἄνευ τύχης διαμείνειεν ἄν exponitque his verbis ipsis Hoc est igitur, quod ait, ἄνευ τύχης οὔτε ἄλυπον, οὔτε πολυχρόνιον διαμένειν οἷόν τε εἶναι. Hæc Muretus noster. Quæ sententia quam parum, dii boni, venusta est? Conficiendum est enim, fortunam quoque ex altera parte requiri, vt quis dicatur, itque etiam εὔγηρος, atque eam perpetuo secundam: alioquin virtutes illas corporis nulli futuras vsui. Muretus autem id demum colligit ex sua declaratione, quod longæuitas, & doloris carentia fortunæ munere conseruantur. Quid hoc ad integram εὐγηρίαν? Ea enim non solum diuturnum vitæ tempus, sed & felicẽ reliquarum rerum cursum postulat. Ipse vero a seipso dissentiens asserere cogitur, ex solis corporis bonis, non etiam ex fortunæ optabilem illam senectutem constitui. quippe eo tantum nomine ad εὐγηρίαν fortunam valere credidit, quod ea corporis virtutum seruatrix esset, atque ita nullo discrimine miscet inter se fortunæ, corporisque bona: quæ hoc certe loco maxime disiuncta esse voluit Aristoteles. Inuitus quidem feci, vt locum hunc attingerem. Neq; enim vnquam illud mihi studio habui, si rectas aliorum interpretationes confutarem. Sed factum est, vt cum ad alicuius libri lectionem accederem, quo inde abirem doctior, vsu quandoque eueniret, vt aliter ego in ea re, etsi nihil minus cogitaram, sentiendum putarem. Atque hoc tempore etiam, si fieri saluo meo iure potuisset, libenti animo a tota re ista abstinuissem. Verum scripsi ipse prior libellum hunc pusillum, legendumque præbui, dum is adhuc Patauii degeret. quod quidem, quantum per angustias temporis licuit (perlegere enim quod postridie mane summo esset illi iter Venetias, non licuit) fecit ille humanissime, atque paucula, quæ sibi non probarentur, indicauit. Tueri itaque meum ius me, non alterum lacessere scias, quisquis hæc attigeris: neque quicquam a me alienius putato, quam obtrectandi studium: ex quo etiam fieri, vt de reliquis locis nihil mihi pronunciandum putem, sed totum hoc iudicium & tibi, doctissime Victori, & id genus aliis relinquendum, quanquam is te fortasse iudicem (quæ est siue philautiæ, siue inuidiæ iniquitas) repudiabit, quem multis in locis interpretem accipere noluit, imo non satis vrbane aliquando (si dis placet, refellere cona-

tus est, at quibus rationibus? meris me hercule interdum coniecturis. In quibus ille mihi nihil aliud sibi quæsisse videtur, quam vt qualibet ἰφάμιλ & tibi conspiceretur. Quod factum vsque eo mihi iniucundum accidit, vt nihil supra. Læsum enim te doleo, doleo lædentem Muretum. Quos sane viros, vt sunt ferme pari eruditione, ita pari animorum consensu viuere decebat. Ceterum, *Perflant altissima venti.*

Virgilius Æneid.

Non iam certamine agresti

Stipitibus duris agitur, sudibusue præustis.] Vt in aliis multis, sic & in carminum ratione omnino fatendum est studuisse Latinos Græcorum vsum imitari. Hinc fit, vt optimi, cultissimique viri Aldi Manutii sententia aliena a ratione haud quaquam esse videatur, qui Grammaticarum institutionum quarto scripserit hoc in loco diphthongum præ, corripi ob sequentem vocalem, idque ex Homeri, cæterorumque fieri consuetudine, aliasque ob eam rem fecisse Virgilium. Insulæ Ionio in magno, & huius generis quædam. Quæ quanquam rationi satis cōsentanea sunt, quia tamen illud constat maximam esse vim certorum in metro locorum, quod ipsum nobis imprimis declarant penthemimeres, & hephthemimeres, sine omni dubio & hic ex vi ipsius quintæ sedis diphthongum breuem fieri censuerim. Cum præsertim & aliis syllabis, natura lōgis, id accidere sciamus, vt illæ in quinto heroici carminis pede priore relicta nouam veluti induant potestatem, vt in Procuro, & Profundo, & in aliis quamplurimis sæpe est obseruatum. Quia diphthongum ipsam hanc, æ, correptam vsurpauit ea in sede Lucretius, idque nulla sequente vocali. Ipsius enim huiusmodi est e tertio de rerum natura carmen:

Præter enim quam quod morbis est cum corpus ægrotat.

Quare si apud Virgilium quoque consimili ratione corripi diphthongum dixerimus, ex vi nempe loci, aut certe pro dactylo conuenire ibi amphimacrum, non admodum, puto, fallemur. Nisi quis fortasse in Lucretiano versu ipsius, 8, expunctionem (id quod frequentissimum est apud poetam huncce) fieri debere dicat, ipsaque, u, & æ, per synalœpham concrescere ad spondæi constitutionē: hoc pacto, *Corpus ægrotat.* qua ratione videtur vsus & in quarto, eo loco:

Iamne vides igitur quam puncto temporis imago

Ætheris ex oris, &c.

Vbi consimili modo. *Tempor' imago*, faciendum videtur. quemadmodum sane facere cogimur & sexto libro ea in parte;

Et liquidum puncto facit æs in tempore, & aurum.

Curat item vasis, & quæ sunt reliqua.

Nisi sic potius metiendum sit carmen. Temporis imag' Ætheris, quia & alibi vtitur iambo, vt

Corpore tum plagas in nostro tanquam aliqua res
Verberet, &c.

Aristoteles Rhetoric. 1.

Καὶ ἂν αἱ ζημίαι μείζους.) Non me præterit, quam luculenter abs te, mi Petre, totus hic locus enarretur. Ceterum non nunc primum mecum ipse cogitaui, an eorum defendi posset interpretatio, quibus vox illa, ζημίαι, iacturas declarat. Quanquam enim in his communibus de meliori & præstantiori locis aliqui constituti sint superius ad grauioris leuiorisue mali comparationem pertinentes, ipso hoc loco tamen nihil quicquam de malorum inter se collatione agi putarim. Nam mirum certe videatur, si quam maxime de excellentioribus bonis elementa afferens Aristot. repente nulla ne minima quidem facta significatione, ad mala sermonē conuertisset suum. Hoc equidem nunquam in animum inducam ita esse. Sed quem locum ἀπὸ τῶν ἀποβολῶν tradidit idem auctor tertio Topico. eundem hic quoq; exprimi sit dicendum: id quod in aliis non paucis factum esse constat. Locus vero ille ita se habet: ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀποβολῶν, καὶ τῶν ἐναντίων, οὗ γὰρ ἡ ἀποβολὴ, ἢ τὸ ἐναντίον φευκτότερον, αὐτὸ αἱρετώτερον. At verborum vis (vt tu dixeris) nequaquam consentit cum interpretatione nostra: ζημίαν namq; pœnam dici, quę legibus constituitur. Quis isthuc negare aulit abs te vere dici? Illud facilius multo negari posset, in angustum adeo cogi huius nominis significationem. namq; & pro damno facto, & iactura ipsa ponitur interdum apud elegantissimos etiam scriptores. Siquidem Isocrates ad Demonicū ita verbum ζημιοῦσθαι vsurpauit, vt e diametro (quod aiūt) ipsi κερδαίνειν opposuerit, qui sic scribat: μᾶλλον ἀποδέχου δικαίαν πενίαν ἢ πλοῦτον ἄδικον, sequitur paulo post, μηδενὸς ζήλου τῶν ἐξ ἀδικίας κερδαινόντων, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποδέχου τοὺς μετὰ δικαιοσύνης ζημιωθέντας Quem quidem locum non video quam apte ad legum iudiciorūque pœnas valeat detorqueri. Illud enim Demonico præcipitur, vt eos probet potius, qui ne quid turpe admitterent, damno se affici passi sunt. Galenus quoq; in libello περὶ διαγνώσεως καὶ θεραπείας τῶν ἐν ἑκάστου ψυχῇ ἰδίων παθῶν in eundē sensum accepit vocem illam, cuius dictio hæc est: παράλληλά τε ἑώρα μοι τὰ καλὰ τῶν τοῦ πατρὸς ἔργων τοῖς αἰσχροῖς πάθεσι τῆς μητρός, ἐπῄνουν τὰ μὲν ἀσπάζεσθαί τε καὶ φιλεῖν, τὰ δὲ φεύγειν καὶ μισεῖν. ὥσπερ δὲ ἐν τούτοις ἑώρων παμπόλλην διαφορὰν τῶν γονέων, οὕτω κἀν τῷ τὸν μὲν ἐπ' οὐδεμιᾷ ζημίᾳ λυπούμενον, ἀνιωμένην δ' ἐπὶ σμικροτάτοις τὴν μητέρα. quam aūt hic ζημίαν paulo post dicit ἀπώλειαν, eo loco; αὐθις πληκτὸς ... τὰ κατὰ τὸν βίον ἑκάστης ἡμέρας συμπίπτοντα διαμέμφομαι, ὥσπερ ἑώρων τὸν πατέρα, εἶτ' οὖν ἀπώλειά τινος λυπήσει με; πλὴν εἰ παντοίως ἀπολέσαιμι τὰ κτήματα. Idē 5. de vsu partiū, quo loco de recte instituto numero musculorū epigastrii agit, eodē mō vsurpauit. verba ipsi hęc sunt, οὔκουν οὐδ' ἄλλον ἀριθμὸν δυνατόν ἐστιν αὐτοῖς ἐπινοῆσαι προστιθέμενον ἕτερον μυῶν. ἤτοι γὰρ ὀρθοὺς, ἢ ἐγκάρσιος ἢ λοξὸς κείσεται, ὥστε καὶ ἐκ περιττοῦ προσθήσεται, οὐ μὴν

οὐδ'

τὸν ἀδαμεγύμβρον ἄνδ μεγάλης ζημίας. Addat & illud ex Gabriç fabula περὶ ὄρνιθος ὠὸν χρυσοῦν τικτούσης κ) φιλαργύρου. Ad fabulæ enim narrationem hæc verba annectuntur: ἐπιμυθιὸν πρὸς τοὺς ἐλπίδι κέρδους εἰς ζημίαν ἐκ μικροψυχίας ἐμπίπτοντας. Mihi itaque si ab authoritate tua, quæ iure optimo apud eruditos omnes grauissima semper habita est quoquam deflectere fas sit: Aristotelis locus iste sic explicandus esse videatur.

Aristoteles Rhetor. 1.

ἔστι γάρ τινες καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις, ὥσπερ ἐν τοῖς πολεμικοῖς, οἷον ἀναμάχεσθαι.) Ex iis, qui nobilioribus literis operam nauant, pro se quemque sedulo eniti oportere existimo, vt inter ceteros disciplinarum parenti optimo Aristoteli gratiam aliquam referre studeant, si quæ maculæ in ipsius diuinis libris malo aliquo fato contractæ sunt, eas pro sua industria eluentes. Ego autē etsi me quantum hactenus profecerim præter modum pœnitet, quoniam tamen a literis animus nunquam abhorrens fuit, non faciendum mihi putaui, vt in præstantissimum omnium, qui quidem viro dignum aliquid discere cupiant, præceptorum parum gratus esse viderer: qui locum hunc non benè integrum negligerem resarcire. Nā quotquot codices vidimus (vidimus autē cōplures) legunt omnes οἷον constanter. Quod sane aduerbium quam concinne se habeat hoc loco, aliquis fortasse istorum acutiorum reperire cogitando queat. Ipse certe non video vllo pacto, ac nisi nominandi casu οἷοι legendum sit, fateor me totum locum istū ignorare. Nāq; illud οἷον quomodo ad vocē τινὲς spectet, cumq; ea construatur? ad πολεμικοῖς vero nequaquam referetur. Cum n. ipsum ἀναμάχεσθαι proprie pertineat ad bella, non fuit cur verbi asperitatē lenire tētaret Aristoteles. Sed immutanda omnino lectio est. Est n. locutio elegans imprimis & vsitata apud principes quosq; scriptores, ita vt exemplis sit supersedenduū. Quis n. nescit solere Græcos οἷός εἰμι ποιεῖν, dicere pro cupio facere atq; ingenio sum ad eam rē promptō faciendam? Quæ dicendi figura quam hic quoq; apte requiratur, non est, quod pluribus commōstrem. Iam itaq; apparet quam leni remedio corruptam hāc partem sanauerimus. Cuius methodi Galenum præceptorem habeo tertio περὶ δυσπνοίας. Non enim medicorum tantum, sed & bonorum interpretum quod nam esset munus præscribendum oratione sua sibi existimauit. Hunc igitur in modum scribit eo loco: ὥσπερ γὰρ τὸ μεταγράφειν τὰς παλαιὰς ῥήσεις προπετὲς, οὕτως κ) φυλάττοντας ὡς ἐδέξαντο, βραχείαις τί ποτε ἢ προσθέσεσιν ἢ ὑπαλλάξεσιν διαλύσαι τὰς ἀπορίας, ἀγαθῶν ἐξηγητῶν ἐστιν ἔργον. Quo præcepto salubrius nihil ad librorū restitutionem excogitari potest. *Hippocrates περὶ φύσιος ἀνθρώπου.*

Οὔτε γὰρ τὸ πάμπαν ἠέρα λέγω τὸν ἄνθρωπον εἶναι, οὔτε πῦρ, οὔτε ὕδωρ, οὔτε γῆν, οὔτ' ἄλλο οὐδὲν ὅ, τι μὴ φανερόν ἐστιν ἐνεὸν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ.) Si in quē aliū, in Galenū optime conuenire videtur illud, *Opere in longo*

fas est obrepere somnum. Is enim ille est, qui & in suis operibus vel ad satietatem vsque longissimus esse deprehendatur, & in hoc Hippocratis loco corrigendo explicandoque (absit reuerentia vero) aliquantum appareat semisomnus. Ac ne in dicta caussa virum insignem, quemque in re medica ducem nobis delegimus, damnare velle videamur, age eius sententiam totidem verbis huc transferamus: doctis interim totius controuersiæ liberum iudicium relinquentes, verba ex primo de elementis hæc sunt: μὴ συνιέντες τε καὶ ψελλοῦντες ἀναγινώσκομεν ὡς ἓν μέρος λόγου τὸ ἓν ἐόν. ὥσπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἱπποκρατείων ἐποίησαν, ἀλλὰ διαιροῦντές τε καὶ διϊστῶντες εἰς δύο μέρεα, ὡς εἰ καὶ οὕτως εἶπεν, οὔτε γὰρ τὸ πάμπαν ἠέρα λέγω εἶναι τὸν ἄνθρωπον, οὔτε πῦρ, οὔτε ὕδωρ, οὔτε γῆν, οὔτ' ἄλλο οὐδὲν, ὅ,τι μὴ φανερόν ἐστιν ἓν καὶ μόνον ὑπάρχον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Atque hæc est Galen. sententia; in quam tum ex eo se adduci scribit, quod Hippoc. illud sibi conficiendum suscepit, nempe non esse vnum tantum rerum elementum, tum quod subsequentia Hippoc. dicta refelli, eos apertissime præ se ferunt, qui vnum omnia esse statuebant. Et his quidem rationibus suam corroborare studet sententiam. Sed operam ludit, nisi nos vehementer fallimur. Nam rationes quidem istæ nihil prorsus impediunt meliorem lectionem, quę est, ἐνεόν, vnica dictione ac tenui spiritu. Namque etiam hoc pacto constare poterit in eo esse Hippocr. vt plura elementa vno necessario ponenda esse ostendat. Sed hoc non agitur hac in parte, neq; in hoc versatur rei cardo, vt patefiet post. Ratio vero ipsa sermonis emẽdationem Galeni maxime excludit. Quis enim cui Mydæ aures non sint, ferre possit hoc loquendi genus, Quod manifestum est vnum exsistens in homine? Quæ (malum) ambages? Ac posset fortasse Galeni nomen & auctoritas aliquibus imponere, eorumque mẽtis aciem præstringere, nisi optimus medicorum prohiberet Hippoc. ipse, q̃ ex loco paulo infra posito, de cuius integritatẽ inter ceteros omnes conuenit, Aldusque ita habet (nam Galenus suæ caussæ inseruiens aliter legit,) quomodo hunc scriptum reliquerit, non obscure indicat: locusque is est, ἀξιῶ δ' ἔγωγε τὸν φάσκοντα αἷμα εἶναι μοῦνον τὸν ἄνθρωπον καὶ ἄλλο μηδὲν, δεικνύναι αὐτὸν μὴ μεταλλάσσοντα τὴν ἰδέην μηδὲ γίνεσθαι παντοῖον, ἀλλ' ἢ ὥρην τινὰ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἢ τῆς ἡλικίης τοῦ ἀνθρώπου ἐν ᾗ αἷμα ἐνεὸν φαίνεται μοῦνον ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. Atque hic quidem si ἓν ἐὸν legatur, vt vult Galenus; desideraretur certe particula, καὶ, ante μοῦνον, quam apposuit etiam ipse Galenus, dum superius ἓν καὶ μόνον ὑπάρχον diceret. Quãquam quid multis opus est? cum sæpissime in hoc eodem opusculo vtatur hoc participio ἐνεόν Hippocrates, eodem prorsus modo construens eum datiuo videlicet & præpositione ἐν. Loci hi sunt; τὸ γὰρ φάρμακον ὁκόταν ἐσέλθῃ ἐς τὸ σῶμα, πρῶτον μὲν ἄγει ὃ ἂν αὐτέῳ κατὰ φύσιν μάλιστα ᾖ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων. Sequitur adhuc, ἔπειτα δὲ καὶ τἆλλα ἕλκει καὶ καθαίρει, ὥσπερ τὰ φυόμενά τε καὶ σπειρόμενα, ὁκόταν

ἐν τὴν

ἐν τῇ γῇ ἔλθῃ, ἕλκει ἕκαστον τὸ κατὰ φύσιν ἑαυτῷ ἐνεὸν ἐν τῇ γῇ. Et rursus infra, αὔξεται δὲ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τὸ μὲν φλέγμα χειμῶνος, τοῦτο γὰρ τῷ χειμῶνι κατὰ τὴν φύσιν μάλιστα τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων. Nisi quis itaque nodum in scirpo quærat, aut veluti religione quadam obstrictus impium esse putet a Galeno dissentire (cum tanta plerumque animi perturbatione veri inuestigationem tentamus) vtra aptior sit lectio, atq; concinnior, ne in dubium quidem iam reuocabit. Nam clarissimum erit, quod Hippocrates quemadmodum hoc in loco medicos illos, qui hominem esse sanguinem solum dicebant, ex eo refellit, quod nullo neque anni, neque ætatis tempore homo esse solus sanguis appareat, sed habere semper & alia admixta; ita in superiore reiicit eos philosophos, qui ex aere constare hominem, aut ex alio elemento pronũtiabant, propterea quia nũquã videretur aer esse in homine, & ita de ceteris. Quod autem Galenus ἕν, καὶ μόνον ὑπάρχειν reddit illud ἕν ἐόν mihi non probatur. neque enim hic attinet fieri mentionem neque vnius, neque solius, neque cuiusquam talis. Non habet enim hic locum neque ἕν neque μόνον. Quippe ratio Hippocratis talis est, *Si totus homo ex aere constaret, deberet vtique apparere aer inexsistens in homine: Si item ex igne constaret, deberet conspici ignis. Sed nullo tempore apparet*, ergo *non constabit*. Ac accidit quidem, vt qui dicit, quod ex aere constat homo, is dicat simul quod ex vno constat. Sed Hippocrates hac in parte redarguit, quod non ex aere, quod erat fundamentum opinionis. Non enim ob id tãtummodo philosophos reprehendit, quod ex vno elemento hominẽ generarent, sed quod & in materia assignanda peccarent. Non enim ex aere, neque ex aliorum elemẽtorum quopiam, sed ex quatuor humoribus hominem componi vult Hippocrates, vt patet ibi, εἰ μὲν δὴ ἐ ἀν φήσω τὸν ἄνθρωπον εἶναι, ἀποφαίνειν αἰεὶ ταῦτα ἐόντα, καὶ κατὰ νόμον, καὶ κατὰ φύσιν. φημὶ δὴ εἶναι αἷμα καὶ φλέγμα, καὶ χολὴν ξανθήν τε καὶ μέλαιναν. Verum age demus Galeno (quanquam id ex Hippocratis verbis manifesto constare dici non potest) in ea sententia aliquando fuisse Hippocratem, vt crederet hæc quatuor simul cõiuncta aerem nẽpe, & ignem, & aquam, & terram hominem cõstituere; in hac tractatione certe totam hanc componendi hominis rationem nullo pacto vult sequi Hippocrates, cum apertissime dicat ea se hominis elementa velle afferre, quæ non solum sint κατὰ φύσιν, sed etiam κατὰ νόμον: quod illis quatuor aeri, aquæ, terræ, ac igni conuenire non potest. Quidni enim id quod fecit Herophilus, sic secum cogitarit Hippocrates, ἔστω ταῦτα εἶναι πρῶτα, εἰ καὶ μὴ ἐστὶ πρῶτα, Quare nihil erat, quod ita multus præter modum esset Galenus, dum anxie adstruere vult, Hippocratem agnouisse, vt elementa hominis ignem, aquam, & aerẽ, & terram, si non proxima, at remota. Nam agnouerit sane: hac quidem certe in parte ea excludit, vt patet ex his verbis, εἰ μὲν δὴ, ἐ ἀν φήσω ἓν εἶναι τὸν ἄνθρωπον

εἶναι, ἀποφαίνει ἀεὶ πάντα ἰόντα καὶ τὸ νόμον, χωρὶς τὸ φύσιν. Sed ad rem. Vt igitur paulo ante dicebamus, meminisse hic de vno & solo non est ad propositum. Et iccirco quia medici non in materia, sed in numero assignādo errabant, eos damnat, quod sanguinem solum dicerent esse hominem, non admixtis reliquis tribus humoribus. Et fateor sane iure posset aliquis mirari tantum verborum me impendisse in re tenui, & de qua vtro tandem modo statuatur, non magni referat. Atq; ego quidem magno cum stomacho attigi totam rem istam, prætermissurus profecto, nisi memorosa quædam Galeni λεπτολογία etiam inuitum ad has nugas prouocasset.

Aristoteles περὶ νεότητ. καὶ γήρως.

ἐν τῷ μέσῳ δὲ τῆς οὐσίας τῆς ἀρχῆς αὐτῆς ἑκατέρας μάλιστα ἤδη λοιπὰ τῶν μορίων ἑκάτερον τὸ αὐτοῦ ἔργον, τὸ τε κατεργαζόμενον τὴν ἐσχάτην τροφὴν καὶ τὸ δεκτικόν.) Michael ille Ephesius, qui in multis in locis Aristotelem optime, legitimam quandam insistens interpretandi viam monstrosis reiectis ambagibus aut meris nugis potius interpretatus est, hoc in loco, mihi quidem, sui ipsius dissimilis fuisse videtur. Nam cum seriem orationis, quomodo ea superiori apte annecteretur, probe admodum ostendisset, grauiter deinde lapsus est, dum quod nam esset τὸ κατεργαζόμενον τὴν ἐσχάτην τροφὴν μόριον explicare voluit. Per partem enim, quę postremum alimentū conficit, colum & crassum intestinum sedi proximum, intelligendum esse dixit. In quo quidem bifariam peccat, tū, quod partem ipsam conficientem intestinum crassum esse voluit; tum quod vltimum alimentum vocari hoc loco ab Aristotele scripsit superioris ventris superfluitatem: nutrire enim ipsam quoque dum ab intestinis elaboratur & conficitur. Sed elaborent sane intestina quicquid excrementorum eo defluit, neque statim deiiciant (video enim & intestinis & vnicuiq; corporis parti vim aliquam concoquentem, tum in libris de natur. facultatibus, tum in quarto de vsu partium Galenum quoq; attribuisse) nutriat aliquo pacto & superfluitas illa; qua tandem ratione vltimi alimenti nomen fæci & excrementis (nihil n nisi excrementitium continet ipsum crassum intestinū Galeno et, vt Aristo. prætersam, in fine illius quarti asseuerante) vnquam cōgruet: q, purissimū esse dēt, quę sanguinē ipsum esse statuit etiam Aristoteles tum in primo de generatione animalium, atque alibi, tum vero non longe ab hoc loco, vbi sic inquit, ἡ δὲ καρδία ἐστὶν ἀρχὴ τῶν φλεβῶν καὶ ἐν τοῖς περὶ τὰ μόρια τῶν ζώων εἴρηται πρότερον. καὶ ὅτι τὸ αἷμα τοῖς ἐναίμοις ἐστὶ τελευταία τροφή. Iam vero τὸ κατεργαζόμενον μόριον τὴν ἐσχάτην τροφήν, Aristoteli quidem est cor ipsum. Est enim cor vniuersi sanguinis fons atq; origo, vt tum alibi, tum in libello de somno fere extremo, de respiratione etiam capit 8. eidem Aristoteli placet. Nam res quidem ipsa longe aliter sese habere videatur; quemadmodum hoc atq, superiore anno frequentissimo theatro explicauit, ob oculosq, totius consessu

fessus diligentissime posuit vir multis nominibus laudatissimus, Gabriel Fallopius, cum is e vena magna appellata, ex ea item quas portas dixerũt antiqui, quarum altera in gibba, in sima altera hepatis parte constituta est, vim omnem sanguinis in vniuersum animantis corpus deriuari ostenderet. Cuius quidem sententiæ auctor extitit Galenus, vt in eo libello patet, quem de venarum anatome conscripsit, ac multo etiam magis in quo idẽ scripsit de formatione fœtus, secundo præterea de dogmatibus Hippoc. & Platonis, 6. etiã & 8. vberius idem docuit, quod ipsum repetiuit de visu partium quarto non vno in loco, & eiusdem operis quintodecimo, nec non sextodecimo libro atque alibi. Si cor itaq; sanguinis officinam, vltimumq; alimentum sanguinem esse vult Aristoteles, quonam aptiori, quęso, opportuniorive loco probãdum est, alimentum illud eundem fabricari voluisse, quam in corde? cum præsertim hoc eodẽ opere apertissime paulo post dicat ἀναγκαῖον δὲ ποιεῖν τὴν ἀρχὴν τῆς θερμότητος ἐν τῇ καρδίᾳ τοῖς ἐναίμοις εἶναι. τοῖς δ' ἀναίμοις ἐν τῷ ἀνάλογον. ἐργάζεται γὰρ καὶ πέττει τῷ φυσικῷ θερμῷ πάντα τὴν τροφὴν μάλιστα δὲ τὸ κυριώτατον ἡ καρδία, ἢ τὸ ἀνάλογον. Quamobrem relicto Ephesio aliam nos huius loci declarandi rationẽ instituimus huiusmodi; *Cum natura semper, quã licet, inq̃t, id quod pulcerrimũ, & cõmodissimũ est, efficiat, eãdẽ rationi cõsentaneũ est substãtiã vtriusq; principij, vegetatiui videlicet & sẽsitiui, h. e animã ipsam vnde primo nutriẽdi ac sentiẽdi vis in viuentibus emanat* (hæc autẽ ꝙ ad esse attinet gemina est, atq; ita fit, vt duo videantur principia, numero tamẽ vna eadẽq; est) *in media viuentium parte collocasse, quippe quæ honestissima sedes est, & quæ principẽ deceat, adde quod & opportunissima. Hac n. ratione tũ cor, tũ excipiẽs alimentũ aluus cõsequuntur, vt vtrũq; suo munere maxime fungatur.* At non insulse subnectatur q̃spiã nõ satis caute fecerimus, δεκτικὸν μόριον aluũ reddentes, quo per œsophagũ cõgerũtur cibus ac potus: alimentũ n. assumentẽ partẽ non semel Arist. vocat os ipsum, vt capite huius operis secundo, eo loco, τελείων δὲ μερῶν ὄντων εἰς ἃ διαιρεῖται τὰ πλεῖστα πάντα τῶν ζῴων, ἑνὸς μὲν ᾗ δέχεται τὴν τροφὴν, ἑνὸς δὲ ᾗ τὸ περίττωμα προΐεται, τρίτου δὲ τοῦ μέσου τούτων, τοῦτο μὲν ἐν τοῖς μεγίστοις τῶν ζῴων καλεῖται στῆθος, ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις τὸ ἀνάλογον. Et ca. 8. adhuc περὶ ἀναπνοῆς sic inquit, οὗτος δ' ἐστὶν ὁ μέσος τόπος τοῦ δεχομένου τὴν τροφὴν, καὶ καθ' ὃν ἀφίησι τὸ περίττωμα. quibus quidẽ in locis manifesto os ipsum significatur. At, dii boni, quę nõ oscitãter versanda sunt diuina philosophi monumẽta? Et n. q̃ accuratius paulo rẽ totã, verbaq; perpẽderit, is adeo nõ improbabit, q̃ nos excogitauimus interpretationem, vt eidem sua quoq; sententia sit suffragaturus. Nã proculdubio Aristot. reperiet, vbi os significare vult dicere ẽt ᾧ δέχεται τόπον τὴν τροφὴν. & pariter ᾗ δέχεται τὸ ζῷον τὴν τροφὴν, nunquam vero per δεκτικὸν τῆς τροφῆς μόριον, nisi ventriculum appellatum intelligere, quemadmodum percipere est eodem

cap.12. vbi sic habet; πολλὰ γὰρ ζῶα ἀφαιρουμένων ἐκατέρων τῶν μορίων, τῆς τε καλουμένης κεφαλῆς, καὶ τοῦ δεκτικοῦ τῆς τροφῆς ζῇ οὐ ἕως ἂν ᾖ τὸ μέσον. Locus etiam qui est paulo inferius nonnihil nos adiuuat: est autem. φαίνεται γὰρ ἔχοντα αἴσθησιν τὰ διαιρούμενα αὐτῶν, ἀλλὰ διὰ τὸ σώζεσθαι τὴν φύσιν, τῶν μὲν φυτῶν δύναται. ταῦτα δὲ οὐ δύναται διὰ τὸ μὴ ἔχειν ὄργανα, τὸ δέξασθαι, εἴναι τὰ μὲν τοῦ ληψομένου, τὰ δὲ τοῦ δεξομένου τὴν τροφήν. A quo nunc quidem, aliis item in locis res ipsa indicabit, spero, quod nostra hæc, quanquam loco & re sæpe discrepantia ὥσπερ εἰς μύκωνον μίαν coaceruata commixtaque esse videantur, vbi tamen ad locum ipsum ventum fuerit, non minimum adiumētum afferent bonarum literarum studiosis. Non enim dubito, quin, si nihil aliud, studium certe ac diligentiam optimis quibusq; probaturi simus.

Aristoteles Poetic.

ἀεὶ μὲν ὁ μείζων, μέχρι τοῦ σύνδηλος, εἶναι, καλλίων.) Ad te iam, humanissime Robortelle, sermonem meum conuerto, ea prius petita venia, vt me in quibusdam libere abs te patiaris dissentire: omissis interim leuibus illis, & nullius vsus criminibus, quale esset, initio tuarum explicationum μνημονικὸν ἁμάρτημα te incurrisse, atque vbi de methodis agis, offendisse in auctore laudando: cum ea ex Philopono te afferre dixeris, quæ sunt omnia Eustratii, cum de illis ne literam quidem Ioannes scribat, apud Eustratium vero ad verbum exquisite reperiantur. Eius generis rerum rationem alii ducant. Ad Aristotelem iam ipse me confero. Aliena & minime vera, mihi quidem, tua est Robortelle interpretatio, quam tamen ipse aptam veramque esse putas. Sic enim vertis: *Donec appareant esse pulcrior.* Siquidem nec verba ipsa, ex quibus certe penitus introspectis sententiæ accipiendæ, non auellendæ sunt, id pati videntur vllo modo, & ordo minus seriesque orationis. Illo potius incumbit Aristoteles, quod vt quæque fabula longissima est, ita & pulcerrima est, quod, ad magnitudinis rationem attinet, modo, inquit, limites non excedat. Nam eatenus debet extendi terminus magnitudinis, quatenus extrema ita distent a primis, simul vt cognosci, & eodem quasi intuitu perspici intelligique possint. Illud enim valere credimus, μέχρι τοῦ συνδηλος εἶναι. Quod & antea admonuerat, cum dixit, eam debere esse magnitudinem, quæ εὐσύνοπτος ac εὐμνημόνευτος esse possit.

Aristoteles Poetic.

περὶ ποιητικῆς αὐτῆς τε καὶ τῶν εἰδῶν αὐτῆς ἥν τινα δύναμιν ἕκαστον ἔχει.) Magna profecto vis est veritatis, quæ eo adducit homines, vt ab iis interdum, quos illi carissimos habent, quibusque omnia summa tribuunt, dissentire cogantur, dum vehementi honestoque & admirabili eius indagandæ studio feruntur. Id quod vsu mihi pariter hoc tempore venire sentio; qui cum præstantissimum virũ Vincentium Madium, præceptorem optimũ quam qui maxime sem-

pet

per coluerim, probarim, idem, nescio qua latente vi, nonnulla hominis in Arist. Poeticen annotata improbare compellor. Erumpere, credo, ipsa cupit veritas, & vbicunq., & apud quoscunq; poscit sibi principem locum. quem quidem & nos summorum philosophorum exẽplo, nulla animi perturbatione impediti, quoad possumus, concedamus. Volunt itaq; nonnulli, atq; in his Vincentius Madius, dictionem ἴδεσιν referri etiam ac pertinere ad illud τῆς ποιητικῆς, ignari videlicet, quam vim habeat vbiq; nomẽ ἴδεσιν. Nã si aut vsum apud scriptores obseruassent, aut ad Gazam saltem nõ nisi de multis καθ' ἓν dici tale nomen tradentem attendissent; illud profecto optime vidissent, nec ẽt loco isto duobus posse, poeticæ nempe, & eius partib. adaptari. Huic ergo bipartitæ distributioni conuenire non potest. Ad genera itaq; ipsius poeticæ quæ multifariam inter se dispartita esse dicuntur, apte accõmodabitur. Nam sub eandẽ partitionem referre poeticam, & ipsius genera singillatim diuisa, non est neq; rationi, neq; philosophorum præceptis consentaneum. Si enim genus & generis species in eadem cõprehendantur diuisione, fiet vt totum nihil discrepet a parte.

Aristoteles Poetic.

Τῶν δὲ λοιπῶν πέντε.] Madius inquit, *vox πέντε fortasse male legitur, cum πέμπτον potius scribendum esset. Nam clarum est melodiam esse quintam reliquarum partium, sed non quinq.* hæc ille. Ceterum aut ego ariolor, nec satis sum sanus, aut ille locũ nõ satis animaduertit. Nam si πέμπτον legatur, dura constructio saltem hominem a tam facile pronuntiando retardare debuerat, eumq; excitare ad veritatem. Quæ n. (per Deum immortalem) fuerit verborũ series? nonne admodũ aspera ac intolerabilis, & quæ nullo pacto possit consistere? Sed ne longius vagetur oratio, hæc totius loci sentẽtia est; *Excepto*, inquit, *apparatu (nam is minimum habet artis) inter reliquas tragœdiæ partes, quæ quinq. remanẽt, excellit maxime in suauitate melopœia ipsa.* per illud enim, quod dicit, λοιπῶν partem aliquam auferri intelligitur ab integro tragœdiæ partium numero, quæ sex dictæ sunt esse. partem porro ablatam verisimile est esse apparatum, quod is ad alium potius artificem, quam ad tragicum spectet. Superlatiui quoq; natura, quo hic vtitur Aristoteles, efficit vt melopœia connumerari debeat inter reliquas illas quinque. Eiusdem enim generis debent esse, quę superlatiue comparantur, ne forte quis suspicetur, inter omnes tragœdiæ partes fieri absolute comparationem, ita vt in comparatione comprehendatur etiam apparatus. ꝙ minime verum est, vt ex his, quæ in medium allata sunt, certo constare credimus. Atq; hic profecto patet quam vel peritissimis viris periculosum sit receptas lectiones immutare, nullo veterum codicum auxilio, nulla vigente satis, efficaciq; ratione intercedente.

Aristoteles Poetic.

Διὸ παρείσθω ὡς ἄλλης.) Grammaticos, opinor, intelligit Aristoteles, Robortellus inquit. Cum tamen proxime ab Aristotele dictum sit apertissime, spectare ad hypocriticam; quæ a grammatica longe diuersa est facultas. verba philosophi hæc fuere. *τῶν δὲ περὶ τὴν λέξιν ἓν μέν ἐστιν εἶδος θεωρίας τὰ σχήματα τῆς λέξεως, ἅ ἐστιν εἰδέναι τῆς ὑποκριτικῆς.* Vt iam constet, non ita statim summorum etiam virorum dictis esse acquiescendum.

Aristoteles Poetic.

καὶ γὰρ μεταφοραῖς, καὶ γλώτταις.) Robortellus ne verbũ quidem; Madius hic, *Metaphoris enim & linguis ad reliquis generibus, si quis vsus fuerit indecenter & studiose ad ridicula comparanda, idem vtique operabitur, quod Euclides in eius iambis. Sensus igitur* (subdit ille) *talis est, si quis vtatur metaphoris vel linguis, vel aliis generibus ornatus indecenter & studiose, ex illis construens orationem, quæ non secus ridicula videbitur, atque oratio Euclidis irridentis nominum extensionem.* Hæc tamen explanatio nobis vera esse non videtur. Nam præter cetera incommoda hoc habet, quod verbis accommodari non potest. Nostra verior fortasse, quæ est, vt afferat rationem Aristoteles, quare in omnibus partibus adhibenda sit mensura. Namq; inquit *Nihil intererit vti his generibus indecenter, & vti illis consulto & de industria ad hanc vnam rem, vt ridiculam nempe constituas orationem. Idem enim efficiet & qui immodice his vtetur, & qui dedita opera ad captandum risum.* Sed tuum hic, vt in ceteris, esto iudicium.

Aristoteles Poetic.

ἔστι δὲ δυνατὸν τοῖς σχήμασι.) Recte inquit Madius Aristotelem de actione intelligere, eo præcipue argumento, quod in 2. Rhetoricorum de eadem re loques eodem verbo *συναπεργαζόμενοι* vsus est. Quæ omnia abs te, eruditissime atq; integerrime Petre, multo ante in tuis explanationib. citato etiam hoc ipso e poetica loco diligentissime declarata sunt. Sed illud me nonnihil ad risum impulit, quod Madius quædã apposuit in sua annotatione, quæ ab hoc loco sunt alienissima. Tota aũt res hæc ita se habet: *verum*, Madius inquit, *cum actio multis facienda sit, de actione quoq; Aristo. egisse necesse est, cum præsertim lib. de rhet. 2. de actione loquens, quam orator adhibere debet, voce συναπεργαζόμενοι, sit vsus, qua eadem hic vtitur, quamobrem eum etiam hic de actione agere putandum est, cum præsertim oratoria ac poesis affines inter se sint. In aliquibus præterea manu scriptis libris ita legitur καὶ ὅλως ἐν ἀπαγγελίᾳ quam lectionem vetus etiam sequitur tralatio.* Hactenus Madius. In quibus quidem vitium illud deprehẽditur ea, quæ tu optime ad declarandam varietatem eius, quod in rhetoricis dicitur καὶ ὅλως τῇ ὑποκρίσει apposueras, omissa iã abs te declaratione verbi *συναπεργαζόμενοι*, ea ipsa, nescio, quo ita, ad hunc poetices locum transtulisse. Quæ quoniam tenebras aliquas hac in parte excitare possunt, ea propter notanda mihi existimaui.

Aristoteles Poetic.

Digitized by Google

ἀπὸ τῶν αὐτῶν εἰδῶν.) Perperam, vt mihi videtur, exponit Robortellus locum hunc, qui dicat Aristotelem præcipere, vt poeta respiciat ad naturam rerum, vt ex iis eliciat aptas sententias, quibus omnia explicet venuste, ornate, & accommodate. Dic, amabo te doctissime Robortelle, ex quibusnam verbis hanc hauris sententiam? Nam, quæ istud ipsum sonent, ego nulla reperio. Atqui in eo præcipue laborandum est interpreti, vt res ipsa quasi sponte sequens e loci e verbis. non per summam vim coacta affingi tota videatur. Deinde, quorsum attinuisset dicere, ὅταν ἢ ἐλεεινὰ, ἢ δεινὰ, ἢ μεγάλα ἢ εἰκότα δέῃ παρασκευάζειν? Nonne repugnant hæc maxime, docere faciendum arte esse, vt aliqua sint miserabilia, & velle vt ex miserabilibus iam soluamus, probemus? quod voluit Robor. Quare dimissa illius interpretatione id sibi Arist. voluisse censeo, si quando contingat, vt in tragœdiis, & comœdiis (quæ πράγματα præ sermonibus oratoriis dici merentur, hi n. λόγοι potius dicuntur) misericordia mouenda sit, aut horror quidam incutiendus, aut amplificandum, aut probandum & suadendum aliquid, ex iisdem earum rerum propriis locis ea res omnes cōparandæ erunt εἴδη n huiusmodi locos dici intelligendū ex ipso Arist. planissime accipitur in Rhetor. e loco: ἐστὶ δὲ τὰ πλεῖστα τῶν ἐνθυμημάτων ἐκ τούτων τῶν εἰδῶν λεγόμενα τῶν κατὰ μέρος καὶ ἰδίων, ἐκ δὲ τῶν κοινῶν ἐλάττω. sequitur adhuc, καθάπερ οὖν ἐν τοῖς τοπικοῖς καὶ ἐνταῦθα διαιρετέον τῶν ἐνθυμημάτων, τά τε εἴδη, καὶ τοὺς τόπους ἐξ ὧν ληπτέον λέγω δὲ εἴδη τὰς καθ' ἕκαστον γένος ἰδίας προτάσεις. τόπους δὲ, τοὺς κοινοὺς ὁμοίως πάντων. Atque ita fit, vt commentis fabulisq; nullus iam relinquatur locus, cum semetipsum Aristoteles clarissime illustret.

Aristoteles Poetic.

ἢ φανεῖται ἰδίᾳ.) Non est cur improbata hac lectione, ἰδίᾳ, restituamus, vt voluit Madius, qui sic scribit: *vox illa ἰδέᾳ non per η sed ι & tenui spiritu scribenda est, & tunc sensus erit apertus. Nam per ideam intelligit probationem, solutionem, misericordiam & cetera huiusmodi. Res enim secundum se considerata rerum idea dicuntur.* Hæc ille. a quibus quidem longe mea discrepat sententia. Nam quem vsum præstet in hoc significatu idea? Nonne ita absurdum est, dicere per ideam intelligi solutionem, misericordiam, vt etiam mediocriter eruditæ aures ferre non possint? Retinenda igitur vox est ἰδίᾳ, quæ tantum abest, vt sententiam perturbet, aut obscuret, vt lucem potius omnem ei afferre videatur. Huiusmodi enim quædam sententia dictis mirum in modum congruēs elicitur: Dictum quidem est ad ciendas animi motiones ex iisdem locis peti argumenta posse a tragico, ex quibus a rhetorico petuntur, ceterum inter vtrumque debet interesse, quod tragici ars sit occultissima oportet, nec præcepta, aut doctrinam aliquam redoleant eius dicta. At in oratore artem & doctrinam conspicuā esse decet, ita vt constet vi denique orationes ea quæ dicat, iplea-

descere atq; illuminari. Etenim quodnam munus, præstitisse censebitur oratio, si suauiter aliqua & iucunde expressa elataque fuisse appareant, eius tamen suauitatis non iudicetur effectrix oratio?

Aristoteles Poetic.

Τοῦτο δ' εὐμνημόνευτον εἶναι τοῦ μήκους.) Vel iureiurando interposito affirmare hic liceat redũdare ista postrema verba *τοῦ μήκους*. Cũ omnia, si apposita sint, misceant & interturbent, eadem nihil corrumpant, nec deprauent ablata. Quomodo enim exponas? vbi colloces? cuius erunt vsus? An fortasse dicendum *τοῦτο τοῦ μήκους*? At distracta nimis a sese, locoq; seiuncta sunt. Sed ne vsitatum quidem præterea est tale locutionis genus. Quid multis? Nonne fieri plusq̃ inutilis reperitio videbitur, si legamus, *ἔχειν μὲν μῆκος, τοῦτο δ' εὐμνημόνευτον εἶναι τοῦ μήκους*; sine controuersia igitur amoueantur censeo cum superius quoq; cum eodem modo loqueretur, dixerit quidem: *ἔχειν μὲν μέγεθος, τοῦτο δ' εὐσύνοπτον εἶναι*, non autẽ adiunxerit, *τοῦ μεγέθους*. Facillimus postremo lapsus fuit, q̀ initio statim frequentis periodi ea vox *μήκους* habeatur, nisi potius periodus illa hinc instituenda est hoc pacto, *τοῦ δὲ μήκους ὅρος πρὸς μὲν*, & reliqua. Apud istos tamen magnos interpretes de re hac, quis ea sit grauissima, nullũ omnino verbũ extat. Crederem eos, q̀ firmissimo robustissimoq; sunt stomacho, durissima quæq; posse concoquere, nisi eosdẽ sæpenumero cõspicerem in minutissimis angi & summe laborare, Pãciumq; interpretem in leuissimis sæpe rebus contumeliose accipere. Ita maxima dissimulant interdum, alias inania fere quædam fastidiose prope examinant.

Aristoteles Poetic.

Κἂν ἄρα συμβῇ γενόμενα ποιεῖν.) Cũ dixisset, poetam eo ipso nomine dignari debere, nonq; versus posset facere, sed q̀ fabulas recte, apte, decenterq; cõstruere & coagmentare sciret, dixisset etiã, nihil q̃dem necesse habere poetam, vt rei queadmodum gesta est, carminibus persequendæ addictus esset, sed eam tãtummodo pro sua prudẽtia imitari debere, hoc loco obiectionem diluere voluit huiusmodi. Quid si, o Aristoteles (dixerit aliquis) ita res feret, vt ea ipsa, quæ acciderunt, quæq; facta sunt, scribenda sint poetæ, nũ idcirco poetæ nomen amittet is, qui ea, vt vt gesta sunt narrabit? Minime omnium philosophus inquit. Siquidem ea talia fuerint, vt verisimile sit ac probabile eo modo euenisse, quæ euenerunt, & potuerint facile ea ratione fieri, qua facta esse canit poeta. Atque hæc est loci sententia, nisi decipimur. Neque enim Robortello assentiri placet, qui in hunc modum exposuit, vt Arist. dicat, licere fingere in quamlibet etiam veris, & quod tunc fingitur quotiescumque res non narratur vti gesta fuit, neque exprimitur secundum proprium euentum, quẽ omnes sciũt in actione illius fuisse, sed vt potuerit agi secundum verisimile, & imo in actione vera,

quatenus

Digitized by Google

quatenus ita fingit poeta, nihilominus erit poeta, ac si actionem ac fabulam totam, omniaque nomina confingeret. Et eo vsque hac sua explicatione visus est delectari, vt eam paulo post repetédam esse duxerit his verbis: *Quatenus igitur fingit in rebus verisq; actionibus, vel ipsas augens, vel exornans ex verisimili, neque narrans sicuti se habent, ex hoc satis patet esse poetam.* Vtra melior, tu perspicacissime Petre cum ceteris tui similibus iudicabis.

Aristoteles Poet.

Καὶ πλεῦσι τοῖς ἐξ ἐναντίας τοῖς βελτίοσι καὶ χείροσι] Refert Madius, illud χείροσι ad poetas malos, male omnino. Siquidem Aristoteles βελτίους καὶ χείρους eos intellexit, qui in poesi tales describuntur, quo modo & initio operis locutus est. ἢ τοι βελτίονας, ἢ καθ' ἡμᾶς ἢ χείρονας κὰκείνη μιμεῖσθαι, ὥσπερ οἱ γραφεῖς, πολύγνωτος μὲν κρείττους. παύσων δὲ χείρους. Sensusque est, in Odyssea contrarium exitum suarum actionum sortiuntur summi viri, & laudabiles a nequissimis fœdissimisque hominibus. Neque vero necesse est, vt idem existimauit, mutare δὲ in μὲν, cum locus sit omni ex parte integer, sententiamque concinnam habeat, vt constitit & bene conuenientem. Quod etiam credidit ille Odysseam hic esse eius nominis tragœdiam quandam, mihi neutiquam probari potest. Mirum enim certe esset, si Aristoteles intelligere voluisset tragœdiam aliquam nomine cum vulgatissima poesi consentienté, nec differentiam vllam, aut discrimen præterea addidisset, quo vtrumque opus ab altero internosci posset. cum præsertim multis in locis hoc eodem opere pro Homerica compositione semper acceperit. Nec mirandum est Odysseam interseri tractationi de tragœdiis, atque ex ea sumi exempla ad tragœdias spectantia, cum inferius ex Iliade etiam tragœdiarum ratio monstretur, eo loco: φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν, καὶ μὴ, ὥσπερ ἐν τῇ μηδείᾳ ἀπὸ μηχανῆς, καὶ ἐν τῇ ἰλιάδι τὰ περὶ ἀπόπλουν.

Aristoteles Poetic.

Ἐν τοῖς περιέργοις ἐμποιητέον.] Ridicule me hercule voluit corrigere locum Madius: quasi tragœdia non fuerit diu sa & in apparatum. Verum legendum est περιέργοις. Inquit enim, *non ex apparatu petenda est voluptas. sed in rerum ipsarum actione, illa est in spectatorum animos inducenda.*

Aristoteles Poetic.

Καὶ γὰρ ἀνώμαλός τις ἦ ὁ τὴν μίμησιν παρέχων, καὶ τοιοῦτον ἦθος ὑποθῇσι.] Ingenue fateor, nescio eius satis animaduertere quorsum de histrione vlla huc pertineat mentio. Quasi vero histrionem nó poetam formandum sibi susceperit Aristoteles, atque istius hominum generis gratia diuina hæc præcepta collegerit, non ad poetam potius ipsum instituendum. Atque præter hæc, quæ magna sunt, verba etiam ipsa aliter persuadere videntur. Nam παρέ-

χειν τὴν μίμησιν, & τὸ ἦθος ὑποτιθέναι, de eo dici credimus, cuius mores poetæ proponantur imitandi, quique talium morum argumentum & materiam præbeat ac ministret. Præcipit ergo Aristoteles, Si quem inconstantibus moribus, inæquabilique vitæ ratione poeta describat, vt æquabilitatem ipse & perpetuũ quendam tenorem seruet in illius exprimenda inconstantia, vt vbique ille inconstans describatur, vbique appareat inæquabilis. Valeat igitur cum suo histrione Robortellus.

Aristoteles Poetic.

ἐν τοῖς ἐκδεδομένοις λόγοις.] Madium non sequimur, qui editos sermones a Glaucone Theio intelligit. De seipso enim ea protulit Aristoteles, deque his sermonibus, quos a se ea de re scriptos in lucem manusque hominum dederat: non suppressurus alioquin Glauconis nomen, si eius scripta innuere voluisset. Quid enim? Sed alias quoque de suis quibusdam libris sic loqui consueuit, & tum præcipue cum Alexandri epistolæ respondens scripsit; ἴσθι καὶ αὐτοὺς ἐκδεδομένους, καὶ μὴ ἐκδεδομένους.

Horatius Poetic.

Humano capiti.] Existimat Madius vsque ad eum locum, *Tigribus agni*, de ea poeseos parte agere Horatium, quæ fabula vocatur: idq; ea ratione, quia hæc est præcipua inter partes, neq; alibi possimus dicere, de ea tractari ab Horatio, vt omnino fatendum sit hic ab eo tractari. Frigida sane probatio & a rei veritate abhorrens. Siquidem aperte se de toto aliquo opere loqui indicat, cum dicit, *Fore librum*. Per librum enim nemo sanæ mentis dicet vnquam intelligi fabulam, & minimam operis partem: fabula enim est minima pars poeseos teste Aristotele, vbi de coagmentatione fabulæ loquitur. Nam quatuor fere lineis totius Odysseæ fabulam exponit. Quod cum ita sit, mihi quidẽ nõ fit verisimile, in tam exigua re cõtingere posse tantam dissimilitudinem & tamq; monstrosam speciem. Illud præterea magno argumento est, velle Horatium considerare totam aliquam poesin, quod eo exemplo vtitur, in quo totum animal exponitur. Quod vero episodia etiã intelligat, & eorundem discrepantiam ad fabulam, patet ibi cum ait, vt *nec pes nec caput vni reddatur formæ*. Per hanc formã potius fabulam intelligi ab Horatio crediderim. Nam ipse quoq; Aristoteles fabulam poeseos animam appellauit.

Aristoteles Poetic.

ἢ εἰς βλαβερά] Explicationem Robortelli equidem adduci nõ possum vt probem. Etenim quis vnquam fando audiuit βλαβερὰ esse ea vocabula, quæ rem minus exprimunt, imminuũtq; venustatem ac dignitatem sermonis, ac deteriorem faciunt imitationem, aut quod peregrina, aut quod dure translata, aut quod ambigua sunt? Ille enim sic explicat. Noua nimis hæc mihi videntur esse. Probandum est potius βλαβερὰ, dici ab Aristotele ea, quę mori-

moribus obsunt. Optimorum enim debet esse imitatio. Cum præsertim in hac ipsa tractatione intellexerimus inspicienda ea esse, quæ cum virtute an secus fiant, aut etiam dicantur, eo loco: ἀεὶ δὲ τὸ καλῶς ἢ μὴ καλῶς ἢ εἴρηταί τινι, ἢ πέπρακται, οὐ μόνον σκεπτέον εἰς αὐτὸ τὸ πεπραγμένον ἢ εἰρημένον, βλέποντα ἢ σπουδαῖον, ἢ φαῦλον, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸν πράττοντα, ἢ λέγοντα.

Aristoteles Poet.

ὅπερ ἡ κωμῳδία ἐπεπήγνυτο, ἢ νῦν ἄλλοι.] Quiduis potius hoc loco interpretes congerunt, coaceruant. Aristotelis dicta, quæ aliquod lumen desiderant, neglecta miro silentio, taciteque prætereunt. Quam enim insistemus viam, vt quid sit illud ἄλλοι commode declaremus? Equidem nisi tertio casu, vti & κωμῳδία legatur, quem vsum hic præstet, assequi cogitatione non possum.

Aristoteles Poetic.

φανερὸν ὅτι κρείττων ἂν εἴη μᾶλλον.] Manifestum est, inquit Madius in sua explanatione, excellentiorem esse tragœdiam, quoniam magis epopœia finem assequitur. In annotatione item, Sane liquet meliorem hanc esse, multo quidem perfectius epopœia finem assequentem. Neutro tamen loco mihi probari potest diligentius paulo & rem, & verba expendenti. Ac fateor sane illud sibi Aristotelem conficiendum concludendumque proposuisse, nempe præstare epopœiæ tragœdiam, dignitatisque laude longe illam antecellere. Sed quod ea ratione nihil velit astruere, quoniam tragœdia perfectius, quam epopœia finem attingit suum, id vero pernego. Nam multis rationibus id antea confirmatum nunc vult concludere: nec nouam aliquam rationem adiungit. Sed tum homini, puto, non succurrebat vsus aduerbii μᾶλλον: quod frequentissime nomini etiam comparatiuo apponi solet, sicuti & μάλιστα superlatiuo. Quæ quoniam vulgatiora sunt, exemplis supersedebo. Verba itaque hoc ordine instructa sic explanentur; φανερὸν ὅτι ἂν εἴη τῆς ἐποποιίας μᾶλλον κρείττων, ita legi debet vt supra, εἰ οὕτως ἐστὶ τ' ἄλλα κρείττω, vt est etiam in codice Basileæ impresso) τοῦ τέλους τυγχάνουσα: quod est *Constat quod fuerit præstantior quam epopœia, quoties tamen cumque suum finem assequatur: ita vt nec poeta, nec histrionum vitio aliquo suo fine excidat.*

Aristoteles Poetic.

ἢ εἰς φιλίαν.] Madius totum hunc locum clarius se habiturũ existimauit, si pro ἢ coniunctione disiunctiua articulus ἡ legeretur. Ego vero contra ex claro & aperto futurum eruditis obscurissimũ arbitror. Nam quod ait, Aristoteleo pacto explanare & determinare, cuiusmodi mutationem intelligat, id factum iam fuit, cum dictum est ἐξ ἀγνοίας εἰς γνῶσιν. Sed cum hæc gnosis dupliciter cõtingere possit, voluit illam in suas partes distribuere his verbis, ἢ εἰς φιλίαν, ἢ εἰς ἔχθραν. Locus itaq. explicate sic se habet; *Anagnori-*

sis est mutatio eorum, quos miseros, aut felices sibi poeta suscepit scribendos, mutatio inquam ex ignoratione in cognitionem, quæ cognitio sit aut ad amicitiam, aut ad inimicitias, & in qua cognitione reperiri debeant aliqui aut amici inter se, aut inimici. Quam parum ergo efficax ratio Madium mouerit, nemo est iam qui non intelligat.

Aristoteles Poetic.

Ἐπειδὴ ἡ ἀναγνώρισις τινῶν ἐστιν ἀναγνώρισις] Si Madii & Robortelli huius loci interpretationem sequamur, quam sequamur deinde sententiam non, opinor, habebimus. Nam si illud ἐπειδὴ inceptiue dictum sit, vt illi videntur existimasse, quæ tandem eius erit ἀπόδοσις? Nulla vsquam reperietur. Quare aliam nos hoc loco huius particulæ vim esse credimus, ne παρασυναπτικῶς prolatam fuisse, sed αἰτιολογικῶς magis, vt eorum, quæ proxime dicta sunt, sua afferatur ratio. Sic autem vsurpari aliquando coniunctionem hanc tum ex aliis, tum ex Demetrio Phalereo potest intelligi, ea in parte, πᾶσα δ' ἔκπληξις δεινόν, ἐπειδὴ φοβερόν. & Arist. Topic. 4. αὖ οὖν ἡ κίνησις γένος τῆς ἡδονῆς τεθῇ, σκεπτέον εἰ μήτε φορὰ μήτ' ἀλλοίωσις ἡ ἡδονή, μήτε τῶν λοιπῶν ἀποδεδομένων κινήσεων μηδεμία. δῆλον γὰρ ὅτι οὐδενὸς τῶν εἰδῶν ἂν μετέχοι, ὥστε οὐδὲ τοῦ γένους ἐπειδὴ ἀναγκαῖον ἐστι τὸ τοῦ γένους μετέχον, καὶ τῶν εἰδῶν ἑνός τινος μετέχειν. ὥστ' οὐκ ἂν εἴη εἶδος ἡ ἡδονὴ τῆς κινήσεως. & paulo infra: ὥστε οὐδέτερον οὐδετέρου γένος, ἐπειδὴ ἐπὶ ἴσων λέγεται. & in libris de anima, quo loco eos refellit, in hisque Empedoclem, qui animam ex elementis constare pronuntiarunt; ὅλως δὲ, inquit διὰ τίν' αἰτίαν οὐχ ἅπαντα ψυχὴν ἔχει τὰ ὄντα; ἐπειδὴ πᾶν ἢ στοιχεῖον, ἢ ἐκ στοιχείου ἑνὸς, ἢ πλειόνων, ἢ πάντων. Atq; his ita cõstitutis, offert sese nobis apprime elegãs sententia huiuscemodi: *Omnino*, inquit Aristoteles, *illud in talibus agnitionibus cõtinget, vt aliqui inde fiant miseri, aut fiant felices fortunatiq. Quid ita? Nempe quia agnitio ad aliquos pertineat referaturque necesse est, alioquin non sit agnitio, nisi in relatione ad aliquos quispiam cõsistat, quos ex ea infortunium aliquod, aut felicitas procul dubio consequi debeat.* Reliqua, quæ mox sequuntur recte se integreq. habebunt, si pro δὲ legamus δ', quam coniunctionem & præcedẽs μὲν, & verborum commoda complicatio, nec non sententia quoque summe videntur postulare.

Aristoteles Poetic.

γενομένης οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς] Madius secure nimis neglecta constanti exemplarium fide multa hoc loco mutat ac corrigit, vt ipse putat, vt ego sentio, non mediocriter deprauat. Primo enim legẽdum esse censet, γενομένη οὖν αὐτοσχεδιαστικὴ, nempe in recto casu. Secundo loco ἐξαρχόντων, pro ἐξαρχόντων restituendum putat. νομιζομένων postremo legi vult pro νομιζόμενα. In quibus omnibus ipse fallitur, aut ego. Nam totum illud, γενομένης αὐτοσχεδιαστικῆς, non de tragœdia, aut comœdia dicitur, sed de facultate

cultate illa, quæ ab initio rude aliquid ex tempore pangebat. a qua facultate deinde genita est poesis, vt antea dictum est eo loco: ἐξ ἀρχῆς οἱ πεφυκότες πρὸς αὐτὰ μάλιστα κατὰ μικρὸν προάγοντες ἐγέννησαν τὴν ποίησιν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων. Ergo Autoschediastice etiam tragœdiæ & comœdiæ, quæ & ipsæ poeses sunt, ortum dedit: & cum illa primo fuisset hæ postea inde aliquod sui sumserūt initium. Nec magis ἐξαρχόντων mutandum fuit, cum eo participio significentur nobis auctores, qui dithyrambos primi instituerunt. Etenim ἐξάρχειν id valet. νομίζεσθαι quoque, pro *in more positum esse*, omnes perpusillum etiam in libris Græcis volūtati nouerunt. Quo in sensu hic rectissime accipi potest. Totius itaque loci hæc erit sententia: *Cum esset igitur ab initio facultas illa Autoschediastice, tum tragœdia ipsarum comœdia paulatim aucta fuerunt, & illa quidem a dithyrambi auctoribus, hæc vero ab iis, qui Phallica instituerunt* (repeto enim ego τῶν ἐξαρχόντων, non vt Robortellus προάγοντων adiungimus, cum id commune esse credam, ad vtriusque poeseos auctores) *quæ sane Phallica in vsu & consuetudine adhuc in multis ciuitatibus permanent: aucta autem sunt, quoniam illi auctores produxerunt, proucxeruntque quicquid iam in lucem ipsarum vtriusque prodierat.* Neque etiam satis possum asse qui, quid sibi Robortellus voluerit, cum dixit; *Ideo necesse est vt tragœdia & comœdia, sicut cetera omnes partes, fuerint αὐτοσχεδιαστικαί.* Quid tandem dictum est, tragœdia & comœdia fuerunt αὐτοσχεδιαστικαί; Has ne poeses ipsas Aristoteles eam facultatem habuisse dicit (siquidem huiusmodi nomina in κος, potentiā monstrant actiuam) vt ipsæ inconditum aliquid possent efferre, quodque minus esset præmeditatum? Lōge alia mens est Philosopho. Eas enim vult quidem ex facultate illa, quæ Autoschediastice dicitur, quasi emanasse, non illas autoschediasticas fuisse intellexit. Ac de Autoschediastice quidem in hac, quam nos attulimus, significatione, videre etiam est apud commune Lexicon in αὐτοσχεδιαστική.

Aristoteles Poetic.

ἔστι δ' ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον.] Robortellus quidem non attigit horum verborum nec constructionem, nec certam explicationem. Id quod ei conueniebat maxime, qui explicationes se afferre professus fuisset. Madius vero, cum se multum torsisset, animaduersa difficultate statuit tandem locum non esse integrum, & ex codicum plurium tam calamo, quam typis exaratorum lectione ita restituendum censuit; ἔστι δ' ἦθος μὲν τὸ τοιοῦτον, ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν ὁποία τις. διόπερ οὐκ ἔχουσιν ἦθος ἔνιοι τῶν λόγων, ἐν οἷς οὐκ ἔστι δῆλον μηδ' ὅλως ὅτι προαιρεῖται ἢ φεύγει ὁ λέγων. Sed ego miror hominem perspicacissimum non animaduertisse, si ita verba ordinentur, fore vt absurdus sit & falsus Aristotelis sermo. Non enim verum est, quod ex his orationibus, in quibus non apparet proæresis, aut fu-

ga. aliquæ tantummodo careant moribus. Nam, quæ tales sunt, omnes carent. Quare alia, nisi fallimur, inuenienda est interpretatio, atque ea maxime simplex, dictisque & dicendis sane quam consentanea: quæ est, vt post totum hoc, ὅποια ἐς. fiat interpunctio. Postea rursus inde incipiat oratio. ἐὰν ἐν οἷς οὐκ ἔστι, &c. Loci porro sententiam in hunc maxime modum exprimemus: ἦθος, dixerat, est tale quiddam, quod electionem, qualis ea sit, indicat. nunc subiungit, *quod aliquæ sunt orationes, in quibus non apparet, quid is, qui dicit, sequatur aut fugiat*. Quod si ita est, ergo aliquæ erunt etiam quæ ἦθος non habebunt. Modi autem loquendi huius per verbum substantiuum faciendum mihi esse non puto, vt exempla adiungā; cum sit etiam Latinis ipsis vsitatissimus. Namque & Horatius dixit, *Sunt quibus in satyra videar nimis acer*. Et Cicero, *Est enim quatenus amicitiæ dari venia possit*. Marullus quoque poeta elegantissimus ad Neæram sic inquit: *sed tamen & castæ sunt quæ consuera remittere*. Veruntamen, vt omnis ansa præcidatur, aliquot locos ex Græcis afferam. Thucydides, ἔστι δὲ καὶ ἐν τοῖς βαρβάροις ἔστιν οἷς νῦν καὶ μάλιστα τοῖς ἀσιανοῖς πυγμῆς καὶ πάλης ἆθλα τίθεται. Et Eustratius (vt ex philosophis etiam illud ipsum pateat) sic in Analytica Posteriora locutus est. [illegible] πῶς ἐκ τοῦ αἰσθάνεσθαι τὸ καθόλου γίνεται. ἔτι δὲ καὶ ἐν οἷς [illegible] ἐστὶν ἡ ἐπιστήμη, καὶ αἴσθησις [illegible] ἀπ' ἄλλων [illegible]. Sed & Aristoteles ipse, vt alios innumerabiles locos omittam, ita loquitur, ἐν τῷ περὶ κόσμου cap 6 κινηθὲν γὰρ ἕτερον ὑφ' ἑτέρου, καὶ αὐτὸ πάλιν ἐκίνησεν ἄλλο σὺν κόσμῳ, δρώντων μὲν πάντων οἰκείως ταῖς σφετέραις κατασκευαῖς, οὐ τῆς αὐτῆς δ' ὁδοῦ πᾶσιν οὔσης, ἀλλὰ διαφόρου καὶ ἑτέρας. ἔστι δ' οἷς καὶ ἐναντίας, καίτοι τῆς πρώτης οἷον ἐνδόσεως εἰς κίνησιν μιᾶς γενομένης. Atq; hæc quidem satis superque sint.

Aristoteles Poetic.

οἷον οὐ λέγει πρὸς ὅ ἐστι.] Quæ sit horum verborum interpretatio, nec Robortellus dixit, nec item Madius. In explanatione tamen sequētis particulæ Madius obiter eam declarat hunc in modum: *Subiungit quod hoc translationis modo (secundum analogiam vocato, vti etiam aliter possumus quam prædicto modo ponendo id ad quod relatio, proco. [illegible] est, quemadmodum in secunda specie dixit. quod aperit exemplo, vt si scutum vocet quis phialam, qui non inde subiungat non Martis, sed vini: & hoc est, quod priore particula philosophus dicebat, οἷον οὐ πρὸς ὅ ἐστι.* Hanc ille affert explanationem, quam veram ego non puto: cumque quam potuerim diligentissime ad verba attenderim hanc rectam esse statuo: *Aliquando addunt primum illud seu tertium, ad quod spectat illud ipsum secundum seu quartum (namque ad idem exprimendum eandem præpositionem πρὸς, usurpauit, cum dixit: ὅταν ὁμοίως ἔχῃ τὸ δεύτερον πρὸς τὸ πρῶτον) in cuius locum transfertur aliorum. Nam di-*

χειν. ἐρεῖ γὰρ ἀντὶ τοῦ δευτέρου τὸ τέταρτον, ἢ ἀντὶ τοῦ τετάρτου τὸ δεύτερον. *quibus verbis aperte significatur, posse absque additione aliqua, aut primi illius, aut tertii transferre tãtummodo secundum in quartum, aut contrario modo; exempli gratia, si dicamus pro clypeo phialam, non addito, Martis; aut si contra clypeum dicamus pro phiala, non adiuncto ipso, Bacchi. Verum nunc dicit, aliquando solere homines addere illud primum seu tertium, pro ratione eius analogiæ, quam conficere voluerimus.*

Horatius Poet.

Telephus & Peleus cum pauper & exul vterque.]

Madius longioribus verbis ita locum interpretatus est, vt diceret, *Horatium inuehi in eos, qui Telephum & Peleum pauperes, atque exules ampullas proiicientes, & verba sesquipedalia, id est, turgida & inflata in scenam inducunt, eos tamen sic inducunt, vt spectatores eorum miseriis doleãt & misereantur. quare cum vt miseri, ac in paupertate constituti in scenam inducantur tumide, superbeque eos loqui non decebat.* Hæc vir ille. Verum hic ego me maximis in angustiis versari sentio, cautiusque omnino mihi intelligo esse agendum. Nam quanquam series & quidam quasi cursus horum Horatii versuum longe aliam rem præ se ferre videantur, tu tamen altera ex parte occurris, qui vt summus quidam & grauissimus senator in Madii sententiam discedis, eamque tua auctoritate ratam fieri iubes. Variarum enim Lect. *14 cap. 8* eodem pacto eam partem exponis, addisque Telephum oblitum suarum fortunarum magnifice de se locutum versusque duos ex Aristophanis interprete in Acharnens. affers a Telepho prolatos, qui sunt: *μή μοι φθονήσατ', ἄνδρες Ἑλλήνων ἄκροι, εἰ πτωχὸς ὢν τέτληκ' ἐν ἐσθλοῖσι λέγειν.* Ego vero (liberius fortasse paulo dictum fuerit) neque hos versus video, cur tantopere grandes elatique censeri debeant, cum purgatio in illis, atque ea quidem simplex, appareat, vbi non fortunarum suarum oblitus Telephus, sed suæ miseriæ bene conscius *πτωχὸν*, se appellare non erubescit: neque qui aptari verba Horatii possint intelligo, si illa ex ipsis exprimatur sententia. Cum enim illud agatur, vt constet quandoque in tragœdia pedestrem, & humilem conuenire orationem, optime mihi congruere res tota videtur, si Telephi & Pelei exemplo id probari dicamus, qui exules in calamitate constituti abiectis procul magnificis verbis, & pene dithyrambicis suppliciter opem implorarent. Neque in humilitate sermonis tantum, sed & cultu ipso corporis facere studebãt. quod ab Aristophane in Batrachis, non solum eius interprete pronuntiatur clarissime. Nam quid tandem sibi volunt, ea Æschyli verba aduersus Euripidem? hæc nempe *πρῶτον μὲν τοὺς βασιλεύοντας ῥάκι' ἀμπίσχων, ἵν' ἐλεεινοὶ τοῖς ἀνθρώποις φαίνωνται εἶναι.* Quæ quidem eo loco interpres ita expoluit, vt ad Oeneum Te-

Iephumque præcipue referri scribat. Atqui quorsum mutare vestem, nisi superbia omnis animo excessisset? Præterea, vt ita exponam, illa me conditio etiam, *Si curat*, non mediocriter mouet. Vltimo vero loco verbum Proiicio notissimum est ea præditum vi esse interdum, quam nos illi hoc loco tribuimus. Namque a Virgilio etiam dictum est, *Proiice tela manu sanguis meus*. Sic mihi series & vis ipsa verborum, & ratio denique quædam persuadent. Peruicax tamen esse ego nolim, vbi tu aduersam tueri sententiam pergas.

Horatius Poet.

Nec circa vilem patulumq; moraberis orbem.]

Madius sic inquit: *Ordinem iam vulgatum Horatius vocat vilem, quoniam patulus est*. Exponens igitur quid intelligeret per orbem vilem addidit, *Patulum*. Neutiquam credo ego hæc vera esse: cur enim hic *Vilem* significet vulgatum? Ea potius dicit Horatius, quæ sint Madii dictis maxime contraria. Vetat enim discedere longius a re illa communi & peruagata, quam scribendam suscepimus: sicuti anxie nimis prohibet idem in ea immorari. Iam vero per Orbem, cur debemus ordinem intelligere? Quis enim dicat, *Morari circa ordinem?* Sed moramur & versamur in materia ipsa de qua loquitur, *Publica materies*. Quare nullo modo probo, quæ hic a Madio dicuntur, existimoque Horatium præceptum tradere, qua ratione possimus materiam aliquam ab aliis decantatam nos etiam recte tractare. Ratio autem ea est, ne nimis ab illa recedamus, neque rursus ita simus illi addicti, vt religioni ducamus extra aliquantum vagari. Nam neque circa maximum orbem immorãdum est, nec per amplissimum quendam circuitum illa narrare decet, ex quo vile, & quasi dilutum redderetur opus nostrum: Si enim ita latum, ita fusum amplumque sit, non poterit vbique elegans esse, vbique acutum; neque etiam in angustum adeo gyrum nos includemus, vt digredi loco & tempore non audeamus. Quæ sane sententia cum Aristotele mirifice conuenit, qui sub finem libri de poetica ita scribit, ὥστε ἐὰν μὲν ἕνα μῦθον ποιῶσιν ἀνάγκη, ἢ βραχέα δεικνύμενον μύουρον φαίνεσθαι, ἢ ἀκολουθοῦντα τῷ τοῦ μέτρου μήκει, ὑδαρῆ.

Aristoteles Poetic.

Τὸ γὰρ πάντες.] *Magnopere a vera*, vt inquit Lucretius, *lapsi ratione videntur*, dum hunc locum explicare vellent Madius ac Robortellus. In eo enim accusari Homerum constanter affirmarunt, quod ea, quæ sunt hominum, transtulisset ad deos, propterea quod ipsos dormientes fecerit. Neque intellexerunt, id quod in promtu maxime fuit, agi hic de dictione, deque his quæ ad dictionem pertinent, vt patere ex illis potuit, περὶ δὲ τῶν τὴν λέξιν. In aliis præterea exemplis in dictionibus his, ἀφῆκεν, ...

ἰδὼν & οἴη, metaphora est, non in sententia, cum præsertim absurdum sit dicere, Homerum per metaphoram somnum diis attribuisse; cum & Aristoteles ipse dicat, κατὰ μεταφορὰν εἴρηται, non ποιεῖν). & circa has duas dictiones πάντες & οἴη, quomodo sit metaphora declaret, nihil omnino de sententia vlla dicat. reliquas autem duas breuitatis studio omisit. Itaque nonnihil equidem risi cum in explicatione Robortelli hæc legissem; Translate locutus est Homerus, cum dixit, *Arcton expertem esse lauacrorum Oceani.* Sicuti etiam Virgilius apud Latinos, cum ait, *Metuentes æquore tingi.* Vbi satis indicat, se existimare apud Homerum metaphoram esse in sententia illa, non in verbo aliquo. Siquidem nec verbum Homeri exprimit, in quo metaphoram notauit Aristoteles, & Virgilii verba attulit, quæ οὐδὲν πρὸς ἔπος (vt est in prouerbio) pertinere videantur, si in dictione, non item in sententia metaphora apud Homerum consideretur. Ad sententiam ergo retulit ille metaphoram, quæ ad dictionem omnino pertinet, nec nisi in dictione, ne cogitari quidem potest: vt is ipse suo testimonio quasi imprudens plane confirmat. Ait enim, *Hæc vero, quæ per metaphoram proferuntur, valde sunt probanda, quia mirifice sermonem illustrant metaphora, & rem ob oculos ponũt, notissimamq; reddunt.* Quæ nam sunt, o Robortelle, quæ hoc & illo pacto proferri ducuntur? Dictiones. Sermonem ipsum quidnam illustrare fatebimur? Dictiones. Rem vero, cum ea verbis ad sui explicationem indigeat, quodnam illud erit, quod ob oculos eam ponat, notissimam reddat? Dictiones. Ergo te ipso etiam contra teipsum iudice in dictione metaphoram considerari oportet, vt ex eiusdem quoque definitione clarissimum constat. Est enim ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορά. Quod vero ad Homeri versum attinet, Madium non probamus, qui carmen crediderit desiderari. Nam eo modo legi optime potest, quo legit Robortellus.

Aristoteles Poetic.

ἢ κόσμος.] Locus est dignissimus, qui omni cura diligentiaque adhibita examinetur, atque perpendatur. Itaque & Madius humanissime fecit, vt multa ad huius illustrationẽ afferret, quibus tamen sibi satisfieri ingenue negat. Robortellus autem κόσμον existimauit ab Aristotele dici ornatum illum, qui per totam orationem diffunditur, & conflatur ex prioribus omnibus qualitatibus. Sic enim ipse paulo infra scribit. Qui a quidem in re minime audiendus est. Aristoteles enim (*vt omnes intelligunt*) de vno aliquo nomine agit, qui κόσμος appellatur, vt reliqua nomina sua appellatione prædita sunt: aut enim metaphoræ dicuntur, aut propria, & cetera. Ego vero non dubitarim affirmare, ab Aristotele intelligi illud nominum genus, quod ob sui vetustatem, pulchritudinemque, & quãdam etiam quasi maiestatem non medio-

Rr

criter expolire orationem atque exornare possit, siue illud sit epithetum, siue secus. Nam cum videam & auditorem Aristotelis Theophrastum de pulcris honestisque nominibus quædam tradidisse apud Demetrium Phalereum, in quibus ille statuit nomen aliquod pulcrum aut ob eam rem dici, quod cum effertur, iucunditatem quandam videatur oculis veluti obiicere, vt ῥοδόχροος, aut propterea, quia grato ac leni constans literarum sono aures incredibiliter afficiat, vt καλλίστρατος: aut ob id denique, quod præstantiam & dignitatem aliquam apud animos nostros referat, atque exponat, vt ἀρχαῖοι, pro παλαιοί: hanc ipsam pulcritudinem existimo a magistro Aristotele hic intelligi eamque κόσμον nominari, cum præsertim in libris Rhetoricis, vbi de iisdem rebus agitur, quæ hac in parte tractantur, cognosci possit tale quiddam dictionem κόσμος apud ipsum declarare. inquit enim, τὸ δ' ἀνάλογόν ἐστιν, ἐὰν μήτε περὶ εὐόγκων αὐτοκαβδάλως λέγηται, μήτι περὶ εὐτελῶν εὐόγκως. μήτ' ἐπὶ τῷ εὐτελεῖ ὀνόματι ἐπῇ κόσμος. εἰ δὲ μή, κωμῳδία φαίνεται, οἷον ποιεῖ Κλεοφῶν. ὁμοίως γὰρ ἔνια ἔλεγε, καὶ εἰ εἴποιεν ἄν, πότνια συκῆ. Est locus præterea alter, ex quo Aristotelis discipulum Theophrastum agnoscas. vsque adeo sunt plane eadem, quæ ab vtroque afferuntur. Locus apud Aristotelem ita se habet: τὰς δὲ μεταφορὰς ἐντεῦθεν οἰστέον. ἀπὸ καλῶν ἢ τῇ φωνῇ, ἢ τῇ δυνάμει, ἢ τῇ ὄψει ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει. διαφέρει δ' εἰπεῖν οἷον ῥοδοδάκτυλος ἠὼς μᾶλλον, ἢ φοινικοδάκτυλος. ἢ ἔτι φαυλότερον, ἐρυθροδάκτυλος. Ex Demetrio postremo ipso nominis huius vis tota percipitur. Docens enim quibus rebus seiungantur, τὸ εὔχαρι & τὸ γελοῖον (adeo simplex est, & vbique vna veritatis oratio) sane quam his, quæ attulimus, consentanee sic inquit: διαφέρουσι δὲ καὶ τῇ λέξει αὐτῇ. τὸ μὲν γὰρ εὔχαρι μετὰ κόσμου ἐκφέρεται, καὶ δι' ὀνομάτων καλῶν, ἃ μάλιστα ποιεῖ τὰς χάριτας, οἷον. τό, ποικίλλεται μὲν γαῖα πολυστέφανος. καὶ τὸ χλωρηὶς ἀηδών. τὸ δὲ γελοῖον, καὶ ὀνομάτων ἐστὶν εὐτελῶν καὶ κοινοτέρων. Iam itaque in dubium non reuocabitur, puto, nostra hæc interpretatio: cum de ea inter se, & rhetorum, & philosophorum omnium principes mirifice consentiant.

Aristoteles Poetic.

Πάθος δ' ἐστὶ πρᾶξις φθαρτική.] Nequeo satis mirari Robortellum eum, qui tantam sibi apud plerosque in politiore humanitate auctoritatem comparauit, vsque eo loci sententiam non percepisse, vt multa eo nomine ætateque illa (ne grauius dicam) indigna attulisse videatur. Crediderim facillime alijs tum curis hominis eruditissimi animum, vt fit plerunque, distractum fuisse. Nam ingenio, industriaque & vsu quantum valeat, id notius est, quam vt hoc loco a me debeat prædicari. Is igitur πάθος vertit perturbationem, & in eo sane multus est, vt probet hanc suam perturbationem ad tragœdiarum spectatores, eosque, qui huiusmodi

modi fabularum se auditores præbeant, omnino pertinere ac referri, quibus quidem κατὰ φαντασίαν, nescio quam, aliena mala cogitantibus perturbatio hæc oritur, & φθορά quædam ἐν τῇ φαντασίᾳ. Sic enim ipse scribit. In quo illud primo grauissime erratum est, quod πάθος perturbationem conuertit. Nam licet id ipsum declaret sæpenumero vox illa, multo tamen aliam vim hoc loco sortita est. Exprimit enim nobis maximum aliquod malũ, quod quis in seipso patiatur, vt testatur eius definitio. Etenim πάθος, inquit, ἐστὶ πρᾶξις φθαρτικὴ ἢ ὀδυνηρὰ, οἷον οἵ τε ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι, καὶ αἱ περιωδυνίαι καὶ τρώσεις. Qui possint hæc ad eos, qui spectant, adaptari? Sensus mehercule omnis expers esse videatur, si quis efferre ista non vereatur. At κατὰ φαντασίαν possunt hæc pati spectatores. Intercludam iam & istum aditum, quamque nullum sit effugium istud ostendam, si potero. Das ne quod negare non potes, πάθος hic accipi pro illo tertio, quod consideratur in ea tragœdiæ parte, quæ fabula dicitur? Nunc fabula vsque eo late patet, vt spectatores etiam comprehendat? An non potius ad eos tantum pertinet, qui ipsi a poeta aliquid perpessi inducuntur? Ergo & ad hos ipsos τὸ πάθος referetur, ad spectatores non item. Hi enim extra fabulam sunt, atqui nunc tertium illud explicatur, quod totum est eorum, qui in fabula versantur, ad quos eosdem, & peripetia & anagnorisis spectabant. Hæc quanquam satis ex se plana, & a me cõfirmata sunt, faciam tamen, vt loca nonnulla afferam, in quibus Aristoteles hoc opere sub eadem vi expressit vocem πάθος, ac primus ille sit, qui aliquanto infra positus huc mirifice congruit, qui est: ποῖα οὖν δεινὰ ἢ ποῖα οἰκτρὰ φαίνεται τῶν συμπιπτόντων, λάβωμεν. ἀνάγκη δὴ ἢ φίλων εἶναι πρὸς ἀλλήλους τὰς τοιαύτας πράξεις, ἢ ἐχθρῶν, ἢ μηδετέρων. ἂν μὲν οὖν ἐχθρὸς ἐχθρὸν ἀποκτείνῃ, οὐδὲν ἐλεεινὸν, οὔτε ποιῶν, οὔτε μέλλων δείκνυσι πλὴν κατ' αὐτὸ τὸ πάθος, οὐδ' ἂν μηδετέρως ἔχοντες. Intelligin' bone Robortelle iam, quid sibi πάθος velit? an nondum etiam? Viden' hic mentionem fieri de ipsimet actionibus? quæ nullo modo ad spectatores dici possunt pertinere. Quid ea, quæ statim sequuntur, quam præclare nostram caussam adiuuent potes ne intelligere? ὅταν δ' ἐν ταῖς φιλίαις, inquit, ἐγγίνηται τὰ πάθη, οἷον ἀδελφὸς ἀδελφὸν, ἢ υἱὸς πατέρα, ἢ μήτηρ υἱὸν, ἢ υἱὸς μητέρα ἀποκτείνῃ, ἢ μέλλῃ, ἢ τοιοῦτον ἄλλο δρᾷ, ταῦτα ζητητέον. Et adhuc infra, ἀναγκάζονται οὖν ἐπὶ ταύτας τὰς οἰκίας ἀπαντᾶν, ὅσαις τὰ τοιαῦτα συμβέβηκε πάθη. Sed & is locus adhuc inferius positus hominem commonere poterat, τραγῳδίας δ' εἴδη εἰσὶ τέσσαρα. τοσαῦτα γὰρ καὶ τὰ μέρη ἐλέχθη, ἡ μὲν πεπλεγμένη, ἧς τὸ ὅλον ἐστὶ περιπέτεια, καὶ ἀναγνώρισις. ἡ δὲ παθητικὴ, οἷον οἵ τε Αἴαντες, καὶ οἱ Ἰξίονες. & alter huic consimilis, qui est inferius multo. est autem, ἔτι δὲ τὰ εἴδη ταυτὰ δεῖ ἔχειν τὴν ἐποποιίαν τῇ τραγῳδίᾳ. ἢ γὰρ ἁπλῆν, ἢ πεπλεγμένην, ἠθικὴν, ἢ παθητικὴν δεῖ εἶναι, καὶ μέρη ἔξω τῆς μελοποιίας, καὶ ὄψεως ταυτά καὶ γὰρ περιπετειῶν δεῖ καὶ ἀναγνωρισ-

σιων καὶ παθημάτων. Quod autem de cædibus affert, quæ quod in aperto fieri non consueuerunt, ad spectatores omnia illa referenda esse dixit, id plane nihil est: & cum Madio in hac re sentimus. Non enim quod fiat nec ne in aperto cædes, hoc dixit. illud præcipuum fuit Aristotelis propositum, ostendere, in quibus rebus contingere possit πάθος illud. Et sane exponere ἐν φανερῷ, vt intelligas cædes prope spectatores fieri, & quatenus voces querelæque eorum, qui trucidãtur, exaudiri possunt, censere cædes esse ἐν φανερῷ, licet res ipsa in occulto geratur; repugnare mihi magnopere videtur significationi harum vocum ἐν φανερῷ. Hæ enim ante oculos rem fieri indicant & omnino apparere.

Aristoteles Poet.

ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν τινὰ τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων, καὶ εὐτυχίᾳ.] Ne in hac quidem parte conuenit mihi cum Robortello, qui illa verba: τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων, vsque adeo crediderit ad declarandam vtique peccati magnitudinem & indignitatem posita esse, vt ad librum manuscriptum sibi confugiendum putarit, in quo dictiones illas καὶ εὐτυχίᾳ. non reperiri dixit. Cumque primo veritate ipsa compulsus recte ad famæ hominum celebritatem retulisset, nescio qua ratione factum sit deinde, vt in alia omnia discesserit. Nam esto sane, absint dictiones illæ, quis vnquam tamen animaduersis orationis partium istarum generibus audeat sic interpretari. Propter aliquod peccatum, quod admittitur in iis, quæ in magna sunt existimatione apud homines grauissimaque habentur & maxime nefaria? Nemo, opinor, qui viderit ἁμαρτίαν & ὄντων, genere discrepare, dicendumque fuisse ὄντων, si eam voluisset Arist. afferre sententiam. Præterea de hominibus dici, & ad corũ nominis, existimationisque famam pertinere ea verba probe cõstabit. consimilem locum mox subditum inspicienti. Locus vero is est, μὴ διὰ μοχθηρίαν, ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν μεγάλην ἢ οἵου εἴρηται, ἢ βελτίονος μᾶλλον. An est dubitandum amplius? cum hic manifesto dicat, erratum illud non cuiusuis debere esse, neque a quolibet admitti patrariue facinus oportere, sed ab homine, qualem iam dixerat, eo videlicet, qui sit ex eorum numero, qui magna sunt in opinione, lautaque & secunda fortuna. Et tamen (non enim possum quin indigner) rudium adhuc puerorum vix ferunt interdum magistri in huiusmodi rebus oscitantiam, nos ad magistrorum, & eorum quidem illustrium negligentiam (nam quid dicam aliud?) sæpissime conniuemus. Vsque adeo aliquam sibi apud homines literarum doctrinæq; opinionem comparasse multum est. Sed sedata iam nemesi institutum negotium agamus.

Aristoteles Poetic.

Οἷον ἐν τῷ βαδίζειν κλίων.] Madius multus est in euertenda recepta peruulgataque lectione, quæ est, βαδίζει κλίων: & illud tenet acriter-

acriterque defendit, nullum hic esse posse verbo alicui locum. Quippe illud agere Aristotelem credit, vt exemplum orationis, quæ sine verbo est, adiungat: quoniam de ea postremo loco fuerat locutus, totumq; Aristotelis consilium fuisse in hac parte arbitratur, ostendere orationem nullam posse tantum constare ex partibus non significantibus, quales coniunctiones & articuli sunt, ideoque dicere, quanquam sine verbo confici possit oratio, partem tamen aliquam significantem semper habebit: sic enim ille scribit. *Quæ omnia a vera ratione absunt, & sibi ipsis repugnāt, vt iam cuiuis constabit.* Primum omnium longe aliud sibi proponit Aristoteles ad explicandum, nempe orationis partes, quæcunque tandem illa sit oratio, per se aliquid significare. id quod facere non possunt, neque nominis, neque verbi partes, *vt est in libro περὶ ἑρμηνείας declaratum.* Sed neque hoc est eius orationis exemplum, quæ sine verbo constare potest, vt apertissime patet coniunctionem aduersatiuam consideranti, quæ in hanc ipsam sententiam quasi clamare videtur. Quæcunque tamen oratio sit, ea partes semper habebit aliquid significantes. Nam quorsum interserere, μέγας μέντοι &c. si posterioris orationis generis exemplum voluisset afferre, nihil aliud? Quid? quod ne definitionis quidem illud erit exemplum? Hoc enim fuerat posterius genus. Quid? quod ne oratio quidem vllo pacto? Quam enim habet integram sententiam & perfectam? Quam naturam, aut quam substantiam (quod munus est definitionis) nobis explicat? Ad id orationi, si modo oratio sit, præstandum est, vt doctissime a Theodoro etiam in quarto definitum est: ἔστι γάρ τοι ὁ λόγος, is inquit, σύνταξις λέξεων ἐναρμόστως συντεθειμένων διάνοιαν ἔχουσα αὐτοτελῆ. Idem censuit Ammonius εἰς τὸ περὶ ἑρμηνείας, non longe ab initio Platone etiam auctore. Quanquam is inferius de sententia decessisse argui potest, qui ex Aristotele colligi posse dixerit, ad orationis constitutionem minime requiri sententiæ integritatem. Quæ res sane, si summum illud ius in verbis persequi velimus, non inepta censeri possit. Si vero res ipsa æquo iudicio spectetur, oratio omnino perfecto absolutoque sensu constet necesse est. neque aliter, puto, censuit Aristoteles. Nam verum quidem est, quod oratio quælibet partes habet, quæ significant, e cōuerso tamen quicquid partes habet significantes, non continuo oratio dici debet. nam aduerbia quidem aliquid significant, eadem tamen nomini alicui adiuncta orationem minus componunt, vt paulo post ex Arist. ipso fiet manifestum. Quare non oportuit Ammoniū orationis formam ex eo collegisse, quod ipsius orationis vere proprium neutiquam esse apparet. Quid plura? Nonne & Galenus in libello περὶ τῶν παρὰ τὴν λέξιν σοφισμάτων, orationem esse dixit, σύνθεσιν ὀνομάτων? Cumque, quid Nominū appellatione contineretur, explicaret, verba quoque scripsit qui-

dem intelligi, de aduerbiis autem ne literam quidem vllam adiunxit. Denique enumeremus licet omnia orationis genera, ad quod tamen istud *βάδην καλῶς*, referri debeat, non reperiemus. Neque enim vocatiua est oratio, neque imperatiua, neque interrogatiua, aut optatiua, ac multo etiam minus enuntiatiua dicenda est: in qua necessario verbum, aut verbi casus requiritur. At (*inquit Madius*) dicit Cleon significare, non item *Ambulat*. Quasi vero Aristoteles neget, plures vna dictiones debere esse in oratione significantes; ac non differentiam potius monstrare voluerit, quæ est orationi cum nomine & verbo; cum horum partes nihil admodum, orationis aliquid significent. Nullo pacto igitur appellabitur oratio. Qui enim? cum solo nomine constet. nam si duo saltem nomina ponerentur, etiamsi ea definitionem non conficerent, non esset magnopere reluctandum. Siquidem & Aristoteles ita locutus in *περὶ ἑρμηνείας*. *ὥσπερ ἐν τῷ λόγῳ τῷ καλὸς ἵππος*. aduerbium vero cum nomine orationis appellatione dignandum non est. ob eandem rationem, qua negat Aristoteles nomina indefinita orationem esse his verbis: *τὸ δ' οὐκ ἄνθρωπος οὐκ ὄνομα. οὐδὲ ἐστὶ κεῖται γε ὄνομα ὃ τι δεῖ καλεῖν αὐτό. οὔτε γὰρ λόγος, οὔτε ἀπόφασις ἐστίν*. Namque aduerbia & cetera huiusmodi cum non sint veræ, nec propriæ orationis partes, sed famularum potius ac pedissequarum quarundam munere fungantur, quod est respectum aliquem significare prædicati ad subiectum, & actionis modum, vt *inquit Alex. in secundum Topic.* dispositionemque aliquam; nec orationem quidem conformare poterunt: partes enim & totum nihil fere debent differre. Postremo illud ego fieri potuisse miror, vt homo alioquin perspicax & acutus non viderit, se non verbum e lectione abstulisse, sed aduerbium amplius addidisse. Ea est enim aduerbii natura, vt verbo semper innitatur: quod tametsi non exprimitur semper, semper tamen est intelligi necessarium.

Habes, optime Petre, quæ ego carptim in summis scriptoribus a summis interpretibus male (vt mihi quidem videtur) explicata collegerim. quibus adeo non offendor, vt hoc ipso nomine multum illis debere me fatear, quod inde factum sit, vt nostra nonnihil excitaretur industria: putoque omnino viris illis laudem tribuendam esse. quod egregia multa nobis reliquerūt, quibus certe vitia, si qua sunt, obscurari æquum est. Ea enim naturæ nostræ imbecillitati adtribui censeo oportere. quæ non vbique homines Lynceos esse patiatur. Tu vero felix perge in florentiss. vrbe florentem ingeniis moribusque iuuentutem ad humanitatem instituere: perge bonis libris lucem afferre fortunatissimi Principis, inuictique DVCIS nostri cura, & vigilantia fecutus. ad cuius domesticam laudem, quæ & pace & bello clarissima semper exstitit, accedit vt eo patre ortus sit, qui animi magnitudine &

rerum

rerum gestarum gloria cum summorum Imperatorum quolibet comparari possit. Huius virtutem nuper cum memoria repeterem, equidē non potui, quin illius studio inflammatus, hoc qualecunque hexastichum effunderem:

Strata erat ad Iani tumulum mœstissima Virtus
Vnguibus & crines, & laniata genas.
Cur ita? quærenti, Propria quis sede relicta
Non doleat? patria fractus & exul? ait.
Possent morte mori cœlestia numina, possent:
Finissem luctus morte repente meos.

Sed hæc non esse huius loci video neque temporis. Alias fortasse, si ita Superis videatur, ista agentur. Nunc totum me tibi dans, atque addicens, finem scribendi faciam.

IOANNIS HARTVNGI

DECVRIÆ PRIMÆ LOCORVM MEMORABILIVM EX OPT. QVIbusq; auctoribus excerptorum,

CAPVT I.

DIVERSARVM LECTIONVM.

APollonii interpres lib. 3. Homerum allegat ex Odyss. λ. ἦ ποτὲ θνητοὺς γῆρας ὑπ᾽ λιπαρῷ. Apud Homerum pro γῆρας, γήραι μὲν ὑπ᾽ λιπαρῷ, &c.

Stephanus, ἐν τῷ Ἰωλκός.

φοίβην καὶ γλαφυρὰς καὶ ἐϋκτιμένην Ἰωλκόν. Homeri locus, in Catalogo nauium. Sed pro φοίβην, legitur βοίβην: & pro Ἰωλκόν, quod corruptum, Ἰαωλκόν. vt constet versus, βοίβην καὶ γλαφυρὰς καὶ ἐϋκτιμένην Ἰαωλκόν.

ἐν τῷ Μαντίνεια Stephanus.

Homerus citatur, οἳ τεγέαν εἶχον, καὶ μαντινέην ἐνέμοντο. In Catalogo Homeri est, οἳ τεγέην εἶχον καὶ μαντινέην ἐρατεινήν.

Quintilianus lib 9. cap 4.

Thucydidem allegat, ἐν ἐρύμασι χεῖρες ἐφαίνοσαν. Apud Thucydidem lib. 1. legitur aliter: nimirum, ἐπεὶ ἡμῖν αἱ χεῖρες ἐφαίνοσαν. Vtra potior lectio, lectori relinquo iudicium; mihi satis, indicasse diuersam lectionem.

ἐν τῷ Βοῦγος.

Δήμη τε βουγαίοισι ἡγέμων στόλου. Locus ex Lycophronis Alexandra, obscurissimo poemate: apud quem tamen pro στόλου στρατοῦ est: & pro δήμη, δήμης legitur.

Aristoteles lib. 9. Ethicorum.

Ex Theognide, ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι, &c. Cum apud ipsum Gnomographum pro διδάξεαι, μαθήσεαι legatur. Sed non magni momenti hoc, aut discriminis.

ἐν τῷ ἀλμωπία. Stephanus.

Ex Lycophrone: ἐκ δ' ἀλμωπίας παλιμπλανήτην δέξεται τυρσηνία. Apud Lycophronem est, ἐκ δ' ἀλμωνίας πάλιν πλανήτην δέξεται τυρσηνία. Stephani lectio deprauata.

Apud Demosthenem in oratione κατὰ Νεαίρας,

Legitur, τὰς μὲν γὰρ ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκα ἔχομεν. τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος. τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως, &c. καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν. Hic locus paulo aliter citatur ab Athenæo lib. 13. δημοσθένης δὲ ὁ ῥήτωρ, ἐν τῷ κατὰ νεαίρας λόγῳ, εἰ γνήσιος ὃν ἀπολλοδώρῳ εἴρηκε. Φησὶ, τὰς μὲν ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκα ἔχομεν, τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ' ἡμέραν παλλακείας, &c. Vbi παλλακείας, pro θεραπείας legitur.

Stephanus ἐν τῷ Σούνιον.

Δῆμος λεοντίδος φυλῆς σούνιον. ὅμηρος δὲ ἄκρον καλεῖ, ἀλλ' ὅτε σούνιον ἄκρον. Apud Homer Odyss. γ. legitur, ἀλλ' ὅτε σούνιον ἱρὸν ἀφικόμεθ' ἄκρον ἀθηνῶν. Sed fieri potest, vt Stephanus ad posterius respexerit.

Æschylus in Persis.

ὧν ἦγε πλῆθος, ξέρξῃ δὲ (καὶ γὰρ οἶδα) χιλιὰς μὲν ἦν. Apud Plutarchum in vita Themistoclis, pro ὧν ἦγε, est νεῶν τὸ πλῆθος. Verba Plutarchi: αἰσχύλος ὁ ποιητὴς, ὡς ἂν εἰδὼς, καὶ διαβεβαιούμενος, ἐν τραγῳδίᾳ πέρσαις λέγει ταῦτα· ξέρξῃ δὲ καὶ γὰρ οἶδα χιλιὰς μὲν ἦν νεῶν τὸ πλῆθος, &c.

Stephanus ἐν τῷ Ὀλίζων.

Καὶ πιτύειαν ἔχον, καὶ ὀλίζωνα τρηχεῖαν. Apud Homerum, vnde locus sumtus, in Catalogo: καὶ μελίβοιαν ἔχον, καὶ ὀλίζωνα τρηχεῖαν.

Apud Demosthenem in oratione contra Mediam.

Σκόπει δὲ μὴ [illegible] αὐτὸν ἐξαιτήσηται, καὶ ἐλάττω πολὺ τῇ πόλει καταθεὶς, ἢ ὅσα σοι δίδωσι καταγελάσῃ. Moschopulus ἐν τῇ συντάξει καὶ ἐλάττω πολὺ τῇ πόλει καταθέμενος, ἢ ὅσα σοι δίδωσι, &c. ὅσα σοι corruptum est in oratione Demosthenis, pro ὅσα σοι.

Apud Aristotelem in Problematis, sectione λ.

Διὸ καὶ ὅμηρος ἐποίησε, καὶ μὲ φησὶ δακρυπλώειν βεβαρημένον οἴνῳ. Locus Odyss. τ est, sed ita habet: φῆ δὲ δακρυπλώειν βεβαρηότα με φρένας οἴνῳ. Huius generis multa occurrunt: neque enim adstricti, curiosiq; in allegãdo ita ad singula verba esse debemus, vt vna voce aut syllaba vel omissa, vel mutata, piaculum cõmissum putemus, modo sensui satisfiat.

Idem lib. 3. περὶ ζώων μορίων.

Totum locum Aristotelis, quia mire memorabilis est, adiiciendum

dum duxi: τὴν κεφαλὴν ὡς ἀπηχηκότα φθιγγέσθαι λέγουσί τινες, ἐπαγόμενοι τὸν ὅμηρον,

φθεγγομένη δ' ἄρα τοῦ γε κάρη κονίῃσιν ἐμίχθη.
ἀλλ' οὐ φθεγγομένου.

Sic autem apud Homerum Iliad. κ. versus legitur, & rursus Odyss. χ. in genitiuo, non nominatiuo. quod ipsum Eustathius videtur reprehendere. quod κάρη neutrum, & non fœmininum sit, his verbis: γράφεται δὲ καὶ φθεγγομένη δὲ ἄρα τοῦ γε κάρη. οὐχ ὁμηρικὴ δὲ ἐστιν ἡ φράσις. οὐ γάρ ἐστι θηλυκῶς ἡ κάρη παρ' ὁμήρῳ, &c. Vide Iliad. κ. Eustathium, de his & aliis.

Aristoteles lib. 1. Rhetoricorum.

Πολλὰ πάθει, καὶ πολλὰ ἔοργε. Locus ex Odyss. ο est, pro ἔοργε tamen ἀληθῆ legitur in Homero.

Apollonis interpres lib. 1.

Ex Homero citat,

κλεῖνα γὰρ ζῶον περὶ ἐπικλείουσιν ἀοιδοί.

Apud Homerum lib. α. Iliad.

κλεινὰ γὰρ τὸν περὶ ἐπικλείουσιν ἀοιδοί.

Apud Stephanum ἐν τῷ σπουδῶν,

Allegatur locus qui est ex Homeri Catalogo, τηλόθεν ἐξ ἀβύδωνος ἀπ' ἀξιοῦ εὐρὺ ῥέοντος. Apud Homerum pro ἀβύδωνος, ἀμύδωνος legitur, factum cognatione forsan literarum, quam inter se habent: vt Cælius adnotat lib. 5. cap 30 Sic κύμινδις & κύβινδις, &c. Aut fortassis similitudine & errore ipsius μ. quod a priscis ita depingi β. consueuit, quæ non multum a forma ipsius μ abhorret. Eustathius vtrumque Iliad. β. reperiri tradit, & ἀβύδωνος, & ἀμύδωνος.

Aristoteles lib. ζ Historiæ animalium.

Ὥσπερ ὅμηρος ἐποίησε,
θρέψεν ἐπὶ χλούνην σῦν ἄγριον οὐδὲ ἐῴκει
θηρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλ' ἀγρίῳ ὑλήεντι.

Apud Homerum Iliad. 9. sed pro θρέψεν, ὦρσεν positum. Homeri editio, quæ nunc est, non habet omnia ea quæ Aristoteles recenset:

ὦρσεν ἐπὶ χλούνην σῦν ἄγριον ἀργιόδοντα,
ὃς κακὰ πολλὰ ἔρδεσκεν, &c.

Conferas ergo Homerica cum Aristotelicis allegatis: & intelliges, olim varia exemplaria, & diuersas exstitisse lectiones, quod & supra indicauimus.

In prouerbio,

In omni fabula Dædali exsecratio, Erasmus Suidæ sententiam secutus, apud quem est, ἐν παντὶ μύθῳ καὶ τὸ δαιδάλου μῦσος, Zenobius pro μύθῳ, θύμῳ legit: ἐν παντὶ θύμῳ καὶ τὸ δαιδάλου μῦσος quam lectionem ego non negligendam censeo lectori: & ea excutienda, quæ Erasmus transtulit, diligentius.

Rr 5

Item in prouerbio, Papyri fructus, &c.

Ex Æſchyli Supplicibus citatur verſus. Sed apud Æſchylum legitur. βύβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ σταχύων. Apud Suidam, βύβλου δὲ καρπὸς οὐκ αὐτεῖ σταχὺν μέγαν: quod apud Æſchylum nō additur. Apud Zenobium, βίβλου δὲ καρπὸν οὐ κρατεῖ σταχύς.

Ariſtoteles lib. 9 Hiſtoriæ animalium:

Καιόμεναι δᾷδές τε ἰοσύμενος, &c. Apud Homerum Iliad. λ. καιόμενοί τε δεταί, τάς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ.

Athenæus lib. α.

οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι,
ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κακότητος ἀπούσης.

Apud Homerum Odyſſ. 9. illud κακότητος ἀπούσης non extat: eius loco, κατὰ δῆμον ἅπαντα.

Apollonius lib. α.

εἵματ' ἐπήτριμα νηήσαντο λεῖα ἐπὶ πλαταμῶνι τὸν οὐ ἐπιβάλλει θάλασσα. Theon Arati interpres legit, εἵματα εἵσαντο λεῖα ἐπὶ πλαταμῶνι, τὸν οὐκ ἀπιβάλλει νύματι χειμερίῃ, &c.

Plutarchus in Exſilio.

Ἐγὼ δὲ σοὶ ἅπτε πῦρ ἀνῆψα γόνιμον ἐν γάμοις. Euripidis in Phœniſſis eſt locus: ſed pro γόνιμον, legitur νόμιμον.

Apud Platonem in Axiocho.

Ἰθονίαις in vulgatis exemplaribus legitur: pro quo in exemplari Dalburgiano, quod Ladenburgii ad Nicrum adhuc in Bibliotheca ſcriptum ſeruatur, ἐπωνυμίαις. Locus ſuſpectus tamen mihi videtur, & mendoſus.

In prouerbio: Flet victus, victor interiit.

In Græco: κλαίει ὁ νικηθεὶς, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλε. Zenobius, κλαίει ὁ νικήσας, ὁ δὲ νικηθεὶς ἀπόλωλε, recenſet: & magis arridet.

Apud Stephanum,

Ἐν τῷ ἀμφρύσος, Lycophron allegatur: ἀμφρυσαῖον σκηπτοῦχον εὐρυάμπιον. Apud Lycophronem paulo aliter eſt, ἀμφρυσσῖον σκηπτοῦχον εὐρυαμπίων.

Ariſtoteles in Poetica.

Νῦν δέ μ' ἐὼν ὀλίγος τε καὶ οὐτιδανὸς, καὶ ἀειδής. Locum vſurpat, qui apud Homerum Odyſſ. γ. eſt: niſi quod pro ἀειδὴς, Homerus habet ἄκικυς.

Demoſthenes in prima Philippica, quam Priſcianus quartam appellat.

Ὅτι δὲ καὶ πρότερον ἀκούω ξενικὸν τρέφειν ἐν Κορίνθῳ τὴν πόλιν, οὗ Πολύστρατος ἡγεῖτο, &c. Suidas ἐν τῷ πολύστρατος, vſitatam lectionem ex Didymo damnat. Locus eſt, & verba Suidæ: ἄλλος δ' ἂν εἴη, οὗ μνημονεύει Δημοσθένης ἐν Φιλιππικοῖς, λέγων αὐτὸν ποτὲ ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν τρέφειν. μὴ ποτε μὲν τοι ἐν τούτῳ δεῖ γράφειν Πολύτροπον, ἀντὶ τοῦ Πολύστρατον. παρὰ μηδενὶ γάρ φησιν ὁ Δίδυμος εὑρηκέναι τὸν Πολύστρατον, ἡγησάμενον τοῦ ἐν Κορίνθῳ ξενικοῦ. τὸν μὲν τοι Πολύτροπον, ἀθλητὴν εἶναι. Hæc Suidas.

Stephanus ἐν τῷ χαλάστρα.

Ex Lycophrone, quem allegat, θεσπρώτων ἄμφω κ̓ χαλαστραῖος λίων. pro χαλαστραῖος, in Lycophrone est χαλαστραῖος: apud quem, locum vide, & Scholiographum

Apud Stephanum ἐν τῷ φαλάκρη.

Σπιλὰς κυνοῖλιω κ̓ φαλακραῖον κλιτύν. Lycophron habet πέρραν κύβηλιν.

ἐν τῷ γάλαδρα.

Σιναὶ γαλάδρος τὸν στρατηλάτην λυκός. Lycophron, σιναὶ χαλάδρος legit.

Stephanus ἐν τῷ νίζηπτες.

Citatur Dionysius, κ̓ ἀγχίμαχοι νίζηπτες: apud Dionysium legitur, ἀγχίγυοι νίζηπτες.

Homerus Iliad. α.

Ἀλλὰ τί μοι τ̃ ἦδος; Sed quæ voluptas horum? quid attinet ista commemorare? Fortassis idem illud vult Apollonii (quanquam mutata voce μοι τ̃, pro μύθων) lib. γ. ἀλλὰ τί μύθων ἦδος, quæ voluptas verborum? quid opus verbis?

Stephani ἐν τῷ ὕλη exemplar,

Allegat Λυκόφρονα: κ̓ σίτεγχον κλώσαντες ὑλατωτέγην. Apud ipsum vero Lycophronem legitur fidelius, κ̓ σιτεγχον βλυξαντες, ὑλάτω τέγην.

Ethicorum ad Nicomachum Aristotelis lib. 3.

Legitur, πτώσσοντας νοήσω. pro quo apud Homerum Iliad. ο, ἐθέλοντας νοήσω. de quo copiosius vide in cap. Attributorum perperam 4.

Aristotelis lib. 6. Rhetoricorum,

οὐκ ἔστιν ἀνδρῶν ὅστις ἐστ' ἐλεύθερος ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός. Ex Hecuba Euripidis, sed in Euripide legitur pro ἀνδρῶν, θνητῶν.

Prouerbium, Nudior Leberide.

Varia lectio huius prouerbii, & interpretatio est: γυμνότερος λεβηρίδος. & τυφλότερος λεβηρίδος, & κενότερος λεβηρίδος, pro quo malim νεώτερος, pro κενότερος. quemadmodum etiam Zenobius legit: id est, nouior Leberide. Exuunt enim singulis annis, quod notum, serpétes exuuia sua, & quasi innouantur. Sequatur lector, quamcumque velit lectionem.

Scholiastes Apollonii.

Citat lib. 4 Argonauticorum ex Hesiodo, θεία δ' ἥλιόν τε τεκέ, λαμπρεάν τε σελήνην. In Theogonia est Hesiodi, sed legitur, θεία, ἥλιον τε μέγαν, λαμπράν τε σελήνην. quomodo & interpres Euripidis in Phœnissis legit: ἡσίοδος φησι α δελφὴν ἡλίῳ εἶναι τὴν σελήνην, θεία τ' ἥλιον τε μέγαν, λαμπράν τε σελήνην. idcirco illud in Apollonii commentario carmen corrigendum, & pro τεκέ legendum μέγαν, si velis carmen integrum habere: quanquam Scholiastes videtur ad suum negotium citasse, satis existimans dicere, Theiam

Solem & Lunam peperisse. Nam τὸ τίκει sequitur etiam apud Hesiodum. Sed satis horum.

CAPVT II.

Deprauata & Restituta.

STephanus ἐν τῷ τριβαλλοὶ locum ex Auibus Aristophanis citat corrupte: ὄνομα δὲ τούτοις τῶν θεῶν τῶν βαρβάρων, τί ἐστι μεμάθηκα τριβαλλοί. Apud poetam est: ὄνομα δὲ τούτοις τοῖς θεοῖς βαρβάροις τί δ' ἐστίν; ὅτι ἐστὶ τριβαλλοὶ μανθάνω pro μεμάθηκα ergo, quod corruptum, μανθάνω ponendum est.

Idem ἐν τῷ ἀραβία.

> Περὶ ἧς εἰσβαίνοντα τὴν διονύσιός φησι,
> Τῆς δ' αὖ ἰσθμὸς ἀπωτέρω τοπῶ πέραν οἶμον ὁδεύων,
> ἀραβίου κόλποιο μυχάτον ῥόον, ἐστὶ μεταξὺ
> εἰλεῖται στεινῆς τε καὶ ἀραβίας ἰσθμῆς.

Sed apud Dionysium pro ὄρμον quod deprauatum credo, legitur οἶμον. pro ῥόον, πόρον: pro ἀραβίου, ἀραβικοῦ. ἰσθμοῦ, ἰσθμῆς. Emendandus Stephanus.

In Prouerbio, Maninoro vinculo,

Erasmus transtulit ex Zenodoto, apud quem legitur, τοῖς ποντικοῖς εἵμασι, διὰ τὸ τὰς χεῖρας διαπλέκειν καὶ ἀπολύσκειν, &c. Manicas vestium ponticarum, quod manus offendant, atterantque. Miror, tantum virum loci mendam non animaduertisse. Legendum enim κοπτικοῖς, pro ποντικοῖς: id est, stringentibus & scindentib. manus, pro arctis. Hesychius & Fauorinus habent πυκτικοῖς, quam Erasm. lectionem secutus, reddidit ponticarum vestium: fortassis pro πυκτικοῖς, quam lectionem suspectam habuit, ποντικοῖς supposuit.

Ἐν τῷ κνωσσὸς apud Stephanum,

Citatur locus, οἱ κνώστην τ' ἐπιόντε τε, καὶ γόρτυνα: corrupte. Nam locus est ex 2. Iliade: & pro κνώστον, οἱ κνωσσόν τ' legendum &c.

Apud Zenobium,

Corrupte legitur, ἄλλο γὰρ δ' ὅτι οὐδεὶς ἀπαιτεῖ. Hemistichium est: & legendum, ἄλλο γὰρ δ' ὃ, τι δ' ἄν τις ἐπαιτεῖ. Suidas legit, ὃ οἶδεν τις ἐπαιτεῖ, &c. quem consule.

Herodotus in Melpomene.

ὀνομάζομεν, αὐτοὺς σκυθιστὶ ἀριμάσπους. ἄριμα γὰρ ἓν καλέουσι σκύθαι, σποῦ δὲ τὸν ὀφθαλμόν. Eustathius in Dionysium corrigit locum: ἀριμασποί, κατὰ ἡρόδοτον δοκοῦσιν τοιοῦτοι πάντες καλεῖσθαι, ὡς οἷον εἰπεῖν μονόφθαλμοι. ἀρι μὲν γὰρ τὸ ἓν σκυθιστὶ, μασπὸς δὲ ὁ ὀφθαλμός. Quare apud Herodotum locus corrigendus, & non ἄριμα legendum, sed ἀρι μὲν γὰρ: neque σποῦ, sed μασπός.

In prouerbio, Amyris insanit.

Opinor incuria librariorum factum, vt legatur Amyris, pro Thamyris. nam omnes παροιμιογράφοι, Suidas, Zenodotus, Hesychius, & Fauorinus, Thamyris legunt. quare corrigenda lectio in Chiliadibus: & pro Amyris insanit, Thamyris restituendum.

In

In prouerbio, Teipsum laudas,

Mendose legitur Parthenæum, pro Parthenopæum. Vide Suidam & Zenobium ἐν τῷ, σεαυτὸν ἐπαινεῖς.

In prouerbio εἰς τὸ δέον, ad id quod oportet, vel ad vsum.

Tradit Zenobius, Pericles, ὡς ἔδωκε χρήματα τῷ βασιλεῖ τῶν λακεδαιμονίων ἀσυνακτη. Qua lectione D. Erasmus deceptus, non animaduertit, corrupte legi ἀσυνακτη, pro πλειστοάνακτι, qui fuit in Lacedæmoniorum regibus, vt Aristophanis in Nebulis annotat interpres, & Plutarchus in Pericle. Verba interpretis Aristophanis sūt: περικλῆς τοῖς ἐφόροις λακεδαιμονίων κλεανδρίδᾳ καὶ πλειστοάνακτι χρήματα ἔδωκεν ὑπὲρ προδόσιας. καὶ τούτων ἀπαιτούμενος ὑπὸ τῆς πόλεως λόγον, οὐκ ἀξιῶν ἑαυτῷ τι καὶ τοὺς λακεδαιμονίους καταισχύνειν, ἔλεγεν, εἰς τὸ δέον ἀνήλωσα. τοῦτο δὲ ποιοῦντες λακεδαιμόνιοι, τὸν μὲν κλεανδρίδην ἐφόνευσαν τὸν δὲ πλειστοάνακτα δέκα τάλαντα ἐζημίωσαν, οἰηθέντες αὐτοὺς διὰ τὸ φείσασθαι τῆς λοιπῆς ἀθηναίων γῆς δωροδοκήσαντας, ἐντεῦθεν ἀναχωρῆσαι. Hæc interpres Aristophanis. Et Thucydidem libr. 5. vide.

Thucydides lib. 2.

Παρελθόντες δὲ ὠρωπὸν τὴν γῆν πειραϊκὴν καλουμένην, ἣν νέμονται ὠρώπιοι ἀθηναίων ὑπήκοοι, ἐδῄωσαν, id est, Prætereuntes Oropum regionem nomine Piraicen, quam Oropi Athenensium subditi incolunt, vastarunt. Sic interpres. Sed corruptum est πειραϊκὴν pro γραϊκήν. Nam Eustathius lib. 1. τανάγρα πόλις βοιωτίας, ἣν ὅμηρος γραῖαν καλεῖ διὰ τὸ πλησίον εἶναι, &c ἐκαλεῖτο δὲ ἡ γραῖα, ἥ τε καὶ ἡ τανάγρα, καὶ ποιμανδρία, ὡς κεῖται παρὰ λυκόφρονι. ἀριστοτέλης δὲ φησι, γραῖαν λέγει τὴν νῦν ὠρωπόν. τὸ δὲ τῆς κλήσεως αἴτιον ὑπὸ γραίας τῆς μελισσῶνος. φαύω δὲ φησι, ἐπὶ γραίᾳ τόπος πλησίον ὠρωποῦ. Strabonis locus lib. 9. est. Deprauatum ergo est apud Thucydidem πειραϊκὴν, & legendum γραῖαν. Apud Stephanum similiter ἐν τῷ ὠρωπὸς, corruptam γραϊκὴν pro γραῖαν. nam Stephani lectio est, παρελθόντι ὠρωπὸν τὴς τὴν καλουμένην γραϊκήν.

Apud Stephanum, ἐν τῷ Αβαντις,

Legitur, πυαύτιον ἀγλαὸν ἦον: corrupte, pro ποιάντιον. Locus ex tertia Odyss. de Philoctete loquens.

Appollonius libro primo.

Πολλὰ δὲ τὴν γαλιτῆσιν ἀποστρέψαι δίγώλας. Illud δίγώλας me quōdam, cum transferrem, non parum aliquandiu exercuit & torsit: quod nusquam occurreret alias. Sed deprauatum est, & emendatum ad finem quarti libri inuenies, vbi reperitur, αἴτ' ἀνέμων εἰλυαὶ ἀνίσταθεν. Quo loco exponit interpres, esse μεγάλων ἀνέμων καταιγίδας, καὶ συστροφάς.

Libro 3. Rhetoricorum apud Aristotelem.

Διλτέμβραι, καὶ πολύθυροι διάπτυχαί: a Trapezontio versore locus præteritus, & non translatus. Estque ex Taurica Iphigenia Eu-

ripidis, καὶ διὰ τῶν μὲν αἱ πολύθρηνοι διαπτυχαὶ περιφερατικῶς, declarant funestas & lamentabiles literas.

Apud Ouidium lib. 3. Tristium, Eleg. 4.

Legitur in omnibus exemplaribus, quæ quidem ego hactenus vidi

Non foret Eumenides orbus, si filius eius
Stultus Achilleos non adamasset equos.

Eumenides corrupte, pro Eumedes, cuius filius Dolon fuit. Iliad. κ. δόλων εὐμήδεος υἱός.

In Oeconomicis Xenophon.

Xenophontis exemplar Græcum corruptum est, sicut & Strabonis, & Plutarchi, & aliorum quorundam. In Oeconomicis legitur, κάλλιστην δὲ ποτὲ καὶ ἀκριβεστάτην ἔδοξας κινῶν ταῦτα ἰδεῖν pro κινῶν, legendum σκοπῶν.

Stephanus ἐν τῷ Δαύνιος.

Υπὲρ λακίου legitur deprauate, pro λατίνους. Nam locus ex Lycophrone est, apud quem integer ita versus exstat: ὑπὲρ λατίνους δαυνίους τ' ᾠκισμένον.

Apud eundem ἐν τῷ γύθειον.

Δυοσαὶ σαλμυδοσίας, κἀπιγυθείους πλακὸς, perperam legitur. Apud Lycophronem est, δυοσαὶ σαλάγγας κἀπὶ γυθείου πλακας.

In Diui Marci Euangelistæ vita, a Dorotheo martyre descripta:

Ἐκεῖ ἐκάη πυρὶ ὑπὸ τῶν εἰδωλομανῶν μηνὶ φαρμουθὶ λαίως, καὶ ἐκεῖ ἐτάφη, &c. μηνὶ φαρμουθίλαιως, id est, mense Aprili, quo etiam affectus supplicio, & eius memoria celebratur, est combustus. nam φαρμουθὶ Ægyptiorum lingua mensem Aprilem denotat. Postea, quia barbara vox, accepta terminatione græca, factum φαρμουθίλαις, &c. D. Erasmus non transtulit.

ἐν τῷ δίζηρον.

Legitur προσάτειαν νῆσον διζηροῦ πυρός Lycophronis versus est, sed deprauate citatus, aut excusus. Et legendum, οἱ πρὸς βαλεῖ ταρταρου τὸ διζηροῦ πέρα.

Apud Lucianum in Dialogo Vulcani & Apollinis.

In exemplaribus vulgatis legitur, μαχαίριον καὶ καλάμους: mendose, pro μαχαίδας καὶ κολλάβους. Ita Moschopulus in sua constructione locum allegat: & huius lectio magis quadrat sensui, quam vulgata.

Apud Aristotelem in Problematis

Legitur, ποιητὴς ἐν κολύμῳ: corrupte vnica litera, pro κολώνῳ. intelligens Poetam in Rustico, id est, Hesiodum secundo libro, qui inscribitur Rusticus, seu Agricultura. Error autem ex figura literæ ϛ accidit, quæ apud priscos (sicut in veteribus exemplaribus adhuc videre est) ita pingebatur, ϗ: quæ figura non dissimilis est ipsi μ nisi quod cauda caret, quod non animaduertens qui princi-

it ab-

transcripsit, pro ϐ posuit μ. Etsi non ignatus sum, esse cognationem literæ ϐ & μ, de qua alibi dictum.

Apud Stephanum, ἐν τῷ μυκλώη,

Μυτῆς legitur, & corrupte: pro μύκητος, manubrio, seu capulo gladii &c. Totus locus ad verbum in Eustathio interprete Homeri est, lib. 2 Iliad μυκλώη, ἀπὸ τοῦ μυκλώως υἱοῦ ἀργείου, ἀδελφοῦ φορωνίως. ἢ ἀπὸ μύκητος, τοῦ ξίφους. ὃ ἐφόρει περσεύς: οὗ πεσόντος κατὰ κέλευσιν ἐμοῦ, τὴν πόλιν ἐκεῖ ἔκτισεν.

In Apollonii primo Argonauticorum,

——αἶψα γὰρ ἤτοι

αὐτὸν ἐμᾶς μόψον τι δαήμονα μαντοσυνάων

πλαγχθέντας λυγρῆς ἐνὶ πείρασι δηιόθλῶαι pro αἶψα, malim αἶσα γὰρ: id est, in fato enim, &c.

In Plutarcho,

In vita Antonii est ad calcem scriptum perperam, mea sententia, τῶν δὲ γυναικῶν ἡ μὲν εἴρας λεγομένη, πρὸς τοῖς ποσὶν ἀπέθνησκεν: ἡ δὲ χάρμιον, ἤδη σφαλλομένη καὶ καρηβαροῦσα. Versor transtulit: Ex mulieribus, quæ aderant, Eras quidem ad pedes reginæ expirauerat, Charmium autẽ semianimis. Sed pro εἴρας lege νάειρα: pro χάρμιον, χαρμιόνη. ita enim apud Zenobium historia est, & Erasmus similiter hanc lectionem approbat. Locus Zenobii est Νάειρα καὶ χαρμιόνη, τούτων ἡ μὲν τῶν τριχῶν ἐπιμέλειαν ἐποιεῖτο κλεοπάτρας τῆς βασιλίσσης ἡ δὲ τῶν ὀνύχων, παρέμειναν δ' αὐτῇ καὶ μέχρι θανάτου, καὶ ἀποθανοῦσαι πολυτελοῦς ταφῆς ἠξιώθησαν, καὶ τιμῆς ἔτυχον. κλεοπάτραν γὰρ καῖσαρ ὁ αὔγουστος χειρωσάμενος ἐβουλήθη τὸ βασιλικὸν αὐτῆς περιελεῖν διάδημα, καὶ θρίαμβον ἀγαγεῖν ἐπὶ μέσου τῆς πόλεως, ἡ δὲ κλεοπάτρα εἵλετο μᾶλλον ἐντίμως ἀποθανεῖν, ἢ ἐν ἰδιωτικῇ τάξει ἐπὶ θεάτρου ἀτιμωθῆναι αὐλεῖν ἑαυτὴν ἔμελλεν, &c.

In secundo libro Apollonii Scholiographi.

Vulgata editio habet, τὶ δὲ σίσαμον μετὰ ὁμάδων ἁμάστρεως ἀπὸ δαρείου ἀδελφοῦ θυγατρός. Sed mendose. pro ἁμάστρις. nam Strabo lib. 12. tradit, ἄμαστρις ἡ δὲ γυνὴ διονυσίου, τοῦ ἡρακλείας τυράννου, θυγάτηρ δὲ ὀξυάτρου, τοῦ δαρείου ἀδελφοῦ, τοῦ κατ' ἀλέξανδρον. Et Eustathius in 2. Iliad. eadem refert: quem petas licebit.

Commentarius idem Apollonii lib. 2.

Γλαύσιον τοῦ δοίαντος πεδίου εἰσὶ τρεῖς πόλεις, ἔνθα κατῴκουν αἱ ἀμαζόνες. λυκάστια, θεμισκύρα καὶ χαλύβεια. Deprauate legitur χαλύβια, pro χαδήσια ita enim aliquãto post in textu, ad calcem prope eiusdem libri sequitur:

ἔνθα θεμισκύρειαι ἀμαζόνες ἀμφὶς ἔναιον,

οὐ γὰρ ὁμηγερέες μίαν ἄμ πόλιν, ἀλλ' ἀνὰ γαῖαν

κεκριμέναι κατὰ φῦλα διάτριχα ναιετάασκον,

νόσφι μὲν, αἵδ' αὐταὶ τῇσιν τότε κοιρανέεσκεν

ἱππολύτη νόσφι δὲ λυκάστιαι ἀμφενέμοντο,

νόσφι δ' ἀκοντοβόλοι χαδήσιαι, &c. Quo loco χαλήσιαι est, sed perperam, pro χαδήσιαι. Vide Stephanum.

Stephanus ἐν τῷ ἀκμόνιον.

Ἔπι δὲ καὶ ἄλλο ἄλσος ἀκμόνιον περὶ θερμώδοντα. ἐφ' ᾧ μιγεὶς ἄρης τῆς ἁρμονίας ἔσχεν, &c. ἀπολλώνιος ἐν δευτέρῳ: ὅθεν ἡ κέκληται οἱ ῥέοντες ἐν τῷ περὶ ὕωντος πεδίῳ. Pro ὕωντος, quod corruptum legendum est δοίαντος.

Ioannes Tzetzes in Hesiodum:

ὁ ἀπελισφέρηται καὶ ἀμόλυθειος κύημα. Corruptum est, & legendum, ἀπλισφόρητον καὶ ἀδλωθείδιον. Sic Pollux lib 2.

ἐν τῷ ἄδωνις apud Stephanum,

Corruptum est ἀχαιϊκῶν ἀπίπλων. nam Homericum est hemistichium Iliad ι, & ἐυπίπλων legendum.

In Demetrii Grammatica,

Legitur θεμβιπιδείπνε, perperam: pro θυμβρεπιδείπνε. Vox Aristophanica, in Nubibus. Ibidem apud Demetrium πασιμελοῦσα ponitur, quæ Homerica vox est, epitheton nauis Argonautarum. Vide Odyss. μ.

Apud Bocatium lib 5. cap. 43.

Domum fratris habitantis, legitur perperam, pro Pheris: non auctoris ignorantia, sed eius, qui primo typis excudit. Homeri versus habet,

τὴν δ' ὄμηλος ὅπου φέρης ἐν οἰκία ναίων. Odyss. δ.

Apud Zenobium in Prouerbiis,

Perperam legitur, ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κείκελα ἐπίβαλλε. τάττεται δὲ ἐπὶ τῶν δι' ἄκρας ῥαστώνης, &c. Suidas & Fauorinus legũt pro κείκελα, κύκλα pro ἄκρας, γήρας: quos sequaris licet.

Apud Stephanum, ἐν τῷ Ἰναχία,

Locus mendosus est, qui ex Æschyli Prometheo citatur πῶς δ' οὐ κλύω καὶ οἰστροδινήτου κόρης καὶ Ἰναχίης, ἢ διὸς θάλπει κέαρ. & ὧδε περί. Apud Æschylum variautur quædam, vt sequitur: πῶς δ' οὐ κλύω καὶ οἰστροδινήτου κόρης καὶ Ἰναχείης, ἢ διὸς θάλπει κέαρ ἔρωτι.

Apud Zenobium ἐν τῇ ὑπερ ...,

Legitur, φῦλλος ἐγένετο πίτυος ... πόντος, corrupte, pro quo, φαῦλος ἐκπέπτο ..., &c ItaSuidas legit.

In prouerbiis Erasmi, Lingua inanis,

Aristophanes citatur in Bacchis, sed deprauate pro βατράχοις. id est, Ranis. neque enim Aristophanes Bacchas descripsit. Locus in Ranis est, γλῶτταν δ' ἀπορικουσαν ἰδία τῆς φρενός. Ac de his hactenus.

CAPVT III.

OMISSORVM.

Stephanus ἐν τῷ αἰθιοψ.

Vulgata lectio est, αἰθίοψ πολίχνιον ἀλεξανδρείας, ἐγγὺς δὲ πολὺ ὀστ... πύρω θαλάσσης, ἀκόσιον, τὸ δὲ οἶνοι καλοῦσι ξυγον. Hæc Stephani exemplar. Sed corrupte, omissa est syllaba, vt sit λιβυκον.

Nam

Nam Strabo lib. 16. hunc scrupulum tollit, vbi scribitur inter cetera, εἶτ' αὖ τῆφρος μικρὸν ἀπωτέρω τῆς θαλάσσης, ἄπιστον μὲν χώρα αὐτὴ ὑπάρχουσα, πλεῖον δεχομένη τοῦ κεραμίου θάλατταν, ἢ οἶνον, ὃς δὴ καλεῖται λεσβιακόν.

Apud eundem Stephanum,

Legitur ἐν τῷ χαλκηδόνι, νίσφι διάκοντο: parum integre tamen: nam locus ex Apollonii 2. suppletur, νόσφι δ' ἀκροτοβόλοι χαλύβεσσι, &c.

ἐν τῷ αἴσωνι Stephanus.

Ita legitur αἴσων πόλις θεσσαλίας, ἀπὸ αἴσωνος τοῦ ἰάσονος, πατρὸς τοῦ ὄνομα διὰ τοῦ κλίνεται, ὡς ἡσίοδος: τὸν δὲ αἰσονίδης, ἀπὸ τοῦ αἴσονος [illegible] φέρεται. Et mendosum, & (vt mihi videtur) parum integrum. Meo iudicio ita & corrigi, & restitui possit: αἴσων πόλις θεσσαλίας, ἀπὸ αἴσονος τοῦ ἰάσονος πατρὸς, ὡς ἡσίοδος (ἐν θεογονίᾳ) αἰσονίδης. ὁ αἴσων δὲ τοῦ κρηθέως, ἐν ὀδυσ. λ. αἴσονα ἠδὲ φέρητα. Hæc tamen non, vt quisquam sequatur, adiicio: sed, vt idonea magis ad sarciēdum locum adhibeantur.

Stephanus ἐν τῷ διομήδεια.

Otiosum spatium est ἀργυρι: ad cuius supplementum adde ἵππης, vt sit. πλησίον ἀργυρίππης. Sunt enim Argyrippa & Diomedæa τῆς δαυνίων καὶ τῆς ἰωνίου κόλπου. vide Stephanum ἐν τῷ ἀργυρίππα.

Apud Stephanum, ἐν τῷ λαρισσα.

Est spatium vacuum περὶ κύμην τὴν νῦν, deestque φρικω, vt sit φρικωνίδα. Nam Strabo lib. 13. tradit ἀπὸ τοῦ λοκρικοῦ ὄρους τὴν δὲ κύμην φρικωνίδα καλοῦσιν, ὁμοίως δὲ καὶ τὴν λάρισσαν. Et Eustathius Iliad. β. κύμη ἐπιφανὴς ποτὲ πόλις, ἡσιόδου πατρὶς, καὶ φρικωνὶς ἡ τοιαύτη ἐκαλεῖτο λάρισσα. Et apud Stephanum ipsum, ἐν τῷ φρικίον, καλεῖται δὲ φρικωνὶς ἡ λάρισσα. Quocirca sarciēdus est locus, & legēdum φρικωνίδα.

Aristoteles Ethicorum 3. Ad Eudem

Ἐξ ὕερξου in græco exemplari est, pro ὁ ἐρύξιδος. Est enim Eryxidis Philoxenus filius, quo de Aristoteles loquitur. vide Athenæum lib. 1. & 3.

Apud Stephanum ἐν τῷ αὐτόμολοι.

Legitur, τοῖσι δὲ αὐτομόλοισι τούτοισι ὄνομα ἀσμάχην, ὅ ἐστιν, οἱ ἐξ ἀριστερῆς γλώσσας παρεστεώμενοι βασιλεῖ. Deest autem, locusque mutilatus est: δύναται τοῦτο τὸ ἔπος κατὰ τὴν ἑλλήνων γλῶσσαν. Sic apud Herodotum est lib. 2 totus locus, vnde sarciri Stephani defectus potest: τοῖσι δὲ αὐτομόλοισι τούτοισι ὄνομά ἐστι ἀσμάχ. δύναται τοῦτο τὸ ἔπος κατὰ τὴν ἑλλήνων γλῶσσαν, οἱ ἐξ ἀριστερῆς χειρὸς παριστάμενοι, &c.

In prouerbio Cissamis Cous,

Erasmus transtulit: Hunc aiunt pecuniariis gregibus supra modum diuitem, verum anguillam quotannis apparere solitam, quæ pulcerrimam omnium pecudem raperet. ea cum in somnis apparens hominem commonuisset, vt sepeliret sese, & ille negligeret,

euenit, vt tum ipse, tum vniuersum illius genus radicitus interiret. In hac Erasmi versione desiderantur quædam, quæ in Græco sunt: & sensus ipse cum eo qui in Græco pugnat. Verba Zenodoti, ἐπεὶ δὲ πολυθρέμματος, τούτῳ φασὶν ἐγχέλυν ἐπιφανεστάτην καθ' ἔτος, τὸ κάλλιστον τῶν προβάτων ἁρπάζειν (καὶ τὴν κίσσαμιν αὐλεῖν) quod deest in Erasmo, id est, repetendum τὸ φασίν: Tradunt Cissam in ipsam anguillam occidisse, &c φαινομένην δὲ αὐτῷ καθ' ὄναρ, κελεῦσαι καταθάψαι αὐτῆς. τὸν δὲ μὴ φροντίσαντα, πανγενεὶ ἀπολέσθαι, id est. Traduntque (vt repetatur principale verbum) postea, vbi anguilla interemta est, apparuisse in somnis, monuisseque, vt Cissamis sepeliret sese, &c. Erasmus videtur quasi in luto, quod aiunt, hic hæsisse: quia addit, hoc prouerbium Delium aliquem natatorem requirere.

Apud Aristotelem in 3. Rhetoricorum.

Trapezuntius versor omisit, neque traduxit, καὶ τὸ χάρματα τὸν πίστονα ἐν τῷ ἰάμβῳ, οὗ ἡ ἀρχή, οὔ μοι τὰ γύγεω. Parum integer locus, & suppletur ex Plutarc. libello περὶ τῆς εὐθυμίας οὔ μοι τὰ γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει, καὶ οὐδ' εἷλε πώ με ζῆλος, οὐδ' ἀγαίομαι, &c. Hoc est: Nō curæ mihi sunt diuitiæ opulenti Gygis, neque æmulus sum, neque admiror, &c.

Apud Stephanum, ἐν τῷ ἄμυρος, mutilatus locus:

Πόλις θεσσαλίας καὶ πο. ad cuius supplementum addendum, ταμός nam fluuius eiusdem nominis in Thessalia. Scholiastes Apollonii lib 1 ἀμύρου ῥέεθρα. ἄμυρος θεσσαλίας ποταμός.

Apud Stephanum, ἐν τῷ βαρόκχορ,

Vacuum spatium est, quod suppletum sic habebit: καὶ ὅμηρος τοὺς κόρας καλεῖ βαρόκαρφοι. Iliad 6. consule & Strabonem lib 8.

ἐν τῷ δῆμος, Stephanus.

Deest πλῆθος ita enim legitur: καὶ τὸ πᾶν ὡς ἐν ἱππεῦσι. Legitur: καὶ τὸ πᾶν πλῆθος, ὡς ἐν ἱππεῦσι, &c. τὸ δῆμος ἡμῶν βούλεται ὁ ἱστάνειν.

ἐν τῷ Αὔιον, Apud Stephanum.

Duo spatia inania: quorum alterum voce ἀνδρῶν farciendum, ἕπεται δ' ἔχει δῆμος ἐνδικαιότατον ἀνδρῶν: alterum voce ἴθνος, videlicet, δίδυμος δὲ θρῄκιον (ἔθνος) φησί.

ἐν τῷ ἀγκυρὼν.

Deest λιθινά, vbi legitur, ἀγκυρὼν πόλις αἰγύπτου, ὡς ἀλέξανδρος τῇ σκευασθησόμενη αἰγυπτιακῶν. ὠνόμασται δὲ ὅτι, ἐπειδὴ λιθίνας ἔτεμνον: id est, a lapideis anchoris, quibus vsi sunt. de quibus Odyss. Homerus, ἐκ δ' εὐνὰς ἔβαλον κατὰ δὲ πρυμνήσι' ἔδησαν. & Apollonius lib 1. ad λιθινά ergo addendum λιθινάς. vt sit λιθινάς.

ἐν τῷ κῦφος, Stephanus duobus locis mutilatus.

In priore, vbi legitur, κῦφος πόλις περραιβίας, γουνεὺς ἐκ κύφου ἦγε δύο καὶ εἴκοσι νῆας. qui locus ex Catalogo Homeri, ἀπὸ κύφου τοῦ παιδὸς περραιβοῦ,

μήλων, &c. hic deest, τῆς παλλάδος. Sic Eustathius in secundum Iliad. subiicit. In posteriore, vbi sequitur, λυκόφρων (ἐν δεκάτῳ) quod corruptum, & eius loco legendum, & quod vacuum est supplendum, ex Lycophrone, ἐν ᾗ κυφαίων δύσμορον στρατηλάτην.

Aristophanes in Auibus,

De Sciapodibus ad hunc modum tradit. ἔθνος ἐστὶ περὶ τὴν δυτικὴν ἠπειρον, πρὸς τῇ κεκαυμένῃ ζώνῃ, &c. τούτους δὲ ἔχειν βήματα φασὶν, τοῦ παντὸς μείζονα. διὰ δὲ τὸ μὴ ἔχειν οἴκους, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ καύματος ἀναλίσκεσθαι, ὅσης τῆς γῆς αὐτῶν καὶ τραχείας, καὶ κατάλυσιν οὐκ ἐχούσης εἰς ἀποφυγὴν τοῦ καύματος. Desunt quæ apud Suidam exstant, ad integram sententiam. Deest enim id ferme: σκιάποδας τούτους ἔχειν βήματα, μείζονα φασὶ τοῦ παντὸς σώματος. διὰ δὲ τὸ μὴ ἔχειν οἴκους, ἀλλὰ ὑπὸ τοῦ καύματος ἀναλίσκεσθαι &c.

CAPVT IV.

Attributorum perperam.

POllux lib 2. cap. περὶ ῥηχέως τούτων, &c. tradit, ἄκνησις κυρίως μὲν ἐπὶ τῶν τετραπόδων, ὅμηρος δὲ ἐπ' ἀνθρώπων κέχρηται, λέγων, κατ' ἄκνησιν μέσα νώτα. Qui locus Odyss. κ. habetur. non autem de homine, sed de ceruo, nisi forte & alias apud Homerum de homine idem iteretur, quod nõ credo, vt videatur vel hic Pollux deceptus, præsertim cum apud Apollonium lib. 4 etiam serpenti attribuatur:

> ἄχρις ἐπ' ἄκνησιν κατ' ἄπνοος, ἐκ δὲ λιπόντων
> ὕδρης λερναίης χόλον αἵματι πικρὸν οἰστῶν.

Apud Aristophanem in Auibus, in omnibus exemplaribus, quæ quidem mihi contigit videre,

Tribuitur Pisterhæro, &c. Πειθεταίρῳ, οὕτω μὲν εἰσίωμεν ἄγε δὴ ξανθία καὶ μανόδωρε. sed perperam. nam digerenda sunt quæ dicuntur, & partim Pisthetæro, partim Epopi destinanda, hoc modo: Πειθ. οὕτω μὲν εἰσίωμεν. Επ. ἄγε δὴ. Atque ita etiam Scholiographus, non eo in loco, sed aliquanto superius, sentit: discernendum locũ personis, ne sit continuatio Pistethæri loquentis. Verba Scholiographi: ἄγε δὴ σὺ καὶ σὺ, πρὸς τὴν εὐελπίδην φησὶν ὁ ἔποψ. ἄμεινον δὲ πρὸς τοὺς θεράποντας, ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς (respiciens ad præsentem locum) ἄγε δὴ ξανθία καὶ μανόδωρε, &c.

Erasmus in prouerbio, Ægyptios laterifer,

Accommodat perperam Durio equo. quæ muro tribuenda Nephelococcygias, quæ narrabatur a nuntio, exstructa esse in longitudinem centum passuum, seu cubitorum. Verba Erasmi sunt: Apud Aristophanem quærit quispiam, quis composuisset equum Durium centum cubitorum? cui respondetur: Aues, neque quisquam alius. Hæc Erasmus. Sed alius sensus: nimirum, Pisthetærus quærit, sit ne murus exstructus. Respondet nuntius, esse, &c. & talem, itaque latum, super quo duo currus contrarii, cum equis similibus Durio equo. agitati

possint. Locum subiiciam, vt in promtu sit, adeoque ad manum id qui velit conferre:

> Αγγ. πῶ πῶ 'στι, ποῦ ποῦ 'στι, ποῦ ποῦ 'στι, ποῦ
> ποῦ Πεισθέταιρός ἐστιν ἄρχων; Πεισθ. οὑτοσί.
> Αγγ. ἐξῳκοδόμηταί σοι τὸ τεῖχος. Πεισθ. εὖ λέγεις.
> Αγγ. κάλλιστον ἔργον, καὶ μεγαλοπρεπέστατον,
> ὥσθ' ὑπεράνω μὲν Προξενίδης ὁ Κομπασεὺς,
> καὶ Θεαγένης ἐναντίω δύ' ἅρματε
> ἵππων ὑπόντων μέγεθος ὅσον ὁ δούρειος
> ἐπὶ τοῦ πλάτους ἂν παρελασαίτην. Πεισθ. ἡράκλεις.
> Αγγ. τὸ δὲ μῆκός ἐστι, καὶ γὰρ ἐμέτρησ' αὐτ' ἐγὼ
> ἑκατὸν ὀργυιῶν. Πεισθ. ὦ Πόσειδον, τοῦ μάκρους.
> τίνες ᾠκοδόμησαν αὐτὸ τηλικουτονί;
> Αγγ. ὄρνιθες, οὐδεὶς ἄλλος, &c.

Perperam igitur tribuitur Durio equo, quod conueniebat muro.

Aristoteles in Elenchis

Sermonem Ioui tribuit, qui est Neptuni apud Homerum Iliad. φ. Aristotelis locus est: καὶ τὸ περὶ τὸ ἐνύπνιον τοῦ Ἀγαμέμνονος, ὅτι οὐκ αὐτὸς ὁ Ζεὺς εἶπεν: δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι, ἀλλὰ τῷ ἐνυπνίῳ ἐνετέλλετο. D. Camerarius scribit, nusquam esse apud Homerum locum: quod verum, si Iouem respicias, cui Aristoteles tribuit. Sed si Neptunum, tunc φ. Iliad. est.

Similis error apud Aristotelem est Ethic. lib. 2. sub persona Calypsonis, cui verba tribuuntur, quæ apud Homerum Circes sunt Odyss. μ

> Τούτου μὲν καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτὸς ἔεργε.

Eiusdem rationis videtur esse, quod apud Homerum ea, quæ Hectori Iliados ο tribuuntur, ab Aristotele Politicorum libr. 3. Agamemnoni: & vicissim, quæ apud Homerum Agamemnoni Iliad. β, ea apud Aristotelem Ethicorum 3. Hectori, μνημονικῷ (ὡς δοκεῖ μοι) ἁμαρτήματι. Quæ vt in parato lectori sint, vtriusque & philosophi, & poetæ locos subiicere visum fuit.

Aristoteles libro γ. Ethicorum ad Nicomachum, inter alia, ἀναγκάζουσι γὰρ οἱ κύριοι, ὥσπερ ὁ Ἕκτωρ, ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης (πτώσσοντα) νοήσω, οὔ οἱ ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας, &c.

Apud Homerum Agamemnon Iliad. β, non Hector, ista introducitur comminari, paucis tamen mutatis:

> ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω
> μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, &c.

Vides, apud Homerum ἐθέλοντα esse, apud Aristotelem πτώσσοντα, quod magis conueniens est comminationi: quasi dicat, trepidantem. Et illud μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ, ab Aristotele omittitur, &c. loquente apud vtrumque tamen, οὔ οἱ ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς, &c.

Rursum

Rursus Politicorum 3 legitur, ὁ γὰρ ἀγαμέμνων κακῶς ἀκούων λέγει ἐκκλησίαις μὲν ἀνέχεται κακῶς ἀκούων, ἐξελθόντων δὲ κἂν ἀποκτείνειν κύριος ἦν· λέγει γοῦν. ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης, οὐ οἱ ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας, ἠδ' οἰωνούς. πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος. Quod hemistichium apud Homerum non reperitur, sed eius loco aliud: αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, &c. Ita Aristoteles 3. Politicorum. Sed Homerus Iliad. ο

> ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἑτέρωθι νοήσω,
> αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, &c.

Tantum de his, quæ huic capiti destinare voluimus

CAPVT V.

Erratorum in citando.

STephani ἐν τῷ Δῆμος, exemplar legit, ὡς ἐν ἱππεῦσι, τὸν δῆμον ὑμῶν ἐκλιπεῖν δίειμι. Locus est in Vespis, nō in Equitibus. Quare emendandus, & σφηξὶ pro ἱππεῦσι reponendum.

Idem ἐν τῷ ἐρύθινος,

Apollonium citat, καὶ ὑψηλοὺς ἐρυθίνους. In Apollonio non ita legitur, sed αἰπεινοὺς ἐρυθίνους. in 2. apud Homerum, in Catalogo ita, ὑψηλοὺς ἐρυθίνους inuenies legi.

Idem ἐν τῷ χαλυβίαλος:

Allegat Apollonium in tertio, quum sit in secundo. pro τρίτῳ ergo, scribendum δευτέρῳ, χαλυβίαλος, κράμβοις τε, καὶ ὑλήεντα κύταιον.

Idem ἐν τῷ ὕσια,

Thucydidem in tertio citat, & subiicit: ἄποικοι ὑσίων, στέμμα σύκτεως τῆς αἰπεινῆς πατρὸς. Locus non est in tertio Thucydidis, sed apud Strabonem lib. 9. ad verbum.

Apud eundem ἐν τῷ σίαντι,

Citatur Strabo γεωγράφος libro πεντεκαιδεκάτῳ, pro ἑνδεκάτῳ. Locus est in vndecimo Strabonis, non decimoquinto: corrigendus ergo.

Apud eundem ἐν τῷ αἴγλεσ.

Παυσανίας δ' ἐννάτῳ λέγει, τὴν ἐπιπροσίαν αἴγλεσι μετωνομάσθη, διὰ τὴν παιδὸς αἰτίαν. Lege pro ἐνάτῳ, ἑβδόμῳ. nam decem sunt Pausaniæ libri, non nouem: Attica, Corinthiaca, Laconica, Messeniaca, Eliaca 1. Eliaca, 2, Achaica, Arcadica, Bœotica, Phocaica: quæ citantur pro decimo libro ab eodem Stephano, ἐν τῷ ἀμφίκλεια, ita enim legitur: ἀμφίκλεια, πόλις φωκίδος: παυσανίας δεκάτῃ. Item ἐν τῷ ἀκακήσιον: παυσανίας ὀγδόῃ: id est in Arcadicis. Quæ argumento sunt, Eliaca separanda, & pro duobus libris habenda: alioqui ista digestio non constaret.

Aristophanis interpres in Equitibus,

Citat locum lib. 1. Animalium Aristotelis, qui est secundo libro,

τὰς δὲ θαλαττίας καὶ δριστοτέλης ἀναλήψας ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ζώων. pro πρώτῳ, δευτέρῳ scribendum.

Apud eundem, in Equitibus:

ἀριστοτέλης ἐν δευτέρῳ ζώων ἱστορίας, τὸν αὐτὸν φησὶν κόσσυφον, καὶ μιμητικὸν ὄντα. Non est locus in secundo, sed octauo, lege itaque ὀγδόῳ.

Aulus Gellius,

Ex libro de Reminiscentia citat locum, qui est in libro de Sōno & vigilia. Ita enim apud Gellium legitur: Verba ex libro Aristotelis quem περὶ μνήμης composuit, sic habent: τὴν ἀφὴν καὶ τὴν γεῦσιν πάντα ἔχει, πλὴν εἴ τι τῶν ἀτελῶν ζώων.

In prouerbio, Simonidis cantilena,

Allegatur locus ex Auibus, qui in Nubib. Aristophanis est: πρῶτον μὲν αὐτὸν τὴν λύραν λαβόντα. Typographi incuria erratum primo, in transcribendo.

In prouerbio, Nihil ex omni parte beatum:

Homerus ex vltima Odyssea citatur, δοιοὶ γάρ τε πίθοι, &c. locus ex vltima Iliade est Homeri.

In prouerbio, Tribus verbis:

Locus citatus ex duodecimo Pindari Hymno, τρία δ' ἔπεα διαρκέσει. Est in Hymno 7. Nemæorum.

Stephanus ἐν τῷ δρίθακον:

Legitur, δίδυμος ὑπομνηματίζων μ. καὶ ὀδυσσείας φησὶν, δρίθακοι δὲ εἰσιν ὀκτώ. Locus in 1. Odyss. est, non μ. vbi Scholiastes, δρίθακοι τέσσαρες. ἐν συρακούσῃ, ἐν σμύρνῃ, ἐν χαλκίδι, καὶ ἐν ἰθάκῃ. Aut igitur ὀκτὼ pro τέσσαρες legendum: aut non sunt Didymi, sed cōsarcinata Scholia ista, quæ nomine Didymi circumferuntur. de quo alias dictum quoque.

CAPVT VI.

Selectorum, siue locorum obscuriorum.

DEsiderius Erasmus in præfatione libelli de Cohercenda iracundia, apud Plutarchum, quid sit πεῖσις ὁμηρικὴ. se ignorare fatetur transtulitq;, persuasio Homerica. Ego existimo Plutarchum allusisse ad locum Homeri. qui est Odyss. υ.

ὡς ἔφατ' ἐν στήθεσσι καθαπτόμενος φίλον ἦτορ,
τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα,
νωλεμέως.

Et paulo post:

τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.
......

Quare videtur Homerica πεῖσις vertendum, obedientia Homerica: prouerbialiter, cum affectus rationi obtemperant. Erasmi verba sunt: Vt e quibusdam difficultatibus ac mendis me non omnino feliciter explicui, lector amice: ita nonnulla restabant, in quibus

quibus ipse mihi nondum vsquequaque satisfeci. nondum enim comperi, quid sit ὁμηρικὴ πόσις, &c.

Θεοφόρος.

Theophorus: hæc vox olim interpretum sacrarum literarum fuit communis, vnde & Ioannes Damascenus, Theophorus dicitur. Ignatius item, & Cyrillus lib. 11. cap. 20. tradit, diuinum appellari θεοφόρον, hic verbis: θεοφόρος dictus est, qui Euangelium in se per gratiam habet: non deus, sed diuinus.

Doricus panis, apud Theocritum quid sit, in Heraclidis,

——ὤρινε' ἐπὶ δ' ἐν καινῷ μέγας ἄρτος
δωρικὸς, &c.

Diu me exercuit, quid esset ille panis Doricus. tandem in Scholiographo Apollonii cum versarer, forte incidi in eundem locum Theocriti, lib. 1. Argonautorum, vbi inter cetera ait interpres: τοὺς ἀγαθάρτους καὶ διπλοῦς, οὓς ὁ θεόκριτος δωρικοὺς φησίν. Hęc interpres. Memorabile quidem, mea sententia: quod neque apud Athenæum, qui varia genera panum recenset, neque Pollucem, neq; Neapolitanum, nec quenquam alium (quod sciam) quidquam de eo genere panis reperiatur.

στίχον quid.

Alciatus, vir alioqui multifariam eruditus, summique iudicii, in Nicandri commentario perstrictus vocis compositione στίχον, eam passus est rudem, neque explanauit, pro eo ac decebat. Verba illius sunt: Nunc de libra, quam illi λίτραν dicunt, & minimum fuit ponderis, videlicet stagiorum, id est, sextularum trium, vt interpres Nicandri scribit. de quo multa quoque Pollux. Cui opinioni etiam astipulatur Hesychius, qui λίτραν interpretatur siclū, qui idem est cum stagiis tribus, &c. Hæc D. Alciatus. In hac voce cum aliquamdiu hærerem, commode me monuit clarissimus vir D. Henrichus Glareanus, esse legendum ἑξάγιον, non στίχον: neque s esse literarum, sed numeri figuram senarii. Cuius beneficio, & ingenio exquisito hoc debemus, quod ignoratum est hactenus.

Quintilianus lib 5 cap. 11.

Existimat versum Homeri nothum esse, neque in editionibus omnibus haberi, qui est Iliad. β.

αἴας ἐκ σαλαμῖνος ἄγεν δύο καὶ δέκα νῆας.

Verba Fabii sunt: Neque est ignobile exemplum, Megareos ab Atheniensibus, cum de Salamine cōtenderent, victos, Homeri versu, qui tamen non in omni editione reperitur. Hæc Fabius. Versus in Catalogo nauium Homeri sunt:

αἴας ἐκ σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
στῆσε δ' ἄγων ἵν' ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.

Aristoteles vero ad calcem libri primi Rhetoricorū, versum Græcum Homeri ex professo citat, his verbis: ὁμήρῳ μάρτυρι ἐχρήσαντο

ἀθλωαῖς περὶ πολεμίνες. Vide Plutarchum in Solone, & Diogenem Laertium lib. 1 Volaterranus item libro 9. scribit, hunc versum a Solone, vel Pisistrato, qui Homerum interpolauit, adiectum.

Apud Boccatium lib. 7. cap. 28.

Legitur Cyrene filia Penei fuisse. Quo loco D. Iacobus Micyllus felicis memoriæ, vir incomparabilis eruditionis & virtutum multarum, addit: Commentarius Apollonii negat hanc Penei esse: sed tamen cuius sit, non addit. Hæc ego miror ipsum non animaduertisse, quod Apollonius τοῦ ὕψεως dicat esse duobus locis: libr. 6. ἑξῆς δὲ ἐν τῷ περὶ κυρήνην τὴν ὕψεως, καὶ ἀρισταῖον τὸν ἀπόλλωνος. Deinde paulo post eodem libro: ὃς ἦν κυρήνης τῆς ὕψεως καὶ ἀπόλλωνος, &c. Quod negat esse Penei, ad hunc modum statim sequitur: φασὶ δὲ τινες τὴν κυρήνην πηνειοῦ θυγατέρα γενέσθαι, κακῶς. Quare lector in præcedentibus videat, & reperiet filiam esse Hypsei.

In Sibylliacis,

Deus loquitur ad hunc modum:

ἐννέα γράμματ' ἔχω. τετρασύλλαβός εἰμι, νόει με.
αἱ τρεῖς αἱ πρῶται δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάστη,
αἱ λοιπαὶ δὲ τὰ λοιπά, καὶ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πέντε.
τοῦ παντὸς δ' ἀριθμοῦ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς ὀκτώ,
καὶ τρεῖς τρὶς δεκάδων: σὺν γ' ἑπτά. γνοὺς δὲ τίς εἰμι

In hoc ænigmate non parum, idque quum Heidelbergæ publice profiterer Sibylliaca, discruciatus, quodnam nomen Dei esset, quod numerum complecteretur 1711. Tandem ad me scripsit præstantissimus vir D. Ioannes Brentius, præceptor meus, esse φωσφόρος. quod ideo indico, ne quem fraudem suis virtutibus & laude, arrogemque mihi quod aliorum est.

φ	500	771	φ	500	940. Summa 1711.
α	1		ο	70	
			ρ	100	
ο	70		ο	70	
ς	200		ς	200	

Bis octo, id est, centuriæ sedecim. Ter tres decades, 90. Ter septē 21. Summa 1711. Nouem literæ, quatuor syllabæ.

In Luciani Parasito.

Τί δ' ἀρχὴ καὶ ἀριστογείτων δημοτικὸς ὤν, καὶ πένης, ὥσπερ θουκυδίδης. Locus in sexto est, vbi ἀριστογείτων ἀνὴρ ἀστῶν μέσος πολίτης: pro δημοτικὸς πολίτης ponitur: pro πένης, μέσος. Ceterum latenter parasitum per Aristogitona innuit, ἄριστον enim prandium, & γείτων vicinus, ab etymologia nominis, quasi vicinus prandio: quēadmodū παράσιτος, a παρὰ καὶ σῖτος.

AD

AD D. IOANNEM OPORINVM

Griphus περὶ τῆς ἀρτύχης.

Est quod, Iane, potest neq; mors, neq; vita vocari,
Parte tamen quadam constat vtrunque sui.
Et reparat vires, & tempore nascitur omni:
Non homo, non Deus est: dic mihi, Iane, quid est?

Ad eundem, Alius Griphus.

Sunt geminæ in magno quo viuimus, orbe sorores,
Partu quas eodem sustulit vna parens.
Hæ simul æquales cum sint ætatibus ambæ,
Et pariter numerus tempus vtramq; premat:
Altera nata tamen hac paritur, parit illa sororem,
Filia fitq; eadem quæ modo mater erat.

Athenæus lib. 10.

εἰσὶ κασίγνηται διτταί. ὧν ἡ μία τίκτει
τὴν ἑτέραν αὐτὴ δὲ τεκοῦσα πάλιν γ' ὑπὸ ταύτης
τεκνοῦται, &c.— Nox & dies.

Idem, eodem libro:

ἀλλ' ἐν μὲν γενέσει πρωτοπαγὴς ἐστὶ μεγίστη,
ἐν δὲ μέσαις ἀκμαῖς μικρά. γήρᾳ δὲ πρὸς αὐτῆς
μορφῇ καὶ μεγέθει μείζων πάλιν ἐστὶν ἁπάντων.

Vmbra.

CAPVT VII.

VERSORVM PRÆCIPITANTIVS.

Budæus in libello de Mundo Aristotelis (si modo eius est, & non Theophrasti) transtulit,

κατὰ τὸ τοῦ ποιήσαντος ὄντως πόλις δ' ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει, ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων. Asseruant eum, qui obtemperat. Sic vrbs simul plena est vaporibus sacris, resonantque piis cantibus ac luctibus. Vertendum erat: Iuxta illud poetæ. nam id Græca volũt, κατὰ τὸ τοῦ ποιήσαντος pro ποιητοῦ, participium pro nomine, quod frequens est apud Aristotelem: alluditque ad Sophoclem, apud quẽ locus in Oedipo tyranno est. Miror tanti viri præcipitantiam, eoque magis, quod SIMON GRYNÆVS, præceptor meus quondam obseruandus, in Annotationibus suis, quas meditatus est in eundem libellum, non animaduertit, sed translationem Budæi pro rata habuit.

Erasmus in prouerbio, Bos Homolottorum,

Tradit, Homolossos populos esse, idque Zenobio auctore: apud quem non Homolossi, sed Molossi leguntur, βοῦς ὁμολόττων, &c. οἱ τὸ μόλοττοι, &c. Et Suidas eadem quæ Zenobius habet. Videtur igitur articulus ὁ, Erasmum huc abduxisse.

Idem in prouerbio. Celmis in ferro:

Ex auctore Phoronide refert hos versus enarrator Apollonii,

&c. In Apollonii interprete ita legitur: ὁ τὴν φορωνίδα ποιήσας, &c. id est, Auctor Phoronidis, siue ille qui scripsit Phoronida: neque enim vllus auctor est Phoronis dictus. Quare locus est in Erasmo corrigendus. Et Ianus Parrhasius in Claudianum, eodem modo, quo nos, intelligit. Videtur autem Hellanicus iunior, de quo Athenæus libro 9. Ἑλλάνικος ἐν δευτέρῳ φορωνίδος χελίαν αὐτοὺς ὀνομάζει. Et Apollonii interpres lib. tertio. καὶ Ἑλλάνικος ἐν α φορωνίδος ἱστορεῖ.

Idem in prouerbio, Canei hasta:

Transtulit ex Eustath in 1. libro: Cænea, ait, fixo iaculo in medio foro, præcepisse diis vt numerarent. qua ferocia offensus Iupiter. Hæc Erasmus, sed frigidius. In Græco est apud Eustathium, ἀκόντιον ἐν ἀγορᾷ μέσῃ πήξας εἰς ὀρθὸν θεὸν τοῦτο προσέταξεν ἀριθμεῖν. id est, Hastam in medio foro erectam figens, præcepit eam pro Deo habere, & colere. nam id ἀριθμεῖν significat.

Idem in prouerbio, Effuge malum:

Λίκνον transtulit cunas, mea sententia obscure. Malim pro eo sportulam, aut cistam panariā (pace tamen tanti viri, doctorumque omnium) idq; apud Sophoclem significat.

In prouerbio, Ne Æsopum quidem:

Transtulit, Idmone cæco. apud Zenodotum est κωφῷ, & non τυφλῷ. κωφὸς autem mutum & surdum significat.

In prouerbio, Batti silphium:

In Equitibus Aristophanis vertit Erasmus, τὸ καυλὸν οἶσθ' ὤνιον τοῦ σιλφίου, τὸ ἄξιον γενόμενον: Nosti ne stipitem illum, qui dignus silphio est habitus? Ego non puto hanc esse germanam sententiam ipsius loci, sed eam quā Scholiastes adfert: Nescis caulem seu radicem silphii vilissimo pretio factam? Verba Scholiastis sunt: τὸ ἄξιον γενόμενον, ὅτι καὶ νῦν ὤνιον, καὶ ὀλίγης τιμῆς πιπρασκόμενον. id est, parabilis, & vilis pretii.

In prouerbio, Aut ter, aut sex:

Erasmus interpretatus est: Qui nouem iecisset, is modis omnibus superabat: pro octodecim. Neque enim vllus sensus erit, si nouem legas. Apud Zenobium est, τὸ μὲν γὰρ τρεῖς ἓξ τὴν παντελῆ νίκην δηλοῖ. Sed τρεῖς corruptum, pro τρίς, quod imposuit Erasmo. nam apud Suidam legitur recte τρίς. Emendandus ergo locus, & legendum: Qui octodecim, aut ter sex iecisset, &c.

In prouerbio, Thracium commentum.

Ex Zenobio transfert: Thraces decem dierum induciis constitutis, noctu impressionem fecisse in Bœotios. cum in Græco sit apud Zenobium & Suidam, συνθεμένους σπονδὰς πενθημέρους διὰ νυκτὸς καὶ ἐπιτιθεμένους. Quinque dierum inducias pactos esse, Græca habent: & non decem. Lapsus est μνημονικῶς, qui familiaris est excellentibus ingeniis.

In prouerbio, Zopyri talenta.

Miror, Erasmum ζώπυρα, talenta Latine transtulisse: cum ex Græcis, quæ apud Zenobium, videatur alius sensus peti posse. Græca habent apud παροιμιογράφον, ζωπύρου τάλαντα. ζώπυρος ὁ πέρσης βασιλεῖ χαριζόμενος, μαστιγώσας ἑαυτὸν, καὶ τὴν ῥῖνα καὶ τὰ ὦτα ἀφελόμενος, εἰσελθὼν εἰς βαβυλῶνα, καὶ πιστευθεὶς διὰ τὰ περὶ τὸ σῶμα, προὔδωκε τὴν πόλιν. ἐκ μεταφορᾶς οὖν εἶπε τάλαντα ἢ ζυγὰ, οἱονεὶ ἔργα καὶ πράξεις: quasi dicas Latine, Zopyri facta, aut res gestæ.

Eobanus Hessus,

Poeta nostra ætate longe clarissimus, vertit in Heraclidis Theocriti, αὐτὸς γὰρ μάλα ῥεῖα καὶ ἐς σταθμὸν ἐνόησας: Factus es ad stabulum iamdudum certior. Vertendum, Ad amussim, κατὰ σταθμὸν, prouerbialiter. Deceptus forsan similitudine vocum σταθμὸν καὶ σταθμὸν: quarum altera stabulum, altera amussim significat.

Theodorus Gaza,

Libro sexto Aristotelis Historiæ animalium, διὸ καὶ ὅμηρον φασὶ πεποιηκέναι τινὲς ὀρθῶς, ἄρσενα πενταέτηρον, καὶ τὸ βοὸς ἐνναέωρο, transtulit: Quinquennem taurum, & bouem lustro florenti. Interpretandum erat: Quocirca recte quidam Homerum poetam dixisse putant illud, Quinquennem taurum. item illud, Bouis nouennis. Nam hic posterior locus apud Homerum Odyss. est κ,

Δῶκε δέ μοι ἐκδείρας ἀσκὸν βοὸς ἐνναέωροιο. Prior locus Odyss. τ. est.

Strabonis versor lib. 8.

κόρινθος ὀφρυοῦταί τε καὶ κοιλαίνεται, interpretatus est, Corinthus superciliis, curuitatibusque laborat. Transferendum, Corinthus alibi tumet, alibi humilis est, &c.

Idem lib. 4. Strabonis:

ὑπερθέουσι τὰ ὄρη. Transtulit versor, Posuit supra montes: pro, superantibus montes. Sed id genus innumera sunt, & occurrunt subinde in Strabone, propter deprauatum exemplar Græcum. Condonandum itaque interpretibus, sicubi in ipso interpretando parum in officio fuisse videbuntur.

Apud eundem lib. 1.

καὶ δ' οὐ ζεῖον ἔχεις. Qui locus ex Homeri Odyss. τ. est. Interpretes verterunt, Frumentum haberes: ac si legendum pro οὐ ζεῖον, σῖτον, id quod frumentum significat: quæ lectio in editione Homeri non est recepta. Neque Eustathius eam probat, nisi olim alia extiterit.

In vita Aristophanis legitur,

Inter alia, πεπαιδευμένοι λέγοντες αὐτὸν γεγονέναι, κατὰ τὴν παροιμίαν. Quem locum Gyraldus in Historia poetica sic transtulit: Quater in procemio aberrasse. Locus integer est, διὸ ἐν ἰωνικῷ δραματου-

μόν τε καὶ ἀμηχανίας, πτερίδι λέγοντες αὐτὸν γεγονέναι, ὥστε τὴν περιμένειν, ὡς ἄλλοις ποιεῖν. τὰ μὲν πρῶτα γὰρ διὰ καλλιστράτου, καὶ φιλωνίδου καθίει δράματα, &c. Gyraldus: Ab Aristonymo autem in iis ipsis tabulis, & Amipsia, poetis carptus est, obiicientibus, illum res alias agentem, quater in prooemio aberrasse. Transferendum erat: Quare ipsum exagitarunt, seu contempserunt Aristonymus & Amipsias, dicentes, quarta luna (quod aiunt) natum: quod aliis laboraret. nam primas fabulas per Callistratum & Philonidem exhibuit.

Angelus Politianus in quinto Herodiani:

Qui natus annis foret circiter 14. Alexandri vero filium, qui tum duodecim attigisset. In Græco est, ἔτη γεγονότα ἀμφί που ἑκκαίδεκα. τὸ ἀλέξανδρον δὲ υἱὸν τὸ δωδεκάτου ἐπιβαίνοντα. Pro quatuordecim igitur, reponendum sedecim.

Apud eundem Herodianum lib. 1.

Locataq; in matrimonium sorore, firmissimo affinitatis vinculo astrinxerat. In Græco est, ἐκδοὺς τε αὐτῷ τὴν θυγατέρα, δεσμὸν οἰκειότητος ὀχυρώτατον. Pro sorore igitur, filia legendum est.

Otmarus Luscinius in Plutarchi Poetica vertit:

Vt cum Dolon promittit, se mox in exercitum venturum, vbi redierit per Agamemnonis salutem. In Græco alia mens, alius sensus est. Locus enim ex Homeri Illiad. κ. est: ὁ μὲν γὰρ δόλων ἐπαγγέλλεται,

τόφρα μὲν ἐς στρατὸν εἶμι διαμπερὲς, ὄφρ' ἂν ἵκωμαι,
νῆ' ἀγαμεμνονέην, &c. Dolon affirmabat, se tantisper castra lustraturum, dum ad Agamemnonis nauem perueniat.

Vincentius Obsopœus,

In Luciani parasito transtulit, ἀλλ' ὁρᾷς ὅπως καὶ ὅρον ἡμῖν περὶ αὐτῆς τῆς παρασιτικῆς, ad hunc modum: Sed in hoc vigilandum esse intelligis, vt nobis finem aliquem generosum parasiticæ attribuas. ὅρον finem interpretatus: pro quo ego definitionem malim.

Apud Dionysium Halicarnasseum,

In vulgata translatione legitur: Aborigines latrocinio viri degentes, & pecore, denominationem eorum infamiliarius fortunæ, Aborigines eos dicentes, ad demonstrandum ipsos vagos. Hæc interpres: sed quam inepte, ipsa sententia, quæ nulla est, indicat; arguitq;. In Græco est, ζῆν δὲ ἀπὸ λῃστείας καὶ νομῆς, παραλλάττουσι δὲ καὶ τὴν ὀνομασίαν αὐτῶν ἐπὶ τὸ ταῖς τύχαις οἰκειότερον, ἀβοριγῖνας λέγοντες, ὥστε δηλοῦσθαι πλανήτας. id est, Ab eo quod familiare ipsorum conditioni appellant, Aberrigines nominantes: ad demonstrandum, vagos esse.

Erasmus in prouerbio, Cyrbes malorum,

Tradit, apud Athenienses fuisse tabulas quadras, in quibus leges descriptæ, propositæ, variæque delinquentium pœnæ. In Græco non est quadras, sed τρίγωνος, id est, triquetra, seu triangularis,

nis, apud Suidam. Et apud Zenobium παιδὸς τρίγωνα legitur. Error μνημονικὸς videtur, nisi forte Erasmus illud sensisse censendus est, quod Apollonii interpres lib. 4. Argonauticorum habet, οἱ δὲ ἀστραγάλοις παίζουσι ... Quanquam Erasmus neque discrimen tale, neque etiam Scholiastis Apollonii mentionem vllam facit. Res non vsque adeo tamen magni momenti.

CAPVT VIII.

RITVVM.

Solenne virginibus erat, peplum Mineruæ contexere, in eoque præclara & fortia herouin facta exprimere: idque fiebat in Panathenaicis, ac Palladi dicabatur. cuius rei Euripidis interpres in Hecuba, Aristophanes in Equitibus, & interpres huius in Auibus faciunt mentionem. Arsenii verba sunt: ἔθος ἦν ἐν ἀθήναις, ὑφαίνειν ἐπὶ παρθένους τῇ ἀθηνᾷ πέπλον. ἔχοντα τὰς ἀριστείας τῆς θεοῦ πολεμικῆς οὔσης, ... ὑφαινον δὲ ἐν τοῖς παναθηναίοις. τὰ δὲ παναθήναια ἑορτὴ τῆς ἀθηνᾶς πάντων ἀθηναίων συνιόντων ἐκεῖσε, καὶ τῶν ἄλλων ἑλλήνων πολλὰς ἡμέρας πανηγυριζόντων. ἀνετίθετο δὲ ὁ πέπλος τῇ ἀθηνᾷ. Hæc interpres Euripidis.

II. Ritus, de lupis, quos capitale fuit Athenis occidere.

Apollonii interpres li. 2. λύκοι πόλιοι ἤτοι ἀπὸ τέφρας ἢ ἔντιμοι ... τὸ ζῶον παρ' ἀθηναίοις. ὁ γὰρ ἀποκτείνας λύκον, ἀγείρει αὐτῷ τὰ πρὸς ταφὴν καὶ ἴσως. ἐπεὶ ἡ λητὼ ἔγκυος οὖσα διὰ δώδεκα ἡμερῶν εἰς δῆλον ἦλθε, μεταμορφωθεῖσα εἰς λύκον, &c. Vide Iliad. κ. & Etymologicon ἐν τῷ πόλιοι.

III.

Iliade ψ Scholiastes commemorat, fuisse olim apud priscos morem comam tondendi, ac fluminibus eius loci primitias deferendi, ait enim: ἔθος ἦν τοῖς ἀρχαίοις, μετὰ τὸ παρακμάσαι τῆς νεότητος, τὰς κόμας ἀποκείρειν τοῖς ποταμοῖς. τούτους γὰρ ἐνόμιζον τῆς ἀνατροφῆς αἰτίους εἶναι, &c. Hæc commentarius Homeri. Consule de eadem re Tarrhæum, in quartam Odam Pythiorum. & Eustathius: ἔθος ἦν, τρέφειν κόμην τοὺς νέους μέχρι καὶ ἀκμῆς, εἶτα κείρειν αὐτὴν τοῖς ἐγχωρίοις ποταμοῖς, &c.

IV.

Fuit & hoc in more priscis, supplicaturis, tenere in manibus vel corollam, vel frondem ex oliua, aut lauro. De qua re Scholiastes in Orestem Euripidis, εἰώθασιν οἱ παλαιοὶ, ὅτε ἱκέται τοὺς ἀπαντῶντας, φέρειν ἐν χερσὶ στέφανον ἐκ φύλλων ἢ δάφνης, ἢ ἐλαίας, &c. Et idē Arsenius in Andromacha Euripidis: ἔθος ἦν τοὺς δεομένους ἐλαίας κλάδους καὶ ταῖς χερσὶ, καὶ τῷ στόματι ἔχοντας δεῖσθαι. Atque huc pertinet illud poetæ, —*Pacatæ ramus oliuæ*.

V.

Triplex ritus supplicandi: apprehendere mentum, dextram

& genu. Mentum seu barbam quidem tangendi exemplum est, Iliad. α.

—δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα
λισσομένη.——

Et Euripides in Oreste: πολλὰ γόνυ τε ἀν τὸ σὸν ἱκετεύομαι λιταῖς. In Hecuba expressum est triplex genus: ἱκετεύω σε τῶνδε γονάτων, καὶ σοῦ γενείου, δεξιᾶς τ' εὐδαίμονος. In Medea item: μὴ πρὸς γονάτων χεῦσαι σύνδουλον, &c. Vide interpretes & Homeri, & Euripidis, & Plinii lib. 11 cap. 45. Item Homerum Iliad. ω χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας, &c.

VI.

Interpres Euripidis in Hippolyto, morem fuisse tradit olim antiquis, vt ii qui ab oraculo redirent, coronati ab omnibus domesticis flexis genibus excipi consueuerint. Verba sunt: ἔθος τὸ πάλαι οἱ ἀρχαῖοι εἶχον, ὅτε ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας, ἐστεφανωμένοι ἤρχοντο, καὶ πάντες οἱ τοῦ οἴκου προσεκύνουν αὐτοὺς.

VII.

Mos fuit, vt sponsæ ipsis qui sponsum attinebant, proximisque suis, vestes donarent, tempore nuptiarum. Eustath Odyss. ζ. ἔθος γάρ φασιν ἦν, τὰς νύμφας τοῖς τοῦ νυμφίου, ἐσθῆτας ἐν τῇ τοῦ γάμου ἡμέρᾳ χαρίζεσθαι Quorsum Hom. alludit in ζ Odyss.

σοὶ δὲ γάμος σχεδόν ἐστιν, ἵνα χρὴ καλὰ μὲν αὐτὴν
ἕννυσθαι, τὰ δὲ τοῖσι παρασχεῖν οἵ κέ σ' ἄγωνται.

VIII.

Mos etiam fuit, præ dolore & indignatione vehementiori, externa quadam notatione & significatione, ilia feriendi. Homerus Iliad π.

——αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς
μηρὼ πληξάμενος, Πάτροκλῆα προσέειπεν.

Et Odyss. ν.

ᾤμωξέν τ' ἄρ' ἔπειτα, καὶ ὣ πεπλήγετο μηρὼ,
χερσὶ καταπρηνέσσ', ὀλοφυρόμενος δὲ προσηύδα,
ὤμοι ἐγώ.——

IX.

Mos fuit apud priscos etiam, vt matres sponsi in nuptiis præferrent tædas ardentes. Euripidis Scholiastes in Phœnissis: ἔθος ἦν, τὴν νύμφην ὑπὸ τῆς μητρὸς τοῦ γαμοῦντος μετὰ λαμπάδος εἰσάγεσθαι Item Euripides in Iphigenia Aulica, & Cælius lib. 28. cap. 1, & interpres Apollonii lib. 4.

X.

Alius mos, repudiatis coniugibus restituere dotem. Homeri interpres Odyss. β. ἔθος, εἴ τις ἑκὼν ἐξ οἴκου γυναῖκα ἀπέπεμψε, τὰ χρήματα ἀποδίδοσθαι τοῖς αὐτοῖς συγγενέσι καὶ τῷ πατρί &c.

XI *Alius, diuinandi ex victima.*

Commentarius Euripidis in Phœnissis, rationem diuinandi ex cauda

cauda victimæ hanc adfert: Si repanda & incuruata esset, in igne difficultas, & euentus belli periculosus. Si protensa vero, & deorsum vergens clades & calamitas. Si in sublime & altum eleuaretur, victoria portendebatur. Enarratoris verba sunt: τὴν οὐρὰν τοῦ ἱερείου· ἦν γὰρ καὶ δι' αὐτῆς μαντεία. καμπτομένη γὰρ ὑπὸ τοῦ πυρὸς, σημαίνει δυσχέρειαν πολέμου· ἀποτεινομένη δὲ, καὶ κατανεύουσα, ἧτταν· ἀνατεινομένη δὲ εἰς ὕψος, νίκην.

XII.

Ἔθος ἦν, τοὺς θηρεύοντας κατὰ ἄγραν, μέρος τι τοῦ θηρευθέντος, κεφαλὴν ἢ πόδα προσηλοῦν πασσάλῳ, ἐπί τινος δένδρου, εἰς αὐτὴν τὴν ὕλην πρὸς τιμὴν τῆς Ἀρτέμιδος. id est: Consuetudo fuit venatoribus, partem prædæ, vel caput, vel pedem, affigere clauo in quadam arbore, in honorem Dianæ. Das Jäger recht. Hæc interpres Aristophanis in Pluto.

XIII.

Ritus fuit aruspicibus in sacris, vesicam obturatam lana victimarum, vinctamque igni iniicere. Itaque ex crepitu, vel eiaculatione vrinæ, quum rumperetur, coniectarunt & diuinarunt. Enarrator Euripidis in Phœnissis: τῆς κύστεως τὸ στόμα ἐρίῳ δεσμοῦντες, ἐπετίθεσαν τῷ πυρὶ, καὶ παρετήρουν πῶς ῥαγήσεται, καὶ ποῦ τὸ οὖρον ἀκοντίζει.

XIV.

Apud Colchos consuetudo fuit, virorum (vt tradit Nymphodorus) cadauera suspendere, mulierum vero terræ mandare, &c. Apollonii interpres libr. γ. Argonauticorum: οὐ θέμις ἐστὶ καίειν, οὔτε θάπτειν βύρσαις ἢ ταφαῖς εἰλοῦντες, ἐκρέμων τῶν δένδρων τὰ σώματα, τὰ δὲ θήλεα τῇ γῇ ἐδίδοσαν, ὥς φησι Νυμφόδωρος.

XV.

Interpres Euripidis in Oreste tradit, ob iustam cædem patratam, moris fuisse, ensem soli eleuatum ostentare, in argumentum innocentiæ. Verba Scholiastis: ἔθος ἐστί φησι καλὸν, τὸ ξίφος ἡμαγμένον δεῖξαι ταῖς τοῦ ἡλίου αὐγαῖς. εἰώθασι γὰρ οἱ ἀναιροῦντες κατὰ δικαίως, ὡς οἷόν τε, τῷ ἡλίῳ τὸ ξίφος δεικνύναι, σύμβολον τοῦ δικαίως πεφονευκέναι.

XVI.

Commentarius Iliados χ. Homeri, scribit ritum fuisse quoque, raptare interfectores deprehensos, eorum qui contribules seu cognati exstincti fuerant, circum sepulturam. Græca habent: ὁ δὲ Καλλίμαχος φησὶν, ὅτι πάτριόν ἐστι Θετταλοῖς, τοὺς τῶν φυλετῶν φονέας σύρειν περὶ τοὺς τῶν φονευθέντων τάφους. σιωπᾷ γ. φησί. Θεσσαλὸς τὸ γένος, Εὐρυδάμας τὸν τοῦ Μειδίου σύρει φασὶν, ἀποκτείναντα Θράσυλλον, τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ.

XVII.

Ritus in curando funere ita componere membra mortui aduersum limen, vt spectaret foras: ad significandum, non reuer-

furum. Scholiastes: κεῖται ἐπὶ τὴν θύραν ὁρῶν. ὅ ἐστι, τετραμμένους ἔχων ἐν αὐτῇ τοὺς πόδας· οὕτω γὰρ κεῖνται οἱ νεκροί, διὰ τὸ ἐξεληλυθέναι τοῦ ἀνθρωπίνου βίου, μηκέτι ἀναστρέφειν εἰς τοὺς οἴκους. Iliad. τ. Plinius lib. 7. cap. 8. huius mentionem facit etiam.

XVIII.

Duorum talentorum auri pœna antiquitus alicuius cædes redimebatur, eaque ad cognatos occisi pertinebat. Homeri Scholiastes Eustath. in 18. Iliad. Neque exilium expiabat semper. ἦν δὲ παλαιὸν ἔθος, καὶ ποινὴν ἐσθ' ὅτε δίδοσθαι ὑπὲρ φόνου, καὶ μὴ ἀναγκαίως αἰεὶ φεύγειν ἀεὶ τὴν πατρίδα τὸν πεφονευκότα, &c. Pete locum.

XIX.

Cædes non sponte perpetrata, expiabatur exilio. Iliad. ω Scholiastes: ἔθος ἦν παρὰ τοῖς παλαιοῖς, τὸν ἀκούσιον φόνον ἐργασαμένους φεύγειν ἐκ τῆς πατρίδος, καὶ παραγίνεσθαι εἰς τινὸς οἰκίαν ἀνδρὸς πλουσίου, καὶ καθέζεσθαι ἐπὶ τῆς οἰκίας συγκεκαλυμμένους, καθαρσίων δεομένους.

XX.

Consanguinea cædes multabatur annuo exilio. Euripidis Scholiastes in Hippolyto: νόμος ἦν, τοὺς ἐμφύλιον καὶ συγγενικὸν φόνον ποιήσαντας ἑκουσίᾳ φυγῇ ζημιοῦσθαι τὸ μίασμα ἔξοδον αὐτὸν ἐπαινεῖ, &c. Et paulo post: ἔθος γὰρ τοῖς ἐφ' αἵματι φεύγουσιν, ἐνιαυτὸν ποιεῖν ἐκτὸς τῆς πατρίδος.

XXI.

Homicidæ a sacris arcebantur. Interpres Aristophanis in Fœtis: ἔθος ἦν, ἀνδροφόνους οὐ μεταλαμβάνειν τῶν θυσιῶν.

XXII.

Coacti homicidii scelus expiabatur aqua. Interpres Sophoclis in Aiace: ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπου ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας, εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος.

XXIII.

Interpres Sophoclis: Consanguineam cædem mutilatione totius corporis membrorū absoluebat. In Electra: εἰώθεσαν οἱ δρῶντες ἐμφύλιον φόνον, ἀκρωτηριάζειν τοὺς ἀναιρεθέντας ἐκ παντὸς μέρους τοῦ σώματος ἀποτεμνόμενοι, καὶ περιάπτειν ἑαυτοῖς τὰ ἄκρα συνείροντες, διὰ τούτου ὥσπερ τὴν δύναμιν ἐκείνων ἀφαιρούμενοι διὰ τὸ μὴ παθεῖν ἐς ὕστερον τι δεινὸν παρ' ἐκείνων. ἐφόρουν δὲ εἰς τὰς μασχάλας τὰ ἄκρα, ὃ καὶ μασχαλισθῆναι ἔλεγον.

XXIV.

Ibidē alius ritus: εἰώθεσαν εἰς τὰς κεφαλὰς τῶν ἀναιρουμένων ἀπομάττειν τὰ ξίφη, ὥσπερ ἀποτροπιαζόμενοι τὸ μύσος τὸ ἐν τῷ φόνῳ.

XXV.

In cæde dolo peracta quid consueuerit fieri, interpres docet Apollonii lib. 4. οἱ δολοφονοῦντες ἀρχαίως ἀκρωτηριάσματα ἐποίουν τοῦ ἀναιρουμένου. καὶ ταῦτα λαβόντες ἐξῆπτον τοῦ τραχήλου αὐτοῦ. ἔπειτα τοῦ αἵματος αὐτοῦ λαβόντες, τρὶς εἰς τὸ στόμα ἔπτυον.

XXVI.

Tripliciter coronabantur olim, qui sciscitabantur oraculum. Interpres Apollonii lib. 2 ἐχρῶντο δὲ τῷ στέφει τριχῶς, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ἐπὶ τοῦ μετώπου, ἐπὶ τοῦ τραχήλου τιθέμενοι τοὺς στεφάνους, διὰ τὸ θυμηδὲς τῆς τριμερoῦς ψυχῆς. Hæc Apollonii interpres.

XXVII.

Moris fuit, accepto oraculo, illico conscribi, ne excideret illis qui petitum venerant. Interpres Sophoclis in Trachiniis: ἔθος γὰρ, τοὺς χρησμὸν δεχομένους παραχρῆμα γράφειν, ἵνα μὴ λάθωνται.

XXVIII.

Mos indendi nomina auorum nepotibus. Eustathius Iliad. ι. ἰστέον δὲ, ὅτι παλαιότατον ἔθος ἦν, τοὺς ἐγγόνους καλεῖσθαι τοῖς τῶν πάππων ὀνόμασιν, εἰς ἀνάμνησιν τῶν προγόνων. καὶ ἵνα δοκοῖεν, ὡς οἷον ἀναζῆν, οὕτω οἱ θανεῖν φθάσαντες.

XXIX

Interpres Aristophanis in Vespis, receptum fuisse tradit, vt cõuiuæ discumbentes iam, quoad fercula proponerentur, vasa aliaque, quæ in aula erant, laudarent, ipsamque etiam domũ. Interpretis verba sunt: οἱ ἐν συμποσίοις ἀνακείμενοι, πρὸ τοῦ εἰσαχθῆναι τὰ βρώματα, ἐπῄνουν τὰ ἐν τῇ οἰκίᾳ σκεύη, καὶ τὴν οἰκίαν, καὶ τὰ ἐν αὐλῇ. Et Athenæus eadem fieri esse solemne, lib. 4. δεῖ δὲ τὸ πρῶτον, εἰς ἀλλοτρίαν οἰκίαν ἐρχόμενον μὴ γαστριζόμενον εὐθὺς ἐπὶ τὸ συμπόσιον χωρεῖν, ἀλλά τι δοῦναι πρότερον τῷ φιλοθεάμονι καὶ καταινοῦσαι τὴν οἰκίαν.

οὐδὲ γὰρ τοῦτο παρέλιπε ὁ ποιητής,
αὐτοὶ δ' εἰσῆλθον θεῖον δόμον, οἱ δὲ ἰδόντες
θαύμαζον.— Locus Odyss. δ.

XXX.

In sceptris summis exprimebantur aues: in regum vero aquila. Interpres Aristophanis in Auibus: εἰώθασιν ἐν τοῖς σκήπτροις ἐπὶ τοῦ ἄκρου ἐκτυποῦν ὄρνιθας, εἰς κόσμον ἐν δὲ τοῖς τῶν βασιλέων σκήπτροις, ἦν αἰετός.

XXXI.

Certamen etiam olim apud priscos fuit in Symposiis vigiliarum, vt qui vigilando auroram attigisset, ille placentam auferret. Interpres Aristophanis: εἰώθασι δὲ ἐν τοῖς συμποσίοις ἁμιλλᾶσθαι περὶ ἀγρυπνίας, καὶ ὁ διαγρυπνήσας μέχρι τῆς ἕω ἐλάμβανε τὸν πυραμοῦντα. in Equitibus.

XXXII.

Contra fascinum moris fuit, in sinum exspuere. Theocriti interpres Idyll. 6 εἰώθασιν αἱ γυναῖκες ποιεῖν, ὡς μὴ βασκανθῶσι, εἰς τὸν κόλπον ἐμπτύειν τρὶς, τὸ νεμεσητὸν ἐκτρέπομεναι.

XXXIII.

Interpres Theocriti Idyllio 2. & 14. tradit, morem fuisse, vt in sympoliis amatores, in gratiam eorum quos amabant, aut caros habebant, aliquot cyathos libarent, terræ infundentes. Verba sunt eius, εἰώθασι γὰρ οἱ ἐρῶντες, ὑπὲρ τῶν ἀγαπωμένων πλείονας κυά-

θους ἐπιχεῖσαι, &c. Hæc in Idyll. 2. Idyllio vero 14 ἔτι αὐθ... ... ἐν τοῖς συμποσίοις, ἄκρατον ... ... καὶ ὀνομάζειν τινὰς ἐρωμένους ἢ φίλους, ἐπιχεῖν τῇ γῇ, ἢ φθέγξασθαι τὸ φιλούντων τὰ ὀνόματα, &c.

XXXIV.

Solemne quoque fuit, in singulos menses olim diuitibus Hecatæ epulas parare, quibus pauperes vescerentur. Aristophanis interpres in Pluto: ἔθος ἦν ἄρτους καὶ ἄλλα τινὰ κατὰ μῆνα ... τῇ Ἑκάτῃ τοὺς πλουσίους, λαμβάνειν δὲ ἐξ αὐτῶν τοὺς πένητας, ἀπὸ τῶν ἱερῶν καὶ πλουσίων ζῶσιν. Huius etiam ritus Erasmus in prouerbio, Hecatæ cœna, nonnullam mentionem facit.

XXXV.

Apud Tibarenos fuit consuetudo, teste Nymphodoro, vxoribus, vbi enixæ essent, maritos in lecto pro puerperis accuratissime tractare, &c. Apollonii interpres libro 2 ἐν δὲ τῇ τῶν Τιβαρηνῶν γῇ αἱ γυναῖκες, ὅταν τέκωσι, τιμελοῦσι τοὺς ἄνδρας ὥσπερ λεχοὺς, ὥς φησιν ὁ Νυμφόδωρος ἐν τοῖς νομίμοις. Cælius eadem ex Scholiaste recenset, lib. 18. cap. 0.

XXXVI.

Solemne fuit heroibus discerni ab aliis galea, triplici cono insigni. Interpres Euripidis in Oreste: ἥρωες τριλοφίας ἐχρῶντο. Homerus, & eius interpres Iliad γ. Vergilius lib 7 ad calcem. Apollonius lib. 2. quadruplicem tribuit nobilioribus:

τετράφαλος φοινικι λόφῳ ἐπιλαμπετο πήληξ.

XXXVII.

Quæ tempestiuæ erant virgines ad nubendum, seu viro maturæ, illæ in more habebant canistrum ferre Dianæ. &c. Interpres Theocriti idyll. 2. ἐκανηφόρουν δὲ τῇ Ἀρτέμιδι αἱ ὥραν ἔχουσαι γάμου, ὥσπερ ἀπολογούμεναι περὶ τῆς παρθενίας τῇ θεῷ, ἵνα μὴ ὀργισθῇ αὐταῖς μελλούσαις τὸ λοιπὸν φθείρεσθαι.

XXXVIII.

Antequam cubitum irent, cõsuetudo fuit priscis mortalibus, Mercurio merum immolare, postq. linguas sacrificare. Homeri interpres Odyss. γ. ἔθος ἦν τοῖς ... πρὸς τὸ κοιμᾶσθαι, τὰ ἱερεῖα τὰς γλώσσας ἀποτέμνειν, καὶ ... τοῖς θεοῖς τοὺς λόγους ἐπιμελουμένους, &c. Eius ritus meminit interpres Apollonii etiam, libro 1. & Athenæus lib. 1.

XXXIX.

Ritus tesseras incidendi, apud Scholiasten Euripidis in Hippolyto describitur ita: οἱ μὲν ξενούμενοι ... ἀστράγαλον κατατέμνοντες, θάτερον μὲν κατελίμπανον ... ἵνα εἰ δέοι πάλιν αὐτοὺς, ἢ τοὺς ἐκείνων ἐπιξενοῦσθαι, ... ἐπαγόμενοι τὸ ἥμισυ ἀστραγάλιον ἀνανεῶνται τὴν ξενίαν. Ita prolata tessella renouabatur familiaritas, & ius hospitii. Hæc interpres.

XL.

Moris fuit olim, vt ignifeti acies, priusquam committeretur prælı-

prælium, præcederent gestantes faces: quibus coniectis in medium, signum erat conserendi prælii. Interpres Euripidis in Phœnissis: ἱερῶντο γὰρ κατὰ τὸ παλαιὸν ἐν τοῖς πολέμοις, ἀντὶ σάλπιγγος, πυρφόροις. οὗτοι δὲ ἱερεῖ ἦσαν ἄρεως, οἳ πρὸ τῆς στρατιᾶς προηγούμενοι μετὰ λαμπάδος. ἣν ἀφιέντες εἰς τὸ μεταίχμιον, ἀνεχώρουν ἀκίνδυνοι, καὶ οὕτω συνέβαλλον αἱ στρατιαί. ἐσώζοντο δὲ οἱ πυρφόροι, ὡς ἱερεῖς τοῦ θεοῦ, εἰ καὶ πάντες ἀπώλοντο. Hæc in Scholio Euripidis Arsenius.

CAPVT IX.

ELENCHVM LOCORVM ALLEGATOrum, non expresso auctoris nomine, complectitur.

Cicero in libro de Senectute: Senectus plerisque senibus ita odiosa, vt se onus grauius Ætna sustinere dicant. Ex Euripide est affectatum, Hercule furente:

> ἁ νεότας μοι φίλον ἄχθος. τὸ δὲ γῆρας
> αἰεὶ βαρύτερον αἴτνας σκοπέλων ἐπὶ
> κρατὶ κεῖται —

In libello de Mundo, Aristotelis.

Πόλις δ᾽ ὁμοῦ θυμιαμάτων γέμει, ὁμοῦ δὲ, &c. Locus ex Oedypo tyranno Sophoclis.

Idem 2. Ethicorum.

Οὐδὲ οὖν οἱ γέροντες ἔπαθον περὶ τὴν Ἑλένην, ὅτι δεῖ παθεῖν ἡμᾶς περὶ τὴν ἡδονήν. Locus Iliad. γ est.

Ethicorum lib. γ.

Εὐρὼν ἐλάφον ἢ ἄγριον αἶγα. Homerus Iliad. γ.

Ethicorum δ.

Πολλάκι δῶκον ἀλήτῃ. Odyss. ρ est apud Homerum, & τ.

Ibidem:

Διὸ καὶ τὴν θέτιν οὐ λέγειν τὰς εὐεργεσίας τῷ διΐ. Locus ex Iliad. α Homeri.

Ethicorum η.

Φημὶ δ᾽ ὅπη γε πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα λαοὶ, &c. Locus ex α Hesiodi.

Ethicorum θ.

Σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω. Iliad. κ. locus est.

Ethicorum ι.

Μήτε πολύξεινον, μήτ᾽ ἄξεινον. Ex 2 Hesiodi.

Ethicorum κ.

Πολλοὺς γὰρ μισθοὺς καὶ μεγάλους ἔφερον.

Ibidem:

Θέμις δ᾽ ἐστὶν ποιμένων ἠδ᾽ ἀλόχου. Ex Odyss. 9 est.

> ἐν τῷ περὶ ζῴων γενέσεως ἀγνώστ-
> ματων.

Πάνυ δὲ καὶ τῷ ποιητῇ καλῶς πεφράσθαι, ἰλλεσπετί πόλυς. Homerus Iliad. ζ. [illegible], Iliad. 18.

Ethicorum Eudem. η.

ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο. Iliad. 18. locus est.

Ibidem:

τὸ ὅμοιον φίλον, τὸ ἐναντίον πολέμιον· τῷ πλέονι ἀεὶ πολέμιον καθίσταται τὸ ἔλασσον. Locus ex Phœnissis Euripidis.

Ibidem:

καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων. Locus ex Hesiodi 1. libro.

Aristoteles Politicorum lib. α.

γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. Locus ex Aiace Sophoclis.

Politicorum lib. 2.

ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλὸς κάτθανε. Locus Homeri Iliad. 9.

Rhetoricorum lib. α.

ἦ κεν γηθήσῃ Πρίαμος. Iliad. α. est locus.

Et paulo post:

κὰδ δέ κεν εὐχωλὴν Πριάμῳ. Locus est β. Iliad. Et rursus ibidem: αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι. Iliad. β.

Rhetoricorum lib. α.

ἄνδρας μὲν κτείνουσι, πόλιν δέ τε πῦρ ἀμαθύνει. Iliad. 9.

Aliquanto post:

τοῖσι δὲ πᾶσιν ἐφ' ἵμερον ὦρσε γόοιο. Odyss. δ.

Ibidem:

μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Ex Euripidis Oreste.

Libro β Rhetoricorum:

ἠτίμησεν, ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας αὐτὸς ἀπούρας. Iliad. α. locus est.

Ibidem:

καὶ μέγας ἐστὶ διοτρεφέων βασιλήων. Ex 2. Iliad.

Ibidem:

ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον. Locus ex Il. α.

Ibidem:

κωφὴν τὸ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων. Locus est Iliad. ω.

Eodem libro:

αἴαντος δ' ἀλέεινε μάχην Τελαμωνιάδαο. Iliad. λ. est.

Eodem libro:

χρὴ δ' οὔποθ', ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνὴρ παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς. Ex Medea Euripidis.

Eodem libro:

οὐδεὶς ἐραστὴς, ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ. Ex Troadib. Euripidis.

Ibidem libro γ̅ Rhetoricorum:

οἰωνὸς ἐνάλιος, &c. Ex Iliad. Homeri ι.

Paulo post ibidem:

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Ex Iliad Homeri μ.

Ibidem:

ἄστυ

ὥσπερ οἱ ποιηταί φασι τοὺς ἀπαιδεύτους παρ᾽ ἄλλοις μουσικωτέρους λέγειν. Ex Euripidis Hippolyto.

Ibidem:

Ε τοὔνομα ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεά. Ex Troadibus Euripidis.

Iisdem, ex 3 Rhetoricorum.

ῥοδοδάκτυλος ἠώς. Ex Odyss. β. & alibi est.

Eodem in libro:

οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ &c. Ex 1. Hesiodi est.

Ibidem:

ἐπιπτέσθαι μενεαίνων. Iliad δ ex Homeri.

Ibidem:

ἐν γαίῃ ἵσταντο λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι. Iliad. λ. & in ο iteratur.

Ibidem:

Ε αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο μαιμώωσα. ex Iliados ο est.

Ibidem:

δάπεδον κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής. Odyss. λ. est.

Eodem loco:

κυρτὰ φαληριόωντα. Iliad. ν est.

Ibidem:

οὐδ᾽ εἰ χρυσείῃ Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι. Ex Iliad. ι.

Ibidem:

μῆνιν ἄειδε θεά. Iliad. α. & initium est. ἄνδρα μοι ἔννεπε, initium Odyss. α.

Ibidem:

δός μ᾽ ἐς Φαίηκας φίλον ἐλθεῖν, ἠδ᾽ ἐλεεινόν. Odyss. ζ. est.

Ibidem:

ὦ φίλ᾽ ἐπεὶ τόσα εἶπες. &c. Odyss. γ.

Ibidem:

στρεπτὰ σύμμαχος γενήσομαι. Ex Troadibus Euripidis.

Ex Poetica.

ἐλθὼν ὡς διαφθερῶν τὸν Οἰδίπουν. Ex tyranno Oedipo est.

Ibidem:

νηῦς δέ μοι ἥδ᾽ ἕστηκε. Homerus Odyss. α.

Ibidem, in Poetica:

ἔγχεα δὲ σφιν ὄρθ᾽ ἐπὶ σαυρωτῆρος. Iliad. κ locus est.

Ibidem:

Οὐρῆας μὲν πρῶτον. Iliad 9. est.

Ibidem:

ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες. Homerus Iliad. β.

Eodem in loco:

ἤτοι ὅτ᾽ ἐς πεδίον τὸ Τρωϊκὸν ἀθρήσειεν. Iliad. α. locus est.

Ibidem:

αὐλῶν συρίγγων τ᾽ ὅμαδον. Iliad. κ.

Ibidem:

οἴη ἄμμορος. Iliad. 18. & Odyss. ε.

Ibidem:

εἶδος μὲν ἔην κακός, ἀλλὰ ποδώκης. Iliad. κ.

Ibidem:

κνήμης νεοτεύκτου κασσιτέροιο. Iliad. φ.

Ibidem:

δεῖ οἰνοχοεύει. Homerus Iliad. 4.

Ibidem:

τῇ ῥ' ἔσχετο χάλκεον ἔγχος. Iliad. υ. est.

Metaphysicorum Γ.

Ὠκεανὸν καὶ γὰρ Τηθὺν ἐποίησαν. Iliad. ν & ξ.

Ex Stephano, ἐν τῷ ἀβυδών,

Τηλόθεν ἐξ ἀβυδῶνος ex 2. Iliad.

ἐν τῷ αἰθίοψ:

αἰθίοπες τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν, &c. ex Odyss. α. Homeri locus.

ἐν τῷ αἴσων:

αἴσονος ἠδὲ φέρητα. ex Odyss. λ.

ἐν τῷ ἀκαρνία,

Legitur ἰαίνας: sed corrupte, pro ἰάονας ἑλκεχίτωνας. Locus ex Iliad. ν.

ἐν τῷ ἀλκίβιαδα.

μὴ δ' ἐμὲ ἑστήτω προσθέων. ex Iliad. ο. locus.

ἐν τῷ ἀλόπη

ἐλθόντ' ἐξ ἀλόπης ὅτ' ἀμαζονίδων γένος ἐστί. ex Catalogo Homeri.

ἐν τῷ ἄμαστρις.

κραίμναν αἰγιαλόν τε, &c ex Catalogo Hom.

ἐν τῷ αὔγειαι.

ἀγχίαλον αὐγειάς τε. ex Catalogo Homeri.

ἐν τῷ ἄπαισος.

ὅς ῥ' ἐνὶ παισῷ ναῖε πολυκτήμων. ex Iliad. ε.

ἐν τῷ ἀπέννας.

τὴν μέν τε μέσσην ὄρος ἔνδιχα ex Dionysio locus αὔδιχα lege, vt apud Dionysium. ἔνδιχα corruptum in Stephano.

ἐν τῷ ἀρέθουσα.

πὰρ κόρακος πέτρῃ ex Odyss. ν. locus.

ἐν τῷ ἀσία.

ἰσθμὸς ἄνω τέταται τις ὑπέρτατος ἀπὸ δ' αἴης. Locus ex Dionysio est.

ἐν τῷ αὐλή.

χρυσοῦ μέν τ' αὐλῆς ὑπερβαλλόμενος ex Hom. Iliad. ι.

ἐν τῷ δῆμος.

ὃ μὲν ἔοικεν δήμου ἐόντα. Iliad. μ est.

Ibidem:

δήμῳ ἔνι Τρώων. Odyss. δ Homerus.

Ibidem:

Ibidem:

Θεὸς ὣς τίετο δήμῳ. Iliad ν.

ἐν τῷ δωδώνη.

δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου. Locus Iliad. π.

ἐν τῷ ἴλλας.

πολλαὶ ἀχαιίδες εἰσὶν ἀν' ἑλλάδα. Iliad. 9.

ἐν τῷ ἐνίσπη.

καὶ ἐυμάστορα ἐνίσπην. in Catalogo nauium Homeri.

ἐν τῷ ἐρύμανθος.

καὶ κατὰ τηΰγετον περιμήκετον. ex Odyss. ζ.

ἐν τῷ ζέλεια.

οἳ δὲ ζέλειαν ἔναιον. ex Catalogo Homeri.

ἐν τῷ ἴτων.

ἴτωνά τε μητέρα μήλων. ex 2. Iliad.

ἐν τῷ καῦνος.

οἵη περ φύλλων γενεή, &c. Iliad. ζ. locus.

ἐν τῷ κύπα.

πύργους εἰσόψεσθε κυπαίσιος, &c. libro 2. Apollonii.

ἐν τῷ κύφος.

γουνεὺς ἐκ κύφου. ex Catalogo Homeri.

ἐν τῷ κῶς.

καὶ μὶν ἔπεφνε κόων. ex Iliad ξ. Homeri.

ἐν τῷ μύρσινος.

καὶ μύρσινος ἐσχατόωσα Homer. in Catalogo.

ἐν τῷ νήριτος.

Νήριτον χαλκόν. Odyss. ι. & Iliad. 6.

ἐν τῷ οἰχαλία.

οἵ τ' ἔχον οἰχαλίαν. ex Catalogo Homeri.

ἐν τῷ ὀλίζων.

Λαοὶ δ' ὑπολίζονες ἦσαν. Iliad. 18.

ἐν τῷ σέλλοι.

ἀμφὶ δὲ σελλοί σοι ναίουσι. Iliad. π.

ἐν τῷ πανέλληνες.

ὡς λέλιγχας καὶ πρῶας ἐναίρων. Iliad ν. est locus.

ἐν τῷ τέρφη.

βαθείης τέρφεσιν ὕλης. Iliad. ε.

ἐν τῷ ταμέσιος.

εἰς τεμέσην μετὰ χαλκόν, &c. Odyss. α.

ἐν τῷ στρυμών.

στρυμονίη βορέαο Hemistichium ex Callimachi hymno in Delū.

ἐν τῷ πανέλληνες.

μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ ἕλληνες καὶ ἀχαιοί Ex Catalogo.

Lucianus in Parasito.

Φίλιππος γὰρ ὁ μακεδὼν ὄλεθρος, ὅθεν οὐδὲν ἀνδράποδον πρίατό τις ποτέ. ex tertia Philippica Demosthenis est: ἀλλ' ὀλί-

θρου μακέδον@, ὅθεν οὐδὲ ἀνδράποδον σπουδαῖον, οὐδὲ ἦν πρότερον πρίασθαι.

Stephanus ἐν τῷ *

οἳ δ' Ἄργος τ' εἶχον. ex Catalogo Homeri est.

ἐν τῷ ἵππειαι.

ἱππεύοιτε λευκὰ κάρηνα. Iliad. 6.

ἐν τῷ ὑρμίνη.

ὅσσον ἐφ' Ὑρμίνην, &c. ex Catalogo Homeri.

ἐν τῷ φειά.

Φειᾶς πὰρ τείχεσσι. ex Iliad. η. Homeri.

ἐν τῷ φενεός.

οἳ Φενεόν τ' ἐνέμοντο. ex Catalogo Homeri.

ἐν τῷ φεραί.

οἳ δὲ Φερὰς ἐνέμοντο. ex Catalogo.

Ibidem:

Φηρὰς τε ζαθέας ἠδ', &c. ex Iliad. 9.

ἐν τῷ φυλάκη.

οἳ δ' εἶχον Φυλάκην. Odyss. λ.

ἐν τῷ χῖος.

μή τι δ' ἡνίοχος. Iliad. ψ. Homerus.

Ibidem:

πάντα θέτι καλλιπλοκάμῳ ζωάγρια τίνει. Iliad. 18.

ἐν τῷ ψύρα.

νήσου ἐπὶ Ψυρίης. Odyss. γ. Homerus.

Tantum de his.

CAPVT X.

ALLEGATORVM, NEC OCCVRrentium tamen vsquam.

DEmosthenes ἐν τῷ ἐπιταφίῳ· ἐμέμνηντο Ἀκαμαντίδαι τῶν ἐπῶν, ἐν οἷς Ὅμηρος ἕνεκα τῆς μητρὸς φησὶν Φαίδρας Ἀκάμαντα εἰς Τροίαν στεῖλαι. ὁ μὲν οὖν παντὸς ἐπεδέξατο κινδύνου, ὥστ' σῶσαι τὴν ἑαυτοῦ μητέρα ἐκείνη. Huius rei nulla prorsus mentio apud Homerum, illisque Homericis quæ exstant. Phædræ quidem Odyss. λ. aliqua mentio est, sed nihil ad præsentem locum.

Apud Stephanum ἐν τῷ κάρπαθος,

Allegatur Homerus apud quem tamen nihil eius est quod allegatur: κάρπαθος αὖ ἐπὶ τῇσι πρὸς ζόφον. Apud Dionysium ἐν τῇ περιηγήσει locus similis est, mutata saltem vnica voce, κάρπαθος αὖ [illegible] πρὸς ζόφον

Lib. 2 de Anima apud Aristotelem, & repetitur libro 3 Physicorum:

[illegible]. nusquam apud Homerum est.

Quintilianus lib 9 cap. 3.

Catullus in Epithalamio de innupta: Manet dum cara suis est. In

est. In iis exemplaribus quæ nunc circumferuntur, non est in Epithalamio Catulli, neque aliis eius quæ exstant.

In Poetica Aristotelis.

Citatur Homerus. χαλκῷ ἀπὸ ψυχὴν ἀρύσας τάμνειν ἀτειρεῖ. Neq; hoc, quod sciam, vspiam exstat. Vnde apparet, olim varia exēplaria Homeri exstitisse: nisi illud Ilia. forte sit ε, ἐπίεχοι κ) τάμε χαλκῷ ἀτειρής.

In Rhetoricis libro 3

Citatur Homerus, ὥστε λίων ἐπόρουσε, &c. nisi illud velit, quod Iliad. υ, πηλείδης δ' ἑτέρωθεν ἐναντίον ὦρτο λέων ὥς, & λ est, de Atrida.

Lib γ. Ethicorum,

Allegatur Homerus, καὶ ἔζεσεν αἷμα. neque de hoc indicare quicquam possum, vbi nam legatur.

Stephanus ἐν τῷ πλῷ:

Αριστοτέλης ἐν τῷ περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων φησὶν, ὅτι ἐν τῇ νήσῳ φιάλων φασὶ σύγκραμα εἶναι, &c. Non est apud Aristotelem in eo loco quem allegat.

Lucianus in Gallo:

εἶπέ μοι κατὰ τὸν ὅμηρον ἀμβροσίην διὰ νύκτα θεῖος τίς, ὡς ἀληθῶς, ὄνειρος, ἐπιστάς. ἀμβροσίην διὰ νύκτα θεῖός τις ὄνειρος, apud Homerū, quomodo apud Lucianum citatur, non est: sed Iliad. β. similis versus,

——— θεῖός μοι ἐνύπνιος ἦλθεν ὄνειρος

ἀμβροσίην διὰ νύκτα. ———

Aristoteles lib. 3. Ethicorum.

Εὐνὴς φησὶν ὅμηρος ὁ νέος, καὶ ἀκμάζων. apud Homerum non est, nisi illud fortassis, quod de Phœnice Iliad 9. habetur, νέον ἡβώοντα, vt ἡβώοντα pro ἀκμάζοντα accipiatur.

Atque de his satis hactenus.

DECVRIÆ SECVNDÆ LOCORVM MEMORABILIVM EX OPTIMIS QUIBUSQUE AUCTORIBUS EXCERPTORUM,

Caput primum, diuersarum lectionum.

I.

IN Auibus Aristophanicis legitur: ἰδοὺ πρὸς ἡμᾶς δεῦρο πυρρίχην ὁλίπων ἄγγελος. Id est: *Ad nos properat huc oculis tuens Pyrrhichen nuntius.* Erasmus in Chiliadibus. in prouerb. *Pyrrhichen oculis præ se ferens,* pro ἰδοὺ, id est adcurrit, ἰδὼν habet: sed illa lectio sanior.

II.

Demosthenis in oratione contra Midiam vulgata lectio est:

καὶ γάρ τοι τοῦτο ἐ πεποιηκότων ἀγαθῶν κύριος γεγονώς. καὶ πατρίδος τετυχηκώς, καὶ νόμοις τῶν ἁπασῶν πόλεων μάλιστα οἰκεῖσθαι δοκεῖ. Id est: *Quare propter hoc potius bonis nihil ad se pertinentibus, & primam consecutus, quæ maxime omnium ciuitatum legibus gubernatur.* Moschopul. post καὶ γάρ τοι, subiicit, καὶ αὐτὸς ὑπολαμβάνων. id est, Ipse respondebat, &c. quod per parenthesin insertum fuisse apparet, aut inserendum.

III.

In Auibus Aristophanicis:

ὦ μῶρε μῶρε μὴ θεῶν κίνει δεινάς, ὅπως μή σου γένος πανώλεθρον Διὸς μακέλλη πᾶν ἀναστρέψῃ. Hoc est. O stolide stolide, ne deorum commoueas animos vehementes, ne tuum genus penitus perditum subuertat Iouis ligo, Suidas ἐν τῷ μακέλλα habet δειλάς, pro δεινάς.

IV.

Stephanus ἐν τῷ ἄτραξ,

Ex Lycophrone allegat, *καὶ δ' αὐτίους ἔπεμψαν ἀτράκας λύκους.* Apud Lycophronem non habetur ἀτράκας, sed ἁρπάγας. Eustathius vtramque lectionem tolerat Iliad. β. in Catalogo nauium, his verbis: *ἀτρακοῦ παρὰ Λυκόφρονι, καὶ αὐτὶ τῶ ἀτράκας λύκους (ἢ γράφει ἰδιωτικολόγος) ἁρπάγας λύκους γράφουσι τὰ τῶν ἀντιγράφων ὑγιέστερα.*

V.

Aristophanis, in Ranis:

Μήτε εἶδέ πω, μήτε ἐχόρευσε.

Et paulo ante: *ὅστις ἄπειρος τοιῶνδε λόγων, ἢ γνώμῃ μὴ καθαρεύει.* Plutarch. in Problemate, Sintne Athenienses rei bellicæ peritia præstantiores, an sapientia, pro εἶδε habet ᾖσε: pro γνώμῃ, γλώττῃ. Plutarchi exemplar tamen, quod Lectori nimium compertum, mire deprauatum est.

VI.

Apud Strabonem lib. 8.

In Græco exemplari est, *εἶναι δὲ φησὶ τὸ χωρίον τοῦτο Θουκυδίδης, ἐν τῇ κυνοσουρίᾳ κατὰ τὴν μεθορίαν τῆς ἀργείας καὶ τῆς λακωνικῆς.* Hoc est: Locum istum in Cynosuria esse Thucydides tradit, ad Argiui & Lacedæmonis agri confinia. Sed Thucydides libro quarto legit *ἀφικνοῦνται ἐπὶ θυρέαν, ἥ ἐστι μὲν τῆς κυνουρίας γῆς καλουμένης, μεθορία δὲ τῆς ἀργείας καὶ λακωνικῆς.* Idem Thucydides libro quinto: *περὶ τῆς κυνουρίας γῆς. ἧς ἀεὶ πέρι διαφέρονται μεθορίας οὔσης.* Stephanus Thucydidi suffragatur: *κυνουρία (inquit) πόλις ἄργους.* Et idem Pausanias in Laconicis facit: vt Strabonis, pro deprauata sit habenda.

VII.

Apud Homerum Odyss. δ.

In responsione Idotheæ: *τοιγὰρ ἐγώ τοι ξεῖνε μάλ' ἀτρεκέως καταλέξω.*

λίξω. Pro hac vulgata editione, Eustathii exemplar legit: ποῖ γὸ ἰγὼ ἥριχ, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.

VIII.

In quarto libri Dionysii,

In Græco est, ἄγει βίᾳ τὰς ἡμιόνους κτ τὸ πτώματος, ὅτ@ ὁ στενωπὸς ὄλβι@ καλούμθυ, τοῦ πρὶν ἐξ ἐκείνου τὸ δεινοῦ, καὶ μιαροῦ πάθους, ἀσεβής. In Latina translatione, quæ antiquior est: Vt adigit per corpus mulas. hicque vicus Cyprius vocatus, ex illo diro scelestoque facinore, a Romanis lingua patria vocatur impius. Et posterior versio etiam Cyprius vicus habet, quum in Græco ὄλβι@ sit: hoc est pius, bonus. Quod ipsum & Cyprius significat Sabinorum lingua,, vt Varro libro quinto de Lingua Latina docet.

IX.

Apud eundem Dionysium, in eodem libro:

In Græco est, ὡς δὲ ὑπάτι@ ἰγένηκεν, εἰς μίαν καὶ τελλήκοντα φυλὰς ἀξιοπιστ@ ὢν εὐχ ὁρίζει. In Latina translatione, ea quæ antiquior est, additur Gemonius, ad Venonius: quod posterius duntaxat est in Græco exemplari, & non Gemonius. Fuit autem Venonius historicus insignis, cuius meminit Cicero libro I. de Legibus, & lib. 12. ad Atticum. Item Blondus, & Alexander Neapolitanus, &c.

X.

Plinius de Viris illustribus.

Seruium Corniculani & Ocretiæ captiuæ filium fuisse scribit Volaterranus 19. ἀνθρωπολογίας, Ocreatiæ. In Græco est apud Halicarnasseum libro quarto Ocrisiæ: cum qua lectione facit Zonaras libro secundo, in Seruio Tullo. Dionysii locus sic habet: ἐν Κορνικόλῳ πόλει τὸ λατίνων ἔθνους, ἀνήρ τις ἐν βασιλείᾳ γένους τούλλιος ὄνομα, γυναικὶ συνῆν ὀκρισίᾳ, καλλίστῃ τε καὶ σωφρονεστάτῃ τῶν ἐν Κορνικόλῳ γυναικῶν. Et Plinius libro trigesimosexto, cap. 27. Ocrisiam nominat.

XI.

In prouerb. Erasm. Inest dolores,

Allegatur Melicrates, ex Zenobio, Tyrius. Apud quem tamen legitur, Μελικράτης Τύρι@. vtrum syncerius, penes Lectorem sit iudicium.

XII.

Cælius lib. 21 cap. 44.

Palatonem tradit pictorem fuisse: qui cum Homerum pingeret, ipsum vomentem expressit, & reliquos poetas ea, quæ vomuisset colligere, & deglutire. Ælianus, vnde videtur Cælius sumsisse, nisi corruptum sit exemplar, Γαλάτων pro Παλάτων habet. Verba Æliani libro decimotertio : Γαλάτων

ζωγράφος ἔγραψε, τὸν μὲν Ὅμηρον ἐμοῦντα, τοὺς δὲ ἄλλους ποιητὰς τὰ ἐμεμεσμένα ἀρυομένους.

XIII.

Idem Ælianus lib. 12.

Scribit, Κινέας ὁ Πύρρου ἰατρὸς, πρὸς τὴν βουλὴν τῶν ῥωμαίων ἔγραψε δι' ἀπορρήτων, καὶ ᾔτει χρήματα καὶ ὑπισχνεῖτο ἀποκτείνειν φαρμάκοις τὸν Πύρρον. οἱ δὲ οὐ προσεδέξαντο τὴν ὑπόσχεσιν· δι' ἀρετῆς γὰρ ἴσασι ῥωμαῖοι ἀγαθοὶ εἶναι, οὐ μὴν διὰ τέχνης καὶ πανουργίας, καὶ ἐπιβουλῆς καταγωνίσασθαι τοὺς ἐχθρούς. ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ Πύρρῳ τὴν γνώμην τοῦ Κινέου ἐξέφηναν. Hoc est: Cineas Pyrrhi medicus, ad senatum Rom. occulte scribit, promisitque se veneno Pyrrhum necaturum, pro certa pecunia quam petebat. At illi quia vincere assueuerunt virtute, non arte, dolo & insidiis non acquieuerunt: sed Pyrrho Cineæ consilium detexerunt. Hunc Cineam Volaterranus lib. 17 & Zonaras Tom. 2. Niceam appellatum scribunt. A. Gell. lib. 3. capit. 8. Timocharem vocat. Cineas autem legatus, & non medicus fuit Pyrrhi, Thessalus auditor Demosthenis: vt Plutarchus, & Cic. libr. 9. Epist.

XIV.

In prouerb. In tuum ipsius malum lunam deduces.

Apud Zenobium ἐπῳδίδες legitur, apud Suidam θετταλίδες: quibus Sagæ significantur. Ita vt in re non, sed solum nominibus variatum videatur.

XV.

Exemplar Xenophontis in Hierone,

Parum emendatum alioqui, ac multis in locis corruptum: ἐν ἰδιώτης εἶ, ὑπεμνήσεις με τὰ ἐν τῷ ἰδιωτικῷ βίῳ Locus apud Stobæum pro ὑπέμνησας, ὑπομνήσειας scribitur.

XVI.

In eodem Xenophontis Hierone.

τούτου κοσμίους τε καὶ σοφοὺς καὶ δικαίους. Stobæus ἐν τῷ λόγῳ περὶ τυραννίδος, pro κοσμίους posuit ἀλκίμους.

XVII.

Apud eundem, in Hierone.

ἀλλὰ καὶ πάντων τῶν ἡδέων συμπεριεληλυθώς. Stobæus, συμπεπειραμένος pro συμπεριεληλυθὼς, eadem sententia, mutatis tamen verbis.

XVIII.

Homerus Odyss. ε.

κέδρου δ' ἐυκεάτου θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει. Macrobius lib. 3. cap. 19. ἀπὸ καλὸν ὀδώδει: pro νῆσον, καλὸν habet.

XIX.

Stephanus ἐν τῷ καύλικοι

Καύλικοι, scribit, ἔθνος κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον. Apollonius lib. 4. καυλιακοὶ pro καύλικοι habet: quod ipsum etiam Stephanus testatur.

Idem

XX.

Idem ἐν τῷ θίβρῳ,

Οἱ θίβροι εἰκήσουσι, σαίτνιόν τ' ὄρος. Ex Lycophrone locus, apud quem pro θίβροι, θίγγροι habetur. Viderit hic Lector, verum sequẽdum potius.

XXI.

Apud Homerum, Odyss. ι.

Vsitata lectio est, ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ ἴων ἠδὲ σελίνου. Eustath. pro ἴων, σίου legendum monet, his verbis: τοῦτο ἴου φησὶ σίου τινὲς γράφουσι ὃ καὶ κρεῖττον, ὡς καὶ πολλοῖς ἀρέσκει τῶν παλαιῶν. ἴα γὰρ ἐν λειμῶσιν, οὐκ εἰσίν, ἀλλὰ σία ὡς μέχρι νῦν φαίνεται. Hoc est: Nonnulli pro ἴου legunt σίου, & rectius, vt veteribus multis placet. ἴα enim in pratis non sunt, sed σία.

XXII.

Apud Nonnum.

Legitur, ἦν δὲ πανημερίη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη: Erat instans tertia letalis hora. Euangelista Ioannes, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη. Erat quasi sexta. Ita tertiam Nonnus, Ioannes sextam habet horam. In qua diuersitate lector coniiciet: meum non est iudicare. Mallem tamen sequi Nonni, quam eam lectionem, quæ est in Ioanne: quod Marcus etiam tertiæ horæ, & non sextæ mentionem faciat. ita, vt videatur error irrepsisse ex affinitate figurarum numeri. Apud Græcos enim Γ figura ternarii est, & ς figura senarii numeri.

XXIII.

In prouerb. Anus hœdus.

γραῦς ἔριφος. Ita Hesychius, Fauorinus, & Zenobius habent. Sed Suidas, γραῦς σίριφος. & rursum ἐν τῷ σίριφος, denuo repetit prouerbium.

XXIV.

Ouidius 2. epistola.

Et Scinis & Tauri, mistaque forma viri. Idem libro 7. Transformationum:

Occidit ille Scinis, magnis male viribus vsus,
Qui potuit curuare trabes, & agebat ab alto, &c.

Diodorus libro 5. Sciron habet. Euripides in Hippolyto Σίνιν appellat: οὐ μαρτυρήσει μ' Ἰσθμιος Σίνις ποτέ. Et Plutarchus in vita Thesei, Σίνιν πιτυοκάμπτην ponit, hoc est, qui arbores curuare poterat. Verior lectio est Euripidis & Plutarchi, mea opinione.

XXV.

Aristoteles lib. 8. Animalium:

καὶ ὁ ὠτὸς κήλωβος καὶ μιμητὴς, καὶ αὐτοσχεδιασμός ἁλίσκεται. Interpres Aristophanis in Equitibus, locum allegat Aristotelis, his verbis: ὠτὸν φησὶν κόβαλον καὶ μιμητὴν ὄντα αὐτορχούμενον ἁλίσκεσθαι.

Est autem αἰσχρεμματισμὸς, pro κοβάλου, quod sanum, κόλακος mutatum, sed perperam. Eadem de re apud Cælium lib 2. capit. 7. adnotatum est.

XXVI.

Plutarchus in Agesilao,

αἰτεῖν αὐτῷ τριάκοντα μὲν ἡγεμόνας, καὶ συμβούλους Σπαρτιάτας, νεοδαμώδεις δὲ λογάδας δισχιλίους, τὴν δὲ συμμαχικὴν εἰς ἑξακισχιλίους δύναμιν. Apud Xenophontem in Agesilao, vbi integer locus est, paucis variatis legitur: ἐὰν δῶσι αὐτῷ πεντήκοντα μὲν Σπαρτιάτας, εἰς χιλίους δὲ νεοδαμώδεις, εἰς ἑξακισχιλίους δὲ τὸ σύνταγμα τῶν συμμάχων. In numero solo discrepantia est.

XXVII.

Apud eundem Plutarchum:

αὐτοὶ δὲ καταδόντες τοὺς τῶν ἑλλήνων ἀκολούθους ἐπηρμένους καθ᾽ ἁρπαγήν. Xenophon pro ἐπηρμένους, ἐσπαρμένους habet: hoc est dispersos ad prædam. pro intentos, vt versor Plutarchi.

XXVIII.

ζωάγρια, pro μοιχάγρια legit. Locus autem Homeri est Odyss. θ. χωλὸς ἐὼν τέχνῃσι, τὸ καὶ μοιχάγρι᾽ ὀφέλλει. Athenæus versum aliter citat χωλὸς ἐὼν τέχνῃ τῷ καὶ ζωάγρι᾽ ὀφέλλει, &c.

Ita habes 28. locos huius Capitis, in quibus diuersæ lectiones auctorum indicatæ sunt.

CAPVT II.

Deprauatorium.

I.

APud Vincentium Lirinensem in editione Antuerpiensi (neque enim aliam vllam vidi) legitur: Ecclesia catholica de Deo & de Saluatore nostro recta sentiens, nec in Trinitatis mysterium, nec in CHRISTI incarnationem blasphemat. Nam & vnam diuinitatem in Trinitatis plenitudine, & Trinitatis æqualitatem in vna atque eadem maiestate veneratur: & vnum CHRISTVM IESVM, eundemque Deum patrem atq; hominem confitetur. Hic (Deum patrem) corruptum est: & legendum, pariter. IESVS CHRISTVS enim Deus pariter atq; homo est: contra Photinum, Apollinarem, & Nestorium.

II.

Plinius lib. 4. cap. 12.

Ostia Danubii recensens, inquit: Primum ostium est Peuce, secundum Naracustomum, tertium Calostoma. Et Boccatius de Fluminibus eadem refert verba, sed apud vtrumque deprauatè. Apollonii interpres libr. 4 δύο φησί, [illegible] Hoc est: Duo esse ista quorum alterum appellatur Arecostoma, alterum Calostoma. [illegible]

gendum ergo apud Plinium & Boccatium, pro Naracustoma, Ar
tecostoma.

III.

Apud Iustinum lib. 7.

Telegonus legitur pater Astriopæi, perperam: pro, Pelegonus Asteropæi. Homerus Iliad. φ.

ἀστεροπαίῳ ἐπᾶλτο κατακτάμεναι μενεαίνων,
υἱεῖ πηλεγόνος ———

IV.

Apollonii locus lib. 4. corruptus.

τὸν ἐν λιπαρῇ λακερείῃ δῖα κορωνὶς
τίκτεν ἐπὶ προχοῇς ἀμμώνοιο

Pro ἀμμώνοιο, ἀμύροιο reponendum. Nam ἄμυρος fluuius est Thessaliæ, de quo Strabo libro nono. Exemplaria nulla, quæ quidem mihi visa, hoc loco sunt sana.

V.

Apud Suidam, ἐν τῷ αὔγουστος,

Deprauatus est locus: αὔγουστος καῖσαρ θυσιάσας ἤρετο τὴν πυθίαν, τίς μετ' αὐτὸν βασιλεύσει: καὶ εἶπε: παῖς ἑβραῖος κέλεται με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων, τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀοιδὸν αὖθις ἱκέσθαι:

λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.

Pro ἀοιδὸν, αὖθις legendum, καὶ ἀοιδὸν αὖθις absq; virgula interposita. Ita apud Nicephorum legitur. Hoc est: Augustus Cæsar sciscitatus oraculum, quis nam post se imperium administraturus esset? Et responsum:

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

De cessione tali oraculorum, consulatur Plutarchus, apud quem mira historia recitatur, in libro de Interitu oraculorum: & Eusebius lib. 5 cap. 9. de Præparatione Euangelica. Hanc infra ad calcem adiectam Lector inueniet.

VI.

Apud Stephanum, ἐν τῷ τέμμιξ,

Deprauatum est quod legitur. ἄργης παλαιᾶς τρύα τεμμίκων πάτρα. In Lycophrone locus est integer, apud quem pro ἄργης, ἄρνης est. & pro τρύα, γύα.

Apud eundem Steph. ἐν τῷ αὔλη.

σπέος τε χέρσος αὐτρείως, perperam habetur: pro, σπέος τε χέρσος αὐτρείου. Locus enim ex secundo Apollonii Argonaut.

VIII.

Apud Strabonem lib. 9.

Legitur: Eam pater Picteus ædificauit. Mendo'e, pro Nyctæus. Stephanus enim ἐν τῷ ὑρίᾳ: περὶ ἧς (inquit) ὁ θεμνευόμενος τρίτῃ ἀνισών ὑρίην κτίσμα νυκτέως. Id est, De qua Thu-

cydides in tertio : colonia Hyrrheorum , cuius auctor Nyctæus.

IX.

In Nonni τῆς παραφράσεως Ioannis Euangelistæ cap.13.

τῆς δὲ μόνης δυσπαλῆ μιῆς ἐνὶ νυκτὸς ἀνάγκῃ χριστὸν ἀπαρνήσῃ.
Pro τῆς, τρὶς legendum apparet. Ita apud Euangelistam est : Ter me negaueris. Sensus autem ipsius Nonni: Vnius graui noctis necessitate, seu fato, ter Christum negaueris.

X.

In Chiliadibus Erasmi, in prouerbio, accipit & glebam erro,

Excusum est : Emanes post sedes iam sæpius aliunde alio transmutatas, tandem in agrum Inacho vicinum descenderunt, &c. Incuria librariorum. Emanes, pro Æpianes est positum nam apud Plutarchum, quem Erasmus allegat, ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς legitur: πλείονας μεταβάσεις ἀγνοαμεν μετανασάσεις. &c. καὶ εἰς τὴς περὶ τὸν Ἰναχον χώραν κατοικοῦσαν, ἐκπεσόντων ὑπὸ Ἰναχείων καὶ Ἀχαιῶν.

XI.

In Valerio Flacco, lib 10.

Similis menda suborta:

——*Quam linquere adactus*

Antestorides. ——

Pro, Autesionides. Ita Apollonius lib. 4.

——ἐκ τε λιπόντας

ἀνάρτην αὐτεσίωνος ἐὺς πάις ἤγαγε Θήρας

ἐξ ἴδεν.

Id est : Ex tunc linquentes Spartam Autesionis strenuus filius, traduxit Theras, &c.

XII.

In Nonni 15 Cap.

Vulgata editio habet: εἰ δέ τις ἡμετέροισιν ἐν ἄρνεσι μηκέτι μίμνοι.
Mendose ἄρνεσι, pro ἔρνεσι. Hoc est : Si quis vero inter nostros agnos non manet. Sic Hegendorphinus transtulit, secutus editionem corruptam: cũ debebat, Si quis vero in nostris ramis, aut germinibus non manserit.

XIII.

Apud Stephanum,

ἐν τῷ λητοῦς : καὶ ἀπολλώνιος ἀρχιφίως λεγόμενος. Corruptum est ἀρχιφίως, & legendum ἀρχιερεύς : vt apud Suidam, vbi ita repetitur, Ἀπολλώνιος ὁ ἀφροδισιεύς, ἀρχιερεὺς καὶ ἱστορικός. Id est: Apollonius Aphrodiseus, primarius sacerdos & historicus.

XIV.

In Nonni Cap. 16.

ἀλλ' ἐμοὶ ἔτι ταῦτα δὴ ἰσι λιγὺς πολλά : & rursus aliquanto post eodem

eodem capite, ξύμπαντα δῆλον. Emendandum δῆιον, & pro eo δνιον, Id est, dicebam, a verbo δνίω narro, dico.

XV.

In prouerb. E tribus malis vnum,

Editione vsitata legitur: Id vsurpat Alexander in Æpolis. Pro quo Suidæ exemplar, Αλεξις ἐν αἰπόλοις ἐν τῷ, τὰ τρία τῶν εἰς θάνατον.

XVI.

Apud Nonnum. Cap. 7.

Deprauatum est, ὅππυ πατρόθεν ἦλθε θελήμονι φοίνιος ἄρη: pro φοίνιος: Et similis menda eodem capite, λόχιος ἄρη: pro λοίγιος funesta hora. Ita constabit metri ratio, & sensus ipse magis. Transtulit autem Hegendorphinus, Rationabilis hora. quod nihil ad sensum, neque ad versum facit. Hæc tenuia quidem: sed tamen incautum Lectorem quia offendere possent, adnotaui.

XVII.

Apud Hermolaum Barbarum,

C. Coroll. 258. Epitimbitiden perperam excusum, cum debebat ἐπιτυμβίδιον. Sic apud Theocritum Idyll. ζ vbi Scholiastes scribit, ὅτι ὡσεὶ τύμβον τινὰ τοιοῦτο ἀνάστημα ἐν κεφαλῆς ἔχουσι. Hoc est: Quod quasi tumulum in capite habeant, dictæ ἐπιτυμβίδιον.

XVIII.

In prouerb. Lydorum caryca.

Erasmus scribit, carycam esse cibi genus, ex multiiugis lautitiis & sanguine confectum. Quod ipse ex Zenobio sumsit, apud quem legitur (quanquam mire deprauatum exemplar est) ἔτι δὲ καρύκη βρῶμα λύδιον, ἐκ πολλῶν ἡδυσμάτων συνεστὼς, καὶ αἵματος. Hucusque Erasmus. Sequitur tamen, quod addendum erat, ὡς Φερεκράτης ἀμυρτάκην τρίψαντα, καὶ λυδίαν καρύκην. Id est: Amyrtacen contundentem; & Lydiam carycam. Apud Suidam tamen pro ἀμυρτάκην, legitur ἀβυρτάκην, quæ lectio vera est. Porro videtur ortus error a figura literæ β, quam antiquitus ita pinxerunt: quæ adfinis est ipsi μ.

XIX.

Apud Ausonium, in descriptione Mosellæ:

Transieram celerem nebuloso flumine nauem.

In omnibus exemplaribus, quæ quidem mihi eius Poetæ videre contigit, corrupte nauem, pro Nauam, reperi. nam fluuius est, dictus hoc nomine: cuius & Cornel. Tacitus libr. 20. meminit. Accolæ eius fluuii vocant die Naw/oder Nahe. Apud Bingium in Rhenum effunditur. Cornelii verba sunt, vbi eius mentionem facit: *Vitato Moguntiaco Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Nauæ fluminis abruperat, &c.*

XX.

Apud Senecam libro tertio de Ira,

Historia horrenda, & talis recitatur: Cambysen regem nimis deditum vino, Traxhexaupes, vnus e caris simis, monebat, vt parcius biberet: turpem esse ducens ebrietatem in Rege, quem oculi omnium aure sque sequerentur. Ad hæc ille: vt scias, inquid quemadmodum nunquam excidam mihi, approbabo iam, & oculos post vinum in officio esse, & manus. Bibitque liberalius, quam alias, capacioribus scyphis: & iam grauis & vinolentus, obiurgatoris sui procedere filium vltra limen iubet, alleuataque super caput manu sinistra stare. Tunc intendit arcum: & ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixit) figit, recisoque pectore ferens in ipso spiculum ostendit. Ac respiciens patrem, an satis certum haberet manū, interrogauit. At ille negauit Apollinem certius dimittere. Hæc Seneca. Sed mēdose Traxhexaupes legitur pro Prexaspes, vt Herodotus libro 3 πρηξάσπης, vnde Seneca historiam sumsisse videtur. Crinitus lib. 6. cap. 5. Traxaspes similiter deprauate legit.

XVI.

In Ouidianis exemplaribus, in Ibin,

Corruptum est quoque, quod legitur:

Aut velut Etracides magno ter ab Hercule quintus.

Atracides legendum, id est, Cæneus Thessalus. Cur autē ter quintum ab Hercule eum dicat, explicatum inuenies infra in Cap. de Locis Obscurioribus. Ab interpretum nullo neq; emendatus locus, neque explicatus satis hactenus.

XXII.

In Zenobio,

In prouerb δόρυ καὶ κηρύκειον, id est, Hasta & caduceum: vulgata editio legit: παροιμία ἣν ἔνιοι τιθανάχην λέγουσιν, id est, pro qua nonnulli Tithanaam dicunt. Menda autem in voce τιθανάχην, pro πειθανάγκην, id est, persuasionem cum necessitate coniunctam. Et hoc pacto Hesychius legit, estque feliciter composita dictio πειθανάγκη. Erasmus Suidam secutus, absque coniunctione Et profert prouerbium. Sed Eustathius Iliad ζ. Hesychius & Zenobius cum coniunctione, δόρυ καὶ κηρύκειον, adnotarunt.

XXIII.

Apud Aristophanem, in Acharnensium fabula

ἰαμβείῳ.

Excusum legitur ὁ κύκλωψ τοῦ δράματος ἄρχεται καὶ ἑξῆς ἐκ στοίχων ἀμοιβαίων, ἐκ σημαντικῆς περίοδου. In dictione σημαντικῆς menda est & legenda συστηματικῆς.

XXIV.

Apud Ouidium lib. 6 Metamorph.

In fabula Niobes, editiones communiter omnes habent:

Ante

Ante toros fratrum demisso crine sorores
Stabant ——

Malim Demesso legere: respectumque ad ritum esse credo, quo solutum fuit olim, vt proximi mortuis sectos suos siue demessos capillos imponerent. Vnde in tertio idem Ouidius:

Planxere, & sectos fratri imposuere capillos.

Huius moris mentio est in Macrobio libro quinto, capite septimo.

XXV.

Apud Aristophanem in Acharnensibus:

Κλεισθένης ὁ Σιβυρτίου. ὦ θερμόβουλον πρωκτὸν ἐξυρημένοι: perperam excusum, pro ἐξυρημένε, vt est apud Suidam ἐν τῷ πρώτῳ, & iterum ἐν τῷ κλεισθένης. Vertor deceptus in hac menda, incautius reddidit, Iuuente: quum debebat, Tonse & glaber. Vbique enim perstrictus est apud Comicum Clisthenes, propter mollitiem.

XXVI.

In Aristea Argumento,

Error est in numero commissus & quatuor, vbi legitur quinque: & pro sex, septem subiiciendum. Sic enim editum est: Alexandriam itaque appulsis, rex splendidissimum sex dierum epulum præparat, & denis quatuor prioribus diebus, vndenis posterioribus duobus quæstionem proponit, de felici regni gubernatione. Qui numerus non conuenit cum iusto Septuaginta duorum. Sed si pro quatuor, quinque: & pro sex, septem reponas, cõstabit demum numerus. Quæ Lectori relinquo corrigenda: satis mihi est, admonuisse.

XXVII.

In Aristophanis Equitibus,

Metra sunt distincta perperam, Actu quarto: εἶεν τούτοις ὁ μισθὸς τοῖς ἀλωπεκίοισι πιεῖν. Sunt autem duo metra, quorum prius monometrum brachycatalecticum εἶεν: posterius vero iambicum acatalecticum. Rursus similis confusio paulo post, ἰοῦ ἰοῦ. Monometer acatalecticus, separandus a sequente metro, cui male connexus est: οὐκ ἦν δὲ οὐδεὶς τοῦ γλαυκίου σοφώτερον. Similis error eadem in comœdia, εἶεν ἐν πυελοτρίβῃ. vbi εἶεν iterum separandum. Sed huius generis frequentes sunt apud Aristophanem confusiones.

XXVIII.

Apud Stephanum ἐν τῷ ἄμβλαδα.

Πόλις Πισιδίας, [illegible]: ἔστι δὲ τοῖς Φρυξὶν ὅμορος, καὶ τῇ Καρίᾳ, πέδα καὶ ἰσίδια, ὅθεν καὶ Ἀμβλαδεὺς οἶνος, ὡς διαίτας ἰατρικὰς ἐπιτήδειος. Hæc exemplar Stephani refert. Sed πέδα & ἰσίδια, vtrumque mendosum. Apud Strabonem πίσσα est: & pro ἰσίδια, σίνδα syncerius legitur. Quod ipsum & Plinius testatur libr. 5. cap 27.

CAPVT III.

Omissorum.

I.

CÆlius libro 21. capite 37. de Ialysi imagine scribit: Ingeniosè opere Protogenis, *καὶ πόνος μέγας, καὶ ὁ τεχνίτης* (hic omissum est apud Cælium *ἀπολείπεται*) *τῆς μὲν τῆς χειρουργίας ἡ χάρις.* Id est: Excellens quidem labor & artifex (deest tamen) gratia operis. Ex Æliano restitutus locus, cuius quoq; mentio fit in Capite Versorum.

II.

Stephanus ἐν τῷ Συβαρίς,

Oraculum insigne recitat, & dignum quod ante oculos perpetuo esset nobis:

εὐδαίμων συβαρῖτα πανευδαίμων σὺ μὲν αἰεὶ
ἐν θαλίῃσιν ἔσῃ τιμῶν γένος αἰὲν ἐόντων
εὖτ' ἂν δὴ πρότερον θνητὸν θεοῦ.

Hic deest *ἄνδρα*, apud Stephanum. Vnde Erasmus, vt sarciret carmen, forte illic pro *θεοῦ* legit in prouerbio *θεοῖο σεβίζῃ*. Sed Athenæus idem oraculum recenset libro duodecimo, capite sexto, *θεοῦ ἄνδρα σεβίζῃ* scribit. Et subdit, *τηνίκα σοι πόλεμός τε καὶ ἐμφύλιος στάσις ἥξει.* Hoc est: Felix Sybarita, nimiumque felix tu quidem semper, in festis deorum genus si colueris immortalium. Vbi vero mortalem hominem præ diis veneratus fueris, tunc bellum & intestina seditio tibi ingruet. Attendat hic Lector Christianus.

III.

In prouerb. δόρυ κηρύκειον,

ἀπειλουμένων, deest in Zenobio, apud quem ad hunc modum vbi ta editio habet: *δόρυ καὶ κηρύκειον. παροιμία, ἣν ἔνιοι πιθανάγκην* (pro *πειθανάγκην*) *λέγουσι. εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν ἅμα παρακολουθούντων.* Corruptum & hoc, pro *παρακαλουμένων*. Hic deest, *καὶ ἀπειλουμένων.* id est: Hasta & caducæum. prouerbium, quod nonnulli *πιθανάγκην* appellant. Vsurpatur vero de rogantibus & interminantibus simul: hoc est, qui vel pacem, vel bellum offerunt. Ex Suida Zenobius sanari potest, & emendari.

IV.

In Equitibus Aristophanicis,

Interpres omittit *κυκῶντα*: quod a Fauorino, qui eundem locum recitat, suppletur. Verba interpretis, quæ leguntur: *ἐν τῷ ταραχθῆναι καὶ μυστιλᾶν παίζων ἴσως φησὶ πρὸς τὸ ὁμηρικόν.* Et aliud nihil addit, quam alludi ad Homericum illud. Addendum autem erat *κυκόωντα*, vt Fauorinus facit. Locus est Iliad. λ. Homeri, ad quem respectum est.

V.

Quin-

Quintilianus lib 9. cap. 2.

Scribit: Et Demosthenes iure iurando per interfectos in Marathone & Salamine id agit, vt minore inuidia cladis acceptæ apud Chæronæam laborarent. Apud Demosthenem in oratione περὶ στεφάνου locus est, & iurat enim, quo de Fabius: οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων. καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους, καὶ τοὺς ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχήσαντας. Vbi τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους, quod est in Demosthene, a Fabio prætermissum & omissum est. Etsi autem non magni momenti hoc, addere tamen visum est, vt inuitarem ad conferendos locos, eos qui delectantur studiis humanioribus.

VI.

Ianus Parrhasius in Claudianum.

Initiabatur (tradit) Cabiris in Samothracia, vt Mnaseas auctor. ii quatuor erant numero: Axieros, id est, Ceres: Axiocersa, quæ Proserpina: & Casmilus, quem Dionysiodorus interpretatur Mercurium. Quartum vero non enumerat, sed omittit ex Cabiris.

Quem Apollonii interpres apud quem integer locus est, appellat Axiocersum: & per hunc, Plutum innuit scribit.

τέσσαρες (inquit) εἰσὶ τὸν ἀριθμόν: Ἀξίερος, ἀξιόκερσα, ἀξιόκερσος. ἀξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ δημήτηρ ἀξιόκερσα δὲ ἡ περσεφόνη, ἀξιόκερσος δὲ ὁ ἅδης ὁ προστιθέμενος τέταρτος, κασμῖλος, ὁ ἑρμῆς ἐστιν. Ita in Parrhasio Plutus omissus est, &c.

VII.

Aristophanes in Ranis:

Εὐφημεῖν χρὴ κἀξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσι. Hunc locum Plutarchus allegat, sed omittit χοροῖσι, in quæstione, Præstantiores ne Athenienses bello, an sapientia?

VIII.

In Agesilao Xenophontis,

In Græco est: μέγιστον δὲ ἡγησάμενος, ὅτι βοιωτοὶ ταύτῃ ἐν Κρεούσῃ ὡρμισμένοι, &c. Quem locum vtcumque versor transtulit: omisso tamen ἐν Κρεούσῃ. Est enim vrbs Bœotiæ Creusis, vt Stephan. ait. Lector autem admonitus, velit hic conferre Latinam translationem cum Græco textu.

IX.

Homerus Odyss. θ.

Versus parum integer est, in omnibus exemplaribus, excepto Eustathii:

καὶ δῶρα ἐπεὶ οὔ τι κατὰ μοῖραν ἔειπεν. Deest autem ἔπος, vt legas:

καὶ δῶρα ἐπεὶ οὔ τι ἔπος κατὰ μοῖραν ἔειπεν. Id est, dono, quoniam non aliquod verbum prudenter locutus est.

X.

In prouerb. δούρειος ἵππος,

Erasmus scribit, allusum esse ad æneum equum insigni magnitudine, qui in acropoli stabat, Palladi dicatus a Charidemo: quod ipsa testabatur inscriptio. Hæc Erasmus. Sed omisit, quod est in Græco. Quam ex Aristophanis interprete illa refert, apud quem in Auibus est: οὐ πλανὸν καὶ πῶς λέγειν, ἀλλὰ περὶ τοῦ χαλκοῦ τοῦ ἐν ἀκροπόλει, δούρειος ἵππος ἐπιγραφὴν ἔχων, Χαιρέδημος Εὐαγγέλου ἐκ Κοίλης ἀνέθηκε: Εὐαγγέλου ἐκ Κοίλης autem omissum apud Erasmum. Quod Cælius lib. 29 cap. 25 Euangeli ex Cæla, transtulit: apud quem locus itidem tractatur Aristophanis.

XI.

Plato lib. 3. Politicorum,

Homerum allegat,

ἄσβεστος δ' ἄρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσι,

Hic versus Odyss. θ habetur. Sed apud Platonem sequitur alius, quam qui est in Homero: nimirum,

ὡς ἴδον Ἥφαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα.

Hic versus apud Homerum non est Odyss. θ. Sed ille:

τέχνας εἰσορόωσι πολύφρονος Ἡφαίστοιο.

XII.

Apud Stephanum, ἐν τῷ ἄμβλαδα,

Allegatur Strabo libro 12 & inter alia: ὅθεν καὶ ἀμβλαδεὺς οἶνος, ἐπὶ τὰς ἰατρικὰς ἐπιτήδειος. Verba sunt Strabonis: sed omissum solum apud Stephanum ἐκφέρεται, quod apud Strabonem statim post οἶνος sequitur.

XIII.

In versione Pausaniæ Messeniacorum deest,

Quod in Græco est, ὅτε δὴ τῶν Ἀριστοδήμου παίδων ὁ κλῆρος κατετάκη. Id est: Cum igitur liberorum Aristodemi sors liquefacta esset, &c. Puto autem omissum in Latino, non interpretis, sed librarii forte incuria. Historia est insignis, ideo subiiciendam duxi, propter exemplum defraudatorum pupillorum. Τήμενος εἰς ὑδρίαν, ἐμβαλόντες ἐν αὐτῇ καὶ ὕδατος, κλήρους τῶν Ἀριστοδήμου καὶ Κρεσφόντου τοὺς κλήρους, ἐπὶ διῃρημένοις μοίραιν ἀναιρεῖσθαι τῆς χώρας προτέρους, ὁποτέρου ἂν ὁ κλῆρος ἀνέλθῃ πρότερον. τοὺς μὲν δὴ κλήρους ὁ Τήμενος ἐποίησεν ἀμφοτέρους, ἀλλὰ τοῖς μὲν Ἀριστοδήμου παισὶ ξηρᾶς ὑπὸ ἡλίου, Κρεσφόντῃ δὲ ὑπὸ τοῦ πυρός· ὅτε δὴ τῶν Ἀριστοδήμου παίδων ὁ κλῆρος κατετάκη, καὶ οὕτω Κρεσφόντης λαχὼν, ἐπὶ τῇ Μεσσηνίᾳ. Id est: Temenus, infusa in situlam aqua, Aristodemi liberorum & Cresphontis sortes imponit, propositis vtrinque conditionibus, vt primum in eligenda regionis parte locum haberet, cuius sors primo exiuisset. Sortes Temenus ambas fecerat: sed liberorum Aristodemi ex terra ad solem durata, Cresphontæ autem ad ignem excocta. (Hic autem desideratur: Quum igitur liberorum Aristodemi sors li-

quefacta esset), Ctesphontes potitus sorte, elegit Messeniam.

XIV.

Apud Boccatium lib 5. cap 14.

Melissus quum Corinthiis multa benefecisset, a Phidone Argivorum (id est, rege: quod deest. In Græco enim libr. 4. Apollonii interpres, ὑπὸ φείδωνος τοῦ τῶν ἀργείων βασιλέως legitur) eos defendit. Et rursum non multo post: Cum autem Bacchiadæ de noctu ad ædes venissent (hic iterum deest, quod in Græco, τοῦτο βουλόμενοι ἀποσπᾶσαι τὸν παῖδα: id est, illius vellent discerpere filium Actæona) resistentibus etiam parentibus dilaniatus est. Hæc autem in Annotationibus Iacobi Micylli, pie defuncti viri sunt, super Boccatium. Atque hæc erant, quæ huic Capiti destinare visum est.

CAPVT IV.

Attributorum perperam.

I.

IN Nubibus Aristophanicis Chorus, cuius initium,

οἴμοι γὰρ γε τῶν πατέρων τὰς καρδίας πηδᾶν ὅ, τι λέξει.
εἰ γὰρ τοιοῦτόν γ' οὗτος ἐξειργασμένος λαλῶν ἀναπείσει
τὸ δέρμα τῶν γεραιτέρων λάβοιμεν ἄν: & quæ sequuntur in Choro.

Illa Suidas a Choro separat, & Strepsiadæ attribuit, qui loquatur. Sunt autem,

——— ἀλλ' οὐδ' ἐρέβινθον

οὐδ' ἔρεγμα, &c. Suidam pete. ἐν τῷ ἐρεβινθ@. vbi legitur

τὸ δέρμα τῶν γεραιτέρων λάβοιμεν ἄν.
ὁ δὲ πρεσβύτης, ἀλλ' οὐδ' ἐρέβινθον.

Hoc est:

Pellem seniorum capere possemus.

Ad quæ senex (scilicet respondit) Sed non erebinthi: id est, mentulæ: vt Suidas exponit, αἰδοῖον.

II.

Erasmus in prouerb.

Hyperi vertigo. Plato Comicus (inquit) opinor apud Zenobium, in Adonide. In Suida est, cui attribuendum: & non Zenobio, apud quem Philemonis mentio, & non Platonis. Sed Suidas, cuius verba sunt, meminit: πλάτων ἀδώνιδι, οὐκ ὑπερβολικοί φησιν τὸ ... φυτον.

III.

Aristophanis in Equitibus,

Sunt personæ transpositæ, ita vt quæ Cleon loquitur, ista Halantopolæ: & contra, quæ Halantopola, ea Cleoni sint attribuenda, adnotante & monente interprete ita. Verba interpretis: ἀπὸ ταύτης φησὶ τῆς πόλεως ἐκκλεφθῆναι. τουτέστι δι' ἐκ πάλαι ... τὸν κλέωνα: καὶ τοῦτο φιλονεικῶν αὐτὸν ἀμύνεσθαι τοῖς ἴσοις, ἐπεὶ ... ὁ ...

ἔφησεν αὐτὸν σφετερίσασθαι τῆς πόλεως τάλαντα πολλά, &c. Quo circa discernendæ sunt personæ hoc pacto:

ΑΛ. σὲ δ' ἐκ Ποτιδαίας ἔχοντ' εὖ οἶδα δέκα τάλαντα.
ΚΛ. τί δῆτα, βούλει τῶν ταλάντων ἓν λαβὼν σιωπᾶν;

Hoc est: Alantopola ad Cleonem loquitur:
Te (inquit) ex Potidæa habentem, sat scio, decem talenta.
Cui Cleon respondet:
Quid vero, vis vnum talentum si acceperis tacere?

IV.

Athenæus lib. 5 cap. 3.

Panacen Helenæ attribuit vino miscere, cum nepēthes sit. Verba Athenæi sunt: ἡ Ἑλένη φησί. Διὸς θυγάτηρ ὕσω, καὶ παρὰ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ σοφῶν μεμαθηκυῖα πολλοὺς λόγους, εἰς τὸν οἶνον ἐμβάλλει πανακές τι ὄντα φάρμακον. καὶ ἄρχεται διηγεῖσθαι τὰ περὶ τὸν Ὀδυσσέως, μεταξὺ τῆς ἀηδίας ἀποθεμένη Homeri locus est Odyss. δ.

αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον
νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

V.

Eiusdem rationis est lib. 13. cap. 16.

Quod Plinius Circæ adsignat, cum Calypsoni deberet. Verba Plinii: Nota etiam Homero fuit Trogete, quæ vocatur aliis Thya. Hanc igitur inter odores vri tradit in delitiis Circes, quam deam volebat intelligi: magno errore eorum, qui odoramenta in eo vocabulo accipiunt, cum præsertim eodem versu cedrum laricemque vna tradat. Hactenus Plinius. Huius autem Thyas seu Thyæ non est mentio, nisi Odyss. ε. in Calypsonis insula, cum describit eius regiam, & speluncam deæ. Versus Homeri:

κέδρου τ' εὐκεάτοιο, θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

Cur autem Circæ tribuat, quod Calypsoni, mihi ignotum: nisi per errorem, aut fortassis Circes vocabulo abusus pro venefica, &c. Simili intentione etiam Volaterranus credendus lib. 1. Odyss. transtulisse:

Athlantis Circe retinet quam filia diri.

——θεὰ δ' ἐν δώμασι ναίει,
Ἄτλαντος θυγάτηρ.——

Vbi Minerua de Calypsone loquitur, & non de Circe. Vtcunque hoc sit Lectorem monitum optarim hoc de loco: & maxime de arbore Thya, quam Plinius laricem videtur innuere. Sed Homeri locus parum videtur mihi Plinio respondere.

VI.

Erasmus in prouerb. Alter Glaucus,

Alterum Glaucum ab equis deuoratum scribit. Additque quadrare in hominem alendis equis exhaurientem facultates suas. A fabula

A fabula natum, qualis de Actæone. Hæc Erasmus. neque originem prouerbii aliam, neque vsum alium ostendit. Videtur tamen Ouid. libr. in Ibin, per alterum Glaucum significare, non eum, qui deuoratus est ab equis, sed qui mersus in aquis: hoc versu,

Inq; maris salias, Glaucus vt alter, aquas.

Nam tres Glauci describuntur ab auctoribus, omnes calamitosi: quorum ille, quem alterum Ouidius dicit, submersus in aquis, Antedonius fuit patria, filius (vt refert Apollonii interpres lib. primo) Polybi. Eustathius autem & Homerus Copei, Iliad. ζ.

——αὐτὰρ Σίσυφος τέκεθ' υἱόν,
ἔνθεν ἐγὼ γένος εἰμί, πατὴρ δέ με γείνατο κ....

Ille vero Glaucus, qui ab equis discerptus est, Sisyphi fuit. De quo Ouid.

Potniadum morsus subeas, vt Glaucus, equarum.

Tertius autē Glaucus, Pasiphaes & Minois fuit. Is ἐν πίθῳ ἀποπνίγη μέλιτος, vt Eustathius Iliad. μ. & de eodem Ouidius:

Vtq; duobus idem dictis modo nomen habenti,
Præfocent animæ Gnosia mella viam.

Quare mihi videtur alter Glaucus esse (pace tamen eruditiorum) qui submersus, & non qui dilaniatus ab equis, quem etiam Ouidius primum, & non alterum recenset.

CAPVT V.

Erratorum in citando.

I.

PEtrus Victorius lib. 7. cap. 9 Lectionum variarum, allegat libellum cui titulus, Quid intersit inter amicum & adulatorem, Plutarchi, apud quem legatur: ὥσπερ γὰρ ὁ τὸν Θετταλὸν Προμηθέα κτεῖναι διανοηθεὶς, ἔπαισε τῷ ξίφει τὸ φῦμα. καὶ διεῖλεν, ὥστε σωθῆναι τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἀπαλλαγῆναι τοῦ φύματος ῥαγέντος. Id est: Quemadmodum ille qui Thessalum Promethea interficere cogitauit, tuber casu ita percussit & incidit, vt homo sanatus, ruptoq; tubere liberatus fuerit, &c. Non est autem in eo libello, quo citatur: sed in eo apud Plutarchum, cui titulus, Quo pacto quis vtilitatem ab inimicis capere possit.

II.

Rodolphus lib. 3 cap. 2.

Horatius: Ridentis, ait, speciem, & (vt ipse ait) ingenio culpam defigere ludo, &c. Non est Horatii carmen, sed Persii satyra 5. Oportet ergo aut lapsum memoria Rodolphum esse, aut ita legendum: Horatius ridentis speciem, & ingenuo (vt ipse ait Persius) culpam defigere ludo adfectauit, &c. Scio crassum hoc esse:

sed addo tamen, vt occasionem meditandi dexterius aliquid hic suggeram Lectori.

III.

In prouerbio,

Dies adimit ægritudinem hominibus, Sophocles in Aiace Flagellifero allegatur:

χρόνος γὰρ ἀμαυρὸς θεός.

Non est in Aiace, sed Electra Sophoclis.

IV.

In prouerb.

Archilochi Melos Pindarus oda 7 citatur: τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος φωνᾶεν. Non in 7 Olympiorum, sed in 9. oda.

V.

Suidas.

In prouerbio νέα χελιδών citat locum ex Auibus Aristophanis, qui Equitibus est: ἐξαπατῶν γὰρ τοὺς μεγάλους ἐπελήθει ἑαυτόν.

VI.

Quintilianus lib. 8. cap 3.

Homerum citat, apudque ipsum legi, Græcos ascendisse in equum: quod nusquam est inuenire apud Homerum. Ceterum sedisse reperitur in equo: vt Odyss. δ.

ἵππῳ ἐνὶ ξεστῷ ἵν' ἐνήμεθα πάντες ἄριστοι. Et in θ.

ὅτ' ἐνὶ Τρώων ἀγορῇ κεκαλυμμένοι ἵππῳ.

Et rursus.

—οἳ δ' εἵατο πάντες ἄριστοι: Eodem libro.

Neque alibi mentio vlla equi Troiani apud Homerum est, quod sciam.

VII.

Interpres Aristophanis in Equitibus.

Παρῴδησε γὰρ φησὶ τὸ ἰαμβεῖον ἐξ Ἡρακλειδῶν Εὐριπίδου,

ἔμοιγε καὶ χρόνος ὁμοῦ...

Hoc est: Affectauit iambicum ex Heraclidis Euripidis. Non extat in Heraclidis.

VIII.

Interpres idem, in Acharnensibus,

Scribit παρῳδία χρῆται ἔστι γὰρ ἐν τῇ Μηδείᾳ Εὐριπίδου: θρεψάμενος σπλάγχνον. In Medea non est Euripidis.

CAPVT VII.

Locorum obscuriorum.

I.

ORigenes, & huius ad verbum recitator Erasmus, in Ecclesiaste scribit: Cubitum ex solido & quadrato vnum, velut sex da-

sex deputari, si generaliter accipiatur: vel in trecentos, si minutatim deducatur: ad hancque rationem fieri omnium generum spatium capax. Hactenus Origenes & Erasmus: ille homilia secunda, cap 6. in Genesin: hic libro secundo in Ecclesiasten. Obscurum est, mea sententia, non parum, cum dicat, Si in trecentos minutatim diducatur: erratumque videtur, & deesse sexaginta: vt legatur, trecentos sexaginta. quam lectionem malim, & magis probarim: atque etiam eam, nisi fallor, germanam esse puto. cum tot λεπτὰ, vt ipsi Mathematici loquuntur. siue ἑξήκοντα, efficiant cubiti sex generaliter accepti. quibus vnus cubitus geometricus (vt ipsi vocant) siue magnus, vt alii, respondet. Nam triplex cubitus geometricus apud mathematicos est: paruus, siue generalis, qui constat sesquipede: medius, qui duobus pedibus integris constat: & magnus, qui pedibus nouem, id est, cubitis generalibus, siue paruis sex. Est autem frequens apud mathematicos diductio, siue multiplicatio partium per sexaginta: ea enim sunt, quæ minuta vulgo vocant. Quæ rursum in secunda, in tertia, in quarta, &c. λεπτὰ soluuntur. Quod si igitur sex cubitos generales siue paruos, quibus vnus geometricus, seu magnus respōdet, in ἑξήκοντα diducamus. fiunt ea trecenta & sexaginta. Ita vt sexaginta apud Origenem, & simul Erasmum, videatur omissum esse. Hæc autem non docendi, sed dubitandi studio, iis qui ea in re docti sunt, mouisse volo.

II.

Apud Ouid. in Ibin,

Quod poema omnium obscurissimum est, Scholiographi mire tergiuersantur, neque explicant se tamen, quid sit quod ait:

> *Aut velut Atracides magno ter ab Hercule quintus,*
> *Casus in immensum proiectus e fretum.*

Hic dum adferunt portentosa quædam interpretes alii, reliqui dissimulanter transeunt, nihil lucis accedit. Est autem ille Atracides Cæneus, qui decimusquintus post Herculem recitatur inter αὐτόχειρας. Higinus enim sedecim enumerat, qui violētas manus sibi intulerunt. de quibus Higinus cap. 242 consulatur. Et sunt hæc eorum nomina:

Ægeus.	*Agrius.*	*Cyniras.*
Euenus.	*Menoeceus.*	*Adrastus.*
Aiax.	*Nisus.*	*Hipponeus.*
Lycurgus.	*Climenus.*	*Pyrrhamus.*
Macareus.	*Hercules.*	*Oedipus, &*
		Caneus.

Hunc Atraciden vocat Poeta, ab vrbe Thessaliæ, quæ Ἄτραξ dicta est. de qua Stephanus & Eustathius. Legi-

tur autem corrupte in omnibus exemplaribus Etrac des: quod annotatum & emendatum a me alibi est. Quæ menda fortassis nebulas offudit commentatoribus, quo minus se expedirent.

III.

Apud Aristophanem in Equitibus,

Locus est non parum perplexus, adeoque ab interpretibus neglectus, *ὁρᾶτε τὴν ὕλαν δι' ἐμὲ μαστιγούμενον*, quid nam per *ὕλαν* velit. Videtur tamen de aliquo conseruo dictum accipiendum: qualis vel Nicias, vel Demosthenes finguntur. Vel per *ὕλαν* eam syluam innui, cuius incensæ occasione Pylus est capta. hac sententia: An non creditis me syluam vastasse? Atque hoc est alienam gloriam in se transmouere: & iuxta prouerbium, mazam pinsere, quam alius pinsuit. Demosthenes enim potissimam eius fortunæ partem, & victoriæ, sibi adscripsit. Nisi placet magis, per Hylam intelligi aliquem, qualis Hylas Herculi fuit: de quo Apollonius libro primo, & Theocritus Idyll 13. Aliter non possum de eo loco indicare, quam esse obscurū, & ab interprete præteritum.

IV.

Orpheus in Argonauticis:

Χάλκειον τριγίγαντα δοκεύμενοι ὄφρ' ἱκόμεσθα, ὃς οὐκ εἴα λιμένος ἔντοσθεν ἱκέσθαι. Hoc est:

Aereum Trigigantem obseruantes donec attigimus,
Nec sinebat portas intrare.

Quis ille Trigigas, aut quale monstrum? quia nō declaratur ibidem aliter. Apollonius, & hunc Valerius imitatus, tradunt esse Talum. Apollonii descriptio talis est lib 4.

Τοὺς δὲ Τάλως χάλκειος ἀπὸ στιβαροῦ σκοπέλοιο
ῥηγνύμενος πέτρας εἶργε χθονὶ πείσματ' ἀνάψαι,
Δικταίην ὅρμοιο κατερχόμενος ἐπ' ἰωγήν.
τὸν μὲν χαλκείης μελιηγενέων ἀνθρώπων
ῥίζης λοιπὸν ἐόντα μετ' ἀνδράσιν ἡμιθέοισιν,
Εὐρώπῃ Κρονίδης νήσου πόρεν ἔμμεναι οὖρον.
τρὶς γὰρ χαλκείοις Κρήτην ποσὶ δινεύοντα,
ἀλλ' ἤτοι τὸ μὲν ἄλλο δέμας καὶ γυῖα τέτυκτο,
χάλκεος ἠδ' ἄρρηκτος, ὑπαὶ δέ οἱ ἔσκε τένοντος
σῦριγξ αἱματόεσσα κατὰ σφυρόν. αὐτὰρ ὁ τήν γε
λεπτὸς ὑμὴν ζωῆς ἔχε πείρατα καὶ θανάτοιο.

Hæc Apollonii lib. 4. quæ Valerius Flaccus felicissime libr. 10. transtulit:

Ferreus arce procul scopuli Dicteide terra,
Hos prohibet saeuo ore Talus suspendere funes,

Eo legere

Et legere hospitium, puppisq; immittere habenas.

Olim abies, olim quercus, &c. Reliqua in ipso poeta, vnde petas licebit.

V.

Apud Homerum, epitheton πολυδίψιον.

Quod plerique Scholiographi intelligunt aridum, sitibundum, καὶ πολλοῖς ἔπεσιν διψῶσαν, καὶ αὐχμηρόν. Interpres autem Apollonii videtur propius ad eius explicationem accedere, qui πολλάκις βεβλαμμένον exponit: hoc est, sæpe infestatam, afflictatam. Idque libro quarto, quasi πολυΐψιον, παρὰ τὸ ἴψαι. hoc est, calamitosam, à nocendo crebro. De qua re & Strabo libro 8. Et ita posterior expositio videtur dexterior esse, nec inepta tamen prior.

VI.

In Homeri

Odyss. ε Homerus scribit, Vlyssem beneficio, siue munimento τοῦ κρηδέμνου, liberatum esse a præsentissimo periculo naufragii. Quid vero illud κρήδεμνον sit, & quo pacto intelligendus locus, mirum inter interpretes quia variatur, dum hic tignum, alius vittam, ille calanthicam, alius tabulam transtulere: operæ pretium visum est, Apollonii Scholiastis verba hac de re scribentis huc annotare. Ille respexisse tradit Homerum eo figmento ad τελέτας. id est sacra Cabirorum in Samothracia: quibus quicunque initiatus erat, ille contra omnia pericula securus esse credebatur: neque tempestate, nec incendio, nec vllo malo lædebatur. Quemadmodum Vlysses (inquit) quum cinctus esset τῷ κρηδέμνῳ id est, fascia purpurea sub pectore. Et Agamemnon dissentientibus inter se Græcis, πορφυρίδι induta compescuit dissensionem. Quod tamen de Agamemnone apud Homerum nusquam reperire est. Eustathius autem κρήδεμνον exponit φυλακτήριον, id est, amuletum, præsidium, & quasi antidotum contra mala. Et figurate φρόνησιν denotare scribit, qua Vlysses cinctus sub pectore, aduersis casibus restitit, quo minus succumberet. Huic adfine esse videtur illud, quod infra de πείρινθι Homerica Odyss. υ. vt Plutarchus prouerbialiter appellat, legitur. Nec alienum ab hoc τῷ κρηδέμνῳ, quod infra in κ de Moly & Apollonii lib 3 de προμηθείῳ: & Virgilii in sexto de Ramo aureo, figurate proponitur.

CAPVT VII.

Versorum præcipitantium.

I.

ERasmus in Hierone Xenophontis, πῶς δὲ παῖδας ἐζήλωσαν αὐ

τοὺς τυράννους, vertit: Quo pacto fieret, vt omnes tyrannos, si quidant, emcerent? Et cur non potius versum est: Quomodo fieret, vt omnes tyrannos beatos ducerent? Nam ζηλοῦν non tam æmulari (qua acceptione Erasmus transtulit, & vsus passim) quã beatum & felicem ducere. Exempla in promtu sunt, nec est quod adiiciam vlla.

II.

Cælius lib. 16 cap. 21.

Hyperbolum Chremidis filium, Charonis fratrem (scribit) fuisse, &c. Lucernas quandoque factitauisse, vendidisseque: nec synceriter, sed per fraudem plumbum miscuisse æri, quo ponderosiores factæ, maius demererentur pretium. Ex interprete autem id Nebularum Aristophanis, apud quem legitur: ὑπέρβολος λυχνοποιὸς ὤν, πάνυ πανοῦργος· οὐ γὰρ χαλκοῦ μόνον ἐξ ... τοὺς λύχνους κατεσκεύαζεν, ἀλλὰ ἐνετίθει ἵνα πολὺ βάρος ἔχοντες πλείονος ἄξιοι ὦσι, καὶ οὕτως ἠπάτα πραγματευόμενος. Pro lucernis, quod ipse Cælius habet, candelabra malim, & sensus erit magis luculentus. Erant enim caua candelabra intus, ex ære facta, quibus plumbum inseruit, &c.

III.

Erasmus in prouerbio,

Anagyrin commoues: ex Suida originem reperens prouerbii, apud quem est πατὴρ ἐκτήρωσεν αὐτὸν, καὶ ἐγκατῳκοδόμησε, transtulit: Pater persuasus filium e tecto præcipitem dedit, ac interemit, Græca aliam versionem requirunt, & magis Germanam: videlicet, Pater oculis priuauit, carcerique inclusit. Hoc significat ἐγκατῳκοδόμησε verbum, atque ita Plutarchus vsus est in vita Lycurgi etiam.

IV.

Idem prouerbio, Sybaritica mensa:

Euenit (inquit) vt quispiam herus Sybarita seruum loris cæderet: qui cum ad numinis aram confugeret, nihilominus persequente domino cædebatur, &c. Hic pro numinis, Iunonis reponendum existimo. In Græco enim apud Stephanum legitur: τῶν συβαριτῶν τις οἰκέτην ἱμάσσων ἐν ἀγρῷ. τοῦ δὲ καταφυγόντος ἐπὶ τὸ ἱερὸν, ὁ δεσπότης ἐπαίε ... ὁ δὲ ... ἐπὶ τὴν στήλην ... περιστείς ... αἰδοῦς καὶ ... ἀποστρέφει τὸ ἄγαλμα τῆς ἥρας. Eadem, paucis verbis mutatis tamen apud Eustathium in Dionysium habentur: ἐς μνῆμα δὲ καταφυγόντα ἠδέσθη, ὅτε καὶ ἀποστραφῆναί φασι τὸ τῆς ἥρας ἄγαλμα. Quare corruptum existimo Iunonis, & pro eo numinis scriptum perperam. Eandem apud Atheuæum libro duodecimo historiam inuenies

Euénit

V.

Budaeus in praefatione in Pandectas,

Historiam talem recitat. Alexandri pater Philippus cum nunciaretur Corinthum aduentare, ac Corinthios trepidos, & variis occupatos videret Diogenes: dicitur suum dolium etiam cœpisse vltro citroque versare, per vicinum vrbi collem &c. In Græco est apud Lucianum περὶ ἱστορίας, vnde petitum, ἄνω καὶ κάτω τοῦ κρανείου: id est, sursum ac deorsum per Craneum. Fuit autem Craneum schola seu gymnasium, in quo Diogenes degebat, ante Corinthum, vt Laert. libro 6. scribit: ἐπὶ χάριν μὲν οὖν διάγων ἐν τῷ κρανείῳ, πρὸ τοῦ Κορίνθου γυμνασίῳ. κράνειον nomen scholæ fuit proprium Corinthi, & non appellatiuum, vt videtur accepisse Budæus. Eiusdem meminit Hesychius & Fauorinus.

VI.

Apud Strabonem lib. 11.

Legitur in vulgata versione: Phthirophagorum natio, cui nomen a sordibus ac fame datum est. His proximi sunt Soanes, nihilo meliores: robore autem meliores. nam vi ac potentia pene præstant, &c. In Græco: καὶ οἱ Φθειροφάγοι εἰσὶν ἀπὸ τοῦ ῥύπου, καὶ τοῦ πίνου λαβόντες τοὔνομα. πλησίον τε καὶ οἱ Σόανες (quæ vox in Græco deprauata, pro σόανες) οὐδὲν βελτίους τοῦ ῥύπου, τῇ δυνάμει δὲ βελτίους. Hos autem Eustathius in Dyonysium Suanes appellat, his verbis describens: ῥύπον δὲ ὑπερέχειν λέγονται οἱ Σοάνες ἄνδρες, οὐδὲν μὲν βελτίους τῶν Φθειροφάγων τῷ πίνῳ πλουτοῦντες δὲ τῷ χρυσῷ. Suanes tamen corruptum est, & legendum σόανες. vt apud Stephanum, qui Strabonem allegat. Et Plinius libro 6 capite 4. Suanos vocat. Sensus tamen est apud Strabonem: illuuie & sordibus nihil differentes ab illis, potentiores tamen, & ditiores. Quod autem in Strabone fame legitur, non est in Græco, sed conectius adiectum.

VII.

Calius lib. 21 cap 37.

Tradit: Nec illud prætereundum, nobilem pictura Protogenem, annis vix septem celebratam omnibus Ialysi imaginem absoluisse: quam vbi est contemplatus diu Apelles, primum quidẽ stupentem obmutuisse, inopina in admiratum excellentiam: mox vero intulisse, μέγας καὶ ὁ τεχνίτης γε μὴν τῆς χειρουργίας ἡ χάρις, ἣν ὁ ἀνὴρ εἰ τύχοι ὁ πόνος αὐτοῦ τοῦ οὐρανοῦ ψαύοι. id est (vt ipse Cælius translulit) Hic labor magnus, & ambitiosus artifex: quã si vir hic assequatur, tum vero cœlum cõtingeret. Sensus parũ integer propterea quod Græca mutilata: id quod attigi supra, capite Omissorum. Deest enim ἀπολείπεται. Locus autem apud Ælianum lib. duodecimo, habetur his verbis integrior: Πρωτογένους ὁ ζωγράφος,

τὸν ἰάλυσον φασὶν ἰδὼν ἴπσι Απελλῶν, γράφων ἐξετέλεσε. ὃν ἀπίδὼν ἰδὼν, τὸ μὲν πρῶτον ἵστη ἄφωνος. ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῇ παραδόξῳ θέᾳ· εἶτα ἀπιδὼν, ἔφη· καὶ ὁ πόνος μέγας, καὶ ὁ τεχνίτης. ἀπολείπεταί γε μὴν τῆς χειρουργίας ἡ χάρις, ἧς ὁ ἀνὴρ, εἰ τύχοι, ὁ πόνος αὐτοῦ οὐρανοῦ ψαύσει. Hoc est: Insignis labor, insignis artifex. deest tamen operi gratia: quam si vir ille assecutus, &c.

VIII.

Apud Nonnum, cap. 19.

ἠδὲ χιδὸν ἵσταται ἀνὴρ κοίρανος ὑμείων
βασιλήϊον εἷμα κομίζων.—

Versio Latina habet: Ecce cominus vir stat, rex vester, regiũ sanguinem ferens. Pro εἷμα, id est, vestem, αἷμα intellexit, id est, sanguinem, versor. Transferendum autem erat, regiam vestem, siue purpuram gestans.

IX.

Idem interpres paulo ante,

γάββαθα παφλάζοντι σύρων κυκλήσκετο μύθῳ. Id est, vt ipse versor: In solo resonanti, qui sermone Syrorum Gabatha vocabatur. Pro ἐνδαπίῳ, quod significat indigenam, vernaculum: hoc est, eius regionis: adiectiuum, & vna dictio: Hegendorphinus diuisam dictionem intellexit esse, ἐν δαπίδῳ videlicet: in quo lapsus est. Nam sensus est loci: Eius vero regionis lingua loquenti Gabatha appellabatur.

X.

Idem interpres Nonni cap. 12.

ἡμῖν ποῖον ὄνειαρ ἀέξεται: transtulit, Nobis quale somnium increscit? Pari diligentia. ὄναρ somnium quidem est: sed ὄνειαρ vtilitas transferendum, Quale emolumentum nobis prouenit? Et ita Euangelistæ verba volunt: θεωρεῖτε ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε, Videtis quod nihil proficitis.

XI.

Erasmus in prouerbio, Aut quinque, aut tres,

Allegans modum vini miscendi, ex Athenæi libro decimo. Hæc autem temperatura (scribit) maxime placuit antiquis, vt quinque vini cyathis duo aquæ adderentur, aut duobus vnus. Huius rei testem citat Ionem poetam, qui scripserit, vatem quendam Palamedi prædixisse, Græcos nauigaturos, qui tres cyathos ad vnum biberent. Omittitur autem quod in Græco est, οἱ δὲ ἐπιτεταμένως χρώμενοι τῷ ποτῷ, δύο οἴνου ἴπιον πρὸς πέντε ὕδατος. Id est: Qui largius seu meracius bibebant, illi duos vini ad quinque aquas. Ex quo loco Athenæi perspicuum fit illud quod præcessit (quinque cyathis vini duos aquæ, & duobus vnum

vnum aquæ mistum fuisse) inuertendum: videlicet. duobus vini cyathis quinque aquæ, & vni tres additos aquæ. Ceterum quod sequitur statim ibidem, Erasmus, νικοχάρης γάδι ἐν ἀμυμώνη, πῶς τοὔνομα παίζων ἔφη, οἰνόμαος οὗτος χαῖρε πέντε καὶ δύο, traduxit: Nicochares igitur in Amymone ad nomen alludens, inquit, Salue quinqne & duobus. Et cur non potius: Oenomaus iste gaudebat quinque & duobus: vel. Lætare Oenomae quinque & duobus. respiciens ad nomen. Oenomaus enim ab οἶνος καὶ μαί nomen sortitus videri potest, à vini amore & studio. Quare illud χαῖρε, gaudebat, oblectabatur potius, quam Salue transferendum.

XII.

Nonni interpres in cap. 15.

ἀλλ' ἐπεὶ ἀμπλακίης βροτείης οὐκ ἴστε γενέθλης

καὶ σκολιὰς κόσμοιο μελεδῶνας, vertit: Ceterum quandó peccati generis mortalis non conscii estis, & tortuosa membra, &c. μελεδῶνας, membra: quum fuerit transferendum, curas, studia, solicitudines: deceptus nominum cognatione, μέλη, quod membra: & μελεδὼν, cura, quod membra edant, & attenuent. Sicut cura, cor vrens.

XIII.

Idem Nonni interpres in cap. 12.

Μετῆϊε κῶμον ἑορτῆς. interpretatus est, Villam transiit: cum debebat, Accessit celebritatem festi, siue conuiuium.

XIV.

Idem in capite decimo septimo.

——οὓς δὲ ἀπὸ κόσμου

υἱεῖ σῷ παρέδωκας ἀφεγγέος ὄμμασι κόσμου:

Quos dedisti (reddidit) obscuro mundi aspectu filio tuo. Id autem nullo prope sensu. Vertendum erat: Sed quos dedisti e mundo, filio tuo, qui oculus est: id est, lux caliginosi mundi. Oculus enim prouerbialiter, pro lumine accipitur.

XV.

Strabonis interpretatio, lib. 16.

Male habet: Tiresias, cui dederat vita functo Proserpina mentem, Vt saperet, pariterque homines leuis vmbra iuuaret. Locus est ex Homeri Odyss. λ. Græca apud Strabonem sunt: καθάπερ καὶ ὁ τειρεσίας, τῷ καὶ τεθνηῶτι νόον πόρε περσεφόνεια οἴῳ πεπνῦσθαι· τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. Hoc est: Veluti & Tiresias, cui mortuo mentem dedit Proserpina soli sapere: vmbræ vero reliqui tanquam feruntur.

XVI.

Idem interpres Strabonis lib 10.

Homeri locum, qui Iliad. ω. est,

Σάμον, ἐς Ἴμβρον καὶ Λῆμνον ἀμιχθαλόεσσαν, vertit: In Samum, in Imbrum, & quæ planissima longis nucibus Lemnum. Interpretatio videtur esse sibi parum constans, & lubrica in voce ἀμιχθαλόεσσαν. Quasi legendum, ἀμυγδαλόεσσαν, ab amygdalis, vel χθαμαλόεσσαν, a χθαμαλὸς, quod planum & humile designat. Perperam tamen. Significat enim ἀμιχθαλόεσσαν, periculosum, ferum, & inaccessibile: ab α priuatiua, & μίγνυσθαι. Nam Eustath. ἧ ῥαδίως οὐ μίγνυται ἢ ἀπὸ τ θαλάσσης κατὸ ἀλίμενός ἐστι. ἢ διὰ τοὺς ἐν-οικοῦντας ἀγρίους καὶ θηριώδεις: Hoc est, cui non facile & tuto appropinquari potest. Aut a mari, quod sine portu est. Aut deniq; propter incolas feros & inhumanos. Vnde & Sinties dicti, a nocendo, παρὰ τὸ σίνειν. appellati etiam Lemnii.

XVII.

Euripides in Electra:

Μοσχίου τρίχα τεμών. Vbi versor, Vitulam trifariam discindens, inepte reddidit: ignarus alludi ad ritum iugulandi victimam. quod priusquam mactabat, pili in vertice ei euellebantur. Cuius ritus meminit Homerus Iliad. ζ. ἐκ κεφαλῆς τάμνε τρίχας. Id est, De capite pilos euellebat. Et Virgilius libro sexto & duodecimo, *Carpens media inter cornua setas.* Fuit autem id indicium victimæ deuotæ iam, & a profanis vsibus separatæ. Hinc ego puto solemne etiam esse sacerdotibus, & receptum hodie, in vertice tonsuram fieri. Polydorus tamen aliam caussam recitat, libr 4. cap 8. Vertendum igitur illud Euripidis μοσχίου τρίχα τεμών. vitulinum pilum euellens.

XVIII.

In prouerbio,

[illegible]cas tria ex curia: Erasmus tradit, antiquitus, qui iudicum sententiis fuissent condemnati, priusquam ad capitale supplicium ducerentur, iis ea facultas concedebatur, vt vinoque ciboque expleti, tria verba quædam, quæcunque lubitum esset, dicerent. Quæ simulatque dixissent, promulgata damnatione ducebantur ad supplicium. Hic pro eo, quod Erasmus promulgata damnatione scribit, videtur (ligati, seu constricti) reponendum. In Græco enim est apud Suidam & Fauorinum, φιμωθέντες. de quo lege Suidam ἐν τῷ, εἴπης τὰ τρία. Et rursus ἐν τῷ, τὰ τρία τὰ εἰς θάνατον. Apud Zenobium tamen legitur φημωθέντες: quam lectionem fortassis Erasmus secutus, transtulit, promulgata damnatione. etsi poterat consentanee magis, Muti abducebantur, vertere. nam φημόω obmutesco sonat. Eodem loco τάχιον, vt Suidas & Fauorinus habent, Erasmus septum transt[illegible]

quou

quasi legendum ἰρχεῖον quod septum significat. Sed ἀρχεῖον, prætorium, basilicam, & forum iudiciale significat: quod magis consentaneum sensui est.

XIX.

Interpres Nonni cap. 13.

σφίγξας σκληρὸν ὕφασμα τὸ ἐξ φάτο θύμβριες αὐδὴ λίνεον — Transtulit: Veste durum indumentum, quod lingua Thymbrorum linteum vocatur. Corrupta autem editio, & legendum ibi θυμβρείας. pro θύμβριες: id est Latina & Tyberina lingua. Nam θύμβρις (vt Dionysius ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων) Tyberis est: θυμβρείας vero, gentile nomen Thyberinus vt Stephanus auctor est, cuius verba: θύμβρις ποταμὸς ῥώμης ὃς καὶ τίβερις τὸ ἐθνικὸν, θύμβρειος καὶ θυμβρείας Id est: Romana, Latina. Vertas ergo: Constringens rude textum, quod appellat Romana lingua linteum.

CAPVT VIII.

Rituum.

I.

ATHenæus lib. 2. cap. 7. ἔθος ἦν ἐν τοῖς δείπνοις τῷ ἑστιάτορι κατακλιθέντι παραδίδοσθαι γραμματίδιόν τι περιέχον ἀναγραφὴν τῶν παρεσκευασμένων, ἐφ' ᾧ εἰδέναι, ὅ τι μέλλοι ὄψον φέρειν ὁ μάγειρος Mos fuit, conuiuatori schedulam quandam exhibere, quæ continebat eorum quę apparata erant, enumerationem, vt scirent quodnam obsonium coquus esset allaturus conuiuæ.

II.

Interpres Aristophanis in Nebulas,

Tradit fuisse morem, τοὺς ἁλόντας μοιχοὺς αἰκίζεσθαι, ῥαφανίδας καθιέντες εἰς τοὺς πρωκτοὺς τούτων· καὶ παρατίλλοντες αὐτοὺς τέφραν θερμὴν ἐπέπασσον βασάνους ἱκανὰς ἐργαζόμενοι. Hoc est: Deprehensis adulteris moris fuit, contumeliose raphanos in anum impingere: & euulsis pilis calidum cinerem inspergere ea parte in vulnera. Qua pœna qui afficiebantur, per ignominiam dicti sunt εὐρύπρωκτοι.

III.

Theocriti Scholiastis Idyll. 1.

εἰώθασι (inquit) παλαιοὶ τοῖς δούλοις ὀνόματα τιθέναι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, σύρον, καρίωνα, λάκωνα. Id est: Imponere nomina veteres consueuere a gente, vt Syrum, Carionem, Laconem, &c.

IV.

Interpres Aristophanis in Equitibus:

ἔθος ἦν ἀπομάττεσθαι τὸ λίπος, καὶ τοῖς κυσὶν ἀπορρίπτειν. Id est: Mos fuit, adipem finito conuiuio a manibus fucture abstergere, & canibus

obiicere. Vnde & prouerb. Tanquam canis viuens e magdalia. Pete Cælium eadem de re, lib. 28 cap. 1.

V.

Suidas ἐν τῷ,

τὰ τρία τῷ εἰς θάνατον· τοῖς κατακριθεῖσι τρία, φησὶ παρετίθει, ξίφος, βρόχον, καὶ κώνειον. Id est: Condemnatis tria obferebantur, Ensis, laqueus, & venenum.

VI.

Interpres Sophoclis in Electra,

Scribit, τοῖς μὲν παλαιοῖς ἔθος ἦν, ἀποτροπιαζομένους τῷ ἡλίῳ, διηγεῖσθαι τὰ ὀνείρατα. Hoc est: Auertere mala, seu expiare, soli somnia narrando, moris fuit.

VII.

Herodotus lib. 2.

Tradit, ἔθος εἶναι παρὰ αἰγυπτίοις τοὺς μὲν ὀφθαλμῶν ἰατροὺς κατεστᾶναι, τοὺς δὲ κεφαλῆς, τοὺς δὲ ὀδόντων, οἱ δὲ κατὰ νηδὺν, οἱ δὲ ἀφανέων νόσων. ἡ δὲ ἰατρικὴ οὕτως δέδασται ὡς μιῆς νόσου ἕκαστος, καὶ οὐ πλεόνων εἶναι. θρῆνοι δὲ, καὶ ταφαὶ σφέων εἰσὶ αἵδε τοῖσι αἱ ἀπογένηται ἐκ τῶν οἰκείων ἄνθρωπος, τοῦ ἂν καὶ λόγος ᾖ: τὸ θῆλυ γένος πᾶν τὸ ἐκ τῶν οἰκείων τούτων, κατ' ὦν ἐπλάσατο τὴν κεφαλὴν πηλῷ, καὶ τὸ πρόσωπον. κἄπειτα ἐν τοῖσι οἰκηίοισι λιποῦσαι τὸν νεκρὸν, αὐταὶ ἀνὰ τὴν πόλιν ἀναστρωφώμεναι, τύπτονται ἐπεζωσμέναι, καὶ φαίνουσαι τοὺς μαζοὺς, σὺν δέ σφι αἱ προσήκουσαι πᾶσαι. Hoc est: Apud Ægyptios mos fuit alios medicos habere oculorum, alios capitis, alios dentium, alios alui, alios morborum occultorum. Luctus autem & funera talia. In quacunque familia contingebat aliquem mori, modo alicuius æstimationis, in ea mulieres cunctæ, quæ familiares, caput & faciem oblitæ luto, per vrbem vagantes plangebant, relicto cadauere domi, recinctis & nudatis vberibus, &c.

VIII.

Interpres Æschyli, εἰς εὐμενί-
δας,

Scribit: ἔθος εἶναι τῶν ποιητῶν, ὅταν ἀσαφές τι εἴπωσιν, ἐπεκδιδάσκειν αὐτό. οἷον ὅμηρος· ἔκπεσε δίφρου κύμβαχος ἐν κονίῃσιν, ἐπὶ βρεχμόν τε καὶ ὤμους, δηθὰ μάλ' ἑστήκει. Locus Homeri Iliad. ε. Scolus autem: Familiare est poetis, quoties obscure aliquid dicunt, subiicere statim eius explicationem. vt Homerus: E curru præcipitatus Cymbachus, in puluere, in caput & humeros diu admodum stetit. Et talis figura ἐπεξήγησις appellata est. Dictus autem κύμβαχος is, qui in caput prouoluitur, surrectis cruribus, &c. vt Cælius, & alii Grammatici, lib. 3. cap. 23.

IX.

Euripidis Scholiastes in Ore-
sten:

εἰώθασι, φησὶ, οἱ βασιλεῖς εἰς πόλεμον μέλλοντες ἐξιέναι, θύειν τοῖς θεοῖς.

θεοῖς Id eſt: Reges profecturi in bellum, conſueuerunt ante ſacra facere. Vnde Euripides σφάγια πρὸ δορὸς, id eſt, ſacra ante bellum, vocat.

X.

Interpres Ariſtophanis,

ἔθος εἶναι, ſcribit, ἐν τῷ ἐπιῤῥήματι χρηστὰ συμβουλεύειν τῇ πόλει, ἢ ἐλέγχειν τοὺς πονηρευομένους. Hoc eſt: Comicis morem eſſe, in epirrhemate, id eſt, acclamatione, ſalubria vel reipublicæ conſulere, vel ſceleratos exagitare & inſectari.

XI.

Stephanus ἐν τῷ παλικῇ,

Iurandi ritum talem tradit: ἔστι δὲ ὅρκος ἅγιος αὐτόθι. ὅσα γὰρ ὀμνύει τις, εἰς πινάκιον γράψας, βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ. καὶ μὲν οὖν εὐορκῇ, ἐπιπολάζει· ἐὰν δὲ μὴ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δ' ἐμπίπρεται. Id eſt: Iuramentum ſanctum ibi eſt. Quæcunque iurat aliquis, ea ſchedulæ inſcripta abiicit in aquam: in qua ſi ſupernatat, pro legitime iurato habetur: ſin minus, ſed ſidit, tunc ipſe vritur.

XII.

Interpres Apollonii,

Refert, morem fuiſſe τοῖς κατοιχομένοις, ὡς περὶ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζειν· τοῖς δὲ οὐρανίοις, ὑπὸ τὴν ἐπ' ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου. Id eſt: Immolandi inferis, ſub occaſum ſolis: ſuperis vero, ſub ortum ſolis. Atq; illa ἔντομα dicta, hæc ἱερεῖα.

XIII.

Callimachi interpres

In hymnum, qui λουτρὰ παλλάδος inſcribitur: ἔθος εἶναι φησὶ, ἐν ῥητῇ ἡμέρᾳ ὡρισμένῃ τὰς ἀργείας γυναῖκας λαμβάνειν τὸ ἄγαλμα τῆς ἀθηνᾶς, καὶ τὸ διομήδους, καὶ ἄγειν ἐπὶ τὸν ἴναχον, κἀκεῖ ἀπολούειν. Hoc eſt: Certo quodam & ſtatuto die Argiuæ mulieres ſimulacrum Mineruæ accipere, ferreque ad Inachum fluuium, ibique lauare conſueuerunt.

XIV.

Scholiaſtes Apollonii

Recitat & hunc ritum: τοῖς ἐπιχωρίοις θεοῖς τοὺς ἐπιδημοῦντας ἐν τῇ ἀλλοδαπῇ θύειν ἔθος, καὶ ἀλέξανδρον ποιῆσαι τὸ μακεδόνα ἐν ἰλίῳ. Hoc eſt: Diis indigetibus in terra peregrina conſuetudo fuit, iis qui peregrinabantur, ſacra facere. Idemq; ab Alexandro Macedone, apud Ilium, factitatum.

XV.

Theocriti Scholiaſtes,

Adnotat talem ritum: τοῖς ἔρωτι συνεχομένοις τὴν σελήνην μεταχαλεῖσθαι συνηθὲς, ὡς καὶ εὐριπίδης ποιεῖ φαίδραν παραπλησίως ἐν τῷ καλουμένῳ ἱππολύτῳ. Additque cauſſam hanc: ἐπειδὴ σιγηλή ἐστιν ἡ νύξ· δεῖ δὲ τοῖς κλεπτομένοις ἔρωσι, σιγῆς καὶ νυκτός. Μένανδρος: ὦ νύξ,

σοὶ γὰρ δεῖ πλεῖστον ἀφροδίτης. Hoc est: Amore detentis lunam inuocare consuetum fuit. quemadmodum Euripides Phædram fingit agere, in fabula quæ inscripta est Hippolytus. Nam tacita nox est: & opus est amantibus occultis taciturnitate & nocte. Vnde Menander: O nox, tibi enim opus est plurimum Venere.

XVI.

Zenobius in prouerb.

Ἔφυγον κακὸν, tradit: ἐν τοῖς γάμοις ἔθος ἦν ἀμφιθαλῆ παῖδα ἀκάνθαις μετὰ δρυΐνων καρπῶν στέφεσθαι καὶ λίκνον ἄρτων πλῆρες περιφέρειν, λέγειν· ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. Hoc est: In nuptiis fuit receptum, vt puer aliquis puber circum ferret, coronatus spinis & quernis glandibus, sportulam repletam panibus, diceretque: Effugi malum, inueni melius.

XVII.

Scholiastes Lycophronis:

ἔθος ἦν τοὺς ἀλλαχοῦ τῆς πατρίδος τεθνηκότας καίειν, καὶ τὴν τέφραν αὐτῶν ἐν κρωσσοῖς καὶ λάρναξι, καὶ ἀμφιφορεῦσιν εἰς τὴν πατρίδα κομίζειν. ὅπερ ἐγένετο ἐν τῇ ψ τῆς ἰλιάδος, ἐπὶ πατρόκλῳ καὶ ἀχιλλεῖ. Id est: Moris fuit, alibi quam in patria mortuos comburere, & cinerem ipsorũ in vrnis, vasis, amphorisq; in patriam referre. Quod accidit Iliados ψ. cum Patroclo & Achille.

XVIII.

Interpres Sophoclis in Antigonem,

Scribit: εἰώθασι ὀμνύοντες, καὶ πίστεις διδόντες, μύδρους βαστάζειν, καὶ πῦρ ὑπερβαίνειν. Huius Cælius etiam moris mentionem facit libr. 21. cap. 5. Das heiß eisen tragen/ &c.

XIX.

Vlpianus Demosthenis interpres,

Ait morem fuisse olim, σανίδας εἶναι ἐγγεγράφθαι τὸ πρᾶγμα ἐχούσας περὶ οὗ ἡ σκέψις, καὶ περὶ οὗ συνεληλύθασιν καὶ περιτίθεσθαι τῆς ἐκκλησίας ἵνα γνῶσι πάντες περὶ τίνος ἐστὶν ἐκκλησία. Nostri homines hodie vocant formare articulum, parum tamen Latine. Hoc est: Tabellas seu schedulas circumferri curabant, in quibus caussa, propter quam conueniendum, descripta erat: ne quem lateret quidquam eorum, cuius gratia conuocabatur. Eustathius eiusdem mentionem facit Odyss. θ.

XX.

In Tragœdiis.

Non concedebatur introducere ea, quæ non fas erat intueri, quæque terrebant ab aspectu: sed per nuntios, si quid tale erat, exhibebatur & nuntiabatur. Vt in Phœnissis, in Medea, Hippolyto, Iphigenia, aliisque apud Euripidem & Sophoclem videre est, factum. In Aiace tamen diuersum accidit, vbi Aiax suam ipsius calami-

calamitatem exponit. Quo loco interpres ita scribit: μετάκειται ἡ σκηνὴ ἐπὶ ἐρήμου τινὸς χωρίου ἔνθα ὁ αἴας εὐτρεπίσας τὸ ξίφος, ῥῆσιν τινὰ πρὸ τοῦ θανάτου προφέρεται. ἐπεὶ γελοῖον ἦν, κωφὸν πρόσωπον εἰσελθόντα περιπεσεῖν τῷ ξίφει: ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα παρὰ τοῖς παλαιοῖς σπάνια. εἰώθασι γὰρ τὰ πεπραγμένα δι' ἀγγέλων ἀπαγγέλλειν. τί οὖν τὸ αἴτιον φθάνει. αἴσχυλος ἐν θρῄσσαις τὴν ἀναίρεσιν αἴαντος δι' ἀγγέλου ἀπαγγείλας, ἴσως οὖν καινοτομεῖν βουλόμενος καὶ μὴ κατακολουθεῖν τοῖς ἑτέροις, ὑπ' ὄψιν ἔθηκε τὸ δρώμενον· ἢ μᾶλλον ἐκπλῆξαι βουλόμενος. εἰκῇ γὰρ κατηγοροῦσιν ἀνδρὸς παλαιοῦ οὐχ ὅσιοι. Hæc interpres Sophoclis.

XXI.

Interpres Aristophanis in Equitibus,

Apud Athenienses morem fuisse docet, quosdam viles & contemtos alere publice, quos immolare possent tempore pestilitatis aut famis, pro republica: illisque tanquam publicis victimis expiarent, placarentque Superos. Atque hos appellarunt φαρμάκους καὶ καθάρματα. Eadem Cælius refert libro sexto, capite duodecimo.

CAPVT IX.

Allegatorum, non expresso nomine Auctoris.

I.

LActantius libro quarto, capite decimo, inter cetera sic scribit: Traiecit populum medio mari rubro, præcedente angelo, scindente aquam, vt populus per siccum gradi posset: quem verius, vt inquit Poeta,

Curuata in montis faciem circumstetit vnda.

Locus ex quarto Virgilii Georgicorum. Sed Maro tamen ex 11. Odyssea transtulit Homeri carmen: cuius admonere hic volui. Ita Homerus habet:

—κῦμα περιστάθη οὔρεϊ ἶσον,
κυρτωθὲν ἄρα πορφύρεον.—

II.

Apud Ouidium lib. 6. Metamorph.

Iocaste loquitur:

—Non omnia grandior ætas,
Quæ fugiamus, habet: seris venit vsus ab annis.

Hoc a poeta sumtum ex Phœnissis Euripideis, vbi eadem loquitur Iocaste:

ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ,
πρόσεστιν, ἀλλ' ἡ 'μπειρία ἔχει
τι λέξαι σοφώτερον τῶν νέων.

III.

Quintilianus lib. 5. cap. 10.

De caussis non ab vltimo petendis. Medæa loquitur: Vtinam

ne in nemore Pelio vnquam cæsa abies fuisset. Ex principio Medeæ est Euripidis: αἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς &c. μηδ' ἐν νάπαισι πηλίου πεσεῖν ποτὲ, τμηθεῖσα πεύκη, μηδ' ἐρετμῶσαι χέρας ἀνδρῶν ἀρίστων.

IV.

Lucianus in Dialogo ἐπισκοποῦντες:

οὐδὲ γιγαντώδης ὅμηρος, ἀπὸ δυοῖν στίχοιν αὐτίκα ἡμῖν ἀμβατὸν ἐποίησε τὸν οὐρανὸν, οὕτως ῥαδίως συνθεὶς τὰ ὄρη. Locus, ad quem allusum, Iliad. λ. est: ὄσσαν ἀπ' ὀλύμπου μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' ὄσσῃ πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἄμβατος εἴη.

V.

In eodem Dialogo:

ὡς ὁ ποσειδῶν συνήγαγε τὰς θυέλλας, ὀρόθυνε δὲ ἄλλα πολλὰ κυκῶν τὴν θάλασσαν. Ex Odyss. ε est locus.

VI.

Suetonius in Augusto:

αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμμεν, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι. Ex Iliad. locus γ.

VII.

Quintilianus lib 12. cap. 10.

Quid Periclea, similem ne credimus Lysiaci gracilitati? Quem fulminibus & cœlesti fragori comparant Comici, dum illi conuiciantur. Aristophanem innuit in Acharnensibus, vbi scribitur:

—ἐντεῦθεν ὀργῇ περικλέης
οὐλύμπιος ἤστραπτεν, ἐβρόντα,
ξυνεκύκα τὴν ἑλλάδα. id est: Ira Pericles Olympius fulgurabat, tonabat, perturbabat Græciam.

VIII.

Demosthenes in oratione περὶ στεφάνου:

ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας. Principium est Hecubæ Euripidis: senarius iambicus acatalecticus.

IX.

In Equitibus Aristophanis,

Interpres occulte allegat, ὅτε δ' ὤρετο μητίετα ζεύς. Homeri carmen ex Iliad. μ.

X.

Idem interpres in eadem fabula:

ὄλεθρον ἀπεσθίει θῆκε κρονίων. Ex Homeri Odyss. γ. est carmen.

XI.

Idem Scholiastes in eadem comœdias

πεύθετο γὰρ κύπρονδε μέγα κλέος. Iliad. λ.

XII.

Idem in Equitibus:

αἰχεῖ

αἰσχρὸν γὰρ τόδε γ' ἐστὶ καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Ex Iliad. β. Homeri.

XIII.

Lucianus in Dialogo ἐπισκοποῦντες:

Παρεῖναι δὲ εἰς ἑτέρην οἷον εἰς τρίτην, μηδ' ἀναβάλλεσθαι ἔς τ' αὔριον ἔς τ' ἔνηφι. Carmen ex α. Hesiodi.

XIV.

Aristoteles, ἐν τῇ εἰσαγωγῇ πορφυρίου,

τὸ δ' εἰρήσεται πρῶτον εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Ex Euripide est, vt Athenaeus lib. 13. & Stobaeus annotant.

XV.

Plutarchus in Opusculo, Nobiliores ne Athenienses bellicis rebus, an sapientia?

ὅλοι μὲν ποιηταὶ (φησὶ) λέγοντες καὶ ᾄδοντες, εὐφημεῖν χρὴ κἀξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι, &c. ex Aristophanicis Ranis locus est.

XVI.

Stephanus ἐν τῷ παιανίζωτε:

ἐς λέλιγας καὶ τρίας ἐν χερσὶν. Homeri Iliados υ est.

XVII.

Dionysius lib. 4.

καὶ γὰρ ἐὰν πάλλα τις ἀδικεῖν ὀκνῇ, βασιλείας γε χάριν ἅπαντα τολμᾷ. Allusum est eo ad illud in Phoeniss. Euripidis: εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι κάλλιστον ἀδικεῖν. Quod Cicer. vertit: Si violandum ius, regnandi gratia, ceteris pietatem colas. Tyrannica vox, nec digna rege.

XVIII.

Interpres Apollonii lib. 2.

Πρῶτον ὀμνύναι τοὺς θεούς, εἶτα ἐπάγειν καὶ τὰς ἰδίας συμφοράς, ἔθος ἀρχαῖον ἦν. οὐ μὰ Ζῆν' Ἀγέλαε, καὶ ἄλγεα πατρὸς ἐμοῖο. Id est: Iurare per deos, mox proprias calamitates subiicere, moris erat antiquitus. non per Iouem Agelae, & dolores patris. Locus Homeri Odyss. υ.

XIX.

Ibidem Apollonii interpres:

Μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας, καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους Ex oratione Demosthenis περὶ στεφάνου.

XX.

Apollonii interpres lib. 1.

ὅμοιον τὸ χεῖμα, μελάντερον ἠΰτε πίσσα. Ex iliad. δ. est carmen Homeri.

XXI.

Eodem libro interpres:

ὡς τὸ, ἐν δ' ἄγγελοι ἀμφοτέροις δὲ. Ex Iliad. γ. est locus Homeri.

XXII.

Eodem libro:

ὡς περὶ τοῦ ποιητοῦ λέγοντες: ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε. Iliad, η. est Homeri.

XXIII.

Eodem libro:

Παρὰ τὸ πάντων μὲν κόρος ἐστὶ καί. Ex Homeri Iliad. ν. est citatum carmen.

XXIV.

Ibidem Scholiastes Apollonii:

οὐ δὴ πῃ ζωγρὸς ἐσυλησε. Ex α. Odyss. Homeri est.

XXV.

Idem lib. 1. interpres:

ὡς τὸ, ἐν νεφέλῃ πεῖμαι ἢ πόσει. Odyss. κ. Homerus.

XXVI.

Idem libro secundo,

ὀρίχθεον ἀμφὶ σιδήρῳ. Ex Iliad. ψ. Carmen est Homeri.

XXVII.

Idem libro 6.

ὅσσα τε καὶ σιδήρεος ὀρυμαγδὸν ὀρώρει. Ex Iliados Homeri ρ. est.

XXVIII.

Idem lib 2. interpres:

οὐκ ἄρα σοίγε ἐπὶ εἴδει καὶ φρένες ἦσαν. Odyss. Homeri ρ. est.

XXIX.

Lucianus ἐν νεκυομαντείᾳ:

χρειώ με κατήγαγεν εἰς Ἀΐδαο ψυχῇ χρησόμενον Θηβαίου Τειρεσίαο. Odyss. λ. est Homericum.

XXX.

Et aliquanto post apud Lucianum:

βαίνομεν ἀχνύμενοι κατὰ δάκρυ χέοντες. Odyss. λ. est.

XXXI.

Suetonius in Vespasiano:

μακρὰ βιβὰς κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος. Homerus Iliad. η. est.

XXXII.

Lucianus in Gallo:

ἱκανῶς Εὐριπίδης ἀπέδειξε τὸ τοιοῦτον εἰπὼν, ὡς τρὶς ἂν θέλοιμι παρ' ἀσπίδα στῆναι, ἢ ἅπαξ τεκεῖν. Locus ex Medea Euripidis est.

XXXIII.

Apollonii interpres lib. 3.

ἀφεστήξει ἡ σύνθεσις, ὡς ἐν τῷ ἐπιβήτορα ἀνήρ. Homeri locus Iliad. ν.

XXXIV.

Idem lib. γ. Apollonii.

βρῖ ἐπιτάσεως ἐστὶ, ὡς τὸ, βριθὺ μέγα ὄβριμον ἀνήρ. Iliad. ν. Homerus.

XXXV.

Suetonius

Suetonius in Claudio:

αὐδὴ ἀπομυθήσασθ' ὅτι τις σέθεν ἐστὶ χαλεπός. Odyss. π. & φ. est.

XXXVI.

Aristophanis interpres in Ranis:

τίχνας τῶ ἐλέγχων εἶσι τὺς δούλους. Additque immediate, ἀμφὶ δὲ δεσμοὶ τεχνήεντες ἔχοντο. Qui locus Homeri est Odyss. θ. Eo loco corrupte legitur apud Aristophanem δούλων, pro δούλους, &c.

CAPVT VLTIMVM.

Erratorum.

I.

STrabo libro octauo scribit. Homerum ignorasse Ornæas, Argiuorum vicum. Eius verba sunt: Ὅμηρος δὲ αὐτὰς κεγχρέας οὐκ οἶδεν, οὐδὲ τὸ λυκούργιον, οὐδὲ ὀρνεάς: κώμη δὲ ἐστι τῆς ἀργείας. Id est: Homerus ipsas Cenchreas ignorauit, neque Lycurgion, neque Ornæas. Homerus tamen Iliad. β. ὀρνειάς ἐνέμοντο, ἀραιθυρέην τε. Quo loco Eustathius: ὀρνειαί, φησί, ἢ δίχα τοῦ ι ὀρνεαί, κώμη ἐν ἀργείας, κατὰ τὸν γεώγραφον. id est: Orneiæ, vel absq. diphthongo, Orneæ, vicus Argiuus, iuxta Geographum.

II.

Suidas ἐν τῷ δείναρχος:

Δείναρχος κορίνθιος ῥήτωρ, τῶν μετὰ δημοσθένους ἐγκριθέντων ὤν, οὗ ὁ πατὴρ οὐχ ἱστόρηται, γράψας κατά τινας λόγους τοὺς ἅπαντας ρξ, κατὰ δὲ τὸ ἀληθέστερον μόνους ξ. Hoc est: Cuius nam filius Dinarchus rhetor, non scribitur. Plutarchus tamen in Rhetoribus 10. Sostratum eius patrem fuisse tradit, vel, vt alii, Socratem. Δείναρχος (inquit) σωκράτους, ἢ σωστράτου, ὡς μέν τινες, ἐγχώριος, ὡς δὲ τινὲς κορίνθιος, ἀφικόμενος εἰς ἀθήνας ἔτι νέος. Hæc Plutarchus.

III.

Cicero in prima Tusculana:

Si igitur aliquis (scribit) qui nihil mali habeat, nullum a fortuna vulnus acceperit. Metellus ille honoratus quatuor filiis, & quinquaginta Priamus, e quibus decem & septem ex iusta vxore nati. Homerus recenset vndeviginti, ex legitima vxore, Iliad. ω, vbi ita loquitur Priamus:

πεντήκοντά μοι ἦσαν, ὅτ' ἤλυθον υἷες ἀχαιῶν,
ἐννεακαίδεκα μέν μοι ἰῆς ἐκ νηδύος ἦσαν, &c.

Hoc est: Quinquaginta mihi erant, quando aduenere Græci: vndeviginti vero ex vno vtero suscepti, &c.

IV.

Fulgentius lib. 2. fabula 12.

Glaucum filium refert Antedonis: in quo lapsus est nam Copei filium, & patria Antedonium fuisse, Homerus Iliad. ϛ. tradit.

Et Eustathius:

——αὐτηδὼν αὐτίον διοσίης,

Ἴθεν ἐγὼ γένος εἰμί, πατὴρ δέ με γείνατο κυπελλε.

Idem hoc, in Capite quarto annotatum est.

V.

In prouerb. Aut bibe quinque, aut non tres:

Similis lapsus deprehenditur, vbi ita legitur: Atque in hanc iocatur Ariston, quemadmodum in musica hemiolii proportio symphoniam reddit diapente: dupla symphoniam efficit, quæ dicitur Diatessaron.

Pro διατεσσάρων (nam erratum in eo) Plutarchus διαπασῶν, & bene habet libro tertio Symposiacorum, vnde locus est ab Erasmo desumtus. Verba Plutarchi: καθάπερ οἱ περὶ λόγους κανονικοὶ τῶν λόγων φασὶν, τὸν μὲν ἡμιόλιον τὴν διὰ πέντε συμφωνίαν παρέχειν, τὸν δὲ διπλάσιον τὴν διὰ πασῶν, τὴν δὲ διὰ τεσσάρων ἀμυδροτάτην οὖσαν, ἐν ἐπιτρίτῳ συνίστασθαι. Eodem loco legitur, Ne quis temere Plauti verba commutet: pro Plutarchi, incuria librarii puto.

VI.

In Nonni cap. 12.

Esaias per errorem, pro Zacharia ponitur:

ἠσαΐας τὸ πάροιθεν εἶπεν, ὅπως πληρούμενον εἴη:

μητέρος ὑψιλόφου θύγατερ μὴ δειδίθι Σιὼν,

ἤδη ποικιλόδωρος ἄναξ τεὸς ἐν σοὶ παρήει.

Zachariæ nono est locus, & non apud Esaiam vspiam, etsi citatus est a Nonno.

Ac tantum de locis, qui quidem ad manum in præsentia fuere, & quos adnotandos iudicaui. Historiam iam, qua de supra secundo Capite mentionem feci, me adiecturum esse calci horum Locorum. Ex Plutarcho, περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, id est, de cessione oraculorum, seu interitu: quia ille nondum Latine factus est libellus. Et Eusebius de præparatione Euangel. ca lib. 5. cap 9. eius historiæ meminit, est quod Lector hic habeat, & eius meditatione se oblectet.

Περὶ δὲ θανάτου τῶν δαιμόνων, ἀκήκοα λόγον ἀνδρὸς οὐκ ἄφρονος, οὐδ' ἀλάζονος, αἰμιλιανοῦ γὰρ τοῦ ῥήτορος, οὗ καὶ ὑμῶν ἔνιοι διακηκόασιν: ἐπιθέρσης ἦν πατὴρ, ἐμὸς πολίτης, καὶ διδάσκαλος γραμματικῶν: οὗτος, ἔφη, ποτὲ πλέων εἰς ἰταλίαν, ἐπιβῆναι νεὼς, ἐμπορικὰ χρήματα καὶ συχνοὺς ἐπιβάτας ἀγούσης: ἑσπέρας δ' ἤδη περὶ τὰς ἐχινάδας νήσους ἀποσβῆναι τὸ πνεῦμα, καὶ τὴν ναῦν διαφερομένην πλησίον γενέσθαι παξῶν: ἐγρηγορέναι δὲ τοὺς πλείστους, πολλοὺς δὲ καὶ πίνειν ἔτι δεδειπνηκότας; ἐξαίφνης δὲ φωνὴν ἀπὸ τῆς νήσου τῶν παξῶν ἀκουσθῆναι, θαμοῦν τινα βοῇ καλοῦντος: ὥστε θαυμάζειν. ὁ δὲ θαμοῦς αἰγύπτιος ἦν, κυβερνήτης, οὐδὲ τοῖς ἐμπλεόντων γνώριμος πολλοῖς ἀπ' ὀνόματος. δὶς μὲν οὖν κληθέντα, σιω-

σιω

ναι. τὸ δὲ τρίτον, ὑπακοῦσαι τῷ καλοῦντι· κἀκεῖνον ἐπιτείναντα τὴν φωνὴν, εἰπεῖν· ὅτε γένῃ κατὰ τὸ παλῶδες, ἀπάγγειλον, ὅτι πὰν ὁ μέγας τέθνηκε. τοῦτ' ἀκούσαντας, ὁ Ἐπιθέρσης ἔφη, πάντας ἐκπλαγῆναι, καὶ διδόντας ἑαυτοῖς λόγον, εἴτε ποιῆσαι βέλτιον εἴη τὸ προστεταγμένον, εἴτε μὴ πολυπραγμονεῖν, ἀλλ' ἐᾶν οὕτως· γνῶναι τὸν Θαμοῦν, εἰ μὲν εἴη πνεῦμα, παραπλεῖν ἡσυχίαν ἔχοντα. νηνεμίας δὲ καὶ γαλήνης περὶ τὸν τόπον γενομένης, ἀνειπεῖν ὃ ἤκουσεν. ὡς οὖν ἐγένετο κατὰ τὸ παλῶδες, οὔτε πνεύματος ὄντος, οὔτε κλύδωνος, ἐκ πρύμνης βλέποντα τὸν Θαμοῦν πρὸς τὴν γῆν, εἰπεῖν, ὥσπερ ἤκουσεν, ὅτι ὁ μέγας πὰν τέθνηκεν. οὐ φθῆναι δὲ παυσάμενον αὐτὸν καὶ γενέσθαι μέγαν οὐχ ἑνὸς, ἀλλὰ πολλῶν στεναγμὸν, ἅμα θαυμασμῷ μεμιγμένον. οἷα δὲ πολλῶν ἀνθρώπων παρόντων ταχὺ γὰρ λόγον ἐν ῥώμῃ σκεδασθῆναι, καὶ τὸν Θαμοῦν γενέσθαι μετάπεμπτον ὑπὸ Τιβερίου καίσαρος. οὕτω δὲ πιστεῦσαι τῷ λόγῳ τὸν Τιβέριον, ὥστε διαπυνθάνεσθαι καὶ ζητεῖν περὶ τοῦ πανός. εἰκάζειν δὲ τοὺς περὶ αὐτὸν φιλολόγους, οὐκ ὀλίγους ὄντας, τὸν ἐξ Ἑρμοῦ καὶ Πηνελόπης γεγενημένον. Hæc Plutarchi: quæ Eusebius Latine fecit. De morte vero dæmonum, audiui ego ab Æmilia-no Rhetore viro prudente simul atque modesto, quem credo multos vestrûm cognouisse: quod quum in Italiam pater suus nauigaret, circa insulas quas Echinadas appellant, flatu ventorum deficiente, noctu prope Paxas deuenisse. Quumque omnes pene, qui simul nauigabant, attentiores vigilarent, repente a Paxis insula vocem magnam auditam fuisse, qua Thrannus quidam vocabatur. quæ vox nouitate rei omnes magno perculit miraculo. Thrannus enim ille, qui vocabatur, homo erat Ægyptius, eius ipsius nauis gubernator q bis vocatus nihil respōdet. 3. vero vocatus, morē gessit vocanti atq; respōdit. illū vero multo maiore voce sic exclamasse: Quādo iuxta paludē fueris, annūtia tunc, Pana magnū mortuū esse. Qua re audita, magno, dicebat Epitherses (sic enim Æmiliani pater appellabatur) omnes terrore percussos fuisse. Cumque dubitarent, vtrum obtemperandum esset illi voci, an non? hoc Thranni gubernatoris consilium ab omnibus comprobatum fuisse: Si secundi quidem spirarent venti, nihil esse dicendum: sin vero tranquillitas maris esset, & ventorum flatus, quum in eo loco essent, omnino deficerent, non esse retinenda quæ audiuere. Quum igitur iuxta paludem essent, quia nullus erat flatus ventorum: tunc Thrannum in mare prospexisse pronum, ac magna voce dixisse quæ audiuit, Magnus Pan mortuus est. Qua re nuntiata, magnus multorum gemitus, imo vero mirabilium miraculo quodam commixtus, subito auditus fuerat. Et quoniam multi erant qui ea in naue nauigabant, cito ac facile quum Romam venissent huiusmodi rei rumores vniuersam vrbem repleuerunt: & a Tyberio Cæsare, qui tunc gubernacula Reipublicæ gerebat, Thrannum accersitum fuisse. Cui rei tantam fidem Tyberius præbuit, vt philosophis, qui tunc Romæ reperti, accitis, diligenter, quis nam esset ille

Pan, accuratius scrutaretur. Omnes autem illos, quibusdam in sedem conuenisse coniecturis, ac dixisse: de illo sibi uideri annunciatum fuisse, qui a Mercurio & Penelope natus fuit. Hæc Eusebius Pamphylus libro quinto, capite nono, de Præparatione Euangelica.

Meminit eiusdem rei Crinitus libro decimoquarto, capite tertio. Et cessionis oraculorum Nicephorus libro primo, capite decimoseptimo: & Cicero de Diuinatione.

DECVRIAE SECVNDAE IOANnis Hartungi Finis.

DECVRIÆ TERTIÆ LOCORVM MEMORABILIVM ex Optimis quibusque auctoribus excerptorum,

CAPVT I.

Diuersarum Lectionum.

I.

HOmeri exemplaria omnia, cuiuscunque editionis, conueniunt in illo, quod Odyss. o. habetur:

ὃν περὶ κῆρι φιλεῖ ζεὺς αἰγίοχος καὶ ἀπόλλων,
παντοίην φιλότητ᾽ οὐδ᾽ ἵκετο γήραος οὐδόν.

Platonis exemplar in Axiocho, pro παντοίην φιλότητα, παντοίῃ φιλότητι habet: quæ lectio sensui magis congruit.

II.

Gregor. Nazianzenus in epistola ad Basilium: ἐπειδὴ φέρε μιμή- ως τὴν μυθίαν, καὶ τὰ ἑξῆς περὶ τοῦ ἡσύχου, ἐξ ὁμήρου δὲ τὸ προοίμιον, ἀλλ᾽ ἄγε δή μοι μετάβηθι, καὶ τὸν ἔσω κόσμον ἄεισον. Pro τὸν ἔσω κόσμον, apud Homerum est Odyss. θ μετάβηθι καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον. Sed ille accommodauit suo instituto, &c.

III.

Apud Scholiasten Euripidis in Hippolyto legitur: ὅτι ὁ γαμή- [illegible] ἀθάνατον, ὅτι κιθαριστής [illegible], καὶ ὁμηρ[illegible] [illegible] ἀκίχητος [illegible]. Locus Odyss. λ. ubi pro [illegible] legitur. Reperitur tamen utrumque: ut testatur Racinocum Lexicon, & Eustathius.

IV.

In Homeri antigraphis vulgatis Odyss. ρ. consentanea est lectio:

ἐρίπο-

ξύμμαχοι δὲ μάλιστα, καὶ Ἀντίνοον βασιλῆα
λίσσομαι.——

Quo loco Antinoum, sceleratissimum nebulonem, regis appellatione Poeta dignatur, non laudandi, sed vituperandi potius gratia. Veluti etiam ipsum Echetum, immanem tyrannum, paulo post eodem nomine describit:

εἰς Ἔχετον βασιλῆα βροτῶν δηλήμονα πάντων
πέμψομεν.——

Vocabulum βασιλεὺς ibi non honoris, sed contumeliæ est: vt Eustathius exponit. & Cœlius lib 22. cap. 32. Editio vero Romana, & Eustathius, pro βασιλῆα, θεοειδῆ habent: hoc est, nobilem. εἰρωνικῶς, vt opinor.

V.

Apud Homerum Odyss. υ. ἆ δειλοί, τί κακὸν τὸ δὲ πάσχετε; Apud Platonem in Ione, idem locus est: abũdante tamen voce quadam, quam carmen respuit: ἆ δειλοὶ δαιμόνιοι, τί κακὸν τόδε πάσχετε.

VI.

Ibidem apud Platonẽ legitur: κεφαλαί τε πρόσωπά τε νέρθε τε γυῖα. Pro quo Homerus, κεφαλαί τε πρόσωπά τε νέρθε τε γοῦνα. Vbi Platonis arridet magis, quam Homeri: quod Eustathius eandem lectionem videatur approbare, interpretans ἐκ κεφαλῆς εἰς πόδας.

VII.

Quintilianus lib. 9. cap 3 carmen ex Epithalamio Catulli citat: vbi tamen non habetur apud Catullum, sed in Nuptiali carmine, quod separatum est:

Dum innupta manet, dum cara suis est.

Pro, innupta: Catulli exemplaria habent, Intacta. Cetera respondent. Huius loci memini in prima Decuria, Cap. 10 Allegatorum non occurrentium. Neque enim in Epithalamio reperitur, prout allegatur: sed Nuptiali carmine Catulli, quod est diuersum ab Epithalamio.

VIII.

Apud Homerum Odyss. π. τοὶδ' αὖτ' ἐν κλισίῃς Ὀδυσσεὺς καὶ θεῖος ὑφορβὸς. Locus in Athenæi primo libro est integer: nisi quod pro θεῖος, δῖος habetur.

IX.

Romana editio Homeri, & Eustathius ipse interpres Odyss. ξ. καί μοι μάλα τύγχανε πολλὰ legunt. Reliquæ editiones omnes pro πολλὰ, habent πάντα. Prior videtur sanior esse.

X.

In Odyss. ν. ad calcem carmen est, ῥωγαλέα ῥυπόωντα κακῷ μεμορυγμένα καπνῷ. Hoc carmen in Græcis Epistolis allegatum exstat: sed pro ῥωγαλέα, λευγαλέα suppositum est. In epistola Diogenis ad patrem.

XI.

Apud eundem Poetam Odyss. ξ. πυκνὴν καὶ μαλακὴν χλαῖναν βάλλεν. Apud Eustathium, & in Romano exemplari, μεγάλην, pro μαλακὴν legitur: quæ verior videtur lectio, quod Eustathius exponat Magnum, vt totum queat operire: πυκνὴ μὲν ἔστι διὰ τὸ ψῦχος, μεγάλη δὲ ἵνα σκεπάσῃ τὸν ὅλον Εὔμαιον.

XII.

Suidas ἐν τῷ κωνόστεγγος, inter alia scribit: δίδυμος ὁ ἄθωνος ... ἐν τῇ ἰσίᾳ. Eadem apud Stephanum sunt, & Hesychium: nisi quod pro Δίδυμος, habent δίυμος. vnde deprauatam esse oportet alteram illarum lectionum.

XIII.

Apud Homerum Odyss. ς. vulgaria exemplaria excusa, ἔδωκεν in versu,

ἄλλο δ' ἄρ' ἄλλος δῶρον ἀχαιῶν καλὸν ἔδωκεν.

Romanum exemplar (quod sequendum est omnibus modis) ἔνεικεν habet. Quo loco Eustathius ita scribit: φιλὴ δὲ τῷ ποιητῇ λέξις τὸ ἔνεικε, διὸ πεντάκις αὐτῇ ἐν τούτῳ ἐχρήσατο.
Hoc est: Poeta peculiariter oblectatus hac voce videtur ἔνεικε, ideo quinquies eam repetiuit. Quare Eustathii auctoritate pro supposititia ἔδωκεν habenda est.

XIV.

Apud Strabonem lib. 7. cuius exemplar misere est corruptum, legitur: ἦμεν καὶ νήσοισι διὸς μεγάλοιο τι μαχεῖν. apud Homerum Odyss. π. εἴμεν κ' αὐτὰρ νήσοισι διὸς μεγάλοιο θέμιστας.

XV.

Apud Homerum Odyss. ω. est ὦ λέτε, καὶ μέγα χαῖρε, θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν, pro μέγα, in Didymo Iliad. β μάλα habetur, & non μέγα: quam lectionem & Macrob. lib. 1. Satur. cap. 17. probat. μάλα pro μέγα.

XVI.

In vulgatis editionibus Odyss. τ legitur:

φρίξας εὖ λοφιὴν, πῦρ δ' ὀφθαλμοῖσι δεδορκώς.

Vrbanus lib. 2. & Eustath. pro εὖ, ἐν legunt, pro quod est, horrens sua ceruice, seu dorso. Quæ lectio sanior est.

XVII.

Odyss. υ μάλα φιλὴ τὸ ξεῖνον ἐπμήσαισθ' ἐνὶ οἴκῳ, legitur Editio Romana, & Eustathius ipse, pro τὸν, τοὺς habent. Quæ lectio longè syncerior videtur, vt quæ propius accedat ad sensum.

XVIII.

Erasmus in 6. Apophthegmatum scribit: Empedocles, cum in harena mirmillonem retiarius sequeretur, nec feriret: Viuum (inquit) capere vult. Quintilianus vero libr. 6. capit. 4. quem Erasmus Empedoclem, Pædonem vocat. Vtrius verior lectio, videat Lector. Quod ad me attinet, non contemnendam autumo Fabii.

In O-

XIX.

In Odyss. ο versus est, ἡ δὲ φέρας ἐπέβαλλεν ἐπειγομένη Διὸς οὔρῳ. Strabo li. 8. versum eundē citat, mutata voce ἐπειγομένη, in ἀγαλλομένη: ἡ δὲ φέρας ἐπέβαλλεν ἀγαλλομένη Διὸς οὔρῳ.

XX.

Iliad. β. in Homero, σταφυλῇ ἐπὶ νῶτον ἐΐσας. Eustathii communis lectio est. Sed interpres Aristophanis in Ranis, σταφυλὴν ἐπὶ νῶτον ἔχουσι, habet.

XXI.

Scholiastes Aristophanis in Acharnensibus, εἴδη κε πενθάλιον μὲν ὑπὲρ κατὰ τὸ κατεσθίειν. Est carmen ex Hesiodi lib. α. Vbi tamen pro εἴδη, αὖψα legitur.

XXII.

Iliad. β. in Bœotia: Κρῖσάν τε ζαθέην καὶ Δαυλίδα καὶ Πανοπῆα. Interpres Sophoclis in Tyranno, allegat versiculum: sed pro Δαυλίδα, dicit a quibusdam legi ἀνακρίδα.

XXIII.

Eustathius Iliad. ε ἱστοροῦσι Αἰγιάλειαν περὶ πορνείαν Ἀφροδίτης χόλῳ ἐκμανῆναι, διότι ὑπὸ Διομήδους, καὶ Σθενέλῳ τῷ τοῦ Κομήτου, ὃν φύλακα τοῦ Ἄργους εἴασεν ὁ Διομήδης, φασὶν αὐτὴν ἐμφῦναι κατὰ ἔρωτα μοιχικόν, καὶ τ' ἄλλα ἃ ἴσα καὶ Λυκόφρων ἱστορεῖ, &c. Interpres Lycophronis autem. Διομήδης μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν καταπλεύσας εἰς Ἄργος, τὴν αὐτοῦ πατρίδα, καὶ εὑρὼν τὴν ἑαυτοῦ γαμετὴν Αἰγιάλειαν συμφθερομένην Κομήτῃ τῷ υἱῷ Σθενέλου, διὰ τὸ αὐτὸν ἐν τῇ Τροίᾳ τρῶσαι τὴν Ἀφροδίτην, καὶ μέλλων ὑπὸ τῆς αὐτῆς Αἰγιαλείας ἀναιρεθῆναι, τότε μὲν εἰς τὸν τῆς Ἀργείας Ἥρας βωμὸν καταφυγὼν σώζεται, ὕστερον δὲ εἰς Ἰταλίαν ᾤχετο. Discrepant interpretes inter se, dum alter Cometen videtur innuere, qui obtruserit vitiū coniugi Diomedis: alter vero, Sthenelum.

XXIV.

Lucianus in Pseudologista, αἰχμὴ δ' ἐξελύθη παρὰ νείατον ἀνθερεῶνα. Homerus Iliad. ε.

αἰχμὴ δ' ἐξεχύθη παρὰ νείατον ἀνθερεῶνα.

XXV.

Homerus Iliad. ε. αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι. Scholiastes Sophoclis in Electra: ταὶ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὅμοιαι.

XXVI.

Homerus Iliad. ε ἧχι ῥοὰς Σιμόεις συμβάλλετον, ἠδὲ Σκάμανδρος. Interpres Pindari Pythiorum oda 4. versum habet, sed Κάμανδρος pro Σκάμανδρος, metri fortassis gratia σ sublato.

XXVII.

Iliad. ζ. omnes editiones consentientes habent, ἔγχος ἔχεν δεκάπηχυ, Excepta Romana, quæ ἔγχος ἔχ' ἑνδεκάπηχυ legit: eamq; approbat Fauorinus, vt antiquiorem, sanioremque. Eustath. οἱ ἑνδ-

κοσίπηχυ μετὰ συναλοιφῆς λέγουσιν, ὃ καὶ δοξάζουσιν οἱ παλαιοὶ λέγοντες ὅτι τὸ παθόμενον εἶναι ἄσιον τοῦτο, ὡς ἐκ δύο συμβληθέν, ὅπου δύο καὶ εἰκοσίπηχυ λέγει ὁ ποιητής. Pete & Fauorinum. Verſores Euſtathii lectionem nulli reddiderunt: ſed omnes vſitatam δυωκαιεικοσίπηχυ ſecuti tranſtulerunt.

CAPVT II.

Deprauatorum & reſtitutorum.

I.

Apud Plutarchum lib. 2. Sympoſiacorum, cap. 1. lacunula eſt ὁ δ' Εὐριπίδης τοὐναντίον, ὡς ἡδὺ πόνων.

Deeſt autē ad ſupplendum, quod vacuum, σωθέντα μεμνῆσθαι. Ita apud Ariſtotelem in Rhetoricis:

ὡς ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

Eraſmus eundem Euripidis locum citat in prouerbio, Iucundi acti labores: licet vna voce mutata, ὡς ἡδὺ τοῖς σοφοῖσι μεμνῆσθαι πόνων &c.

II.

Stephanus ἐν Ἰθώμῃ, ex Homero citat, οἵ τ' εἶχον Τρίκκην καὶ Ἰθώμην κλιμακόεσσαν. Qui locus in Catalogo eſt: ſed rectius κλωμακόεσσαν non κλιμακόεσσαν, leges.

III.

In prouerb. apud Eraſmum verſus parum conſtans allegatur,

ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.

νικήσεις natura primam longam habet: nec vnquam, quod meminerim, breuem legi. Vnde pro eo vel κρατήσεις, aliudue ſimile reponendum cenſeo.

IV.

In Euripidæis exemplaribus, in Iphigenia Taurica, mendoſe legitur βαυρωνίας:

σὲ δ' ἀμφὶ σεμνὰς Ἰφιγένεια κλίμακας
Βαυρωνίας δεῖ τῆσδε κλῃδουχεῖν θεᾶς.

Pro Βραυρωνίας. Sic Pauſanias in Atticis, & Ouid. lib. 7. & Cælius lib. 18. cap. 1. Antiquarum lectionum, ſcribendum docent. Eſt enim Diana Brauronia dea, dicta a Braurone Atticæ populo: vt Stephanus. Fuitque Brauroniæ deæ fanum in arce Athenis, &c.

V.

In Dialogo Colloquiorum Eraſmi citatur Theocritus deprauate, pro Theognide, cuius titulus Philodoxus. Locus eſt. Et Theocritum illud: Nec Iupiter, ſiue pluat, ſiue non, placet. Ad Græcum Theognidis Eraſmus reſpexit:

—— οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς,
οὔθ' ὕων πάντας ἁνδάνει οὔτ' ἀνέχων.

Id

Id est:

——nec Iupiter idem,
Siue pluat, seu non, omnibus ille placet.

VI.

In Strabonis Græco exemplari legitur: σύρος δ' ἐστι, μηκύνουσι δὲ τὴν συλλαβήν. ἐξ ἧς Φερεκύδης ὁ Βαβύος ἦν. Hoc est. Est Syrus producta priore syllaba, ex qua Pherecydes Babyus erat. Eustathius integrum locum recenset, & ad verbum: nisi quod pro Βαβύος βαβυλώνιος subiecit, apud Homerum Odyss. ο. allegato que Geographo. Eustathii verba sunt: ἡ δὲ ῥηθεῖσα συρία, μία ἐστὶ τῶν κυκλάδων, καλουμένη μὲν σῦρος ἐν ἐκτάσει της παραληγούσης. φησὶ γοῦν ὁ γεωγράφος, ὅτι ἡ συρος μηκύνει τὴν παρὰ τὴν συλλαβὴν ἢν συρίαν λέγει ποιητὴς, ἐξ ἧς φερεκύδης ὁ βαβυλώνιος. Hæc Eustathius. Proinde altera lectio pro deprauata habenda. Suidæ exemplar ἐν τῷ Φερεκύδης, cum Strabone facit, Βάβυος Pherecydem appellans. Laertius lib. 1. φερεκύδης βάβυος σύριος habet quod non placet.

VII.

Cœlius lib. 10. cap. 4. scribit, Antonium Anachoretam læuam auriculam sibi amputasse, ne Episcopus eligeretur. idque Hieronymo auctore, apud quem tamen Ammonius legitur, & non Antonius. Proinde appatet, apud Cœlium incuria librariorum esse in nomine erratum: cum & Socrates lib. 8. Ecclesiasticæ historiæ, & Nicephorus lib. 11. capit. 37. non Antonium, sed Ammonium eundem appellent. Discrepant tamen in eo quod Hieronymus & Cœlius sinistram aurem, Socrates & Nicephorus dextram cōmemorant.

VIII.

Apud Stephanum ἐν τῷ χάβαλις legitur: πόλις πλησίον κιβύρας πρὸς νότον μεμαθηκυῖα. Strabo ἀπόγονοι δὲ λυδῶν κιβυράται τῶν κατεχόντων ἰσ καβαλίδα. Quo loco ἰσ deprauatum est, pro τὴν, incuria Typographi, qui abbreuiationem τὴν quæ ἰσ denotat, accepit pro τ̃, quæ figura non admodum dissimilis. Ita apud Stephanum corruptum ἰσ: & apud Strabonem καβαλίδων, pro καβαλίδα, excusum est.

IX.

Apud eundem Strabonem, eodemque libro, corrupte legitur Amphylochi, pro Amphinomi. Locus sic habet: καὶ ἐν μὲν τῇ Οδυσσείᾳ οὕτω γράφουσί τινες, οἱ φησὶν ἀμφίλοχος συμβουλεύειν τοῖς μνηστῆρσιν, μὴ πρότερον ἐπιτίθεσθαι τῷ τηλεμάχῳ πρὶν ἂν τὸν Δία ἔρωνται. Hæc apud Homerum Odyss. π. non de Amphilocho, sed Amphinomo leguntur suaderi procis. Vnde pro deprauato habendum.

X.

In conuiuio Poetico Colloquiorum Erasmi, in omnibus editionibus legitur: Adhibendus bombus magicus: aut si nec hic sufficit, Mercurii caduceum. Rhombus legendum, quod est

magicum instrumentum, incantationibus aptum. De quo Theocritus in Pharmaceutria:

χ' ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος ἐξ Ἀφροδίτας.

Huiusque interpres scribit χάλκεον τρόχον οἶον.

XI.

In Homeri Odyss. 20. editiones omnes, excepta Romana, sunt mendosæ:

ὄρτι μιδὴ στεφάνην ἐπεδέξατο διὰ θεάων.

Eustathius & Romana editio, quæ est correctissima, pro θεάων, γυναικῶν habet: & magis sensui respondet, quam θεάων. Versor Iustin. Politanus hac menda offensus, Epitheton διὰ pro datiuo accepit, adcommodauitque Artemidi. Quod carminis ipsius lex respuit: esset enim diphthongus impropria, & bacchium pedem constitueret, quem carmen non agnoscit. Sensus ergo: Ipsa Penelope, pia mulier, Dianæ supplicabat, vel vota faciebat. Quare θεάων pro mendosa voce habenda, γυναικῶν pro sana.

XII.

Herodian. lib. 1. τότε σκυθρωπὸν εἶδεν ὁ δῆμος θέαμα τὸν διζηθὲν καὶ ῥωμαίων βασιλέα μετὰ τοσαῦτα τρόπαια πατρὸς τε καὶ προγόνων, οὐκ ἐπὶ βαρβάρους ὅπλα λαμβάνοντα στρατιωτικά, ἢ ῥωμαίων ἀρχῆ πρέποντα. Quæ Politianus transtulit, & βαρβάρους beluas reddidit. nisi est suppositicia, legendumque pro beluas, barbaras: alioqui sensus erit a se discrepans, & nullus omnino, &c.

XIII.

Apud eundem in 4. legitur corrupte, Sed certam imaginem defuncto quam simillimam fingunt: idque in omnibus editionibus. Certam, pro ceream. Græca enim habent: κηροῦ δὲ πλασάμενοι εἰκόνα, πάντα ὁμοίαν τῷ τετελευτηκότι: id est, Ceream fingentes imaginem per omnia similem mortuo. Extat autẽ alicubi apud Horatium harum præstigiarum mentio quædam, in Odis cum cerea effigie, &c. & apud Maronem quoque.

XIV

In Prouerbio apud Erasmum, Acretinia pygmæorum, Eustathius interpres allegatur, qui Odyss. φ. scribat. ita autem habet editio Romana: φέρεται δὲ παροιμία ἐπὶ τινων μάτην κοπιώντων τὸ ἀκροθίνια πυγμαίων κολοσσῷ ἐφαρμόζειν. Lapsus est typographus in similitudine figurarum T & φ. Restituendum ergo τ pro φ.

XV.

Stephanus ἐν τῷ κυχρεῖος, ex Strabone refert locum, qui lib. 9. habetur: ἀπὸ κυχρέως, inquit, τοῦ σαλαμινίου καὶ ποσειδῶνος, ὃς ὄφις ἀπεκλήθη διὰ τὴν τραχύτητα τῶν τρόπων, ὃν λυμαινόμενον τὴν νῆσον ἀπήλασεν εὐρύλοχος, ἐδέξατο δὲ ἐν ἐλευσῖνι δημήτηρ, καὶ ἀμφίπολον ἐποίησεν, ἀπ' αὐτοῦ δὲ καὶ ἡ σαλαμίς, κυχρεῖα ἐκλήθη, ὡς στράβων: Hæc Stephanus

Eadem

Eadem apud Eustathium in Dionysium. Apud Strabonem non Εὐρύλοχος, sed Εὐρύκλ☉ legitur quanquam deprauate. Id Stephanus, Eustathius, & Volaterranus lib 9 Geograph testantur: qui Eurylochum, & non Euryclum nominant.

XVI.

Exemplaria vulgata Iustini lib. 6. ad finem, habent omnia: Et Philippus obses triennio habitus, Thebis Epaminondæ & Pelopidarum virtutibus eruditus. Quo loco Pelopidarum deprauatum videtur: & legendum Pelopidæ, veluti Epaminondæ. Nam hi duo duces σύγχρονοι, & clarissimi fuere: vt Plutarchus & Sabell cus tradunt vbi hic ita lib. secundo. Enneadis quarto, inter cetera: Pelopidas arbiter factus ita res composuit, vt ab Alexandro triginta obsides acceptos, & in his ipsis Philippum fratrem, qui Magni Alexandri pater secum Thebas duxerit. Hinc ille creditur Epaminondæ consuetudine imbibisse ea rudimenta militaris disciplinę. Videtur autem ita scriptum quondam archetypum fuisse cum diphthongo æ, Pelopidæ. Quam diphthongum non intelligens qui descripsit, pro βραχυκατάληξιν accepit ꝶ Pelopidaꝶ, & ita in antigraphis nostris inde hæsit. Noui insigniter alioqui eruditum virum, qui publice illud Pelopidarum interpretaretur, idque in frequenti auditorio, genitorum de Pelope respiciens ad Pelopidarum familiam, fatalibus cladibus infamem, iuxta illud Poetæ:

Hoc generis fatum, quod nostros errat in annos,
Tantalides matres apta ruina sumus.

Sed nemo est, qui omnibus horis sapiat, & non alicubi dormitet.

XVII.

In Suida αὖκς, opinor deprauate, legitur pro νοῦς. Suidæ verba, ἐν τῷ κίσκ☉· ἣν πόλις ἐν κιλικίᾳ, καὶ παρ' αὐτὴν ποταμὸς αὖκς ὄνομα: διόπερ οἱ ποιηταὶ παίζοντες, τοὺς νοῦν οὐκ ἔχοντας, κίσκον οὐκ ἔχειν φασιν Eustathius Odyss. α. νοῦν habet. & Pausanias in Arcadicis, νοῦν scribit fluuium appellari, & non αὖκν. Eustathii quidem verba: Σημειωτέον δὲ, ὅτι ὁμώνυμος καὶ ὁ νοῦς. παυσανίας γοῦν φησιν, ὅτι κίσκ☉ λιμήν τις, ᾧ παράκειται ποταμὸς νοῦς καλούμεν☉. Pausaniæ vero: Διὰ δὲ τῆς χώρας τῆς θεισόας ῥέοντες ἐκδιδόασιν ἐς τὸν ἀλφειὸν, μυλάων: ἐπὶ δὲ αὐτῷ νοῦς, καὶ ἀχελῷ☉ τε, καὶ νάφιλ☉. ἀχελῷῳ δὲ τῷ ἀκαρνᾶσι εἰσὶν ἄλλοι ὁμώνυμοι δύο ποταμοί. Hoc est: Per regionem Thisoam, & fluuii manant in Alphæum cadentes, Mylaon: præter hunc Νοῦς, Achelous, & Naphilus.

XVIII.

Apud Plutarchum lib. 6 Symposiacorum, mutilatus locus & deprauatus legitur: δεινὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον ἤδη κακὸν, ὦ ξεῖνε, *γεῖρειν* Locus est ex Oedipo Colonæo, apud quem integer sic habetur: δεινὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον ἤδη κακὸν,

ἀζῶν' ἐπιγεῖρειν
ὅμως ἔρημον πυθίαξ

XIX.

In Homeri Odyss. υ. versus corruptus est:

——ὁ γὰρ ἐπίλησιν ἅπαντας
ἐσθλῶν ἠδὲ κακῶν.

Vbi legendum, ἁπάντων. Hoc est: Somnus obliuionem inducit omnium bonorum & malorum. Eustathius habet ἁπάντων: & editio Romana consentit cum Eustathio, synceraque est.

XX.

Apud Herodianum lib. 6. legitur in Græco: τοιαῦτά τινα τῶν πρεσβευσάντων πρέσβεων ἀπαγγειλάντων, κελεύει ὁ Αλέξανδρος τοὺς πρεσβευσάντας συλληφθῆναι. In Latino: Hæc afferentes legatos comprehendi Alexander iubet quadraginta. Pro quo quadringentos ponendum in Latino, aut in Græco τετρακοσίους. Et quanquam alterutram esse deprauatam oportet: malim tamen eam sequi lectionem, & pro vera iudicare, quæ in Græco, (quod eam Zonaras etiam adprobet Tomo 2. Annalium) quam quæ in Latino est. Verba Zonaræ sunt: ὁ δὲ βάρβαρος ἄνδρας μεγίστους τετρακοσίους πολυτελέσι καὶ χρυσαῖς στολαῖς, καὶ ἵπποις τοῖς εὐγενέσιν ἐπιβιβάσας, καὶ τόξοις κοσμήσας λαμπροῖς, ἔπεμψε πρὸς τὸν ἀλέξανδρον, &c. Ita totus locus respondet Herodiano.

CAPVT III.

Omissorum.

I.

Apud Homerum Odyss. ε. versus desiderari videtur, quē Strabo addit, si modo illius exemplar non mendosum est:

δῦσε τὸ ἠέλιος, σκιόωντο δὲ πᾶσαι ἀγυιαί.
ἡ δὲ πείρατ' ἵκανε βαθυρρόου ὠκεανοῖο.

Hos duos versus, apud Homerum qui leguntur, præcedit alius versus apud Strabonem:

ῥεῖα ἐπὶ κρυοὺς καὶ χαλκείδα κατάλιπεν ἔργα.

Idem versus in 10. Strabonis est: neque vspiam reperitur in exemplaribus quæ hodie extant, quod sciam, Homeri.

II.

Erasmus in Prouerbio, Fluuius non semper secures fert, scribit inter alia, quæ de origine prouerbii affert: Cuidam cædenti syluā, securis e manibus excidit. Deest, vel omissum a typographo, iuxta fluuium cædenti: vel, In fluuium lapsa est securis. nam Apologus Græce sic habet: ξυλευόμενός τις παρά τῷ ποταμῷ, τὸν οἰκεῖον ἀπέβαλε πέλεκυν, &c.

III.

Apud Athenæum lib. 1. cap. 4. locus citatur parum integer, qui est Homeri Odyss. π. ἐντύνοντ' ἄριστον κειαμένω πῦρ. Deest quod omissum, ἅμ' ἠοῖ. Hoc modo: ἐντύνοντ' ἄριστον ἅμ' ἠοῖ κειαμένω πῦρ.

Plu-

IV.

Plutarchus in libello de Defectis oraculis, versum nō integrum allegat:

ὅτε γὰρ ἦν γῆς μέσος ὀμφαλὸς, ὅτε θαλάσσης.

Deest autem omissus articulus fœminini generis, τῆς:

οὔτε γὰρ ἦν τῆς γῆς μέσος ὀμφαλὸς, οὔτε θαλάσσης.

V.

In Chiliadibus Erasmi, in prouerbio, Ædib. in nostris quæ praua aut recta gerantur, quod sumtum est ex Odyss. δ.

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται,

Legitur: Huc referri potest & illud apud Homerum pene solēne. habetur enim ξ. Iliad. α θ & φ. Deest hic, & Odysseæ. Nam legendum: Habetur enim ζ Iliad. & Odyss. α & ω. alibi non est.

VI.

ἐν τῇ ὑποθέσει τῆς ὀδυσσείας τ, in aliis editionibus a Romana omissum est κυνηγῶν, quod ex Romana suppletur: καὶ κατὰ περίκλασιν ὁ ποιητὴς διηγεῖται, ὡς ἐν παρνασῷ ὑπὸ συὸς ἐπλήγη κυνηγῶν. quod deest, omissum.

VII.

In Didymo Odyss. τ. spatium vacuum relictum est: ἐν ἰλιάδι, ἑκατόμπολιν τὴν κρήτην λέγει, οὐχ' ὡς ἀκριβῶς ἑκατὸν πόλεις ἐχούσης, ἀλλὰ αὐτὴ τὰς πολλὰς ἔτυχε δὲ φασὶν, ἰδομενέα κατὰ τὸν ἐξ ἰλίου ἀνάπλουν ἀπολαμβανόμενον τῆς κρήτης ὑπὸ λεύκου * ὄντα παῖδα. Deest autem, ad voraginem illam referciendam, ὃν θετὸν: id est, ὑπὸ λεύκου, ὃν θετὸν παῖδα ὄντα. id est, adoptiuum filium existentem. Verba Eustathii Odyss. τ. ἰδομενέως ἐπανελθόντος ἐξ ἰλίου, ὁ, τε λεῦκος αὐτὸν ἀπήλασεν, ὃν θετὸν παῖδα ὄντα φύλακα τῆς βασιλείας κατέλιπε.

VIII.

Apud Platonem in Ione, in allegato loco ex Homero Odyss. υ. deest versus, qui omissus: αἵματι δ' ἐρράδαται τοῖχοι, καλαί τε μεσόδμαι. reliqui, & antecedentes & sequentes, apud Platonem habentur.

δαιμόνιοι τί κακὸν τόδε πάσχετε, νυκτὶ μὲν ὑμέων
εἰλύαται κεφαλαί τε, πρόσωπά τε, νέρθε τε γυῖα,
οἰμωγὴ δὲ δέδηε, δεδάκρυνται δὲ παρειαί.

Hic deest versus supra adnotatus. Sequuntur apud Platonem ceteri, εἰδώλων τε πλέον πρόθυρον, πλείη δὲ καὶ αὐλή. Miror autem hunc versum omissum esse, cum præcipue ad portenta faciat: de quibus Plato Homeri verba adducit.

IX.

In Homericis exemplaribus vulgaribus deest καὶ in principio Odyss. ψ.

ἀλλ' ἄγε νῦν κατάβηθι ἄψ ἔρχεο μέγαρόνδε.

Eustathius & Romana editio carmen restituunt:

ἀλλ' ἄγε νηῦ κατάβηθι, καὶ ἄψ ἔρχευ μέγαρόνδε.

X.

Libro primo Herodiani, in Commodo, in Latinis editionibus vsitatis omissum est, Immisit proræ nauis. Græca habent: ἱκετεύσα τὸν δῆμον ἐπιτρέψαι τῇ πεσσινουντίᾳ θεῷ τὴν κρίσιν: καὶ ἀναψαμένη τὴν ζώνην, (ἐπαφῆκε τῇ πρώρᾳ τῆς νεὼς) hæc in Latino neglecta sunt: προσευξαμένη, εἰ παρθένος εἴη, καὶ ἁγνὴ, &c. Latina habent: Supplex petiit a populo, vt iudicium de se deæ Pessinunciæ committerent: quo imperato, zonam recinxit, clare precata, vt si intemeratam se esse ac virginem, Dea sciret, &c. omissum est post Recinxit, & immisit proræ nauis.

XI

In Psalmo 95. teste Iustino Martyre, a Iudæis aliquid subreptum est: Dicite in gentibus regnauit Dominus. Omissum est, A ligno, & calumniose a Iudæis exemtum. Iustini verba in Colloquio cum Tryphone Iudæo: Καὶ ἀπὸ τοῦ ἐνενηκοστοῦ πέμπτου ψαλμοῦ, τῶν διὰ Δαβὶδ λεχθέντων λόγων λέξεις βραχείας ἀφείλοντο ταύτας, ἀπὸ τοῦ ξύλου. εἰρημένου γὰρ τοῦ λόγου, εἴπατε ἐν τοῖς ἔθνεσι ὁ κύριος ἐβασίλευσεν. Hoc est: Ex Psalmo 95. duas voculas sustulerunt, A ligno, cum antea legeretur, Dicite in gentibus, Dominus a ligno regnauit.

XII.

Eodē in loco Iustinus, Iudęos ex Hieremia illud sustulisse arguit: ἐμνήσθη δὲ κύριος ὁ θεὸς ἀπὸ Ἰσραὴλ τῶν νεκρῶν αὐτοῦ, τῶν κεκοιμημένων εἰς γῆν χώματος. καὶ κατέβη πρὸς αὐτοὺς, εὐαγγελίσασθαι αὐτοῖς τὸ σωτήριον αὐτοῦ. Hoc est: Recordatus est Dominus Deus ab Israel mortuorum suorum, qui dormierunt in terræ monumentis: descenditque ad ipsos, ad euangelizandum salutare suum. Qui locus Petri 1. epistola, cap. 3. habetur satis obscurus.

XIII.

Stephanus ἐν τῷ Παῤῥασία: πόλις, inquit, Ἀρκαδίας. Ὅμηρος: Στίμφηλον καὶ Παῤῥασίην ἐνέμοντο. Homeri carmen est in Catalogo, & deest in Stephano εἶχον. neque enim carmen est integrum:

Στίμφηλόν τ' εἶχον, καὶ Παῤῥασίην ἐνέμοντο.

Plato lib. 2. Politicorum:

ὥστε τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅστε θεουδὴς
εὐδικίας ἀνέχῃσι. φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα.

Locus apud Platonem ex τ. Odyss. Homeri est, vbi tamen post θεουδὴς primum versum, apud Poetam alius, qui omissus in exemplari Platonis sequitur:

ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι, καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων.

XV.

Apollonii interpretis exemplaria libro primo Argonauticorum

rum sic habent: ὄρλιχες, αἱ λαμπάδες. ἐν ἄλλοις δὲ σημαίνει ἡ λέξις τοὺς βόστρυχας * ἀπ' ὀρλίχων αἶεν ἄλειφα ῥέει. Fauorinus ad verbum recenset eadem, sed integrius. Deest enim, ὡς τὸ. ὄρλιχες, αἱ λαμπάδες, παρὰ Ἀπολλωνίῳ. σημαίνει δὲ ἡ λέξις καὶ τοὺς βοστρύχους. ὡς τὸ, ἀπ' ὀρλίχων δ' αἶεν ἄλειφα ῥεῖ.

XVI.

Apud Comicum Aristophanem vocabula quædam ampla, hamaxiæa, mireque prægnantia leguntur. Inter cetera tamen, non est amplius, quodque pluribus syllabis constet, quam illud in Fucis:

ὀρθροφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώρων τρόπων.

Quam vocem HIERONYMVS WOLFIVS singulari dexteritate reddidit,

Recteingredientibusycophantiiuridicimiseris moribus.

Omisit tamen Iustinopolitanus translator Aristophanis, hoc vocabulum vertere in totum: quasiq; nihil attineret ad Comicū, transiit. Nec Erasmus reddidit in prouerb. Hamaxiæa. Ego autem, quandoquidem apud Suidam statim post hanc plaustralem dictionem sequitur, ὀρθριοφοίτης, ὁ παραγινόμενος ὄρθρου: id est, qui mane siue diluculo adest, aut aduenit: putarim non inepte legi posse, pro ὀρθοφοιτο, &c.

ὀρθροφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώρων τρόπων.

Ac si de iis confictum compositum, qui mane surgunt, vt forum frequentent ad sycophantias exercendas: ac proinde calamitosam vitam agant. Hanc diuinationem tamen lectori defero, neque eam pro oraculo reputari velim. Comici locum subscribere visum est, ac simul interpretis versionem. Græca hoc pacto leguntur:

ταῦτα γὰρ ἀκούειν ἡδέα, εἰ καὶ νῦν ἐγὼ
τὸν πατέρα ὃν βούλομαι τούτων
ἀπαλλαχθέντα τῶν
ὀρθοφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώρων τρόπων
ζῆν βίον γενναῖον, ὥσπερ Μόρυχος.

Latina habent versa, quæ sunt:

Hac enim bis audire dulcia, & nunc ego patrem
Quod volo his liberatum miseris moribus viuere vitam generosam, sicut Morychus.

Hic Iustinopolitanum omisisse vocabulum ὀρθοφοιτο, &c. vides: neque quidem attigisse. Vtinam autem hoc vocabulum, tam esset notum hodie, quam non est: non ita iuuentus, vix gustatis ingenuis studiis, ad forensia ista tam irreuerenter prophaneque prorumperet.

CAPVT IV.

Attributorum perperam.

I.

Plinius libr. 28. cap. 2. tradit, Vlyssem ab Homero describi, in vulnerato femine inhibuisse sanguinem carmine. In eo lapsus est Plinius: tribuit enim Vlyssi, quod eius auunculis tribuendum erat. Locus enim Odyss. τ est,

τὴν μὲν ἄρ' αὐτολύκου παῖδες φίλοι ἀμφ' ἐπένοντο,
ὠτειλὴν δ' ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο
δῆσαν ἐπισταμένως, ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν
ἔσχεθον.——

Ita Homerus bis. Auunculi Vlyssi eam operam ipsi præstiterunt, quam Plinius Vlyssem sibi scribit præstitisse, hoc est, carmine seu incantatione magica sanguinem stitisse, seu inhibuisse.

II.

Cicero in Tuscul. quæstionibus lib. 2. Callimacho epigramma tribuit, quod in tertio lib. Epigrammatum, perperam tamen, cuidam Platoni adscribitur. Verba Ciceronis sunt: Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam quem ait, cum ei nihil accidisset aduersi, e muro se in mare abiecisse, lecto Platonis libro. Ipsum vero Epigramma mendose lib. 3 Epigrammatum est excusum & inscriptum Platoni:

εἴπας ἥλιε χαῖρε κλεόμβροτος ἁμβρακιώτης
ἥλατ' ἀφ' ὑψηλοῦ τείχεος εἰς ἀΐδην.
ἄξιον οὐδὲν ἰδὼν θανάτου κακὸν, ἀλλὰ πλάτωνος
ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος.

Ouid in Ibin meminit huius Cleombroti etiam:

Vel de præcipiti venias in tartara saxo,
Vt qui Socraticum de nece legit opus.

Intelligit autem Platonis Phædonem, de animæ immortalitate.

III.

Interpres Æschyli in Promethea scribit, σιωπῶσι παρὰ ποιηταῖς τὰ πρόσωπα, ἢ διὰ αὐθάδειαν ὡς ἀχιλλεὺς ἐν τοῖς φρυξὶ σοφοκλέους: ἢ διὰ τὴν συμφορὰν ὡς ἡ Νιόβη παρ' αἰσχύλῳ. Hoc est, Tacere personas apud Poetas, aut propter contumaciam, vt Achilles in Phrygibus apud Sophoclem: aut propter calamitatem, vt Niobe apud Æschylum. Tribuit autem interpres Æschylo Niobem, & Sophocli Phrygas: cum tribuendæ Phryges Æschylo, & Niobe Sophocli potius. Quod ex interprete Aristophanis deprehendere licet, in Ranis, vbi sic scribit: ὁ ἀχιλλεὺς δὲ καθήμενος ἐστὶ, καὶ ἐγκεκαλυμμένος, παρ' αἰσχύλῳ ἐν δράματι ἐπιγραφομένῳ φρυξὶ, &c.

IV.

Plutarchus lib. 2. cap. 1 Symposiacorũ: ὦ τέκνον τοῦ γέροντος οἰδίπου, φανὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον, ἤδη κοινὸν ἄξενος ἐπαγγέλλεις. Hæc verba Plutarchus, Oedipo tribuit, quæ ad Chorum loquatur. Sed exemplaria Sophoclea in Oedipo Colonæo, a Choro hæc verba te-

ftantur fieri Quo loco interpres Sophoclis lectioni suffragatur: ἐ ἰσμίωὺς ἀποτανοὺς ὁ χορὸς ἐρωτᾷ τ̃ οἰδίποδα, καὶ φησὶ· ἐπιχειρεῖν καὶ ἀνακινεῖν τὰ παλαι συμβάντα, δυσχερές. ὅμως ἢ μαθεῖν ἐπὶ θυμοῦ τὴν αἰτίαν τ̃ πηρώσεως Hoc est Digressa Ismena percontatur Chorus Oedipum, dicitque, &c. Mouere & refricare, quæ pridem acciderunt molestum i cet ut, attamé cupio cognoscere caussam excæcationis.

CAPVT V.

Erratorum in citando.

I.

STephanus ἐν τῷ σύρος, φησὶ: νῆσος ἰωνική, ὡς στράβων δυοκαιδεκάτῃ, ἢ μακρά. Apud Strabonem non est in duodecimo, sed in decimo ad finem ferme. Cœlius libro 14. cap. 15. Stephanum secutus, Strabonem eodem loco perperam allegat, videlicet libro duodecimo.

II.

Stephanus ἐν τῷ μιλιτωνή: πόλις κατὰ τὰ ἀδδκίας, στράβων ἐνδεκάτῃ. Pro ἐνδεκάτῃ ponendum est δυοδεκάτῃ. Est enim in principio libri 12. Strabonis.

III.

In prouerbio Erasmi, De pulcro ligno strangulare, Pindarus citatur Pythiorum hymno 3. his verbis: Non dissimili sensu dixit Pindarus 3. hymno, καλὸν πῆμα, id est, pulcra noxa. De Ixione loquitur, qui deceptus imagine Iunonis, sibi parauit exitium. In secundo autem hymno, non tertio, illud habetur.

IV.

Apud eundem in prouerbio, Ne fascines, allegatur Aristoteles, Sectionis vigesimæ Problemate vigesimo quarto. Vbi non occurrit, sed tricesimo quarto Problemate. Erratum idcirco est a transcriptoribus. Aristotelis problema sic habet: Διὰ τί τὸ πήγανον βασκανίας φασὶ φάρμακον εἶναι; ἢ διότι βασκαίνεσθαι δοκοῦσι λαυδῶς ἐσθίοντες; ἢ ὑφορώμενοί τινας δυσχερείας, ἢ τι ϖροσφερόμενα ὑποψίας ἔχοντας. ἐπιλέγουσι γοῦν, ὅταν τ̃ αὐτῆς τραπέζης ἰδίᾳ τι προσφέρηται μεταδόντες, ἵνα μὴ βασκαίνῃς με, &c.

V.

In Stephano, ἐν ἄσια, πόλις Ιταλίας legitur: ἐ στράβων ἐν τρίτῃ ὕστω φησί, ὑδάτεσιν ἡ ἄσια τ̃ ῥώμης ἐπίδοξος. Locus in 5. Strabonis, non in 3 est, vt allegatur.

VI.

In prouerbio Cumini sector, Theocritus citatur Idyll. x. quod Idyll alias Εὐεργέτη inscribitur. In quo, quod citatur, non est, κάλλιον ὦ ἐπιμελῖτα φιλάργυρε, &c. Sed in ἰώτα Idyll. est, quod ἐργατίναι inscribitur. In numero erratum.

VII.

Similis error in prouerbio, Impossibilia captas: vbi ex 3. Py-

thiorum encomio Pindari citatur falso, χρὴ δὲ κατ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον. Non est in 3 sed in 2. hymno Pindari.

VIII.

Rhodolphi Agricolæ libro secundo cap. 1. Scholiastes scribit: Demosthenes in hanc sententiam Athenienses carpit, solere homines reliquos, cum consuluissent, agere: contra Athenienses, vbi res actas accepissent, tum demum consulere. Et Demost. in 1. Philippica id carpere. Quod nō est, sed in oratione περὶ τῆς εἰρήνης, vbi ita legitur: οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι πρὸ τῶν πραγμάτων εἰώθασι χρῆσθαι τῷ βουλεύεσθαι. ὑμεῖς δὲ μετὰ τὰ πράγματα. ἐκ δὲ τούτου συμβαίνει, &c.

IX.

In prouerbio, Vir fugiens denuo pugnabit, &c. Iliad θ. Alexander sic loquitur Hectori:

νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας.

Hoc hemistichium in ζ. Iliad. est, & non in θ.

X.

Eustath. Homeri interpres Odyss. ε scribit: καὶ ὅρα, ὡς τὸ νέον, καὶ παλαιὸν, ἐπὶ οἴνου τίθεται. ὅθεν ὁ κωμικὸς λαβὼν ἀρχὴν, ποιήσει τοὺς μὲν μήπω πλευσάσας παρθένους λέγων, καὶ μήπω ἀνδρῶν πεπειραμένας, τοὺς δὲ παρ' ὁμήρῳ παλαιὰς γραίας ἀποκαλῶν. Hæc autem non Comici sunt, sed eius interpretis verba. prout Eustath. allegat in Equitibus, & non alibi, vbi ad hunc modum in Chorum, (cuius verba sunt, φασὶν ἀλλήλαις ξυνελθεῖν τριήρεις εἰς λόγον, καὶ μίαν λέξαι τινὰ τῶν ἢ τις ἦν γεραιτέρα) Scholiastes scribit: ὁ στίχος παρὰ τὰ ἐξ Ἀλκμαίωνος Εὐριπίδου, τὰς μηδέπω πλευσάσας παρθένους, τὰς δὲ πλευσάσας γραίας εἴρηκεν. Vnde apparet, non Comici hæc esse: sed vel ex Euripidis Alcmæone, quia versus citatur: vel Scholiastis &c. Leuicula hæc, & exigui momenti: quia tamen negotium facessere possunt Lectori adnotare visum.

CAPVT VI.

Locorum obscuriorum.

I.

Cicero de Nat. deorum lib. 1. Negare deos non audes, sapienter id quidem: etsi hoc loco non populum metuis, sed ipsos deos. Noui ego Epicureos omnia sigilla numerantes. Obscurius dictum est, Numerantes sigilla, pro adorantes & colentes imagunculas: Græco more. Illis enim ἀριθμεῖν, inter cetera pro adorare & venerari accipitur. Eustath. Iliad 1. καινέα φασὶν, ἐν ἀγορᾷ μέσῃ πῆξαι εἰς ὀρθὸν ἀκόντιον, θεὸν τοῦτο προσέταξεν ἀριθμεῖν. Id est. Hastam in medio foro erexit, mandauitque pro Deo ipsam numerare: id est, colere & venerari. Erat autem antiquitus religiosum, hastas pro diis habere: vt Alexander libro secundo capite vigesimo sexto.

II.

Erasmus in prouerbio, Manum non verterim, tradit Quintilianum scribere, tantum habere manuum gestus in pronuntiando momenti, vt propemodum velut altera lingua pro omnibus verbis loquantur. Et subdit aliquanto post: In sermone, quem modo citauimus ex Quintiliano, Pro omnibus verbis, puto rectius legi, Pro omnibus membris: vt intelligas, quicquid in ceterarum corporis partium gestu significari potest, id solam præstare manum. Hæc Erasmus. Videtur tamen ille, aut lapsus memoria esse: aut alio exemplari vsus, quam nostra vulgata sunt. Quintilianus enim non de manu, sed vultu refert, quæ Erasmus de manu, his verbis libro 11. cap 3. Dominatur maxime vultus. Hoc supplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc tristes, hoc hilares, hoc erecti, hoc submissi sumus: hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant, etiam antequam dicamus: hoc quosdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus, hic est sæpe pro omnibus verbis. Ita Fabius vultui tribuit, quod Erasmus ad manum detorsit. Huius Lectorem volui admonere: vt, si vacet, eo super loco, quid Erasmo in mentem venerit, hæc de manu accipere, expendat penitius.

III.

Idem in prouerbio, Termeria mala, recenset historiam de Galieno Imperatore. Cum quidam vitreas gemmas, pro veris Imperatrici vendidisset, atque ea, re deprehensa, vindicari flagitaret: ille venditorem rapi iussit, tanquam leonibus obiiciendum. deinde caponem emittit: ac cunctis rem tam ridiculam admirantibus, per præconem denuntiari iussit: Imposturam fecit, & passus est. Hæc historia obscurius recitata est. Apud Trebellium vero Pollionem aliquanto planius est exposita, nimirum: Cum quidam vitreas gemmas pro veris vxori Galieni vendidisset, atque illa re prodita, vindicari vellet, surripi, quasi ad leonem, venditorem iussit. Deinde cauea caponem emittit. Mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici iussit: Imposturam fecit, & imposturam passus est: Deinde negotiatorem dimisit. Eiusdem meminit historiæ Cœlius libro 11. cap. 7.

IV.

Græci solent interdum duo substantiua coniungere, quorum alterum eorum, pro adiectiuo accipiendum: vt, ναυσὶ πρυμνῆσι, in nauibus puppibus, pro postremis nauibus: hoc est, partibus nauium. Id imitati Latini poetæ, vt Virg. lib. 1.

Regales inter mensas, laticemque Lyæum:

pro Lyæum, ἀλεξιφαρμακῶς, pro liquore Bacchico. Idem lib. 11.

Erraverat ingis, ferro sonat alta bipenni:

pro ferro vtrinque acuto. Definitio cauſſalis ſecuris ipſius. Nam pinna inter cetera dicitur, quicquid acutum eſt. Exempla: Homerus Iliad. κ. γαῖ πυρὶ ἀξύμενη. Odyſſ. ε. ναὶ δ' ἐπὶ πεύκῃ.. Vide Euſtath. in κ. Iliad. Leuiter interpretes hæc atque id genus alia attingunt, quæ tamen (vt aiunt) Delio natatore opus habere videntur.

V.

Euſebius in Chronologia, in Caſſio Seuero: Caſſius Seuerus, ſcribit, orator egregius, qui Quintianum illud prouerbium luſerat, vigeſimo quinto exilii ſui anno ſumma inopia moritur, vix panno verenda contectus. Hæc Euſebius. Quid autem prouerbium velit, quando nec apud Eraſmum, quod ſciam, reperiatur: nec apud Adrianum, qui collegit quoque prouerbia: quoniam obſcurum mihi eſt, coniecturas ſequi proximum erit. Videtur autem de calamitoſo, & qui exilio, & ſumma inopia premitur, prouerbium dici poſſe. Cornelius Tacitus enim, Caſſium Seuerum exulem, boniſque omnibus exutum, interdicto igni & aqua, ſaxo Seriphi conſenuiſſe ſcribit. Et Volaterr. libro decimo nono Anthrop. Quintium vt a fundo deiectum, infamiaque affectum, defenſum a Cicerone contra Hortenſium refert. Vnde hæc ſomnii loco lectori obtrudo, quod de prouerbii huius origine, & vſu certius aliquid oblatum, aut communicatum fuerit.

VI.

Apud D. Marcum Euangeliſtam, in Græco vſitata & communis lectio eſt: γυνὴ ἔχουσα ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Quod Eraſmus tranſtulit: Mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi piſticæ pretioſæ. Ad quem locum Eraſm. in Adnotationibus ſuis varias ſententias colligit: nec tamen eſt vlla, quæ propius accedere ad veram videatur, quam Cyrilli, cuius tamen auctoris Eraſmus ipſe nullam mentionem facit. Sic enim ſcribit: Vnguentum eſſe nardi a loco quopiam. Quod ad me attinet, & coniecturas meas (quibus veniam oro, ſi minus aſſequar veritatem) exiſtimo coniungendam eſſe compoſitionem νάρδου πιστικῆς, pro νάρδου ὀπιστικῆς, id eſt, Babylonici vnguenti, quod habebatur pro pretioſiſſimo: vt Pollux libro 6. cap. 19. Athenæus libro 15. cap. 24. nam Opis eſt vicus propinquus Babyloni, celeberrimus emporio: vt Strabo libr. 16. Herodot. lib. 1. & lib. 2. A qua ſententia nec Hermolaus abhorret, cum in Dioſcor. Corollar. cap. 77. inter cetera his verbis ſcribit: Iulius Pollux & Babylonicam nardum, pro vnguento videtur accepiſſe. Hæc Hermolaus, & alia, &c. meam diuinationem lectori commendo, iterdoque.

VII.

Plato libro 7. Politicorum ſcribit, Dialecticam τὸ ὕπαρ ἰδεῖν,

καὶ τῷ ὄντι ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινι τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον, ἠρέμα ἕλκει καὶ ἀνάγει ἄνω, συνερίθοις καὶ συμπεριαγωγοῖς χρωμένη, αἷς διήλθομεν, τέχναις. Hoc est, Exacte videre, oculosque in barbarico cœno defossos sensim erigere, ac sursum leuare. Hæc autem Platonis, quia accipienda sunt de Metaphysica Dialectica, vt interpres Marsilius intelligit, & Cœlius Antiquarum lectionum libro 7 cap 30 mirum est, cur Melanchthon de ea Dialectica, cuius ipse methodum tradit, acceperit: præsertim autem, cum pro certo habendum, Melanchthoni Platonis sententiam non ignotam fuisse. Hæc ergo Lectori diiudicanda committo.

VIII.

In pronuntiatione, inter eruditos Græcæ linguæ variari, notissimum est. Quorum qui diphthongos, vocalesque η ι υ ει αι η discreto sono proferendas contendunt, ii nonnulli sunt: & Erasmum ea de re (qui, nescio, an vt scripsit, sensisse censendus est) sequuntur. Qui vero indiscreto sono pronuntiant, illi vsum, magistrum loquendi, ipsosque Græcos hoc modo pronuntiantes hodie, nō solum oro se habent, sed quibusdam etiam clarissimorum veterum testimoniis nituntur. Testimonia autem præcipua inter alia operæ pretiū iuuentuti arbitratus sum ex Cicerone, Eustathio, & Thucydide huc subiicere. Thuc. libro secundo, ἐμνήσθησαν καὶ τοῦδε τοῦ ἔπους οἱ πρεσβύτεροι, φάσκοντες πάλαι ᾄδεσθαι·

ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

ἐγένετο μὲν οὖν ἔρις τοῖς ἀνθρώποις. μὴ λοιμὸν ὠνομάσθαι ἐν τῷ ἔπει ὑπὸ τῶν παλαιῶν, ἀλλὰ λιμόν. ἐνίκησε δὲ, ἐπὶ τοῦ παρόντος εἰκότως λοιμὸν εἰρῆσθαι. οἱ γὰρ ἄνθρωποι πρὸς ἃ ἔπασχον, τὴν μνήμην ἐποιοῦντο. Eustathius Odyss. η. τόδε ἀλετρεύουσι ἐπὶ μύλης μήλοπα καρπὸν ἔχει μὲν ἀσυνήθη παρήχησιν, ὁποίαν τινὲς καὶ ἄλλαι συγγράφησαν. Cicero libr. 9. Epistolarum: Nihil est ergo in verbo, quando & ego Græce scio, & tamen tibi dico Bini. Idque tu facis, quasi ego Græce, non Latine dixerim. His testimoniis, veluti ἀκινήτοις & euidentibus, palam fit, non esse ab vsitata, & iam olim recepta norma pronuntiandi Græce, recedendum.

IX.

In prouerbio, Columnas rumpere, Erasmus, vbi prouerbii vsum ostendit, addit continuo: Vsus est eo Virgilius, in obtrectatorem & rabulam Philistum. Nec plura his. Cum addendum ignaris historiæ, quod Tiberius Claudius, &c. scribit inter alia: hoc nimirum, Cum Virgilium tacentem ac dissimulantem iniurias & contumelias omnes Philisti, audiente etiam Augusto, elinguem appellaret: respondisse Maro fertur, Tace rabula, hæc mea taciturnitas Augustum defensorem meæ caussæ fecit: eaque tuba, cum qua loquor, vbique & diutis-

ſime audietur. Tu loquacitate tua non tantum aures hominum, ſed & muros rumpis. Huc Eraſmum alluſiſſe, & nuſquam alio, apparet.

X.

In Syllaba ti, ſequente vocali proferenda, diſſenſio eſt inter literatos, dum alii quidem ſonum ti contendunt retinendum, etiamſi vocalis ſequatur: inter quos & Henrichus Glareanus, piæ recordationis, erat. Alii vero, & ii (mea opinione) rectius, ti ſyllabam ſequente vocali ita exprimendam cenſent, ac ſi conſtet ex tribus literis, t, z & i. Et hoc pacto eruditiores communiter ferme omnes pronuntiant: & habent auctorem vſum pro ſe non tantum, ſed etiam Papyrium, vetuſtiſſimum Grammaticum, in fragmento de Orthographia, vbi in hanc ſententiam ita de re ſcribitur: iuſtitia quando ſcribitur, tertia ſyllaba ſic ſonat, quaſi conſtet ex tribus literis, t, z & i: cum habeat duas t & i. Sed notandum: quia in his ſyllabis iſte ſonus literæ z immixtus inueniri tantum poteſt, quæ conſtant t & i, & eas ſequitur vocalis quælibet: vt Tatius & otia, iuſtitia, & talia. Excipiuntur quædam propria nomina, quæ peregrina ſunt: vt Clitius, Lampetius. Sed ab his ſyllabis excluditur ſonus z literæ, quas ſequitur litera i: vt otii, iuſtitii. Item non ſonat z, cum ſyllabam ti. ſ antecedit: vt iuſtius, caſtius, honeſtius. Hæc Papyrii ſunt. Cuius ſtare iudicio tutius duco, quam quorundam neotericorum. Lector ſequatur, vtramcunq; volet pronuntiationem.

CAPVT VII.

VERSORVM PRÆCIPITANTIVM.

I.

IN Athenæi lib 15 ad finem, vertit Natalis locum, qui eſt Homeri ρ. & Iliad. λ.

καιόμεναί τε δεταὶ, τάς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ.

Ardenteſq; deta, terebrat quas ſollicitus vel, &c.

Sed parum caute, fefellit autem ipſum ignoratio loci. Senſus autem ipſius Germanus:

Ardenteſq; faces, trepidat quas, quantumuis ferox:

Eſt enim de leone, qui naturæ occulta vi faces ardentes metuit, & horret.

II.

Apud Platonem in Ione, legitur verſum: Quæ Melampodidarum vates Theoclymenus aduerſus procos fatur. In Græcis eſt: *ὥν ἂν ὁ τῶν μελαμποδιδῶν λέγῃ μάντις, θεοκλύμενος πρὸς τοὺς μνηστῆρας* Hoc eſt, Ea quæ Melampodidarum vates loquitur ad procos Theoclymenus. Eſt enim patronymicum nomen μελαμποδίδης, id eſt, de Melampode genitus. Ex Melampode enim

Mantius,

Mantius, ex Mantio Polyphides, ex Polyphide Theoclymenus: vt Homer. Odyss. 15. Ita pronepos est Melampodis Theoclymenus. Quare Melampodorum, quia corruptum est transcribentium negligentia, quod credo, ita versum quoque, &c.

III.

Strabonis versio libro 15. habet: Vrbem imminentem nomine Femur. In Græca est μηρὸς: & proprium nomen, non appellatiuum: Vnde vertendum fuerat, Nomine Merus. Eustath. enim in Homeri Iliad. ζ & in Dionys. 1. μηρὸς ὄρος ἰνδικὸν ἐκλήθη, Διονύσῳ ἀνακείμενον, ὅθεν μηροτραφεὶς μεμύθευται, φασὶν, ὁ Διόνυσος.

IV.

In prouerb. Erasmi, Iucundi acti labores, translatus est Homeri versiculus, qui habetur Odyss. ο.

νῶϊ δ' ἐνὶ κλισίῃ πίνοντέ, δαινυμένω τε.

At nos in scamnis vescentes atq; bibentes.

κλισίη scamnum transtulit, cum significet caulam, tugurium, pastoriciam domum. Quemadmodum & in π ab Eustath. explicatur, ἀγροτικὴ καλύβη. Fortasse scriptum fuit stabulis, quod quadraret ipsi dictioni: & pro stabulis librarii acceperunt scamnis. ita posset excusari Erasmi interpretatio.

V.

Interpres Tzezis in Lycophronem reddidit Latine hoc pacto, quod in Græco est, Λεῦκος ὁ χαλκοῦ τάλω ὁ κρητὸς ἦν υἱὸς, ᾧ ἦν ἰδομενεὺς τὴν βασιλείαν, καὶ τὸν οἶκον παρέθετο ἐπὶ τὴν Τροίαν ἀπαίρων: Leucus Chalci Tali Cretis filii filius. Cum transferendum: Leucus Tali ærei illius Cretensis filius, cui Idomeneus Troiam proficiscens, regnum domumque commendauit. Fuit autem hic Talus monstrum, de quo in secunda Decuria, cap. 6. & Apollon. & Orpheus. Porro dissplasiasmus est Tallus, pro Talus, propter metrum.

VI.

Odyss. Homeri 15. ad finem, interpretes iuxta, quotquot transtulere, parum apte: ἐπίβαθρον verterunt alius scalam, alius onus. Homeri locus est:

ἐδέχεν ἀλλ' ἐπίβαθρον ἐγὼν ἐθέλουσά γε δοίην.

Quo loco ἐπίβαθρον non onus, non scalam: sed naulum, & mercedem pro transuectione significat. μισθὸς ἐπιβάτου, καὶ ναῦλον.

VII.

In prouerbio Erasmi, Circenses sacrum, inter alia legitur: Interea vero captiui conscensis nauibus aufugerunt. In Græco apud Zenobium & Suidam est, αἰχμάλωτοι τὰς ναῦς ἐνέπρησαν: id est, captiui naues incenderunt, siue concremarunt. Videtur

amanuensis inscitia erratum esse: & quod erat incensis, describens conscensis, &c.

VIII.

In A. Gellii libro 15 cap. 3. ad finem legitur non solum mendose, verum etiam perperam versum, quod ex Homero citatur. Locus Gellianus sic habet. Sed illud magis quæri, inspicique dignum est, versa ne sit & mutata Ab præpositio in au syllabam, propter lenitatem vocis: an potius Au particula, sua sit propria origine: & proinde vt pleræque aliæ præpositiones a Græcis, ita hæc quoque inde accepta sit, sicuti est in illo versu Homeri,

Αὐέρυσαν μὲν πρῶτα, ἢ ἔσφαξαν, ἢ ἔδειραν.

καὶ.

Αὔερμοι. αὐίαχοι ———

Non est locus vnicus, sed duo diuersi, quorum prior Iliad α. habetur, posterior Iliad. ν. Vbi tamen legitur non αὐίαχοι, sed αὐίαχοι. υ enim Ionica epenthesis. Et Eustathius interpretatur, ἀ[illegible] βρέμοι καὶ ἅμ' ἰαχῇ: hoc est, cum fremitu & clamore. Mosellanus, & alii Græcorum locorum in Gellio interpretes, silentes & sine clamore, traduxerunt, ab Homerici loci sententia recedentes. Eustathii verba sunt: Δηλοῖ δὲ τὸ ἄβρομοι, αὐίαχοι τὸ ἅμα βρέμοι ἅμα ἰαχῇ ὧν βρέμος μὲν ἐπὶ φλογὸς, ἰαχὴ δὲ ἐπὶ [illegible]ης. αἰολικὴ δὲ τοῦ υ ἐπένθεσις ἐν τῷ αὐίαχοι ὡς ἢ ἐν τῷ [illegible], [illegible], ἀ[illegible]ὐδὸς &c.

IX.

In ε. Odyss. Homeri interpretes transtulerunt φιλίων pro positiuo & genitiuo plurali amabilium: cum sit comparatiuus irregularis, a φίλος, φιλίων, φίλιστος. Eustath. ἔστι δὲ φιλίων, ὁ φιλαίτερος, καὶ γίνεται ἐκ τοῦ φίλος ὁμοίως τῷ καλὸς, καλλίων. Κεῖται δέ που ἢ ἀλλαχοῦ παρὰ τῷ ποιητῇ, οὗ τὸ ὑπερθετικὸν φίλιστος. Est autē in α Odyss. etiam huius comparatiui vsus: & in Aiace Sophoclis, ipsius superlatiui φίλιστος.

X.

Odyss υ. versum (Οἷος ἐών, οἷός ἦν ἅμα στρατῷ αὐτὰρ ἐμοί γε χεῖρ' ἐπὶ σὺν ἰφάμην ὄναρ ἔμμεναι ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλόν) transtulere interpretes (quemadmodum & innumera alia) oscitanter [illegible] erat. [illegible]a autem diphthongus impropria est, vt editio Romana & [Eu]stathius habet, pro ᾔει: abierat, reddendum: & non, erat. Et [it]a sensus est aliquis, & magis perspicuus, quam si pro substantiuo [v]erbo accipias ἦεν, erat.

XI.

Staphylus in præfatione Trimembris theologiæ, ex Clemente Alexandrino 7. Stromatεων, citat locum, quo ostendit quomodo hæretici tractent Scripturam: [illegible] πολλῶν [illegible] γραφαῖς, καὶ οἱ [illegible] μικρόν τις, πρῶτον μὲν [illegible]

πολίτας, οὐδ᾽ ὡς τὸ σύνολον, τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγγέλλει.
Hoc est, vt ipse vel quicunque alius reddidit: Quanquam & hi qui hæreses sectantur, audeant vti propheticis scripturis: tamen primum neque omnibus vtuntur, deinde neque integris, neque etiam [illegible] propheticæ, vel G I B B V S velit. Hic τὸ ὕφος [illegible] gibbus [illegible]: propterea quod inter cetera telam textumque significat, τὸ ὕφασμα, teste Eustathio Odyss. [illegible].

XII.

In Cœlii Calcagnini libello de Equitatione legitur: Addebant his matrem Cybelem Dindymenem, cuius etiam numen mortalibus [illegible] fortunam propellebat. Proinde ex religionis ritu Apollonius videtur dixisse,

πολλὰ δὲ τήν γε λιτῇσιν ἀποστρέψαι ἐριώλας
Αἰσονίδης γουνάζετ᾽ ἐπιλλείβων ἱεροῖσιν
αἰθομένοις.——

Hoc est, vt is [illegible] transferebat: Multis precibus obsecrabat Cybelen, vt impedimenta auerteret, & precibus victimationes addebat. Ita ἐριώλας quæ vox est deprauata, impedimenta transtulit perperam: [illegible] cum ἐριώλας legendum, hoc est, procellas vehementes, & turbulentos ventos, καταιγίδας, συστροφάς. Hoc pacto interpres Apollon. libro quarto accipit, & Aristophanes in Equitibus.

XIII.

Iosephus libro primo cap. secundo, οὗτος ὁ ἄνθρωπος (scribit) οὗτος Ἄδαμος ἐκλήθη. σημαίνει δὲ τοῦτο κατὰ γλῶτταν τὴν ἑβραίων, πυρρόν. ἐπειδὴ περ ἀπὸ τῆς πυρρᾶς γῆς φυραθείσης ἐγεγόνει. τοιαύτη γὰρ ἐστὶν ἡ παρθένος γῆ, καὶ ἀληθινή. Quæ versor ita reddidit: Hic autem homo vocatus Adam est, quod nomen Hebraica lingua significat rubeum, quoniam conspersa rubra terra factus est. Talis est enim V I R G O tellus, & vera. Hoc loco παρθένος vim adiectiui habet, & accipitur pro recenti, intacta, pura, & hominum manibus non exercita. Quemadmodum & Græcis γραῖα accipitur, interdum pro vetula adiectiue, & non pro anu. Et ita Eustath. Odyss. [illegible] naues παρθένους vocat μήπω πλευσάσας καὶ μὴ ἀνδρῶν ἀψαμένας. Et Aristophanis interpres in Equitibus γραίας δὲ παλαιάς.

XIV.

Νηλιτεῖς Odyss. π. αἵ τέ σ᾽ ἀτιμάζουσι καὶ αἳ νηλιτεῖς εἰσιν. Versores perperam interpretati sunt, Sæui. Eustathius enim, & Didymus, quem sequendi, ἀναμάρτητοι: id est, insontes, innocentes, interpretantur. Versores accepti affinitate vocis νηλεής, quæ crudeles sonat.

XV.

Μετὰ νῦν δ᾽ ἐπ᾽ αὐτὴ λεγόμενον, transtulerũt communiter inter

pretes, quos viderim, omnes ita, vt ab Eustath. dissentiant. Alii enim, Ne nunc iterum diu dicamus. alii, Ne tempus verbis teramus. alii, Ne teramus super mensam tempus sermonibus. alii denique, Ne nunc diu iterum dicamus. Sed verbum λεγώμεθα, vt Eustathius exponit, aliam vim habet & significationem, nempe κοιμώμεθα, & κείμεθα ἐκ τοῦ λέγω, ἐξ οὗ καὶ λέκτρον καὶ κοίτη. Et Fauorinus, λέγω τὸ κοιμῶμαι, interpretatur. Cum Eustathio igitur transferendum esse videtur, Non est quod dormiamus, siue diu cessemus. Hic tamen meam sententiam non interpono: sed lectori committo, malit ne Eustathii interpretationem sequi, an reliquorum.

XVI.

In Poetica Plutarchi Luscinius transtulit, Idomeneu dic prius aliquid arrogantius. In Græco est, Ἰδομενεῦ τί πάρος λαβρεύεαι, hoc est, quid modo garriebas? Ex Iliad. ψ. Et ibidem, Aiacem loquacule tu bubulce: in Græco est, & ex Iliad. ν. αἶαν ἁμαρτοεπὲς βουγάϊε, quod reddendum, o Aiax vaniloque, iactitator. Est enim αἶαν, non accusatiuus, sed vocatiuus. Et eodem in loco, Aiacem vince, qui plurimum polles maledicentia: Græca habent Iliad. ψ αἶαν νεῖκει ἄριστε. hoc est, o Aiax, qui vales conuiciis, siue contentiose. Non enim νείκει verbum est, sed datiuus, a νεῖκος. Hæc ad calcem poetices Plutarchi sunt, parum fideliter versa, & alia ibidem. Fefellit autem versorem, virum alioqui egregie doctum, ignoratio locorum, vbi essent apud Homerum. Quo factum, vt ita interpretatio male habeat.

XVII.

Marsilius interpres Platonis, Homeri locum, qui est Odyss. τ. apud Platonem Politicorum libro secundo obscure, impediteque transtulit: ὥς τε τεῦ (γάρ φησιν) ἤ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς θεουδὴς ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι, καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων, εὐδικίας ἀνέχῃσι, φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ. τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς ἐξ εὐηγεσίης, ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ. Hoc est, vt Marsilius: Quemadmodum enim (inquit) probo regi, quique Dei similis, bonum conferat nomen, ferat terra nigra triticum atque hordeum, pomis grauentur arbores, fœcundæ pecudes facile pariant, mare pisces subministret, &c. Hic quod in Græco est apud Homerum & Platonem, εὐδικίας ἀνέχῃσι, bonum nomen ferat, reddidit coacte. Eustathius in sensum alium euadit: ἴσως φησὶ τὸ εὐδικίας ἀνέχῃσι, τουτέστι δικαιοσύνην τιμᾷ. Hoc est, colere & venerari iustam & fidelem administrationem. Vertendum ergo: Veluti, inquit, alicuius inculpati regis, qui pius iustitiam conseruat, terra triticum & hordeum profert, &c.

Apud

XVIII.

Apud Herodotum libro nono in calce, ostentum quoddam describitur mirum, his verbis: Fertur a Chersonitanis . vni eorum qui istos seruabant, dum carnem salsam torret, tale ostentum exstitisse. Ossa illa salsuræ PRIVS imposita, teuliit, palpitauitque, quemadmodum recens capti pisces. In Græco est: καὶ τέῳ τῶν φυλασσόντων λέγεται ὑπὸ χερσονησιτέων, ταρίχους ὀπτῶντι τέρας γενέσθαι τοιόνδε. Οἱ τάριχοι ἐπὶ τῷ πυρὶ κείμενοι ἐπάλλοντο, καὶ ἤσπαιρον ὅκωσπερ ἰχθύες νεάλωτοι. Eadem ab Eustath. Odyss. μ. recitantur. Ceterum, quod in Latina versione legitur, Ossa illa salsuræ PRIVS imposita: non vacat menda. Non enim in Græco est Prius, sed In igne. Quocirca apparet legendum esse prunis, pro prius. Hoc est: imposita prunis ossa salsuræ. Alioqui obscurus, & nullus sensus erit. Ad hæc, quod ossam salsuræ ταρίχους, & paulo ante carnem salsam, in versione est vsitata: si pro eo salsi pisces (id enim τάριχος significat etiam) verteremus, tolerabiliorem fore translationem puto. Miror a Castalione, qui alioqui non malam operam in emendando Latinam Vallæ in Herodoto interpretationem nauauit, nihil hic adnotatum esse, aut restitutum.

XIX.

Iliad. ω ὄπῃ πῃ ἐς γαλόων, ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων: Valla εἰνατέρων, nutricum. Eustach. & Didymus, εἰνατέρας vxores fratrum interpretantur, ἀδελφῶν αἱ σύνυμφοι, quæ nuptæ fratribus Cœlium lege lib. 28. cap. 24. & ἄλλοι οἱ ἀδελφῶν γυναῖκας ἔχοντες. Transferendum itaque erat Vallæ εἰνατέρας, fratrum vxores. Hessus Vallæ versionem secutus est.

XX.

Homerus Iliad ζ καὶ κεν ὕδωρ φορέοις Μεσσηΐδος ἢ Ὑπερείης. Valla, & huius παραφραστής Eobanus, a Græcorum interpretatione, Eustathii, Didymi & Arsenii, discrepant: qui Μεσσηΐς & Ὑπέρεια, pro fontibus accipiunt Thessaliæ. Et Strabo cum iisdem facit libro nono. Sed Valla vertit meridiem & mane, in hæc verba: Aquam feras meridie, vel prima luce. Eobanus: *Mane modo, nunc vespere sero.* Eiusdem est rationis illud eadem Iliad. ζ. videlicet, τεύχεσι παμφαίνων ὥστ' ἠλέκτωρ ἐβεβήκει. Valla: Vadebat per vrbem veluti gallus fulgentibus armis. Eobanus: *Per plateas vrbis longe fulgentibus armis Vt gallus.* Cum ἠλέκτωρ eo loco solem significet, hoc est: Armis fulgentibus ad instar solis. ita Græci interpretes.

CAPVT VIII.

Rituum.

I.

VLpianus, Demosthenis interpres, 2. Olynthiaca, talem ritum

fuiſſe olim apud Athenienſes ſcribit: εἰώθασι, φησὶν, οἱ Ἀθηναῖοι δού-λους ἐξ ἀπὸ αἰχμαλώτων ποιήσαντες, καὶ διδάσκειν τούτους γράμματα, καὶ ἐξέπεμπον αὐτοὺς ἐν τοῖς πολέμοις μετὰ τῶν ταμιῶν καὶ τῶν στρατηγῶν, ἵνα ἀπογράφωσι τὰ ἀναλισκόμενα. οὐκ ἀγνῶς δὲ τοῦτο ἐποίουν, ἀλλ' ἵνα τῷ βασανίζειν τούτους, ὡς δούλους ἔχοντας, μανθάνοιεν τὸ ἀληθές. αἰσχρὸν γὰρ ἐνομίζετο παρ' Ἀθηναίοις ἐλευθέρους τύπτειν. εἰ δὲ διὰ τῆς βασάνου ἐλέγχθη ὁ στρατηγὸς, καὶ ὁ ταμίας ψευδόμενος, ὡς δοῦλος λοιπὸν καὶ αὐτοὶ κακῶς ἔπασχον. Hoc eſt, Conſueuerunt Athenienſes ſeruos ex captiuis habere, docereque literas: quos emittebant in bella cum quæſtoribus & ducibus, ad notandum ea, quæ impendebantur: Illud autem non inconſulto fiebat, ſed vt verberibus iis ſictis veritatem ex iis exſculperet. (etenim turpe reputabatur apud Athenienſes, liberos verberare) Si igitur tali verberum inquiſitione, vel dux, vel quæſtor deprehendebatur feſelliſſe, tanquam ſerui deinceps, & ipſi male tractabantur.

II.

Pueri ingenui & liberi alliorum caulibus, & ceparum, cædebantur olim. Interpres Ariſtophanis in Ranis: πάλιν παρὰ τὸ μὴ τύπτειν τούτους, ἐπεὶ οἱ ἐλεύθεροι παῖδες τούτοις ἐδέροντο πράσοις καὶ κρομμύοις.

III.

Idem interpres in Pace, morem recenſet fuiſſe in Samothracia, his verbis: ἐν Σαμοθρᾴκῃ οἱ ἐν κινδύνοις γενόμενοι, ἐπεκαλοῦντο τούτους τοὺς δαίμονας τοὺς ἐν Σαμοθρᾴκῃ τούς τε Κορύβαντας, καὶ τὴν Ἑκάτην (ἐξ ἧς καὶ διαφανὲς τὸ Ζηρύνθιον ἄντρον, ἔνθα ταύτῃ τε θυσίαι ἐγίνοντο) καὶ ἐλευθεροῦντο. Hoc eſt In Samothracia, qui in aliquo periculo verſabantur, ii implorabant numina ea, quæ ibidem erant religioſa, ipſoſque Corybantas, & Hecatem (ex qua etiam erat nobilitatum antrum Zerinthum, vbi ei ſacra fieri ſolita,) & liberabantur.

IV.

Pindari interpres Pythiorum oda 4, recitat talem morem: εἰώθασι διὰ κλήρων μαντεύεσθαι τὸ πρίν. καὶ ἦσαν ἐπὶ τῶν ἱερῶν τραπεζῶν ἀστράγαλοι. οἷς ῥίπτοντες ἐμαντεύοντο· οἷον, ἐὰν βάλλοντος μου τόδε συμβῇ, ἀποτελεσθήσεται τόδε· εἰ δὲ μὴ, οὐκ ἀποτελεσθήσεται. Id eſt, Conſueuerunt olim ſortibus vaticinari. Et erant in ſacris menſis tali, quibus proiectis vaticinabantur, videlicet, Si me iaciente hoc acciderit, eueniet illud: ſin minus, non eueniet.

V.

Euſtathius annotat, fuiſſe apud Cyprios conſuetudinem, eamque lege confirmatam: Suibus aliena prædia & ſegetes vaſtantibus vel depaſcentibus, dentes truncari a poſſeſſoribus fundi. Eius verba ſunt: σῦς ληιβότειρα, διὰ τὸ νεμομένην ἀλλότριον λήιον, ἐξωδοντίζοντο οἱ ὀδόντες τοῦ χοίρου: ὁ νόμος δὲ φασὶ παρὰ Κυπρίοις. Odyſſ. σ.

Religio

VI.

Religiose etiam olim obseruatum, τῇ γαμηλίῳ rem diuinam cum facerent, victimæ fel eximere, & post aram abiicere. Ad innuẽdum, bilem prorsum, iramque a coniugali thoro sequestrandam esse. Huius ritus mentio est apud Cœlium libr. 28. cap. 21.

VII.

Quæ venalia erant, & prostabant; illa lauro conspergi solebãt antiquitus. Vnde lib. 5. Fastorum:

Vnda fit hinc laurus, lauro sparguntur ab vda
Omnia, quæ dominos sunt habitura nouos.

VIII.

Mense Martio, caussæ hospitum & externorum audiri, & expediri consueuerunt. Interpres Aristophanis in Auibus: τῷ μουνυχιῶνι μηνὶ ἐδικάζοντο οἱ πρὸς τοὺς ξένους δίκας.

IX.

Solebant quoque apud Auctores cum Græcos, tum Latinos, dissimulari eorum nomina, neque exprimi semper, qui idem nomen cum patribus erant sortiti. Aristophanes in Auibus: εἰ δ' ὁ πισίου προδοῦναι τοῖς ἀτίμοις τὰς πύλας βούλεται. Id est, Si Pisiæ filius scilicet Pisias, prodere portas voluerit ignominiosis. Qui cognominis est alioqui, etiam moribus vult respondere, perdix sit: id est, impostor. Et Virgil. lib. 11.

Apennimicola bellator filius Auni.

X.

Theocriti interpres Idyll. ζ. festum fuisse in Arcadia, in quo solenne erat pueris Panasquillis cædere, cum choragi vilem, neque sufficientem victimam edentibus mactassent. Græca sic habent: ἑορτὴ ἐτελεῖτο, ἐν ᾗ οἱ παῖδες τὸν Πᾶνα ταῖς σκίλλαις ἔτυπτον, ὅτι οἱ χορηγοὶ λιτὸν ἱερεῖον ἔθυον, καὶ μὴ ἱκανὸν τοῖς ἐσθίουσι.

XI.

Fuit & moris, regum nobiliumq; virginibus filiis obire munus lauãdi. Quod annotatur ab Eustathio Odyss. ο. & ζ. in Nausistrata, & Phœnissa matre Eumæi: ἔθος ἦν, καὶ ταῖς ἐνδόξοις τὸ πλυντικὸν ἔργον, ὡς ἡ ναυσικάα ἐδήλωσεν.

XII.

Vsitatum fuit Laconibus, gestare in bello purpureas vestes, vt notæ sanguinis vulneratorum, coloris cognatione tegerentur, & minus alii terrerentur. Verba Eustathii Odyss. ξ. χρηστὸν εἶναι ἐν πολέμοις φοινικοῦν τὰ φορήματα, ἐφάνη καὶ ἐν Ἰλιάδι κατὰ τὸ λακωνικὸν, ὡς ἐν μάχαις ἀπολείπεσθαι ἡ τοῦ αἵματος ῥῆσις διὰ τῆς ὁμοχρόου ἐσθῆτος.

XIII.

Antiquitus & hoc fuit consuetum, vt Idyll. 3 refert interpres Theocriti: ἀναλαμβάνεται παρὰ τῶν ἐρώντων τὸ τηλέφιλον, καὶ πλατάγημον οἱ ψόφον ἀποτελεῖ, ἰδίους αὐτοῖς σημειοῦσθαι, ὅτι ἀντερῶνται ὑπὸ

τῶν ἐρωμένων: εἰ δ' οὐκ ἀπετέλει, ὅτι μισοῦνται. Id est: Capitur ab amantibus τηλέφιλον, id est, papauerum folium (quasi δηλίφιλον, quod amantis animum declaret) percussumque impositum pollici, medioque digito: quod si crepitum edebat, amoris argumentum habebatur: sin minus, nō amantis indicium. De eodem ritu consulendi sunt Erasm. in prouerbio, Crepitu probabis: & Cœlius lib 17. cap. 4.

XIV.

Indicendi bellum mos fuit, hasta proiecta in hostium agros. Homerus in Batrachomyomachia, Iustinus libr. 11. Liuius libr. 1. decad. 1. Alex. lib 5. cap. 3. Blondus lib. 4.

XV.

Mos est grauiter commotis & indignantibus, conqueri de eo quod factum, optareque non factum esse, etiamsi impossibile id mutari, hoc modo: Vtinam nunquam esses natus, aut fores. Atqi hinc Pythagorā volunt suam παλιγγενεσίαν cōfingendi occasionē venatum esse. Quod apud Homerum legatur tale Odyss. σ.

νῦν μὲν μήτ' εἴης βουγάϊε, μήτε γένοιο.

Quo loco Eustathius hunc morem annotat, his verbis: ἔθος τοῖς θυμουμένοις, μέμφεσθαι καὶ τὸ ἤδη γενόμενον. καὶ ἀπεύχεσθαι μὴ ἂν γενέσθαι, εἰ δὲ ἀδυνάτως ἡ ῥῆσις ἡ μήτε εἴης ἄρτι, ἀλλὰ τεθνήκοις. μήτε τὴν πάλιν ὕστερον γένοιο. ἵνα καὶ πυθαγόρας ἐξ ὁμήρου λαβὼν δοξάζοι τοὺς ψυχικοὺς ὕστερον μετεμψυχισμοὺς, &c.

XVI.

Eustath. Iliad. α. familiare poetis esse scribit, cum alicuius excellentis personæ, aut minime pœnitendæ mentionem faciunt, aliquid quod laude dignum est adiicere, itaque depingere, vt animis auditorum, memoriæque imprimatur. Vt Homerus, cum Calchanta vatem præstantissimum nominat, ornandi eum gratia & describendi addit, θεστορίδην καὶ μάντιν ἄριστον: hoc est, & generis nobilitate, Thestoris scilicet filium, & vatem optimum, a virtute celebrat. Locus est Iliad. α & verba interpretis sunt: ἰστέον, ὡς ἔθος πολλάκις τῷ ποιητῇ, ἐπὰν ἐκ τὴν ἀρχὴν προσώπου μνησθῇ τινὸς ἢ ἐπιφανοῦς, ἢ ἄλλως αὐτῷ χρησίμου. λαλεῖν περὶ αὐτοῦ ἐγκωμιαστικὸν, καὶ οὕτως ἐπιφέρειν, καὶ οἷον ἐγχαράττειν εἰς μνήμην ταῖς τῶν ἀκροωμένων ψυχαῖς. διὸ ἐνταῦθα πρῶτον ἀπὸ τοῦ κάλχαντος ἄρχεται, γένος τε αὐτοῦ ἐκτίθεται, θεστορίδην λέγων αὐτόν· καὶ τέχνην, ὅτι δηλαδὴ μάντις ἄριστος.

XVII.

Inter veteres ritus etiam numerari poterit, quod duces olim in pellibus, hoc est, pelliceis tentoriis dormitarunt. De quo more lege prouerbium Erasmi, Intra tuam pelliculam te contine.

Cornua

Digitized by Google

XVIII.

Cornua victimarum inaurari solebant. Cuius rei testis est Homerus Odyss γ. Iliad κ. Maro lib 1. Georg. & idem lib 9.

Et statuam ante aram aurata fronte iuuencam.

Ouid. lib. 7 & 10. & 15. Macrob. lib. 3. cap. 5. Alex lib. 3. cap. 12

XIX

Aristophanis Scholion in Equitibus: Ἔθος ἦν τοῖς ἐν ἀγυιαῖς ἱσταμένοις θεοῖς, ἐπὶ ταῖς ἐρχομέναις ἀγγελίαις θύειν: ὡς ἂν εἰ ἀγαθαὶ εἶεν, ἐπινεύσωσιν αὐταῖς: εἰ δὲ τοὐναντίον, ἀποστρέψωσιν. Hoc est: In viis litabant diis constitutis. propter nuntia quæ adferebantur, vt si læta essent, illis adspirarent, sin minus, vt auerterent.

XX.

Moris fuit venatoribus, ferarum latebras circumdare funiculis, appensis purpureis pennis: vt perterritæ earum conspectu, funes nec transilirent, itaque facilius capi possent. Huius li. 3. Geor. & lib. 12. Æneid. meminit Poeta, & Cœlius lib. 16. cap. 21.

XXI.

Ἔθος ἦν παρὰ τοῖς Πέρσαις, τὴν τιάραν φορεῖν, ἀλλ᾽ οὐκ ὀρθήν: μόνοι γὰρ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο, ἔστι δὲ αὕτη, καθὰ προείπομεν, παρὰ τοῖς μὲν ἄλλοις ἔθος, καὶ ἐπτηγμένην καὶ προσαλλομένην εἰς τὸ μέτωπον ἔχειν, τοῖς δὲ βασιλεῦσιν ὀρθήν. Id est: Apud Persas tiaram gestabant, nec tamen erectam, siue eminentem. nam talis solis regibus competebat & pro insigni erat. Ceteri depressam, & prominentem in frontem gerebant, &c. Reges acuminatam ferre, vsitatum erat.

XXII.

Vsitata est hæc forma amplificandæ orationis, non minus venusta, quam amœna & vrbana, qua modestiæ gratia Poetæ solent adimere aliquid, ita vt vicissim tribuant aliud. Qualis illa in fastis Ouidii:

Vltima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna, vir iniustus, fortis ad arma tamen:

Et Iliad. ε Homer.

τυτθὸς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής.

Et Odyss. π. vel ρ, μνηστὴρ δὲ καλὸς μὲν, οὐδὲ φρενήρης. Estque figura περίμησ hæc Græcis interpretibus appellata.

XXIII.

Lucianus in Toxaride ritum describit veterem, & Erasm. in prouerbio, In tergore bouis desedit. Et Cœlius lib. 27. cap. 14. Fuit autem talis. Si quis forte lædebatur, neque esset vlciscendi facultas, immolato boue carnes minutim cæsæ coquebantur, ipseque qui læsus, humi in strato tergore manibus in tergum reiectis sedebat. Quod maximũ supplicandi genus habebatur apud Scythas. Quicumque autem opitulari volebat, ille accedebat carnium portio-

ne gustata, dextro pede tergore imposito, pollicitus se pro nihil viribus auxiliaturum.

XXIV.

Amissi olim qui erant, ter vocari consueuerunt. Vnde Ouid. libro 8.

Icare (dixit) vbi es, qua te regione requiram?

Icare dicebat. —— Theoc. Idyl. 13. in Hyla:

τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν. Homerus Odyss. 9. πρὶν τινα τῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀῦσαι. & Pythiorum oda 3. Pindarus.

XXV.

Moris fuit, in funere & sepultura fortium virorum captiuos necari, & iis soluere iusta, seu inferias manibus eorum qui fortiter occubuissent. Virg. lib. 10.

Viuentes rapit inferias, quas immolet vmbris.

Et Homerus Iliad. φ.

ζωοὺς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους, &c.

XXVI.

Arsenius in Phœnissis Eurip. οἱ γὰρ θύται περὶ τῶν ἐχθρῶν οἱ βουλόμενοι μαντεύεσθαι, ἔχοντες χολὴν ἀφορῶσι· πικροὶ γὰρ οἱ ἐχθροί. &c. Vates vaticinaturi de hostibus, inspecto felle id faciebant. Amari enim hostes, sicut fel.

XXVII.

Ἔθος τοῖς ποιηταῖς, παραλλήλοις λέξεσιν ἰσοδυναμούσαις χρῆσθαι Interpres Aristophanis in Vespis. Hinc apud Homerum, ἀγορήσατο καὶ μετέειπε. Estque ἀελδήλωσις figura, sicubi tale quid habetur Eustath. tamen distinguit lib. α. Iliad. talem διπλολογίαν. Et τὸ ἀγορήσατο, intelligit narrare simpliciter, quemadmodum in exordio & narratione euenit: τὸ μετέειπεν vero, ad hortationem & consilia, vimque argumentorum pertinere censet.

XXVIII.

Solent Poetæ sæpenumero, cum translationes sunt audaciores & duriusculæ, statim subiicere comparationem, ad leniendum horrorem translationis: vt annotat Eustath. Iliad. δ. vt apud Homerum:

—— ἅμα δὲ νέφος εἵπετο πεζῶν,
ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδε νέφος αἰπόλος ἀνὴρ
ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς, &c.

Eiusdem rationis esse videtur illud Virg. lib. 11.

—— *Variusq; per ora cucurrit*
Ausonidum turbata fremor, ceu saxa morantur
Cum rapidos amnes, clauso fit gurgite murmur.

Dicendum Maroni murmur: & pro eo quia fremor posuit, subdit comparationem. Item illud Odyss. υ. κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει. ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα. Eustathii verba: τολμηρὰν οὖσαν τὴν λέξιν τοῦ ὑλάκτειν ἐπὶ ἀνθρώπου εἰπὼν καὶ σκληρὰν τροπήν, ὅμως [illegible]

τλὼ τόλμαν, οὐθὺς συνήθως διὰ τὸ πυρὰ βολῆς τῆς ἀπὸ πυκνότητος κὴ μελανίας νίφους: οὕτω κὴ ἐν ἀδυσσείᾳ τλὼ τοῦ ὀδυσσέως φαμῶας κυρίου ὑλακτεῖν, ποιηϊ αὐτὴ ζετο τῇ αὐαιδῆς τῆς λέξεως, τῇ δὲ τοῦ κοινὸς παραβολῇ: κὴ ἄλλα δὲ τοιαῦτα πολλαχοῦ.

XXIX.

Talis etiam antiquitus traditur consuetudo fuisse, vt ii qui laborabant periculoso aliquo morbo, deque quibus desperatum erat ante ianuas collocari solerent, vel vt supremum spiritum redderent terræ: vel vt a transeuntibus possent forte curari, si qui aliquando simili morbo laborassent. Et hi depositi dicebantur. Vnde Ouid. lib. 2. de Ponto:

Iam prope depositus, certe iam frigidus æger. Et Virg. lib. 12.
Ille vt depositi proferret fata parentis.

XXX.

Ritus armis lustrandi regum, de quo Iliad. ψ. & Apollonius lib. 1. & Alexander Neapolitanus, talis fuit. Rogus lustrabatur militari more, vt instructæ armatæque acies ter circum iacciam pyram, vbi defunctos cremabant, arma quatientes, cum luctu & lamentabili carmine nunc frena & balteos, nunc galeas, & cristas, nunc enses, &c. in ignem iniicerent, &c. Pete Alex. lib. 5. c. 26.

CAPVT IX.

Allegatorum, non expresso Auctoris nomine.

I.

IN prouerb Erasmi, Iucunda malorum actorum recordatio, legitur. Item illud, κὴ μέγα γάρ τε κὴ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ, &c. Versus est ex Odyss. ο. Homeri, locum autem absque nomenclatura Erasmus allegat.

II.

Eustath Odyss π. ἐκ τοῦ σίω, τὸ σείω κὴ τὸ σαίρω παρῆλθε, κὴ τὸ σίλω, ἀφ' οὗ κὴ σιτασῖνος ἄρτος: κὴ σηλία pro σηλία, ἧς χρῆσις παρὰ τῷ κωμικῷ. Innuit autem Aristophanem, & locus in Fucis est.

III.

Apud interpretem Aristophanis in Equitibus legitur, ὡς τὸ, εὐχερῆ γὰρ τὸ δή γ' ἐπὶ κὴ ἰσοφαρίσαι πυθιάζ. Locus est ex 2 Hom. Iliad Ad hæc subiicit, κὴ πούδ' τὸ γὰρ κύντερον ἄλλο μέγα κλέος. Ex Iliad. λ est. Præterea sequitur apud eundem, κὴ πουθόμεθ', ἔχε ἴσως ἀπώλετο, &c. Hic Odyss χ est.

IV.

In eodem Aristophanis interprete, ὁ ποιητὴς εἶπεν, ἐν πυρὶ δὲ βουλαί τε γενοίατο, μήδεά τ' ἀνδρῶν. Ex Ilia. β. est carmen. Et paulo post idem interpres. ἐκ κορυφῆς κατὰ πεδ... Locus ex Odyss. π.

V.

Eustath Odys ε ὁ ἥλιον ἦμαρ ὁ δυλείῳ παραφραστικῶς, οὐ ἀπὸς σημαίνοντα κὴ ἦμαρ ἐλεύθερον. ὡς τὸ, ἐλεύθερον ἦμαρ ἀπηύρας. Ex Ili ζ. locus est.

VI.

Fabius lib. 9 capit. 2. scribit, Themistoclem suasisse Atheniensibus, vt vrbem deponerent. Quia durum erat dicere, Relinquerēt.

Illud habetur apud Herodotum in 7. τὴν μὲν πόλιν παραχωρῆσαι τῷ ἀθλίῳ, τὸ ἀθλιωτάτην μεθύστῃ. Exprimit ergo Fabius fideliter παραχωρῆσαι, per Deponerentur vocem.

VII.

Æschyli commentarius in Prometheo, inter alia, ὡς ὁ Ζεὺς παρὰ τῷ ποιητῇ ...τὴν τῆς θείας αἴτησιν. Iliad. α. locus est, ad quem allusum:

τὴν δ' ἔτι ... νεφεληγερέτα Ζεύς.
ἀλλ' ἀκέων δὴν ἧστο, Θέτις δ' ὡς ἥψατο γούνων.

VIII.

Stephanus ἐν τῷ ἀσκανίᾳ: τοῖσ' ἐξ ἀσκανίης ἐριβώλακος ἦλθον ἀμοιβοί. Ex Iliad. Homeri ν, est carmen.

IX.

Interpres Aristophanis in Nubibus: οὖν ... εἰς αἰθέρα, καὶ ἐν ... φαεινῷ. Locus est Homeri Odyss. μ.

X.

ἐν τῷ ἀσκανία Stephanus: φόρκυς μὲν (φησὶν) ἦρχε καὶ ἀσκάνιος θεοειδής. Locus est Iliad. β.

XI.

Seneca de Beneficiis lib. 7. ——*Eiectum littore, egentem, Excepi, & regni demens in parte locavi.* Dissimulanter Virgilianum locum vsurpat, de Didone, quæ ad hunc modum queri introducitur lib. 4. Et paulo post ex eodem libro: *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam Dulce meum.*—— Seneca, dissimulato auctore, versus hos suæ sententiæ adcommodauit.

XII.

In argumento fabulæ Persarum, Interpres: τοῦ δὲ χοροῦ τὰ μὲν ... παρῳδίας, ὡς ἔπι λέγει ... τὴν αἰτίαν ... ὡς τὸ, τύριον οἶδμα ... Qui locus est Euripidis ex Phœnissarum Choro primo, Actus primi.

XIII.

Scholiastes Theocriti Idyll. ι. ἀλλ' ἐὰν μὲν σε ... ἔλαβον ... ἔρημα μελαίνας, καὶ χολωθείην ... Locus est Homeri Odyss. ε. καὶ φιλοίτιος ἐγὼ ἐν τοῖς ... Locus Odyss. υ Homeri.

XIV.

A Gellius lib. 15. cap. 3. Sicut est in illo versu,

αὐέρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν.

Homeri est carmen Iliad. α. Et subdit: καὶ ... καὶ ... Est locus Homeri Iliad. ι. Vide supra caput septimum.

XV.

Stephanus ἐν ἀσκανίᾳ: τοῖσ' ἐξ ἀσκανίης ἐριβώλακος ἦλθον ἀμοιβοί. Ex Homeri Iliad. ν. est carmen.

XXI.

Ouid. lib. 13. de Cyclope:

Lac

Lac mihi semper adest niueum: pars inde bibenda
Seruatur, partem liquefacta coagula durant.

Ex Homeri Odyss. ι translatum apparet, vbi de Cyclope:

αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος,
πλεκτοῖς ἐν ταλάροισιν ἀμησάμενος κατέθηκεν·
ἥμισυ δ' αὖ ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη
πίνειν αἰνυμένῳ, καί οἱ ποτιδόρπιον εἴη.

XVII.

Aristophanis interpres in Acharnensibus: παροιμίας εἰς οἷον εἰς τέλειον μηδ' ἀναβάλλεσθαι ἐς αὔριον, ἐς ἔνηφι. Hoc est, Ne quid reiicias in crastinum & perendinum diem. Carmen est Hesiodi libro I. Et addit interpres: τινὲς δὲ εἰς τὴν ἐπιοῦσαν, διαλυθείσης τῆς ἐκκλησίας συνιόντων πάλιν βουλόμενοι περὶ τοῦ αὐτοῦ. Vbi mendose excusum βουλόμενοι, pro ὀχλούμενοι: vt obiter etiam hoc addam hic, quod alias faciendum erat.

XVIII.

Euripidis interpres Arsenius in Phœnissis: ὡς τὸ, ἀσπίδι ταυρείῃ κεκαλυμμένος. Est ex Homeri Iliad π. quod allegat.

XIX.

Idem interpres aliquanto post in Phœnissis: ὡς τὸ, διὰ δ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα. Ex Iliad κ. est.

XX.

Scholiastes Apollonii li. α. Argon. τὸ μὲν γὰρ ὀλίγον ἀμελῆσαι τοῦ πόνου, συγγνώμης ἄξιον. τὸ δὲ ἐπιπολὺ, ἀνυπόστατον ἦν παντὶ ἀνδρί. καὶ ἔστιν αὐτὸ, παρὰ τὸ, πάντων μὲν κόρος ἐστί. Locus est ex Iliad. ν.

CAPVT X.

Erratorum.

I.

IN Theocriti Scholiaste Idyll. 6 scribitur: οὗτος ἐστι Τήλεμος, ὁ παρ' Ὁμήρῳ Εὐρυμίδης ἢ Εὐρύμαχος καλούμενος. ὃς μαντοσύνῃ ἐκέκαστο. (est autem locus Odyss. 9. Homeri.) Quibus videtur Scholiastes pro proprio nomine accepisse Εὐρυμίδης, & pro eodem εὐρύμαχος, sed perperam. Etenim patronymicum nomen est, vt Eustathius interpretatur, εὐρύμου παῖς. Et Ouid. idem, cum Eustathio faciens libr. 13.

Telemus Eurymedes, quem nulla fefellerat ales,

Testatur. & in Ibin iterum idem Poeta:

——Cui casus ante futuros
Telemus Eurymedes vaticinatus erat.

Ne quid dicam de Poeta Homero, qui τήλεμον appellat proprio nomine, subiecto mox εὐρυμίδην patronymico. Proinde Theocriti interpres quid eo voluerit, vt mirorita pro errore habere nō dubitarim, eoq; quod Erasmus in prouerbio, Ne vacuum abstergas, interpretem, hominem nec admodum doctum, neq; diligentem iudicet.

II.

similis error erupit in iis quæ Eustathius Odyss. ο. recenset. Verba, vt nunc habentur, sunt: λέγει δὲ ἐν τούτοις, καὶ πολύχαλκον τὴν Σιδῶνα, ἐξ ἧς εἶναι τὴν ῥηθεῖσαν φοίνισσαν, κούρην Ἀρύβαντος ῥυδὸν ἀφνειοῖο, ἣν ἀνήρπαξαν ἐκεῖθεν Τάφιοι λῃστῆρες ἄνδρες, οἴκαδε ἰόντες, πέρασαν δὲ εἰς Ἰθάκην πρὸς δώματα Λαέρτου, ὁ δ' ἄξιον ὦνον ἔδωκε. Hoc est: Dicit autem hic Sidona nobilitatam ære esse, ex qua Phœnissa, filia Aribantis supra modum diuitis fuerit, quam rapuerunt inde Taphii prædones, rure domum redeuntem: traduxeruntque in Ithacam ad ædes Laertis, qui minime pœnitendo pretio emit. Hæc non consentanea iis quæ Poeta recenset sub persona Eumæi. Phœnissa enim illa non in Ithacam peruenit: sed quia inter nauigandum subita morte interiit, a Taphiis in mare est eiecta. Eumæus vero filius illius, deinde in Ithacam transuectus, Laerti venditus est. Quare error iste non est Eustathii (qui paulo ante & diuersa his commemorat) sed transcriptorum. Et sanaretur, si τῇ πέρασαν δὲ, ἐμὲ subiiceias, vt diceret Eumæo: Me vero in Ithacam auexerunt.

III.

In prouerbio Erasmi, Sibi malum reperit, erratum esse apparet, vel a transcriptoribus, vel in ipso auctore, in eo vbi legitur: Dictum de Eurytione, qui primus inuenit vsum vini, peremtus a Lapithis. Cum Dionysium constet reperisse vini vsum: neque Eurytionem, etiamsi inuenisset, ob eam caussam fuisse necatum: sed quia largius bibit, adeoq; ausus flagitium atrocius rapiēdo Hippodamiam, interiit. Locus ergo Homeri ita intelligendus,

οἷ τ' αὐτῷ πρώτῳ κακὸν εὕρετο οἰνοβαρείων:

Qui sibi primo malum reperit inebriatus, vel vino grauatus, deinde quoque aliis, Centauris, &c. Sensus autem, non quod vinum aut eius vsum inuenerit: sed largiore potatione sibi primo malum, id est, necem, post reliquis contribulibus Centauris. Odyss. φ.

IV.

Cœlius lib. 8. cap. 1. Certe ἄναξ veteribus rex dicebatur. quod Plutarchus tradit, & repetit Eustath. quia Anacos dicitur medela, quod illis subditorum cura incumbat. In hæc verba Græca leguntur apud Eustath. Iliad. α. Σημείωσαι ὅτι ἄνακτας ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ, τοὺς βασιλεῖς, διὰ τὸ ἀνακῶς, ἤγουν ἐπιμελῶς ἔχειν τῶν ὑπηκόων. Hoc est quod soliciti sint pro subditis. Et Iliad. 3. Eustath. ἄναξ, ἡ ἐπὶ φροντίσεως: καὶ ἀνακῶς, ἤγουν ἐπιμελῶς ἔχειν. Anacos autem non, vt Cœlius, medelam significat: sed est aduerbium ἀνακῶς, id est diligenter, sedulo, prouide. ἄνακος autem, qui non medelam habet, sed ἄκος est medela. Cuius existimaui lectorem admonendum esse.

V.

Plutarchus in syngrammate de Poetica audienda, ad calcē fere

Plutar-

Proinde dum vitio quippiam dant Poetæ, in scelera ipsa sic inuehuntur, vt nihil earum rerum attingant, quæ sunt corporis, vt: O temulente, ferens oculos canis, & leporis cor. In Græco est & locus ex Iliad. α.

οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Hoc est:

Ebrie, impudice, cor ceruinum habens.

Luscinius non literarum Græcarum ignorantia, sed errore vocis lapsus, ἐλάφοιο pro λαγῶ. Allusum autem eo ad prouerbia est, Ceruinus vir, & Canis.

VI.

Vallæ similis lapsus est. Il. ζ. κρίνας ἐκ Λυκίης εὐρείης φῶτας ἀρίστους εἷσε λόχους. Κρίνας fontem vertit, ac si scriptum κρήνην, vel κρήνας. Eius translatio: Hominum robustissimorum ad fontem Lyciæ insidias collocat. Et Eobanus eandem secutus est translationem:

Hic locat insidias, Lycia fons plurimus vndis.

Transferendum, deligens, ἐπιλεξάμενος.

VII.

De Orthio modo sententiæ quoque variant eruditorum, in historia Arionis, apud Herodotum lib. 1. & Gell. lib. 16. cap. 19. Nonnulli Orthrium legunt, & non Orthium: esseque Orthrium modum, cum quem vulgo vocant Ein daguueiss. putant. Et fuit Henrichus Glareanus huius sententiæ: motus fortasse eo, quod apud Suidam legitur, ὄρθριος νόμος, κιθαρῳδικός ἐστι. Sed ipse Suidas mox subiicit, οἶμαι (φησὶ) ὄρθιον θέλει, hoc est: Opinor, inquit, Orthium vult, aut intelligit, scilicet Aristophanes. Non esse autem legendum ὄρθριον, Græci interpretes testantur: sed ὄρθιον. Et Latini ipsi aliter de eo modo intelligunt. Eustath. Iliad. λ. τοιοῦτος γὰρ παρὰ τοῖς μουσικοῖς ὄρθιος νόμος, ἤγουν τρόπος ἐκεῖνος ᾠδῆς εἰς τὸ πόλεμον ἐρεθιστικός. τμόθεος ὃν ᾄσας ποτὲ τὸν ἄριστον ἀλέξανδρον ἐξῆλθεν, ὡς εἰς τὰ ὅπλα εὐθὺς ἐκεῖνος ἀναπηδῆσαι. Hæc Eustath. Interpres Aristophanis in Acharnensibus: ὄρθιος νόμος καλούμενος, διὰ τὸ εἶναι εὔτονος, καὶ ἀνάτασιν ἔχειν: ὡς δ' λαλεῖ καὶ ὅμηρος, ἔνθα στᾶσα ἤϋσε θεὰ μέγα τε δεινόν τε, ὄρθι', ἀχαιοῖσιν δὲ μέγα σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ.

Quibus & Homerus & interpres Comici aperte interpretantur, esse talem modum, qui ad accendendos animos, erigendosque trepidos in prælia efficax sit, & accommodatus: videlicet intensus, sonorus & classicus. De eodem modo Cœl. lib 9. cap. 6. & Gell. lib. 16. cap. 19.

VIII.

De propriis nominibus in ων.

In iis quæ Græcis propria sunt nomina in ων, iuuentutem & Græcarum literarum ignaros hallucinari frequenter, proferendis in genitiui penultima, nemo est qui vel leuiter eruditus ignorat. De ea igitur re, quando apud Grammaticos nihil certi admodum adhuc, quod viderim, aut animaduerterim, traditum

est: sed quæcumq; sunt, ea prolixe, ambigue, & cōfuse verius quam ad docendum apte præcepta esse videntur: vt haberet iuuentus viam quandam paulo planiorem pronuntiandi eiusmodi, dum certiora oblata fuerint, duas regulas ea de re hic subicribere visum est. Quarum prior de polysyllabis est talis:

Prima Regula.

In polysyllabis penultima erit intuenda: Quæ si longa est in nominatiuo, erit penultima genitiui correpta, quod genus sunt:

Ἀξίων *Ἰξίων* *ἀμφίων* *πανδίων* *ἰάσων* *μαχάων* *λυκάων* *αὐθήδων*	ονος	*ἀκταίων* *σαρπήδων* *ἀγαμέμνων* *λυκόφρων* *αἰγαίων* *ὠρίων* *παλαίμων*	ονος.

1. In Actæon tamen, & Orion, Poetæ indifferentem fecerunt penultimam genitiui: vt Euripides in Bacchis,

ὁρᾷς τὸν ἀκταίωνος ἄθλιον μόρον.

Vbi producitur. Ouid. lib 4 corripit:

Oculis Actæona quæris. Et idem:

Certatimque Actæona quærunt.

2. Orion autem Iliad. Homeri 18. & Odyss. ι, *τὸν ὠρίωνα δεδα.*
Et Homerum secutus Virgilius:

Armatumq; auro circumspicit Oriona.

Et Horat. oda. 28. lib. 1.

——— *rapidus comes Orionis.*

Ouidius vero & alii corripiunt. Ouid. lib. 8.

——— *strictumq; Orionis ensem.*

3. Eiusdem rationis est *αἰγαίων*: penultimam corripit, iuxta analogiam. Statius

Audierat duros laxantem Ægeona vectes.

Contra Ouidius lib 2. Transform.

Ægeona suis immania terga lacertis.

Exempla quæ penultimam genitiui producunt.

δευκαλίων *σκιπίων* *φωκίων* *πυγμαλίων* *πορφυρίων* *ἱέρων* *ἀφορίων*	ωνος habent.	*ἠετίων* *ἀγαθῶν* *ἐνδυμίων* *χελιδών* *πολέμων* *ἀνδροτίων* *ἡφαιστίων* *ὀρθαλίων.*	ωνος habent.

Excipe

Excipe γηρύων, quod corripit penultimam nominatiui, & penultimam genitiui quoque corripit contra ἀναλογίαν aliorum. Virg. lib. 8.

Tergemini nece Geryonis, spoliisq; superbus.

Altera Regula.

Dissyllaba ferme, siue in nominatiuo penultimam breuem, siue productam habent, genitiui penultimam ex æquo producunt.

Πείσων Λείκων Λάμπων φαίδων γλαύκων χείρων αἴθρων παιώνων αἴγων ζήνων ἄλκων	ωνος habent, & producunt genitiui penultimam.

Excipe duo, αἴσων & μέμνων. Virg. lib. 1.

——*Et nigri Memnonis arma.* Ouid. lib. 7.

Et casu solito formosior Æsone natus.

Quæ duo corripiunt penultimam genitiui.

Ita ea quæ penultimam nominatiui corripiunt, in genitiuo penultimam producunt eadem ratione, vt:

σίμων σίνων τίμων δίων δόλων σόλων	hæc ωνος quoque habent.	κρίτων στραβων πλάτων θέων κίμων τύφων	ωνος

Ex quo facile erit nunc iuuentuti discernere in proferendo, hoc genus propria nomina.

PETRI PITHOEI ADVERSARIORVM SVBSECIVORVM

LIBER PRIMVS.

Ad Antonium Oiselum. I. C.

Filius per arma, per capillos, per barbam, per sacras preces.

CAPVT I.

NOn statui miscellis istis quicquam inserere, quod ad ius nostrum proprie pertineat. Volo enim hæc esse eorum, quæ de

iure molimur parerga quædam & velut subseciua. Itaque de adoptione ea hic a me annotabuntur, quæ iurisconsulti nostri et iure Quiritium sua esse nunquam dicturi sunt. Igitur vt formularii olim Romani per Populum & Prætorem adoptabant, ita ceteræ fere bellicosæ gentes per arma filios sibi adsciscebant, id est, armorum traditione. Cuius adoptionis formula exstat apud Cassiodorum libr. 4. Variar. qua Theodoricus Herulorum Regem filium sibi procreat. Sic Iustinianus noster Athalarici patrem adoptauit, vt hic ipse apud eundem auctorem gloriatur lib. 8. *Desiderio* (inquit) *concordia factus est per arma filius, quia vnũ nobis pene videbatur æquæuus.* vbi pro *vnis nobis*, libri scripti habent *nimis vobis:* vnde conucio scribendum, *qui annis vobis*. Idem auctor libr 7. in mandatis Athalarici ad Tolum, siue Tholuit Patritium (sic enim & in altero eiusdem libri loco appellatur) *Exstat*, inquit, *gentis Gothicæ huius probitatis exemplum. Gensimundus ille toto orbe cantabilis, solum armis filius factus, tanta se Amalis deuotione coniunxit, vt heredibus eorum curiosum exhibuerit famulatum.* In quo illud animaduersioné dignum est, hoc genus adoptionis per arma non perinde ius sui, id est, heredis & successoris tribuisse atque eam quæ legibus Romanis facta esset. Qua de re elegans profecto locus est apud Procopium libr. 1. Belli Persici. cuius, quia longiorem historiam suis verbis non licet hic adscribere, sensum tantum, quam potero, breuissime referam. Cabades Persarũ rex, belli quod cum Romanis gerebat ansas præcidere cupiens, eademque opera, Cosroem ex sorore filium regni successorem relinquere, excluso Cabade maiore natu, quem naturæ ius ceteris præferebat, pacem Iustino Imperatori ... btulit, si Cosroem adoptaret. Accepit statim conditionem Iustinus paratusque erat Cosroem Romano ritu adoptare, & adoptionis instrumenta conscribere, ni Proclus Quæstor intercessisset, dictitans, hoc modo & Iustinum, Romanorum vltimum Imperatorem, & Iustinianum, quem is antea nobilissimum designatum principem regnique sui successorem creauit (sic legendum apud Marcellinum Comitem) in Imperii successione magno sibi impedimento futurum. Quandoquidem hac adoptione, legibus Romanis, Cosroes ad imperium, vt filius, vocaretur. Ex consilio igitur Procli, Cabadis legatis tandem responsum est, Paratum quidem Iustinum Cosroem adoptare, & filium sibi facere, sed ita vt barbarum decet, id est, per arma, non per literarum instrumenta. Quo responso, Persæ elusos se esse sentientes (hoc enim genere adoptionis Cosroes Iustino ita adnasci non poterat vt ei in imperio suus heres succederet, quod Cabadis votum & consilium erat) re infecta, discesserunt. De Longobardis Audoeinus rex de Alboino filio apud Paulum Monachum lib 1. *Non est* (inquit) *apud nos consuetudo, vt filius regis cum patre prandeat, nisi prius a rege*

gentis

gentis extera arma accipiat. In nostris etiam annalibus scriptum est, Gumtranum regem hastæ traditione nepotē sibi successorem designasse. Sane adoptionis forma, qua Græco more Alexius Imp. Gotfridū adoptauit, exstat apud Guil. Tyriū li. 11. Bel. sacri. Fiebat etiam adoptio per comam siue per capillos Paulus Monac. lib. 6. de gestis Langobardorum: *Circa hæc tempora, Carolus Francorum princeps filium suum ad Liuthprandum misit, vt eius iuxta morem capillum susciperet: Qui eius Cæsariem incidens, ei pater effectus est:* quod & ab Othone Phrisingensi relatum est lib. 1 cap 10. Et in plerisq; Caroli annalib. sic expressum legitur. *Vt more fidelium Christianorum eius capillum primus attonderet, & pater illi spiritualis exsisteret.* Cuius moris hodieq; vmbra reliqua est. Barbæ etiam tactu Alaricum Clodouæo regi filium factum Aimoinus scribit lib. 1. hist. cap. 20 Et lib. 4. inquit, *Romanorum patricius promisit Iasoni quod barbam eius præcidens iuxta morem antiquorum eum sibi adoptaret in filium* Meminit etiam Theodorum Balsamonem alicubi notare, ex No. 24. (seu potius 89.) Leonis philosophi, per sacras preces, siue per baptismum adoptionem fieri. Idq; etiam probare ex libello quodam & rescripto Imperatoris ex Chartophylacio, vt ipse ait, sumto. Quod apud nos iampridem in vsu est. Sed quæ huius adoptionis vis fuerit, alterius erit loci exponere. Sane priscis Ecclesię ritibus, vt iam adulta ætate tingēdi, quamuis ipsimet in sacramenti verba responderent (vt Tertullianus loquitur,) primum tamen a præpositis ecclesiæ offerebantur: ita a parentibus ipsis paruulos offerri solitos, Augustinus Epistola quadam ad Bonifacium ostendit, ex qua hęc tantum subiungam *Cum videas,* inquit, *multos non offerri a parētibus, sed etiam a quibuslibet extraneis, sicut a dominis seruuli aliquando offeruntur, & nonnunquā mortuis parētibus suis paruuli baptizantur ab eis oblati, qui illis huiusmodi misericordiam præbere potuerunt: aliquando etiam, quos crudeliter parentes exposuerunt nutriendos a quibuslibet, nonnunquam a sacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptismum, quæ certe filios non habuerunt vllos, nec habere disponunt.* Sed & de spōsoribus huiusmodi Tertulliani verba lubet adscribere ex lib. de baptismo *Pro cuiusque, inquit, personæ conditione ac dispositione, etiam ætate cunctatio baptismi vtilior est, præcipue tamen circa paruulos. Quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri, qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & prouentu malæ indolis falli?*

Furtum per lancem & licium conceptum.

CAPVT II.

A Gellio pridem responsum est a quodam, quem ego Apicioni potius, quam Appiani iuris peritum fuisse crediderim, furtorum quæstiones cum lance & licio euanuisse. Quæsitū tamē est postea anxie & diligenter a multis, quodnam fuisset hoc

genus furti, per lancem & licium concepti. Qua de re, non tantum a nostris Iureconsultis, sed etiam a Grammaticis frequens Senatus habitus est. Quamobrem & hic a me locus in subseciuum referetur. Primum, recte quidam censuerunt, furtum per lancem & licium non fieri, sed perquiri & concipi. Deinde vero seruos & ministros publicos licio transuerso præcingi solitos cum Magistratibus præministrarent, aut quid aliud publica, id est, Magistratuum auctoritate facerent. Quod ex Tirone Tullio Gellius notat lib. 12. capit. 3. Apud quem tamen *lino*, & *linum*, pro *limo* & *limum* perperam & corrupte legitur. Limum enim antiquo verbo transuersum significat, vnde & limites & limum cinctum dixerunt, quod purpuram transuersam haberet, vt a Seruio, Isidoro & auctoribus limitum scriptum est. Itemque obliquitatum curatores Deos, limos, vt Arnobius testatur libr. 3. Limes etiam pro transuerso dixit Ammianus Marcell. libr. 17. eo loco: *Limibusque oculis eos ad vsque metum contuens mortis.* Sic habet calamo descriptus liber, excusi *limis*. Idem lib. 17. *Aut climatia qui limes tuentur & obliqui.* Apud Claudianum lib. 3 de rapt. Proser.

Et humanas oblimat copia mentes, id est, transuersas agit.

Sed vt ad rem redeamus, de lance quid iidem senserint, non modo refellere piget, sed etiam pudet referre. Nam quod siue ex Sexto Pompeio, seu potius ex Paulo adferri solet, etsi auctoritate aliqua fortasse nititur, exemplo tamen & ratione mihi carere videtur. Itaque de hac re ego neque manum porrigam, neque pedibus in sententias iturus sum; neque verbo consensurus. sed ex tabella potius, quando adsum, loco & modo sententiam dicam: Furtum quod a lictore aut viatore licio præcincto, ipso, aut alio quolibet comite indicium & fidem in lance præferente, siue hæc priuata fuerit, siue publica (quod magis credo) ex auctoritate magistratus perquisitum inuentumque est, per lancem & licium conceptum videri. Indicii autem nomine hic intellige ἐργὶ τὰ μήνυτρα, τὰ δὲ ἐυρετρα. Hoc quia specie & ratione non caret, exemplis potius & auctoritate firmandum est. Petronius Arbiter in Satyrico. *Dum Eumolpus cum Bargate in secreto loquitur, intrat stabulum Præco cum seruo publico, aliaque sane non modica frequentia facemque fumosam magis, quam lucidam quassans, hæc proclamauit: Puer in balneo paulo ante aberrauit, annorum circiter 16. crispus, mollis, formosus, nomine Gyton: si quis eum reddere, aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille. Nec longe a præcone Ascyltos stabat, amictus discoloria veste, atq; in lance indicium & fidem proferebat. Imperaui Gytoni vt raptim grabbatum subiret, annecteretq; pedes & manus institis, quib. spondam culcita ferebat.* Et paulo post. *Interim Ascyltos vt pererrauit omnes cum viatore cellas, venit ad meam: Et hoc quidem pleniorem spem concepit, quod diligentius oppessulatas inuenit fores. Publicus vero seruus insertans commissuris secures, claustrorum firmitatem*

tum laxauit. Ego ad genua Ascylti procubui, & per memoriam amicitia, perq; societatē miseriarū, petii, vt saltē ostenderet fratrem: imo, vt fidem haberent ficta preces. Scio te, inquam, Ascylte, ad occidendū me venisse. Quo n. secures attulisti? Itaq; satia iracundiam tuam. Prabeo ecce ce[r]uicem, funde sanguinem quem sub pratextu quastionis petisti. Amolitur Ascyltos inuidiam, &c. Se vero nihil aliud quā fugitiuū suum dixit quarere, mortē nec hominis concupisse, nec supplicis, vtiq; eius, quem post fatalē rixam habuit carissimū. At non seruus publicus tam languide agit, sed raptam cauponis harundinem subter lectū mittit, omniaq; etiam foramina parietū scrutatur. Adscripsi locū paulo latius, tum quod totam quæstionis rationem accurate exprimit, tum quod in vulgatis Petronii exemplaribus non extat. Extat autem, cum magna eius Satyrici parte, in meo libro, cuius ego procacitatem, petulantiam, & lasciuiam priuato carcere ita damnaui, vt tamen eius copiam viris optimis & amicissimis non negem, q̄ non ita dudum feci Errico Mesmio, V.C. & bonarum artium (vere dixerim) patrono. Cæterum, discoloriam vestem dixit Arbiter, vt iuris nostri auctores versicolariam, Vopiscus cum Augusto coloriam. Discoloria autem veste vti solitos, qui quid publica auctoritate facerent, testimonio sunt Imperatoriæ cōstitutionis verba, in Codice Theodosiano, sub titulo, De habitu quo intra vrbem vti oportet: quę quia ad rem maxime pertinent, a me hic referētur. *Officiales* (inquiut) *per quos statuta cō[p]lentur, ac necessaria peraguntur, vt quidem penulis iubemus, verum interiorem vestem admodū cingulis obseruare: ita tamē vt discoloribus quoq; palliis pectora cōtegentes, conditionis sua necessitate ex huiusmodi agnitione testentur. Id vero hodi. q; in vsu esse non desit.* Sed & Eunuchos versicoloria olim veste indui solitos, Eographius in Terentium notat: quod ego de pueris nobilibus & iis, qui in delitiis habebantur, rectius dici censuerim. Verum ne quis nouam quandam rei amissæ perquirendæ & concipiendæ rationem a Petronio descriptam putet, subiiciam & Eutychi apud Plautum in Mercatore verba,

Certum est (inquit) *praconium iubere iam quantum est conducier,*
Qui illam inuestigent, qui inueniant: Post, ad Pratorem illico
Ibo, orabo, vt conquisitores det mihi in vicis omnibus.

Extant & alia præconii huius exempla apud Lucianum multis locis, tum vero maxime in fugitiuis. itemq; apud Senecam lib. 5. cōtrouersiarum, sed & apud Apuleiū lib. 6. Asini aurei, sane q̄ elegans, in quo mirum videri non debet, Mercuriū prædicatorem in lance indicium & fidem non præferre, qui indicaturæ (vt idem loquitur) nomine, nihil præter Veneris suauia & linguæ adpulsum pollicceatur, vt & ipsa Venus apud Theocritū 21. Curius Fortunatianus Iurisc. lib. 1. Rhetoricæ schol. cæ. *Cuius seruus fugerat, libello proposito, vel per praconem nuntians, dixit daturū se denarios mille ei, qui ad se seruum perduxisset.* In numerorum etiam historia quod refertur

τῶν ἐρωμένων: εἰ δ' οὐκ ἀπιτέλει, ὅτι μισοῦνται. Id est: Capitur ab amantibus τηλέφιλον, id est, papauerum folium (quasi δηλίφιλον, quod amantis animum declaret) percussumque impositum pollici, medioque digito: quod si crepitum edebat, amoris argumentum habebatur: sin minus, nō amantis indicium. De eodem ritu consulendi sunt Erasm. in prouerbio, Crepitu probabis: & Cœlius lib 17. cap. 4.

XIV.

Indicendi bellum mos fuit, hasta proiecta in hostium agros Homerus in Batrachomyomachia, Iustinus libr. 11. Liuius lib. 1. decad. 1. Alex. lib 5. cap. 3. Blondus lib. 4.

XV.

Mos est grauiter commotis & indignantibus, conqueri de eo quod factum, optareque non factum esse, etiamsi impossibile id mutari, hoc modo: Vtinam nunquam esses natus, aut fores. Atq; hinc Pythagorā volunt suam παλιγγενεσίαν cōfingendi occasionē venatum esse. Quod apud Homerum legatur tale Odyss. σ.

νῦν μὲν μήτ' εἴης βουγάϊε, μήτε γένοιο.

Quo loco Eustathius hunc morem annotat, his verbis: ἔθος τοῖς θυμουμένοις, μέμφεσθαι καὶ τὸ ἤδη γεγονός. καὶ ἀπαρνεῖσθαι μὴ αὐτὸ γενέσθαι, εἰ καὶ ἀδύνατος ἡ εὐχή. ὡς μήτε εἴης ἄρτι, ἀλλὰ τεθναίης. μήτε τὴν πάλαι ὕστερον γένοιο. ἵνα καὶ πυθαγόρας ἐξ ὁμήρου λαβὼν δοξάζοι τοὺς ψυχικοὺς ὕστερον μετεμψυχισμοὺς, &c.

XVI.

Eustath. Iliad. α. familiare poetis esse scribit, cum alicuius excellentis personæ, aut minime pœnitendæ mentionem faciunt, aliquid quod laude dignum est adiicere, itaque depingere, vt animis auditorum, memoriæque imprimatur. Vt Homerus, cum Calchanta vatem præstantissimum nominat, ornandi eum gratia & describendi addit, θεστορίδην καὶ μάντιν ἄριστον: hoc est, & generis nobilitate, Thestoris scilicet filium, & vatem optimum, a virtute celebrat. Locus est Iliad. α & verba interpretis sunt: ἰστέον, ὡς ἔθος πολλάκις τῷ ποιητῇ. ὅταν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν προσώπου μνησθείη τινὸς ἐπιφανοῦς, ἢ ἄλλως οὐ τοῦ χρησίμου. λαλεῖν τι περὶ αὐτοῦ ἐγκωμιαστικὸν, καὶ οὕτως ἐγγράφειν, καὶ οἷον ἐγχαράττειν εἰς μνήμην ταῖς τῶν ἀκροωμένων ψυχαῖς. διὸ ἐν τούτῳ τῷ περὶ τὸν ἀπὸ τοῦ κάλχαντος ἄρχεται, γένος τι αὐτοῦ ἐκτίθεται, θεστορίδην λέγων αὐτὸν καὶ τέχνην, ὅτι δηλαδὴ μάντις ἄριστος.

XVII.

Inter veteres ritus etiam numerari poterit, quod duces olim in pellibus, hoc est, pelliceis tentoriis dormitarunt. De quo more lege prouerbium Erasmi, Intra tuam pelliculam te contine.

Cornua

Digitized by Google

XVIII.

Cornua victimarum inaurari solebant. Cuius rei testis est Homerus Odyss γ. Iliad κ. Maro lib 1. Georg. & idem lib 9.

Et statuam ante aram aurata fronte iuuencam.

Ouid. lib. 7 & 10. & 15. Macrob. lib. 3. cap. 5. Alex lib. 3. cap. 12

XIX

Aristophanis Scholion in Equitibus: Ἔθος ἦν τοῖς ἐν ἀγυιαῖς ἱσταμένοις θεοῖς, ἐπὶ ταῖς ἐρχομέναις ἀγγελίαις θύειν: ὡς ἂν εἰ ἀγαθαὶ εἶεν, ἐπινεύσωσι ταύταις: εἰ δὲ τοὐναντίον, ἀποστρέψωσιν. Hoc est: In viis litabant diis constitutis, propter nuntia quæ adferebantur, vt si læta essent, illis adspirarent, sin minus, vt auerterent.

XX.

Moris fuit venatoribus, ferarum latebras circumdare funiculis, appensis purpureis pennis: vt perterritæ earum conspectu, funes nec transilirent, itaque facilius capi possent. Huius li. 3. Geor. & lib. 12. Æneid. meminit Poeta, & Cœlius lib. 16. cap. 21.

XXI.

Ἔθος ἦν παρὰ τοῖς πέρσαις, τὴν τιάραν φορεῖν, ἀλλὰ οὐκ ὀρθήν: μόνοι γὰρ οἱ τῶν περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο, ἐπὶ δὲ αὐτῇ, κιδάρει περιείμενοι, πᾶσι γὰρ τοῖς μὲν ἄλλοις ἔθος, καὶ ἐπτυγμένην καὶ προεξέχουσαν εἰς τὸ μέτωπον ἔχειν, τοῖς δὲ βασιλεῦσιν ὀρθήν. Id est: Apud Persas tiaram gestabant, nec tamen erectam, siue eminentem. nam talis solis regibus competebat & pro insigni erat. Ceteri depressam, & prominentem in frontem gerebant, &c. Reges acuminatam ferre, vsitatum erat.

XXII.

Vsitata est hæc forma amplificandæ orationis, non minus venusta, quam amœna & vrbana, qua modestiæ gratia Poetæ solent adimere aliquid, ita vt vicissim tribuant aliud. Qualis illa in fastis Ouidii:

Vltima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna, vir iniustus, fortis ad arma tamen:

Et Iliad. ε Homer.

τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας. ἀλλὰ μαχητής.

Et Odyss. π. vel ρ, μνηστὴρ δὲ καλὸς μὲν, οὐδὲ φρενήρης. Estque figura κρίμα hæc Græcis interpretibus appellata.

XXIII.

Lucianus in Toxaride ritum describit veterem, & Eras. in prouerbio, In tergore bouis desedit. Et Cœlius lib. 27. cap. 14. Fuit autem talis. Si quis forte lædebatur, neque esset vlciscendi facultas, immolato boue carnes minutim cæsæ coquebantur, ipseque qui læsus, humi in strato tergore manibus in tergum reiectis sedebat. Quod maximū supplicandi genus habebatur apud Scythas. Quicumque autem opitulari volebat, ille accedebat carnium portio-

ne gustata, dextro pede tergore imposito, pollicitus se pro nihil virili auxiliaturum.

XXIV.

Amissi olim qui erant, ter vocari consueuerunt. Vnde Ouid libro 8.

Icare (dixit) vbi es, qua te regione requiram?
Icare dicebat. ——— Theoc. Idyl. 13. in Hyla: τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν. Homerus Odyss. 9. πρὶν τινὰ τῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον ἀΰσαι. & Pythiorum oda 3. Pindarus.

XXV.

Moris fuit, in funere & sepultura fortium virorum captiuos necari, & iis soluere iusta, seu inferias manibus eorum qui fortiter occubuissent. Virg. lib. 10.

Viuentes rapit inferias, quas immolet vmbris.

Et Homerus Iliad φ.

ζωοὺς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους, &c.

XXVI.

Arsenius in Phœnissis Eurip. οἱ γὰρ θύται περὶ τῶν ἐχθρῶν βουλόμενοι μαντεύεσθαι, ἔχοντες χολὴν ἀφορμὴν· πικροὶ γὰρ οἱ ἐχθροί. &c. Vates vaticinaturi de hostibus, inspecto felle id faciebant. Amari enim hostes, sicut fel.

XXVII.

Ἔθος τοῖς ποιηταῖς, παραλλήλοις λέξεσιν ἰσοδυναμούσαις χρῆσθαι. Interpres Aristophanis in Vespis. Hinc apud Homerum, ἀγορήσατο καὶ μετέειπε. Estque παραλλήλωσις figura, sicubi tale quid habetur. Eustath. tamen distinguit lib. α. Iliad. talem δισσολογίαν. Et διὰ τοῦ ἀγορήσατο, intelligit narrare simpliciter, quemadmodum in exordio & narratione euenit: τὸ μετέειπε vero, ad hortationem & consilia, vimque argumentorum pertinere censet.

XXVIII.

Solent Poetæ sæpenumero, cum translationes sunt audaciores & duriusculæ, statim subiicere comparationem, ad leniendum horrorem translationis: vt annotat Eustath. Iliad. δ. vt apud Homerum:

——— ἅμα δὲ νέφος εἵπετο πεζῶν,
ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδε νέφος αἰπόλος ἀνὴρ
ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ ζεφύροιο ἰωῆς, &c.

Eiusdem rationis esse videtur illud Virg. lib. 11.

——— *Variusque per ora cucurrit*
Ausonidum turbata fremor, ceu saxa morantur
Cum rapidos amnes, clauso fit gurgite murmur.

Dicendum Maroni murmur: & pro eo quia fremor posuit, subdit comparationem. Item illud Odyss. υ. κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει, ὡς δὲ κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα. Eustathii verba: τολμήσας τὴν λέξιν τοῦ ὑλάκτει ἐπὶ ἀνθρώπου εἰπεῖν κατὰ σκληρὰν τροπήν, ὅμως θεραπεύει

τὴν

πλὴν τόλμαν, δύνουσι μὴ νῆας διὰ τῆς παραβολῆς τῆς ἀπὸ πυκνότητος καὶ μελανίας ... καὶ ... τὸν ... φαιδρὰς καρδίαν ὑλακτεῖν, ... τὸ ... τῆς λέξεως, τῇ ἀπὸ τοῦ κυνὸς παραβολῇ. καὶ ἄλλα δὲ ... πολλαχοῦ.

XXIX.

Talis etiam antiquitus traditur consuetudo fuisse, vt ii qui laborabant periculoso aliquo morbo, deque quibus desperatum erat ante ianuas collocari solerent, vel vt supremum spiritum redderent terræ: vel vt a transeuntibus possent forte curari, si qui aliquando simili morbo laborassent. Et hi depositi dicebantur. Vnde Ouid. lib. 2. de Ponto:

Iam prope depositus, certe iam frigidus æger. Et Virg. lib. 12.
Ille vt depositi proferret fata parentis.

XXX.

Ritus armis lustrandi regum, de quo Iliad. ψ. & Apollonius lib. 1. & Alexander Neapolitanus, talis fuit. Rogus instrabatur militari more, vt instructæ armatæque acies ter circum incēsam pyram, vbi defunctos cremabant, arma quatientes, cum luctu & lamentabili carmine nunc frena & balteos, nunc galeas, & cristas, nunc enses, &c. in ignem iniicerent, &c. Pete Alex. lib. 5. c. 26.

CAPVT IX.

Allegatorum, non expresso Auctoris nomine.

I.

IN prouerb Erasmi, Iucunda malorum actorum recordatio, legitur. item illud, καὶ μέγα γάρ τι καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνήρ, &c. Versus est ex Odyss. ο. Homeri, locum autem absque nomenclatura Erasmus allegat.

II.

Eustath Odyss π. ἐκ τοῦ σεία, τὸ σείω καὶ τὸ σαίρω ... τὸ σῆθω, ἀφ' οὗ καὶ ... : καὶ τήλια pro σηλία, ἧς χρῆσις παρὰ τῷ κωμικῷ. Innuit autem Aristophanem, & locus in Fucis est.

III.

Apud interpretem Aristophanis in Equitibus legitur, ὡς τὸ, ... ἔτ' ἐστὶ καὶ ἰσοφάρισι ... . Locus est ex 2. Hom. Iliad Ad hæc subiicit, καὶ πολὺ ... μέγα κλέος. Ex Iliad λ est. Præterea sequitur apud eundem, καὶ ... ἀπώλετο, &c. Hic Odyss γ est.

IV.

In eodem Aristophanis interprete, ὁ ποιητὴς ..., ἐν πυρὶ δὴ βουλαί τε ... ἀνδρῶν. Ex Ilia. β est carmen. Et paulo post idem interpres ... . Locus ex Odyss. π.

V.

Eustath. Odyss ρ ... ἦμαρ ἡ δουλεία ..., ὃ ... καὶ ἦμαρ ἐλεύθερον. ὡς τὸ, ἐλεύθερον ἦμαρ ἀπούρας. Ex Ili ζ. locus est.

VI.

Fabius lib. 9 capit. 2. scribit, Themistoclem suasisse Atheniensibus, vt vrbem deponerent. Quia durum erat dicere, Relinquerét.

Illud habetur apud Herodotum in 7. τὴν μὲν πόλιν παραχρημα τῇ πόλει, τὴν ἀδελφεὴν μεδέων. Exprimit ergo Fabius fideliter παραχρῆμα, per Deponerentur vocem.

VII.

Æschyli commentarius in Prometheo, inter alia, ὡς ὁ Ζεὺς παρὰ τῷ ποιητῇ περὶ τὴν τῆς Θέτιδος αἴτησιν. Iliad. α. locus est, ad quem allusum:

τὴν δ' οὔ τι προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς.
ἀλλ' ἀκέων δὴν ἧστο· Θέτις δ' ὡς ἥψατο γούνων.

VIII.

Stephanus ἐν τῇ Ἀσκανίᾳ: τοῖσδ' ἐξ Ἀσκανίης ἱεροὶ ἄλλοι ἀμοιβοί. Ex Iliad. Homeri ν, est carmen.

IX.

Interpres Aristophanis in Nubibus: ὄνειρον εἰς Ἀΐδαο, καὶ ἐν πυκινοῖς φαεινά. Locus est Homeri Odyss. μ.

X.

ἐν τῇ Ἀσκανίᾳ Stephanus: φέγγος μὲν (φησὶν) ἦλθε καὶ Ἀσκάνιος θεοειδής. Locus est Iliad. ς.

XI.

Seneca de Beneficiis lib. 7. ——*Eiectum littore, egentem, Excepi, & regni demens in parte locaui.* Dissimulanter Virgilianum locum vsurpat, de Didone, quæ ad hunc modum queri introducitur lib. 4. Et paulo post ex eodem libro: *Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam Dulce meum.*—— Seneca, dissimulato auctore, versus hos suæ sententiæ adcommodauit.

XII.

In argumento fabulæ Persarum, Interpres: τῶν δὲ χορῶν τὰ μὲν ἐν παρόδῳ, ὡς ὅτε λέγει δι' ἣν αἰτίαν πάρεισι. ὡς τὸ, τύραννοι... Qui locus est Euripidis ex Phœnissarum Choro primo, Actus primi.

XIII.

Scholiastes Theocriti Idyll. ι ἀλλ' ἐὰν μή σε βλάπτω ... κῆμα μελανθὲν ... Locus est Homeri Odyss. ε. καὶ φιλοίνιος ἐγὼ ἐν τοῖς ὀδυσσείοις ... Locus Odyss. υ Homeri.

XIV.

A Gellius lib. 15. cap. 3. Sicut est in illo versu,

αὐέρυσαν μὲν πρῶτα καὶ ἔσφαξαν καὶ ἔδειραν.

Homeri est carmen Iliad. α. Et subdit: καὶ ἀόργησι καὶ ἀνίαχοι Est locus Homeri Iliad. ν. Vide supra caput septimum.

XV.

Stephanus ἐν Ἀσκανίᾳ: τοῖσδ' ἐξ Ἀσκανίης ἱεροὶ ἄλλοι ἀμοιβοί. Ex Homeri Iliad. ν. est carmen.

XXI.

Ouid. lib. 13. de Cyclope:

Lac mihi semper adest niveum: pars inde bibenda
Servatur, partim liquefacta coagula durant.

Ex Homeri Odyss 9 translatum apparet, vbi de Cyclope:

αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος,
πλεκτοῖς ἐν ταλάροισιν ἀμησάμενος κατέθηκεν:
ἥμισυ δ' αὖ ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη
πίνειν δαινυμένῳ, καὶ οἱ ποτιδόρπιον εἴη.

XVII.

Aristophanis interpres in Acharnensibus: παρῄνεσεν εἰς οἷον εἰς τρίτην μηδ' ἀναβάλλεσθαι ἐς αὔριον, ἐς ἔνηφι. Hoc est, Ne quid reiicias in crastinum & perendinum diem. Carmen est Hesiodi libro 1. Et addit interpres: τινὲς δὲ εἰς ἡμερακίδα διαλυθείσης τῆς ἐκκλησίας συνάγεσθαι πάλιν βουλόμενοι περὶ τῶν αὐτῶν. Vbi mendose excusum ὀκλ.ομένοι, pro ὀχλούμενοι: vt obiter etiam hoc addam hic, quod alias tacendum erat.

XVIII.

Euripidis interpres Arsenius in Phœnissis: ὡς τὸ, ἀσπίδι ταυρείῃ κεκαλυμμένος. Est ex Homeri Iliad π. quod allegat.

XIX.

Idem interpres aliquanto post in Phœnissis: ὡς τὸ, διὰ δ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα. Ex Iliad κ. est.

XX.

Scholiastes Apollonii li. α. Argon. τὸ μὲν γὰρ ὀλίγον ἀμελῆσαι τῶν πόνων, συγγνώμης ἂν εἴη. τὸ δὲ ἐπιπολύ, ἀνυπόστατον ἦν παντὶ ἀνδρί. καὶ ἔστιν αὐτό, παρὰ τὸ, πάντων μὲν κόρος ἐστί. Locus est ex Iliad. ν.

CAPVT X.

Erratorum.

I.

IN Theocriti Scholiaste Idyll. 6 scribitur: οὗτος ἦν Τήλεμος, ὁ παρ' Ὁμήρῳ Εὐρυμίδης ἢ Εὐρύμαχος καλούμενος. ὃς μαντοσύνῃ ἐκέκαστο. (est autem locus Odyss. 9. Homeri.) Quibus videtur Scholiastes pro proprio nomine accepisse Εὐρυμίδης, & pro eodem Εὐρύμαχος, sed perperam. Etenim patronymicum nomen est, vt Eustathius interpretatur, Εὐρύμου παῖς. Et Ouid. idem, cum Eustathio faciens libr. 13.

Telemus Eurymedes, quem nulla fefellerat ales,

Testatur. & in Ibin iterum idem Poeta:

——*Cui casus ante futuros*
Telemus Eurymedes vaticinatus erat.

Ne quid dicam de Poeta Homero, qui τήλεμον appellat proprio nomine, subiecto mox Εὐρυμίδην patronymico. Proinde Theocriti interpres quid eo voluerit, vt miror: ita pro errore habere nō dubitarim, eoq; quod Erasmus in prouerbio, Ne vacuum abstergas, interpretem, hominem nec admodum doctum, neq; diligentem iudicet.

II.

Similis error erupit in iis quæ Eustathius Odyss o. recenset. Verba, vt nunc habentur, sunt: λέγει δὲ ἐν τούτοις ... Hoc est: Dicit autem hic Sidona nobilitatam ære esse, ex qua Phœnissa, filia Aribantis supra modum diuitis fuerit, quam rapuerunt inde Taphii prædones, rure domum redeuntem: traduxeruntque in Ithacam ad ædes Laertis, qui minime pœnitendo pretio emit. Hæc non consentanea iis quæ Poeta recenset suo persona Eumæi. Phœnissa enim illa non in Ithacam peruenit: sed quia inter nauigandum subita morte interiit, a Taphiis in mare est electa. Eumæus vero filius illius, deinde in Ithacam transuectus, Laerti venditus est. Quare error iste non est Eustathii (qui paulo ante & diuersa his commemorat) sed transcriptorum. Et lauaretur si τῇ περάσαν δὲ, ἐμὲ subiicias, vt diceret Eumæo: Me vero in Ithacam aduexerunt.

III.

In prouerbio Erasmi, Sibi malum reperit, erratum esse apparet, vel a transcriptoribus, vel in ipso auctore, in eo vbi legitur: Dictum de Eurytione, qui primus inuenit vsum vini, peremtus a Lapithis. Cum Dionysium constet reperisse vini vsum: neque Eurytionem, etiamsi inuenisset, ob eam caussam fuisse necatum: sed quia largius bibit, adeoque ausus flagitium atrocius rapiendo Hippodomiam, interiit. Locus ergo Homeri ita intelligendus,

οἱ δ' αὐτῷ πρώτῳ κακὸν εὕρετο οἰνοβαρείων:

Qui sibi primo malum reperit inebriatus, vel vino grauatus, deinde quoque aliis, Centauris, &c. Sensus autem, non quod vinum, aut eius vsum inuenerit: sed largiore potatione sibi primo malum, id est, necem, post reliquis contribulibus Centauris. Odyss. φ.

IV.

Cœlius lib. 8. cap. 1. Certe ἄναξ veteribus rex dicebatur, quod Plutarchus tradit, & repetit Eustath. quia Anacos dicitur medela, quod illis subditorum cura incumbat. In hæc verba Græca leguntur apud Eustath. Iliad α. Σημείωσαι ὅτι ἄνακτας ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ, τοὺς βασιλεῖς, διὰ τὸ ἀνακῶς, ἤγουν ἐπιμελῶς ἔχειν περὶ τῶν ... Hoc est quod solliciti sint pro subditis. Et Iliad. γ. Eustath. ἄναξ, ὁ περὶ φροντιστικῶς ἀνακῶς, ἤγουν ἐπιμελῶς ἔχων. Anacos autem non, vt Cœlius, medelam significat: sed est aduerbium ἀνακῶς, id est, diligenter, sedulo, prouide. ἄνακος autem, quod non medelam significat, habet, sed ἄκος est medela. Cuius existimaui lectorem admonendum esse.

V.

Plutarchus in syngrammate de Poetica audienda, ad calcē ferè

Proiam

Proinde dum vicio quippiam dant Poetæ, in scelera ipsa sic inuehuntur, vt nihil earum rerum attingant, quæ sunt corporis, vt: O temulente, ferens oculos canis, & leporis cor. In Græco est & locus ex Iliad. α.

οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Hoc est:

Ebrie, impudice, cor ceruinum habens.

Luscinius non literarum Græcarum ignorantia, sed errore vocis lapsus, ἐλάφοιο pro λαγώ. Allusum autem eo ad prouerbia est, Ceruinus vir, & Canis.

VI.

Vallæ similis lapsus est. Il. ζ. *κρίνας ἐκ λυκίης εὐρείης φῶτας ἀρίστους εἷσε λόχους* Κρίνας fontem vertit, ac si scriptum κρήνην, vel κρήνας. Eius translatio: Hominum robustissimorum ad fontem Lyciç insidias collocat. Et Eobanus eandem secutus est translationem:

Hic locat insidias, Lyciæ fons plurimus vndis.

Transferendum, deligens, ἐπιλεξάμενος.

VII.

De Orthio modo sententiæ quoque variant eruditorum, in historia Arionis, apud Herodotum lib. 1. & Gell. lib. 16. cap. 19. Nonnulli Orthrium legunt, & non Orthium: esseque Orthrium modum, cum quem vulgo vocant Ein daguueiss. putant. Et fuit Henrichus Glareanus huius sententiæ: motus fortasse eo, quod apud Suidam legitur, ὄρθριος νόμος, κιθαρῳδικός ἐστι. Sed ipse Suidas mox subiicit, οἶμαι (φησὶ) ὄρθιον θέλει, hoc est: Opinor, inquit, Orthium vult, aut intelligit, scilicet Aristophanes. Non esse autem legendum ὄρθριον, Græci interpretes testantur: sed ὄρθιον. Et Latini ipsi aliter de eo modo intelligunt. Eustath. Iliad. λ. *πιστὸς γὰρ παρὰ τοῖς μουσικοῖς ὄρθιος νόμος, ἤγουν τρόπος ἐκεῖνος ᾠδῆς εἰς τὸν πόλεμον ἐρεθιστικός. τιμόθεος γοῦν ἄσας τοῦτον ἄριστος ἀλέξανδρον ἐξήγειρεν, ὡς εἰς τὰ ὅπλα εὐθὺς ἐκεῖνος ἀναπηδῆσαι.* Hæc Eustath. Interpres Aristophanis in Acharnensibus: *ὄρθιος νόμος καλούμενος, διὰ τὸ εἶναι εὔτονος, καὶ ἀνάτασιν ἔχειν: ὡς δ' ἀλλοὶ καὶ ὅμηρος, ἔνθα στᾶσα ἤυσε θεὰ μέγα τε δεινόν τε, ὄρθι', ἀχαιοῖσιν δὲ μέγα σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ.*

Quibus & Homerus & interpres Comici aperte interpretantur, esse talem modum, qui ad accendendos animos, erigédosque trepidos in prælia efficax sit, & accommodatus: videlicet intensus, sonorus & classicus. De eodem modo Cœl. lib 9. cap. 6. & Gell. lib. 16. cap. 19.

VIII.

De propriis nominibus in ων.

In iis quæ Græcis propria sunt nomina in ων, iuuentutem & Græcarum literarum ignaros hallucinari frequenter, proferendis in genitiui penultima, nemo est qui vel leuiter eruditus ignorat. De ea igitur re, quando apud Grammaticos nihil certi admodum adhuc, quod viderim, aut animaduerterim, traditum

est: sed quæcumq; sunt, ea prolixe, ambigue, & cōfuse tetius quam ad docendum apte præcepta esse videntur: vt habeat iuuentus viam quandam paulo planiorem pronuntiandi eiusmodi, dum certiora oblata fuerint, duas regulas ea de re hic subscribere visum est. Quarum prior de polysyllabis est talis:

Prima Regula

In polysyllabis penultima erit intuenda: Quæ si longa est in nominatiuo, erit penultima genitiui correpta, quod genus sunt:

ἀρίων ἰξίων ἀμφίων πανδίων ἰάσων μαχάων λυκάων ἀηδών	ονος	ἀκταίων σαρπήδων ἀγαμέμνων λυκόφρων αἰγαίων ὠρίων παλαίμων	ονος.

1. In Actæon tamen, & Orion, Poetæ indifferentem fecerunt penultimam genitiui: vt Euripides in Bacchis,

ὁρᾷς τὸν ἀκταίωνος ἄθλιον μόρον.

Vbi producitur. Ouid. lib. 4 corripit:

Oculis Actæona quærit. Et idem:

Certatimque Actæona quærunt.

2. Orion autem Iliad. Homeri 18. & Odyss. ι, τὸν ὠρίωνα ἐνόησα.

Et Homerum secutus Virgilius:

Armatumq; auro circumspicit Oriona.

Et Horat. oda. 28. lib. 1.

—— rapidus comes Orionis.

Ouidius vero & alii corripiunt. Ouid. lib. 8.

——strictumq; Orionis ensem.

3. Eiusdem rationis est αἰγαίων: penultimam corripit, iuxta analogiam. Statius

Audierat duros laxantem Ægeona vectes.

Contra Ouidius lib. 2. Transform.

Ægeona suis immania terga lacertis.

Exempla quæ penultimam genitiui producunt.

δευκαλίων σκίπιων φαίων πυγμαλίων πορφυρίων ἱέρων ἀφρείων	ωνος habent.	χιτών ἀγαθών ἐνδυμίων κορύδων πολέμων αἰθροπίων ἡφαιστίων ἀρδαλίων.	ωνος habent.

Excipe

Excipe γηρύων, quod corripit penultimam nominatiui, & penultimam genitiui quoque corripit contra ἀναλογίαν aliorum. Virg. lib. 8.

Tergemini nece Geryonis, spoliisq; superbus.

Altera Regula.

Dissyllaba ferme, siue in nominatiuo penultimam breuem, siue productam habent, genitiui penultimam ex æquo producunt.

Πείσων Λαίκων Λάμπων Φαίδων γλαύκων χείρων αἴθρων παίων αἴγων ζήνων ἄλκων	ωνος habent, & producunt genitiui penultimam.

Excipe duo. αἴσων & μέμνων. Virg. lib. 1.

——*Et nigri Memnonis arma.* Ouid. lib. 7.

Et cujus celsio formosior Æsone natus.

Quæ duo corripiunt penultimam genitiui.

Ita ea quæ penultimam nominatiui corripiunt, in genitiuo penultimam producunt eadem ratione, vt:

σίμων σίνων τίμων δίων δόλων σόλων	hæc ωνος quoque habent.	κρείττων σπαύων πλάτων θέων κίμων τύφων	ωνος

Ex quo facile erit nunc iuuentuti discernere in proferendo, hoc genus propria nomina.

PETRI PITHOEI ADVERSARIORVM SVBSECIVORVM

LIBER PRIMVS.

Ad Antonium Oiselum. I. C.

Filius per arma, per capillos, per barbam, per sacras preces.

CAPVT I.

NOn statui miscellis istis quicquam inserere, quod ad ius nostrum proprie pertineat. Volo enim hæc esse eorum, quæ de

A 2

iure molimur parerga quædam & veluti subseciua. Itaque de adoptione ea hic a me annotabuntur, quæ iurisconsulti nostri ex iure Quiritium sua esse nunquam dicturi sunt. Igitur vt formularii olim Romani per Populum & Prætorem adoptabant, ita ceteræ fere bellicosæ gentes per arma filios sibi adsciscebant, id est, armorum traditione. Cuius adoptionis formula exstat apud Cassiodorum libr. 4. Variar. qua Theodoricus Herulorum Regem filium sibi procreat. Sic Iustinianus noster Athalarici patrem adoptauit, vt hic ipse apud eundem auctorem gloriatur lib. 8. *Desiderio (inquit) concordia factus est per arma filius, quia vnus nobis pene videbatur æquæuus.* vbi pro *vnis nobis*, libri scripti habent *nimis vobis*: vnde coniicio scribendum, *qui annis vobis*. Idem auctor libr. 7. in mandatis Athalarici ad Tolum, siue Tholuit Patricium (sic enim & in altero eiusdem libri loco appellatur) *Exstat*, inquit, *gentis Gothicæ huius probatæ exemplum. Gensimundus ille toto orbe cantabilis, solum armis filius factus, tanta se Amalis deuotione coniunxit, vt heredibus eorum cursosum exhibuerit famulatum.* In quo illud animaduersione dignum est, hoc genus adoptionis per arma non perinde ius sui, id est, heredis & successoris tribuisse atque eam quæ legibus Romanis facta esset. Qua de re elegans profecto locus est apud Procopium libr. 1. Belli Persici. cuius, quia longiorem historiam suis verbis non licet hic adscribere, sensum tantum, quam potero, breuissime referam. Cabades Persarũ rex, belli quod cum Romanis gerebat ansas præcidere cupiens, eademque opera, Cosroem ex sorore filium regni successorem relinquere, excluso Cabade maiore natu, quem naturæ ius ceteris præferebat, pacem Iustino Imperatori ita obtulit, si Cosroem adoptaret. Accepit statim conditionem Iustinus paratusque erat Cosroem Romano ritu adoptare, & adoptionis instrumenta conscribere, ni Proclus Quæstor intercessisset, dictitans, hoc modo & Iustinum Romanorum vltimum Imperatorem, & Iustinianum, quem is antea nobilissimum designatum principem regnique sui successorem creauit (sic legendum apud Marcellinum Comitem) in Imperii successione magno sibi impedimento futurum. Quandoquidem hac adoptione, legibus Romanis, Cosroes ad imperium, vt filius, vocaretur. Ex consilio igitur Procli, Cabadis legatis tandem responsum est, Paratum quidem Iustinum Cosroem adoptare, & filium sibi facere, sed ita vt barbarum decet, id est, per arma, non per literarum instrumenta. Quo responso, Persæ elusos se esse sentientes (hoc enim genere adoptionis Cosroes Iustino ita adrogari non poterat vt ei in imperio suus heres succederet, quod Cabadis votum & consilium erat) re infecta, discesserunt. De Longobardis Audoemus rex de Alboino filio apud Paulum Monachum lib. 1. *Non est (inquit) apud nos consuetudo, vt filius regis cum patre prandeat, nisi prius a rege*

gini

gentis extera arma accipiat. In nostris etiam annalibus scriptum est, Gumtranum regem hastæ traditione nepotē sibi successorem designasse. Sane adoptionis forma, qua Græco more Alexius Imp. Gotfridū adoptauit, exstat apud Guil. Tyriū li. 11. Bel. sacri. Fiebat etiam adoptio per comam siue per capillos Paulus Monac. lib. 6. de gestis Langobardorum: *Circa hæc tempora, Carolus Francorum princeps filium suum ad Liuthprandum misit, vt eius iuxta morem capillum susciperet: Qui eius Cæsariem incidens, ei pater effectus est:* quod & ab Othone Phrisingensi relatum est lib. 1 cap. 10. Et in plerisq; Caroli annalib. sic expressum legitur. *Vt more fidelium Christianorum eius capillum primus attenderet, & pater illi spiritualis exsisteret.* Cuius moris hodieq; vmbra reliqua est. Barbæ etiam tactu Alaricum Clodouæo regi filium factum Aimoinus scribit lib. 1. hist. cap. 20. Et lib. 4. inquit, *Romanorum patricius promisit Iasoni quod barbam eius præcidens iuxta morem antiquorum eum sibi adoptaret in filium.* Meminit etiam Theodorum Balsamonem alicubi notare, ex No. 24. (seu potius 89.) Leonis philosophi, per sacras preces, siue per baptismum adoptionem fieri. Idq; etiam probare ex libello quodam & rescripto Imperatoris ex Chartophylacio, vt ipse ait, sumto. Quod apud nos iampridem in vsu est. Sed quæ huius adoptionis vis fuerit, alterius erit loci exponere. Sane priscis Ecclesiæ ritibus, vt iam adulta ætate tingēdi, quamuis ipsimet in sacramentali verba responderent (vt Tertullianus loquitur,) primum tamen a præpositis ecclesiæ offerebantur: ita a parentibus ipsis paruulos offerri solitos, Augustinus Epistola quadam ad Bonifacium ostendit, ex qua hęc tantum subiungam. *Cum videas,* inquit, *multos non offerri a parētibus, sed etiam a quibuslibet extraneis, sicut a dominis seruuli aliquando offeruntur, & nonnunquā mortuis parētibus suis paruuli baptizantur ab eis oblati, qui illis huiusmodi misericordiam præbere potuerunt: aliquando etiam, quos crudeliter parentes exposuerunt nutriendos a quibuslibet, nonnunquam a sacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptismum, quæ certe filios non habuerunt vllos, nec habere disponunt.* Sed & de sponsoribus huiusmodi Tertulliani verba lubet adscribere ex lib. de baptismo *Pro cuiusque,* inquit, *persona conditione ac dispositione, etiam ætate cunctatio baptismi vtilior est, præcipue tamen circa paruulos. Quid enim necesse est sponsores etiam periculo ingeri, qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & prouentu malæ indolis falli?*

Furtum per lancem & licium conceptum.

CAPVT II.

A Gellio pridem responsum est a quodam, quem ego Apiciani potius, quam Appiani iuris peritum fuisse crediderim, furtorum quæstiones cum lance & licio euanuisse. Quæsitū tamē est postea anxie & diligenter a multis, quodnam fuisset hoc

tem laxauit. Ego ad genua Ascylti procubui, & per memoriam amicitia, perque societatẽ miseriarũ, petii, vt saltẽ ostenderet fratrem: imo, vt fidem haberent ficta preces Scio te, inquam, Ascylte, ad occidendũ me venisse. Quo n. secures attulisti? Itaque satia iracundiam tuam. Praebeo ecce ceruicem, funde sanguinem quem sub praetextu quaestionis petisti. Amolitur Ascyltos inuidiam, &, Se vero nihil aliud quã fugitiuũ suum dixit quaerere, mortẽ nec hominis concupisse, nec supplicis, vtique eius, quem post fatalẽ rixam habuit carissimũ. At non seruus publicus tam languide agit, sed raptam cauponis harundinem subter lectũ mittit, omniaque etiam foramina parietũ scrutatur. Adscripsi locũ paulo latius, tum quod totam quaestionis rationem accurate exprimit, tum quod in vulgatis Petronii exemplaribus non extat. Extat autem, cum magna eius Satyrici parte, in meo libro, cuius ego procacitatem, petulantiam, & lasciuiam priuato carcere ita damnaui, vt tamen eius copiam viris optimis & amicissimis non negem, q̃ non ita dudum feci Errico Mesmio, V.C. & bonarum artium (vere dixerim) patrono Ceterum, discoloriam vestem dixit Arbiter, vt iuris nostri auctores versicolariam, Vopiscus cum Augusto coloriam. Discoloria autem veste vti solitos, qui quid publica auctoritate facerent, testimonio sunt Imperatoriæ cõstitutionis verba, in Codice Theodosiano, sub titulo, De habitu quo intra vrbem vti oportet: quę quia ad rem maxime pertinent, a me hic referẽtur. *Officiales* (inquiut) *per quos statuta cõ, lentur, ac necessaria peraguntur, vti quidem penulis iubemus, verum interiorem vestem admodũ cingulis obseruare: ita tamen vt discolorib. quoque palliis pectora cõtegentes, conditionis sua necessitate ex huiusmodi agnitione testentur. Id vero hodieque in vsu esse non desiit.* Sed & Eunuchos versicoloria olim veste indui solitos, Eographius in Terentium notat quod ego de pueris nobilibus & iis, qui in deliti s habebantur, rectius dici censuerim. Verum ne quis nouam quandam rei amissæ perquirendæ & concipiendæ rationem a Petronio descriptam putet, subiciam & Eutychi apud Plautum in Mercatore verba,

Certum est (inquit) *praeconium iubere iam quantum est conducier,*
Qui illam inuestigent, qui inueniant: Post ad Praetorem illico
Ibo, orabo, vt conquisitores det mihi in vicis omnibus.

Extant & alia præconii huius exempla apud Lucianum multis locis, tum vero maxime in fugitiuis. itemque apud Senecam lib. 5. cõtrouersiarum, sed & apud Apuleiũ lib. 6. Asini aurei, sane q̃ elegans, in quo miru n videri non debet, Mercuriũ prædicatorem in lance indicium & fidem non præferre, qui indicaturæ (vt idem loqtur) nomine, nihil præter Veneris suauia & linguæ adpulsum polliceatur, vt & ipsa Venus apud Theocritũ 21. Curius Fortunatianus Iurisc. lib. 1. Rhetoricæ schol. cæ. *Cuius seruus fugerat, libello proposito, vel per praeconem nuntians, dixit daturũ se denarios mille ei, qui ad se seruum perduxisset.* In numerorum etiam historia quod refertur

eos, qui ad Baalamum ibant præmium diuinationis in manibus habuisse, non est omnino ab hoc ritu alienū. Sed addam h c illud, quando liciorum mentio incidit, videri mihi apud Spartianum in Quieto pro(*deliciis*)duobus distinctis q; verbis, *De liciis*, scribendū. Locus hic est. *Alexandrum Magnum Macedonem viri in auro & argento, mulieres in vitticulis, & dextrocheriis, & in annulis, & in omni ornaméntorum genere exsculptum semper habuerunt, eousq; vt tunicæ & limbi, & penulæ matronales in familia eius hodieq; sint, quæ Alexandri effigiem de liciis variantibus monstrent.* Significat vero tunicas, & penulas multicias & polimitas, id est, versicoloribus liciis textas, quod genus Alexandriam instituisse Plinius scribit.

Belenus, & de Diis veterum Gallorum.

CAPVT III.

GAllorum veterum Dii, hi maxime suis nominibus ex Lucano, Lactantio & Minutio Felice referuntur: Teutates, quem plerią; omnes Mercuriū credunt (Et hunc quidem a Germanis vvodam dictum Paulus Aquileiensis scribit lib 1) cui humanis hostiis litari solitum, Cæsar & Tertullianus auctores sunt, quem q; auctor Queroli, quisquis ille fuerit Gallus, Anubim latrantem deum appellasse videtur. Hesus, siue Heus, quem Martem (hūc & heredem instituere concessum, Vlpianus noster scribit, & Tencterorum legati apud Tacitum præcipuum Deorū vocant,) Taranis, siue Taramis quem Iouem. Herculem etiam Ogmii nominē coluisse, auctor est Lucianus in Hercule Gallico. Sed & eum qui a Græcis Sarapis a Latinis Serapis dicitur, hoc quoq; nomine a Gallis cultū, non immerito quis colligat ex Ammiani Marcellini verbis, quæ ex libro ipsius 16. adiecturus sum. *Latus dextrum Serapio agebat, etiam tum adulta lanuginis iuuenis, efficacia præcurrens ætatem. Mederici fratris Chonodomarii (hoc fuit tum Alamannorū regis nomen) filius, hominis, quoad vixerat, perfidissimi: Ideo sic appellatus, quod pater eius diu obsidatus pignore tentus in Galliis, doctusq; Græca quædā arcana, hunc filium suum, Agenarichum genitali vocabulo dictitatū, ad Serapionis transtulit nomen.* Hæc mysteria siue a Græcis & Ægyptiis Galli didicerint, vt Marcellinus significat, seu potius ipsi Græcos cum philosophia sua docuerint, constat sane Cæsaris testimonio, Gallos se omnes a Dite patre, id est, Serapi siue Plutone prognatos prædicasse. Idem quoq; tradit Gallos post Mercurium Apollinem colere. Sed quo nomine, hactenus proditum non est. Et vero plane ignotum id esset, nisi ex Ausonii versibus opera Lud. Miræi viri optimi (qui nuper magno literarum incommodo decessit) ex Charpini libro editis, didicissemus, Apollinem Belenum (credo a iactu, siue emissione radiorum, vnde Apolinis quoq; nomen deductum Plato scripsit) eius vero ministros siue sacerdotes. Pateras Galls dictos. Ausonii locos ex Burdegalensium professorum monimentis adscribam, & quia obscuri corruptique sunt,

sunt, tentabo si quid possum iis lucis adferre. Ac primum de Attio Patera Rhetore, Delphidii Tyronis patre, Phœbitii filio, & Phœbicii alterius fratre (hoc enim ad eius quoque loci intellectũ pertinet) sic scribit,

Tuba Cocassi stirpe Druidarum satur.
Si fama non fallit fidem,
Beleni sacratum ducis e templo genus,
Et inde vobis nomina:
Tibi, Patera (sic ministros nuncupant
Apollinaris mystici)
Fratri patriq; nomen, a Phœbo datum,
Natoque de Delphis tuo.

Idem de Phœbicio Attii Pateræ patre,

Nec reticebo senem
Nomine Phœbicium.
Qui Beleni aedituus,
Stirpe satus Druidum
Gentis Aremoricæ,
Burdigalæ cathedram
Nati opera obtinuit.

Mirabitur fortasse aliquis, qui modo librum Ausonii viderit, me hos vno ordine versus recitare, inter quos tam multi in impresso interiecti sunt. Sed is profecto sciat, iam pro certo habere me, in eo Ausonii epigrammate, itemque in aliis quibusdam, quæ breuiori huiusmodi carmine concepta sunt, vt hinc inde duabus vel pluribus (vt vocant) columellis in vna facie scribi potuerint, multos esse versus non suo ordine descriptos, quosdam etiam deesse videri. Non immorabor exemplis, præsertim cum difficilimum sit, atque etiam interdum plane ἀδύνατον, sine veteris exemplaris, quo caremus, beneficio peruersa suo loco reponere. Hoc lectorem monuisse satis sit, & his de Phœbicio versibus a me suo ordini (vt opto speroque) restitutis, ad paria tentanda prouocasse. Sed quid est quod ait Ausonius?

Tuba Cocassi stirpe.

Hoc manifesto, opinor, errore corruptum est, & emendatione indiget. Cum autem Phœbicium Pateræ ipsius, de quo loquitur patrem, stirpe Druidum gentis Aremoricæ satum dicat, suspicor hũc versum non infœliciter ita restitui posse si legamus,

Tu Baiocassi stirpe Druidarum satus.

Baiocasses & Baiocassini qui dicantur hodie, vel sola nominis exauditione notum esse potest, eosque Aremoricæ gentis esse nemo pudens inficias iuerit, cum in vltimis Galliæ finibus positi, Oceanum pene digito attingant. Et vt Baiocasses eos esse concedamus, qui apud Cæsarem Velocasses, Veliocasses, & Bellocasses in veteribus libris scribuntur, quamuis ab eo libro 7.

Belli Gallici, ab Aremoricis ciuitatib. separari videant ur, cum tamen & de delectibus tantum Gallorum loquatur, quorum ita faciendorum varia ratio esse potuit, & res ipsa ita Boiocasses, Gallorum consuetudine ab eodem Cæsare tradita, Aremoricos esse clamet, non ita facile muto sententiam. Si quis autem Baiocassium & Baiocassinorum appellationem recentiorem esse existimet, quam vt Ausonii sæculo conueniat, monendus est, non solum Sidonium Baiocassina prædia dixisse, sed & in aliis eius ætatis scriptoribus hoc nomen reperiri. Enimuero ex his Ausonii locis illud etiam annotandum censeo, fuisse in Gallia diuersas Druidarum familias, eorumque nomen etiam sub Christianis Imperatoribus celebre admodum fuisse. Sane Plinius scribit, Tiberii principatum sustulisse Druidas Gallorum, & id genus vatum medicorumque. Suetonius etiam, Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum ciuibus sub Augusto interdictam penitus Claudium aboleuisse, auctor est, quod & Seneca in Apotheosi significat. Sed vt voluerint, certe omnino sustulisse non potuerunt. Sustulerunt quidem fortasse ritum illum sacrorum detestabilem a Britannis acceptum, quo Mercurio humanis litabant hostiis (quod & eundem ipsum Tiberium in proconsulatu suo penes Africam, & Hadrianum apud Cypri Salaminam in Saturni sacris fecisse, Tertullianus & Lactantius scribunt) ita tamen vt feritatis abolitæ manerent apud Gallos vestigia, in eo, quod deuotam hostiam, id est, hominem, altaribus admotam delibabant, vt Mela auctor est: Druidas vero penitus non sustulerunt. Nam & eorum sub Vespasiano Tacitus meminit lib. 20. & Ausonii loci ita esse confirmant. Sed & ad Druidas nescio quomodo multa pertinét ex Pseudoplauti Aulularia, quæ nuper P. Danielis viri doctissimi & diligentiss. opera edita est. Meminit & Gallicanarum Druidum Lampridius in Alexandro; meminit & Vopiscus in Aureliani & in Taciti vita, a quibus eas quoque religiose consultas scribit, & ab hoc quidem apud Tungros. Atqui Germanos Druidas non habuisse Cæsar testatur: sed habuerũt tamen non omnino dissimiles a Gallicanis Druidibus Velledas & Aurinias, quarum Cor. Tacitus meminit, vt & Britannicorum Druidum libr. 14. Præter Druidas fuerunt etiam in Gallia Bardi, fuerunt & Vates siue Vaties (ita Strabo lib. 4 appellare videtur eos qui a Marcellino lib. 15. Eubages, a Diogene Laertio *σεμνοθέοι*, a Diodoro Saronidæ dicuntur) Ex quo genere philosophorum fuisse verisimile est eum quem Lucianus in Hercule Gallico picturæ sibi ænigma explicasse fingit. Non desunt tamen qui hæc religiosius distinguant, quorum ego auctoribus tam propense credulus esse non possum.

De Beleno Tertulliani locus emendatus, itemque de Cæleste, & de Besa.

CAPVT IV.

CVm hos Ausonii locos iterum atque iterum relegerem, memoria repetenti, ecquid de Beleno ab aliis auctoribus proditum esset, venit tandem in mentem Tertulliani locus, in quo variarum gentium deos enumerans, Tibilenem etiam Norici deum facit: vbi Beleni nomen corruptum statim suspicatus sum. Et quia impressi libri copia tum non fuit, veterem manuscriptum consului, quem tum forte ad manum habere contigit, in quo, bono euentu, non iam coniecturā meam, sed veram & genuinā Tertulliani scripturam reperi. Adscribam locum integrum ex Apologetico, vti quidem in veteri libro exaratus est. *Vnicuique etiam prouinciæ, & ciuitati suus Deus est, vt Syria Adstartes, vt Arabia Dysares, vt Norici Belenus, vt Africa Cœlestis, vt Mauritania Reguli sui. Romanas, vt opinor, prouincias edidi, nec tamen Romanos Deos earum, quia Romæ nō magis coluntur, quam qui per ipsam quoque Italiam municipali consecratione censentur. Casinensium Delventinus, Narnensium Visidianus, Æsculanorum Ancharia, Volciniensium Nortia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliscorum in honore patris, Curris, & accepit cognomen Iuno.* Ex quo apparet, Belenum deum in Aremorico, & in Norico cultum. Sane & eo nomine Aquileiæ cultum Apollinem indicat Iulii Capitolini locus in Maximinis. *Cum frustra*, inquit, *obsideret Aquileiam Maximinus, legatos in eandem vrbem misit, quibus populus pene cōsenserat, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens etiam Belenū per Aruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum: vnde etiam postea Maximini milites iactasse dicuntur Apollinem contra se pugnasse.* Quem Capitolinus Belenum, Herodianus βέλιν appellat lib 8. Ceterum si quis forte ad hæc quoque suspicetur, apud Tertullianum *Armorici*, pro *Norici* reponendum (Sic enim tum Aremoricum neutro etiam genere appellabant) id ego temere probare non ausim, vt illud omni asseueratione contendo, Africæ *Cœlestem* in veteri libro rectissime scriptum, non *Cœlestum*: quo modo & in Vlpiani fragmentis, & apud Capitolinum reponendū censeo. Cœlestis non est, vt opinor, Saturni pater Cælius, aut qui ab eodem Tertulliano Afrorum Saturnus dicitur, sed Cœlestis Dea.

Spartianus in 30. Tyrannis. *Afri Celsum imperatorem appellarunt peplo deæ Cœlestis ornatum.* Amm. Marcell. lib. 22. *Asclepiades philosophus cum visendi gratia Iuliani peregre ad id suburbanum venisset, deæ Cœlestis argenteum breue figmentum quocunque ibat, secum solitus efferre, ante pedes statuit simulacri sublime, accensisque cereis ex vsu cessit.* Philastrius Brixiensis in catalogo hæres. *Alia* (inquit) *hæresis in Iudæis quæ Reginam, quam & Fortunam cœli nuncupant, quam & Cœlestem vocant in Africa.* Idem ipse Tertullianus in eodem Apologetico: *Ista ipsa virgo Cœlestis pluuiarum pol-*

licitatrix, iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator, alia de morituris Socordio, & Donatio, & Asclepiodoto subministratur, nisi se dæmones confessi fuerint Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Hæc est manuscripti codicis lectio. Sane & in vetustissimo & optimo exemplari librorum Saluiani de gubernatione Dei ad S. Salonium Episcopũ (ex quo, domino faciente, auctorẽ optimum multo integriorem quã nunc est, aliquando fortasse editurus sum) quibus locis Cœlestis mentionem facit, constanter vbiq; scriptum est, *Cœlestem illam*, non *illum*. Ad Cœlestem etiam respexisse videtur Apuleius lib. 4. Floridorum his verbis: *Carthago prouincia nostra magistra venerabilis. Carthago Africa musa cœlestis.* Vereor ne apud Tertullianum in libro de virginibus velãdis, *Cereri Africanæ* scriptũ sit, pro *Cœlesti*, vt in exhortatione ad castitatem. Sed nihil temere affirmo. Habeat vero Si deo, Si deæ hanc hostiam. Et quia veternosis istis dæmoniis nescio, quo malo hodie operari contigit, libemus etiã aliquid Besæ deo, cuius Amm. Marcellinus sic meminit lib 19 *Oppidum est Abydum in Thebaidis parte situm extrema. Hic Besa dei localiter appellati, oraculũ quondam futura pandebat.* Huius dei aut oraculi nomen, àlibi legisse me nunc non memini. Sed nec quidem satis percipio, quod ait, *Besam deum localiter appellatũ*: nisi forte intelligamus ab incolis loci sic appellari, & hoc nouũ loquendi genus in Græculo milite feramus, vt sit ἐπιχωρίως. Sic enim & Tertullianus de pallio dixit: *orbes idem mutat & nunc localiter habitus.* Quid autẽ si legamus potius: *Hic Bessa dei a loco* (vel *a luco*) *taliter appellati.* Strabo de Abydo Thebaidis loquens, ait ibi fossam esse, & circa eam Ægyptiarum achantorum lucum Apollini sacrum. A fossa illa & luco, Bessa deus appellari potuit, vt Bessam campum a sylua vicina dictum. Idem scribit libr. 9. vbi ait gemino ss scribendum, vt a Besa Attici agri tribu distinguatur. Sed hæ coniecturæ tantum sunt hominis otio abutentis, quæ ἐποχλὴν & λήρειαν ferunt.

Marcellini & Taciti de Druidibus loci.

CAPVT V.

NOn abs re forsitan suspicetur aliquis Druidarum nomen reponendum esse apud Amm. Marcellinum libr. 15. vbi vulgo sic legitur, *Drasida memorant reuera fuisse populi partem indigenam.* Nec id sane omnino alienum est ab eo quod Cæsar scribit, Gallos se a Dite patre prognatos prædicare, idque a Druidibus proditum dicere. Verum, vt hoc nomen eo loco redintegrari vltro patiar, apud Cor. Tacitum libr. 12. facile hoc idem recipi non sinam. Ecquando enim tandem Druides Romæ recepti, & eo honore habiti sunt, vt iis carpento Capitolium ingredi permitteretur? cum & sub Augusto Druidarum religio ciuibus penitus interdicta sit, vt Sueton. in Claudio scribit, & a Tiberio Claudioque

etiam

etiam apud Gallos pene abolita? Sed locum ipsum Taciti adscribamus, *Suum quoq; fastigium Agrippina tollere altius, carpento Capitolium ingredi: Qui mos sacerdotibus & sacris Druidibus antiquitus concessus, venerationem augebat fœminæ.* Dio. sic: ἔ, ἡ μὲν ἐν χρυσῇ χλαμύδι, ἡ δὲ αὐτὴ μεταλλικῶς ἐχρῆτο. ἔ μάλιστα οἱ, ἔ ἡμᾶς ἄλλας τε, ἔ τὸ καρπεντίῳ ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. Vulnus quidē, vt videtur, non recens detectum est, in quo sanando, vt verum fatear, mihi ipsi plane satisfacere non possum. Equidē Sextum Pompeium scribere scio, Pilentis & carpentis per vrbem vehi matronis cōcessum esse quod cum aurum deesset ex voto quod Camillus vouerat Apollini delphico, contulerunt. T. Liuius quoq; lib. 5. sic expressit; *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, vt pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoq; vterentur.* Virgilius lib 8 Æneid. de pilentis sic canit:

> *Castæ ducebant sacra per vrbem*
> *Pilentis matres in mollibus.*

vbi Seruius *Pilenta* (inquit) *sunt vehicula, sicut nunc basternas videmus. Erant autem tunc veneti coloris, non vt nunc russati: quibus nisi castæ matronæ vti non poterant.* Quod & ab Isidoro refertur lib. 20. Etymolog vbi & carpentum ab Horatio petoritum (non prætorium) appellatum scribit. Ex quibus, vt id quoque obiter admoneam, interpretationem accipit Hieronymi ad Eustochium locus, in quo vir doctissimus humano vitio lapsus est, Bastarnas, pro basternis nescio quomodo obaudiens. *Præcedit* (inquit Hieron.) *cauens bastirnarum ordo semiuirorum.* De matronis autem loquitur, de quibus Amm. quoque Marcellinus lib 9. *Eo comitatu* (ait) *matronæ complures opertis capitibus, & basternis per latera ciuitatis cuncta discurrunt. vtq; præliorum periti rectores primo cateruas densas apponunt.* Basternæ etiam nomen eodem penitus sensu vsurpant Lampridius in Heliogabalo, & Gregorius Turon. in libris histor. Sed his crudescit potius vulnus quā sanatur. Nam vt carpenti ius matronę habuerint, quid habet earum nomen cōmune cum sacris Druidibus? Deinde carpento eas Capitolium ingressas, qui constat? Et vero vt constet, quanam tandem prærogatiua Agrippinæ venerationem id auxit, quod cum ceteris honestioribus matronis commune habuit? Itaq; quādo huic sanando nihil nunc quidem adhibere possumus, præstat desperatum nobis locum in medio deponere, quā ei præmature manus violentas inferre. Sed quid si tamen interim vulnus deligemus, aut etiam ἀνώδυνον prius adhibeamus, & quod medicos passim in dubiis desperatisque morbis facere videmus, in hoc quoq; adblandientibus medicamentis, id est, fuco & (vt ipsi vocant) palliatione vtamur? legamusque interim dum quid aptius occurret, *Qui mos sacerdotibus & sacris virginib. antiquitus cōcessus.* Artemidorus lib. 1. de Somm. interpr. φησὶ δὲ ἀγαθὸν εἶναι ἱέρειαις γυναιξὶν ἀμφὶ καὶ

παρθένοις πλουσίαις. τὸ διὰ πόλεως ἄγειν ἐλαύνειν. ἀγαθοῖς γὰρ ἡγεμόσιν αὐτῶν περιποιεῖται). loquitur autem de carpento & petorito, id est περὶ ἁρμάτος τετρώρου. Ambros. lib. 1. Epistol. ad Valent. *Vix septem vestales capiuntur puellæ. En totus numerus, quas infula vittatis capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coegerunt.* Hoc vero Agrippinæ venerationem auxisse intelligemus, quod quamuis honestiores etiam matronæ carpentis per vrbē veherentur, eis tamen carpento Capitolium ingredi ius non erat, quod sacerdotibus tantum, & sacris virginibus concessum a maioribus fuit. Cuius priuilegii vt statim aucthenticum instrumentum a nobis non proferatur, rationis tamen specie coniectura & interpretatio nostra non caret, qua sæpe in cœcis huiusmodi morbis par est nos esse contentos. Sane & ex veteribus lapidibus didicimus, L. Cælio Metello tributum vt quoties in curiam iret, curru veheretur ad curiam, quod a condito æuo nulli alii contigerat. Horatius tamen ait, Pontificem cum tacita virgine capitolium scandere. Diuersum porro fuit a carpento & petorito pilentum, vtpote mollius, quo interdum per vrbem cum sacris vehi solitas Vestales, Prudentius lib. 2. in Symmach. testatur. Ideoque Capitolinus scribit, Zenobiam virilis spiritus fœminam vehiculo carpentario vsam, raro pilento, equo sæpius. Sed longius processisse me sentio, quam res postulabat. Verum quid faciam? Omnis profecto scientia (vt ille ait) naturæ facilitate verbosa est.

Ver sacrum.

CAPVT VI.

VEr sacrum quid sit, Paulus ex Festo sic explicat: *Ver sacrum vouendi mos fuit Italis. Magnis enim periculis adducti vouebant, quæcunque vere proximo nata essent apud se animalia, immolaturos. Sed cum crudele videretur, pueros ac puellas innocentes interficere, perductos in adultam ætatem velabant, atque ita extra fines suos exigebant.* Sisenna lib. 4 Histor. *Quondam Sabini feruntur vouisse, si res communis melioribus locis constitisset, se ver sacrum facturos. Quo voto damnato fœtum omnem dicuntur eius anni statim consecrasse.* Sic enim ex Nonio locos locis cōiungendos legendosque arbitror. Idem Sext. Pompeius in Mamertini. *vt si vellent* (inquit) *eo malo liberari, ver sacrum vouerent, id est, quæcunque vere proximo nata essent, immolaturos.* Quem locum librariorum incuria in Augustiniana editione corruptum arbitror. In aliis vero auctorum locis, quos adscripturus sum, ignorantia & audacia potius quam oscitantia. Apud Iustinum lib 24 *Galli abundanti multitudine dum eos terra non caperent quæ genuerant, trecenta hominū millia ad sedes nouas quærendas, veluti peregrinatum miserūt.* Legendum auctoritate veterum librorum, velut *Ver sacrum miserunt.* In

colle-

Collectaneis rerum memorabilium Iulii Solini, vbi scriptum est, *Catillus Amphiarai filius post prodigialem patris apud Thebas interitum, Oeclei aui iussu cum omni fœtu vel sacro missus, tres liberos in Italia procreauit:* Emendandum, *cum omni fœtu ver sacrum missus.* Quod & veterum librorum & excussi cuiusdam fide mihi cōpertum est, & miror a doctissimo & diligentissimo homine prætermissum, cui studiosi omnes, vel vnius Solini nomine plurimū merito debent. Sed nemo vnquam iure reprehensus, qui e segete ad spicilegium reliquit stipulam. Apud Seruium etiam ad finem 7. Æneidos scriptum est, *Verum sacrum vouisse.* Porro autem ver s sacri vouendi, faciendique ritus peti possunt ex Liuio l br. 22. & 34. hist. A.V.C. itemque ex Dionys. Halicarnasseo libr 1 quorum huc verba transferre nihil opus esse duxi. Inde vero ab antiquis vernarum nomen pro conuitio & maledicto habitū, Nonius scribit, quod eos etiam vernas appellarunt, qui verè sacro nati essent tanquam deuotos, sacrosque & detestabiles. Quod si verum est, vt certe veri speciem habet, simul etiam quod de eadem voce Festus scripsit, subruitur plane quorūdam Grammaticorum traditio, quæ non solū Bedam in libello de Orthographia, sed & Martyrium Adamantium auctorem habet, ex cuius tractatu de V. & B. hæc Cassiodorus excerpsit, quæ ex veteri Danielis nostri, quālibet hac in parte corrupto peruersoque exemplari, adscripturus sum, sed vti ea tandem ex ingenio restituenda putaui. *Berna* (inquit) *licet ego inuenerim per V scriptum, tamen Mennatem* (*eiusdem nominis aduocati Iustinianus meminit No. 82.*) *in lustris memoria audiui, Mennonium hominem, omnis facundia iudicem, se dicentem de hoc reprehensum a Romano quodam disertissimo, quod per hunc enuntiaret literam. Nos quoque natamus, ac tentamus rationē reddere quasi diuersitatis caussæ. Si enim Berna domi genitum significat, id est οἰκογενὴς, commune est duum generum secundum veteres, nostro vero secundum meam sententiam, & per B, mutam scribitur: Si vero temporale quiddam denuntiet, erit mobile. Quare? namque vernus, verna, vernum fit? vt si quis dicat vernus sol, verna hirundo, vernū tempus, & V, sicut primitiuū eius in scriptura tenebit. Huius ita se habentibus, possumus etiam intelligere Bernam dictum esse eum, qui in bonis hæreditatis natus est. Bona vero per, B, literam scribi supradicta ratio demonstrat.* Sed hæc cum audio Græculorum mihi literatorum de aliena lingua somnia audire videor.

Adorationis ritus.

CAPVT VII.

ADorationis vetus hic, nō apud Romanos modo, sed & apud alias plerasq; gentes ritus fuit, vt dextra manu labris admota, & ad osculum relata priore digito in erectum pollicem residente capite submisso, corpus dextrouersum circūagerent. Quod in adoratione ciuili (sic enim vocare liceat dū lubet) nescio quo

modo nuper tandem a nobis simiolis magna ex parte receptum est. Plin. lib. 28. cap 2. *In adorando, dextrā ad osculū referimus, totū corpus circumagimus: quod in laeuū fecisse Galliae religiosius credunt. Fulgetras poppysmis adorare consensus gentium est* Plautus in Curcul.

P H. *Quo me vortam nescio.*

P A. *Si Deos salutas, dextrouorsum censeo.*

Ouid. lib. 3 Fast. *Adq; aliquis modo trux visa iam vertitur ara* Et de hoc adorationis ritu locus apud Liuium lib. 5; & Plutar. in Numa, itemq; in Camillo & Marcello, & apud Lucian. περὶ θυσιῶν, & de saltatione. Apul. Afer Apol. 1. *Nam, vt audio percensentibus iis, qui nouere, nulli deo ad hoc aeui supplicauit, nullum templum frequentauit: si fanum aliquod praetereat, nefas habet adorādi gratia manū labris admouere* Idē lib 4 Asin. aur. *Et admouētes oribus suis dexteram priore digito in erectum pollicē residente, vt ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationib venerabātur.* Minutius Felix Octauio, *Caecilius simulacro Serapidis viso (vt vulgus superstitiosus solet) manum ori admouens osculum labiis pressit.* Hieron. Apol. in Ruffin. de expositione illius loci, Apprehendite disciplinam: *Nescio* (inquit) *vt verbum de verbo interpretor, καταφιλήσατε, id est, deosculamini dicitur, Quod ego nolēs transferre putide, et sensum magis secutus sum, vt dicerent, Adorate. Quia enim qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere (quod se B. Iob elementis fecisse negat, dicens, Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare, & laetatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meā ore meo, quae iniquitas maxima est & negatio contra Deum altissimum) & Hebraei iuxta linguae suae proprietatē deosculationē pro veneratione ponunt, id transtuli quod ipsi intelligunt. quorum verbū est. Bar autem, &c.* Sic totus ille locus legendus distinguendusque est. Malè autem, quantū intelligo, quidā eum Iobi locum ita interpretantur ex cap. 30. vt se tacuisse significet. Nam sane aliud lōge est, manum osculari, aliud manū ori opponere, & quasi digito labellum compescere. Ad hunc quoque morem respiciens vetus interpres, quisquis ille est, locū alterū in lib. 3. ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ cap. 19. sic reddidit: *Quorum genua nō sunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum osculans manum.* Ex quo etiam illud Ecclesiastici cap. 29 Ἕως οὗ λάβῃ, καταφιλήσει χεῖρας αὐτοῦ. non inepte fortasse ita quis interpretetur. *Est qui dum accipiat manum deosculatur suam,* id est, adoret eum a quo accipit. At ego receptam meliùs loci interpretationem magis probem, quae & ratione nititur, & exemplis non caret. Macrob lib. 1 Satur. *inuenies Dominum spe lucri, oscula alienorum seruorum manibus infigentem* Apul. Apol. 2. *Pontianus ante pedes nostros aduolutus flens, & manus nostras osculabundus.* Quin de re plures sunt loci apud Arrianum in Epictet. Tacitus libro 11 *Ad genua ipsius aduolui, & dextera osculis fatigare.* Vopiscus in Aureliano: *Surrexit atque ad manus accessit agens gratias.*

Sed paulo audacius affirmare ausim, labratum inde ab antiquis dictum, quod veteres Glossæ interpretantur φίλημα βασιλικὸν, & προσκυνητὸν βασιλέως, id est, adorationē principis, quæ manu labris admota fieret. Sane & ad hunc adorationis ritum spectasse videtur Theologus, quisquis ille fuit, cuius hæc verba Athenagoras refert in Apologet. οὕτως οὖν ἀκριβώσασθαι τὸ φίλημα, μᾶλλον δὲ τὸ προσκύνημα δεῖ. Quæ ad veterem illum ritum pertinent, quo se Christiani osculo salutant ex Apostol. præcepto, cuius & sæpe Tertullianus meminit. Sed esto sane suum cuique iudicium & mihi meum, dum id tandem bono modo fiat. Porro ab hac manus ad os relatione non immerito aliquis suspicetur adorandi, quod ab ador Nonius deducere tentat, vt a capitis submissione supplicandi verbum deductum: Quanquam & hoc genua, & illud orationem magis spectare videatur. Quod autem Hieronymus adiicit, Adoraturos capita submittere, pertinet maxime ad hæc Lampridii de Alexandro verba: *Salutabatur nomine hoc, Haue Alexander, si quis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, vel abiiciebatur, si loci eius qualitas pateretur, vel ridebatur ingenti cachinno, si eius dignitas grauiori non posset subiacere iniuria.* Hoc est, quod idem paulo post scribit, Alexandrum adorari se vetuisse. Non est illud omittendum, Adoraturos etiam plerunque ad Solis ortum labia vibrare solitos, vt Tertull. loquitur, cuius hæc sunt ex Apologetico verba: *Deinde suspicio Solem nos adorare, quod innotuerit ad orientis regionem precari. Sed & plerique vestrum, affectatione aliquando, & cœlestia adorandi, ad Solis ortum labia vibratis.* Vbi in veterū libr. scriptum est, *affectatione aliquando & cœlestia adorandi.* Latinus Pacatus Drepanius Gallus, in Panegy. Theod. a dicto. *Nam, vt diuinis rebus operantes, in eam cœli plagam ora conuertimus, a qua lucis exordium est sic ego vota verborum, quæ olim nuncupaueram, soluturus, ad orationē tempus reficiam, quo Romanæ lux cœpit.* Ad quē etiam adorationis ritum multa pertinent in libro Marcelli ex magistro officiorum Theodosii Imp. de medicamentis. Ceterum veteres etiam Christianos, siue stantes Paschæ quinquagesimæ diebus, siue aliis de geniculis adorarent, ad Solis exortum conuerti solitos, vulgarius est, quam vt adnotari debeat, cuius moris rationē reddit Augustin lib. II. de sermone Domini in monte. Illud potius de voti adsignatione ex Apuleii Apol. priore huc congeratur, *Quippe omnibus, inquit, si cui forte negotium magia facessitur, quicquid omnino egerint obiicitur. Votum in alicuius statuæ femore adsignasti. Igitur magus es, aut cur signasti? Tacitas preces in templo Diis allegasti. Igitur magus es, aut quid optasti?* Est vero & de obsignatione voti elegās locus apud Lucian. in Philop. quē, quia paulo longior est, non adscribam, tantum monebo inde, consignatā orationem dictā videri in libello de Oratione, qui passim Tertulliano tribuitur. Vnde etiā intelligi potest, veteres

positis penulis adorare, & adsignata oratione assidere solitos, quod ille in Christianis reprehendit.

Baro, Dux.

CAPVT VIII.

BAronis nomen vltro tandem pro stupido, bardo, stolidoque receptum est, & apud Ciceronem pluribus in locis, quasi interdicto sedem retinuit. Retineat & apud Pers. Satyr. 6. vel libris veteribus vindicias secundum ipsum dicentibus. Nam quo loco impressi vulgo habent,

Verte aliquid, iura, sed Iupiter audiet. eheu
Vare regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si cum Ioue viuere tendis
Iam pueris pellem succinctus, &c.

Illi rectius multo

Baro regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si cum Ioue viuere tendis
Iam puer, is pellem succinctus, &c.

Scio vari vitium ad animum quoque transferri, cui non dissimili loquendi forma recto talo viuere idem dixit: Sed quisquis Baronis nomen ei loco magis congruere nõ videt, is ipse, meo quidem iudicio, Baro est. In manuscripto autem libro adscripta est veteris Grammatici glossa hæc: *Baro vel Varo, id est, fatue, stulte, lingua Gallorum Varones dicuntur serui militum. qui vtiq; stultissimi sunt.* Quod ego non statim respuendum arbitror. Nam quamuis hodie apud nos, nomen hoc nobilium & generosorum hominũ sit, quis tamẽ miretur modo duriora, interdum etiam molliora verba efficere vetustatem? Sed & cum ignauos inertesque, & nihili homines in nonnullis Galliæ partibus hodieque Barones appellari audimus, cur ab hac potius, quam ab illa significatione trahamus & deducamus? Sane vero, ne quid dissimulẽ, & in veteribus quæ exstant Saliorum, Longobardorum, Alamannorum & Ripuariorum legibus, Baronis nomen pro viro passim positum videtur, vt ab altero sexu distinguatur, & in veteri Lexico Baro ἀνὴρ vertitur. Sed in Glossis non minoris fidei scriptum est *Baro, μισθωτός*, & paulo post *Barosus σοβαρός* Quod vtrunque cum Cornuti interpretatione congruit, euincitque hanc vocem, vt Gallica non sit, Græca itidẽ non esse. Isidor. tamen lib. 9. Etymolog. *Mercenarii* (inquit) *sunt, qui seruiunt accepta mercede. Iidem & Barones Græco nomine, quod sint fortes in laboribus: βαρὺς enim grauis* dicitur. Verum vt de huius nominis origine acrius contendere nolim, sic illud non facile mihi eripi sinam, apud Hirtium siue Oppium de bello Alexandrino, Baronum nomen Galiis militibus seu custodibus tribui. Sic enim in optimis exemplaribus scriptum legitur: *Concurritur ad Cassium defendendum. Semper enim Barones compluresq; euocatos cum telis secum habere consueuerat, e*

quibus

quibus ceteri intercluduntur. Apud auctorem vero Panegyrici Maximiano Adicti, sic scriptum est eo loco, quem de Tricassino agro notauimus: *Quicquid infrequens Ambiano, & Bellouaco & Tricassino solo Lingonicoq; restabat, Baro cultore reuirescit.* Vbi quis Baro vel Barus sit, plane ignorare me fateor, putoque emendandum Vario cultore reuirescit: nisi quis malit Ambarro reponere, cum & in manuscriptis exemplaribus scriptum sit barro, & Liuius libro 5. Senones Ambarros, & Heduos coniungat. itemq; Cæsar lib 1 bell Gall. Ambarros Heduorum consanguineos appellet. Videtur tamen auctor, quisquis ille est, significare voluisse ex Britannica victoria Lingonas & Tricassinos cultores accepisse, quod & sequentia indicant. Itaque assentior potius Stephano Pasquierio viro disertissimo, *Britanno* legit, errotemque putat ex contractione Scripturæ natum. Vt autem Barones, siue Varones, ita & Ambactos apud Eonium lingua Gallica seruos dictos ex Sext. Pompeio, Paulus scripsit: Quo verbo, sane, vt mihi quidem videtur, mere Romano, Cæsar etiam vtitur de Gallis equitibus loquens. Vt autem Gallicum esse fateamur, amplius videtur fuisse Varronis appellatione, quæ ad militum tantum seruos pertinuit. Pueri autem nomine Persius seruulum significat, vt & post paulo dum ait:

Solea, puer, obiurgabere rubra.

Antea ita legebatur, Iam pueris, pro puer is: quod iterum monere voluimus, ne cuiusquam aures oculosque ea lectionis diuersitas leuius præteruehererur. Sed quoniam in Baronum nostrorũ mentionem incidimus, placet hic adnotare, Karoli magni temporibus, Ducem sub sexti Comitatus habuisse. Itaque in annalibus Pipini, & apud Othonem scriptum legimus, *Grifonem more Ducum 12. Comitatibus donatum:* quod postea ad Aimonii Monachi historiam additum est lib 4. cap 61. Ex quo emendandus videtur alter eiusdem appendicis locus libr. 5 cap. 11. de Ludouico: *Baldrico (inquit) Duci Foroiuliensi dum obiiceretur, & probatum esset eius ignauia, & incuria vastatam a Barbaris regionem nostrã, pulsus est Ducatu, & inter quatuor Comitatus est eiusdem potestas diuisa.* Legendum distincte, *inter quatuor*, id est, 12. Quod & tibi, Ant. Oisele, aliquando visum memini.

M. Varronis de Compitalibus & liberalibus, loci expositi.

CAPVT IX.

VArro lib. 5. de ling. Lat. ad M. Tullium Ciceronem, *Compitalia, inquit, dies adtributus Laribus, vt alibi, ideo vbi via competunt, tum in compitis sacrificatur. Quotannis is dies concipitur.* Quid est, quod ait Varro, Vt alibi? Hoc enim obscurũ esse video. Sic vero interpretor, vt significet, Compitalia dicta a compitis, siue compitorũ viis, in quibus Compitalibus sacrificabatur: quod

& Macrobius ad ludos refert. Vt alibi scilicet, sacrificetur, id est, quamuis & alibi quam in compitis Compitalibus sacrificetur, nempe in foco. M. Cato de Re rustica, *Rem diuinam nisi Compitalibus in compito aut in foco ne faciat.* Martialis lib. 5.

Cingunt serenum lactei focum vernæ.
Et larga festos lucet ad lares sylua.

Quo & Virgilius respexisse videtur in Daphnide, cui tanquã Lari se sacrificaturum Menalcas vouet. (Animos enim hominũ in numerum deorum relatos, veteres Lares esse putauerunt, quemadmodum ex Sext. Pompeio Paulus notat.) Ait igitur Menalcas:

Pocula bina nouo spumantia lacte quotannis.
Craterasq; duos statuam tibi pinguis oliui,
Et multo in primis hilarans conuiuia Baccho
Ante focum, si frigus erit, si messis, in vmbra.

Vt compita, ita & focum sedem esse, & quasi domicilium Larum nemini hodie ignotum est, quamuis ab itineribus & vicis quos Græci Lauras vocant, Lares potius appellari vulgus putauerit, vt Arnob. scribit lib. 3. Vnde & lares viales Seruio 3 Æn. Ceterum, Compitalia nõ certo, sed incerto die concipi solita Varronis Macrobiiq; euincit auctoritas. Sed & Ausonii versus:

Et nunquam certis redeuntia festa diebus
Cum sua per vicos compita quisq; colit.

Nam quod apud Macrobium lib. 1. Saturn. verba Prætoris more maiorum Compitalia pronuntiantis, sic concepta sunt, *Die noni post Kal. Ian. Quiritibus Compitalia erunt,* & veterum librorum, & Gelliani codicis fide ita emendandũ est, *Die noni P. R. Quiritibus Compitalia erũt.* Quid in contrariũ proferri possit, cum ex Dion. Hallicarnass. & Macrobio, tum ex Ouidio & veteri Kalendario a Manutio prolato sat scio, nec tamen sentẽtiam muto. Qua de re alibi fortasse amplius dissereretur. Nunc alterum ex eodem Varronis libro de Liberalibus locũ interpretari constitui, qui sic habet: *Liberalia dicta, quod per totum oppidũ eo die sedent sacerdotes Liberi, hedera coronatæ anus, cum libis & foculo pro imtore facrificantes.* Hæc est vetus scriptura, quę ita nullum sensum quibusdam habere visa est, vt Oedipo coniectore opus esse dixerint, & horum verborum pro emtore, loco, Compotores, reposuerint. Ego quoque aliquando pro tempore legi posse putaui quam nunc sententiã vltro muto, & vero capite damno: vt erunt proculdubio multa in his nugis opinionum commenta, quæ tandem delebit dies, cum naturæ iudicia confirmabit. Varronis autem verba sic exaudio: Liberalium die anus Libero patri dignæ antistitæ & sacerdotes, vtpote vinosiores, hedera & ipsa Libero sacra coronatæ, passim per oppidum sedebant cum foculo & libis mellitis, quæ ipsæ confecerant, ad quæ etiam populos vocabant, vt Ouidius 3 Fast. scribit: id est, vt ego interpretor, transeuntes quoslibet ad

lou-

liborum emtionem inuitabant, & pro emtore sacrificabant, libi emti parte foculo indita. Hunc ego Varroniani loci sensum aliqua ex parte debere me fateor, Nicolao Vignerio, medico doctissimo & mihi amicissimo, qui eius primum eruendi quasi ansam præbuit. Porro si cui visum sit anus a Liberi sacerdotibus distinguere, intelligat liba mellita, siue Liberi bellaria ab anu confici solita & vendi, Sacerdotes autem pro emtore sacrificare solitos libi emti parte foco aspersa. Sane in libro Baruch. mentio fit mulierum furfures Belo ad vias adolentium. Liberalibus etiam veteres in publico discumbere solitos testis est Sep. Tertullianus in Apologetico.

Spinturnicia, Resecro, apud Plautum & Marcellinum.

CAPVT X.

Ammianus Marcellinus libr. 22. *Exuberat Ægyptus pecudibus multis, inter quas terrestres sunt & aquatiles, aliaq; quæ humi & in humoribus viuunt, vnde amphibia nominantur. Et in aridis quidem capreoli vescuntur, & buculi, & bisturnicatia omni deformitate ridicula, aliaque monstra quæ numerare non refert.* Vbi quidam codices habent, *Pisturnitia.* Ego vero putaui ab auctore Græculo scriptum *Spinturnicia*, pro spinturnicibus Græcanica etiam forma, quemadmodum & apud Plautum in Milite scriptum est:

PVR. Æ depol hæc quidem
Bellula est. PA. Pithecium hæc est præ illa & spinturnicium.

Nam & Prudentius lib. 2. in Symmach. inter Ægyptios deos Simiam refert his versibus:

Isis enim est Serapis & grandi Simia cauda
Et crocodillus, idem quod Iuno, Lauerna, Priapus.
Hos tu Nile colis, hos & tu Tybris adoras,

Nunc veterem scripturam non temere reiiciendam censeo. Libet & alterius verbi vim apud vtrunq; auctorem adnotare, quæ vulgo non satis nota est. Sic igitur Marcellinus lib. 24. scribit: *Exclamauit indignatus acriter Iulianus, Iouéq; testatus est, nulla Marti iam sacra facturũ: Nec resecrauit celeri morte præceptus.* Vidi qui eo loco emendaret reserauit, quod omnino explodẽdum est. Resecrare ex Festo, Paulus sic exponit: *Resecrare, soluere religione. Vt cum reus populum comitiis orauerat per Deos, vt eo periculo liberaretur, iubebat Magistratus eum resecrare, id est, populũ religione absoluere: scilicet, vt ita demũ populus religione teneretur, si is, qui per Deos orauerat insons innocensq; esset.* Ita Festũ sensisse Farnesiani libri vestigia indicãt. Nisi ita resecrasset reus, & si ex iusta caussa a populo damnatus esset, populus ipse religione obstrictus mansisset. Significat igitur Marcellinus, Iuliano morte celeri preuentũ nõ licuisse ob-

testationis, quam fecerat religione se absoluere. Æmilius Probus siue is Cor. Nepos sit, in Alcibiade: *Iidem illi Olympiadæ sacerdotes resecrare sunt coacti, qui eum deuouerant.* Plaut. in Aulular.

Nunc te obsecro
Fac mentionem cum auunculo mater mea
Reseroq; mater, quod dudum obsecrauerem.

Sic vulgo legitur etiam in libris a doctissimo Camerario editis, sed *resecro* omnino legendum, Pauli locus indicat, hoc sensu Obtestatus erat matrem Lyconides, ne eorum quæ ipsi de Euclionis filia aliquando dixerat apud auunculum mentioné faceret: nunc obsecrationis religione eam absoluit, rogatque, vt cum auunculo de amica conloquatur Non subterfugit hoc verbum virum diligentissimum in Persa Comœdia Sic enim suo ordini versum restituit, qui antea perturbatus erat:

TO. *Obsecro te, resecro, operam da hanc mihi fidelem.*

Sed sensum potius eruamus, est enim subobscurus. Toxillus per amicitiam obtestatus erat Sagaristionem, vt mutuo DC nummos daret Dixerat Sagaristio nummos se præsentes non habere. ita obsecrationis religione tenebatur. Resecrat Toxillus, & eu absoluit Sagaristionem, obsecratq; vt saltem operam commodet, quo aliunde possit mutuos sumere. Dicet hic aliquis, Vbi vero tandem obtestationis religionem notas, qua Sagaristionem teneri fingis? Nempe hic paulo ante,

TO. *Facere amicum tibi me potis es sempiternum?*

Nam hæc verba potis es obtestandi obsecrandique, &, vt ita dixerim, adiurandi vim habent.

Terentius, *Si tibi placere potis es mihi vt respondeas.*
Idem, *Potin' es verum dicere.*

Quo etiam respicere mihi videtur illud Persii Satyr. I.

Et verum, inquis, amo: verum mihi dicito de me.
Qui pote?

Vbi quam in obtestatione formulam nō expressit, in responsione attingit, nisi cui forte hæc nimis anxie exquisita videantur. Vidi etiam, qui Plauti locum in suo libro personis sic distingueret,

TO. *Obsecro te.* SA. *Resecro te.*
TO. *Operam da, &c.*

Quod satis perspicuum habet sensum, nec eum quidem insulsum aut indignum qui recipiatur, si modo ex veteris potius exemplaris fide, quam ex ingenio ita relatum est.

Ennii de Africano versus expensi.

CAPVT XI.

SCripsit Ennius de Scipione Africano epigrāma, in quo ipsum sic loquentem induxit:

A sole exoriente supra Mæotis paludes.

Ad quod respiciens auctor Genethliaci Maximiano A. dicti. Etenim

enim (inquit) *quod ait ille Romani carminis* (sic lege) *primus auctor: A sole exoriente ad vsque Mæotis paludes, id nunc longius largiusque protendere licet, si quis hostilem in mutuas clades vesaniam toto orbe percenseat.* In eo epigrammate Ennius Africani victorias descripsit, hostes internecione cæsos, vrbes captas direptasque, ceteraque huiusmodi quæ licentia militari publice patrata virtutibus annumerantur. Quo pertinebant etiam fortasse & illa:

Desine Roma tuos hostes, Et

Namque tibi monumenta mei peperere labores.

Itemque

Testes sunt campi magni.

Quæ eiusdem epigrammatis fuisse verisimile est: vt & ista quæ a Lactantio referuntur lib. 1.

Si fas cædendo cælestia scandere cuiquam est,
Mi soli cæli maxima porta patet.

Itemque a Seneca Epist. 109. licet paululum diuersa scriptura. Nam in vetustis Senecæ exemplaribus, *Ni faciendo plagas.* vel, *Si faciendo* constanter scriptum fuisse, Pincianus homo doctus & diligẽs monuit. Ex quo ego facile conicio, mihique pene persuadeo, olim sic scripsisse Ennium:

Si fas endo plagas cælestum ascendere cuiquam.

Endo pro in, veteres passim dixisse cuilibet notum est. Emendandus vero ita est & hic ipse versus apud Lactantium Firmianũ corruptus, credo ex præcedentibus sequentibusque auctoris verbis, sed ab his profecto, qui neque veterem loquendi formam, neque Firmiani ipsius mentẽ satis percipiebant. Si enim ita scripsisset Ennius, Si fas cædendo, non debuit, nec vero potuit tam acriter reprehendi: Quandoquidem conditionem adiecit hanc, Si fas, quæ potuit non vera esse. At si ita, vt dixi, versus hic reponatur reprehendi iure potuit. Ceterum huc etiam valde pertinent Senecæ ex Epistol. 87. de eodem Africano verba: *Animam quidem eius* (inquit) *in cælum, ex quo erat, rediisse mihi persuadeo, non quia magnos exercitus duxit* (*hoc enim & Cambyses furiosus, & furore feliciter vsus habuit*) *sed ob egregiam eius moderationem, &c.* Respicit vero ad Ennii versum. Quod autem in eadem Senecæ epistola, ex qua Ennii versus protulimus, ita scriptum est ex Cicerone, *hanc quam nunc in Circo cretam vocamus, antiqui calcem dicebant,* valde mihi pertinere videtur ad eum Plinii locum ex libr. 35. in quo ait, *Creta Circum producere ad victoriæ notam, & venalium pedes trans mare aduectorum denotare maiores instituerunt.* Quod ego adnotaturus non fui, nisi viderem inepte, Circum, pro ἀμφὶ, a quibusdam accipi. Cassiodorus libr. 3. Var. for. in Circi descriptione albæ cuiusdam lineæ meminit his verbis: *Alba linea non longe ab ostiis in vtrunque podiũ, quasi regula directa producitur, vt quadrigis progredientibus inde certamen oriretur, ne dum propere conan-*

tur elidere, spectandi voluptatē viderentur populis abrogare. Quod Persius dixit, *Cretata ambitio*, etsi ad candidatos magistratus proprie referendum videtur, hanc tamen etiam vim habet, vt seruilē quandam ambitionem notet. Galles quoque facies olim incretasse Petronius indicare videtur, dum scribit: *Quin tu & circumcide nos vt Iudæi videamur, & pertūde aures, vt imitemur Arabes, & increta facies, vt suos Gallia ciues putet.* Sed hoc ego ad natiuum potius Gallorum candorem, &, vt Virgilius ait, lactea colla, referendum censeo, sicut & Gallicos vultus apud Tertull. in lib. de Virginibus velandis.

Locus Varronis de Ornithone ex lib. 3. de Re rustica. & quid sit in eo Plumula.

CAPVT XII.

M. Varronis de Re rustica libri tertii caput V. crebrioribus maculis inquinatū esse, pridem Victorius admonuit, qui & ipse in eo auctore restituendo operam nauauit egregiam. Sed homo vnus quamlibet oculatus omnia videre non potuit. Inter cetera cum quid, Plumula, in eo significaret exquirerem, libuit locum ipsum, vti par est, attentius expendere: Qui tandem mihi ita legendus distinguendusque visus est. *Circum huius ripas ambulatio sub dio,* (hypæthram significat) *pedes latax. Ab hac ambulatione in agrum versus,* (id est, in longitudine) *Ornithonis locus ex duabus partibus dextra & sinistra, maceriis altis conclusus: inter quos locus, qui est Ornithonis, patet in latitudinem P. 48 deformatus ad tabulæ literariæ speciem cum capitulo. Forma, qua est quadrata, patet in longitudinem P. 72. qua ad capitulum P. 27. ad hæc* (id est, 99. vel potius 100. si modo 27. legatur.) Hactenus omnia distinctione, emendatione, & interpretatione nostra plana sunt. Sequitur deinde, *Ita vt in margine quasi infimo tabulæ, descripta sit ambulatio, ab Ornithone plumula. in qua mediā sunt cauea, qua iter in aream est. In limine, in lateribus,* &c. Hæc est Victoriani libri scriptura: sed ex ea commodum sensum eruere mihi quidem perdifficile est. Tentemus tamen, si quid ipsi in hac re possumus. Videtur autem error ex notis originem habuisse, quæ à librario nō intellectæ *in plumulam* euaserunt. Quid igitur si legamus? *Ita vt in margine quasi infimo tabulæ descripta sit ambulatio ab Ornithone P. l. 48. L. A.* Significat in extremo loci, qui est Ornithonis (quem ad tabulæ literariæ speciem deformatum dixit) ab ipso Ornithone, id est post Ornithonem, quasi in ipsius tabulæ literariæ margine infimo, ambulationem fuisse eadem omnino lōgitudine, qua se loci ipsius latitudo exerebat, id est, pedum 48. latitudine pedum 5. Quæ si cui angustior paulo videatur, per me licet reponat pedes decem, vt in superiore ambulatione. Hanc ego coniecturā debere me fateor Æmari Ranconeti manibus, viri nulli vnquam ingenio, aut eruditione secundi. Nam cum forte in codicem incidissem,

cidissem, qui ipsius aliquādo fuisse dicebatur, nihil aliud ad Varronis libros annotatum reperi, quam ad hunc locum *notas* istas, PL. L. A. Statimq; suspicatus sum, virum ingeniosissimum & sagacissimum putasse aliquādo locum esse corruptum, vti quidem certe est, & ex notis errores natos, quibus deturpabatur. Quam ego quasi ansam arripiens, loco altius refosso, hanc tandē (qualiscunque est) lectionem erui. Sequitur apud Varronem, *In qua mediæ sunt caueæ.* Has oportuit esse suspensas, vt certe fuisse verisimile est, aut longitudinis ipsius mensura comprehendi, si quidem vt superioris loci latitudini, ita huius quoque ambulationis longitudini pedes 48. tribuamus. *Qua iter in aream est.* Antiqua lectio, *Qua introitus itur in aream est.* Victorius locum peruersum putat, & quomodo corrigi debeat, nō videre se fatetur. Ipse vnius literæ facili mutatione sic repono, *qua introitus, iter in aream est,* vt significet Varro, qua introitus in ambulationem erat, iter quoque in aream ipsam fuisse.

Ausonii versus emendati.

CAPVT XIII.

EDita sunt non ita pridem Ausonii quædam opuscula, in quibus describendis ex veteri exemplari, quod sane non ita facile lectu fuit, vtpote literis hiantib⁹ nec distinctis syllabis ab ignaro scriptum, multa fefellerunt descriptorem Lud. Miræum (pace id manium viri optimi, & de literis plusquam dici potest benemeriti dixisse liceat) in emendandis vero plura sibi concessit eius, cui hoc munus Io. Tornæsius vir, & ipse optimus iniūxerat, nimia licentia, atque interdum etiam oscitantia. Vidi ipse aliquando Lugduni exemplar manuscriptum apud Steph. Charpinum, in quo tamen nihil tum licuit mihi conferre, præter locos quosdam epistolæ ad Theonem, qui mihi forte in mentem venerant, quosque hic adscripturus sum, vt intelligant omnes, qui modo hæc lecturi sunt, quam non ita facile interdum excusorum librorum scripturæ credendum sit. Hoc vero non ita a me dictum accipi velim, quo eorum operæ aliquid detraham, qui veterum nobis auctorum reliquias vespillonum manibus extortas, tanquam ab inferis domum reducunt. (Nam hos ego præcipue Apollines & Æsculapios veneror) sed quo obnixius rogem & moneam, vt liberalitatem istam suam, quam fieri potest, maxima religione candide nobis impertiant. In ea igitur Ausonii ad Theonem epistola, primum nemo dubitauerit pro nōnaginta, legendum nongenta. Id enim & versus ipsius, & sensus ratio postulat. Quod sequitur, *per tot abesse dies*, ita in archetypo scriptum est, *Per tot ouire dies*, vt non dubitem legere, *obire*, Sic igitur:

Milia bis nongenta iubet demensio legum
Adnumerata vecs per tot obire dies.

Nempe per nonaginta dies, quos sine Theone traxisse sciat. Nō

itineri faciendo in singulos dies XX. millia passuum leges præscribunt, id est, leugas Gallicas plusquam 13. Continet enim leuga seu leuua, M, & D, passus Romanos, vt Iordanes Episcopus, qui sub Iustiniano vixit in Getica historia ad Castalium, & alii plerique auctores tradunt: quod & ex Ammiano Marcellino & Antonii itinerario facile probari potest. Sequitur apud Aus.

An quia per tabulam medico pugnante notatam.

In veteri libro quantum ex scripturæ vestigiis intelligere potui, ita est,

An quia per tabula medica pugna notatam.

Vnde hodieque satis commodam lectionem eruere non possum. Veteres tamen reliquias, vt potui, repræsentaui, in quibus coniecturæ suæ sagacitatem, & ingenii vim alius fortasse fœlicius experietur. Sequitur,

Nec tanti fuerit. *Vet.* *Ne*, Recte

Ergo aut praedictos iam nunc rescribe Tarios.

Sic vetus, pro *Darios*, de quibus locus est Herodoti in Melpomene: Rescribere est reddere, seu per mensæ scripturam dare, vt Donatus notat. *Quia enim ad numerationem pecuniæ intercedit scriptura, rescribere dicebant, pro renumerare.*

Aut abos a me totidem dabo.

Quis non videat legendum, *Aut alios a me totidem dabo?* Sunt tamen qui malint, *Aut habeas a me totidem, dabo. Vnum a Domnotoni* in veteri libro notatur, S, liquescere, quod ego quoque omissum nolui: vt illud pene omiseram, in secundo eiusdem epistolæ versu, pro *Exspectans*, scriptum esse *experiens*. Ceterum Theonis Euriapius sophista meminit, eumque sub Iuliano in Gallia illustrem famam cõsequutum ait. Sed lubet aliquos etiam ex multis, quos in eis opusculis coniectura tantum emendauimus locos hic adiicere. In precatione solemni.

Latiam vissure. lego, *visure.*

Qua vaga Sauromates sibi iunxerat agmina Crunis.

repono *Chunnis*, vt & epigr. 1.

Arma inter Chunnosque truces.

In parentalibus, de Æmilia.

Tarbella matris patris & Heduceli.

lego *Hedurici* vt supra, *Gens Hadua matri*, & infra,

Stemma tibi patris Hedurici.

De Cæcilio Argicio,

Sed in atriis cura retexit. lege, *sed matris.*

Euromne iuuenum. distingue *Euromi, o iuuenum.*

In professoribus Burdigal. de Attico Tyrone.

Facunde, docte, lingua & ingenio celer

Deo poeta nobilis, id est, Beleni.

Epos l gusti metricum

Minus

Minus malorum munere expertus Dei.

De Citario,

Concedit Cai Musa Simonidei. vulgo cen. Sed de his nimis.

Clusura, Burgi, Lusoria.

CAPVT XIV.

IMpp. Romani habuerunt in limitibus τὰ ὀχυρώματα, quæ ipsi Clusuras appellãt: de quo verbo Doctor meus plures auctorum locos annotauit. Posteriorum temporum scriptores, vt Liutprandus, Ado, Sigibertus, ceterique eius fere ordinis, Clausas, Cluias, & interpositiones vocant. Id pridem ab Hadriano institutum videtur, de quo Ælius Spartianus sic scribit: *Per ea tempora & alias frequenter, in plurimis locis, in quibus Barbari non fluminibus, sed limitibus diuiduntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis atque connexis Barbaros separauit.* Hæ cluiæ propugnaculis quibusdam munitæ fuerunt, quæ castra & castella dicuntur, vnde & castellanus miles alicubi nuncupatur Herodianus li. 6. στρατόπεδα καὶ τὰ φρούρια appellat. & paulo ante τὰ ἐπικείμενα στρατόπεδα ταῖς ὄχθαις τῶν ποταμῶν. Dicuntur & Burgi, a quibus etiam Burgundiones dictos Paulus monachus, Liutprandus Diaconus, & Isidorus episcopus tradiderunt. Ex quo interpretationem accipiunt & hi Sidonii versus de Burgo:

Diceris sic. Namq domus de flumine surgunt,
Pendentesq; sedent per propugnacula Therma.

Habuerunt etiam Romani in plerisque limitibus, in quibus a Barbaris fluminibus diuidebantur, lusorias naues, prohibendis credo vicinorum hostium excursibus, incursibusque vicissim faciendis. Harum lusoriarum refectio magistris militum maximopere iniungitur constitutione quadam imperatorum, quæ est in Codicis Theodosiani libris nondum editis, sub titulo De lusoriis Danubii. Sic in Africæ limite, id est, Traiecto, erat Dromones, vt indicat posterior Iustiniani constitutio de P. P. Africæ. In limite etiam Rheni armatas naues habuisse dispositas, indicat auctor Panegyrici Constantino dicti, ex quo hęc tantum protulisse sufficiet: *insuper ẽt* (inq̃t) *Aggrippinæ si ponte faciẽdo reliquias afflictæ gẽtis insultas, ne vnquã metus ponat, sẽper horreant, semper supplices manus tendat: cũ tamen hoc tu magis ad gloriã imperii tui & ornatum limitis facias, quam ad facultatem quotiens velis in hostem transeũdi, quippe cum totus armatis nauibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus vsque ad Oceanum dispositus miles immineat.* Inter hæc subsisto apud Capitolinum in Bonoso *clusuras* pro *luxurias* emendem, an de lusoriis nauibus interpreter, cuiusmodi in eo limite multas fuisse ex Amm. Marcellino facile conicio. Capitolini locus sic habet: *Hic idem cum quodam tempore in Rheno romanas luxurias Germani incẽdissent, timore ne pœnas daret, sumsit imperium.* Sed tamen si pronuntiare tandem necesse habeo, *clusuras* malim,

præsertim cum Capitolinus in Lolliano sic scribat: *Plerasque Galliæ ciuitates nonnullæ etiam castra Posthumus per septem annos in solo Barbarico ædificauerat, quæ interfecto Posthumo subita irruptione Germanorum & direpta fuerant, & incensa, ea in statum veterem reformauit.* Et Amm. Marcellinus monumenta & castra plurima in Rheni limite a Barbaris, id est, Francis Alemannisq; incensa & excisa multo post tempore a Iuliano refecta communitaque testatur. Porro clusuræ etiam formam habuit murus ille, quo per transuersam insulam ducto vtrinque ad finem Oceani Seuerus Imperator Britanniam muniuit, cuius & Spartianus, & alii auctores sæpe meminere. Cassiodorus in Chronico vallum appellat. Nunc vide quo etiam proruptura sit audacia mea. Nam apud hunc ipsum Capitolinum cum Trebelliani Tyrannidem describit, *clusuriarum* quoque nomen lubens reposuerim, vbi vulgo *custodiarum* legitur: *Isauri* (inquit) *post Trebellianum pro Barbaris habentur, & nunc in medio Romani nominis solo regio eorum nouo genere clusoriarum quasi limes includitur locis defensa, non hominibus.* Scio excusam receptamque vulgo lectionem leuiter defendi posse, eodemque pene sensu, quo & si clusurias reposueris. Sed quod rei exprimendæ aptius est, & auctoris menti magis congruere videtur, magis etiam placet. Ammianus sane Marcellinus libro 14. de iisdem Isauris loquens, Clusurias appellat prætentaturus, & paulo post castella, stationes, in quibus erãt milites dispositi. Porro in libro Iudith. ca. 4. *πρίω* clusuriam significat, quod Interpres non satis intellexit.

De vite loci quidam emendati. Itemque de vitta & præconis iure.

CAPVT XV.

Vitem Centurionum aliorumque militiæ ducum & principum insigne fuisse, eamque castris insertam summam rerum imperiumque continuisse, nemo nescit. Inde & sub vineam & sub vitem iacere miles dicitur Sex. Pompeio. Inde & ego arbitror vitem fortitudinis a Mamertino translatione quadam dictam, in Panegyrico Iuliani, *Scilicet* (inquit) *& candorem æquitatis potuit obumbrare & a temperantia purpuram sanctitatis abolere, vitem fortitudinis indignis confodere vulneribus, eruere oculos prudentia.* Vulgo tamen *vicem* scriptum est, nullo mihi satis commodo sensu. Idemque plane error est apud Cassiodorum libro 7. Variarum, in formula principis Dalmatiarum. Nam quo loco impressi libri habent: *Tu vicem tenes improbis minantem:* in veterib. scriptum est, *vitam*, quod in *vitem* mutandum censeo. Vt autem vitis centurionum, ita matronarum insigne vitta fuit, qua non nisi castæ vti poterant, quemadmodum Seruius notat in libro 7. & 8. Æneid. Id Valerius quoque Maximus sic refert libro 5. capit. 2. *Sanxit Senatus vt fœminis semita viri cederent, confessus plus salutis*

lutis in stola, quam in armis fuisse, vestitisque aurium insignibus nouum vita discrimen adiecit. Permisit quoque his purpurea veste & aureis uti segmentis. Addatur sane hic illud, Posteriorum temporum Præfecturas habuisse insigne potestatis suę, non vulgaris cultus carpentum quo inueherentur: qua de re extat elegans Symmachi P.V. Epistol. lib. 1. *Pracedebat praco aduentu prafecturam vbique denuntians.* Cassiodor. lib. 2. Institut. Diuinarum scripf. *Si prafectum vox praconis enuntiet, Si carpentum ipsius strepentibus rotis transire noscamus, nonne omnes voluptates cordis abiicimus, dum conspectum ipsius reuerentiamque metuimus?* Hieronymus ad Rusticum, *Alii sublatis in altum humeris & intra se nescio quid cornicantes, procedunt in publicum, vt si praconem addideris, putes incedere Prafecturam.* Idem Cassiodor. lib. 6. Variar. In formula Præfecturæ Prætorianæ: *Ipse carpentum reuerendus ascendit.* Et paulo post. *Ab illo namque patriarcha & nunc pater appellatur imperii: Ipsum hodieque resonat vox praconis, instruens iudicem ne se patiatur esse dissimilem.* Hinc etiam memini alicubi ius præconis cum iure gladii coniungi. Præconis autem pro tribunali statum, & officium eleganter describit Apuleius libr. 1. Floridor. his verbis: *Nec vos parua quadam & parua similitudo falsos animi habeat, quoniam quadam, vt sape dixi, palliata mendicabula obambulant. Praco cum Proconsule & ipse tribunal ascendit, & ipse togatus illic videtur, & quidem perdiu stat, aut ambulat, aut plerumque contentissime clamitat Enimuero ipse Proconsul moderata voce rarenter & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit. Quippe praconis vox garrula ministerium est: Proconsulis autem tabella sententia est, qua semel lecta, neque augeri litera vna, neque autem minui potest: sed vtcumque recitata est, ita Prouincia instrumento refertur.* Cuius loci vsus latius etiam patet.

Burra, Beri, Bera, Colobum, Campagus regius, calcei aurati & sericei.

CAPVT XVI.

IMperatorum constitutio omnibus, prętterquam militum seruis Byrris vti permittit & cucullis. Cuius exceptionis hanc ego rationem vltro refero, quod milites quoq; domini Byrris passim vterentur. Nam Burros, seu Byrros, fuisse arbitror vestis genus aliquantū vilioris & pilis hirsutæ, qualē ēt Endromidem Martialis describit Matt. Capella. lib 4. *Vestis vnisocū est. Nam & birrus & tunica nomen vestis habent* Suidas βίῤῥον, ἱμάτιον ῥωμαϊκόν. Paulus Monachus Cyprianum byrro indutum fuisse refert, cū ad supplicium duceretur: Pontius Cypriani ipsius Diaconus, qui eius agonem sane quam eleganter descripsit, in actis lacernum byrrū appellat. Sic memini veterem Persii Flacci interpretem lacernā byrrum interpretari, & adiicere pallium esse fimbriatum, quo soli quondam milites vterentur. Ausonius Drepanio.

At nos illepidum, rudem libellum
Burras quisquilias, ineptiasque.

In versibus quoque nondum (quod sciam) editis, qui in veteri libro Eucheriæ tribuuntur, ita scriptum reperi:

Nobilis horribili iungatur purpura Burræ,
Nectatur plumbo fulgida gemma graui.

Burræ appellationem nos hodieque aliqua ex parte retinere videmur. Beri honestiorum & Palatinorum vestes erant, sericeæ, vt a viris doctissimis notatum est. Vnde ego Beros Attrebaticos & Canusinos a Capitolino dictos arbitror in Carino, non Birros: ita Valerio Martiale lib. 1. Epigram. dum ai. ;

Nec desunt tibi Bera Glaniana.

Colobum, siue Colobium honestioris etiam vestis genus fuisse eadem Impp. constitutio indicat, quæ est de habitu quo intra vrbem Romam esse licet. Seruius quoque colobiis antiquos vsos, seruos autem neque colobia neque calceos habuisse scribit. Memini & in epistola quadam Pii Ro. Episcopi ad Iustum Viennensem, quæ Auiti versibus subiecta est, Episcopalis colobii mentionem fieri. Hoc cum sine manicis fuisse Isidorus testetur (quod ad mẽsarium expeditius ministerium olim ita cõparatum verisimile est) fortasse & illa tunica pectoralis, de qua Maras Christiani nominis Diaconus sub Gallo tortus est, colobii formam habuit. Apud eundem Capitolinum, idemque apud Trebell. Pollionem in Galienis calciamentum Imperatoris campagus regius dicitur. Fuit hæc caliga ex rubricatis pellibus purpurea sub posterioribus Impp. vt Luitprand. scribit lib. 3 de reb. per Europ. gest cap. 9. Quod & ex Zonaræ & Nicetæ pluribus locis probari potest. In veteribus sane notis ad Iuliani Patricii Nouellas *campacos* scriptum est, non *campagos*. Vt autem Impp. soli purpureis, ita Consules aureis, Patricii sericeis caligis in publico vtebantur. Id ego duobus Cassiodori locis breuiter conficiam, qui in excusis exemplaribus valde corrupti sunt: Sed emendatiores hic adscribam. Sic igitur lib 6. in formula Consulatus scripsit: *Pinge vastos humeros vario colore palmata, validam manum victoriali Scipione nobilita, lares proprios etiam calceis auratis egredere, sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende.* Apud eundem lib. 7. In codicillis Patriciatus ad Tolum, Athalaricus de auo suo Theodorico ab Imp Constantinopolitano Patricio facto ita loquitur: *Hunc illa dines Græcia qua multũ gloriosissimo Domno auo nostro debuit, gratificata persoluit. Velauit humeros fortes clamidum vestis, pinxit iuras sericeo calceo isto Romanus, & dignanter visus est accipere, quod se cognoscebat accipere per honorem* Ita plane habet vetus liber.

Catulli, Suetonii, Lampridii, Capitolini, Macrobii, Symmachi locus in quibus Mimi nomen corruptum est.

CA·

CAPVT XVII.

Mimi nomen pluribus auctorum locis in affine plerumq; degenerauit. Apud Apuleium lib. 1. Floridor. *Bono enim sfluctu in theatrum conuenistis, vt qui sciatis non locum auctoritatem derogare orationi, sed cum primis hoc spectaculum esse, quod in theatro deprehendas. Nam si minus est, riseris: funere, plus timueris: si comedia est, faueris: si philosophus, didiceris*: Lego. *Si mimus est, riseris, Funerepus, timueris*: vt & lib. 4. *Nec quod hic alias minius hallucinatur, funereptus periclitatur. Comœdus sermocinatur, Tragœdus vociferatur, histrio gesticulatur, ceterique omnes lusiones ostentant populo quod cuiusque artis est.* Apud Symmach. lib. 2. Epistolar. *Sed vt didici, ipse ad vlteriora contendens inimica vsus est techna, vt paginam nostram comes eius Rusticus reportaret, ille alteram nunc regressus accipit.* Repono *mimica vsus est techna*. Sic enim & iocos, & strophas mimorum Tertullian. dixit in Apologetico. Apud Capitolinum in Maximinis: *Denique cum immortalem se prope crederet ob magnitudinem corporis sui, virtutisque munus, quidam in theatro præsente illo, dicitur versus Græcos dixisse*, didici legendum, *mimus quidam in theatro*, & paulo post. Quod *mimus dixisset*, deleta voce scurræ, quæ interpretationis gratia adiecta est. In Satyrico Petronii Arbitri pro, *Grex agit in scena nimium*, omnimodo, *Mimum*, scribendum quis non videat? Apud Sueton. in Caligula: *Obsides quosdam abductos e literario ludo, clamque præmissos, deserto repente conuiuio cum equitatu insequutus, veluti profugos ac reprehensos, in catenis reduxit: in hoc quoque minimo præter modum intemperans.* Optimus liber habet, *in hoc quoque Mimo*, quod valde placet & rectum est. Apud Macrobium lib. 7. Saturn. vti quidem vulgares codices habent. *In eundem Ciceronem Laberius, cum ab eo ad consessum non reciperetur dicentem, Reciperem te, nisi anguste sederem, ait ille nimis mordaciter, Atqui solebas duabus sellis sedere: obiiciens tanto viro lubricum fidei.* In veteri & optimo exemplari lib. 4. ita scriptum est, *ait Mimus ille mordaciter*. Laberium autem Mimum fuisse constat. Apud Lampridium in Halegabalo: *In mimicis adulteriis ea quæ solent simulato fieri, effici ad verum iussit.* Legendum censeo, *In mimicis adulteriis ea quæ solent, &c.* quod perspicue verum est. Non possum hic illud inter cetera sine scelere præterire, quod me nuper Adrianus Turnebus vnus omnium vndecumque doctissimus & benignissimus docuit, videri sibi in illo Catuli versu.

Turpe incedere myrmice ac moleste
Ridentem catuli ore Gallicani,

pro *myrmice* reponendum *mimice*: cuius me oraculi nuntium & interpretem factum esse gaudeo. Mimos & Pantomimos, veteres cinædos appellarunt a corporis motu, vt Nonius Marcellus scribit. Cinædorum porro exossis & eneruata plane in incessu mollitia

nota est. quam in Embasicoeta mire expressit Petronius. De eadem Nonius hunc quoque Plauti versum refert ex Milite:

Tum ad saltandum, non cinaedus magis vsq; saltat quam ego:

Qui tamen in Camerarii editione paulo aliter conceptus est, hoc modo,

Tum ad saltandum, non cinaedus magis aptus est quam ego.

At memini in veteribus Nonii exemplaribus legere me ita scriptum:

Tum ad saltandum, non cinaedus malacus aque est.

Cuius scripturae veritas ex se ita firma est, vt eam celeri reformatione redintegrandam censeam.

De Sacramento, Sponsione, & Vadimonio.

CAPVT XVIII.

NOn adeo alienum est a veterum sacramento, quod nuper in Gallia consignationis nomine aliunde inuectum inductumque vidimus, quanquam ad caligulae quadragesimam propius accedere videatur. De sacramento Varro sic scribit lib. 4. de ling. Latin. *Ea pecunia quae in iudicium venit in litibus, Sacramentum, a sacro. Qui petebat & qui infitiabatur, de aliis rebus vterque L. aeris ad Pontificem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui iudicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad aerarium redibat. Sext. Pompeius. Sacramentum aes significat, quod poenae nomine penditur, siue eo quis interrogatur, siue contendit. Id in aliis quinquaginta assium est, in aliis quingentorum inter eos qui iudicio inter se contenderent. Qua de re lege L. Papirii Tribun. pl. sanctum est his verbis. Quicunque Praetor post hac factus erit, qui inter ciues ius dicet, III. viros capitales populum rogato, hique III. viri capitales quicumq; post hac facti erunt sacramenta exiguntо, iudicantoque, eodemque iure sunto, vti ex legibus plebeique scitis exigere, esse oportet. Sacramenti autem nomine, id aes dici coeptum est, quod & propter aerarii inopiam, & sacrorum publicorum multitudinem consumeretur id in rebus diuinis.* Igitur, Qui petere vult, id est, qui litem facit, vt Fortunatianus I C. loquitur, ante omnia sponsione prouocat aduersarium: is vnde petitur si contendit, ex prouocatione spondet, tutiusq; restipulatur a petitore, qui etiam vicissim respondere cogitur. Eugraphius in illud Terent. *Insiurandum dabitur te esse indignum iniuria hac. Quemadmodum*, inquit, *sponsio ante iudicium fieri solet, ita hic dixit iusiurandum dabit quod, &c.* Huius sponsionis pignus legitimum est Sacramentum, vt Isidorus ex quopiam meliore auctore scribit lib. 5. Etymolog. Quamuis autem huiusmodi stipulationes sponsionesq; mutuae sunt proprie tamen qui prouocat primum, sacramento rogare, petere, vel quaerere dicitur: qui prouocatur, sacramento contendere, quod ex euentu iudicii iustum iniustumue dicitur & pronuntiatur. Cicero pro Domo sua: *Si decemuiri sacramentum iniustum pronuntiassent.* Idem

pro

pro Cæcinna: *Cum Cotta decemuiris religionem iniecisset, non posse sacramentum nostrum iustum pronuntiari.* Arnobius: *Quis quæsitor, quis arbiter, ceruicibus tantis erit, qui inter personas huiusmodi aut vindicias iustas dare, aut sacramenta conetur pronunciare non iusta?* Sponsione facta, pignus vtrinque deponitur, tum a prouocante petitur iudex. quo dato sumtoue (nam eius vt plurimum optio electioque fuit) iudicium agitatur. Asco. Pedianus: *Cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, petebant iudicem.* Loquitur autem de crimine repetundarum. Itaque in capitalibus etiam caussis sacramento locus esse non immerito videatur. Et vero deponitur ex lege Papiria iussu Triumuirorum capitalium, & ab eis exigitur. Quod ego tamen in omnibus caussis perpetuum fuisse non facile crediderim. Apud Pontificem dependi deponique solitum sacramentum, ex emendatis Varronis verbis receptum est. Et vero in rebus diuinis sacrisq; victi pignus expendi solitum Festi verba ostendunt. Quod & illud Plauti in Rud. non immerito aliquis pertinere arbitretur,

Tun' meo Pontifex periurio es?

Nam alioquin Censoriis animaduersionib. vindicari solitum periurium Cicero auctor est. Sane & in veteribus legum sanctionibus legimus scriptum: *Si quis contra faceret, inferret pœna nomine ario pontificum:* & alibi, *Dare damna, esto ærario popul. Ro. & collegio pōtificum.* Atq; inde supplicia dicta credibile est, vt ab arca illa Pōtificales arcarios, apud Symmachum in epistolis. Vt autem sacramenti summam L. & D. assibus pro rerum, de quib. cōtendebatur, modo statuamus, non dubito tamen, quin sponsiones maiore minoreue summa, siue legum taxatione, siue contendentium arbitrio fierent. Ex Ciceronis quidem verbis datur intelligi, cum pecunia certa petebatur, solita fieri ex lege, tertia parte sponsionem. Nam cum pro Comœdo dixisset, *Pecunia tibi debebatur certa, quæ nunc petitur per iudicem, in qua legitima partis sponsio facta est:* Subiicit, *Pecunia petita est certa, cum tertia parte sponsio facta est.* Idem Verr. V. *facta est sponsio IIS V.* Pro modo etiam litis sponsionis huiusmodi fieri solitas Menedemi verba apud Plautum indicant:

Conditiones tetuli confragosas, aut plus,
Aut minus, quam opus erat multo dixeram
Controuersiam, vt sponsio fieret: Quid ille? Prædem dedit.

Sic igitur sacramentum pignus est publicum sponsionis, & ad ærarium redit. Sponsione ipsa aliæ pœnæ legitimæ comprehendi possunt, vt tertiæ partis, &c. Hæ non sunt pignora sponsionis, Nec enim deponuntur. Et licet interdum deponi possint, & vero id expeditissimum esse dicatur, ne quis in captionem verborum incidat, priuata tamen sunt pignora, quibus victoris indemnitati consulitur, non publica, quæ sacris impenduntur. Sacra-

mentum vtrinque ſemper deponitur: Sponſionis pœnas vtrinque ſemper promitti nolim ſcribere, cum & de decima parte initio litis ſolum auctorem repromittere ſolitum videam. Ceterum qui ſponſione prouocat, interrogat fere hac formula, Ni hoc ita ſiet. Exempla ſunt apud Ciceronem Verr. 5. *Ni Apronius dictaret.* lib. 3. Offic. *Ni vir bonus ſiet:* Pro Cæcin. *optime ſponſionem facere poſſent, Ni aduerſus edictum Prætoris vis facta eſſet.* Vbi ſponſionem facere de eo videtur, qui ſponſione prouocat. Valer. lib. 2. *Valerius Luctatium ſponſione prouocauit, Ni ſuo ductu Punica claſſis eſſet oppreſſa.* Eratque hæc rogationis ſtipulationiſque hac in re conceptio: cuius formula apud Macrobium, non adeo religioſe obſeruatur, cum ſcribit, *Sponſione prouocauit inſumere, ſe poſſe in vnam cœnam H.S. centies. Id mirum Antonio viſum. Nec moratus, ſponſione contendit: dignus ſculna Munatio Planco.* Sic habet optimus liber meus, recte. Sculnam ſequeſtrem & arbitrum dici Gellius notat. Sponſio autem fere ita fiebat. Si hoc ita non ſit, vel, Ni hoc ita ſit, quod idem valet. Apud Plautum in Rudente:

Cedo qui cum habeam iudicem,
Ni dolo malo inſtipulatus ſis, nive etiam dum ſiem
Quinq; & viginti natus annos,

Apud Ciceronem in oratione pro Quinctio, *Si bona ſua ex edicto Prætoris dies 30 poſſeſſa non eſſent.* Apud Paulum libro 5. Sententiar. *Ni iuſte appellatum ſit.* Sic enim locus ille intelligendus eſt. Apud Catonem pro L. Turio, *Ni vir melior eſſet Gellius.* Plinius lib. 7. *Si vnquam inualidus vllo modo fuiſſet.* Quod præcedit in Plinii libris, ne medicus crederetur, ſponſionis pœna eſt: quam ego facile adducor vt credam ſubditam ſuppoſititiamque eſſe, vt illam apud Valer. Max. *Non ſe petiturum triumphum*, quæ omnium veterum librorum; quos quidem mihi videre contigit, teſtimonio & auctoritate falſi penitus conuincitur. Apud Ciceronem libr. 7. Epiſtol. ita lego: *Ni bonorum Turpiliæ poſſeſſionem Q. Cæpio Prætor ex edicto ſuo mihi dedit, vt certe ita, Si bonorum Turpiliæ poſſ. Q. C. P. ex Ed. ſuo non dedit*, quod vt a vulgari ſcriptura magis diuerſum, magis placet. Acronis etiam verba ad illud Horatii:

Mutatus Polemon,

Ex ſponſionis formula & veteris ſcripturæ a Cantero prolatæ veſtigiis, ita emendanda arbitror, vt pro (Vt) Ni reponatur, hoc modo: *Fuit Xenocrates philoſophus continentiſſimus, de quo Lais meretrix ſponſionem fecerat, Ni eum ad ſuos ſollicitaret concubitus.* Itemque apud Valerium lib. 4. cap. 3 *Pignore cum quibuſdam iuuenibus poſito, Ni temperantiam eius corrumpere poſſet.* Vulgo tamen, an, ſcriptum eſt. Illud ad extremum addatur, quod ad Sacramentum pertinet, has notas apud Valerium Probum Q. N. T. S. Q. P. tam recte ſic exponi, *Quando negas te ſacramento quingenario* prouocas, quam ſic, *Te ſacramento quinquagenario*, & vtriſque ſacramentum

puniré

gitimæ taxationi conuenire. Cuius exemplo & in iure prætorio videmus pecuniarias actiones alias in L. alias in D. aureos statui solitas. Ex quibus etiam satis intelligitur, quæ fuerit in omnibus caussis sacramento prouocandi formula. Porro quã fuerit a sponsione, de qua hic agimus, diuersum vadimonium, nemo non videt. Vadimonium quidem sponsio est, sed ea proprie qua iudicio sisti, aut ni sistatur, pecuniæ summa promittitur: quam e Iurisconsultis concipi solitam Trebatii locus satis indicat apud Ciceron. lib. II. Epistol. ad Q. Fratrem. Hinc & ad, &c. & ad vadimonium ire, occurrere, & vadimonium facere, imponere, sistere, obire, cæteraq; differre dicimus. Denique vadimonium est condictum siue cõstitutũ. Petro. Arbiter, *vt nos metu criminis nõ veniremus ad constitutum, id est, vt vadimonium desereremus*. Et paulo post, *Facio inducias vobiscũ, & a constituta lite dimitto*. De quo quando hic mẽtio incidit, placet vnũ locũ adscribere, qui mihi non omnino bene habere videtur. Sic autem in melioris notæ libris scriptũ est apud Florum in Epith. lib. 86. Historiæ Liuianæ: *Sulla cum Italicu populis, ne timeretur ab iis velut erepturus ciuitatem & suffragii ius nuper datum, fœdus percussit, itemque ex fiducia iam certa victoriæ, litigatores a quibus adhibebatur vadimonium, Romam deferre iussit*. At ego a L. Floro ita scriptum credo: *Tumq; ex fiducia iam certa victoria litigatores, a quibus adibatur vadimonium, Romam differre iussit*. Quod statim ita per se patere visum est, vt aliunde quæsitis probationibus, quæ facile ad manum fuerunt, opus esse non censuerim. Sed hæc fortasse quibusdam ad ius nostrum magis pertinere videbuntur. Verum quando eis iampridem in Subleciuis quasi ex abũdanti, locum a me adsignatum inuenio, diuturna possessione non temere exturbanda putaui, παρακαταβολὴ autem καὶ τὰ πρυτανεῖα Græcorum quamuis ad sacramenti formam proxime accedant, ea tamen huius ego loci esse non censui.

Ex Q. Sereni libro delibata quædam, Nicolai, Stancare, Reduuia.

CAPVT XIX.

EA est omnium fere disciplinarum inter se coniunctio rerum & communicatio, vt alteri alterius hortos ingredi, & ex eis flores libare ius, fasque sit, dum ne quid contra Laurentiam legem in armum legat, aut veterem consortis possessionem temere nõ depascatur. Itaque nec nos quidem iniurii fortasse videbimur, si ex his quæ nuper Q. Sereni librum medicinalem, apum more peruolitantes, & eius velut flosculis insidentes, leuiter decerpsimus, in hunc communem alueum reponamus: ita tamen vt vel penes sutorem de crepida sit iudicium. Serenus igitur de Æsculapio ita canit:

Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Qui quondam placida tectus sub pelle Draconis

Tarpeias arces, atque indita templa petisti.

Marcellus ex magistro officiorum Theodosii Senioris in carmine quod Vindiciano Comiti Archiatrorum sub Valentiniano male tribuitur, Vulgo male *inclita tecta*, de eodem Æsculapio:

Quod didicere olim Podalyrius atque Machaon
A genitore suo, qui quondam versus in anguem
Templa Palatina subiit sub limina Romæ.

Et tamen Æsculapii templum, cum reciperetur is deus, extra Vrbem, & quidem in Tyberina insula factum constat: Solum vero eius simulacrum a Nicerato exsculptum, in æde Concordiæ ad Tarpeiæ arcis & Capitolii cliuum fuisse positum aliqui prodiderunt. Porro *indita templa* Serenus dixit, vt & Tacitus lib quarto *Indita rupibus castella*. Ad stomachum inter cetera præcipit Serenus:

Grana peregrini piperis diffindito quinque
Nicolao molli quæ mane inserta capesses.

Sic habet vetus liber, vbi in impressis, *Hiblaeo melli*, &, *Niliaco melli* scriptum est. Itemq; post paulo cum de splene curando loquitur:

Marrubium in vino potum prodesse loquuntur:
Præterea piper ac nepete, cum flore & anethum,
Nicolaus rapo ac boletus iungitur vna.
Herum decoctos latices potare salubre est.

Vulgo, *Capparis atque apium buglossaque iungitur vna*. Nicolai tamen vel ex Plinio noti sunt. Sed hæc quam diuersa sint nemo non videt. Mihi sane pene ἀπαγχονίζεσθαι optare libet, cum in re capitali nostra, tam discrepantes a se inuicem vnius sententiæ tabellas scribi recitarique audio. In aliorum auctorum scriptis quid perperam inuertit aut mutat, falsarius agnoscitur: in huiusmodi quæ ad salutem hominis pertinent, qui hoc temere audet, quid minus quam sicarius & veneficus, atque etiam sæpe parricida est? Et tamen ei statim creditur, cum sit periculum in nullo mendacio maius. Adeo blanda est spirandi pro se cuique dulcedo. Sed non est hic illud omittendum, vbi vulgo legitur apud Serenum: *Restrictione cibi aut sanguinis abstinendi*, in veteri & optimo exemplari ita scriptú: *Ad medicreseßionem cibi & sanguinem stanciandum*, quod fortasse tam rectum est quam illud Cambire apud Priscianum, quo & Apuleius vtitur. Paulo post de hydrope:

Corrupti iecoris vitio vel splenis aceruo
Crescit hydrops.

Vulgo *acerbus*, Aceruo, id est, obstructione vel tumore. Non patiar etiam elegans dicendi genus apud Serenum mea negligentia deperire, vbi de conceptione & partu loquitur:

Irrita coniugii sterilis si munera languent,
Et sobolis spes est multos dum vana per annos.

Multos

Multos dum dixit vt nihil dum. Et paulo post, ad ea quæ oculos impediunt.

Corporibus vulsis saniem perducito rana,
Sed quæ parua situ est, & rauco garrula questu,
Nec non e stagnis cessantibus exos hirundo.

Infantibus dentibus vel strige inquietatis. Veteris libri scriptura est, *Infantibus stridentibus vel striga inquietatis.* Emendatum est tamen a doctis viris, nec sine recti specie, *Infantibus dentientibus.* At non illud tam feliciter, *quod vulneribus ex re dubia curandis*, ab iisdem repositum est, quo loco *vulneribus & res dubia curandis* vulgo legebatur. Vetus liber sic habet: *Vulneribus & rudubia curandis.* Vnde conicio a Sereno scriptum: *Vulneribus & reduuia.* Reduuia seu reduuia est quam idem paulo post vlceris annosi sinum appellat. Plinius lib. 29. de lana succida: *Reduuias sanat ex aqua frigida.* Arnobius lib. 1. *Vt pustulam, reduuiam, papulam, aut vocis imperio, aut manus contrectatione comprimeret.* Sext. Pomp. παρωνυχίαν interpretatur, dum scribit: *Reduuiam quidam, alii reluuium appellant, cum circa vngues cutis se resoluit, quia luere est soluere.* At mihi vt a luendo reluuium, ita ab iduando Reduuiæ seu Riduuiæ dici posse videntur. Iduare enim diuidere est, vnde & viduam dictam Grammatici tradiderunt. Duere autem antiquo verbo dare potius, quam soluere significat. Sane Iulius Solinus, Reduuias dixisse videtur, vt exuuias. Hæc nos magna ex parte veteris & optimi exemplaris ope adiuti apud Serenum delibauimus, quo genere ante nos quoque in hoc auctore ab Ant. Molinio bona opera sedulo nauata est. A quo sane quæ feliciter emendata sunt, non attigimus: Sed nec ea quidem omnia, quæ virum doctū & diligentem nescio quomodo effugerunt.

Tarquitius & de eo Macrobii loci emendati.

CAPVT XX.

Tarquitius libros scripsit de Hetrusca disciplina, quorum sæpe in indice librorum Plinius meminit. De iis ego accipiendum arbitror, quod Amm. Marcellinus lib. 25. in hunc modum scribit: *Aruspices consulti quid astri species portenderet noua vitandā esse, cautissime responderunt, ne quia tunc tentaretur, ex Tarquitianis libris in Titulo de rebus diuinis id relatum esse demōstrantes, quod face in cælo visa committi prælium, vel simile quicquam non oportebit.* Huius etiam Tarquitii nomen reponendum arbitror apud Macrobium, vbi de ficuum generibus loquitur: *Tarquinius* (inquit) *Priscus in ostētario arborario sic ait, Arbores quæ inferum deorum auertentiumque in tutela sunt, eas infœlices nominant.* Sic habet vetus atq; optimus liber meus, ne quid hac de re dissimulem. Nō dubito tamen ab auctore sic scriptū, aut sensum, Tarquitius in ostētario arborario. Nam & apud eundem vbi vulgo scriptū legitur

Est super hoc liber Tarquinii transscriptus ex ostentario Tusco, vbi inuenitur, Purpureo aureoue colore ouis arietisque si aspergatur, principis ordinis & generis summa cum felicitate largitatem auget, genus progeniemque propagat in claritate, lætioremque efficit. In eodem exemplari scriptum est rectissime: *Est super hoc Tarquitii transscriptus ex ostentario Tusco, &c.* Tarquitii etiam, siue huius, siue alterius meminit alicubi Lactantius. Itemque Pomponius Sabinus in illud Virg. lib. 10. Tarquitus exsultans, qui eum Tarquitum appellat, aitque filium Dauni ex nympha Dryope & aruspicem fuisse. at Tarquinii Prisci liberorum nullus, quod sciam, ex auctoribus. Friuola hæc fortassis cuipiam & nimis leuia videantur, sed (vt quidam perurbane dixit) curiositas nihil recusat: atque interdum paruus etiam plurimi facit, & ad ea gressum sustinet, quę ceteri pro vilissimis passim calcant.

LIBER SECVNDVS.

Ad Claud. Sennetonum I.C.

Tricasses, Tricassini Campania

CAPVT I.

Tricassium primum post Plinium reperio mentionem fieri in Itinerario, quod Antonio Imp. tribuitur, cum a Mediolano per Alpes Cottias ad Gessoriacum iter describit: cuius hæc portio est,

Antissiodorum	*Mil. plus minus XXXIII. Leg. XXII.*
Eburobrica	*M. P. M. XVIII. Leg. XII.*
Tricasses	*M. P. M. XXXIII. Leg. XXII.*
Arciaca	*M. P. M XVIII. Leg. XII,*

Ptolemæus libr. 2. Geograph. cum Lugdunensis Galliæ situm exprimere conatur. Παρὰ δὲ τὸν Σηκοάναν, Καρνοῦται, καὶ πόλις Αὔτρικον. Κλωάβοον. Ὑφ᾽ οὓς Παρίσιοι καὶ πόλις Παρίσιον (sic lego, non παρίσιον) Λουκοτήκια. ὑφ᾽ οὓς Τρικάσιοι, καὶ πόλις Αὐγουστόμανα. Non est vero Augustomana, siue Augustodunum, siue Augustobonam, seu potius Augustomagum exaudias, ciuitas Tricassinorum, seu vt in Ptolem. scriptum est, Tricassiorum, vt Lutetia Parisiorum: ne quis forte eo loco fallatur, quod quibusdam serio accidisse doleo. Tricassium enim appellatio ciuitatis ipsius propria est, vt Tricassinorum populi, a quibus & Augustomagum, & Augustobonam, & Augustodunum longe alias diuersasque esse, illud idem Itinerarium probat. Sed addantur & alii auctorum loci, qui Tricassium & Tricassinorum meminere, quando sane hac in re profusiorem esse præstat, quam ingratum, & ex iis, vti diximus, ita omnino esse intelligetur. Auctor Panegyrici Maximiano A. vel potius Cōstantio Cæsari dicti, quem quidam, non satis perspecta temporum ratione, Mamertino tribuunt, *Sicut* (inquit) *pridem tuo, Diocletiano*

Augusto

Auguste, iussu suppleuit deserta Tracia translatis incolis Asia. sicut tuo postea, Maximiane Auguste, nutu, Neruiorum & Treuirorum arua iacentia velut postliminio restituit & receptus in leges Francus excoluit: ita nūc per victorias tuas, Constanti Cæsar inuicte, quicquid infrequens Ambiano, & Bellouaco, & Tricassino solo Lingonicoq; restabat, Baro cultore reuirescit. In Panegyrico altero, quo Flauienses, siue Hedui Cōstantino de remissis ab agrorum infertilitatem septem milibus capitum gratulantur: *Habemus* (inquiunt) *& hominum numerum qui delati sunt: & agrorum modum, sed vtrumq; nequam, hominū segnitia, terraq; perfidia. Vnde enim nobis Remius, aut Neruius, aut ipse ille de proximo Tricassinus ager, aut arator, quorum reditus cum labore contendunt?* Hos ego locos, nō vt in vulgatis exemplaribus scripti conceptiq; sunt, sed vt emēdandos legendosq; censeo, ita retuli: Quam in re viros doctos & candidos facile mihi adsensuros spero. Sed nec emendationis quidem nostræ rationem, si quis requirat, hic edere nunc statuimus. Itaque vltra pergimus. Ammianus Marcellinus lib 16. refert, Iulianum Cæsarem designatum, ipso & Constantio A 8. COSS 8 Dal. Iulias Augustodunum peruenisse. Ibique habita deliberatione quodnam iter vt tutum eligeretur, quibusdam per Arborosam, aliis per Sidoleucum (sic lego ex eodem illo Itinerario) iri debere affirmantibus, ipsum cum Cataphractis solis & Ballistariis, præcurso eodem itinere, quod paulo ante Syluanus magister peditum cum 8. auxiliarium milibus ægre transierat, Antissiodorum peruenisse: *Vos breui* (inquit) *sicut solebat, otio cum mil. recreatus, ad Tricassinos tendebat: & Barbaros* (sic enim appellat Francos & Germanos qui iam tum Alemanni dicebantur) *in se cateruatim ruentes, partim cum timeret vt ampliores, confertos lateribus obseruabat: alios occupatis habilibus locis decursu facili proterens, nonnullos pauore traditos cœpit, residuos in curam celeritatis omne quod poterant conferentes, quia sequi non valebat, grauitate præpeditus armorum, sit nocuos abire perpessus est. Proinde certiorem iam spe ad resistendum ingruentibus confirmatus per multa discrimina venerat Tricassas, adeo insperatus, vt eo portas pene pulsante, diffusa multitudinis Barbara metu, aditus vrbis non sine anxia panderetur ambage: & paulisper moratus, dum fatigato consulit militi, ciuitatem Remos, nihil prolatandum existimans, petit: vt in vnum congregatum exercitum. V...sunt iusserat opperiri præsentiam suam* Sidonius Apollinaris Auernorum Episcopus, qui temporibus Theoderici vixit, libro 6. Epistol. 4. *Quodam* (inquit) *Prudente* (*hoc enim viro nomen, quem nunc Tricassibus degere fama diuulgat*) *ignotorum hominum nobis collaudante contractum, cuius subscriptio intra formulam nundinarum, tanquam idonei adstipulatoris ostenditur.* Idem libro 7. Epistol. 13. *Himerius antistes, filius tuus, notus mihi hactenus, parum vultu, satis opinione, (qua quidem in bonam partem porrigebatur)*

Lugdunum nuper a Tricassibus venit: Quo loci mihi raptim ac breuiter conspectus, Sanctum episcopum Lupum facile principem Pontificum Gallicanorum, sua tam professionis magistrum, quam dignitatis auctorem, morum nobis imitatione restituit. Deus bone, qua viro censura cum venustate, & cetera quæ sequuntur ad Lupi nostri laudes pertinentia. Beda scribit, Valentiniano III. imperante, Seuerum Lupi illius Tricassinorum antistitis discipulum, apud Treueros episcopum ordinatum, primæ Germaniæ verbum Domini prædicasse Gregorius Turonensium Archiepiscopus Tricasses, Tricassinorum vrbem appellat in libro de Martyribus, vbi Patrocli meminit, quem in ea vrbe pro Christi Euangelio passum veteres agonum Historiæ testantur. Ado in Chronic. scribit, Britannos a Gallicanis Episcopis auxilia quærentes, Germanum Antisiodorensis ecclesiæ episcopum & Lupum Tricassinum, Apostolica gratia antistites, fidei defensores aduersus Pelagianam hæresin accepisse. In veteri etiam notitia prouinciarum, (quæ falso etiam a plerisque Antonino Imperatori tribuitur, quo longe posterior est, cum sumta sit ex libris Canonum Isidori Hispalensis episcopi) sub Lugdunensi quarta, ciuitates 7. statuuntur: *metropolis ciuitas Senonum, ciuitas Carnotum, ciuitas Antisiodorum, ciuitas Tricassium, ciuitas Aurelianorum, ciuitas Parisiorum, & ciuitas Meldorum.* Quo loco mihi sane mirum est, Tricasses pro Tricassinis dictos, si modo integer est locus, quod non facile adducor, vt statim credam Lugduni lapis est, ex cuius fragmentis, quæ pridem longe a se mu c m disiuncta sunt, hanc ego memoriam aliquando erui:

C. CATVLLIO.
DECIMIO
TVTI. CATVLLII. FIL.
TRICASSIN. OMNIB.
HONORIBVS. APVD. SV-
OS FVNCT. SACERD.
AD. TEMPL. ROM. ET
AVG. III. PROV. GALL.
TRES. PR.

Habeo & ex patris mei Petri Pithœi, summi viri, monumentis, inscriptionem, quam ego lenem optimum puero mihi tanquam thesaurum aliquem donasse, & seruandam mandasse cum iuuantia memini. Ea sic habet:

D. M.

ET MEMORIÆ. AVRELI. DEMETRI. ADIVTORI. PROC CIVITATIS. SENONVM. TRICASSINORVM. MELDORVM. PARISIORVM. ET. CIVITATIS. ÆDVORVM. INGENVINIA AVRELIA. CONIVGI. CARISSIMO. ET. AVRELIA. DEMETRIANE. ET. AVRELIVS. DEMEDRIVS. FIL. PATRI. CARISSIMO. FACIVNDVM. CVRAVERVNT.

Ex quo appparet harum ciuitatum Proconsules diuersos vnum adiutorem fuisse. Et sane Æduorum ciuitas in Isidori breuiculo inter eas, quæ primæ Lugdunensis sunt, refertur, & in notitia Imper. Rom. Lugdunensis prima cum suis ciuitatibus inter Consulares prouincias statuitur. Verum, qui ignorat apud Romanos, maxime vero posteriorum Impp. temporibus, variam & quotidie pene mutabilem prouinciarum diuisionem fuisse, eandemque prouinciam sæpe diuisam sub duobus Præsidibus vel pluribus constitutam? Externa repetere necesse non est, sunt enim infinita: Sub Cæsare Dictatore, & paulo post, nulla fuit Lugdunensis prouincia, sed Narbonensis, vt Viennensem ita & Lugdunensem, qualiscumque illa fuit, continebat, quemadmodum Marcellinus scribit libro 15. vnde illud Ausonii de Narbone:

Nec tu Martie Narbo silebere, nomine cuius
Fusa per immensum quondam prouincia regnum
Obtinuit multos dominandi iure colonos,
Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris.

Augustus vnam Lugdunẽsem fecit, vt Strabo auctor est lib. 4. Duæ tamen statuuntur a Marcellino & Ruffo, quorum temporibus, vt Senonas, ita & Tricassinos primæ Lugdunensis fuisse facile crediderim. Liber sane Notitiæ Roman. Imperii, qui ad posteriorum Impp. tempora pertinet, quatuor Lugdunenses facit, vt Isidori breuiculum, sed quartam Senoniam vocat, nomine metropoleos. Sub hac tum quoque fuisse Tricasses verisimile est, cum & Lutetia Parisiorum alicubi eidem prouinciæ tribuatur. Sed ad quod venimus, hoc præcipue hic agamus. Hactenus Tricassium & Tricassinorum nomen lectum auditumque est. Verum posteriorum temporum ieiuni scriptores cum Tricis Apinisque suis, Trecas quoque inuexerunt. Sane & in vulgatis Aymoini monachi codicibus, vbi Galliarum ciuitates enumerat libro primo, Trecæ scriptum legitur, vt & apud Gregorium Turonen. libro 8. & Iuonem Carnotensem in Epistolis nondum editis, & in Appendice ad Adonis Chronicon: vbi narratur regnante Ludouico Caroli filio, Ioannem Papam in Gallias venisse, & apud Trecas diu moratum, ibi Synodum habuisse Episcoporum, in qua Hincmarus Lauduni clauati Episcopus post auulsionem oculorum suorum Episcopatu est donatus. Sic enim is locus emendandus est, vt & alter eiusdem auctoris de Martino, quem ait fuga elapsum Lauduno clauato se reclusisse, vulgo corrupte Lugduno cloaca quod me P. Daniel ex veteribus libris confirmauit. Sigibertus quoque Gemblacensis monachus scribit, anno DCCCXCII. Northmannos a Senonis, quam expugnare non potuerant, Parisios repetiisse: indeque repulsos, per Matronem Trecas vrbem incendisse, & vsque Virdunum & Tullum vrbe cuncta depopulatos. Sed posthuma isthæc persequi, neq; otii, neq; instituti est nostri. quos

hic satis est, quasi ruderibus egestis, & vetustiores patriæ vtriqu nostrum carissimæ ruinas detegere, & lituras quibus primæuum ipsius nomen nescio quo malo inductum hactenus suppressumque est, velut spongia effingere. Vnum tamen illud addam, Campaniç appellationem, eius quidem cuius hodie vrbium nostra mater est, nondum me apud vetustiorem paulo scriptorem legere potu isse. Auctor sane appendicis ad Marcellini Comitis desloratu, Remensem Campaniam vocat, & vt Gregor. Turonensis in libris historiarum. Non desunt, qui Catalaunicam appellent: credo Camporum memoria inducti, in quibus Attila victus est, qui & Catalaunici & Mauriaci Iordani dicuntur. Vnde & Mauriacensis pagna in legibus Burgundionum. Est & Campania Tullensis Aimonio & Arciacensis Sic enim apud eum ex Gregorii appendice legendum est. Sane in itinerario Antonii, ne quis forte eo decipiatur, locus vnus in quo Campaniæ iuxta Mediomatricum mentio repetitur, sic emendandus est ex Noticiæ Romanæ libro;

Vetusalina, in medio Matrica. M.P.M XXVI.

Campona, in medio Acinco leg.2. Adiutr. M.P.M.XXIII.

Sunt autem hæc loca Valeriæ Ripensis.

Ciceronis ex lib.2. De legibus loci de lege Toria, Ausonii de lege Titia, Titi Liuii de lege Valeria, expensi & explicati.

CAPVT II.

QVæsitum est apud Ciceronem, quæ sint Turię leges in illo lib. 2. de legibus loco: *M. Igitur Titias & Apuleias leges nullas putas? Q. Ego vero ne Liuias quidem. M. Et recte, quæ præsertim vno versiculo senatus, puncto temporis sublatæ sunt.* Et alii quidem Sulpicias, alii Sempronias reponendum putarunt. Ego ex veteris scripturæ vestigiis Titias legi, vt & in eodem libro, vbi de potestate Augurum loquitur: *Quid leges non iure rogatas tollere, vt Titiam decreto collegii?* Tulit enim leges Agrarias Titius Trib pl. seditiosus, cuius & Valer. Maxim. & idem Cicero meminere. Nunc magis placet iisdem omnino vestigiis, Turias & Turiam, seu Torias & Toriam vtrobiq; legere Sp. Torius, siue Turius Trib. pl. legem Agrariam tulit, quæ statim sublata est, vt Appianus libro 1. bell. Ciuil. scribit, idque ex decreto collegii, quod contra auspicia lata esset. Id Cicero quoque in Bruto satis ostendit, dum ait, Sp. Torium vitiosa & inutili lege agrum publicum vectigali leuasse. Vitiosa enim lex, est vitio lata, contra Augurum disciplinam, vt & vitiosi magistratus contra auspicia creati. Titia lex de donis & muneribus quæ fuerit, ab aliis traditum est. Lubet hic tantum Ausoniani de Iureconsulto epigrammatis elegantissimi nasum detegere, qui ab aliis non satis visus est. Ait autem, Iureconsulto cuidam qui vxorem dicebat adulteram, Papiam legem, quæ contra cælibes lata est, placuisse, Iuliam de adulteriis displicuisse. Huius diuersi-

diuersitatis rationem ex aliarum quoque legum nominibus facetissime reddit. Ait enim, Iurisconsultum ipsum semiuirum & parum pudicum Scatiniam legem, seu potius Scantiniam (sic enim non apud Suetonium modo, sed & apud Tertullianum in libro de Monogamia, & Prudentium in Romani martyrio scribitur) metuisse, quæ contra impudicos lata est, ideoque vxorem tandem duxisse secundum legem Papiam, vt hoc vitium tegeret, quæ lex Papia idcirco ei placuit: At Titiam non metuisse, cum nemo ei donum munusque ob caussam orandam offerret, & ideo necesse ei esset aliunde rem facere, nempe ex adulterio vxoris, & lenocinio suo contra Legem Iuliam, quæ ideo ei displicuit. Sic igitur ait:

Iurisconsulto cui nubit adultera coniux,
Papia lex placuit, Iulia displicuit.
Quæritis vnde hæc sit distantia? Semiuir ipse
Scantineam metuens non metuit Titiam.

C. Titius legem Fanniam sumtuariam cuius verba ab Athenæo referuntur lib. 6. oratione suasit: Citatur eius oratio a Macrobio cum de lupo disserit. Sed Titii nomen apud eundem corruptum est, de equo Troiano. Nam vbi vulgo Cincius libri excussi habēt, vetus Citius. Io. Salisberiensis Policratici scriptor, C. Titius recte. Hæc nominum affinitas simul, vt congererē obtinuit. Nunc de lege Valeria, quod huius capitis inscriptio pollicetur, impleamus. Valeria lex cum eum, qui prouocasset virgis cædi, securique necari vetuisset, si quis aduersus ea fecisset, nihil vltra quam improbe factum adiecit. Improbe factum adiectum est pœnæ loco, vt contra in quibusdam legibus & edictis, quasi pro præmio, Bonum factum, adscribebatur, Tertull. & Sueton. testibus. quod his duabus literis B F. notari solitum Isidorus scribit lib. 1 Etymol. Addit Liuius lib. 10. *Id (qui dum pudor hominum erat) visum credo vinculum satis validum legis. Nunc vix seruo ita minatur quisquã.* Seruo, profecto nihil mirum, cum grauius multo & seuerius seruis minari conueniat, quam liberis & ingenuis hominibus. Et recte Petronius, *Pœnam ignis grauissimam credimus, vbi seruis irascimur.* Quid igitur si apud Liuium vnius literulæ facili mutatione sic legamus? *Nunc vix serio ita minatur quisquam.* Quod ego temere reiiciendum non putem.

Chrestos, Chrestiani, Achreston, Chresimon.

CAPVT III.

QVod in Actis Apostolorum scriptum est cap. 19. Claudium Imperatorem iussisse, vt omnes Iudæi Roma excederēt, Sueton. quoque Tranquillus in eius vita factum sic refert: *Iudæos, impulsore Chresto, assidue tumultuantes Romæ expulit.* Non est mihi dubium, Christianos quoque, si qui tum primum Romæ erant, vt

fuisse credibile est, simul cum Iudæis vrbe pulsos. Nā hos omnes Romani veteres eodē ordine diu habuerunt, vt ex Tertulliani & aliorum Apologeticis constat. Seuer. Sulpit. lib. 2 sac. hist. *Adrianus existimans Christianam fidem loci iniuria peremturū, in templo ac loco Dominicæ passionis simulacra constituit. Et quia Christiani ex Iudæis potissimum putabantur (Namque tum Hierosolymæ nō nisi ex circumcisione habebat Ecclesia sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare iussit, quæ Iudæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. Quod quidem Christianæ fidei proficiebat, quia tum pene omnes Christum Deum sub legis obseruatione credebāt. Nimirum id Domino ordinante dispositum, vt legis seruitus a libertate fidei atq; Ecclesiæ tolleretur.* Rutil. Claudius Gallius lib. 1 Itinerarii cum ritus quosdam Iudaicos de circumcisione, & Sabbato descripsisset detestatusq; esset, subiicit:

Atq; vtinam nunquam Iudæa excisa fuisset
Pompeii bellis, Imperioq; Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresq; suos natio victa premit.

Quod ego ad Christianos pertinere arbitror, quorū tum sancta religio latius radices egerat, & quibus vt Iudæis Rutilius vltro infestus est. Porro q̄ ait Suetonius impulsore Chresto, de Christo ipso haud falso & impie, ab eo dictū intellectumq; non dubito, vt qui iam sciā veteres gentiles, veri nominis ignoratione, Chrestū & Chrestianos nō Christum aut Christianos dixisse. Quod vel vnus Luciani Philopatres testari potest. Lactātius Firm. lib. 4 cap. 7. *Exponenda est nominis ratio propter ignorantium errorē, qui Christū immutata litera Chrestum solent dicere.* Id me & hic Tertulliani locus in Apologetico docuit: *Si nominis* (inquit) *odiū est, quis nominis reatus? quæ accusatio vocabulorum? Nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustū aut maledicum, aut impudicū. Sed & cum perperam Chrestianus* (sic ex sequentibus scribendū arbitror, vt & apud Tacitum lib. 15.) *pronuntiatur a vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suauitate, vel benignitate cōpositum est. Oditur itaq; in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.* Hactenus Tertulliani verba, ex quibus sane quod proposui confectum credo. Χρηστὸς enim suauem, facilem & benignū significat. Itaq; Lucianus in Philopatride cum de quodam dixisset χρηστὸν eum, id est, Christianum esse subiecit, post paulo ridicule, εἰ δὲ χρηστοὶ ἄνωθεν βλέπων ἐπετύχετο. De quo etiam nomine elegans est Ausonii epigramma semi Græcum & semi Ausonium, quod nihil est necesse hic exscribere. Inde & Panchresta Saluiano, & Pertinacem Chrestologū vulgo dictum Capitolinus scribit, quod verbis magis, quam re ipsa benignus esset, hoc est vt Aurelius Victor eleganter expressit, blandus magis quam benignus. Non erit etiam valde alienum hic adiicere nomen affine, quo veteres inter [illegible] aliquan-

aliquando vsos notaui, vt cum quid in alienis scriptis vitandum putarent, ἄχρηστον adscriberent, cum quid vtile χρήσιμον. Cassiodorus lib. 1. institution. Diuin. scriptur. *Ticonius* (inquit) *Donatista in eodem volumine, quædam non respuenda subiunxit, quædam vero venenosa dogmatis sui fæculenta permiscuit. Cui tantum in bonis dictis Chresimon in malis Achreston, quantum transiens valui reperire, vt arbitror, competenter adfixi.* Ex quo alterum eiusdem auctoris locum emendandum censeo, vbi de Origenis Adamantii libris loquitur: *In operibus* (inquit) *eiusdem Origenis, quantum transiens inuenire præualui, loca quæ contra regulas patrum dicta sunt, ac hæreseon repudiatione signans.* Sic habet vetus & optimus liber, in quo tamen reponẽdum arbitror *Achreston*, vel ἄχρηστον. Solebant etiam veteres theta adscribere pro veruto his, quæ nõ probarent. Sidonius:

Isti, qui valet exarationi
Districtum bonus, applicare Theta.

quæ fuit etiam Triumuirorũ capitalis nota. Verũ, vt ad rem tandem redeamus, hoc totum de Chresto impulsore mendaciũ, siue a Suetonio confictum, seu potius ex vulgi fama & opinione relatum, minus mirabitur, qui nõ solum veterum ethnicorũ (vt a nostris quidẽ appellantur) de Iudæis & Christianis nugas legerit, inter quas & Hadriani ad Seruianũ epistolam refero, sed & ipsorũ Iudæorum de Christo, quẽ & Hebraica historia Chrestum appellant, & ad Pompeii, aut Vespasiani tempora inepte referũt. Ceterum, quod Sulpitius scribit, Iudæos Hierosolymæ aditu ab Hadriano prohibitos, valde pertinet ad eum Apologetici locum in quo Tertullianus, qui post Hadrianum sub Seuero vixit, de Iudæis loquens, *Dispersi* (inquit) *palabundi, & soli, & cœli sui extorres, vagantur per orbem, sine homine, sine deo rege, quibus nec aduenarum iure terram patriam saltem vestigio salutare cõceditur.* Hoc etiam fortasse consilio Hadrianus Æliam, id est, Hierosolymam instaurans in fronte eius portæ, quæ ad Bethleem erat, suem in marmore sculptam proposuit, vt Cassiodor. in Chronico scribit: qui tamen aliam quoque eius rei rationem adfert.

Kalendarii, Iduarii, Relegere, Alpheni, Persii & Catonis loci emendati.

CAPVT IV.

MEmini ab antiquo glossario in M. Ciceronis Catilinaria priore, dum ait: *Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties*, adnotatum, fœneratorbum hanc olim fuisse consuetudinem, vt vltra statutũ Kalendarum diem, in Idus concederent dilationem: itaque fieri solitum, vt quæ in Kalendas fœnerauerant, idibus rebus reciperent & relegerent. Cuius moris exemplum etiam adfert ex Horatii Epodo sane quam appositum:

Hæc vbi loquutus fœnerator Alphius
Iam iam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Possunt & alia eius rei exempla proferri plura, sed hoc satis est. Inde vero Kalendariorum & Iduariorum corpora dicta arbitror in veteri inscriptione, quæ ab Appiano inter alias relata est. Habebant enim ciuitates, vt & priuati, Kalendaria sua, ex quibus qui fœnori ponebant & collocabant, Kalendarii, & curatores Kalendarii, qui relegebant, Iduarii, vt opinor, dicebantur. Interdum autem etiam in lege solebat adiici, vt Idibus demum solueretur. Exemplum est apud Catonem in lege in oleæ pendentis: *Ponderibus modiisq́ domini datum iri* (sic lego, vt sign ficet Datum iri) *prima cotulas duas. Dies argento ex Kalend. Nouemb. Mens. 10. Olea legenda faciundaq́, quæ locata est, Et si emtor locarit, Idibus soluta. Cuius rei æquitas manifesta est.* Proferam & aliud exemplum non satis vulgo notum. Vectigalia P R mense Martio Redemtoribus & Publicanis locari solita, Macrobius lib. 1. Saturnal tradit, & verum est Solebant & eodem mense priuati agros suos colonis locare. Sed non fuit idem omnino solutioni præstitutus dies. Nam horum fere pensiones Kal. Martiis inferri a colonis debebant: At vectigalium locationes in Idus Martias ita conferebantur, vt exinde redemtor frui inciperet, & proximis quibusq; Idibus Mart. conductionis pretium solueret. Itaque Cæsar cum insulæ Cretæ cotorias locaret, legem ita dixerat: *NE QVIS PRÆTER REDEMTOREM POST IDVS MARTIAS COTEM EX INSVLA CRETA FODITO, NEVE EXIMITO, NEVE AVEHITO.* Sic enim apud Alphenum Varū (qui Cæsaris Dictatoris & Augusti temporibus vixisse videtur) auehendi verbum reponendum restituendumq; arbitror, ex quo tota propositæ quæstionis dubitatio pendet. Quod bona nostrorum venia παρέργως dixisse liceat. Sic & in æneis legis Liuiæ Agrariæ fragmentis scriptum legimus: *PEQVNIAM POPVLO EX EID. MART. QVÆ. POSTEA QVAM VECTIGALIA. CONSISTENT. QVÆ. POST. H. L. R PRIMVM. CONSISTENT. PRIMÆ. ERVNT* Porro, non desunt, qui in eo Horatii versu (redegit) scribi malint, quod tantum abest, vt mihi vnquam probari potuerit, vt nullum aliud relegendi verbo ad rem accommodatius putem. Idem Cato: *Die lanam ac agnos vendat. Menses 10. a coactore relegет.* Apud Persium Sat. 5. vbi vulgo legitur:

Quæ dederam supra repeto, funemq́ reduco.

Veteres libri habent.

Quæ dederam supra relego, funemq́ reduco.

Quod perspicue rectum est. Est & relegendi verbum quodammodo reli-

do religiosum apud Arnobium lib.4 aduers gent. Non tempero mihi quin illud hic adiiciam, videri apud Catonem cum legem vino in doliis tradit, pro dominus resoluito, legendum, Domino resoluito: *Vinum* (inquit) *accipito ante Kal. ian. primas. Si non ante acceperit, dominus vinum admetietur. Quod admensum erit, pro eo dominus resoluito.* Imo vero domino. Venditor enim Dominus Catoni perpetuo dicitur, cui ab emtore res soluitur, id est, pretium. Interdum tamen & dominus resoluit, pro ratione eius quod admensum non est, videlicet, si pretium promutuum acceperit. Ideo enim mensura fit a venditore, vt intelligatur quantum emtori perierit. Sed hoc ad Catonis sententiam nihil, nisi forte quis malit eum locum sic legere: *Quod admensum non erit, pro eo Dominus resoluito.* Nec id quidem recti specie omnino carere videbitur. Illud aliquanto certius, in eadem formula Catonis verba sic potius distinguenda: *Quod neq; aceat, neq; muceat id dabitur. In triduo proximo viri boni arbitratu, degustato.*

Sidonii Apollinaris versus emendati, Cloio, Atax, Nicer, Rhetus, Scaldis, Theudoris, Aetius, Carpilio.

CAPVT V.

IVuat maxime in veterum monumentis aliquid, quod ad historiã gentis nostræ pertineat adnotasse: vel ex eo maxime, quod in ea, quæ mille annos excurrit, velut in aliena patria peregrinari, & quasi hospites diuersoria quærere cogimur. Apud Sidonium Apollinarem in Panegyrico, quem ille Maioriano A dixit, describitur pugna, qua Maiorianus, qui Auito in Imperio successit, Francos Gallias inuadentes ad vicum Helenam in Attrebatibus, nec opinato irruens, in fugam vertisse dicitur. Cõstat vero Chlogionem, quem alii Clodionem appellant, a Dispargo, quod in finibus Thoringorum castra erat, profectum, Rhenum transiisse, ac protritis Romanis Carbonariam tenuisse. inde missis exploratoribus Tornacum primo, post etiam Camaracũ venisse. In qua, sede sibi constituta paululum moratus (nam ab Aetio, qui tum Gallias Patricius regebat, expulsus refertur: idque est quod Prosper ait, Fœlice & Tauro Coss. partem Galliarum propinquam Rheno, quam Franci occupauerant Aetii comitis armis receptã) obuia omnia ad Summam fluuium occupauit, tum quidem Gallias regente Aetii successore Ægidio. Atqui nobilissimi & fortissimi Regis nomen apud ipsum Sidonium adeo turpi macula obductum inquinatumque est, vt vix, ac ne vix quidem agnosci possit. Eluta vero ea detersaque erit, si eum locum ex auctoritate veterum librorum sic legamus:

Post tempore paruo
Pugnastis pariter Francis, qua Cloio patentes
Attrebatum terras peruaserat: hic coeuntes

Claudebant angusta vias, arcuq; subactum
Vicum Helenam, flumenq; simul sub tramite longo
Artus suppositis trabibus transmiserat agger.

Sursum etiam respice, & nobilissimos Galliæ amnes in nomen cursumque suum sic restitue:

Rhenus, Arar Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana Ledus,
Clitis, Elaris, Atax, Vachalis, Ligeremq; bipenni
Excisam per frusta bibet.

Reddantur vero & sua Rhætorum antiquissimæ genti, & Nicro amni nomina, apud eundem in Panegyrico altero, quem Auito dixit, atq; ita legatur:

Rhetum Burgundio cogit,
Chunnus Bellonotus, Neurus, Basterna, Thoringus,
Bructerus, uluosa quam vel Nicer abluit unda
Prorumpit Francus: cecidit cito secta bipenni
Hercinia in lintres & Rhenum texuit alno.

Significat autem, quantum intelligo, Alpestrem Rhetũ, qui Burgundioni proximus aliquando fuit. Nescio quo iure, quaue iniuria, & Scaldis nomen amiserit apud Cæsaré in quibusdã editionibus, eo loco, quem ex veterũ librorum scriptura adiiciã. *C. Trebonium cum parte legionum numero ad eam regionẽ, quæ Atuaticis adiacet, depopulandũ mittit. Ipse cum reliquis tribus ad flumẽ Scaldem, quod influit in Mosam, extremasq; Arduennæ partes, ire constituit.* Placet & hic vna eademq; opera, quãdo adhuc liber præ manibus est, alterum clarissimi regis nomen apud eundem Sidonium restituere. Ita vero scriptum est in Carm. 7.

Probat hoc iam Theuderis, altum
Exemplum officii: Res mira & digna relatu.
Quod fueris blandus regi placuisse feroci.

Vulgo male. *Probat hoc Theodorus vt altum.*

Significat autem Theuderim siue Theudericum, Gotthorum regem, non eum, quem auctor idem graphice admodum descripsit lib. 1. Epist. 2. sed priorem alterum, qui Catalaunica pugna Aetio suppetias tulit & occubuit, quemque idem auctor postea pellitum principem vocat. Sic paulo post:

In Rhodanum proprios producere fines
Theuderida fixum.

In eodem carmine:

Ve mihi qualis eram, cum per mea iussa iuberet
Sylla, Asia gentes, Curius, Paulus, Pompeius,
Tigrani, Antiocho, Pyrrho, Persa, Mithridati,
Pacem, regna, fugam, vectigal, vincla, venenum.

In veteri libro pro, Asiæ gentes, scriptum est, Asiagenes. Significare procul dubio voluit Cor. Scipionem Africani fratré, qui deuicto Antiocho Asiatici cognomen accepit. Idq; certius celat o-

nis ordo postulat. At quomodo versus ita constet, nō satis video. Aetius Galliarum, dum ad vixit, columen, Gaudentii Mœsii, vel Scythæ filius, a puero Pretorianus, tribus annis Alarici obses, dehinc Chunnorum, post hac Carpilionis gener, ex comite domesticorum, Ioannis Tyranni curam palatii gessit, vt Renatus Frigeridus scribit. Cassiodorus lib. 1. Var. for. Carpilionem, Aetii filium facere videtur, dum sic ex Theuderici persona de suo ipsius patre loquitur: *Patricio Aetio pro iuuanda Rep. magna fuit caritate sociatus. Quem tum rerum dominus propter sapientiam sui, & gloriosos in Rep. labores, in omni consilii parte sequebatur. Ad Attilam igitur potentem armorum, cum supradicto filio Carpilione legationis est officio, non inrrito destinatus.* Quæ si cōponere volumus aut pro filio, socero legendum, aut certe potius fatendum Aetii quoque filio Carpilionis aui materni nomen inditum. At quod Prosper ait: Aetium magistrum inclitum ex agricola factum in defectionis ad Hunnos: inuidia data videtur.

Leuatio imperatoris & noua nupta.

CAPVT VI.

NOn est alienum a re ipsa loquendi genus, quo posterioris sæculi scriptores passim vsos legimus, cum leuatum aliquem in regem vel imperatorem dicunt, imperatorem vel regem factū creatumque significātes: quo etiam modo Claudianum loquutum arbitror illo versu,

Sed mox cum solita miles te voce leuasset.

Fuit vero id moris nō Barbararum tantum olim gentiū, sed ipsorum aliquando Romanorum, vt quem imperatorē facerent, cum in altum tollerent. Amm. Marcell. libr. 20 de Iuliano, a Gallicanis militibus principe renuntiato: *Impositusq;* (ait) *scuto pedestri, & sublatius eminens, populo silente, Augustus renuntiatus, iubebatur diadema proferre.* Vbi pro populo, vel, vt liber manuscriptus habet, vllo, lubentissime reposuerim, nullo, vt significet solita omnium voce leuatum. Zonar. in Iustiniano, ἐπ' ἀσπίδος αὐτὸν μετέωρον ἄραντες, ἀνηγόρευσαν βασιλέα. Sunt & alia huius moris exēpla plura in Græcorū annalibus, vt apud Nicetam de Alexio Manuelis filio, apud Nicephorum Gregoram lib. 3. de Theodoro Lascari, & initio lib. 4. Itemque in fragmentis Pachimerii ex libr. 2. de Ioanne puero, & Cedereni Chronico. Cornel. Tacitus de Caninefatibus libr. 20. *Impositusq; scuto more gentis, & sustinentium humeris vibratus, dux eligitur.* De Gothis Cassiodor. libr. 10. var. for. *Indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum scuto supposito* (sic legendum) *regalem nobis contulisse præstante Deo dignitatem, vt honorem arma darent, cui opinionem bella pepererant.* Ado Vienn. de Chlotarii filiis loquens, scribit, Sigebertum contra Chilpericum fratrem profectum a Francis, more gentis, clipeo impositum, regem esse constitutum,

eadem de Choldeueo reperit Greg. Turonensis lib. II. hist. Franc. De hac quoque leuatione, si quis exaudiat quod Capitol. in Gordianis sic scribit, fortasse non longe aberrasse videatur: *Propere* (inquit) *ventum est ad oppidum Tysdrum, inuentusq́ senex venerabilis post iurisdictionem iacens in lectulo, qui circumfusus purpura humi se abiecit, ac retractans eleuatus, & imperatorem se appellari passus est.* At ego tam anxie ingeniosus esse nolim, qui ne dū quidem hoc in more Romanis fuisse crediderim. Quamuis & idem Capitol. in Max. & Balb. *Inter hac* (ait) *Gordianus Cæsar sublatus a militibus Imperator est appellatus.* Quod Herodianus, ex quo ille multa transtulit, sub finem libri octaui sic expressit: *ἀναρπάσαντες δὲ τὸν Γορδιανὸν Καίσαρα ὄντα αὐτοκράτορα τε ἀναγορεύουσιν ἐπεὶ δὴ ἐς τὸ παρὸν ἄλλον οὐχ εὗρον.* Nouam quoque nuptam in altum tolli solitam, Optatus Mileuitanus episcopus indicat lib 6. de scismat. Donatist. testatus, solemnia illa in secundis nuptiis obseruari nō solita. Quod si prisci quoq; moris apud Romanos fuit, sane non mirum, nec ea quidem a Catone obseruata, cum Marciam post Hortensii obitum reciperet. Sed cum id Ann. Lucianus temporū potius infœlicitati, & Catonis ipsius seueritati tribuat, profecto indicio est, prisci id Romani non fuisse, sed Africani potius moris & consuetudinis: & vt in illis Sidonianis nuptiarum ritibus lib. 1. Epist. 5. Gotthicum quiddam Romano admixtum, non immerito aliquis suspicetur. In quibus, vt id quoque obiter moneam, pro gymnasia Thalassia, legendum arbitror: *Per omnia theatra, macella, pratoria, fora, templa, gymnasia, Thalassio Fescenninus explicaretur.* Quod veterum librorum auctoritate confirmatur, in quibus & Augusti filia Patricio Ricimeri nupta Ascela dicitur. Ceterum si quis in altum sublationem apud Optatum de eo ritu accipiat, quo noua nupta cum ad mariti domum peruentum erat, in altum tollebatur, vt ne limen contingeret, atque ita quodam mimo inuita virginitatem amittere videretur, fortassis id secundis nuptiis non conuenisse arbitrabitur. Ad hæc interpretatio adeo mihi aliena videtur, vt nunc quidem valde displiceat. Et vero totum hoc Gothici & Langobardici moris esse, indicat Leges Langobardorum, in quibus huius quoque leuationis plura sunt vestigia. Sed olim quoque apud Græcos vsurpatum versus illi de Hiphigenia indicant ex lib. 1. Lucretii:

Nam sublata virum manibus tremebundaq́ ad aras
Deducta est: non vt solemni more sacrorum
Perfecto, posset claro comitari hymenæo.

Minorum gentium patricii Sueton. Tranquilli loci emendati.

CAPVT VII.

Liuius lib. 1. Priscus non minus regni sui firmandi, quàm augendæ Reip. memor, centum in patres legit, qui deinde, Minorum

norum gentium sunt appellati. Factio haud dubia regis, cuius beneficio in curiam venerant, Ait, Deinde, id est, vt ego quidem interpretor, a L. Bruto. Tacit. lib. II. *Iisdem diebus in numerum patriciorum adsciuit Cæsar vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerãt: paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus Maiorum, & L. Brutus Minorum gentium appellauerant, exhaustis etiam quas Dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Senia sublegere* Maiorum gentium sunt genere & sanguine Patricii, id est, patrum a Romulo lectorum progenies: Minorum vero, cooptatione in patres postea patricii facti. Inde & translatione quadam ex Diis eleganter quidam Maiorum gentium a M. Tullio dicuntur. Minorum vero gentium appellatio corrupta est, vt opinor, apud Sueton. in Augusto: cuius locum vti in veteri & optimo exemplari conceptus est, ita referam: *Ea gens* (inquit de Octauia loquens) *a Tarquinio Prisco rege, inter minos gentes allecta in Senatum, mox a Seruio Tullio in patricias traducta, procedente tempore ad plebem se contulit.* Vulgo tamẽ scriptum est *inter Romanas gentes*: quod erroris ansam quibusdã præbuit. At minores gentes reponentem quis non ferat? quod & Philippum Beroaldum notasse postea monitus sum. Ex his autem intelligi potest, eos qui a Prisco in Senatum allecti patresq; facti sunt, nõ omnes primum ex patriciis gentibus fuisse, sed ex iis quorundam gentes a Seruio Tullio aliisque deinceps regibus in patricias traductas, vt Octauiam: alias a Bruto iussu populi. vt Liuius libro 4. significat, qui & eis fortasse cum Senatum suppleret, Minorum gentium nomen dedit. Quod sequitur etiam in eodem exemplari: *Ac rursus magno inter D. Iulium in patriciam redijt*, non ausim temere respuere, qui sciam veteres, magno sæpe absolute dixisse. Sed quando Senatorum incidit mentio, reponatur etiam paulo post patrum nomen apud eundem Suetonium, dum scribit de Augusto: *Sed cognonit Antonium post fugam a M. Lepido receptum, ceterosq; duces & exercitus consentire pro patribus, caussam optimatium sine cunctatione deseruit.* Recte, sunt enim patres, Optimates. Illud hic adiicere libet apud eundem auctorem in D. Iulio, dum scribit, Omnem eum Galliam in prouinciæ formam redegisse, eique in singulos annos stipendii nomen imposuisse: Inter hæc verba, *Eique in singulos*, in optimo exemplari purum esse quoddam interuallum. Et vero aliquid deesse videtur. Quid autem si legamus? *Eique in singulos annos H. S. XL stipendii nomine imposuit.* Id sane Eutropius quoque iisdem pene verbis restituit libr. 6. Breuiarii. Erroris porro & mendi origo caussaque manifesta est. Tranquilli autem verba sunt hæc: *Omnem Galliam, qua saltu Pyreneo, Alpibusque & monte Gebenna, fluminibusq; Rheno & Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis & tricies centũ millia passuum, præter socias ac benemeritas ciuitates in prouin-*

cia formam redegit. Eiq; H.S. quadringenties in singulos annos stipendii nomine imposuit.

Dicis caussa, Ciceronis ad Atticum loci emendati. Itemq. Hieronymi & Tertulliani vetus lectio defensa.

CAPVT VIII.

DIcis caussa existimaui aliquando dictum esse tanquam dicationis caussa, cum, quod in sacris multa a veteribus vtcûque fieri solerent, quo religione defungerentur, quemadmodum eis Tertull. exprobat in Apolog. tum, quod simulata pro veris accipi solerent, vt in illud Virgil. Seruius notat:

Sanguine placastis ventos & virgine cæsa.

Vnde (inquit) *cum de animalibus, quæ difficile inueniuntur sacrificandum est, de pane vel cera fiunt.* Hinc illud:

Sparserat & latices simulatos fontis Auerni.

Sic & in templo Isidis sparsa aqua de Nilo esse dicebatur. Inde etiam ceruaria ouis Sext. Pompeio, quæ pro cerua immolatur. Inde Tauros verbenasque in Cõmentario sacrorũ ficta farinacea significasse idem scribit. Existimaui etiam dicis caussa, dictum tanquam δίκης, vel dicæ caussa. Nam & in veteri Lexico sic redditur: νόμου χάριν ὡς παρὰ Γαΐῳ τῷ νομικῷ vt videri possit fuisse hoc propriũ iurisconsultorum verbum: apud quos certum est, nõ minus fictionum fuisse & imaginum, quam apud Pontifices. Sed quãdo M. Varronis auctoritas hac in re summa est, qui lib 5. de ling Lat. vt addictum, ita & antiqua illa, Dicis caussa, & Dicis imo, a verbo dico, dicis deducit, fateor tandem Dicis caussa dictum, vt ἀφοσιώσεως ἕνεκα, vel λόγου χάριν. Accidit vero huic formulæ, quod ceteris fere rebus humanis, vt multis locis senio deturparetur. Ex iis hic vnum proferre institui Apud Ciceronem lib. 1. Epist. ad Atticum, vbi scriptum est in vulgatis codicibus: *Metellus est Consul egregius, & nos amat, sed imminuit auctoritatem suam, quod habere dicit caussam promulgatam. Illud idem de Clodio.* Vetus & optimus liber habet, *sed imminuit auctoritatem suam, quod habet dicis caussam promulgatum, illud idem de Clodio.* Vnde coniicio reponendum, *Quod habet dicis caussa promulgatũ, illud idem de Clodio.* Dicis caussa habet, id est, fert leuiter, defunctorie, & tralatitie, nec auctoritate sua hac in re vtitur, quãuis sit magni ponderis, & momenti. Apud eundẽ Epistola prima, in eodẽ exemplari sic scriptũ reperi: *Aquilium non arbitramur, qui & negant, & iurauit morbum, & illud suum regnum iudiciale opposuit.* Itaq. sic lego, *Qui & negauit, & iurauit morbum. Iurat morbum, qui sanitatem eiurat.* Eiurat, qui iurat, quod desideratur a se præstari non posse, ait Sext. Pompeius Ex quo eiurandi verbum apud Varronem, & Ciceronem a doctissimis hominibus iure repositum est. Puto & apud Hieronymum reponendũ in lib de Monogamia ad Geruntiam,

vbi

vnde eum viri summi nescio, quo iure exturbant, cōtra veterū librorum, quā & ipsi proferunt, fidē. *Hierophantia* (inquit) *apud Athenas eiurat virū, & æterna debilitate fit castus.* Hoc quid clarius, quid rectius? Sed illi nō satis occulte eiurat, legunt. Sic & Tertul. a quo Hieron. multa sæpe mutuatur, & commerciū, & patrē matremq; eiurare dixit, & Petronius Satyrico: *Si eiuras hodiernā bilem, vna cœnabimus.* Tacitus etiam cōsulatum & imperium eiurare. Et simpliciter eiurare de Pallante. Apud Senecam in suasoria pro M. Tullio Asinii Pollionis colorē sic emendandum arbitror: *Nec mora fuit, quin eiuraret suas esse, quas cupidissime effuderat orationes in Antonium.* Vbi vulgo male euitaret, scriptum est. Sed & apud eundem Tertullianum in exhortatione ad castitatē veterem scripturam retineo, atq; ita lego: *Cum autem Deus summus tantum, Satanas, ad perficiendum prouocatio est nostra, imo subfusio pigrissimorum ad continentiam Deo exhibendam, qua Diabolo, qui antistant, nunc virginitate, nūc viduitate periurant,* &c. Periurare dicit, quia diabolo iurant, non Deo. Apud eundem auctorē in Apologet. vbi de Socrate loquitur, deierandi verbum simpliciter accipio. & apud A. Gellium libr. 7 deiurium, pro iusiurando. vt & apud Terent. Donatus, *& de idololatria consuetudinis vitiū est Me Hercule dicere, Medius fidius accedente ignorantia quorundā, qui ignorant iusiurandum esse per Herculem. Porro, quid erit deieratio, si per eos quod eierasti, quam præuaricatio fidei cum idololatria? Quis enim per quos deierat, nō honorat. Dæmonas* (inquit paulo post Tertull.) *id est, Genios adiurare consueuimus, vt illos de hominibus exigamus, Non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.* Adiurare est exorcizare, vt & exorcistas Latine adiurantes verti, Isidorus scripsit. Posteriores cōiurare dixerunt, nō tam apte. Sext. Pomp. *Obiurare est iureiurando obstringere. Praiurare est praire verbis cōceptis iurantibus. Itaq; praiurationes facere dicuntur ii, qui ante alios conceptis verbis iurant, post quos in eadem verba iurantes tantummodo dicunt, idem in me.* Huc nos, sed longius fortasse, quam par fuerat, verborum prouexit coniugatio.

Deligati qui sint, & de iis Sueton. & Spartiani, loci notati.

CAPVT IX.

Qvemadmodum ordinem quendam Libertorum fuisse, notatum est, vt quidam primi, quidam secundi tertiique dicerentur: ita & seruorum tres quodammodo gradus statui possunt. Primi actus sunt frugi serui, vt Actores, Dispensatores, Ordinarii: Secundi seu medii, vulgares, vt mediastini: Tertii quales quales, vilissimi, ceu quos in neruo, & compedibus veteres habuerunt. Hi non a nostris tantum auctoribus, sed & ab aliis passim compediti & vincti dicuntur. Apul. Apoleg. 1 *Quindecim liberi homines populus est, totidem serui familia, totidem vincti ergastulum.*

Dicuntur & alligati a Columell. lib 1. cap. vlt. dum scribit, Vineta plurimum per alligatos excoli. Fortassis & eodem sensu deligata dicitur a Suetonio in Vespasiano, vbi vulgo delegatam legitur. Sed adscribam locum, vti quidem in optimo & vetustissimo libro exstat: *Inter hæc* (inquit) *Flauiam Domitillam duxit vxori, Statilii Capellæ equitis Rom. Sabratensis ex Africa, deligatam olim Latinæq; conditionis: sed mox ingenuam, & ciuem Romanam Recuperatorio iudicio pronuntiatam, patre asserente Flauio Liberale Ferentii genito, nec quicquam amplius, quam Quæstorio scriba.* Domitilla igitur manumissione primum Latinæ conditionis facta est, licet aliquando deligata. I. C nostri fortasse dicerent, dediticiorum numero fuisse. Sed neque mihi post legem Æliam pœnæ caussa vinctam constat, & videntur vetustiores duo fere genera libertatis in manumissis statuisse, Iustam siue maiorem, & Latinam: & ex Latinis alios Iunianos, alios Dediticiorum numero dixisse: quanquam hæc in libris nostris subtilius distinguuntur. Ex his etiam viderit qui volet, an non & apud Æliũ Spart. in Hadriano deligatorum nomen de compeditis, & vinctis accipi possit, dum scribit: *Corrupisse eum Traiani libertos, curasse delegatos, eosdẽ sepelisse per ea tempora, quibus in aula familiarior fuit.* Vulgo tamen scriptum est delicatos, quod de iis accipi potest, qui Principi in delitiis erant: & hoc quidem fortasse rectius: Festus, Delicati sunt lusui dicati. Suetonius in Tito. *Quosdam e gratissimis delicatorum, quanquam artifices saltationis,* &c. Verum hic ego me non ex Tripode oracula fundere, sed coniecturas & opiniones meas, id est hominis dupondii nugas proponere memini: in quibus coargui, vincique ab omnibus facile patiar, dum meliori aliqua ratione innitantur. Porro ex compeditis, alios fuisse puto pœnæ caussa vinctos, quorũ scilicet corpori vincula iuste addita essent propter noxam aut flagitium alios non pœnæ caussa, sed custodiæ, aut ex officii more: quemadmodum de L. Octacilio Rhetore, Sueton. scribit, seruisse eum aliquãdo, & hostiarium veteri more in catena fuisse Quod pluribus aliorum quoq; auctorum locis confirmari potest. Hos lex Ælia a libertate iusta remouet, ante quã nihilominus Octacilius ciuis Romanus manumissione effect⁹ est: Ad hos vero ea lex nihil pertinuisse videtur. Quãquam Sueton. in Augusto generaliter sic scribit: *Hoc quoq; adiecit, ne vinctus vnquam tortusue, quis vllo libertatis genere ciuitatem adipisceretur:* quod proculdubio ad legem Æliam referendum, quam auctore Augusto latam verisimile est. Sed ex eiusdem legis verbis ab Vlpiano nostro relatis sic accipiendum, Ne vinctus vnquam, pœnæ caussa, scilicet ob delictum, tortusve propter noxã & nocens inuentus. Nisi forte ex his aliquis ius hoc nouum malit eruere, Vinctos aliquãdo ob quamlibet caussam, quoquo tandem modo manumissi fuerunt, lege Ælia, vt ciuitate Romana indignos.

dignos,

dignos, a iusta libertate omnino remoueri. Sed ex eadē lege, Eos tantum, qui pœnæ caussa vincti sunt, quolibet modo manumissos, nō nisi de ditiiciorū numero fieri, ceteros nō pœnæ caussa vinctos & manumissos Latina libertate donari posse. Sane Zonaras To. 1 historiæ scribit, Cum Vespasianus Imp. Iosephum, quem diu in vinculis habuerat, soluere vellet, Tito hortante, vt ei vna cum vinculis ignominiam demeret, approbante Vespasiano catenam securi dissectam. Hoc autem mimo compedum nota & ignominia eluebatur, cum vincula non soluebantur modo, sed etiam dissecabantur. Atque id quidem erga eos vsurpari solitum erat, qui per iniuriam vincti fuerant. Quod ille ipsius pene Iosephi verbis retulit ex lib 5 belli Iudaici. Hoc aliis fortasse ἱερὸν, mihi παρέργον est. Vt & illud, quod Isidor. alicubi scribit, testes alligatos appellari. qua de re alibi amplius.

De Apuleio, & ex eius libello de Dæmonio Socratis nonnulla emendata.

CAPVT X.

QVædam sunt a veteribus summo ingenio viris tanta diligentia, tantaque accuratione conscripta, vt nō immerito alicui antiquiora multo quam sint, videri queant. Ex hoc ego genere esse suspicor Petronii Arbitrii, & Apuleii nugas quidē, sed doctas plane & omni lepore, omniq; eruditione refertas. Quanquā qui hunc ipsum, Apuleium dico, cuius Lactantius Firmianus longe ante Augustinum meminit, quemq; Macrobius inter veteres cōuiualium quæstionum scriptores referre videtur, Theodosio posteriorem facere volet, meo iudicio, nō satis recte perspecta temporum ratione sensurus est. Nam, quod legitimum tempus luctus alicubi annum facere videtur, quod a Theodosio primum inductum dicitur, aduersus tot contrarias cōiecturas, nō satis vna est, & ea quidem infirmior. At nec illa certior de capitali adulterii pœna, quam ego leuiter transilire non dubitem, atque ita sentire: Apuleium Afrum, Platonicum Philosophum, & Magum circa tempora diui Pii, & deinceps vixisse videri. Nam & Hadriani imperatoris meminit, Apologia pro seipso 1. & Scipionem Orfitum, Lollianum Auitum, itemque Maximum, quorum omnium, vt æquequorum frequens apud eum mentio est, sub diuo Pio vixisse, & plures ex iis sub eodem cōsulatum gessisse certum est. Sane Imperator Seuerus in Epistola quadam ad Senatum, quæ a Capitolino refertur, Apuleii sic meminit: *Maior fuit dolor, quod illum* (de Clodio Albino loquitur, qui Adrumentinus fuit, vt Apuleius Madaurensis vterque Afer) *pro literato laudandum plerique duxistis, cum ille naniis quibusdam anilibus occupatus, inter Milesias Punicas Apuleii sui, & ludicra literaria consenesceret.* De Apuleio, qui plura scire volet, legat Epistolas ad Marcellum Aur. Augustini, qui & eius pluribus locis meminit, a quo primum

Arithmeticam Latinis literis illustratam, Cassiodorus auctor est. Hic præter Asinium libros Floridorum scripsit: Quorum ego partem quandam esse arbitror libelli, qui de Deo Socratis passim inscribitur, initium, quod & ad instar Pancarpiæ cuiusdam est vsque ad illa verba, Iamdudum scio, vbi deesse disputationis de Dæmonio principium ab Apuleio Græce scriptum sequentia indicant. In his ego, quæ supersunt, pauca hic e multis adnotaturus sum quæ magna ex parte Iac. Cuiacii Iurisconsultorum facile principis, & præceptoris mei libro, vt cetera omnia doctrinæ & eruditioni ipsius, post Deum, accepta me referre par est. Nam si quid est in me literarum, quod sentio tamen, quam sit nihil, aut perexiguum, vel ego a viro ingeniosissimo & scientissimo didici, vel eius vestigia, quoad potui, diligenter sequutus, relegi & annotaui, quæ & ipsa accessionis iure reliquis cedant necesse est. Ait Apuleius: *Sed ne omnifariam noueritis & insisto, vt ait Lucilius schedico, & incondito experimini.* puto legendum, *Sed vt me*] Lucilii locum ex veteris scripturæ vestigiis, non iniuria suspicetur aliquis a Sext. Pompeio relatum in voce schedia, quæ ipse incondita poemata interpretatur: *Proinde in manu vestra situm est, vel a nostra sumere*] vet. *sinuare. Neque inclinato profunde situ,*] vet. *Neque collimato pro fronte. Qua omnia a vitio*] Auitio, vno verbo scribendum est sic, *Qua omni auitio longe præcellit voce viduata. Nec argumentu sit effectior*] Vet. *effœcior. Quanto longius ea cessat a sole*, lego, *facessat a sole. Vtraque animarum*] vet. *harum. At enim internuculos recens cognitos*] In vno Petroniani Satyrici exemplari ita scriptum reperi: *Video quosdam internuculos nudasque meretrices furtim conspatiantes.*] Sed vterque sane locus procuidubio corruptus est. Itaque amplius deliberandum censeo. Sequitur apud Apuleium: *Cum vsus postulat, mala auerte*] vet. *auerruncare.* Est hoc verbum ex Lucilianis & Pacuuianis, qualia fere Apuleius, & Arnobius in deliciis habent. Varro libro 6. Ab auertendo auerruncare, vt Deus, qui eis rebus præest Auerruncus. Apuleius de Nestore paulo post: *Cui omnes sciebant corpus annis abire*] vetus liber *hebere*. Sic Virgilius,

Sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentq; effœta in corpore vires.

quomodo etiam legendum est in eo Licentii carmine, quod inter Aur. Augustini Epistolas extat:

Mens hebet aduersamq; fugit conterrita lucem.

Sed hæc pauca iam multa sunt, & nimis fortasse multa. Si cui tamen pauca videatur, infra despiciat, inueniet, *Et nihil æque miror*] Quem totum locum vsq; ad disputationis extremum ex Io. Salisberiensis Policratici lib. 6. restituat & emendet. Ex cuius tandem collatione facile intelliget, quot & quanta sint in Apuleii scriptis

non menda, sed potius portenta mendorum. Ac de hoc quidem lectorem monuisse satis est

Eiusdem ex Apologiis loci quidam.

CAPVT XI.

VEniant nunc in partes & quædam ex iis, quæ in eiusdem auctoris Apologeticis trãscursim adnotauimus. (Quæ etsi possint.) Hunc totũ locũ sic lego, *Quæ etsi possint ab his futiliter blatterata ob mercedem, & auctoramenta impudẽtia deprehensa haberi, iam concesso quodam more rabulis id genus, quo ferina solent lingua sua virus alieno dolori locare, Attamen,* &c. De patronis & aduocatis loquitur, de quibus ferinæ linguæ virus dixit, vt Appius caninam facundiam. *Qui cum aduersum meas literas promeret, profecto inuidit cupiditate lædendi:*] pro *inuidit*, lego, *nihil vidit*. Error natus est ex communibus vtrique notis. *Teius quidam*] malo, *Teius quidem.* & Anacreontem significari dico.

Et Critias mea delitescet salua Charina
Pars in amore meo &c.

Puto legendum,

Et Critias mea deliciest, & salue Charine,
Par in amore meo vita tibi remanet.

Pertinet vero maxime ad eum locum, quod Ausonius in epistola quadam scribit. Esse Apuleium in vita Philosophum, in Epigrammatis, amatorem. *Quoniam tamen mihi pro accusatione largitur, atque superest*] Emendo, *largiter aqua superest*. Olim ad clepsidrã solitos dicere oratores, notius est, quam vt probatione indigeat. Inde illud ex eadẽ Apologia. *Mea aqua licet ad hoc vtare.* Sequitur paulo post. *Nihil in Philosophos non modo vere dici, sed ne falso quidem posse confingi, quod non ex innocentia fiducia, quamuis liceat negare, tamen habeant potius defendere*] hic aliquando *haueant*, pro *habeant* lubens reposui, vt & apud Senecam libro 13. Epist. *hauet*, pro *habet*, cum de Philosophia loquens, *Nulla* (inquit) *ars alia de bonis & malis quærit, singulas habet circũ ire virtutes.* Apud Hieron. sane in epist. ad Demetriad. de virginit. seruanda, non dubito *habitas possessiones* scriptum pro, *auitas*. Sed cum non dissimili quoque loquendi forma Tertull. in libr. aduers. Valent. dixerit, *Nec habens superuolare crucem.* & in Apologet. *Si inimicos iubemur diligere, quem habemus odisse*, itemque alibi sæpe. Vlpianus habere laborare. Marcellus habere operari: eaq; phrasis Græcorũ exemplis defendi possit, hic nihil temere mutandũ censeo. Arnob. lib. 5. *Auet animus scire, quibus eloquiis tam periculosa negotia defensuri, vel artibus habeatis, quibus tam confessis salutem dare personis.* Sane apud Tertullianũ eo loco libelli Paracletici de fuga in persequutione. *Non traditus, traduci habebas*, lubentius auebas exaudierim. Sequitur namque, *Ego dũ nolẽdo tradi nõ vis traduci, nolendo negasti quod te esse, traduci noluisti.* Sequitur apud Apuleiũ

sa s longo interuallo, *Audi sis tam non impudens*] lego, *Audi sis Tannoni Pudens*. Et paulo post, *pro hamis iniucunda*] *hamis infanda*. *Thallus pauimentis illuditur, in Tribunalibus*] quis non videt legendum, *illiditur*? Sed iam desultoria quadam leuitate in alteram potius Apologiam transsultemus. Quid est dos ad ternuntium sumta? An potius ad teruncium sumta, id est, sub vsura quadrantali. Apud Isidorum tamen in glossis scriptum, lego Libellam & ternuntium. *At qua tandem manu? Philomela an Medea an Clytemnestra, quas tamen cum saltas (tanta mollitia animi, tanta formido ferri est) sine cludine saltas*] id est, sine ferro. Sic eum locum ex parte restitue. Supra de eodem. *Mox (inquit) in iuuentute saltandis fabulis exossis plane & eneruis, sed, vt audio, indocta & rudi mollitia. Ita potius faciam, quod illi existiment nacti no putabo*] lego, *nauci*. & paulo inferius, pro *satis hominis mulier*] *scaui ominis mulier* qui error est frequentissimus. Plane quidem, *si pverum vel is*] repono, *si verum velis*, vt supra. *Imo si verum velis*. At hæc tantum delibare institueram.

Cancellarii, Secretarii, vnde dicantur, & de iis, loci auctorum emendati.

CAPVT XII.

CAncellariorum nomen non adeo sane vetus, vtpote sub posterioribus demum Impp. auditū, si quis a cancellādo, id est, actis cancellatim lineis perducendo deduxerit, speciose quidem lusisse dicere videbitur, sed a vero tamen ipso longissime aberit. Nam, vt a cancellis potius dicātur, vel hæc vna maxime ratio sufficere potest, quod eorum fere temporum scriptores a cancellis, & cancellos agere dicunt, Cancellariū significantes. Cassiodor. lib. 1. Instit. Diuinar. & humanar. script. de Marcellino Illyriciano, cuius hodieq; Deflorata extant, *Is (inquit) adhuc Patricii Iustiniani fertur egisse cancellos: Sed meliore conditione deuotus, a tempore Theodosii principis, vsq; ad fores imperii triumphalis Augusti Iustiniani opus suum, Domino iuuante, perduxit.* Idem libr. 12. Var. formul. *Dicitis enim proprie nostros cancellos agitis, si lesorum impia claustra soluatis.* Euricus monachus lib 6 de vita Germani.

Vt Iustiniani erat praecelso nomine quidam
Vrbis patricio tori dilectus & vrbi,
Atque a cancellis prisco de more minister.

Sed rem totā belle & accurate conficiet. Cassiodori. P. P. locus ex lib. 11. Var. in Cancellariatus codicillis. *Hoc igitur*, inquit, *laudabile praeiudicium, sententiam gratiosam, militiam domesticam a iā. indictione Cancellorum tibi decus attribuit, vt consistorii nostri secreta fideli integritate custodias. Per te praesentandus accedat: per te nostris auribus desiderium supplicis innotescat: iussa nostra sine studio venalitatis expedias: omniaq; sic geras, vt nostrā possis commendare iustitiā. Actus enim tui, iudicis opinio est. Et sicut penetrale domus, de foribus*

tibus potest cōgruenter intelligi, sic mens præsulis, de te probatur agnosci. Nec iniuria: Quia talem vnusquisque ad responsa sua videtur eligere, qualem se cunctis decreuerit æstimari. Et paulo post, *Respice quo nomine nuncuperis, latere non potest, quod inter cancellos egeris, Tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestratas ianuas: Et quamuis studiose claudas, necesse est vt te cunctis aperias. Nam si foris steteris, meis emendatis obtutibus, Si intus ingrediaris, obseruantium non potes declinare conspectus.* Adscripsi locum latius, cum quod cancellariorum, de quibus agimus, conditionem plene contineat, tum quod in vulgatis libris ad finem corruptus sit. Didici vero tū temporis non omnino dissimili significatione hæc vsurpata, cancelli & secretum, vt iam non dubitem Secretarios dicere, quos cancellarios vocari audio. Secretum nostris Imp. itemque Cassiodoro & Marcellino dicitur, in quo iudices caussas examinant & earū merita expendunt: quod & Secretarium appellatur: Quomodo in veteri quoque epigrapha Secretarium Senatus a Flauiano institutum proculdubio accipiendum est, quod tamen vir doctus & diligens ad ærarium Saturni non apte retulit. Seruius in lib. 1. Æneid *Ducūtur* (inquit) *iudices vsq; ad fores secretarii, ibidemq; officium remanet, illi vero ingressi solium ascendunt, & sedent.* Hæc secreta cancellorum septis clausa erant, quos non inmerito Iulius Pollux inter fori partes recenset. Tert. de pallio. *Nulla præterea obseruo, cancellos non adoro subsellia non contundo, iura non conturbo, caussas non elatro, non iudico.* Amm. Marcell. de aduocatis lib. 30. *Cū intra cancellorum venerint septa, & agi cœperint alicuius fortuna vel salus.* Sido. quoq; de Theoderici consistorio loquens libr. 1. Epist. Cancellorum sic meminit. *Circumsistit sellam Comes armiger, pellitorum turba satellitum ne absit, admittitur, ne obstrepat, eliminatur: sicque pro forib. immurmurat, exclusa velis, inclusa cancellis.* Iā vero ab iis secretorū cācellis Cancellarios dictos qs non videt? quasi a Cācellis ministros, vt & idem Tertullianus de Ianitricib. potestatib. in scorpiaco eleganter dixit. Inde quoq; hodie cancellarios aduocatos dicere nihil prohibet. Sed hoc ad rem nihil. Non fuit vero adeo magnæ dignitatis cancellariorum officium sub priscis Imp. vt ex his, quę diximus, satis patet, Vopisc. in Carino, *Præfectum vrbi vnum ex Cancellariis suis fecit: Quo fœdius nec cogitari potuit quicquam, nec dici.* Cassiodorus tamen cancellorum decus, pompam, & gloriosam grauitatem appellat: Et lib. 11 de Ioanne Cancellario sic scribit. *Quis Ioannem non æstimet merito esse promouendum, qui nostro iudicio cancellorum olim sumserit officium, & tunc iam prærogatiuam conscientiæ meruit, quando secreti munus iudicialis accepit, vbi vulgo male,* decreti, legitur: vt & paulo post, *Hinc igitur prærogatiuarum sententia nostra confirmat.* cum sit legendū, *Hunc igitur Prærogatiuariū, &c.* quod vel formulæ titulus satis indicat. Præfectus prætorio, cui inter cętera annonę totius summa procuratio impende-

pendebat, habuit in officio Cancellarios, quos per prouincias dimittebat, Saionibus deputatis. Hinc Campaniæ, Lucaniæ Brutiorum, Samnii & aliarum prouinciarum Cancellarii apud eundem Cassiod r. apud quem tamen Præfecti prætorio dignitas in Præpolituram mihi degenerasse videtur, maxime tamen lib. 1. Var. vbi de cancellariis agit. errore vt fit ex notis orto, de quo hic obiter monuisse satis erit. Hac tam necessaria & vtili administratione clarissimos tandem factos Cancellarios minus mirum est. Præfectum quoq; vrbi Cancellarios cum scribis in officio habuisse, indicare videtur antiquum edictum ex auctoritate Turcii Aproniani P.V. propositum, in quo ita est, *Commodu omnib. ac prada damnata, quam Tribunus, Officium, Cancellarius & Scribade pecuarius capere cõsueuerant.* Verum hic omnia anxie persequi, quæ de Cãcellariis adferri possunt, neq; animi, neq; instituti est nostri. Sed & quid ab Apocrisariis, qui ad responsum quoq; sunt, itemq; ab inductionum & admissionum magistris cãcellariorum munus differat. alterius erit loci ostendere. Illud hic potius adiicere libet, quem hodie cancellarium appellamus a rege in rebus ciuilibus secundas tenentem, illum ipsum esse, qui a Latinis olim Sacri Palatii Quæstor, a Græcis κοιαίστωρ primũ, post etiam μέγας λογοθέτης dictus est. Pro quo Latinos quoq; ipsos, sua quidem ætate Cancellarii nomen vsurpasse Nicetas scribit. Qua de re post Doctorem meum auctorum locos adnotasse: putidæ & ingratæ fuerit diligẽtiæ.

Metonis nomen apud Marcellinum & Ausonium restitutum.

CAPVT XIII.

Si certum posset nancisci aduersarium infœlix Meton, profecto male tractationis & iniuriarum recte ageret: adeo vbique contra bonos mores misere habitus tractatusq; est. Sed agat iam sane momentariæ possessionis interdicto, & me exsecutore, insuper habita tẽporis præscriptione, vnde vi deiectus est, eo restituatur. Primumq; apud Amm. Marcellinum lib. 26. vbi scriptum est. *Spatium anni vertentis, id esse periti mundani motus & syderum definiũt veteres, inter quos Menon & Euctemon & Hipparchus & Archimedes excellunt, cum Sol perenni rerum sublimium lege, polo peruerso signifero, quem Zodiacũ sermo Græcus appellat, CCC. & LXV. diebus emensis & noctibus ad eundem redierit cardinem.* Reponatur, *Meton & Eudemon*, vt & apud Vitruuium Pollionem lib. 9. Cap. 7. *Quorum inuenta secuti, syderum, & occasus, & ortus, tempestatumq; significatus, Eudoxus, Eudæmon, Callistus, Meto.* Eudæmonis nomẽ vbique retinui memor apud Plinium quoque sic scriptũ lib. 18. Sed redintegretur etiam in Ausonio, Atticus Meton. Nam vbi in impresso legitur.

Quis fuit ille dies, non annus longior illo est.
Atticaq; indoctis collegit cura medonis

Deserta

Desertus vacuis solisq; exerceor aris.

Non dubito ab auctore potius sic scriptum,

Quis fuit ille dies? Non annus longior ille est
Attica quem docti collegit cura Metonis.
Desertus vacuis solisque exerceor oris.

Scripsi in Græculo auctore Marcellino, Meton, in Latino Vitruuio. Meto, quomodo & apud Varro.lib.8. de ling. lat. & apud Columel.lib.9. scriptum est. Vtrumq; ex prioris scripturæ vestigiis, & auctorum, vt opinor, mēte. Quod eo monere volui, ne quis temere id a me factum putet. Græcis Solon, Latinis solo est. Atq; id & Fabius & Capella Priscianusq; monuere, & in bonis vetustisq; Latinorum auctorum exemplaribus cōstanter & religiose seruatum est in Græcis nominibus, quæ a prima positione in Latinam formam ob id transiisse dicuntur a Grammaticis. Qua tamen in re, vnico fortasse Platonis Draconisq; nomine ab hac clade innoxio, passi a vulgo peccatū videmus. Est & Metonis nomen corruptum in Nicetæ Acominati Annalibus, vbi de Alexii Duce Marcutii imperio agit. καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸν διηγέτην διὰ τοὺς Μέτωνος αἰῶνας ἀναδρόμους. In impresso est μετίωνος quæ scriptura fefellit interpretem. Ciceronem tamen ad Atticum Metonis annum prouerbialiter dixisse nemo nescit. & de Metone historia vel ex Io. Tzetzis versibus nota est, ne quid ex Diodoro, Theone, aut Suida referam.

Quæ sit Gromatica disciplina, & de Terminorum defigendorum ritu. C. XIV.

Hyginus librum scripsit Gromaticum, in quo castra metandi & loca opportuna in bello capiēdi rationem tradidit. Eū me aliquando Lugduni apud Ludouicum Myræū cū aliis quibusdam Frontini de Coloniis, limitibus, & controuersiis agrorum libris nondum editis, vidisse memini, ex eoque inter cetera adnotasse, Combinari verbum, quo & Aurelius Augustinus, & Apollonaris Sidonius vsi sunt. Sed quod instat potius agamus. Vt ad castrorum metationem Gromatica disciplina pertinet ita non dubito, quin & ad agrorum mensuram pertineat. Sext. Pomp. *Groma appellatur genus machinulæ cuiusdam, quo regiones agri cognosci possunt, quod genus Græci dicunt γνώμονα.* *Apud* Non. Gruma scriptum est, quo loco, *Gruma* (inquit) *mensura est quadam qua flexa via ad lineam dirigantur, vt est agrimensorum.* Sosipater *Grumi* αἱ τῶν ὅρων λίθοι. At ego grumos a grumatibus distinguendos censeo. Apud Cassiodor. libro 3. Varr. vbi de agrorum mensura loquitur, sic lego. *Hoc enim per Geometricas figuras & Gromaticā disciplinam ita diligenter agnoscitur.* vulgo Grammaticam, quod mihi quidem rectum non videtur. Si quis tamen Grammaticam, malit, vt apud Vitruuium in præfatione lib 3 lib. 9. capit. 1. non repugno. Quid sit autem proprie Grammo omnium optime explicat Augustinus in commentario de Categorii. Gromatis quoque & Gnomonis

nomica in libris de limitibus leguntur: in quos quando hodie incidi: lubet ex Siculo Flacco terminorum defigendorum ritum hic exscribere. *Cum terminos disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terram conuocabant proxime ea loca, quibus fossis factis defixuri eos erant. & unguento velaminibusque & coronis eos coronabant. In fossis autem quibus posituri eos erant, sacrificio facto, hostiaque immaculata caesa, facibus ardentibus, in fossa cooperti sanguinẽ instillabant, eoque fruges & thura iactabant: fauos quoque & vinum, aliaque quibus consuetudo erat terminis sacrum fieri, in fossa adiiciebant, cõsumtisque omnib. dapibus igne, super calentes reliquias lapides conlocabant, atque ita diligenti cura confirmabant.* Ex quibus lucem maximam accipiunt Apuleii loci qui sequuntur lib. 1. Florid. *Neque iustius religiosam moram viatori obiecerit, aut ara floribus redimita, aut spelũca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata: vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.* Et Apolog. 1. *Iste nec Diis rurationis, qui eum pascunt ac vestiunt, segetis villas, aut vitis, aut gregis primitias impertit: Nullum in villa eius delubrum situm, nullus locus consecratus. Et quid ego de luco aut delubro loquor? Negant vidisse qui fuere, unum saltem in finibus eius aut lapidem unctum, aut ramũ coronatum.* Theophrastus in Character. lib. Ethicis περὶ δεισιδαιμονίας: καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν. καὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν καὶ προσκυνήσας ἀπαλλάττεσθαι. Qui etiam locus ad adorationis ritũ pertinet. Sed hęc omnia, inuatricẽs sacratissima religio Christiana sustulit, vt Aggenus in lib. de limitibus & cõtrouersiis agrorũ scribit. Itaque Prudent. lib. 2. aduersus Symmachum sic canit.

Exercere manum non poenitet, & lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueuerat error
Fasciolis, aut gallinae pulmone rogare,
Frangitur, & nullis uiolatur terminus extis.
Et quae fumificas arbor vittata lucernas
Seruabat, cadit ultrici succisa bipenni.

Ex his etiam quilibet intelliget, quid sit vnctus lapis apud Physicum, dum ait.

Velatum saepe videri
Vertier ad lapidem.

Apud eundem quoque Prudent. lib. 1. sic scriptum est.

Gustauerat inter
Vagitus de farre molas, saxa illita ceris
Viderat, unguentoque lares humescere nigros:
Formatum Fortunae habitum cum diuite cornu,
Sacratumque domi lapidem consistere, paruus
Spectarat, matremque illic pallere rogantem.

Et Minutius Octauio in lapides effigiatos, & vnctos, & coronatos impingere

impingere dixit, de simulacro Serapidis loquens. Sane coronatus lapis in Virgiliana Scopa, est sepulcralis. quod coronæ sepulcrorum pridem honos esset, vt Plinius & Lucianus auctores sunt & Tertullianus significat, dum ait, a seculo coronari & ipsas Libitinas.

Errores quidam ex peruersa notarum interpretatione conflati.

CAPVT XV.

MVlta sunt in solemnibus veterum formulis peruersa notarũ, quibus scribi solent, vel scriptura, vel interpretatione corrupta. Nam, vt cetera omittam, quę pene infinita sunt, quam multis locis Frontini de aquæductibus, Suetonii, & aliorum qui vetera S.C. retulerũt, male habet harum notarum interpretatio Q. D. F. R. F. P. D. E. R. I. C. quos vel hoc solo indicio cuilibet posthac facile erit restituere. Nunc duos ex aliarum notarum, insolenti etiam interpretatione cõflatos errores proposuisse sat erit: Quorum alterum, licet in libris Iurisconsultorũ exstet, quia tamen proprie ad ius non pertinet, in Subsiciuum referre melius erit. Sic igitur Sc. de petitione hereditatis verba apud Vlpianũ nostrum concepta sunt lib. 15. Ad Edictum, *Pridie Idus Martias Q. Iulius Balbus & P. Iuuentius Celsus Titius Aufidius Oenus Seuerianus Consules verba fecerunt de iis, quæ Imp. Cæs. Traiani Parthici filius, Diui Neruæ Nepos, Hadrianus Aug. Imp. Maximusque princeps proposuit v. Non. Martias, quæ proximæ fuerunt, libello complexus esset quid fieri placeat, de qua re ita censuerunt.* Hæc est Pisani libri scriptura, cui coniecturæ nostræ gratiam debemus. Existimo autem sic primum scriptum & in acta relatum. PRID. ID. MARTIAS. QVOD Q. IVLIVS BALBVS, ET P. IVBENTIVS CELSVS. T. AVFIDIVS. OENVS. SEVERIANVS. COSS. VERBA. FECERVNT. DE. IIS. QVÆ. IMP. CÆS. TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI. NERVÆ. N. HADRIANVS. AVG. P. M. P. P. V. NON. MART. QVÆ. PROXIMÆ. FVERVNT. LIBELLO. COMPLEXVS. ESSET. QVID. FIERI. P. D. E. R. I. C. Hæ notæ P. M. Pontificem Maximũ significant, vt illæ P. P. Patrem Patriæ, quas tamen aut Triboniani ipsius, aut posteriorũ temporũ librarii inepte & peruerse ita interpretati sunt, vt superessent hæc omnia. Libello cõplexus esset. Sed hanc coniecturã & emendationẽ nostrã facile admissurus probaturusq; est, quisquis in huiusmodi formulis & antiquis inscriptionib. paulo diligentius erit versatus. Apud Ciceronem lib. 3. Epist. ad Attic. Rogationis cuiusdã verba sic lego. QVOD. EI. QVI. PROMVLGAVIT. ABROGAVIT. DEROGAVIT. OBROGAVIT. EA. RES. POENÆ. MVLTÆVE. NON. SIT E. H. L. N. R. Posteriorum notarum, quæ in optimo exemplari corruptæ fuerant, interpretatio a Probo tradita hæc est, Eius hac lege nihilum rogatur. Sed & apud eundem Cic. libr. 3. de Rep. sic legendum reponen-

dumque censeo, *Huic legi nec obrogari fas, nec derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest.* Qui locus a Lactantio Cęcilio refertur lib. 6. Inst. apud quẽ tamen perperam, in quibusdam, scriptum est, propagari: cum & in Philipp. cis hęc tria idem Tullius sic coniunxerit, & veteres legi propagare non dixerint, priori aliquid adiectum significantes, sed subrogare, vt Vlpianus noster scribit in fragmentis.

Quid sit in Antliam apud Sueto. Tranquil. lib. 3.

CAPVT XVII.

HAuriendæ aquæ instrumenta hæc referuntur, Rotæ, Tympana, Cocleæ, Tollenones siue pro Tollones, pro quibus perperam, vt opinor, apud Isidor. lib. vlt. Etymolog. Telones scriptum est. Columellæ sane versus in Hortulo, cui Tollonum siue Celonum nomen aliquando adhæsit Nicol. Leonicus, in veteri exemplari ita conceptus legitur,

Ne labus haufturis tendentibus illia vellat.

Vnde bella coniecturæ occasio est reponendi,

Ne labor haufturis tendentibus ilia vellat.

Vel potius *Ne latus haustutis*

Hausturis, id est, iis qui hausturi sunt, nisi forte quis malit haustuis pro haustris dictum. Quod ego probare non ausim. Haustra sunt ἄντλια, vt in illo Lucretii versu Nonius notat.

Vt fluuios versare rotas atque haustra videmus.

Vbi tamen haustra rotarum cados interpretatur, id est, (vt Vitruuius loquitur) modiolos. ἄντλια porro machinæ quoq; haustoriæ genus esse videtur apud Valer. Martialem lib. 9. dum scribit.

Sed de valle breui quas det sitientibus hortis

Curua laboratas Antlia tollit aquas.

Glossarius Græcolat. sentina ἄντλια κλίω. Fuerunt etiam apud Græcos Rota & Tympanum eculei & quæstionis potius quam vltimi supplicii genera. Et de Tympano quidem exempla sunt in libris Machabæorum & in Episto. ad Hebræos, itemq; apud Theodorit. lib. 8. & 9. Græcar. affect. quæ addi poterunt iis, quæ de rota a doctissimis viris proposita sunt. Existimo autem veteres, quemadmodum ad triremis publicæ remum, ita & ad rotas aquarias & antlias publicas, reos aliquando damnare solitos. De priori pœnæ genere, exempla sunt apud Valerium Maximum libr. 9. & Zonar. Tom 1. vbi de Pseudo. Alexandro loquitur, de quo & Ioseph. libr. 17. diuersis verbis idem scribit: De posteriore, hoc nunc profero ex Sueton. in Tiberio. *Testamentum quoque etiam (id est Liuiæ) p[r]ætermisso diu, omnesque amicitias & familiaritates, etiam quibus ad funeris sui curam moriens demandarat, intra breue tempus afflixit, vno ex his equestris ordinis viro & in Antliam condemnato.* In impressis, & iis quidem melioris fiduciæ libris, scriptum est, *in Antliam* adiecta mendi nota. Sed eam esse genuinam Tranquilli scri-

pturam

putatam, quam prius retuli, ego vero non dubito: Quamuis non ignorem apud veteres, familias quoque fuisse aquęductibus deputatas, earumq; diuersas ministeriorum species, quarum & Frontinus in lib. de Aquæductibus, & Cassiodor. lib. 3. Variar. meminere. Firmicus Maternus Iunior lib. 3. mathes. *Actus laboriosos & circa aquam seruiles habebunt.* & lib. 4. *Faciet piscatores alios ex puteis altissimis assiduo labore aquas leuare compellet.* Aliud quoq; ex Rota aquaria quodammodo supplicii genus Lamprid. in Alexandro sic describit, *Parasitos ad rotā aquariam alligabat, & cū vertigine sub aquas mittebat, rursusq; in summum reuoluebat, Eosq; Ixiones amicos vocauit.*

Quintiliani locus expensus, in quo horchistra nomē corruptū videtur.

CAPVT XVII.

QVid, quod eadem quæstio potest eundem vel accusatorem facere, vel reum? *Qui artem ludicram exercuerit, in 14. primis ordinibus ne sedeat. Qui se Prætoris in hortis ostenderat, neque erat productus, sedit in 14. ordinibus. Nempe intentio est, Artem ludicram exercuisti. Depulsio, Non exercui artem ludicram. Quæstio. Quid sit artem ludicram exercere. Si accusabitur theatrali lege, depulsio erit rei. Si excitatus fuerit de spectaculis, & aget iniuriarum, depulsio erit accusatoris.* Locus hic est apud Fabium Quintilianum lib. 3. Inst. cap 6. In omnibus omnino, quæ mihi adhuc videre contigit exemplaribus quamlibet vetustis, ita conceptus vt proposui. Quod eo dico, ne quis temere coniecturis nostris fidem adhibeat. In eo memini, nec vnq̄ obliuiscar, Petrum Fabrum V.C. & doctissimum dixisse aliquando, videri sibi pro Prætori reponendum P.R. id est, populo Romano. Quod ego licet Prætorem ludos interdū curasse sciam, & vero Augustalium celebrationē ad peregrinū trāslatam legam, facile tamen adducor vt recipiam: cum & Doctor noster similem pene omnino Vlpiani locum ad Paulum annotauerit. Verum in proximis Quint. verbis mendum nō minus latere suspicor, & pro *in hortis*, legendum fortassis, *in horchistra.* Sic enim & apud Auson. in lud. 7. Sap. vbi antea impressis legebatur.

Hodieque in hortis palliatis prodeunt.

Emendatum est ex veteri libro,

Hodie in horchistram palliati prodeunt.
Quid erubescis tu togate Romule,
Scenam quod introeunt tam clari viri?
Nobis pudendum, & Atticis quoque
Quibus theatrum Curia præbet vicem.

In horchestra, ludicra exercebantur. Vnde & Cassiodor. lib. 4. Var. Theatrales ludos describens, *His (inquit) addita sunt horchistrarum (*sic lego*) loquacissima manus linguosi digiti, silētium clamosum, expositio tacita, quam Musa Polyhymnia reperisse narratur, ostendens homines posse & sine oris affatu suum velle declarare.* Erant in

horchestra Senatorum sedibus loca designata. Erant & in 14 gradibus horchestræ primis vel proximis equitum sedes. Nam & his lege sua in theatro loca restituit Otho Roscius. (Sic lego apud Velleium Patercul. lib. 2. vbi Rhenani codex habet horoscius.) ad quam legem Horatius alicubi respiciens dixit, Post equitem sedere atram curam: & apud Petronium Chriles ancilla. *Domina mea vsq. ab Orchestra 14. transilit & in extrema plebe quærit quod diligat.* Et paulo post. *Ego etsi ancilla sum, nunquam tamen nisi in Equestribus sedeo.* Inde horchistram & populum Iuuenal. dixit pro primoribus & plebe Lege vero Theatrali a 14. primis prohibebatur, qui artem ludicram exercuisset, vt Fab. ait. Et hæc fortasse pœna etiam fuit eius legis, qua Vitellius cauit, ne Senatores equitesue gladiatoriam aut ludicram artem exercerent. Id Zonar. ex Dione sic exprimit. ἀπηγόρευσε ὅ καὶ τοῖς βουλευταῖς, καὶ τοῖς ἱππεῦσι μονομαχεῖν ἢ ἐν ὀρχήστρᾳ θεατρικῶς τι ποιεῖν. Qui locus coniecturam nostram aliquantum confirmat. Refertur & a Quintiliano declamat. CCCII. lex hæc, *Gladiator in 14. gradibus ne sedeat.* Ceterum de quæstione a Fabio proposita sic iudico: Eum qui ludorū tempore in Scena vel Horchestra a populo Romano visus sit, quamuis se auctorauerit, si tamen artis caussa non prodierit, a 14. primis gradibus non arceri quia nec infamia notatur Multo vero minus gradibus prohibebitur, qui sponte sua in Horchestra se populo Romano ostedit, non auctoratus, non ab alio productus, aut spectaculi tantum, aut etiam artis ipsius exercendæ gratia. Et hæ quidem nouis moribus leges sub Impp. receptæ sunt, quibus non adeo turpis res hæc habita est, vt etiam consilium puniri debuerit: Sed antiquis Censoriæ seueritatis exemplis non conueniunt. Quod ego a me ἐξηγητικῶς ex instituto dictum accipi velim. Producti autem verbum, quo Fabius vtitur, proprie de venalibus dicitur: itemque de iis qui operas locarunt artis ludicræ caussa, & de testibus. Dicitur & de prostitutis, cuius exemplum vnum proferam, in quo vulgo perducta legitur. Sueton in Vespas. *Expugnatus a quadam quasi amore sui deperiret, cum producta pro concubitu H S cccc, donasset* Sic in optimo libro scriptum est. Apud Tertullianum in Apologet. perductores, pro, productores perperam scriptum fortasse admitterem, ni meminissem, Asconium in Verr. 3. scribere, lenones esse scortorum, Perductores etiam inuitarum personarum, & in quibus stupra exercitia legibus vindicantur.

M. Ciceronis ex Epist. ad Attic. itemq; L. Apuleii & Sulpitii Seueri loci emendati.

CAPVT XVIII.

Apud Ciceronem lib 2. Epist. ad Atticum in optimo exemplari sic scriptum reperi. *Cyrus aiebat viridiorum διὰ φύσεις latis luminibus non tam esse suaues.* Vulgo tamen legitur radiorum. Ego veterem lectionem temere reiicere non ausim, præsertim quæ tu-

ſum rectum commodumque habeat. Solebant enim veteres ita lumina feneſtrarum poſita habere, vt per earum ſpatia in viridia proſpectus eſſet, quemadmodum de Oecis Vitruuius ſcribit lib. 6. Hunc proſpectum non tam ſuauem putauit Cyrus Architectus (in cuius nomine luſit Cicer. cum Cyropædiam dixit) ſi latiora eſſent lumina. Adiicit rationē quę fortaſſe veteris lectionis exturbandæ cauſſam præbuit, *Nunc ſit lepide illa ἔξωσις radiorum.* Quæ vt intelligatur videndus eſt Gell. lib. 5. ca. 16 Et Apuleius Apolog. 1. Cuius verba quia valde peruerſa corruptaq; ſunt, meo iudicio emendata ſubiiciam. *Cum, vt ait Epicurus, profecta a nobis imagines, velut quædam exuuiæ iugi fluore a corporibus manantes, cum læue aliquid & ſolidum offendunt, illico reflectantur, & retro expreſſa contrauerſim reſpondeant: An, vti alii philoſophi diſputant, radii noſtri ſeu mediis oculis proliquati, & lumini extrario mixti atque muniti, vt Plato arbitratur, ſeu tantum oculis profecti, ſine vllo foris adminiculo, vt Archytas putat, ſeu intentu aeris fracti (radius ſcilicet oculorum) vt Stoici rentur, cum alicui corpori inciderint ſpiſſo, & ſplendido, & læui, paribus angulis quibus inciderant, reſulti ... ad faciem ſuam redeuntes, atque ita quod extra tangunt & viſant, id intra ſpeculum imaginentur.* Vulgo male pro illico, illi ſe, & pro aeris fracti, veri facti legitur: Non omnino diſſimili errore, quo & apud Seuerum Sulpic. hiſt. ſac. lib. 2. Id enim obiter quoq; ſcribere iuuat) *Vero*, pro, *Treueris*; *Vero*, pro, *Nero*. itemque apud Suet. in Tiberio, *Pater Tiberii Nero Quæſtor. C. Cæſaris*, &c. Placet & hic ex pluribus locis, quos in iis ad Attic. Epiſtolis, vel ex recta vetuſtiſſimi libri, quem tantopere laudamus, ſcriptura, vel reliquiis ipſius veſtigiis ducti ex ingenio emendauimus, alterum hic adducere. Nec me quiſquam putet cum toties veterum & manuſcriptorum librorum mentionem facio, Scyllas, aut Chimæras dicere. Serio verum amo, & quod mihi aliquando videre contigit, teſtis oculatus bona fide refero. Canes, rabulas, denique vitilitigatores nihil moror. Atq; hoc, pace omnium ſemel dixiſſe liceat. Apud Cicer. igitur lib 2 ad Attic. in eo codice ſic ſcriptum eſt. *Quin etiam dubito an hic Antii conſidā, & hoc tempus omne conſumam, vbi quidem ego mallem Duumuirum quam Romæ fuiſſe.* Quid eſt vero hac ſcriptura terſius, quid elegantius? Duumuiri ſunt tanquam Conſules in municipio: Conſules tanquam Duumuiri Romæ: & vt Decuriones Senatoru loco ſunt, quorum etiam curia minor Senatus legibus aliquando appellata eſt, vt Caſſiodorus ſcribit in libris Variar. Significat igitur Tullius malle ſe Duumuirum, & quaſi Conſulem Antii, quam Romæ fuiſſe. Ceterum vt Latina quædam oppida habuerunt Ædiles ſuos, & Dictatores, & Quæſtores, ita & ciuitates quaſdam Galliæ Conſules etiam habuiſſe, Auſonius indicare videtur, de Burdigala ſic ſcribens:

Diligo Burdigalam, Romam colo, ciuis in illa,

Consul in ambabus, cum ab [illegible] sella curulis.

Nec in his modo vrbis dominæ, quæ [illegible] immerito dicta est, maiestatem ceteræ quoque ciuitates, municipia, coloniæ studiose imitatæ sunt, sed & in plerisque aliis adeo & arcibus quoque suis Capitolii nomen imposuerint. Ac Narbonensis quidem & Tholosani Capitolii Sidonius & Gregorius meminerunt: Carthaginensis, Cyprianus in tractatu de Lapsis: Suetonius in Tiberio Capuani, & Beneuentani in libro de Grammaticis. Hieronymus lib. [illegible] in Esaiam de Babylone. *Arx autem, id est, Capitolium illius vrbis est turris [illegible] post diluuium.* Sed & [illegible] Capitolii mentio est in antiquis [illegible] Annalibus Seuero & [illegible] alta æde sacra Pergama dixerunt. quod & a Seruio ac ab Homeri interpretibus notatum est.

C. Plinii de medicis ex lib. 29 locus difficilis expositus.

CAPVT XIX.

PErurbane olim Poetarum quidam dixit, Medico & Iudici hominem occidere impune licere. Grauis id mo[illegible] & sine præmio fieret, profecto minus graue aliquanto, & fortasse tolerabilius videretur. Maior vero est in hoc scelere & parricidio medicorum, quam iudicum licentia. Quod Plinius [illegible] ostendere volens, quam [illegible] interdum temere medicis nos nostraq; committamus & credamus, *Decuria* (inquit) *pro more censuris principum examinantur, inquisitio per parietes agitur: & qui de nummo iudicet a Gadibus columnisque Herculis accersitur. De exsilio vero nõ nisi du[illegible] XL [illegible] datur tabella. At de Iudice ipso quales in consilium eunt statim occisuri?* Hic vnum illud quæro. Quid sit quod Plinius scribit inquisitionem per parietes agi. An hoc de quæstione furti accipiemus? de qua & Petronius Arbiter sic ait *At non seruus publicus tam [illegible] agit, sed raptam cauponis harundinem subter lectum mittit omniaque etiam foramina parietum scrutatur.* Solebant enim veteres in perquisitione furti vel munitissima quæq; quãuis obsignata, perscrutari & excutere, vt & Plato lib. 12. de legibus significat. Apuleius lib. 9. Asin. aur. *Placuit magistratibus ol[illegible] [illegible] pertinacia denegantem [illegible] immissis itaq; lictoribus cet[illegible] publicu[illegible] angulatim cuncta perlustrari iubent.* Quamobrem Athenienses cum ceterorum omnium domos excuterent, non permiserunt eam in qua noua nupta esset perquiri, vt Plutarchus in Demosthenis vita auctor est. Sed & Theodoretianus scriptor, qui [illegible] nondum [illegible] tus est, ancub[illegible] scribit. Eum qui furtum quærit non [illegible] bus in genuis [illegible] locum [illegible] posse putat, quod ex Graio nostro [illegible] videtur. Verum hæc interpretatio quamlibet speciosa, Plinii menti plane congruere non videtur. Nam de iudicibus loquitur, quorum auctoritatem cum Medicorum licentia confert. Ac primum de Decuriis iudicum dixit, quæ plures Romæ fuerunt, post, de Pedaneis & aliis subiectis iudicibus, tum de [illegible]

[illegible]

viris. Inter hæc quid agit tam secure, aut otiose potius furti quæstio? Aut quæ hinc tandem similitudo vel translatio peti potest, quæ ad rem, de qua agitur accommoda, & non longissime petita videatur? Itaque si quæ nobis vicissim in Iudicum nomen coniecturarum licentia est, quibus in caput nostrum, plerumq; ipsis vti iure suo esse dicitur, malim in eo Plinii loco parietes d ruere, atq; hoc modo partes reponere. *Decimiæ pro more censuris principum,* (hi tum perpetuam fere Censuram gerebant) *examinantur. Inquisitio per partes agitur, &c.* Centumviralium iudiciorum hastæ partes dicebantur Quintilianus lib. 5. *Iudiciis praeiudicia fiunt cum de eadem caussa pronuntiatum est, vt in reis deportatis, & ad eosdem iudicanda, & partibus Centumviralium, quæ in duas hastas diuisæ sunt.* Sed de hac tota re alibi amplius a nobis disseretur. Nunc illud potius expendamus quod sequitur apud Plin. *De exsilio (inquit) non nisi die XL. quinque electis viris datur tabella.* Primum quinam sunt isti v. vir. id ego plane intelligi posse arbitror ex Honorii & Theodosii Imp. constitutione ad Coll Prætores, Tribb. pl. & Senatũ vrbis Romæ, quæ sic habuit post alia. *In criminalibus caussis, senatus statuta iamdudum Quinqueuiralis iudicii forma seruabitur. In qua cum perfacile esse credamus opiniones legere de summis, sortito tamen ad iudicium vocabuntur, ne de capite atq; innocentia alterius iudicio sortiti iudicent.* Exstat in codice Theodosii, vel potius Alarici breuiario, sub tit. de iurisdictione. Ait autem, *iamdudum* (id Plinii locus iste cõfirmat. Ait, *optimos legere de summis*) non fuit igitur hoc proprium certi magistratus nomen, vt Triumuirorum capitalium & ceterorum huiusmodi. Ideoque a Plinio non simpliciter v. viri dicuntur, sed quinque electi viri. Eligi enim ex Senatu, veteri instituto solebant, quod ea constitutione Imp. non placuit: sed sortito eos ad iudicium vocari voluerunt. Est & huius quinqueviralis iudicii mentio in priore altera Impp. constitutione sub Tit. de accusationibus: Cuius etiam sub Gothis regibus vmbram quandam & imaginem Romæ remansisse Cassiodor. indicat lib. 4. var. for. 22. & 23. Nunc videamus quomodo XL. demum die 5. viris istis tabella de exsilio datur. Hoc ego sic accipio. In publicis iudiciis rei nomine delato receptoq; non statim caussa dicebatur, sed ex sorte litigatores dierum ordinem accipiebant, nec ante 30 post diem iudicem adibant. Imo vero non nisi post 30. diem iudicem dari solitum legimus. Sed nec tum quidem statim peragebatur iudicium, verum 10 post die vtrumque & accusatorem, & reum iudex adesse iubebat, quo die demum pronuntiare poterat iudex, id est, aut damnare, aut absoluere, aut etiam ampliare, si non liqueret. Nam comperendinatio in omnibus huiusmodi iudiciis locum non habuit, vt alias dictum fuit [illegible]. [illegible] iudicium exsilio non nisi [illegible] tabella dari [illegible] ante quadra[illegible] [illegible] sententia [illegible] pronuntiare [illegible]

autem quæ posuimus mihi credi nolo, sed istis potius testibus & auctoribus. Seruius lib. 6. Æneid. de Minoe. *Sine sorte (inquit) id est sine iudicio. Tractum hoc de more Romano. Non enim audiebantur caussæ nisi per sortem ordinatæ. Nam tempore quo caussæ agebantur conueniebant omnes, unde ait, Concilium, & ex sorte, dierum ordinem accipiebant, quo post diem trigesimum suas caussas exsequerentur. unde est, Vrnam mouet. Quæsitores autem dicuntur, qui exercendis iudiciis præsunt.* Hactenus Seruius. Eadem pene de Minoe Asconius tradit in Arg. Verr. 3. & de 30. diebus paulo post, *Cum in rem (inquit) agerent litigatores & pœna se sacramenti peterent, poscebant iudicem, qui dabatur post* 30. *diem.* Idem de 10. diebus in Argum. Cornel sic ait. *Reum Cornelium duo fratres Cominii Lege Cornelia de maiestate fecerunt. Detulit nomen Publius, subscripsit Caius, Et cum P. Cassius Prætor decimo die, vt mos est, adesse iussisset, eoque die, ipse non adfuisset, &c.* Idemque Plutarchus in Cic. scribit. Quæret hic rursus aliquis, cum ea, quę diximus omnibus iudiciis, saltem publicis communia fuisse videantur. cur hic Plinius de Quinque viris tantum exemplum proposuerit: Item cur de exsilio, non de ceteris etiam iudiciorum pœnis. Si quis eius mentem attentius consideret, facilis responsio est. Confert Plinius Medicos cum Quinqueuiris, in his præcipue, Quod his, quos verisimile sit non nisi optimos lectos e summis (vt Impp. verbis id explicem) non statim tamen sententiam ferre possunt, quamuis ea quidem mortem non inferat, sed exsilium tantum, quod morte longe leuius est: At illi quales quales, sine delectu aliquo, statim in consilium mittantur, non exsilio tantum aut deportatione damnaturi, sed occisuri. Hæc igitur inter sese sic comparentur. Iudices vix quadragesimo demum die, Medici statim: Iudices electi quinqueuiri, Medici quales quales, sine delectu: Iudices, quamuis de exsilio tantum sententiam dicturi, Medici Iudicem etiam ipsum occisuri. Ceterorum Iudicum nō adeo sane elegans hac in re cum Medicis collatio futura erat. Hi enim sortito fere ducti, non electi iudicabant.

Bannum, Heribannum, Bandum, Rerum prolatio, Rerum iudicandorum vacatio, Rerum reditus: & de anno litium Iuuenalis locus expositus.

CAPVT XX.

BAnnum in legibus Langobardorum solidorum LX. vel totidem ictuum pœnam significat: & id quidem constanter, nisi legis ipsius verbis aliter difiniatur. Bannum autem & ab eo Bannire verbum, eadem omnino significatione, qua a Francis hodie vsurpatur, in eis quoque legibus accipi, indicant capite primo Tit. LXVII. legis Ripuanorum Tit. XVII. legis Frision. Titul XL. libro quarto. leg. Francor. Quibus in locis cum ad bellum a principe vocati Banniti dicantur, & Heribannum vectigal pœnæ caussa quo

quod ab eo exigitur, qui Heribanno, id est, Domini, vt tum quidem loquebantur, siue principis, aut potius ad exercitum & bellum vocationi parere contemserit Cap. LXXI. & LXXII. lib. 4. leg. Franc. & lib. 3 Langobard. Titul. de Heribanno, non temere quis dixerit voces quoque Francias Ban & Arrie eban ab his deductas. Verum cum Banni bannitique verbum commune & generale sit (nam quos propria quadam appellatione Bannitos dicimus, illi forbannitos vocant) hæc autem Francica Ban & Arriere ban ita coniunctim de illa tantum ad bellum vocatione vsurpari soleant, tentari ex aduerso non incommode potest, videri potius a Bando primum deducta, in Bannum vulgarem magis vocem desciuisse. Bandum autem signum est ipsius ducis & imperatoris, a quo & Bandophoros dictos Procopius scribit lib 4. Belli Wandalici. Paul. monachus lib. 1. Histor. Longobard capit. 13. *Tato Rodulphi (is erat Herculorum rex) vexillum quod Bandum appellant, eiusque galeam, quam in bello gestare consueuerat, abstulit.* Suidas, *Βάνδον καλοῦσι Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον τὸ ἐν πολέμῳ.* Quæ interpretatio rectior & verior videtur illa quam Stephanus περὶ πόλεων tradit, vbi de Alabanda loquitur, Romanos scilicet βάνδον victoriam dicere. Sed facilis est exterorum hominum in aliena lingua vel exaudienda vel exprimenda, aurium, linguæ, animi deniq; lapsus. Quinquam sane vtrumque simul ferri potest. Bandi etiam verbo pro signo militari vsus est pluries auctor eius libri, qui *περὶ στρατηγικῶν κατασκευῶν καὶ ἱππικῶν*. Iustiniani Imp. nomine editus est. Itemq; Cedrenus & ille quisquis fuit Constantinianæ donationis tabellio. Verum ne, cui nouum & insolens videatur quod diximus, quasi Banni verbo siue Francico, siue Langobardico, verisimilius multo sit nostros, quam Greco, aut Latino vsos, profecto Bandes & Bādieres & Banderez a Bando potius dici, affinitas nominum suadet. Est & de Heribanno Francorum, Gregorii locus lib 5 histor c. 26. *Chilpericus* (inquit) *rex, de pauperibus & iunioribus Ecclesiæ vel Basilicæ Bannos iussit exigi pro eo quod in exercitum non ambulassent. Non enim erat consuetudo, vt hi exsoluerent vllam publicam functionem*, & lib. 7 cap. 42. *Edictum a Iudicibus datum est, vt qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur.* Bam & Arrierebam vtrumque Heribannum est. Sed illud ad Vassos & Leudes dominicos, hoc ad Vassorum quoque dominicorum Vassos pertinet. De chlamidata militia dixi, de Togata dicam. Huius etiam necessitas quædam non iudicibus modo, sed & patronis aduocatisq; incumbebat. Itaque, vt in ludo de Claudii Apotheosi P. Petronius aduocationem postulat, id est, vt ipsi pro Claudio P. Pompeio accusatori respondere liceat: Sic & Plinius lib 5. Epist. forensi (vt ipse ait) verbo, aduocandi veniam petit: & Fabius in foro quoq; dicēdi munus se deprecatum dicit. Fuerunt etiam ab hoc vrbano & vmbratili bello vocationes quædam, & quasi induciæ rebus prolatis.

Seneca de breuitate vitæ, *Diripitur* (ait) *ille toto foro patronus, & magno concursu omnes vltra quam audiri potest complet. Quando, inquit, res proferentur? Præcipitat quisque vitam suam, & futuri desiderio laborat, præsentium tædio.* Tacit. lib. 2. Annal. *Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Cn. Pisonis, & Asinii Galli super eo negotio diuersas sententias nosse.* Et paulo post, *magnis Vtrinque contentionibus acta, sed res delata.* Feriis res proferuntur, id est, lites & negotia differuntur, vt messium & vindemiarum tempore, cui duo tantum menses postea concessi deputatique sunt. De his accipiendum est, quod Minutius fori Romani aduocatus in Octauio sic ait. Ad vindemiam feriæ iudiciariam curam relaxauerant. Lucanus in poematio ad Calpurnium Pisonem.

> *Huc etiam tota concurrit ab vrbe iuuentus*
> *Auditura virum, si quando iudice fesso*
> *Turbida prolatis tacuerunt iurgia rebus.*

Plinius lib. 8. Epist. *Vtque iam adsuescerent & ab otiosis & in triclinio audiri Iulio mense, quo maxime lites interquiescunt.* Statius lib. 4. Syluar. ad Marcellum.

> *Certe iam Latiæ non miscent iurgia lites*
> *Et pacem piger annus habet messesque reuersæ*
> *Dimisere forum, nec iam tibi turba reorum*
> *Vestibulo querulique rogant exire clientes,*
> *Cessat centeni moderatrix iudicis hasta.*

Cyprianus quoque ad Donatum inducias vocat, *Et reddendis* (inquit) *tempestiuum prorsus hoc tempus est, quo indulgente vindemia, solutus animus in quietem, solemnes ac statutas anni fatigantis inducias sortitur.* Hæc rerum prolatio a Seneca rerum iudicandarum vacatio appellari videtur, dum sic de Claudio D. Augustum veteri more ex tabella recitantem fingit *Placet in eum seuere animaduerti, nec illi rerum iudicandarum vacationem dari, eumque quam primum exportari, & cœlo intra dies XXX. excedere, Olympo intra diem 3.* Vbi tamen quibusdam adeo lites placent, vt iustæ vacationi iniustam aduocationem vltro præferant: non satis, vt mihi quidem videtur, circumspecte. Notat enim tacite in eo Claudium, quod tam laboriose iurisdictioni & cognitionibus operam dare solitus esset, vt vix vnquam res proferret, sed festis quoque & religiosis diebus ius diceret: cum tamen ceteris fere iudicibus hoc beneficiú concederet, ne hyeme initioque anni ad iudicandum euocarentur, vt Sueto. in Galba scripsit. Hoc igitur iure in eum quoque talionis lege Augustus vtendum censet, vt quamuis October mensis currat (nam 3. Id. Claudius animam ebulliit) vacationis tamen & rerum prolationis nulla haberetur ratio, quo minus de ipso Dii statim in consilium mitterentur. Aut potius censet Augustus rerum iudicandarum vacationem Claudio cōcedendam non esse, sed eum cognitionum ærumnis cruciandum, quibus tam laborio-

boriose operam dare solitus erat. Sic enim & sub finem ait, cum libertis donatum vt a cognitionibus esset. Eodem pertinent & illa ex Nænia de Claudio,

Quis nunc iudex Toto lites Audiet anno.

Itemque ista Claudii ipsius ad Herculem. *Ego eram qui tibi ante templum tuum ius dicebam totis mensibus Iulio & Augusto.* Quod si quis rerum iudicandarum vacationem apud Senecam ad comperendinationem referre malit, aut potius ad S. C. Tiberianum, quo damnatorum pœna in decimum semper diem differebatur, Suetonio & Tacito auctoribus, per me equidem licet, dum sciat mihi coniecturas istas meas non omnino probari. Porro rebus prolatis, non nisi extra ordinem ius dicitur, & prout quæque caussa occurrit, de qua die feriato iudex adiri potest, statim etiam agitur & disceptatur. Rebus reuersis certus ordo obseruatur, id est, ex more, caussæ per ordinem dicuntur: & ex l. 1. r. e. litigatores dierum ordinem accipiunt. Fuisse vero id olim Romani moris Seruius in Virgil. notat lib 2. & 6 Æneid. adiicitque id fieri solitum propter multitudinem & tumultum festinantium: *Cum erat* (inquit) *annus litium, de quo Iuuenalis,*

Exspectandus erit qui lites incoet annus.

Quæ ego posteriora verba adduci non possum, vt credam Seruii esse, sed ea potius a posterioribus Grammaticulis, vt pleraque alia adficta adiectaque arbitror. Nam quod Theophilus scribit de consiliis, ego ad annum litium pertinere non puto, sed potius ad conuentus illos iuri dicundo, quorum apud Cæsarem Suetonium, Plinium, Tertullianum, Spartianum, aliosque auctores non infrequentes mentio est, vnde & Præfecturarum origo: Nec adhuc mihi legendo audiendoque persuadere potui certum aliquem Romæ fuisse litium annum. Sane hoc id Iuuenalis significat, qui hæc sacramentorum & militiæ emolumenta notat, quod militibus statim & extra ordinem ius dicatur: At in paganorum caussis certus & legitimus dierum ordo omnino obseruandus, atque adeo interdum diu exspectandum sit, dum ad lis tandem incoetur, & caussa agatur. Sic igitur apud Iuuenalem annum exaudio, vt apud Terent. in Heaut.

Dum moliuntur, dum comuntur annus est.

Vt autem res prolatæ dicuntur, dum lites & fori negotia cessant: sic rediisse, dum rursus agi incipiũt, quod & apud Ciceronem non est infrequens, Plautus in Captiuis.

Prolatis rebus parasiti venatici
Sumus, quando res redierunt, molossici.

Sed iam nos quoque ad res redire tempus est, quibus prolatis, hāc huius operæ, qualiscunque est, gratiam referimus.

LVCÆ FRVTERII BRVGENSIS VERISIMILIVM LIBER I.

CAPVT I.

Festi Pompeii locus emendatus.

OMnibus credo modis obscurum est, quid velit Festus Pompeius eo in loco, vbi *Paricos quæstores ait esse eos, qui solebant creari caussa rerum capitalium quærendarum.* Et sane rationem habent illi, qui hic dubitant, si modo aliquando dubitatum est ab aliquo. Nam Festi quidem ratio est præclara & illustris omnibus; at ipsum *Quæstorum* agnomen illis quærendum erat, qui vellent hunc Festi locum a se non ignorari. Nos olim hoc studiosorum gratia dedimus, vt diligenter videremus, quid ab hoc *Prætorio Quæstore* in varias prouincias persequendo, *lucello datum* cum Poeta doctissimo referre possemus Et sane nisi multum fallimur, aliquantillum lucelli patet in tabulis Festi Prætoris mei. Nomina vero ita in illis se habent:

——Capitalibus vnde——cidi appellantur.

Ecce iam patet secundum has testamenti Pompeiani tabulas dari debere, vt enim in litura sint, de *Quæstoribus* tamen agi *Capitalibus* præclare intelligimus, & quid de his tabulis contra *Paricos* iudicium detrectantes pronūciandum sit, etiam videmus. Itaque de robore hoc tabulario, & de consilii sententia, censemus iubemusque, vt *Parici Quæstores*, qui in alienam possessionem nullo suo iure venerunt, *Parricidi Quæstoribus* locupletibus, assiduis, & suis heredibus locum cedant, possessionemque eiurent. *Hæcce sicce exacta sunto, edictoque iussa COSS. Pompeio* * *& Lucio Frugi Pisone* De *Quæstoribus parricidii* locus est elegans in Pomponii Enchiridio singulari, de origine Iuris, Digest. lib. 1. his verbis. *Et quia de capite ciuis Roman. iniussu populi non erat lege permissum Coss. ius dicere, propterea Quæstores constituebantur a populo qui capitalibus rebus præessent. hi appellabantur Quæstores parricidii. quorum etiam meminit lex XII. Tabularum.*

* *Festum, ac semestrem designat, vtpote ob nomen estq; ad vernaculum Fruterici cognominis significatum allusio.*

Ouidii, & Tibulli loca aliquot emendata & asserta: & alter Vergilii locus vindicatus.

CAPVT II.

CRedo equidem multorū fuisse curam, vt quantum bonis auctoribus suo studio prodesse possent, tantum & illis benigne tribuerent, cum alii loquaces commentarios ederent, alii verbum aliquod rarius explicarent, alii deniq. tropos & schemata persequerentur: quib. ego nec infelicius quicq̄, nec magis Grāmaticū duco Credo equidem, quæ dixi, omnia summo studio a superioribus factitata. Sed etiam illud credo, eisdem a nostris hominib. qui

acutius

acutius quiddam & sublimius sapiunt, parũ omnino referri gratiæ non debeat. alius vero est hodie doctiorum labor; alia industria: illi enim conquisitis passim scriptis codicibus auctoribus bonis eam dignitatem reddũt, quam suis aliquando temporibus habuerunt; aut si id fallit ingenio suo ad eam rem prudenter tractandam vtendum iudicant. quæ ratio mihi (nam omnino libris manuscriptis careo) pene semper sequenda fuit. nec pœnitet tamen consilij; imo interdum iuuat intelligere ab amicis meis, quibus manuscriptorum festiua est copia, locum aliquem, quem ad illos miseram, ita se habere in scriptis libris, vt ante multo coniecerani legi debere: vt illud, quod aliquando in Ouidio annotaui.

Digna mouere fuit certe viuosq; virosq;:
Sed neq; tum vixi, nec vir, vt ante, fui.

De hoc Nasonis versu scripseram ad Gulielmum Cantherum iuuenem doctum, meique amantissimum. rescripsit ille gratulabundus tantundem literarum esse in codice amici cuiusdam sui, qui Ouidii opera manuscripta apud se haberet. quod tamen ita non mouit me, cum ego legem istiusmodi reciprocationis, non ignorarem, vt non multo prius in Verisimilia hæc coniecerim, & in lubitato affirmarim, lectori locum ita esse emendandum, vt ego vellem. Atque apud Ouidium lib. 2. Ponticarum, peccatum est ab indoctis: vbi enim legitur,

Ora ferant grates, quoniam non possumus ipsi,
Dii tibi: qui referent, si pia facta vident.

Legendum omnino est, & Ouidii venustas id requirit:

O referant grates, quoniam non possumus ipsi,
Dii tibi: qui referent, si pia facta vident.

Sed illud miror Io. Pierium virum doctissimum in Virgilio id non vidisse elegantiæ. nam vbi est. & rectissime est:

Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

Ille in priori versu pro *Etiam*, *Deus* legit, ex nescio quo exemplari. quasi vero non pendeant omnia a superioribus: & languidam reddant sententiam hi versus, si legatur *Deus*. Et tamen hoc etiam Pierii auctoritate adducti Antvverpienses retinuerunt. Sic & in illo Tibulli peccatum est, nam vbi vulgo legitur:

En ego cum tenebris tota vagor anxius vrbe,
Securum in tenebris me facit esse Venus.

Deierare ausim Tibulli manes Geniumque, ita scriptum a politissimo auctore, vt subscribam:

Securum tenebris me facit esse Venus.

Et sic Ouidius eadem de re:

Mirabar, tenebris si quis iturus erat.

Ac Tibullus ipse:

Ad iuuenem tenebris sola puella venit.

M. Antonius Muretus, quem honoris caussa nomino, versum hunc in aliquot libris reperiri affirmat, in aliquot abesse, & duos tresve alienos versus adfert, quos non [illegible] nos scio. Putat itaque Muretus ex hac diuersitate aliquid vitii subesse Tibulli loco. Ego vero si legatur vti ipse sentio iudicoque, Tibulli genuinum esse non dubito. Simile est in illo eiusdem Poetæ versu.

Abstineas auidas mors precor atra manus,

Abstineas mors atra precor. Hic idem vir doctissimus, postquam variorum alienissimos versus adduxit, parum referre ait, quam lectionem sequamur. ego contra sentio, & ita omnino legi & scribi iudico, vt venustas Tibulliana requirit, & recuperationis nostræ iam probata consensio. Nunc adeo cum in hoc poeta sumus, vnum aut alterum eius carmen emendemus licet. Itaque vbi legitur:

Tisiphoneq; impexa feros pro crinibus angues
Sæuit, & huc illuc impia turba fugit.

Ego cum Virgilio scribendum puto *Implexa.* Sic enim ille de eisdem Furiis: *Cæruleosque implexæ crinibus angues Eumenides.* Certe illud *Impexa* hic locum non habet, nihilque energiæ secum adfert: imo non satis credo Latinum fiat. Nam quod idem Tibullus scribit: *Longos incomta capillos*: id eam rationem non habet, vt in superiori versu, *Impexa*, tolerari possit. Nam aliam omnino sententiam facit ab illo priori. Addam vnicum illius locum, in quo elegantiam forte secutus magis videor, quam rei veritatem. Sed ego me vtrumque a doctis & bonis ablaturum esse confido. Ait Tibullus:

Heu sero reuocatur amor, seroq; iuuenta,
Cum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formæ est, coma cum mutatur, vt annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis.

In tertio versu libenter legam: *Coma tunc mutatur.* præsertim cum de *Cano capite*, priori versu locutus sit. & certe in codice manuscripto Danielis nostri est: *Coma tunc mutatur.* quod paria facit cum hoc nostro. Sed hæc omnia ipsa versus & sententiæ œconomia diserte euincunt. In superiori eadem latet elegantia, quæ in istis Tibulli versibus, quos subscribam, non ab omnibus credo obseruatur:

Non tibi sunt tristes curæ, non luctus Osiri,
Sed chorus, & cantus lenis, & aptus amor:
Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,
Et Tyriæ vestes, & dulcis tibia cantu,
Et leuis occultis conscia cista sacris.

Hic ter iteratur *Sed*; etiam *Et* ter repeti vides, quod vtrumq; poeticum

ricæ artis est caput vnicū, veruntamen si eodem in versu concurrant, nescio quid venustius secum ferunt. vt in illo eiusdem:

Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.

CAPVT III.

Plautus emendatus.

QVantum noceat magnis ingeniis Grammaticorum non accurata & diligens lectio, priusquam ad grauiora discedunt; nuper adeo intellexisse videor, cum Plauti Curculionem ea cura euoluerem, qua meretur euolui auctor tantus. Ceterum vix bene in proscenio eram, cum molestissimum offendi quiddam, quod in ipsam Scenam properantem validissime moraretur. Id erat huiusmodi. Cappadox leno negotium sibi facessere lienem dicit Palinuro, & ita insedisse penitus, vt intestina omnia occupârit. eorum hæc sunt verba: PAL. *O scelerum caput,*

Saluete. quid agis? CA. Viuo. PA. nempe vt dignus es.
Sed quid tibi est? CA. Lien necat, renes dolent,
Pulmones distrahuntur, cruciatur iecur,
Radices cordis pereunt, chira omnes dolent.

Libet hic cum homine doctissimo, Ioach. Camerario mirari, quid *Chira* significent. Ille quidem *Fibras* hoc loco reponit. & recte sane, si licet in omnibus auctoribus, cum aliquid in obscuro est, & in vitio, substituere aliud minus quidem obscurum & vitiosum, sed tamen non ipsius auctoris, vel antiqui codicis. Ego quidem, qui didici apud Festum *Hiras* esse, non *chiras*, hoc in loco certissimo reponendum puto: *Hiræ omnes dolent.* *Hira* vero, teste Pompeio, *intestinum significat, quod Græci νῆστιν, Latini Ieiunū vocant. cuius diminutiuum est Hilla.* Dicit itaque Cappadox, cum partes omnes corporis appellauit, quę sibi ex liene affectæ essent, omnia denique intestina eadem illa tabe obsessa: quæ *Hiras* appellat: lautus. Sed & Macrobius docere nos poterat, *Hiræ* quid essent; nisi Festus prior id annotasset. Verba Macrobii ex somnio Scipionis sunt eiusmodi:

Et intestina principalia tria: quorum vnum (lege. *imum*) *Dissipium vocatur, quod ventrē & cætera intestina secernit: alterum mediū, quod Græci μεσεντέριον dicunt: tertium, quod veteres Hiram vocauerunt, habeturq; præcipuum intestinorū omnium, & cibi retrimenta deducit.*

Hactenus Macrobius. Mirum vero est, ni illud *Dissipium*, quod supra legitur, corruptissimū est. In antiquis codicibus, vt ex margine colligimus, *Dissipium* scribitur. ex quo *Dissiptum* fuisse scriptum ab auctore, suspicari aliquis possit, vt apud Festum: *Consiptum*, pro *consepto*, est ex Ennio, & *Distisum*, pro *Distæsum*. Cum hæc scripsissem ante annos meditata iam plures, prodierunt in lucem singulari cum vtilitate studiosorum omnium, Hadriani

Turnebi viri Doctissimi Aduersaria. quæ mihi quidem, vt harũ scriptionum Helliueni egregio, lecta & relecta sæpius, non contemnendum fructum attulere. Inter cetera vero, quæ magnæ voluptati erant, hoc mihi gratissimum in primis fuit, vt eadem sententia, de hoc Plauti loco esse eum, quem virum omnes docti, tu-quam moriturum, & mortuum tamen adhuc sibi aliisque viuere præclare sentiunt. Exstat in hunc heroem Elegidium nostrum quod hic appingere visum fuit: nec enim vir tantus vno in loco legi est dignus; sed pluribus in libris linguisq; sonare eum, par esse, virtus illius optima mecum sentit.

IN OBITVM VIRI SINGVLARIS
D. ADRIANI TVRNEBI,
Elegia.

Sic tibi, Parca, frequens res sit cum vilibus vmbris,
Sic cadat in ferrum Mors numerosa tuum.
Quæ tua sæuitia est, doctis caput artibus auctum
Turnebi, immites dedere ad inferias?
Turnebi, cuius subnixum præpete penna
Nomen hiat rubris concolor hospes aquis.
Cuius & in famam victricibus Itala tellus
Vocibus insurgit Gallia docta tibi:
Seque negat tanti sub laudes ire minorem
Nominis: Hæc Virtus præmia sola capit.
Quæ nisi quanta viget Turnebi in pectore sedit,
Sidit in Aurati pectore tota mei.
Hos posse indomitis ætatibus exigere æuum,
Est adeo insanæ credulitatis opus.
Fata vetant, Turnebe, tamen te viuere verum est
Scriptaque sunt Famæ posthumæ Regna tua.
Felices animæ, quæ post mortalia sæcla
Viuere concipiunt, viuere cum nequeunt.
Atque vtinam plures, quos hæc habet æra, referti
Transite Turnebum conueniente pr[illegible]:
Cumque habeant, vitæ Mortem omnibus esse nouercam,
Morte obita, famæ stent sine labe suæ;
Atque aliquid viuax scriptam referatur in vrnam.
Sic iuuat & fati me quoque iura sequi.
Sic iuuat indocto finem statuisse dolori:
O pereat, quisquis non ita cumque perit.
Paruus amicitiæ tecum mihi venerat vsus,
Paruus amicitiæ nec tamen vsus erat.
Te memini quiddam ingenio inuenisse sub isto,
Quod superes votis grandius ire tuis.

O ego ne tante possim superesse dolori:
Quam malim nulla carminis arte frui!
Et tamen hoc quantum est peregrini munus amici,
Esse graue exopto docta Iuuenta tibi.
Siue aliquis sacris raptorum est sensus in vmbris,
Hoc graue Turnebo sic quoque munus erit.

CAPVT IV.

Ennii versus repurgati apud Nonium.

FAcilius credo ferendum est apud Nonium nunc voculam vnam, quam facile suspicari possumus abesse, nunc minutatas aliquot literas, quas in ordinem suum restituere nullius prope industriæ censeatur; quam elegantem aliquam sententiam fallere, & in obscuro esse; quæ si plana & distincta sit suis partibus, nimium incredibili voluptate lectoré perfundat. Ecce vero, quod dico apud Nonium in verbo *Spernere*, quod ille *Segregare* interpretatur. Satis credo obscure & coacte hæc sunt verba, nam versus dicere omnino non placet, cum nec formam quidem illorum præ se ferant, vt ibi distincti sunt & collocati.

Melius est virtute ius. nam sæpe virtute mali nanciscuntur ius, atq; æquum; se a malis sperni procul.

Ex his omnibus nullum idoneum sensum elici posse vident omnes, & tamen si vel apicem vnum addas, & in pedes suos constituas versum, summa erit elegantia, & Carmen Ennii Philosophicum quiddam spirabit. Ego sic lego, & quadratos efficio, nam certe *Heraclis Lytra* versibus scripta fuere:

Melius est virtute ius. nam sæpe virtutem mali
Nanciscuntur; ius atque æquum se a malis spernit procul.

Sic demum sapere, & ratione vti Poeta videtur; cum, vt prius legebatur, & a thesi sua, qua *Ius virtuti præstare*, volebat dicere, inepte discedat; & rationem omnem probandæ veritatis negligat. Sed miror sane Henricum Stephanum, virum elegantem & doctum, id non vidisse; cum Poetarum Fragmenta nuper ederet. nullo enim cum sensu & ibi leguntur isthæc Ennii. Sed nimirum hoc illè, vt mille alia, Appendici suæ reseruauit. Ne quis autem illa dictione offendatur, quæ est in secundo versu: *Ius atque æquũ se a malis spernit procul.* nam & antiqua est locutionis formula, & illa Prudentius fere vtitur in Psychomachiæ libello, hoc versu:

Monumentaque tristia longe Spernit.

Sed magis credo ad illud Virgilii vidit, quod est huiusmodi: *Longeq; recusat.* Esset puto non nullus, qui in Ennii versu, *Spargit*, legi posse contenderet. ego non ausim, præsertim auctoritate veterum Codicum destitutus. Sed hæc satis sunto in re perspicua & vera.

CAPVT V.

Tibulli loca aliquot emendata.

MVlta sunt apud Tibullum, Poetam cultissimum & doctissimum, quæ mihi quidem suspecta sunt, nescio an aliis: certe nihil eiusmodi video in illorum libris: nisi forte illud est aliquid, quod Franciscus Robortellus, homo Italus, scribit in libro quodam manuscripto, quem ab amico acceperat, legi versum Tibulli hoc modo:

Neu quisquam multo percussum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amans.

In nostris libris est elegantissime, *Perfusum tempora.* nec quicquam immutandũ cum idem Poeta alio loco sic scribat: *Et multo tempora funde mero.* Ecce omnia hic gemina & eadem sunt. nam in hoc versu, *Tempora funde*, est *Perfunde*: vt in illo eiusdem: *Mox etiam niueo fundere lacte parent*, Sed & Horat. *Tamen vda Lyæo Tempora populea fertur vinxisse corona.* Et in illo pari modo Tibullus: *Nec stragula picta soporem,*
Nec sonitus placidæ ducere possis aquæ, *Ducere*, pro *Inducere*, simplici pro composito vsus scilicet. Ecce nihil hoc Poeta suauius in tota Latinorum Poetarum turba est. Male itaque consuluit sibi Robortellus, cum optimam lectionem sollicitare conatur: & ὑποπλῆξαι suũ Ouidio pudentius condor assiet, qui *Tempora quassa mero*, dicit quodam in loco: Archilochus autem pari tralatione, οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας. Apud Athenæum Itaq; hoc mihi consilium meum perplacet, quod de Poetarum recta emendatione aliquando mecum inii, nimirum Poetas ex suis scriptis æstimandos primum, deinde ex aliorum frequenti lectione. Hoc vt semper obseruaui, hîc docebo, & loca aliquot ea ratione, quam dixi correctos proponam. Itaque quo loco legitur apud Tibullum:

Sic veteres sedes incoluistis aui.

Legendum sic edico:

Sic veteris sedes incoluistis aui.

Nam alio loco idem Tibullus scribit:

Ritus vt a prisco conditus exstat auo.

Et alio:

Quos tulit antiquo condita messis auo.

At *Sedes*, hic sunt *Ædes*, antiquorũ more, ne quis in *Ædes* mutandas putet. *Aui* perpetua illa sunt Epitheta in hoc Poeta. Sed vt semel dicam quod sentio, nos hæc paucis scribimus & doctis; reliquorum turba quid de his sentiat & loquatur, suique deque id est nobis. Et tamen, vt & illis fiat satis, etiam alterum proferam locum. Est ille lib. 2. Elegia 1.

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis, & Chio soluite vincla cado.

Video hic *Veterem consulem*, vt hic *Veterem auum*; & tamen etiã ex illo versu vetustas hæc, cũ verbi immutatione profligata est a

Pierio

Pierio Valeriano in illo insigni Syntagmate Hieroglyph. Ille enim hunc Tibulli versum satis suo iure mutat & legit:

Nunc mihi fumosi veteres proferte Falernos

Consulis &c. Quasi vero hic de *Fumoso Consule* agatur, & nõ potius de *Amphora Horatii, fumũ bibere instituta*, sit sermo. Sed, o, sed errant etiam docti homines, dum ingenio suo nimis fauẽt, aut memoriæ indulgent. Non aliter falluntur nõnulli, qui cum Tibulli locutionem & numeros parum exploratos habent; tum ipsi, quæ illo indigna sunt, & semetipsis adlaudare, vel studiosis persuadere conantur; vt nuper * quidam, quem h... notis caussa non appello; & hic tamen quasi magnum quid allaturus gratiam sibi studiosorum omnium excipit, cum tamen nec gratia vlla dignus sit, nisi ea sit mala. Ita scripsit Tibullus:

Rusticus e lucoq; vehit male sobrius ipse

Vxorem plaustro, progeniemq; domum.

Ille, quem supra dictum volui, legendum putat:

Rusticus e luco euehit male sobrius ipse, &c. cum tamen omnia a superioribus faciant; quod ille non vidit: & languida omnino sententia fiat, si ita legatur. Quare prudenter in Tibullo versandum est ei, qui velit placere quam plurimis, & caute videndum, quid coniecturæ boni habeant, præsertim alienæ. Nam pari præmio dignus est, qui alterius calidum figmentum, & sig... u... in pergula doctiorum proponit, quam ille qui signifex fuit & tamẽ ipsi tabulæ suum nomen inuidit callidus. Pergimus in Tibullo. Scribit ille Elegia 1. lib 2.

Rure leuis verno flores apis ingerit alueo,

Compleat vt dulci sedula melle fauos.

Ego qui, *Vernum rus* non alibi, & tamen *Vernos flores* passim ad...atus sum; imo in ipso Tibullo paulo post sequi non ignoro, legendum censeo:

Rure leuis vernos flores apis ingerit alueo,

Vt infra statim:

Rure puer verno primum de flore coronam

Fecit, & antiquis imposuit Laribus.

Leuis autem *apis*, ne quem offendat, Virgilium illi grauissimũ vindicem esse sciat: ait ille,

Illa (apes) continuo saltus, siluasq; peragrant,

Purpureosq; metunt flores, & flumina libant

Summa leues:

Atque illud obseruandum, male legi apud cultissimum Poetam hunc versum:

Atq; aliqua assiduæ textrix operata, Mineruam

Cantat, & a pulso tela sonat latere.

Legi enim debere ipse Tibullius monet:

Atque aliqua assiduæ textrix operata, &c.

Sic ille lib. I. *Atque aliquis voti compos liba ipsa ferebat.* Atque illud quod nunc adscribam, illis dedi, qui Tibulli sepericrem locū a se defendi posse diffidunt. Sed videant illi, ac pudenter donatis vtantur. Tibulli est huiusmodi:

Atq; aliquis senior, veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo.

Locutiones istæ sunt Veterum, & elegantiæ abstrusioris: nunc quod addam quibusdam fortassis leuius videbitur, ideoq; illi de loco digniori prouidendum non fuit. itaque hic legatur Lect. Est apud Tibullum de Bacchi præstantia & vini:

Ille facit dites animos Deus: ille ferocem
Contudit, & dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres, & fuluas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor, & maiora volet, &c.

Puto legendum, si quid video in his rebus: *Hæc amor & maiora valet.* Leuia sunt isthæc scio, & tamē sine talibus grauiora placere non possunt & nescio quid nebulæ obiicitur lectoribus ab hisce friuolis, præsertim incautis, quibus & nos quoque consultum velle debemus. Adiiciam & geminum illis vnicum quoniam iam nobis displicere cœpimus. libri 3 Elegia posthuma hæc leuis:

Lena nocet nobis, ipsa puella bona est.
Lena vetat miserum Phryne, &c.

Vereor vt bene habeat locus, adeoque labor, vt legam: *Lena necat miserum Phryne &c.* Hæc nos e Tibulli vernis floribus mella libabamus; quæ vereor ne quibusdam Corsicum μελιτοφαγεῖν sapiant. Sed & nos cum Lucretio

Scimus, amaracinum, subus vt fuat acre venenum.

CAPVT VI.

De Tibulli quibusdam locis suspiciones istæ.

ECce iterum ad Tibullum relabimur, nimis enim auctor ille nobis placet cum dictionis puritate, tum proprii sermonis elegantia. Dicant & sentiant alii, quod velint. Ego non vereor, quod scio quosdam velle, ne Tibullus noster illi secundus fiat, cuius facilitas & luxuria antiqui temporis doctissimis patū omnino grata fuit, quantum ex illorum scriptis colligere est nobis. Sed nos credo, cum hæc nimis anxie persequimur, doctorum de his iudicio parum fidimus, quorum eandem esse opinionem certe dubitandum est nemini Tibullus itaque quo loco habet:

Me mea paupertas vita traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

Non videtur mihi satis culte loqui, quantū ego quidē iudicare possum. Nā vt illud; *Vita inerti traducere*, possit aliquis ex Martiali defendere, qui de molesto illo genere delatorum sic scribit:

Turba

Turba grauis paci, placidaq; inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Traducta est Gyaris; nec cepit arena nocentes:
Et delator habet, quod dabat exsilium.

Quod tamē eo in loco Epigrammatarii ambigua est lectio, & alii habent libri, *Tradita Getulis.* ego quid sentiam non sane habeo. certe fuit tempus, cum esse legendum in Tibullo crederem: *Vita traducat inertis.* vel quod aliquis suspicari possit; *vita inertis.* vt idem dicat, quod eadē Elegia sub aliis verbis dici credimus:

Non ego laudari cupio, mea Delia, tecum
Dummodo sim, quæso segnis inersq; vocer.

Atque ego quidem, vt dixi, ita sane disertim in Cod. Man. Danielis mei habetur. quin & eadem Elegia aliquid est, quod parū constat sibi; & tamen illud mihi constat, non esse Poetæ nostri. Sic est in vulgatis:

Iam subrepet iners ætas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capiti.

Legendū certe est, si illud consideramus, quod Tibullus dicit; *Dicere nec cano blanditias capite.* Nam parum esse honestum, ait, Senē amoribus & blanditiis iuuenilibus vacare: *Turpe* est enim, vt ait Naso, *Senex miles, turpe senilis amor.* Et sane ita est quoque in manuscripto Danielis nostri, quem iam sæpe attestatus sum. Elegia II. exstat etiam quiddam male proprium, & a Tibulli Venere perexigue faciens: nam vbi legitur:

Nam fuerit quicunq; loquax, is sanguine natam,
Is Venerem e rapido sentiet esse mari.

Malo legere, & omnino ita restituendum puto:

Is Venerem e rabido sentiet esse mari.

Tibulli sententia id requirit, & Epitheton nimis apud omnes Poetas frequens. Nā vt *Rapidū flumen* vocet Tibullus, & recte vocet, non tamen hinc colliget quisquā, locum illum superiorem mendo vacare. sed quanquam hæc aliaq; plurima sunt huiusmodi, vt ineptis esse fastidio possint, tamen alia quoque leuiuscula, vt sint, omittenda non puto. Ait Tibullus Elegia 4.

Iam tu qui Venerem docuisti vendere primus
Quisquis es, infelix vrgeat ossa lapis.

Libenter hoc loco scribam, si cum gratia & venustate antiqui sermonis fieri possit:

Iam tua, qui Venerem docuisti vendere primus, &c.

Vt idem auctor infra: Eleg. 9.

At te, qui puerum donis corrumpere es ausus
Rideat assiduis vxor inulta dolis.

Et alio in loco:

At tibi, quæ pretio victos excludis amantes,
Eripiant partas ventus & ignis opes.

Hæc ego omnia belle dici & festiue credo, sed & illud scio, Tibullum loqui, & defendi posse quod nos omnino nō offendit, & tamen cultius futurum existimo, si ita credamus scriptum fuisse a Poeta cultissimo. Atq; illud addam, cum huc audaciæ ventum est, vt quæ aliis placere iuxta mecum scio, eadem mihi leuiter placere sustineam fateri: addam inquam vnicam, vt dixi:

Iam tener assueuit munera velle puer.
Iam tu qui Venerem docuisti vendere primus, &c.

Secundum illud *iam*, parum suaue accidit auribus meis, nam huius loco Poeta noster mille locis, *At* reponit. vt hoc probem nihil est: sciunt qui hunc auctorem digne pertractarunt. Hactenus cum Tibullo.

Locus Lucillii apud Nonium restitutus.

CAPVT VII.

NImium honesta ratio est & cura, Auctoribus bonis, iisque præcipue quorum operibus caremus omni studio consulere atque adesse. quod in Nonii codicillis sedulo fieri eorum exposcit mala ratio & vitiositas. Nam illi certe, si qui alii omnino, possunt malæ tractationis legitime agere: sunt enim vel corruptissimi. In his magna fuit omnium cura & diligentia: ac nuper adeo Iunii nostri industria singularis se erga auctorem hunc dedit & propediem vt intelligo, Ios. Scaligeri, Magni illius Cæsaris filii, Nonium exspectamus multo integerrimum. Certe magnum specimen in Coniectaneis Varroni dicatis editur. Et quia huius industriæ laus est publica, nos quoque omnem Genium calamumque mouimus, vt ex cœcis hisce aurifodinis aliquantillum metalli proueremus. Sed nimis vereor, ne, quod aiebant antiqui, *Pannum in purpura a me sit positum. Sic tamen audentes ipsa Minerua iuuat.* Carmen est Lucillii Quadratum apud Nonium in verbo *Rogare*, habens quidem latentem elegantiam, & tamen credo hic calculus in turbido papyri æquore numerari, vel legi a quibusuis non potest Ego, vt iudico, aliquid vidi, quod Lucillii venustatem venustatemque adiuuerit. Vulgo ita leguntur versus isti:

Ferri tantum si roget me, non dem quantum auri petit,
Si se cupit, & si quoq; a me, qua roget non impetrat.

Prior versus recte se habet, alter vero plus habet, quam Lex horum carminum requirit aut permittit. hoc ego cum animaduerterem, & quid in re esset non ignorarem, vidi legendum leuissima immutatione hoc modo:

Ferri tantum si roget me, non dem, quantum auri petit,
Si se rupit, sic quoq; a me quod roget non impetret.

Facilis omnino error fuit, ex *Rupit*, *Cupit* facere, cū errore crassiori pro *Fera vite*, vna dictione *Ferabite* scripserint librarii apud hunc eundem Nonium. Sed nos ad Lucillium redimus. Hoc nimium

mirum est illud vulgo quod dici solet; *Duos apros vno in saltu captos esse.* Nam certe multum omnino dubitaui, an illa Talionis Lex, quæ apud Festũ est, posset cum Agellii illa commutari. Nunc vero maximam partem eam a me suspicionem remoui. In Agellio est: *Si membrum rupit*; apud Festum *Rapserit*, ex qua alii *Rupsit*, alii *capserit*, efficiunt: at quam effecte & integre ipsi viderint mihi placet *Rupit*. Sic certe veteres concipiebant suas leges: *Ni endicatum facit, ni suo viuit.* Illud Festi *Rapserit*, nescio vnde correpserit in textum. Sane huic Talionis Legi parum conuenit, nisi ad Virgilianos *Popas* referamus, qui *Tergora diripiunt costis*, & tamen Legem nullam talionis meretur. Sed & illud quod est apud Festum in Fœdere Latino: *Pecuniam quis nancitor habeto: & si quid pignoris nancitor* (male est in Festo *Nanciscitur*) *sibi habeto.* dici credo pro *Nancitur*, quod est nostris *Nanciscitur*. *Nancio* certe apud Priscianum est. Nisi hoc remedii adhibeas huic Legi, non satisfacias tibi, nec videre possis quid velint sibi Legis verba. nota est iam passim literarum *V*, & *O*. apud maiores conspiratio: Sic *Apos*, pro *Apus*, est apud Festum. & alia sexcenta, quibus recitandis nihil omnino est opus aliquis credo ita conciperet Legis verba, *Qui nancit, sibi habeto.* Ego non ausim, nec velim.

Locus Festi explicatus ex indicio V. D. I O. Aurati.

CAPVT VIII.

A Nullo satis, neq; pro merito laudari potest ingenium præceptoris mei, Ioannis Aurati. Hic enim vir vnicus si quam auare premit scripta sua, tam ea liberaliter in lucem, atq; oculos studiosorum permitteret; esset nimirum, nec fallor, cur neq; Robortellos suos, neque Sigonios Italiæ inuideret Gallia. Hic vir quem dico, meque cum dicere, honestum sentio, cum nuper ab eo quærerem de quodam Festi loco. qui mihi hoc, vel nullo alio interprete egere videbatur, promtissime vix perlectis verbis satisfecit opinioni de se meæ. Festi difficultas est huiusmodi: *Pennatas impennatasque agnas, in Saliari carmine spicas significat cum aristis; & alias sine aristis agnas nouas volunt intelligi.* Mirabar ego, & erat sane cur mirarer. *Agnas pro spicas aristatas* capi in Saliari Carmine. Sed nimirũ omnis admiratio ex ignoratione genus & caussam trahit. vnde etiam apud Plautum *Mirari*, pro ignorare est, illo versu Prologi Aulelariæ:

Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.

Mirabar inquam, & ignorabam quod mirabar, nec me pudet huius meæ tarditatis fecit enim illa, vt omnibus doctis hic Festi locus nunc pateat, qui antea latebat. Nec tamen existimo Ant. Augustinum, virum principem in his rebus, cuius ea Commentaria videntur doctis, quæ Festo commodissima acciderunt; nec alios plures, quos fert Italia eximios, hoc ... Festo neg...

ros fuisse, si quam locus est difficilis, tam iis facilis & peruius esset visus. Etenim leuiora attigerunt. Sed quid ego diutius Lectorem moror? Hic est viri Maximi, Ioannis Aurati, de Festi loco sensus, hæc sententia; vt *Agnas* istas *Saborum* a Græcorum fontibus accersendas puter, & quidem certissima & doctissima ratione ἄχνα enim apud illos *Acus* sunt & paleæ minutissimum illud, quod excutitur in tritura. & ita apud Aristoph. interpretem positum. Difficultas hæc illinc est, quod Græcorum Duplex in Latinorum Liquidam migrauit, quod in aliis verbis non temere factum reperias. Quid enim? tot tantosque ætatis huiusce doctissimos viros, imo adhuc rudes in Græcorũ literis, quid ἄχνη esset ignorasse credemus? qui tamen huic loco opem nullam adferre potuerũt. Illud addam, quod non incommodum Festo futurum puto, veteres, recte Isidoro *Pennum acutum* dixisse; vnde *Pennata agna*, & *Bipennis* denominata.

CAPVT IX.

Martialis Epigramma retractatum.

Elegans est in perparcum & sordidum Martialis Epigramma, in quo more suo inuehitur in auaritiam Næuoli, qui cum Luculli chlamydes togis suis æquare posset, vnamq; Tribum, (vt ait Poeta) vestire, nihil tamen amicis de tantis opibus, imo amiculis, qui frigus iniquum scapulis æquioribus ferre non poterãt, impartiebatur. Epigrammatis hæc sunt verba:

Florida per varios vt pingitur Hybla colores,
Cum breue Sicaniæ ver populantur apes:
Sic tua suppositis perlucent prela lacernis:
Sic micat innumeris arcula synthesibus.
Atq; vnam vestire Tribum tua vellera possunt,
Appula non vno quæ grege terra tulit.
Tu spectas hyemem succincti lentus amici
(Pro scelus) & lateris frigora tuta times.
Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus
Non metuas mortem. Næuole, sed timeas.

Extremum hũc versum doctissimus vir, & mihi nullo meo merito amicissimus Hadrianus Iunius ex Manuscripto exemplari doctissime restituit, cum prius nullo sensu, nedum argutia solenni constaret Epigramma. Sic igitur Iunius:

Quantum erat infelix pannis fraudare duobus
(Quod renuis) non te Næuole, sed tineas.

Ego qui hanc emendationem non damno, qui enim possim? cum ex vetustissimo exemplari ducta sit, vix tamẽ mihi tempero, atque adeo non tempero, quin eam, quam olim susceperi opinionem de hoc loco nunc exponam. Memini legere me apud Papinium Poetæ nostri æqualem arguti quiddam, sed tamen diuersum ab hoc Poetæ nostri, quod tale est. Statius Apophoretum

Gripo

Gripo miserat, carmen nimirum elegans & doctum: Gripus librũ, pro libro remisit. Vnde Statius iocatur, & enumeratis omnibus, quæ Apophoreti loco donarentur amicis, tandem ad minima gradum faciens, ait:

Quantum vel dare cereos nitentes,
Cultellum, tenuesve codicillos?
Ollares, rogo, non licebat vnas,
Cumano patinas in orbe tortas:
Aut vnam dare Synthesim (quid horres?)
Alborum calicum atq; cacaborum?

Quanta hæc est, o docti, festiuitas, quanta argutia in illo, quo suspendit auidam Gripi mentem Papinius. Nõ aliter factum puto a Martiali, qui probe in multis cum Statio, aut Statius cum illo conuenit. Itaq; libenter legam, atque adeo existimo Martialem ita scripsisse, vt subscribam:

Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus
(Quid renuis?) non te Naeuole, sed tineas?

Ecce, vt iam omnia belle consentiunt & argutantur. Illud prius (*Quod renuis*) languidulum sane est, & nullam secum elegantiam adfert, in quam desinat Epigramma. Iudicent docti, ego mihi satisfeci.

CAPVT X.

Ciceronis Loca aliquot retractata, & asserta aliorum.

MAgnam illi sequuntur laudem, & assequuntur facilime apud humaniores, qui optimis auctoribus auctoritatem pristinam & nitorem conciliant, ac cur eos maiori cum fructu & assiduitate legamus efficiunt. Illi vero hanc sibi famam cumulant, qui vt illud quod ex libris scriptis est erutum, omni ex parte non assequuntur, tamen ea fide nobiscum agunt, qua codices Manuscripti cum illis. Nimis enim vel maxime dicam, placet mihi Pet. Victorii singularis fides & ingenuitas, in iis Commentariis quæ Catoni, Varronique & Columellæ communicauit, ex quibus primum hoc capiunt fructus studiosi, quod loca plurima, quibus sese explicare non poterant, planissime ea sibi enodari intelligunt, adeoque hoc iucundissimum est, etiam sibi a talibus viris aliquid suæ coniectioni relictum loci. Quod sane, ne quid dissimulem, nuper vsui mihi venit, cum Caroli Langii, viri elegantis & docti, Commentarios euoluerem, quos ille non ita pronuper Ciceronis Officiis, & Lælii Amicitiæ, ac denique Catonis Senectuti liberaliter condonauit. in quibus equidem quid præstiterit vir doctissimus, sane mecum norunt illi, qui eius libellum vel legerunt, vel certe legisse debuerunt. Ego id sentio me & plurimum profecisse ab illo, & aliquid nisi fallor a me. Quod nunc quidem hic referam, non ea ratione, vt iudicium tanti viri

lacessam, aut attractem, sed magis vt illud ad laudem & ero[...]
let. ac primum illud, quod est in præfatione Officiorum hui[...]
modi:

Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, vt non solum C[...] tiones meas, sed hos etiam de Philosophia libros, qui iam [...] lu fere æquarunt, studiose legas.

Langius in aliquot veteribus scribi ait: (*qui iam illis fere æq[...]runt*) quod sane locutionis genus videtur mihi aliquid æqui[...] nique in sese habere. Oppius Commentar. lib. 8. *Exstruitu[...] ger in altitudinem pedum 9. collocatur in eo turris 10. tabulator[...] non quidem quæ mœnibus æquaret*, (ita enim, non *æquaretur* le[...]dum) *sed enim nullis opibus effici poterat, sed quæ superare fontis f[...]gium posset.* & apud Gellium Vetus Poeta: *Æquiparant Ioui*, a[...] illud Catulli de Suffeno (*Tantum abhorret ac mutat*) Sic eni[...]gi debet omnino. non vt in nostris est & Mureti exemplar[...] (*nutat*) quod nihili est verbum ea in re & loco. Ac illud es[...]quid, aut potius plurimum quod in libello horum Poetaru[...]te annos 60. Parisiis impresso, ita hic locus legitur, vt ego eu[...]se emendandum semper censui. Si cui vero superior illa se[...]tia Tullii minus placet, ille existimet Ciceroni accidisse, qu[...] omnibus auctorum scriptis. nec sibi tamẽ persuadeat, Tulliu[...] etiam vetustescere aliquando, vt alios eiusdem sæculi auc[...] Sed illud secum statuat, quæ nobis hominibus nouis in hac [...]nitate videntur antiquissima ea visa vel noua. vel præsentia[...]norum Posthumis Atque illud est, quod supra dixi, aut d[...]volui, hæc & alia, vt Cicerone indigna, sustulerunt sinistri [...]mentatores. Pergimus vero in Langii Commentariis. Scri[...] lib. 2 Officiorum, vbi de Phareo Tyranno & Thebe illius [...] agit Cicero; *Thracias* notas esse in Codicibus suis Hæ sa[...]cere debent doctis, et Langio ipsi, si modo illud non plac[...]bis, quod obsignandis literis & adnotandum in libris du[...] Nam & *Thraces gladiatores* sunt apud Festum, & *Thracia* i[...]ribus Manuscriptis, atque in Philippicis 2. de Antonio. *M[...] in Asia depugnauit, cum ornasset Thraecidicis comitem & f[...]rem suum, illum miserum fugientem iugulauit.* quod & C[...] facit apud Suetonium. Sæpe hic locus Ciceronis me exer[...] etiamnum exercet. nescio enim omnino, quid *Thracidi[...]* nisi forte pro armatura gladiatorum accipiendas putet [...] vel sane *Thraciis sicis* reponat. *Parma Thracia* sunt apud [...] Pergit ecce Langius gratificari studiosis, & mihi præser[...] in Lælio, vbi de commoditatibus amicitiarum disput[...] verbis: *Cumque plurimas & maximas commoditates amic[...]tineat, tum illa nimirum præstat omnibus, quod bono spe pr[...] posterum, &c.* Langius hic, vt aliis quoque locis, recte a[...] in omnibus Veteribus legi: *Bonam spem prælucet in pos[...]*

terte hic consensus optimorum exemplarium id efficere debet apud doctos, vt Ciceroni hanc lectionem, vel Lælio potius restituendam credamus. Est enim & proba, & vetus. *Tute puer Lauerna ts, luces cereum*, & *Lucere facem*, credo est apud Plautum. Atq; illud videmus in illo; *Bonam spem prælucere*, plenum esse significatione quadam sua & energiam latere in verbis, & proprie dici, quod dictum vult Lælius. Ait enim, spem bonam portendi & præferri illi, qui amicum habet egregium, nec vnquam sibi defuturũ eius officium in senectute. ac si aliqua calamitas bonorum illi contingeret, spem esse certissimam in amici officio & benignitate. Sequitur altera pagina, vbi Lælius de amicitia finem loquendi, & his verbis facit: *hactenus mi videor de amicitia quod sentirem, potissime dixisse.* Veteres libri omnes, vt idem testatur Langius, *Potuisse dicere* describunt. quod & de Lælio placere debet, & de consensu librorum veterum. Agnoscit enim vir prudens Lælius & ingenii facultatem, & quid sentiret, & quantum sentiret, satis dictum a sese vult intelligi. Nec tamen quod hic ait Langius nihili est, cum in Diuinatione (*potissime dicere*) legi ait in Veteribus, nec tamen tantum est, vt hoc loco Lælii sententiam perturbet aut euincat, quem loqui existimandum est, non Ciceronem; quanquam & Ciceronem, & Lælium. In eodem Lælio vbi legitur: *Amicitiarum sua cuique permanet stabilis & certa possessio.* Langius in Parcensi exemplari scribi fatetur: *Amicitiarum sua cuique pertinet stabilis & certa possessio.* Quam lectionem cur Cicerone indignam existimemus est nihil. Nam antiquam esse apparet & bonam. Sic *Pertinax digitus* apud Horat. & *pertinacia*, in bonam partem apud antiquos capitur. & in Scipionis Somnio: *Sol subter mediam fere regionem obtinet.* Ac sane si argutari volumus, *Pertinet*, pro *Contingit*, & *Est*, accipi posset. quinimo si *Permanet stabilis*, Ciceronis est, vt esse potest, iniucunda tamen erit inculcatio alterna. Nam sequitur e vestigio: *Nam si illa maneant.* Quare videant doctiores, & Langius ipse, quem & iam in sua caussa iudicem esse facile patiar; & lite cadere, hoc quidem sub arbitro, gloriosum mihi ducam. Hæc mihi paucula adnotare visum est, tum vt Ciceroni vetustatem curæ fuisse, possimus perpeti, & hanc in illo agnoscere; tum adeo, vt omnium studiosorũ nomine Langio gratias agerem, qui tanto nos affecisset bono; deniq; vt Verisimilia mea hac varia accessione probare se possent eruditis.

Locus Festi emendatus, & alter explicatus.

CAPVT XI.

QVod de Naturali Historia dixit quidam, *Eum doctum videri non posse, qui Plinium non legisset*; id ego sane meritissimo dicam de Festo. Hic enim auctor, si quam facit ad multa auctorũ loca, vel explicanda, vel corrigenda, tam ipse emendatus esset, &

ſui auctoris, nil eo eſſet profecto ad omne genus diſciplinæ accommodatius. Nunc vero, quia & illi id accidit vel temporis iniuria, vel hominum inſcitia, quod optimis quibuſque ſcriptoribus accidiſſe queruntur docti omnes; certe hoc vnum reſtat, vt quod aliorum ex libris huic accommodari poteſt, id illi omne liberaliter de alieno conferamus, parce tamen & pudenter de noſtro, niſi forte ſequeſtrum ad hanc rem idoneum habeamus, qui pignus ab alio occupatum iniuſte poſſit ſummo iure, & ratione euincere. *Lingulaca* (inquit Feſtus) *genus eſt piſcis, & mulier auguratrix.* Illud extremum parum videtur mihi conſtare ſibi, niſi forte antiquius eſt vocabulum, quam quod huic ſæculo notum eſſe poſſit, quod ego non arbitror. quicquid tamen eſt, eo labor, vt legendũ putem: *Mulier argutatrix.* Nam illud *Garrulatrix*, quod in margine Pompeiano eſt, mihi ineptum quiddam, ne quid grauius addam, ſapit. Ego vt *Argutatrix* reſcriberẽ, id mihi ſumſi ex Plauti & Nonii ſententia, qui auctoritatẽ non defugient ſcio. nam eam mihi iam præſtituri ſunt. Plauti in Caſina hæc ſunt;

STA Emito ſepiolas lepidas lolliguncula
Hordeias. CH. Imo triticeias, ſi ſapis.
ST. Soleas. CH. Qui quaſo potius, quam ſculponeas,
Quibus batuatur tibi os ſenex nequiſſime.
OL. Vin' lingulacas? ST. Quid opus eſt, quando vxor domi eſt?
Ea lingulaca eſt nobis, nam nunquam tacet.

Ecce vt pulcre patet ratio accepti a Plauto, & redditi Feſto. & tamen Nonius ipſe ex Varronis Papia, *Lingulacas* verboſos interpretatur. Atqui illud quoque quod ait Feſtus, *Lingulacam piſcis eſſe genus*, in ſuperiori exemplo ſeſe oſtendit facilime. Res enim illic eſt de piſcibus coemendis inter Villicum & Dominum. Nec certe Plinius hunc piſcem præteriit, aut neglexit. Ait enim: *Vocabula piſcium pleraque tralata a terreſtribus ex aliqua parte ſimilibus rebus, vt Anguilla, Lingulaca.* Quod vero ſupra eſt in Plauti verſibus; *Soleas CHA. qui quaſo potius, quam ſculponeas?* Eleganter illudit deliciis domini ſeruus. Nam *Sculponeis ſoleis* illi commitigandum caput exiſtimat, non *Sandalio.* quod fit apud Terentium. Sunt autem *Sculponea rudia & ruſtica calceorum ſeruilium genera, vt Perones.* Cato illorum meminit. Mirum vero eſt, ni *Lingulaca* illæ Plinii, quas ſupra propoſui, piſces ſunt illi, quos lingua Belgica *Tongas* appellant, a linguæ ſcilicet forma; quas Francia tamẽ *Sollas*, credo *Soleas* volens exprimere. quæ in Plauti illo exemplo etiam ſunt, vel ſane a *Lingula, gladioli genere* nomen illis manet. quod magis puto. Et tamen *Gladioli* nomen quoque ſuum apud Latinos habent, vt Xiphiæ apud Græcos Addam vnicum ex eodem Feſto, quod quidem non emendabo, ſed explicabo tamen. *Obedire*, inquit, *Obaudire eſt* Videri poſſit alicui

grauior

grauior hic difficultas, quam sane est, cum præsertim *Obaudire* dicatur, qui male audit, & famosus est; vel ille qui leuiter auscultat alienis sermonibus. at ego simpliciter interpretandum ex Plauti Persa censeo, vbi hæc sunt verba:

S A. Mane & si properas, Pægnium ausculta.
P Æ. Emere oportet, quem tibi obedire velis.

Nihil quidem hic est aliud *Obedire*, quam *obaudire* apud Festum. nisi in seruorum cōditione ludat, qui Domini nummis omne obsequium & officium legitime debere censentur. Nestor tamen nouariensis, qui pleraque quæ bona habet a Festo traducit, ita ait: *Obedire & obaudire eadem sunt.* Itaque priorem meam sententiam fugiturientem ad me recipio, & quasi de via reprehendo.

Ouidii versus vnus alterius interpolatus.

CAPVT XII.

MVlta sunt apud Auctores bonos pessime accepta a sciolis, quę quidem tolerare sit, nisi illa cum Veterum librorum ratione componat; præcipueque Grammaticorum, aut Rhetorum scriptis. At vbi illo ventum est, certa tunc mater inuenitur; pater, vti semper, incertus est, Priscianus quo libro Veterum pleraque congessit, ait quoque Ouidium *Flammesco* scriptum reliquisse in hoc versu:

Vidi ego iactatas motu flammescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

Nostri habent libri *mota face crescere*: non absurde quidem, nisi quod *Mota fax* & *Iactata flamma*, ingrata sunt superbis auribus. Illud quoque nescio quomodo placet doctis viris:

Prima malas docuit mirantibus æquoris vndas
Peliaco pinus vertice cæsa vias.

Mihi placet scribi; *mirantibus æquoris vndis.* Hoc istud Poeticum est, & Ouidio satis dignum. Nec illud respōdet palato meo, nescio an aliis arrideat, quod Eleg. 7. lib. 3 Est huiusmodi:

En quisquam ingenuas etiamnum suscipit artes?

Malim ego, si coniicere licet, aut fieri illud hoc loco debet, reponere: *Et quisquam ingenuas.* Nec enim Poeta vult credo dicere: artes liberales non suscipi & addisci, sed eo honore non esse, quo deberent, tam apud Romanos, quam apud amicam suam. Posset & illud; *En quisquam*, pro *An* positum videri nonnullis. vt apud Virgilium.

En erit vnquam Ille dies.
En vnquam patrios longo post tempore fines respiciam:

Ego nolim id suspicari: nam illud *En* Veterum, ante vocalem videtur tantum positum fuisse. Itaque ἐπέχω: & si eligendum sit alterum, potius *An* legerem. Sed ista sane res disquisitionem anxiam non meretur. Nunc adeo quod appingam, opinor, nulli bono & docto nauseam mouebit, nedum in calumniam adducet aucto-

rem. Scribit Ouidius lib. 3. Elegia 6. parum se officiosum fuisse amicæ; itaque noscit emeritum latus in vegeto & robusto adhuc corpore, nec satis persuadet sibi, quæ caussa sit huius tantæ inuenustatis. Verba Poetæ sunt hæc:

Digna mouere fuit certe Diuosq; viroq;:
Sed neque tum vixi, nec vir, vt ante, fui.

Hic videt acutus Lector, reciprocationem hanc non constare omnino suis legibus, & iuxta cum Ouidio inuenustam esse sententiæ Venerem. Quare legendum esse semper existimaui, & nunc cur idem non sentiam, certe a nullo hactenus sum edoctus:

Digna mouere fuit certe viuosque virosq;:
Sed neque tum vixi, nec vir, vt ante, fui.

Equidem hoc istud, quicquid est, neque *Centumuirali iudicio*, neque *Nongentorum cistu* reseruabimus. Nam his tantis suffragiis omnino non indiget sed potius seipsum tuetur summo suo iure, id est, ratione. Sic idem Elegia eadem:

Ah pudet annorum, quod me iuuenemque virumque,
Nec iuuenem, nec me sensit amica virum.

Istud fortasse leuiusculum videbitur, quod nunc adscribam, & tamen omittendum non fuit, cum nullum ita leue sit vocabulum, quod decenter & apto loco positum sesquipedalis alicuius vicem non impleat ait Poeta: *Obsequium tigresque domat, tumidosque leones.* Manuscript. exemplar, quod apud me est, edit, *Numidasque leones* quod vt sit verisimilius & rectius facit Virgilius, qui *Pœnos Leones*, habet noto loco; quos Cornelius Nepos *Mauros* vocat. Extremum nunc istud quale futurum sit aliis, equidem addubito; mihi certe nunquam displicere potuit, præsertim fidem facientibus antiquis libris, & ratione ipsa, quod caput est in hoc negotio. Ouidii hæc sunt

Eximia est virtus præstare silentia rebus,
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Manuscriptus Codex quem supra adduxi, diserte scribit: *Exigua est virtus*, quod aduersario illi: *At contra grauis est culpa*: pulcre opponitur. Nil grauius addam, præsertim vero cum Ouidius alibi de eadem re sic argutetur:

Quis minor est vnquam, quam tacuisse labor?

Locus Tibulli diserte emendatus & coniectura, & Veteribus libris.

CAPVT XIII.

AVdendum est pudenter in literis, si ita rei fert modus; sin ita vero non est vt fiat, audendum est tamen nihilo segnius. Talibus certe ausis benignus quidam Genius adspirat. Quid enim faciendum credimus iis Auctorum locis, quos vel iniuria temporum nobis imminuit, vel inscitia superioris sæculi aliquot suis vocibus alienauit? Certe ita sentiunt doctiores, primum libris Veteribus hanc rem, siue litem decidendam esse, post deinde si manuscriptorum,

scriptorum, quod nimis sæpe experiri cogimur, desit facultas, proximum est nimirum coniecturæ acutioris præsidium. quod ego cum semper obseruaui in his libris, tum nuper adeo in loco quodam Tibulli faciendum mihi fuit, quod nisi facinus effecissem, futurum erat sane pudore illo parum forti & subrustico, vt non solum de hoc Tibulli versu dubitarem semper, verum etiam ad hanc rem Poetæ cultissimi lectores, vigilantes (quod aiunt) somniarent. Itaque sic iudico, parum omnino abesse eum a laude summa, qui primus locum aliquem suspectum sibi audet pronuntiare, quam ille abest, qui postmodo ad eundem scopulum impingens. quid in illo periculi sit, per idem iter ingressuris benigne ostendit. Hoc ego dictum volui, quia in quodam Tibulli versu id audaciæ meum feci, vt & suspectum mihi disertim edicam, & quemadmodum emendandus videatur, etiam dicam. Locus de quo agitur est lib. 2. Elegia eadem, vbi Chærinthi Natalem celebrat Poeta: & illum ex more, Votum a Diis postulare facit; atque ex persona Chærinthi auguratur, illum felicis cõiugii & casti Votum cogitare, quod vnicum esse & præstantissimum prudenter sentit Poeta cultissimus. Eius hæc sunt verba:

Auguror: uxoris fides optabis amores.
Iam reor hoc ipsos edidicisse Deos.
Nec tibi malueris, totum quæcumq; per orbem
Fortis arat valido rusticus arua boue:
Nec tibi, gemmarum quicquid felicibus vndis
Nascitur, Eoi, qua maris vnda rubet.

His quidem versibus probe ingeniosis & doctis hoc vitii subesse libet suspicari, quod equidem si tollatur, futurum est, vt & venustiores sint, & ad ipsius Tibulli molliriem nimirum commodissimi. Hos itaque primum coniectura restitui, vt subscribam, deinde quid consilii ceperim de mea cõiectura post addam. Coniectura hæc est:

Nec tibi gemmarum quicquid felicibus Indis
Nascitur, Eoi qua maris vnda rubet.

Ego audaciam coniectandi cum mihi ipse probare non possem (quod tamen rarum est in his rebus) feci studiose, vt Aurati mei, quem in hac palæstra vnicum esse mihi iure persuadeo, iudicium explorarem, qui me non ita confidentem de coniecturæ meç syncetitate plane restituit & confirmauit. Atque hoc illum tum memini dicere (nihil auribus nostris damus lector) siquidem Tibullus non ita scripsisset, eo tamen modo scribere debuisse. Id quidem elogium tanti viri, prout debuit, grauissimum mihi tum fuit. *Quis enim* (ait ille) *damnet sua vota libenter?* Et tamen ita molli sum fronte, vt editurus propemodum non viderer, nisi certissima post auctoritate ad id essem pertractus. Namq; non ita nuper, cũ ad Petrum Danielẽ, virum optimũ & doctissimũ, venissem,

forte incidi in quasdam *Poetarum Gnomas*, lato satis & veteri charactere perscriptas, in quibus & hoc Tibulli Carmen, quod ante aliquot menses emendaram, diserte expressum reperi. Quæ me res & Aurati mei iudicium admirari, &, ne tantam studiosis vtilitatem inuiderem, sane effecit.

Propertius coniectura emendatus.

CAPVT XV.

Libet nunc, postquam Tibullo satis esse factum putamus, etiam Propertio, Collegæ illius καὶ συμποιητῇ aliquod grati animi munus exhibere, quidque ex eius temeraria prope dicam, sed vere dicam, lectione fructus fecerim, libere fateri. Propertius itaque, quem vere *Transmarinam Venerem* appellare possumus (cum propter varia in eo a Græcis tralata dicendi genera, tum etiam propter quasdam & audaces & proprias sibi Phrases, quas in alio Poeta haud temere reperias) scribit lib. 3. ad Tullum, cui iam multo tempore *Cyzicum placere frigidam* queritur, vt in Italiam redeat & patriæ officium præstet atque amicis. Hoc vt faciat Poeta, Tullum per omnes Græciæ præclaras vrbes deducit & quæ maxime in his visenda sint demonstrat; tandem, vt omnia hæc vnum in locum conferas, Italiæ tamen felicitati cessura, Propertius Tullo persuadere conatur. Inter ea vero, quæ Italiæ laudibus adscribit, & istud est, quod nec terrestribus, nec aquaticis serpentum generibus infestetur, quæ omnia in Propontide esse eum docet.

At non squammosa labuntur ventre Cerastæ,
Itala portentis nec fuit vna nouis.

Quid primo versu significetur, satis equidem liquet, quid vero sequenti, etiam atque etiam obscurum est, nullo præsertim idoneo existente sensu ex verbis incômodissimis. Ego cum accurate rem omnem dispexissem; deprehendi tandem omnino expeditius fore negotium omne, si hunc in modum relegamus versum Propertii: *Itala portentis nec fluit vnda nouis.* Hic verus est & germanus loci istius sensus, quantum quidem coniecturæ dandum est, quæ aliquando rationibus adiuta doctis tam certa esse potest, quam vel manuscripti Codicis oculata auctoritas. Nec vero difficilis est erroris huiusce ratio. fieri enim potest, vt literæ quædam vetustate ipsa non tam corrumpantur, quam etiam plane euanescant & depereant. Librarius vero posthumus & imperitior, id ipsum quod ex naufragio illo annositatis emerserit, in tabulas suas, nulla ratione in consilium vocata, transcribat. Sic optimi nonnunquam auctores & temporis iniuria, & librariorum vel imperitia, vel latissima culpa mutili atque corrupti ad nos deueniunt; & non prius medicinam accipiunt, quam vel reperto exemplari manuscripto, vel certe doctiorum coniecturis aliqua illis ex parte subueniri possit. Satis autem credibile est omnia (quæ quidem ad nostram ætatem fuerint) exemplaria manu descripta ita habuisse, quandoquidem impressa idem edant omnia. Cum autem nullo

pacto hæc labes elui potuerit, Codicum scriptorum opera, quod illi certe vnum idemque loquerentur, coniecturæ proximus fuit locus, quam equidem hic in loco referre visum est, cum vt alios ad similia auctorum vulnera sananda excitarem, tum etiam vt in hoc Propertii carmine doctiorum ingenia exercerentur, si quid forte melius repetire possent. Ioannes Auratus, quem ego virum plurimi vt meretur facio, cum illi de hac re Parisiis adessem, dicebat videri sibi duriusculam hanc esse loquendi rationem, vt *Vnda portentis fluere* diceretur, nihilominus si id probarem, vel apud alium Poetam, vel etiam apud eundem esse auctorem, sibi vehementer placituram esse coniecturam meam, cui ego eadem in Elegia similem dicendi modum esse persuasi ipso statim versu primo:

Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua.

Addebat hic Auratus noster, & Musarum, etiam hoc modo legi posse versum: *Itala portentis nec facit vnda nouis*, vt non aptam esse alendis monstris Poeta significet. Quod autem attinet ad *Fluit* nostrum, non vno id loco sollicitatum est in Propertio. nam lib. 4. Eleg. 9. quæ de morte Caci est, ita Anus luci respondet Herculi fontem quærenti, & fontem luci illius, quem Anus illa incolebat, ait vero:

Dii tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis
Auia secreti limitis vna fuit.

Certe hoc loco, *Fluit* legendum est, nam & hoc sententia requirit, & Ara maxima ab Hercule post excitata, ad quã puellis adire nefas esse voluit vltro Hercules. & alibi:

--- Non illa mihi formosior vnquam
Visa, nec ostrina cum fuit in tunica.

Et hic credo commode, *Fluit*, legas. Sic Tibullus: *Vt mea luxuria Nemesis fluat.* Ego, quid mihi de superiori loco, & his paucis optimum videtur, iam exposui, & satis, vt volo, feci. Si cui vero vel manuscriptum exemplar, vel coniectura ipsa melius suaserit, libẽs lubensq; de opinione mea abiero.

C. Calphurnii Poeta locus interpolatus.

CAPVT XV.

EXstat suaue inprimis & iucundum parentis rustici cum filio colloquiũ in iis quæ Bucolica appellat Calphurnius. hic persuadet nato pater rustica hac viuendi ratione nihil esse tum beatius, tum etiam optandum magis; docetque interea iam senescẽs pater, quæ vera sit disciplina rerum rusticarum, quis modus, quæ conditio: cum de ouium tonsura abunde dixit, venit ad earum notas & signa, quæ nisi fallor extremo in armo imprimi consueuerant, tum vt hoc quasi signo vicini pecus in agro compascuo, suis inuitum gregibus dignoscatur, tum vero vt lites molestæ euitentur, quæ ex hac re suboriri possunt. verba Calphurnii sunt hu-

——— Viui quoque pondera melle
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impressurus oui tua nomina nam tibi lites
Afferet ingentes lectus possessor in aruo.

Monet hic pater filium, vt gregem totum sibi designet & inscribat, rationemque aliquam addit, sed ridiculam sane & nullius sensus; imo alicuius, sed peruersi. videtur enim dicere hac ratione imprimenda ouibus nomina dominorum, vt lites nobis conciliemus. quod ipsum indignum omni ratione est, & a sententia Poetæ longe est alienissimum. Ego qui in his rebus, vbi desperata est salus, more meo vtor, reponendum & rescribendum coniicio:

——— Nam tibi lites
Auferet ingentes lectus possessor in armo.

Hic versus, & hæc senilis ratio quin syncera, & prope dixerim Calphurnii sit ipsa, nihil equidem dubitare me fateor. Dicit vero Poeta, vel Senior potius, hac ratione notandas oues, vt * lites euitentur multæ per hanc *armi signati Legem. Lectus possessor* hic aliud nihil est, quam nomen ipsum possessoris lectum in armo pecudis suæ. De hac ratione nominum imprimendorum parum sane apud auctores bonos legere memini, nisi illud Virgilii, quod ex Georgicon 3. est, & multum & plurimum facit ad Calphurnii sententiam.

Post partum cura in vitulos traducitur omnis:
Continuoq; notas & nomina gentis inurunt.

Sed & Festus *Signare*, inquit, *significat modo scribere, modo annulo signa imprimere, modo pecora signis notare* Et alio in loco: *Dignorant, signa imponunt, vt fieri solet in pecoribus.* Illud autem prius, *Lectus possessor in aruo*, qui defendet sibi, Calphurnio quæso ne defendat. Ab illo enim hoc ego defendendum, depellendumq; censeo. nam & languidulum est & ineptum, & a Calphurnii maiestate nihil omnino facit. Hactenus.

Festi Pompeii loca duo.

CAPVT XVI.

Multa legerit oportet, multa cogitarit, plurima vero meminerit, qui Festi Pompeii, auctoris antiqui, Fragmenta non resarcire: quod nefas est, sed aliqua tamen ex parte quid in multis velint sibi, ostendere possit & velit. Nos sane illud, quod Canis e Nilo delibabimus, nimirum paucula, & sic effugiemus non Crocodili assultus, sed tamen reliqua Festi opera interrupta, minasque murorum ingentes. At bene habet, quod hoc nostro seculo Architecti plures doctissimi hoc Festi opus in commune locatum habent, cuius certe redemtionem etsi non sperét, aliquando suis tamen posteris illam a Repub. literaria euenire posse prudentes intelligunt. Ego quidem etsi illis artificib. me adiungi fas non

puto, idem tamē in illorum posthumis me esse facile possum perpeti, dum tamen eodem iure laudis ercifcundæ vel diuidūdæ cum illis, pro rata parte, vti frui mihi liceat. Sed nos tandem locato operi manum demus. Festus in Saliari Carmine *Promenerua*, ait significare, quod *Monet* apud nostros. Sciendum vero Horatium, cum de obsoletis & obscuris Veterum carminib. disputat ad Mæcenatem Epistola illa doctissima etiam Saliarium Carminum meminisse, ait enim:

Iam Saliare Numæ Carmen qui laudat, & illud
Quod mecum ignorat solus vult scire videri, &c.

Itaque quod ignorare se fatetur Horatius, illud equidem & nobis exhibere negotium pati possumus. Sed & illud huc facit, quod apud Festum nullum Carmen est Saliare, sed nuda tantum verba aliquot, ex quibus quid efficias, etiam atque etiam dubitandum est. *Promenerua* tamen quid originis habeat, possum cum Festo intelligere. Nam ille alio loco, quod & apud alios memini obseruare, *Mineruam a bene monendo dictam scribit.* quanquam Cornificius apud illum satis suo iure, *quod fingatur pingaturque minitans armis* appellatum putet. Hoc illud est, quod in Saliari Carmine *Promenerua*, pro *Monet*, accipi debere ait Festus. Ac sane *Meneruam* veteres dixisse non dubito, vt *Deanā*, & Deū quem antea *Diū* vocabant. vnde *Me Dius Fidius*, quod nescio, an apud Festum recte pro Iouis filio Hercule accipiatur. Et Dii sane ipsi facile arguunt, patrem sibi Dium esse, quod est Iouem. Quod volo comprobat etiam Cato Senior, cuius apud Festum hæc sunt verba:

Domi cum auspicamur, honorem me Dium immortalium velim habuisse, serui, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit. Sed hoc loco ineptissime ad marginem repositum est, *Deum*, quod in Festo nimis frequenter factum est ab imperitis. Non possum hic me continere, quin, quod ad rem pertinet, adscribam vnicum, quod Grammaticos frustra torsit hactenus, & etiamnum torquet scio. Id est huiusmodi. Sæpe apud Terentium est, & Comicum Plautum: *Quid me fiet?* quod illi sic expediunt sibi, vt esse putent, *Quid de me fiet?* Quasi vero, si id voluissent, non ita quoque extulissent antiqui, sed nimirum indulgent sibi Grammatici nimium quantum, & errant, qui hoc cum illis sentiunt. Nam pro eo *Quid mi fiet?* ponitur apud Terent. & alios, quod satis ex Festo licet colligere, qui ita scribit: *Me pro mihi dicebant antiqui, vt Ennius cum ait: Si quid me fuerit humanitus, vt teneatis. & Lucilius: Nunc ad te venio, vt quæ res me impendet agatur.* Sed & Plautus pro me facit, & Terentium interpretatur, cum scribit in Bacchid. & disertis verbis enuntiat quod volo: *Quid* (inquit) *mihi fiet?* Quod solum potest esse satis ad sententiam meam confirmandam. Et tamen vnum aut alterū locū Festo

addam, & mihi interim consulam, & illis satisfaciam, si fieri id quidem potest. qui nihil aliud sunt, quam Grammatici. Itaq; Varro Rei Rust. libr. II. *Non minus res admiranda cum mi esset dicta, in Arcadia, scio me esse spectatam suem, quæ præ pinguitudine carnis non modo surgere non posset, sed etiam vt in eius corpore sorex excisa carne nidum fecisset, & peperisset mures.* Et apud Plautum in Aulularia.

> *Neque partem ab eo, qui qui est, inde posces, neque furem excipies?*
>
> *LY. ita. EV. Quid si fallis LY. Tum me faciat, quod vult magnus Iuppiter.*

Addam pro corollario Capitis huius, rationem, cur *Me* pro *Mi* dixisse videantur Latini. primum illa est certissima, quod hæ literæ E. & I communem habent familiam, & modo in hanc, modo in illam transeant, altera & mea ratio hæc est. puto ego antiquos *Mei* scripsisse, comprehensis literis Græcorum more, vt in aliis casibus, quod constat postea abiectum esse alteram vocalē, quod in aliis etiam factum scimus ab antiquis. Sic *veiam* dicebant *plaustrum*, & *Veiarios* stipites, & *Veiaturam*. Ac illud Varronis maximè facit ad sententiam meam, *Viam ab antiquis Veiam esse dictam a vehendo.* Sed Plauti illud nimium est verum: Sapienti verbum sat est. Sic & *Sibe*, & *Tibe*, quæ pro *Tibei* & *Sibei* in antiquis monumentis sunt. Sequatur itaque qui volet sententiam quam volet, ego quod volui effeci; at quam effecte & concinne, iudicent doctiores.

L. Apulei locus vnus correctus, & alter illustratus.

CAPVT XVII.

APuleius in iis, quas pro se scripsit, Apologiis sane ostendit, quantus vir fuerit. nec ego vereor dicere, quicquid alii sentiant & occentent, doctissimum fuisse hominem, & (quod præcipue vrgent illius aduersarii) Latinæ linguæ vel exactissimum Censorem, quod equidem, si vnus veniat, demonstraturum me facillime confido. Scribit hic Philosophus, oris & dentium munditiem obiectam sibi, tanquam ea Philosopho indigna essent, quod volebat calumniator Æmilianus, Apuleius in contrarium vrget, & probat nil minus, quam oris illuuiem libero & liberali viro cōuenire. Eius verba, quibus sententiam suam affirmat, sunt isthæc: *Plane quidem, si quis ita vt tu Æmiliane, nunquam ferme os suum nisi maledictis & calumniis aperiat, censeo, ne vlla cura os percolat, neque ille exotico puluere dentes emaculet, quod rustico carbone de rogo obtriuerit; neque saltem communi aqua perluat, quin ei nocens lingua, mendaciorum & amaritudinum præministra, semper in fœtutinis & olentiсetis suis iaceat. Nam quæ malum ratio est, linguam mūdam & lotam, vocem contra spurcam & tetram possidere? viperæ ritu, niueo denticulo atrum venenum inspirare? Ceterum qui sese sciat rationem promturum neque inutilem, neque iniucundam, eius merito os*

vito os vt bono potui poculum prælabitur. Nihil hic est in verbis propriis& elegantibus quod offendat, nisi illud vnũ, quod extremum est: *Vt bono potui poculum prælabitur*. Neque enim sensus exsistit aliquis, ne dicam vllus. Ego itaque qui didici veteres V, & B, nonnunquam confundere, cum *Cluentium Habitum*, pro *Auito* scribunt & *Abere* pro *Auere*, atque olim in Pauli quodam loco doctissimorum iurisconsultissimum & iurisconsultissimorum doctissimum Cuiacium *Abita patrimonia* pro *Auitis* accipienda docuisse; ita hoc in loco legendum puto; *bono potui poculum prælauitur*, pro *Prælauatur*. Alium nunc locum proferam, non quidem æque obscurum, quamuis & obscurum, & pessime interpunctum: *Primo igitur*, inquit, *legerunt e ludicris meis Epistolium de Dentifricio, versibus scriptum ad quendam Calphurnianum, qui cum aduersus me eas literas promeret, inuidit profecto cupiditate lædendi, si quid mihi ex illis fieret criminosum, id mihi secum esse commune*. Difficultatem huic loco peperit *Inuidia*, imo *Inuidit*, verbum inuisum & ignoratum iis, qui hæc descripserunt. Vult enim Apuleius dicere: Calphurnianum, cum versus illos, quos de dentifricio subscribam contra Apuleium aduersariis prodiderit, non vidisse, hoc est, *Inuidisse*, se sibi iniuriam facere, si modo aliquod crimen acciperét versus, vel darent auctori. Sic Ausonius.

> *Ignoscenda isthac, an cognoscenda rearis,*
> *Attento, Drepani, perlege iudicio.*

Pro iis dicit qui premi debere indicantur, versibus. Sic itaque rescribendus est Apuleii locus: *Primo igitur legerunt e ludicris meis Epistolium de Dentifricio, versibus scriptum ad quendam Calphurnianum; qui, cum aduersus me eas literas promeret, inuidit profecto cupiditate lædendi, si quid mihi ex illis fieret criminosum, id mihi secum esse commune*.

Nunc addam, pro corollario Capitis huius ipsos Trimetros Apulei, tum quia lepiduli sunt, tum quia emendatione quadam egere mihi videntur:

> *Calphurniane salue properis versibus.*
> *Misi, vt petisti, munditias dentium,*
> *Nitelas oris ex Arabicis frugibus,*
> *Tenuem, candificum, nobilem puluisculum,*
> *Complanatorem tumidula gingiuula,*
> *Conuerritorem pridiana reliquia,*
> *Ne qua visatur tetra labes sordium,*
> *Restrictis forte si labellis riseris.*

Secundum illum versum ita constituo: *Misi, vt petiuisti, munditias dẽtium*. Reliqua huiusmodi sunt, vt ne Momus quidem ea refellat, nedum ego, qui auctoris gloriæ imprimis faueo.

Locus Festi syncere emendatus ex auctoritate Quinctiliani Rhetoris.

CAPVT XVIII.

Quantum Grammaticorum & Rhetorum auctoritati dandum sit, in iis præsertim quæ apud Festum sunt obscurissima, nemo est, modo aliqua humanitate imbutus, qui non videat. Ego quidem ea semper opinione fui, vt Grammaticis & Rhetoribus in hoc negotio primas tribuerem, idque non aliena ratione, cum & illi meliora habuerint exemplaria, & diligentius excusserint omnia; tum denique quod nihil omnino citarent, quod non ad rationes suas & regulas (quas vocant) peropportunum esset. Quod quidem vti manifestius fiat & illustrius, Festi locum vnum adducam, quem in omnibus libris esse corruptissimum scio, nec potuisse coniectura facile sanari, aut expleri, etiam scio. Sic habet Festus: *Recipe apud Catonem pro recipiam, vt alia eiusmodi complura.* Id mihi quidem prima facie rude & impolitum videbatur, ita hanc dictionem terminari apud Catonem, & tamen qua ratione adiuuari Festus posset non sane videbam; adeoque de loci istius emendatione desperabam, cum paulo post temporis in Oratorios Quinctiliani libros incidi, in quibus deprehendi statim ipso initio gratum quiddam mihi, sed quod Festo ipsi numero gratius sciebam fore. Quinctilianus itaque quo loco de Orthographia multa scribit luculenter & grauiter, Catonem Censorium in verbis fere omnibus, in quibus A scribimus, illum E scripsisse ait, adeo vt *Dicem* & *Faciem*, pro *Dicam* & *Faciam*, reliquerit. sed præstat ipsius auctoris verba adscribere: sunt illa huiusmodi: *Quid? non Cato Censorius, Dicam & Faciam, Dicem & faciem scripsit? eundemque in ceteris quæ similiter cadunt, modum tenuit? quod & ex veteribus eius libris manifestum est, & a Mesalla in libro de S. litera positum.* Si eundem certe, quod vult Quinctilianus in similiter cadentibus modum tenuit, dubio procul apud Festum, *Recipiem*, legendum est, & ita locus reponendus: *Recipiem apud Catonem, pro Recipiam, vt alia eiusmodi complura.* Huc addendus & alter locus Festi, qui eadem medicina indiget. *Attinge* (inquit Pompeius) *pro attingam posuere.* Hoc quoque loco, *Attingem* reponendum esse vident docti omnes. Itaque nos manum de Tabula.

Agellii aliquot loca.

CAPVT XIX.

Scribit Agellius libro primo, capite XV. probe a veteribus & scite dictum esse, eorum orationem qui plurima & incondita & temeraria effutirent; in ore nasci, non in pectore. Sunt vero Agellii hæc verba: *Qui sunt leues & futiles & importuni locutores, quiq; nullo rerum pondere innexi, verbis humidis & lapsantibus diffluunt: eorum orationem bene existimatum est in ore nasci, non in pectore. Linguam autem debere aiunt non esse liberam, nec vagam: sed vinculis de pectore imo, ac de corde aptis moueri, & quasi gubernari.* Cum in hunc locum incidissem, mirabar equidem illum tanto tempore

pore medicina caruisse: cum facilime sanari posset, resectis, quæ superfluæ sunt, quibusdam literis. Quid enim est dicere, *Linguam debere vinculis de pectore imo, ac de corde apertis moueri?* Quin potius imo rectius legimus hoc modo: *Linguam autem debere aiunt, non esse liberam, nec vagam, sed vinculis de pectore imo, ac de corde aptis moueri, & quasi gubernari. Vinculis aptis*, hic est, aptatis & alligatis, a Græcorum ἅπτομαι. Ne vero nouum, vel potius inusitatum quibusdam videatur, adducam Catulli locum, vbi idem verbum similiter accipi intelligimus. Scribit itaque ille; *Aptis sarcinulis & expeditis.* vbi substrictas & alligatas sarcinas, quæ in viam deferuntur, accipere debemus. Et Virg. 3 Georgicω̃n.

—— Dehinc, vbi libera colla
Seruitio assueuerint, ipsis e torquibus aptos
Iunge pares, & coge gradum conferre iuuencos.

Sic illum superiorem Agellii locum semper esse enodandum censui, cum non longo post tempore contigit mihi exemplar manuscriptum, vetus quidem illud & emendatum satis, sed hoc solo peccans, quod non omnes Agellii libros contineret. In hoc exemplari hic locus ita legebatur: *Sed vinculis de pectore imo, ac de corde aptissimo vehi.* Quod esse corruptum statim sensi, sed tamen suspicioni meæ, quam de hoc loco multo ante habuissem, vehementer facere. Si enim distinguas illa, fiet, *Aptis si mouebi.* Nunc autem sæpe accidit, vt eandem literam geminent librarii. quicquid id est, tandem *Aptis* emergit & remanet. quod ipsum Agellii loco optime conuenit. sed nos ad aliam transeamus. Eodem in libro Capite VII citat Agellius versum Plauti ex Amphitruone, sed corruptum, nam legit: *Non vero mihi in mentem fuit.* aliter manuscriptum illud Collegii Trilinguis exemplar in quo exstat, *Numero mihi in mentem fuit.* Et in Codicibus Plautinis ita exprimitur, vt apud Agellium est rescribendum. Ad finem istius Capitis sunt hæc verba: *At si explicuit, diceret, imperfecto & debili numero verborum sonus clauderetur.* Rectius, vt mihi quidem videtur, est in manuscripto illo, quod sic habet: *Imperfecto & debili numero verborum sonus clauderet.* Adiungam & vnum locum, qui est Capite IIX. de μεταμελείᾳ Demosthenis; *qui cum ad Laidem adiret, sibique corporis sui copiam fieri rogaret: Lais μυρίας δραχμὰς ἢ τάλαντον poposcit: hoc facit, nummi nostratis denarium decem millia. Tali petulantia mulieris atque pecuniæ magnitudine ictus, expauidusque Demosthenes, auertit iter: & discedēs; Ego, inquit, pœnitere tanti nō emo.* Hic Codex manuscriptus syncerius multo habet & rectius legit n. *Pecuniæ magnitudine ictus, expauidusq; Demosth. auertitur, & discedes, &c.* Forte & in hoc loco legēdū ēn: *Demosth. auertit, &c.* Agellii n. hæc sunt, aut ego fallor. Nunc vero si priorem illam & Agellii lectionē sequimur, bis idem inculcari videbimus. Quid enim aliud

est, *Auertere iter*, quam *discederet*: sed *Auerti*, vel *Auertere*, longe aliud vult. idque plerumque ex pauidis & attonitis accidit. præsertim vero risu excipientibus dictum alicuius ridiculum, vt sese auertant, & secum mirentur, & rideant soli.

LVCÆ FRVTERII BRVGENSIS VERISIMILIVM LIBER II.

Locus Plauti ex ipso auctore emendatus.

CAPVT I.

QVanto antiquior est auctor quispiam, aut remotior a vulgi sordibus, hoc & corruptior, & fidei peioris esse conueniunt. Sciunt illi me nihil dare auribus meis, quibus ea felicitas est, vt libros manu descriptos apud se habeant; & arbitrari ex re nata possunt, quod nobis vt alloquamur egregio labore constat. Et tamen quicquid id est nostrum, tam placere debet studiosis, quam illud quod ex eorum refici potest libris, vel non potest credo semper, nam & illi nonnunquam sunt corruptissimi. Nimirum Plauti hic locus, quem adducam fidem faciet sententiæ de his nostræ. Extat ille in Menechmis vbi insolenter suaque sponte insanientem generum socer a lorariis in medicinam sublimem dari iubet, quem, vt forte obuiam fit, seruus Sosidis liberat Messenio; cui pro ea re gesta surreptitius ille optima quæque apprecatur, atque:

Et Dii tibi semper adolescens, quisquis es, faciant bene.
Nam si absque te essem, hodie nunquam ad solem occasum viuerem.

Paucis credo hic Plauti locus suspectus fuit, & qua ratione emendaretur etiam credo paucis illis obscurum fuit, mihi vero & suspectus fuit semper, & multa auctoris optimi lectione, quid vitii esset latente caussa paulo post deprehendi. Nam vbi id consilii in auctore aliquo veteri tenes, vt omnes illius elegantias, & dicendi flosculos caute obserues, dici vix potest, quantum auxilii ad loca aliquot corrupta & difficilia pararis tibi, quod nos pro nostro ingenio in singulis auctoribus obseruamus, & sic Plauti locum esse rescribendum censemus:

Et tibi Dii semper adolescens, quisquis es faciant bene.
Nam absque te esset, hodie nunquam ad solem occasum viuerem.

Hæc Phrasis, *Absque te esset*, ita Plauto est familiaris, vt exemplis supersedendum mihi putarim. Belgica quoque lingua nostra id antiquitatis seruat: nam dicimus, *Ten hadde voor vgevvest.* illud superius, *Nam si absque te essem*, pingue quiddam sonat & versum perturbat. Itaq; dicit Menechmus, si Messenionis præsenti auxilio

silio caruisset, sibi eo die moriendum fuisse. Illud vero, *Ad solem occasum*, ex Formulis antiquis est desumtum, in quibus erat: *Sol occasus suprema tempestas esto.*

Marci Varronis locus apud Nonium restitutus.

CAPVT II.

QVamuis hoc in stadio literarum currentibus nulla nonnunquam palma exspectanda est, imo nulla exspectanda est aliquando, hac re tamen eripi nobis non potest, quin elegantissimam Varronis de vitæ humanæ stadio ancipiti sententiam, quoad eius fieri potest, emendemus, & in numeros suos restituamus. Vt enim Terentius noster venuste vult dicere, Nemini Fortunam perpetuo esse bonam, nec a carcere cœpto itinere, æquabili cursu ad metam contendere, ita sane vt hoc dicat verbis commodis & suis apud Nonium destituitur, & quod est caput rei, peruerso verborum & versuum numero pleraque sibi non constant. Ita legis apud Nonium:

Nemini.

Fortuna currum a carcere intimo missum leui
Inoffensum per æquor candidum ad calcem sibit.

Hæc omnia quam elegantem sententiam habeant, non dicam; quam tamen efficere debeant, vti volo speroque, proponam. Sic itaque legendos Varronis versus existimo:

Nemini Fortuna currum a carcere emissum intimo,
Leue, inoffensum, per æquor candidum ad calcem tulit.

Nunc dicam, & vident omnes, quid hoc loco facinoris fecerimus, primum illud *Carcere intimo missum*, mutauimus pro ratione carminis Quadrati, & scripsimus, *Carcere emissum intimo*: ex *sibit* autem, quod nequam est, & nihili vocabulum, *Tulit* fecimus, prudenter credo & commode. Certe *Subit*, quod aliquis ex *Sibit* effici posse crederet, huic loco perexigue faceret, imo dicam, quod sentio, ineptissimum esset. Quare videant doctiores, an aliquid viderimus, nos quidem nobis satis fecimus.

Accii Plauti locus ex Festo emendatus, qui nullis libris manuscriptis adiuuari potuit, nisi ipsius Plauti Chirographus.

CAPVT III.

SÆpe hoc mecum optare soleo, ne Typographica res illis temporibus enata esset, quibus quidem literæ aliquæ fuerunt, non tamen in eam dignitatem & splendorem venerant, quo in splendore & dignitate nostro esse hoc sæculo conspiciuntur. Quod licet votum meum quibusdam placiturum non est, ego tamen cur ita exoptem rationem studiosis exponam & doctis, quorum calculum facile me assecuturum confido. Nolo hic commemorare, quanquam res est grauissime perniciosa, quot quantisq; non mendis literariis, sed vero emendationibus malis cõtaminarint auctores bonos, quod indies magis magisque apparet; sed illud oculis

sic. is scribere & meminisse non possum, horum hominum improbitate atque inscitia antiquissimos nobis Codices funditus perisse, quos Vulcanus omnes *sterilibus flammeis* inuoluit, ne quid mali furti aut probri ad superos efferret postmodum. Et vereor sane, ne Telchines isti locum nobis Plauti corruperint, quem nunc emendare meditor, certe in omnibus, quæ quidem viderim exemplaribus (vidi autem quamplurìa) omnibus iisdem literis versus editur. vt suspicer Librariorum culpa factum, qui antiquæ vocis interpretamentum in textum coniecerint, priore illa & optima voce, sed illis nimirum incognita, violenter & præter æquum loco suo emota. Locus Plauti, ne longũ faciam in Amphitruonis Prologo existit, quem ego malæ possessionis titulo Prætoria cautione eiectum legitime multabo, ipsumq; loci dominum inducam, qui violenta ratione possessionis suæ caussam & modum perdidit. Plauti locus ita se habet:

Nunc hoc me orare a vobis iussit Iuppiter,
Vt conquisitores singuli in subsellia
Eant per totam caueam spectatoribus,
Si cui fautores delegatos viderint,
Vt his in cauea pignus capiantur toga.
Siue etiam qui ambissent palmam histrionibus,
Seu quoiquam artifici, seu per scriptas literas,
Siue qui ipsi ambissent, seu per internuntium,
Siue adeo Ædiles perfidiose cui duint,
Simil em rem ipse in legem iussit esse Iuppiter,
Quasi magistratum sibi alteriue ambiuerit.

In his credo nullam esse fraudem existimant plurimi, atque idem existimatum est iam toto sæculo a viris doctissimis. mihi tamen hospiti quodammodo & peregrino in his rebus, quæ humanitatis rationem subducunt, non modo non videtur tolerari posse, quod vrgeo, sed vero exturbandum longissime, quicquid est glossariæ improbitatis. & ex Festo ipsissima Plauti & antiquissima *in-φερ ns* restituenda videtur, quod equidem iam iamque effectũ dabo, si prius, vt omnia legenda censeo, describam. nam & priora cum corruptela sunt, & facilime iis succurri potest tum ex Chirographis, tum apertissimis coniecturis. Sic itaque totum locum rescribo:

Nunc hoc me orare a vobis iussit Iuppiter,
Conquisitores singuli in subsellia
Eant per totam caueam spectatoribus.
Si cui fautores delegatos viderint,
Vt his in cauea pignus capiantur toga.
Si vero qui ambissit palmam Histrionibus,
Seu quoiquam artifici, seu per scriptas literas,
Siue ipse ambissit, seu per internuntium,

Sint adeo Aediles perfidiosi cui duint,
Siremse lege iussit esse Iuppiter,
Quasi Magistratum sibi alterius ambiuerit.

Ecce vero nunc ea subscribam, in quibus alium me præsto a superioribus illis, primum illud, *Vti his*, ex Codice Chyrographo est. quod sequitur autem: *Si vero qui ambissit*, nostrum, quicquid est tandem, hoc est. In omnibus quidem est, *Siue qui ambissent*, quod nec ad versum, nec ad Plauti venustatem aliquatenus facit, nostrum illud, *Si vero*, nec mihi quidem maxime placet, dum tamen exemplaribus melioribus caremus, in his Verisimilibus meis hoc ludicrum appareat licet. *Ambissit*, denique ex ratione legitima eductum est, sic enim antiqui concipiebant legum suarum verba, vt dicerent. *Qui contra hæc eterit, fecerit, faxit, fasit*. adeoque hic præsens esse possit *Ambissit*, si infelici quadam argutia hic opus est omnino. Nunc illud est, cum me esse Tullium exoptem, vt quibusdam durissimæ ceruicis hominibus ceruices adeoq; cerebrum ipsum emolliam, quanquam illis non ita anxie placere isthæc cupimus, & cupimus tamen. nam omnibus omnino prodesse velle debemus. si modo hæc ratio disciplinæ humanitas vocanda est, vt vocitanda est certe. Magna quidem res hoc in foro vertitur, cui tamen in iudicium deducendæ facilis sane labor & obuius fuit. At vero qui hanc rem, siue litem approbare tantæ concioni difficile foret illi, qui rem ab alio vix enarratam satis, ipse vellet perorare incognitam. Sed ego spero omnibus bonis pro me facilia fore hæc omnia. Itaque hoc dico, carmen illud quod in nostris exemplaribus insedit, glossam esse Grammatici cuiusdam qui sciret, voculam illam quæ hic desideratur (*Sirempse*, nimirum, est ea) significare *Similes eadem ipsa res.* Sic enim Paulus apud Festum: *Sirempse dicitur, quasi similis res ipsa. habetur hoc in libris Catonis.* Ecce vero quod dico; nec dubitandum, cum audimus eadem propemodum personare. namque habemus: *Similem rem ipse in legem iussit esse Iuppiter.* In quo si non hoc animaduertas versum esse alienum a Trimetris legibus, omnino tamen Latinitatem requiras. Poterant equidem scribere: *Similem ipsa legem iussit esse Iuppiter.* Sed malo, ita vt auctus in veteribus est, ediderint locum, quam illud ingeniosæ fallaciæ obiecissent nobis. Illud enim effecissent hoc pessimo suo bono, vt via, quæ iam quasi manu duxit me ad veram credo Plauti elocutionem, ea plane mihi facilis & peruia esset visa; nec quicquam pœne desiderassem. nunc vero ex illis reliquiis male consarcinatis hoc boni emergit, vt erroris occasionem cum mecum inierim, cum omnino nihil dubitem, quin Plautus cum Catone & sæculo suo scripserit. *Sirempse lege iussit esse Iuppiter, &c.* hoc erit: *Simile re ipsa lege.* quod cum ad marginem ex glossis Veterum adiectum esset, Librarii (quod nimis heu frequenter perpetrarunt) hoc illud in textum con-

tulerunt, non tamen sine labe quadam, cum de versu ageretur, alioqui iisdem procul dubio verbis edidissent scio, vt in multis auctoribus factum iustissime dolemus, atque vt semel dicam quod sentio certe nescio quid velint illa verba: *Similem rem ipse in legem iussit esse Iuppiter.* Quid est enim? *Similem rem in legem iussit esse.* Sed nimirum ita suspicari libet in margine fuisse *Simili re ipsa,* quod est, Sirempse; indeq; deformatam bellam istam & festiuam phrasim. Atqui dicat aliquis, Cur non & reponis, cum sequi vestigia huius glossæ debeas: *Sirempsem legem iussit esse Iuppiter?* Respondet huic obiectioni Sosipater Charisius, Principis notæ Grãmaticus, *Siremps tantum duos casus accipere,* principem nimirum, & quo Græci destituuntur in suis. Itaque hoc loco *Sirempsem* inculcari non posse, aliud quod reposui, genuinum esse Plauti deierem. nimirum dicit Comicus, iouem, Theatrales hasce notas, & culpas ea lege sancire, qua puniuntur ambitus rei, siue in sua caussa, siue aliena ambiuerint. Verba sunt Catonis apud Festum, quæ non male facerent nostræ suspicioni, si modo integra essent, & tamen vt vt sunt adscribam, sunt vero huiusmodi:

——— *Cato in dissuadendo le* ———
——— *licta est, & praeterea rogas* ———
——— *ea si populus condemnau ve* ———
——— *siet quasi aduersus le* ———

Sremps, in his fragmentis postrema linea paruisse mihi videtur, nempe hoc modo:

Siremps siet, quasi aduersus leges egerit feceritue.

Eadem ratione & Plautus loquitur, cum ait:

Sirempse lege iussit esse Iuppiter,
Quasi Magistratum sibi alterue ambiuerit.

Atque illud addam pro corollario Capitis huius, etiam verba hęc solemnia fuisse in Legibus antiquatum harum Legum vt scriberent: *Siremps Lex esto.* Hæc sunt apud Festi Commentatorem Italum:

DE. EO. AGRO. SIREMPS. LEX. ESTO.

In alia tabula.

SIREMPSQVE. EIS. VIATORIBVS. DEQVE. EIS. VIATORIBVS. Q OMNIVM. RERVM. IVVS LEXQVE. ESTO. QVASEI. SEI. EI. VIATORES. IN. EAM. DECVRIAM. IN. TRIBVS. VIATORIBVS. ANTEA. LECTI. SVBLECTI. ESSENT. QVAM. IN. QVISQVE. DECVRIAM. FORVM. EX. HAC. LEGE. VIATOR. LECTVS. ERIT. SIREMSQVE. EIS. PRÆCONIBVS. DEQVE. EIS. PRÆCONIBVS. QVÆSTORI OMNIVM. RERVM. IVVS. LEXQVE. ESTO.

Sciendum deniq; Plautum maxime curiosum fuisse omnis vetu-

statis

statis legitimæ, omnibusque iisdem verbis vti. quod pluribus locis obseruauimus, nec opus est hoc loco nos multos esse in istis, quæ doctos homines quidem iuuare nō possent, indoctis autem vererer ne cerebrum excuterent. Itaq; sapientibus verborū credo est datum satis. Nos manum de tabula quod aiunt.

M. TER. Varronis loca duo apud Nonium emendata.

CAPVT IV.

Plurima sunt apud Noniū Marcellum, nō incelebrem Grammaticum, quæ vel ad elegātias Veterum faciant, nisi plerumque corrupta sint, & male accepta ab indoctis & sunt nonnulla, imo dicam compluria, quæ ad vitam & mores informandos plurimum & adferunt fidei & disciplinæ; nisi & illa quoque maximā partem in litura essent, & fallerent parum cauti lectoris securitatem. Nos quidem, qui id consilii & rationis habemus cum Musis atque auctoribus bonis, vt illorum sententiam non perfunctorie transeamus, nec (quod faciunt plerique) vt in omnibus idē dulcedinis sibi fingāt, id nos imitamur in his rebus. Dum igitur nuper apud Nonium, quod *Sacrum* esset veteribus, addisceremus, Terentii Varronis elegantissimam *γνώμην* eruimus. namque illa reuera demersa erat exscidio. Ecce ita habes in Nonio:

Signata sacra esse desierunt, posteaquam homines sunt facti.

Equidem ex his inelegans sententia exsistit, & tamen si vnica vocula accedat, optimam sententiam effeceris, & versum, qui nullus iam cernitur, Quadratum eduxeris. Nimirum ita sapiet Varro:

Signata sacra esse desierunt, postquam homines facti sunt sacri.

En tibi verissimum atque præstantissimum elogium viri sapientissimi. cur illud extremum addiderim, iam vident docti: sed magis credent necessario adiiciendum fuisse, si intelligant Noniū, *Sacrum*, pro exsecrabili & scelesto, interpretari eo loco, quo hunc adducit Varronis versum. Atqui in superiori illo nihil erat, quod ad scelestos referres, & vero ludit in Paronomasiis frequenter Varro, cum dicit; *Sacra resignata*, euulgata, & prostituta esse cœpisse; cum iam homines scelesti & sacri sunt effecti. Addam nunc locum Varronis alium, qui quidem maiori industria eguisse videbitur doctis, & merito sane, sed tāmen nescio, quo fato mihi obuenit leuissime, vt pleraque omnia, quæ a coniectura mihi sunt oborta in his libris. Locus est in Nonio, vbi, quid *Saperda* sit antiquis, diligenter annotat. Nimirum *Saperda elegans & sapiens vocabatur.* Hoc vt probet, Varronis isthæc citat ex Menippæa, quæ Modius inscribitur:

Omnes videmur nobis esse belli, festiui saperda, cum simus κάπετοι.

Nihil hinc credo venustatis captat eruditus lector. namque qui hic sunt κάπετοι, vel κάπετοι, quod alibi credo exstat. Ego qui scio Varronem pro more suo ludere, non dubito, quin legendum sit, vt subscribam:

Omnes videmur nobis esse belli, festiui, saperda, cum simus σαπροί.

Sic tandem aliquid dicit Terentius, ne plurimũ dicam. Quid hic σαπροὶ sint, qui *Saperdis* opponuntur, sciunt qui vel primoribus labiis Græcas literas attigerunt. Itaque verbum non addam.

Ex Fragmentis veterum Poetarum loci plures restituti.

CAPVT V.

MAgno sane cum bono atque voluptate elegantium ingeniorum Fragmenta veterum Poetarum venerunt in lucem, quæ prius improbo labore (nam quo nomine appellem hanc industriam?) Robertus Stephanus ex variis auctoribus collegit: post deinde Henricus Stephanus illa in commodiorem methodum redacta nobiscum communicauit. sed hoc miror, hominem ingeniosum tot tantisque mendis leuissimis dico conniuisse, sic ego appello illa (ne quis his ὑπερφρονεῖν me putet) quorum emendatio ita mihi nihilo constitit, vt aliqua non prius perlegerim, quam emendarem. Atqui hoc dico, ne quidam male feriati homines hæc ita esse ingeniosa putent, vt ipsi sese ingeniosos præstent in meis scriptis. quod etiam Martialis abhorruit, sed maiori fateor cum ratione, quam nos, quibus capitalis isthæc ingeniositas futura non est, quod Martiali euenire poterat, si quis Epigramma aliquod, ficto quod plerumque facit nomine ambiguum, in aliquem directum detorsisset. sed nos ad rem veniamus. Ordiemur autem ab Achille Accii, qui primas in Fragmentis tenet; ac prius fateor leuiusculum erit, sed fortasse ad Accii sententiam magis faciet, quam illud quod est in nostris tale:

Ne tum cum feruat pectus iracundia.

Quin potius reponimus:

Ne dum cum feruat victus iracundia.

Ac sane vt dicam quod sentio, isthæc leuia nullam grauem auctoritatem mereri debent, & in adiaphoris ponantur licet. quod iam appingam spero grauius futurum doctis. Accius Æneadis vel Decio:

Calleti voce, canora fremitu peragrãs minitabiliter. Ecce omnia quidem hæc nulla sunt, quæ aliquid erant nimirum, si leuissima mutatione ita scribamus:

Gallanti

Gallanti voce, canoro fremitu peragrant minitabiliter. Alius hic credo: *Calenti voce*, etiam reponi posse contenderet. ego dubito an satis ad maiestatem Accii faceret ista caliditas. Itaq; ἐπέχω: Hoc illud superius, *Gallanti voce*, nemini nouum esse debet, qui modo legerit apud Nonium, *Gallare*, & *Gallulascere*. Næuius exodio: *Puerum mulieri præstare nemo scit quanto melior sit, cuius vox gallulascit, cuius iam ramus roborascit.* Nonius, *Pubescit* interpretatur, nescio a qua caussa, sed nimis sæpe Nonius ad secundas caussas nos reiicit, cum priores tamen ignoremus. Atqui illud non hic omittam, mirari me, quid hæc verba ad Decium Accii faciāt, quæ satius Baccharum titulo cōtinerentur. sed fieri potest, quod infrequens non est in Nonio, vt suo loco non positus sit versus, vel sane inscriptio sit falsa. Et cum hæc est harum rerum cōditio, vt fere semper dubitandum fluctuandumque sit nobis, dubito & ego de superiore facinore meo, atq; vel in illis sub, *Galleis voce*, nomen Tragicocomediæ latere, vel etiam denique legi posse: *Galle tibi voce canora fremitum peragunt minitabiliter.* vt alieno loco inculcatum videri possit. Eodem in Decio est aliquid, quod credo non sibi constat, id tale est: *Et nunc quod eorum segnitas ardet focus.* Malim ego simplicius & rectius, nisi fallor, legere: *Fenū, quæ eorum segnitas, ardet focus.* Aliquis Argutior credo etiam legeret ex superioribus vestigiis: *Et nunc Deorum segnitate ardet focus.* Ego non ausim Deos hoc crimine, quo vulgo tamen vrgētur, vrgere prius minus ambiguum videtur mihi, & sequendum magis. Pergimus. Accius Andromeda:

> *Quod beneficium haud sterili in segete Rex te obesse intelligis.*

Hic quoque, vt alibi, semper hærendum est lectori incauto; negligenti vero omnis fructus perit. dicam breuibus, quod in re est. ita legendum existimo cum sua quadam venustate:

> *Quod beneficium haud sterili in segete, Rex, te obsesse intelliges.*

Ecce vt grata est Andromeda, vt pure eloquitur, quod tacere sine probro non possit. *Obsesse* hic est pro obseuisse, vt in Metaphora maneat Andromedæ oratio. Hic latebat vitium, quod sublatum & carmen pulcerrime fulcit, & Acciū nobis hac in parte imitandum proponit. cuius & hoc, quod nunc adscribam, perturbatum est. Namq; vbi legitur apud Macrobium in Accii Armorum Iudicio:

> *Nam trophaum ferre me a forti viro pulcrum est: si autem & vincar; vinci a tali nullum est probrum.*

Non satis, credo, intelligitur, quod genus carminum lateat. Ego existimo Trimetros constitui posse, si ita reponamus:

> *Trophaum ferre me a forti pulcrum est viro.*
> *Si autem & vincar, vinci a tali nullum est probrum.*

Imo etiam sic scribi poterunt, vt propius ad vestigia superiora accedamus:

——Nam trophaum ferre me a forti viro,
Pulcrum est; sin autem & vincar, vinci a tali nullum est probrum.

Sic sane torquere nos debemus in rebus hisce ambiguis & perplexis. Sed hic Protheus, cum ita nonnunquam se permittit in varias formas, fieri non potest, quin scopum meditetur, quem his rationibus persæpe assequitur. Habes in eodem Armorum Iudicio: *Virtuti is par, dispar fortunis patris.* Sane legendum est, si rationem Trimetri spectamus:

Virtuti sis par, dispar fortunis patri.

Et Virgilius cum idem exprimere voluit, mecum paria facit. dicit enim:

Disce puer virtutem ex me verumq; laborem;
Fortunam ex aliis. Accius Epigonis:
Nunc pergamus, suppliciis placans cælitum aras expleam.

Hæc omnia non tam ad Cælitum opem respiciunt, quam ad Herculis cuiusdam ἀλεξικάκου industriam, quæ ita præstari potest, si neglectis monstris hoc iter insistamus: *Nunc pergam, vt suppliciis placans cælitum aras expleam* Hic non tantum illud præstitimus, vt emendaremus corruptum locum, sed etiam versum quadratum constituimus, qui antea erat nullus. Pergimus. Accius ἐπὶ ναυσιμαχῆ:

Mundam falso sanctam obtexis sanguine, atq; acerbos alta in amni corpore expleuis hostico.

Equidem hoc loco nihil in mundo est mundum, & in mundo est tamen nobis, vti emẽdemus isthæc & purgemus. Henricus Stephanus, *Mundam* hanc suspectam habet; nec id iniuria. namque hoc in vocabulo omnis elegantia Latinitatis demersæ est quasi adobruta Ego ita legendum credo:

——Vndam falso sanctam obtexi sanguine,
Atq; aceruos alta in amni corpore exstruxi hostico.

Ecce vt elucent omnia, quæ antea tenebricosa erant maxime, vt sapiunt auctorem suum, quæ prius insipida barbariem meram olebant. Hadrianus Iunius, vir singularis, in Nonio suo pronuper edito ita legit; ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ: *Cum Andriam vndam, &c.* atque ita legitur in Noniosi, quod ignorabam ἐπιναυσιμαchumandria: *Mundam, &c.* Ego de *Andria vnda* nihil vnquam legi. etiam credo, *Scamandriam vndam falso sanctam obtexi sanguine*, legi posset. Sed hæc semel dicam μάλα ἀμφίβολα sunt, quę tamen si vsus veniat, defendi possent. Nunc ecce Accii versus pulcerrimos & floridissimos, quos ego quidem multis olim tempestatibus sapere docui, vel (quod est verius) consistere perfeci in pedes suos, vnaque literula adauxi audaculus. Apud

Nonium

Nonium veterem propemodum & nouum ita leguntur: Accius Myrmidonibus:

Tu pertinaciam esse, Archiloche, hanc prædicas.
Ego peruicaciam aio & a me vti volo.
Nam peruicacem dicis me esse, & vincere
Perfacile patior, pertinacem nil moror.
Hæc fortes sequitur, illam indocti possident,
Tu addis quod vitio est, demis quod lauas datur.

In olim impressis inepte legebatur: *demis quod laudatur.* Nos id ante annos aliquot vidimus, & emẽdauimus, *Laudi datur.* Quod gaudeo Iunium nostrum in Chirographo suo deprehendisse. Verum nos ne actum agamus, iam denuo hos versus describemus, vt secundus, qui est in istis antiquitatem suam legitime obtineat. ait Actius:

Tu pertinaciam esse Archiloche, hanc prædicas.
Ego peruicaciam aio, & ea me vti volo.

Vide mi Lector, quid ausus fuerim, vbi legebatur credo inuenuste:

Ego peruicaciam aio, & a me vti volo:

Feci, *Ea me vti volo.* quæ dicendi Lex in antiquorum Edictis persæpe est obuia, vt exemplis esse opus nõ existimem. Pergimus nos Accii telam detexere. Scribit ille iisdem Myrmidonibus:

Quod sicut decuit ista res mecum, aut mem. mertaret dolor,
Iam diu inflammari & ardere naues vidissent suas.

Achillis hæc sunt verba, deuorantis iniuriam Regis securo in littore. vnde strages Græcorum conspiciebat pertinaci lumine. Sed hoc nihil est, nisi describamus versus ipsos qui latent:

Quod si vt decuit ista mœchũ, aut me eius mœraret dolor,
Iam diu inflammari, ardere naues vidisset suas.

Iam hic addam, nihil me tribuere primo illi versui, quem forsan peruertisse possum: sed illud assero, secũdum bene habere. namque illud quod est in vulgatis, *Iam diu inflammari & ardere,* nihili est. & Grammatastri infelicis commentum, qui aliquid desiderari crederet. Sed antiqui non ita ineptiunt in hisce minutulis, vt hoc sæculo facimus nos ipsi, & nefas putamus, ac maiestatem Latini sermonis nobis periisse clamitamus, si non semper has cõiunctiones interseramus, quas neq, Sallustius obseruauit, vt diligenter adnotat Cornelius Fronto, nec Cicero credo ipse. Sed nimirum isthæc, vt alia multa, Ciceroni violẽter extorta sunt a suis asinis, *Cicerocianis* volui dicere. Accius Neoptolemo:

Vbi nihil contra rationem, & quam habuit assensit silens.

Quod ex his verbis colligas nihil est, quod emendes aliquid est, nimirum ita erunt emendata aliquatenus:

Vbi nihil contra rationem aquam habuit, assensit silens.

Versus nunc est, & sententia non mala, quę prius nihili erat & ne-

quam Est & in Neoptolemo locus, qui nullis placere possit, cum mutilus sit. Est autem talis:

Do & pudet qua grauium me, & vero piget.

Piget etiã nos huius loci. nescio enim quid sibi velint hæc omnia. Ego si mihi satisfacere hic vellem, ita legerem:

Dolet pudetq; Grauum me, & vero piget.

Non hic dicam, quid coniecturæ meæ tribuendum sit. namque in his rebus alea quædam iacienda semper, neque Venerem sperare possimus timidi. Sed & illud meminisse debemus, frequenter omnino pro Venere Canes damnosos subsilire. Hac re tamen nobis eripi non potest, quin & tertium in Neoptolemo locum indicemus. *Decorare* (inquit) *est satius, quam vrbem tanius.* Nescio quid hic decori sit in principe vocabulo, quod neque sententiam aliquam facit, & ipsum tamen id efficere poterit, si legamus,

Deos ornare est satius, quam vrbem tanius.

Etiam credo hoc nostrum nihili est; atque vtinam semel ea felicitate essent literæ, vt Nonium purum putumque haberent, meaque hæc ludicra ad me redirent, quibus ego quidem vti frui, vt meis possem, non tamen Accii esse cogerer profiteri. Hæc nos quædam a Nonio mutuabamur, quorum pleraque si reuiueret Nonius, sua esse negare posset, scio. Namque quo non torquemus inuita quædam? Sed vero vehementibus hisce atque inueteratis corruptelis & morbis, acribus omnino remediis depugnandum est.

Albii Tibulli carmen emendatum atq; expositum.

CAPVT VI.

Tibullus quo loco Sulpiciam sacrificantem describit his fere verbis agit:

Natalis Iuno sanctos cape thuris aceruos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie, tibi se lætissima compsit,
Staret vt ante tuos conspicienda focos.

His versibus Poeta Dominæ suæ ornatum, & caussam illius Iunoni acceptam fert, sed vero vti hoc dicat, commodis credo verbis non vtitur, latetque secundo in carmine leue quidẽ mendum, & tale tamen mendum, quod sententiam auctoris peruertit, atque antiquitatis rationem nobis subducit. verum enimuero facile tolli potest, & sublatum nescio quantum venustatis afferet secum, ipsiq; Tibullo plurimum Romanæ simplicitatis concedet. Nam certe iam ineptit cum ait: *Tota tibi est hodie.* Credo elegantius ita loquimur: *Tota tua est.* atque ita scripsisset, si hac voce vti voluisset. Sed aliud in herba latet, & legendum est, quantum

rum ego indico: *Lota tibi est hodie.* Sic idem Poeta de eadem Sulpicia ad Martem:

Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Calendis.

Ecce hic est: *Sulpicia est tibi culta*, vt supra: *Lota tibi est*, & *Compsisse*: nec ego ad hanc emẽdationem tam adductus sum duriore illa Latini sermonis ratione, quam vero solemni quadam antiqui moris lege, qua cautum erat, vt qui ad Deos accederẽt, *flumine*, vt ait ille, *viuo sese abluerent.* post deinde cetero etiam cultu essent conspicui. de manuum ista ablutione, vt pluria dicam, nihil est. vnum illud Plauti satis est, quod in Aulularia legis huiusmodi:

Ego, nisi quid me vis, eo lauatum, vt sacrificem.

Denique Pollux ἀπονίψασθαι inter σεμνύνοντας θεούς locat.

M. Catonis locus apud Gellium explicitus, vt quo legi debeat indicatum.

CAPVT VII.

QVæ exstant M. Catonis apud Gellium de *matrona bene dotata*, atque de *seruo receptitio*, ea non tam corrupta, quam obscura; neque tam obscura, quam inepta videri possunt; si vt in omnibus impressis frequentantur, ita eis temere vtendum putemus nobis. Catonis hæc sunt:

Principio nobis mulier magnam dotem attulit. Tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestate non committit, eam pecuniam viro dat mutuam: postea vbi irata facta est, seruum receptitium sectari atq; flagitare virum iubet.

Ex hoc Catonis loco quid *Receptitius seruus* veteribus fuerit, doctissime colligit Gellius & Verrii Flacci, qui multo aliter sentiebat, opinionem promtissime refutat. Atqui pulcerrimis hisce in verbis illud vitii est, quod & distincta sunt perperam & non intellecta ab illo, qui continuam Catonis dictionem a reliquo orationis corpore diuulsit. debet vero legi hoc modo:

Principio nobis mulier magnam dotem attulit, magnam pecuniã recipit, quam in viri potestate non committit.

Nunc quæ me ratio, vt ita sentirem legenda isthæc, mouerit, dicam; primum totius orationis æquabilitas, deinde vnica Prisciani auctoritas, qui apud veteres *Tuto* in vsu fuisse affirmat. Denique vltima hæc ratio optima est, quam Agellius ipse præstabit nobis. namque eodem Capite ita scribit: Sed vereor vt nonnihil vacillet locus:

Ipse etiam Cato mulierem demonstrare locupletem volens:

Mulier, inquit, magnam dotem dat, & magnam pecuniam recipit:

Hoc est, & magnam dotem dat, & magnam pecuniam retinet.

Hoc vnum etiam auidissimis sufficere poterat. sed aliquid

quoque a Sosipatro veniat opis nobis. Scribit ille 3. libro Grammatic.

Sustuli, eius perfecti instans Sustulo est, atqui dicebant antiqui Magnam dotem ad nos attollit: Cato: Magnam dotem attulit, quod geminum est. Dotem attollit est adfert. Dotem attulit, est dotem attollit.

Et vero ne longe abeam, Virgilii quendam locum subtiliter & vere interpretari libet mihi, qui talis est:

Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe putaui
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus
Pastores ouium teneros depellere fœtus.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Certe cum dicit Poeta, *tantum alias inter caput extulit vrbes*, hoc dicere eum existimo, Romam inter alias vrbes tantum excellere atque efferre caput, quantum exsuperant viburna cupressi. & credo sane a præsenti maiestate, & politia commendat Romam, atque *Extulit caput* attollit & effert, hic significare lubet suspicari, alii olim tritam insistant viam. mihi placet call.s musteus.

Ennii versus apud Gellium integritati suæ restituti.

CAPVT VIII.

APologus est Æsopi Phrygis apud Gellium libr. 2. cap. 29. de amicorum & propinquorum leui & inani fiducia Verba sunt Gellii: *Hunc Æsopi Apologum Qu. Ennius in Satyris, scite admodum & venuste versibus quadratis composuit, quorum duo postremi isti sunt, quos habere cordi, & memoriæ operæ pretium esse hercle puto:*

Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm,
Ne quid exspectes amicos, quod tu agere possis.

Cum hos versus apud Gellium legerem, etiam atque etiam dubitabam de fide exemplaris mei, recurri itaque ad Aldi codicem, vt aliquid opis mihi ille præstaret, sed idem omnino apud illum reperi. Putaui igitur nihil esse reliqui præter coniecturam. feci proinde studiose id & nauiter: & extorsi tandem istud boni, vt versum Quadratum, quod Gellius volebat, efficerem. sic itaque legebam:

Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm,
Ne quid exspectes amicos, quod tute agere possies.

C quoque Plinius Epistol. lib. 2. ad Octauium in eandem sententiam scribit: *Sed dispice, ne sit parum promisum, sperare ex aliis, quod tibi ipse non præstes.* De hac suspicione mea aliorum facio iudicium. certe huic loco nil aptum magis inuenire potui, præsertim vero cum vnius literæ adiectione omnis difficultas tollatur.

Tute,

Tute, reposui, & hiatus omnis indecens tolleretur, & alioqui prior lectio retineri possit. nam sæpe apud Comicos obseruare est, vocales aliquando non absumi. id quod a Græcorum Poesi traxit Romana antiquitas.

Festi locus ex Nestoris sententia vere emendatus.

CAPVT IX.

Vilescunt, adeoque ridentur superioris fere sæculi auctores Grammatici, inter quos Nestorem, Catholicōtem, Dachū, & alios numerari video. qui quidem omnes, vt rudi & indocto sæculo claruerunt, ipsi tamen ætatis suæ principes exstitere. quin etiam hoc dicere ausim plus veræ diligētiæ ab eorum vn ... in studiis positum esse, quam hoc felici sæculo a decem aliis. adeo obscura erant & impedita omnia, vt nil præclarum esse persuaderent sibi, quod non idem & obscurum, & difficile exsisteret. Quæ certe res, miserumque eorum fatum, illis esse me æquum iudicem dedit semper, atque adeo ad eorum lectionem pellexit. Nuper itaque cum Nestoris Nouariensis Dictionarium percurrerem, deprehendi statim plurima, quæ ille ex Festo, Nonio, ac Donato, aliisque Grammaticis citaret, multo diuersissime legi iis in libris, qui nobis quotidie in manibus sunt. Feci igitur studiose, & locos aliquot cum Codicibus nostris contuli, & sæpenumero variā lectionem, eamque rectissimam obseruaui. Inter alia vero, quæ ex Festo adnotaram, vnum fuit mire elegans & rectum, quod erat huiusmodi. Scribit Festus, *Cracentes* ab antiquis pro *Gracilibus* positos; idque confirmat Ennii versiculo, qui talis est: *Succincti gladiis media regione cracentes.* Scribit e diuerso Nestor in verbo *Gracilis*, & inter alia veteres *Gracens*, pro *Gracilis* dixisse persuadet, Festi auctoritate adiutus; quæ ex superiori illo loco deriuabatur. Ceterum Nestor, *Grasentes* legit; & sic versum Ennii reponendum docet:

Succincti gladiis media regione grasentes.

Id certe quin rectū sit, & prope dicam Festi ipsius, nil sane obstare puto: nihil enim absurdi fit, si a *Gracilis*, *Gracens* fecerint antiqui; cum e diuerso multo sit obscurissimū illud *Cracentes*; tametsi & hoc Plautino quoq; suffragio firmari ac defendi possit, qui *Crassari*, pro *Grassari* vsurpauerit in Pœnulo; cuius loci enodatio tot tantisque sæculis doctos homines occupatos habuit; & certe a nemine facile ex coniectura inuestigari poterat; præsertim vero cum Lector omne cascum, sacrosanctum esse ipso nomine, tum te sciat: & putet omnio quiduis etiam ineptissimum auribus, modo antiquum sit, rectum & incorruptum esse.

Loca duo Propertii correcta ex Sosipatri & Diomedis sententia.

CAPVT X.

NVnc etiam Propertio suus a Festo dandus est locus, qui licet a te, Murete doctissime, ex Veterum codicum fide sit etiam doctissime emendatus, est tamen in eo (quantum quidem per ætatem iudicare mihi licet) aliquid, non dicam a te minus excussum (hoc enim vel suspicari piaculum esse ducerem) sed tamen ex Grammaticorum fide emendandum & restituendum. Id cum tibi aliquando Parisiis ostenderim (cum te in has Musarum sedes opportunissima Cardinalis tui Estensis legatio adduxisset) tuoq; iudicio approbarim, non temere me facturum putaui, si his libris coniectaneorum insererem. Est vero huiusmodi. Propertius libri II. ad Cynthiam Elegia penultima, vbi de vini incommodis agit, sic scribit:

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.
Me miserum, vt multo nihil es mutata Lyæo.
Iam bibe, formosa es; nil tibi vina nocent.
Cum tua propendent demissa in pocula serta,
Et mea deducta carmina voce legis.

Sic versus hi in omnibus, quæ quidem viderim, exemplaribus leguntur. nec id immerito; cum præsertim in manuscriptis quoque codicibus, vti suspicor, nulla sit diuersitas. idque ex scribentium audaci vecordia effectum sit, qui & veteri illa & proba lectione offensi eam suo loco emouere sunt ausi. Debet vero versus ille,

Cum tua propendent demissa in pocula serta.

legi hoc modo, quem Sosipater hic præscribet. Hæc autem sunt ipsius verba: *Serta, fœminine extulit Propertius, & Cornelius Seuerus.* Propert.

Cum tua propendent demissa in pocula serta, &c.

Seuerus: *Huc ades Aonia crinem circumdata serta.* Ex hoc Sosipatri loco versus ille Propertii emendandus est, & alioqui animaduertit Lector Charisianum istud & mollius esse & rotundius, quam prius illud, quod & rude est, & ingratum. Et de hoc plus satis. ad alia veniamus. Diomedes, vbi de *Nexo* multa meminit, veteres *Nexo, nexis, & nexisti* dixisse persuadet. idq; auctoritate Propertii, quem ita scriptum reliquisse testatur Elegia 6. ad Cynthiam:

At tibi, qui nostro nexisti retia lecto, &c.

In omnibus certe impressis Codicib. *Tendisti retia lecto*, legitur, non quidem absurde, sed minus recte. quandoquidem id a sciolo quodam immutatum suspicari libet. Semper autem Grammaticis in hac parte credendum est; qui & doctiores sunt, & attenti magis, quam rude illud Librariorum, sed audax genus. Quare consulerem illi, qui veteres auctores, Salustium, Plautum, Apuleium pristinæ dignitati suæ restituere conatur; idque ope,

atque

atque ex fide codicum manuscriptorum; prius quidem in Grammaticorum lectione diligentem esse; eosque omnes locos quos adducunt exscribere: & sic demum illos cum scriptis libris contendere.

Næuii Carmen apud Gellium antiquitati suæ restitutum.

CAPVT XI.

AVlus Gellius cum, quid *Rescire*, & antique & noue significet, luculenter ostendit, versus Næuianos pro sententiæ suæ confirmatione adducit. Sunt vero hæc Gellii ipsius verba: *Aliter dictum esse Rescire, aut rescire apud eos, qui diligenter locuti sunt, nondum inuenimus, quam super his rebus, quæ aut occulto consilio latuerint, aut contra spem opinionemve vsu venerint: quanquam ipsum Scire, de omnibus communiter rebus dicatur, vel aduersis, vel prosperis, vel insperatis, vel exspectatis. Næuius in Triphallo ita scripsit:*

Si vnquam quicquam filium rescivero
Argentum amoris caussa sumsisse mutuum:
Extemplo illo te ducam, vbi non despuas.

Hos Næuii versus cum nuper admodum legerem, & Trimetros esse animaduerterem, sensi continuo alterum illum pede vno longiorem esse. videbam vero, Librariorum, vel sciolorum potius inducta audacia verbum antiquum loco motum: proque eo, nulla metri ratione habita, nouum istud successisse. Vetus autem, adeoque Næuii ipsius erat; *Sumse*, pro *Sumsisse*. quæ verbi Syncope antiquis valde frequens fuit. Legebam itaq; versus hos modo illo quem subscribam:

Si vnquam quicquam filium rescivero
Argentum amoris caussa sumse mutuum:
Extempulo illo te ducam, vbi non despuas.

Sic hosce versus esse legendos ipsa metri ratio & adductum illud, adeoque rotundum & plenum Næuiani Carminis pondus desiderat. Videntur autem hæc a patrefamilias seruo dici, cui minatur grauem multam dominus, si filius vel ipsius opera, vel alterius certe instinctu argentum mutuetur ab aliquo. Erant autem apud antiquos Serui, filiorumfamilias plerumque & comites & inspectores vitæ totius ac morum. *Sumse*, quod reposui, & antiquum est & probum; adeoque auctoritate nulla indiget. Similia enim mille in Veterum libris reperias, in quibus & illud Horatii quoque:

Seruius Oppidius Canusi duo prædia diues
Antiquo censu natis diuisse duobus.

Tertur. pro *Diuisisse*. Sic Catullus alibi:

Aut facere ingenua est, aut non promisse, pudica
Aufilena fuit, &c.

Terentius denique in Adelphis non paulo absurdius verbum ha-

bet, quam illud Naeuii: *Non tu eum hic modo rem produxi aibas.* *Extempulo*, iussi imprimi. non tam quod prius illud ineptum Naeuio & antiquis esse putarem, sed quia *Extempulo*, magis a Veteribus vsurpatum viderem. Posset certe, *Exitemplo*, legi, quum etiam in primo versu hiatus ille non absumatur. Postremum vero illud vide an a Festo lucem aliquã accipere queat, ita inquam scribente:

Doliola (inquit) *locus est in vrbe sic appellatus, quia inuadentibus Gallis Senonibus vrbẽ, Sacra in eodem loco doliolis reposita fuerunt, qua de caussa in eodem loco ne despuere quidem licebat.*

Et de hoc Naeuii satis. nunc ad alterum quendam Festi locum veniamus.

Festi Pompeii locus.

CAPVT XII.

HOc ego emendationis genus esse praesentissimum iudico & optimum, quod ex ipso auctore auctoritatem accipit & vigorem. Itaq; Festi illud quod subscribam, vel mihi placere debet, vel displicere doctissimis: existimo enim me rem factam habere & expeditam; sed alii forte, qui plura & legerunt, & meminerunt, quam aetas mea adhuc adolescens, vel legisse potest, vel meminisse, aliud a me diuersum sentient. & tamen committere nolui, etiam dispendio existimationis meae, quam sane vix ipse sustineo, quin de loco quodam Festi, quod videretur mihi, libere pronuntiarem. *Aduosem* (inquit Festus) *aduersarium significat & hostem.* Ego sane quod sentio dicam. sentio ego vocem hanc, vel obscuritatis habere nimium, vel esse interuersam & corruptam, legendumque *Aduostem*. *Aduostis* inde accessetur, quod idem Festus, *Fostim* pro *Hoste* dictum scribit antiquis, vt Foedum, pro Hoedo. V vero cum F, plurimum habet notissimae affinitatis. Quare vltra nihil probandum videtur; nec sane quod sententiae meae addam habeo. Viderint docti, si quid ego vidi, vel certe ipsi dispiciant melius. mihi namq; inuisum & ignoratum est illud Festi aenigma, si non est Librariorum potius commentum, vel incuria, quod equidem mihi persuadeo.

Laberii versus peruersi, in Trimetros suos restituti apud Gellium.

CAPVT XIII.

LIbrariorum audax & inscita industria multos nobis auctores mutilauit atque corrupit, quum pleriq; versuum ignari, omnisq; adeo Antiquitatis rudes, audebãt tamen quiduis inuertere & immutare. hac ratione, ni fallor, inducti; quod nil putarẽt a posteris intellectum iri, quod nõ idem & ipsis in promtu & notitia exstitisset. Nuper id expertus dico. Legebam per otium Gellii librum 10. in cuius 17. capite iniucundam Historiam & miserã omnino deprehendi, Democriti videlicet propriam priuamque

excoeca-

excæcationem, quam ille suis luminibus attulerat, vt contemplationes animi vegetiores exactiores essent, si eas videndi illecebris & oculorum impedimẽtis liberasset. *Id factum* (inquit Gellius) *modumq; ipsum, quo cæcitatem facile solertia subtilissima conscivit, Laberius Poeta in Mimo, quem scripsit Restionem* (sic enim repono ex manusc. codice, cum in omnibus, *Rectorem*, nullo hodie ti sensu legatur) *versibus quidem satis munde atq; graphice factis describsit: sed caussam voluntariæ cæcitatis finxit aliam, vertitque in eam rem, quã tum agebat non inconcinniter* (vetus codex, *Inconvenienter*, habebat) *Est enim persona qua hoc apud Laberium dicit, diuitis auari & parci, sumtum plurimum ἀσωτίαν τε & propinationẽ adolescentis filii deplorantis. Versus Laberiani hi sunt:*

Varro Plan. Restionem citat.

Democritus Abderites Physicus Philosophus clypeum
Constituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere vt posset splendore æreo, ita radiis
Solis aciem effodit luminis, malis bene
Esse ne videret ciuibus: sic ego
* *Fulgenti splendore in pecuniam volo*
Lucificare exitum ætatis meæ,
Ne in re bona videam esse nequam filium.

*al. *Fulgentis splendore pecuniæ.*

Hos ego versus corruptissimos semper iudicaui, non tam quod Trimetri esse desiissent, quã etiam quod haberent verba aliquot non satis, vt videtur, syncera. Sed præstat de singulis rationem inire, vt sic tandem iustam summam conficiamus. ego igitur sic eos restituendos autumo:

Democritus Abderites Physicus Philosophus,
Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere, vt posset splendore æreo.
Ita radiis solis aciem effodit luminis,
Malis bene esse ne videret ciuibus.
Sic ego fulgenti splendore in pecuniam
Volo elucificare exitum ætatis meæ,
Ne in re bona videam esse nequam filium.

Hæc certa est numerorum ratio & dispositio, quam mihi coniectura leuis suggessit. De versuum genere nil addubito. de illa autem emendatione mea nihil grauius, tantum hoc dicam, & a sensu Laberii esse & nostro. Vult enim Pater ille, pecuniæ splẽdorem, sicut clypei illius, exstinguere sibi ætatis suæ exordium, siue extremam senectam. Hoc enim per *Exitium*, vel *Exitum ætatis* intelligere Laberium puto. *Elucificare*, est lucem eripere; *Exitium* vero pro *Exitu* apud Festum legimus, etiam ex Veterum sententia, qui in tali significatione vocabulum istud habuerunt.

Catulli locus examinatus.

CAPVT XIV.

VAlerius Catullus, quum monstrosam Cælii, & Quinctii in-

uenum duorum cum sorore & fratre libidinem, versibus munditer factis, eleganter describit, vehementer ambigit, vtri horum fauere debeat impensius: tandemque inducitur memoria officii inofficiosi, quod illi aliquando præstiterat Cælius, vt in illum fauorem suum totum conferat. Sunt eius hæc verba:

Cui faueam potius? Cæli, tibi: nam tua nobis
Perspecta exigit hoc vnica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas.

In his versibus non tam verborum & sensus rectam rationem, quam fidem desidero: adeoque subdubito, num modo isthæc exstent in scriptis libris, præsertim vero cum videam impressos omnes, non *Exigit hoc*, edere, sed *Exigitur*. quod ipsum parum Latinum cum sit, ex illo tamẽ, nisi fallor, syncera lectio deriuari potest. Quid enim vitii oblatum Catullo erit, si pro *Exigitur*, *Est igitur*, legerimus, sicque versum restituamus denique?

Cui faueam potius? Cæli, tibi: nam tua nobis
Perspecta est igitur vnica amicitia,
Cum vesana meas, &c.

Igitur, hic est *Tum*, cui mox Poeta *Cum* subiungit. & talis sententia est: Cæli, me tibi fauere est æquum: nam vnica amicitia tua (id *Officiositatem*, cum Veteribus possumus appellare) perspecta est tum, cum me *παιδεραστία* vehementius occupatum haberet. Illud *Exigit hoc*, aut spurium est, aut certe a male sedulo quopiam, ac sinistre curioso Catulliani nominis amatore commentum, qui timebat, ne quis numerorum Censor acutior in Poeta diligentiam, vel potius metri scientiam desideraret, qui vltimam in *Exigitur* producere velle visus esset, cum tamen istiusmodi Penthemimeres Poetis omnibus ita sint frequentes, vt nil dici possit frequentius: adeoque id apud veteres commune fuerit. Vergilius:

Omnia vincit amor. & nos cedamus amori.

Hæc mea est de hoc loco coniectura, quam eo consilio huc adscripsi, tum vt Catullo sua dictio restitueretur, tum adeo vt intelligerem aliquando, num illud *Exigit hoc*, a mala manu, an a Codice aliquo Manuscripto huc profluxerit in contextum.

Pompeii Festi locus expensus & emendatus.

CAPVT XV.

CVm nuper admodum frequens in Festi Pompeii lectione essem, multa in eo ab intima vsque antiquitate accersita obseruaui, cum moribus & consuetudine Veterum illustrata. i. deprehendi certe in his nonnulla, quæ prima quidem facie Lectorem minus curiosum latere atque effugere possent, quæ tamen si diligenti cura examinari contingeret ab aliquo, cum iudicio ea reperienti, parum Pompeiana esse ac syncera, nihilque adeo constare sibi,

stare sibi, suopte indicio proderentur. Nam præterquam quod multa essent nullius prope sensus, erant etiam quædam, quæ manifesto corruptissima iudicare quis merito posset. Quod certe mihi & vitiosum esse, & peruersum videtur id adscribam; nõ quidem hoc consilio, vt in mea verba quẽquam iurare velim, sed tamen quia id ratio mihi, quantula ea cunque tandem in me est, persuadet & dictat. Pompeius sic habet:

Petissere, antiqui pro Petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt Lacessere. & Incessere. sed, vt mihi videtur, sum significabant, Sapius petere, vt Petissant, sapius petant.

Dicit Festus, *Petissere*, apud antiquos dictum, pro *Petere*, ea forma, qua sit *Lacessere*: mox subiungit planius quiddam, vt *Petissere, Sapius petere* significarit olim. ad extremum vero, quasi exemplo probet, ait: *Vt petissant, sapius petant.* Quod vltimum mihi semper esse corruptissimum visum est, præsertim vero quum exempla nõ ex eo verbo, quo de loquitur, accersere soleat; sed a simili verbo. Lego itaque, mecumque Auratus meus, qui coniecturam hanc meam iudicio suo confirmare dignatus est, hoc modo:

Petissere, antiqui pro Petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt Lacessere, & Facessere, sed, vt mihi videtur, sum significabant, sapius petere, vt Petissant, sapius petant.

Sic locum hunc Festi restituendũ iudico, præsertim vero cum in exemplis adducendis, non Optatiuis, vel Imperatiuis; sed Indicatiuis, aut Infinitiuis vti soleamus. quæ ratio sola valere possit ad huius loci vitium, vel ineptiam potius indicandam.

Apuleii locus vnus, & alter interpolatus.

CAPVT XVII.

FLoridorum libros reliquit Apuleius, variis coloribus Rhetorum insignes, in quibus pleraque sunt, quæ delectant Lectorem, multa quæ erudiunt, plurima quæ in aliis scriptoribus desideres, in hoc reperias. Sed nimirum simile huic fatum est, quod optimis quibuscunq; scriptis, vt a mendis nõ vacet Auctor emendatus. Nos, vt poterimus, illum quibusdam in locis sibi restituemus, vt se noscere aliquando incipiat. Nam certe vt nunc est, sua credo non quædam agnoscit, quæ vel sciolorum sunt, vel exscriptorũ somnia. Incipiam a principio libri primi, quod mihi quidem & obscurum videtur vno in loco, & alio non satis integrum. Verba auctoris sunt hæc:

Vt forme religiosis viantium moris est, cum aliquis lucus, aut aliquis locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, portum apponere, paulisper assidere: ita mihi ingresso sanctissimam istam ciuitatem, quanquam oppido festine, præfanda venia est, & inhibenda properatio est.

Primum quod offendit me est illud, *Portũ apponere:* quod sane

a me discere non potui, forte ab aliis discam. Alterum est: *Ita mihi ingresso sanctissimam istam ciuitatem, quanquam oppido festine, prafanda venia est.* Ego legendum putarem: *Quanquam oppido festino.* Hoc enim velle videtur Apuleius. nam ita sententiā concludit: *Habenda oratio, & inhibenda properatio est.* Et alioqui intelligit Lector *eruditus* ex Comparatione viatorum, qui quantūuis festinent, tamen religioni morā interiiciunt, & vota postulāt, & suscepta soluunt. Sequitur statim: *At non itidē maior meus Socrates. Qui cum decorum adolescentem, & diutule tacentem conspicatus foret: Vt te videam (inquit) aliquid eloquere. Scilicet Socrates tacentem hominē non videbat: etenim arbitrabatur homines nō oculorum, sed mentis acie & animi obtutu considerandos. Nec ista re cum Plautino Milite congruebat, qui ita ait: Pluris est oculatus testis vnus, quam auriti decem. Imo enim vero hunc versum ille ad examinandos homines conuerterat: Pluris est auritus testis vnus, quam oculati decem.* Puto hoc in loco duo esse menda. itaque sic lego, & de Socrate accipiendum existimo: *Imo enimuero hunc versum ille ad examinandos homines conuerterit* (vel certe, *conuerteret*) *Pluris est auritus testis vnus, quam oculati decem.* Nec enim, quum dicit *hunc versum*, alium debuit vel subiūgere, vel certe eundem. Et sane ex sequentibus facile est videre, quod dico. Nam ita Apuleius in Socratis sententia persistens adscribit: *Ceterum si magis pollerent oculorum, quam animi iudicia, profecto de sapientia foret aquila concedendum.* Addit ex eadem sententia de *Aquila* perspicacitate: *De cœlo improuisa simul campis pecua, simul montibus feras, simul homines vrbibus, vno obtutu sub eodem impetu cernens, vnde rostro transfodiat, vnde vnguibus inuncet vel agnum incuriosum, vel leporem meticulosum, vel quodcunque esui animatum, vel laniatum fors obtulit.*

Hoc loco, *Agnus incuriosus*, si subtilius argutari velimus, pro pingui & habitiore exponi possit, vt Plautus contra (Festo auctore) *Curionem agnum* vocauit *macrū, qui nimia cura macruisset.* Nunc porro quum licet, & est materia, gratum facere pergam curiosis, aut certe mihi. Libro 3. Floridor. sunt hæc; de Philemone Comico, qui subitis imbribus ex Theatro cedens, quum iam tertio Actu iucundiores affectus misceret, promisit populo se postero die finem Comœdiæ iam cœptæ impositurum. hoc vt dicat, vtitur his verbis: *Reliquum tum vanis postulantibus, sine intermissione de incipiti die perlecturum.* Videntur mihi hoc loco duo vitia concurrere. Quid enim est: *Tum vanis postulantibus?* Quin potius *Cum venis postulantibus*, pro *Conuenis* reponimus? hoc est, iis qui ad Ludos spectandos conuenerant. Nam his celebritatibus & Actibus frequens aderat conuenarum, & aliorum Græcorum Athenis multitudo. Vel certe, quod erit facilius: *vanis postulatibus.* Aliud est male distinctum, ideoque parum sui

sensus,

ſenſus,& fortaſſe diſtinctum difficilius. Ego ſcribundum credo, *Principiti d...id* eſt, poſtero, ex Feſto, quod ſane futurũ puto plauſibilius. Ecce nũc finem faciam, ſi vnũ addidero, quod corruptum ſane eſt: & quo modo corrigi debeat adſcribam. De equi commoditatibus ſic loquitur:

Hiſce igitur moramentis omnibus qui volunt deuitari, aduectorem ſibimet equum deligunt, diutinæ fortitudinis, viuacis pernicitatis, idem & ferre validum, & ire rapidum; qui campos colleſque gradu perlabitur. Imo (vt ait Lucillius) tum cum eo equo per viam concito peruelant, &c.

Male hæc interpungunt, & Lucillii verſus mancus eſt, qui ita in pedes ſuos conſtitui poteſt:

Qui campos colleſque gradu perlabitur vno. vt ait Lucillius. Quaſi dicat Apuleius, Equum deligi debere, qui pari gradu & agilitate in camporum planis, ac in montium abruptis feratur. Satis ſuperque Apuleio datum eſt operæ. nunc ad Propertium.

Propertii locus emaculatus & expoſitus.

CAPVT XVIII.

DEdita (inquit Feſtus) *data ſignificat*, adeoque idem eſt apud Vergilium: *Rumor*

Deditur in vulgus, quod in ſermone cõmuni & trito, *Editur*, vnde *Deditur*, pro *Datur in vulgus*, & *Dicitur in populo*, quicquid aliis ſubtilius argutantibus de hac voce videatur, qui *Diſpergo* & *Diſſipare* volunt eſſe *Dedi*. nimirum credo pro *Diuidi* accipiunt per ſycopen. *Didere* certe, & *Dedere* idem fuiſſe apud maiores ſuſpicari libet. vnde & *Dare*, pro *Dicere* apud Vergilium. Sed enim cum huc incidimus, ex hac noua vetuſtate & Propertius adiiuuari poteſt, & quoniam poteſt, adiuuabitur; non quidem mea opera, ſed maiori & grauiore Ioannis Aurati, viri principis in his Diſciplinis quas Liberales appellamus. cui etſi Latinæ Literæ debẽt multum, tamen Græcorum monimenta plurimum, quæ vir iſte ita intelligit, vt non putem ab ipſis auctorib. plura in ſuam ſentẽtiam dici poſſe, quam ille in alienam pronuntiat quotidie. Ille verſum Propertii ſic eſſe reſtituendum iudicat:

Oſculaque oppoſito dicat ſibi didita vento.

Quod erit, malo augurio ſuauium tuliſſe. Ego *Dedita* exiſtimo legendum, quod quidem eſt idem cum *Didita*; ſed nimirum ad veſtigia veteris ſcripturæ propius adſpirat *Dedita*. nam, nullo ſenſu ſic eſt in noſtris libris:

Oſculaque oppoſito dicat ſibi debita vento.

Illud porro quod eſt apud eundem Poetam:

Dum pugnat Danais, dum reſtat barbarus Hector,
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.

Reſtat, hic eſt, reſiſtit. & repugnat hoſtibus, quomodo etiam in Salluſtio accipi debet hoc loco, qui eſt ex Hiſtoriis eius huiuſmodi:

Et ponere validam vrbem multos dies restantem, pugnando vicit.

Sed hoc fortasse leuiusculum videbitur iis, qui maiora semper meditantur. nec tamen puduit Festum in hoc verbo festiuiorem & minus vulgarem significationem quęrere, quum *Restat*, pro *Distat* positum ab Ennio vult hoc versu:

Impetus haud longe mediis regionibus restat.

Illud porro quod libro IV. huiusmodi apud eundem Poetam, de Caci & Herculis historia, quem ex Hispania in Italiam traducit Propertius, defessum diuturno æstu, ac viæ labore scilicet, ad lucum puellis, non viris sacrum, qua de re anum sacerdotem sic loqui facit:

Dii tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis
Auia secreti limitis vna fuit.

Sane hoc loco, *Fluit*, legendum monuimus alibi, quod & sensus, & sententię œconomia desiderat. Itaq; sapienti verbum satis sit.

Ex Columella hortulo flores aliquot.

CAPVT XIX.

NVper Iunii Columellæ diligentis agricolæ & docti libellum, quem de Hortorum cultu ad Siluinum scripsit, legebam. in quo vir ille doctissimus festiue est versatus, & Virgilii vestigia persequutus. Nos ex illo flosculos aliquos collegimus, quos in sertum contulimus, oblaturi illud studiosis omnibus. eius itaque serti hę sunt partes. Columella ad principium, vbi monet qua ratione Hortus muniri debeat, postea ad custodem eius, qui Priapus est, descendit, quem vult non tam operose & affabre, quam rudites dedolari. Verba eius hæc sunt:

Non tibi Dædaleę quærantur munera dextræ;
Non Polycletæa, nec Phradmonis, aut Ageladę
Arte laboretur; sed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Itiphalli.
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.

Truncus forte dolatus hic est, temere & nullo artificio politus. Sic Horatius, *Fortuitum cespitem* vocat. Et illa *Priapi mentula sine arte*, quæ in Catullo est, huc pertinet. *Itiphallus* est Priapus. & vero apud Gellium credo perperam citari *Næuium in Triphallo*, quum *Itiphallo* legi possit, & debeat fortasse. *Itiphallica* certe Catulli citat Terentianus. *Pectita tellus*, apud hunc eundem est illa quæ ornata iam est & discriminata, ac in honestum modum & areolas suas composita, vtque obseratur, vel inspargatur præparata. Sic ait Columella:

Verum vbi iam puro discrimine pectita tellus
Deposito squallore nitens sua semina poscit.

Sic infra: *Ferroq; bidenti*
Pectat, & angentem sulcis exterminet herbam.

Inde quoque illud Comici: *ita depexum dabo*, & *Pecti pugnis* apud Plautum, quod Terentius, *Ornare ex suis virtutibus* appellat. Et *Pena toga* apud Martialem est Pergimus ad reliquias:

Florida (inquit) *cum soboles materno pullulat aluo*
Primitias plantæ modicos tum prabeat imbres
Sedulus irrorans olitor.

Hoc loco sinistri Grammatici reposuerunt, *Materno pullulat arvo.* Quasi vero id velit Columella, ac non potius vetustescat hoc loco. nam sane *Aluus*, commune genus habuit apud antiquos, teste Sosipatro, qui hoc Cinnæ adducit: *At scelus incesto Cinara crescebat in aluo.* quare nihil mutandum, nisi ineptire occipias. Ait porro:

Cappadocamque premit ferali mense Lupercus.

Sic Festus, *Propages vult esse Propagines a propagando, quod faciunt rustici, quum vitem vetulam supprimunt, ut ex ea vna plures faciant.* quanquam in hoc Festi loco insulse ad marginem *Progenies*, additum est. Ceterum pro *Ferali mense*, forte *Februali* scribēdum. nam Februario mense Lupercalia erant Iunonis:

Hic Pagellarum aliquot defectus erat in Chirographo.

Pergit Columella, & nos cum illo:

Nomine tum Graio, ceu litera proxima primæ,
Pangitur in cera docti mucrone magistri,
Sic & humo pingui ferrata cuspidis ictu
Deprimitur folio viridis, pede candida, beta.

Ecce ut hic *Litera pangitur*, sit etiam apud Tibullum reponi debet quod aliquando fuit:

Indicet ut nomen littera pacta meum. non *Facta*, quod nuper accessit mala fide & re aliorum. Nec enim quia *Literam facere* dicimus, ideo hic in Tibullo quoque inculcandum illud fuit. maiori enim vehementia opus est, & vi, quæ in *Pangendi* verbo non tam latet, quam exprimitur in illa Tibulli sententia. De Proserpinæ raptu, vbi Nymphas Sicanias alloquitur, sic eadem pagina,

Et quæ Sicanis flores legistis Halesi,
Cum Cereris proles vestris intenta choreis
Æquoris Æthnæi vernantia lilia carpsit.

Reponendum videtur mihi *Ennæi.* nam *Enna* vocatur hic locus ab Arnobio & omnibus qui de hoc raptu meminērūt, nisi quia in Sicilia factus est, inde fecit sibi Poeta quod non suspicor. Idem *Flammeolam Caltham* vocat, quam Virgilius *Luteolam*, quod idem est. idque tum eius, cum Festi auctoritate probare est, atque hoc ex *Ciri* versu:

Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.

Quod ipsum & aliis puto verbis in Bucolicis sic reddidit Poeta: *Croceo mutabit vellera luto.* quod κεγχρόμαγμα Græcorū sapit, ut ali-

quando vir doctissimus Hadrianus Iunius ad me scripsit. Sed & *Flammeum noua nupta*, lutei coloris erat, vnde & *Flammearii, infectores flammei coloris apud Festum.*

Quod vero ait:

Et celebres fortis, Fortuna dicite laudes,
Mercibus exactis, hilaresque recurrite in hortos,

Fortis, interpretor *Bona*. sic enim veteres, & Festus ipse: *Forctis, frugi & bonus, siue validus*. Vt autem *Fortis* pro *Bono*, & *Bonus* pro *Forti*, sic *Bona* etiam *Forma*, & *Bona* pro *Formosa*, & *Formosus* pro *Bono*: quod Lucilius videri vult, quum ait:

Omnes formosi fortes ergo improbus esto

Sic *Fortis* pro *Formosa* est apud Plautum credo in Bacchid. quo loco ita colloquuntur amatores duo de amicarum forma:

Satin' fortis tibi visa est? respondet alter:
Ni nactus Venerem essem, hanc Iunonem dicerem.

Merces vero *exactas*, quæ sequuntur, ipse Columella infra, *adultas* interpretatur nisi *exauctis*, malis legere, quod idem est. & apud Apuleium *Exauctus*, est *Exsoletus*, qui nimirū crescere desiit. Addit paulo post:

Nec solum teneras audent erodere frondes
Implicitus concha limax, hirsutaq; campe.

Hic ego *Campen hirsutam* esse puto, qui & alias *Inuolulus* dicitur. quod ipsa Græcorum origo in voce *Campe* non refugit, & Columella de eadem infra sic:

Voluitur ad terram distorto corpore campe.

Nimirum ex vineis, vel aliis fructibus incidit in flores, vel ad illos, vbi decidit, repit. Perducam vero opusculum hoc ad finem suum. Sic ait Columella:

Sæpe feros duros iaculatur Iuppiter imbres
Grandine dilapidans hominumq; boumq; labores

Mirum sane, ni hinc *Dilapidatio bonorum* originem trahit. nescio enim aliam illi commodiorem exsculpere. Videntur enim, *Dilapidare sua bona*, dici; qui vt infesti & irati suis facultatibus, & messibus, vnde diuitiæ natæ, in eas quasi grandines iaculari, & sua sibi disperdere properant. Reddet nunc Columella rationem, qua a diris animalibus depastio adultorum seminum prohibeatur. inter plurima vero quæ recenset remedia locum facit *Marrubio*, & *Sedo* quoque, quod pro *Sesuuio* accipi vult Festus, sicuti scribit. Prius tamen Columellæ verba ponam:

Profuit & plantis latices infundere amaros
Marrubii, multoque sedi contingere succo.

Sic igitur Festus de Sedo: *Sedum, alii Sadum appellant herbam, quam Opilius Aurelius Sesuuium vocari ait, eamque in tegulis seri, nec quamobrem id fiat, indicat.* Columella quoque de eodem sic libro 2 *Quadam etiam subterraneo pestis adultas segetes radices subjectis*

sestiss euecant. Id ne fiat, remedio est aqua mistus succus herbæ, quam rustici Sedum appellant: nam hoc medicamine vna nocte semina macerata iaciuntur. Sed & Plinius *Sedi* meminit libro XVIII. quum ait:

Quin & armo talpæ contacta semina vberiora esse. Democritus succo herbæ, quæ appellatur AiZoon, in tegulis nascens tabulisue, Latine vero Sedum, aut Digitellum, medicata serere iubet omnia semina.

Prosequitur materiam Hortorum Columella, & nos illum. In numeratione herbarum, quæ in horto proueniunt, etiam de *Trichilis* meminit. Sic vero ait:

Tum modo dependens trichilis, modo more chelidri
Sole sub æstiuo gelidas per gramina vmbras
Intortus cucumis, prægnansque cucurbita serpit.

Anguineum cucumerem intelligit, male vero ad marginem adscriptum est, Cilyndri. Commodum hic mihi venit in mentem, quum hæc scriberem, de Carmine quodam Virgilii Elegiaco, quod Copam inscripsit Mecænati dedicatum: vbi ait:

Quid iuuat æstiuo defessum puluere obesse,
Quam potius bibulo decubuisse thoro?
Sunt cupa, calices, cyathi, rosa, tibia, chorda,
Et trichila vmbriferis frigida arundinibus.

Vult certe Virgilius dicere idem quod Columella suis verbis, de Pergulis compluuiatis, & vmbris illis viridantibus loquens, quæ solem defendant rigiditate fruticum, quibus teguntur naturaliter, nō ex composito. Columella *Cucumeres & cucurbitas* superimpendere facit Vergilius *Trichila*. Illo tamen in loco Virgilii hoc primum obseruandum, *Quam potius*, pro *potissimum* poni & accipi debere, vti & illud Tibulli, quanquam aliter & impressum sit, & intelligatur:

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit.

Sed illud, vt nunc est, non facit palato meo, legendum enim *semper* putaui: *Qui fuit*, &c. tametsi apud antiquos, *Quis*, & *Qui*, eadem significatione polleant, etiam *Quiqui*, apud Plautum. sic ergo possum memet mihi excusare, vt aliis calumniādi materia per me nulla relinquatur, priusquam displicuisse me mihi sensero. *Quam ferus* autem pro insigniter fero & inhumano accipiendum in Tibullo, id quod in Plauto quoque & Lucretio, imo antiquis omnibus est frequentissimum. Atque etiam huius loco est, *Quamuis*, apud Catullum & Ciceronem ipsum in Lælio, quum ait:

Quamuis enim multis nominibus est hoc vitium notandum leuium hominum atque fallacium, ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem.

Quanquam hic quoque, *voluntatem*, reponere magis placet. Hoc idem per, *Licet*, efferebant antiqui. Apuleius lib. I. Metamor-

pheūn: *Hac itenditem mecum replicabam, & nox ibat in diem. Optimum itaque factu visum est, antelucculo furtim euadere, & viam licet trepido vestigio capessere.* Nec enim intelligit moram interponendā homicidio in socium commisso, nō quidem a se, sed a Meroe hospita, & Panthia in conspectu suo, & eodem in lecto accubante. Illud vero superius Tibulli sic defendo & explico ex eodem Auctore, qui alio in libro sic Elegiam incipit:

Qui primum caram iuueni, carumq; puellæ
Eripuit iuuenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit, tantum qui ferre dolorem,
Viuere & erepta coniuge qui potuit.

Hoc vero existimandum est in Tibullo, quod dicam, illum scilicet sibi per omnia quam simillimum esse & geminum, quod alias pluribus probabo. Tandem nunc tandem ad fines Horti & limites peruenimus. vtinam vero aliquod futile corollarium, non futile carpserimus. Hoc nos aliis diiudicandum relinquimus nec enim in sua caussa iudex capitur, & Legibus id sancitum omnibus, quibus est æquius seruire homines, quam Leges ipsis.

Amphitruonis Prologus cum cura discussus & fide.

CAPVT XX.

Mitor tot iam annis legi Plautum, & legi quidem a doctissimis, (sic enim ingenii eius doctrina & vetustas requirit) nullum tamen ex iis ipso in limine Amphitruonis restitisse, quasi parum auspicato ingressum, cum tot monstra sint obscœna, quæ omen infelix ituro faciant; quasique de via properantem reprehendant. Quid enim? an Mercurius σεσολοικισμένος satis sapit in iis libris, quos vt emendatissimos nobis dedit Germania? an potius desipimus ipsi, qui illis hoc priuilegii ponimus, vt neglectis aliorum Editionibus, his quasi vnicis vti fruique perpetuemus? Quid, Camerarius noster omnino præstiterit, non facile dicam: nam illius Chirographa cuius fidei & vetustatis fuerint, sane nescio. interim si quid pudenter tamen ingeniosis coniectionibus effici a nobis potest, id omne proponetur studiosis, imo Camerario ipsi (si modo ad hæcce iuuenilia animum per ætatem demittere iam potest) & erit credo aliquid (nisi meipsum ludo) quod & illi suauiter aurem premat, & nobiscum vna cōplacere possit. Prologi priora mēbra sic distingui debent, si intelligi ea a se velit quisquam, vt iam subscribam:

Vt vos in vostris voltis mercimoniis
Emundis vendundisq; me lætum lucris
Afficere, atque adiuuare in rebus omnibus;
Et vt res rationesque vestrorum omnium
Bene expedire voltis peregrique & domi;
Bonoq; atq; amplio multare perpetuo bonō

Quasq;

Quæq; incœpistis res, quasque inceptabitis:
Et vti bonis vos vestrosq; omnis nuntiis
Afficere volitis;ea afferam, ea vti nuntiem
Quæ maxime in rem vestram communem sient:
(Nam vos quidem id iam scitis concessum & datum
Mi esse a Dis aliis,nuntiis præsim & lucro)
Hæc vt me voltis approbare,anniti ier
Lucrum vt perenne vobis semper suppetat;
Ita huic facietis Fabulæ silentium,
Itaq; æqui & iusti hic eritis omnes arbitri.

Ita hæc vera est œconomia vetustatis Plautinæ, quam nullus modo leuiter benigneq; literis tinctus sibi obscurã aut grauem poterit fateri. verum, vt alii ediderunt, plane credo dubitare possent quam plurimi, quid Mercurius vellet sibi, cuius sententiam tribus verbis ita explices licet: Quemadmodum a me exposcitis, vt in mercibus vestris vltro citiroque accipiundis& dãdis vobis lucrum felix semper fiat; vtque me vultis de rebus promercalibus, tum ad Rempub. pertinentibus bona nuntia afferre; ita & vos huic faciete Fabulæ silentium. Res omnis & aperta est, & antiqua simplicitate. Sic & Plautus Asinariam auspicatur, sed breuiori omnino ambage.

Sicut tuum vis vnicum gnatum tua
Superesse vita sospitem & superstitem,
Ita te te obtestor per senectutem tuam,
Perque illam, quam tu metuis vxorem tuam,
Si quid med' erga tu hodie falsum dixeris,
Vt tibi superstes vxor ætatem siet;
Atq; illa viua viuus vt pestem oppetas.

Sequitur statim ab initio:

Iouis iussu venio;nomen Mercurii est mihi.
Pater huc me misit ad vos oratum meus,
Tametsi pro imperio,vobis quod dictum foret,
Scibat facturos: quippe qui intellexerat
Vereri vos se & metuere ita, vt æquum est,Iouem.

Extremum illud ineptum est & languidum, Iouem se dicere Iouem esse, & vereri a Romanis. imo ita Plautum scripsisse confidimus:

Quippe qui intellexerat
Vereri vos & metuere,ita vt æquum est, Iouem.

Et mox: *Etenim ille,cuius iussu huc venio,Iuppiter*
Non minus quam quiuis vestrum,formidat malum,
Humana matre natus,humano patre,
Mirari non est æquum,si sibi si præsimet.

Sic legendum, non: *Cuius huc iussu venio, Iuppiter*
Non minus, quam vestrum quiuis, formidat malum.

Vt supra: *Nunc enim iussu venio, & quamobrem venerit.*

Post paulo hoc habes: *Nam iniusta a iustis impetrare non decet,*

Iusta autem ab iniustis petere, insipientia est.

In codice Chirographo, quem olim leuiter percurri, est sic:

Nam iniusta ab iustis impetrari non decet,

Iusta ab iniustis petere autem, insipientia est.

Quam ego credo Plauti omnino genuinam esse Phrasim. sic ille hoc in Prologo locutus est, quum ait Mercurius:

Ego has habebo hic vsq; in petaso pinnulas,

Tum meo patri autem torulus inerit aureus.

Iam cœptum insectamur iter, callemque suctum Ait Plautus:

Nunc iam huc animum omnes ea qua loquar aduortite

Rudis hæc est elocutio, & Plauto parum digna: quanquam videri possit quibusdam vetustescere aliquatenus. sed apage nobis has delitias vetustatis, si sunt huiusmodi. Namque illud; *Animum ea qua loquar aduortite*, sordet sane. nec enim sic disponunt veteres, quum resolui volunt constructionem suam, & accommodari prioribus. In olim-impressis & Manuscriptis est, Plautine credo, & simpliciter hoc modo:

Nunc iam huc animum ad ea qua loquar aduortite.

Habes e vestigio:

Nam quid ego memorem, vt alios in Tragœdiis

Vidi, Neptunum, virtutem, victoriam,

Martem, Bellonam commemorare quæ bona

Vobis fecissent, quis benefactis meus pater

Deum regnator, Architectus est omnibus.

Miror, quid hic elegantiæ captent Germani codices, qui in hac parte inuenusti omnino mihi videntur. Certe enim interrogatione includi omnia debent, & ita reponi:

Nam quid ego memorem, vt alios in Tragœdiis

Vidi, Neptunum, virtutem, victoriam,

Martem, Bellonam commemorare quæ bona

Vobis fecissent, queis benefactis meus pater

Deum regnator Architectus omnibus?

In meis Chirographis est *Architector*, sed mendose, vt apparet doctis. nam *Architecton*, legi debet, & hoc verbi non semel est apud Plautum. hocque etiam loco redintegretur licet. Sequitur a perpendiculo;

Sed mos illi nunquam fuit patri meo.

Suspectus est mihi & hic versiculus. Certe anxia illa metiendorum versuum Plauti industria, ipsi nimirum auctori perniciosissima fuit semper, dum alii ad eum versum, alii ad alium pro libidine traducunt Comicum, qui cum suis verbis & antiquis nondum consistet, vel phrasibus pristinis, tamen ad mira trahitur versuum ludibria:

bria. Vellem equidem Plautum, & Terentium perpetuo charactere editos olim fuisse, vel sane vt in libris Chirographis descripti erant; iam certe via mollis esset & promta Carminum sobrie inquirendorum. Sed hæc quidem vota sunt. dico tamen versum illum Plauti vim passum ab aliquo. nam meus codex quamuis in carta descriptus ita habebat: *Sed mos nunquam fuit illi patri meo.* Atqui & illud dicam, ne sic quidem placere mihi, quicquid est *illius patris.* Nec enim ferunt aures meæ hanc demonstrationem ineptam. Itaque liceat nobis insanire nostro periculo & iure, non Plauti, non vetustatis. sed illi communes studiosorum Nemeses mereantur licet, qui mala fide vel Plautum, vel Lucretium, vel Virgilium denique (nam & hic auctor male habitus est) tractant, mutant, rumpunt, corrumpunt, denique vt in peculio suo libidinem exercent. Vtinam vero plures Victorios, Langios, Fabricios, ac Muretos haberemus, qui id negotii conficerent in optimis auctoribus; quique aliorum temerarias Censuras, imo imposturas studiosis patefacerent. Quid enim istis in mutos hosce Magistros non liceat, qui Falsi legitime conuicti * sexcentos studiosorum manipulos sese armaturos iactitant. quasi vero his rationibus isthæc agenda censeant docti, & non potius iis telis reficienda sunt vulnera, quibus facta sunt. O male, semel dicam, pereant illi qui bonos Auctores pessimis suis rationibus perdunt; eos dico præsertim, qui & curiose tractari, & diligenter haberi deberent, & quorum rara, aut nulla exemplaria extant Chirographa. Sed hæc omnino sunt plura, quam volui; & pauciora tamen, quam debui. Redimus ad Plautum, in quo versiculum illum superiorem sic libenter emendaremus:

Sed ille mos nunquam fuit patri meo.

Videant nunc elegantis literaturæ homines, quid Plauto dignum sit magis. nam certe vt dicamus; *Mos mihi est*, sine aliqua voce demonstratiua, adduci vt credam non possum sane. Paruo interuallo hæc inuenias, quæ diuersam lectionem & venustiorem requirunt.

Quid igitur? quoniam hic seruos quoque partes habet,
Faciam hanc, proinde vt dixi, Tragicocomœdiam.

Elegantius procul dubio est in nostris, & olim impressis, qui habent:

Quoniam hic seruos quoque partes habet,
Faciam sit, proinde vt dixi, Tragicocomœdia.

Certe enim dixerat supra:

Faciam, commista sit Tragicocomœdia.

Sic legendum puto, & illud, *Vt*, quod in plerisque, & Grammaticis quoque editionibus est, interpretis natum lapsu reor. Cur enim non & dixit?

Faciam, vt sit proinde vt dixi, Tragicocomœdia.

Sed hæc quæ nobis adiicere placet, & desideramus, his omnibus Antiquitas pressa & eloquens tamen ad uti, vel abuti noluit sæpenumero. Ecce vero quod volo, & dico:

Nunc hoc me orare a vobis iussit Iuppiter,
Vt conquisitores singuli in subsellia
Eant per totam caueam spectatoribus.

Velim hic Comici mensores hunc modulum versus vnius mihi describant, & dimetiantur. Sane credo in ipso modulo modulum requirent, nec inuenient tamen. atque illud est quod dico, sæpe particulam illam inculcatam alienis locis, quæ si tollatur, puriorem rationem antiquitatis dabit, & versum non peruertet. Quare vident omnes legendum:

Nunc hoc me orare a vobis iussit Iuppiter,
Conquisitores singuli in subsellia
Eant per totam caueam spectatoribus.

Et *Conquisitores histrionibus*, simile est illi, quod mox sequitur, quanquam Græca esse locutio posset, pro *spectatorum*. adscribatur tamen & aliud remedii:

Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit,
Conquisitores fierent Histrionibus.

Sed & hic, *Vt conquisitores*, legebatur, male. Prius vero Carmen aliquam pedum diminutionem patitur; si quid his desperate morbosis remedii adhibendum est, hoc adhiberem sanandis:

Atq; hoc quoq; etiam in mandatis mihi dedit.

Sic & supra elocutus fuerat:

Atq; ego quoque etiam, qui Iouis sum filius.

Credo ego illud doctis & bonis placere posse; & Plautinæ simplicitati conuenire posse etiam credo. sed quid agimus exemplaribus chirographis destituti? multis credo surdis canimus, nos tamen interea delectamus beatuli. Totum locum rescribam de nouo. nam & quæ sequuntur male habent; & indicari possunt vulnera, & remedia præsentanea.

Atq; hoc quoque etiam mi ille in mandatis dedit,
Conquisitores fierent Histrionibus;
Qui sibi mandassent, delegati vt plauderent,
Quiue quo placeret alter fecisset minus,
Eius ornamentum & corium vti conciderent.

Multa hic quoque monstra sub personis latent, quæ vt splenio seducto mox in oculos incurrent omnium. Rideo mecum subinde, dum cogito istos versificatores nihil hic offendisse, quod offenderet eos, cum tamen illud extremum grauiter offendere debeat. Sed illi S. elidi putabant scio, sed profecto non ita stulte prodiga fuit Antiquitas, vt locis illis, vbi nihil opus est, hac necessitate ea vterentur, præsertim vero in Prologis, qui purissimi esse consueuerunt, & prope dicam Trimetri meri & simplices. Sed potiu

vitis est, ne lis lite resoluatur, vt quòmodo legendum esse totum locum putem cum Aurato meo, quem omnibus Andabatis facile oppono, commonstrem. Sic itaque lego:

Qui sibi mandassent delegati vt plauderent,
Qui quo placeret alter fecissent minus,
Eu ornamenta & corium vti conciderent.

Nihil hic est nostrum, nisi aliud extremum, Eu, quod omnino nostrum esse non volumus: Plauti tamen vt sit, & volumus, & optamus. Secundus versus ita legitur in olim impressis, vt descripsi, & multo ante conieceram sic legendum. & miror sane, quid Ioachimo placuerit, eum mouere suo loco, vt scilicet seruiret illi sequenti sententiæ: *Eius ornamenta & corium vti conciderent.* Alii certe simplicius omnino & rectius, quamuis non cum sensu Plauti, retinuerunt, quod ad sententiam luculenter duceret eum, qui animum intenderet vel tantillum. Nec enim nouum est doctis, *Concidere alicui corium*, pro *Alicuius*, more Græcorum. Sæpe his, & talibus Plautus noster vtitur, ne longe abeamus. Adimus reliqua monstra, sed vereor ne Hydræ ritu in nos excrescant plura, quam domare possimus. sed audendum est cupide. Literata hæc sunt monstra. ah, quid mihi volui; quid dixi?

His monstris minor Herculis labos sit.
Subiicit Mercurius:
Quid admirati estis? quasi vero nouum
Nunc proferatur, Iouem facere Histrioniam.

Hic denuo artifices versuum aliquam literulam subtrahent, vt dimetiantur legitime, quod est in versu. Ego his figmentis nihil omnino opus esse puto. Sic enim conicere libet scripsisse Plautum:

Quasi vero nouum
Nunc proferam, Iouem facere Histrioniam?

Ecce audax & horridum facinus meum. sed & illud addam, quoniam hoc Capite delitiari liber, & argutiari licet. addam, inquã, mihi non placere illud:

Quasi vero nouum Nunc proferam, &c.

Et pro illo reponendum censere:

Quasi vero nouum
Hoc proferam, Iouem facere Histrioniam?

Istud quidem vident omnes docti multis partibus esse venustius, & tamen vt alicui placeat, vel displiceat, susque deque habeo. Nihil hic Plautum lædi volo. ad me redeant mea ludicra, Lector. Ita multa sunt in hoc Prologo, quæ me offendunt, vt patientia Lectoris mihi captanda sit, qui credo ex tam multis vel in veternum incidere possit. Ecce nunc duos tresue versiculos proferam, suspectos quidem mihi, sed de quibus tamen certum aliquid statuere non possim; præsertim vero manu-

scriptis libris destitutus. Et sane deberent esse huiusmodi, si quid iuuare vellent, vt aliam lectionem a vulgatis nostratibus afferrēt. Prior locus est:

Etiam Histriones anno cum in proscenio hic
Iouem inuocarunt, venit, auxilio eis fuit.

In priori versu, *Anno cum in proscenio*, nihili est, & contēnendum. Latet tamen aliquid, quod difficulter eruas, & in lucem proferas. Aliquis, *Anno in proscenio*, sibi legeret credo; alius vero, *Horno cum in proscenio*, quod esset etiam, *Hoc anno*. Sed dicam quod sentio, ad βιβλιοταφους prouocamus. Sequitur post deinde:

Is priusquam hinc abiit ipsemet in exercitum
Grauidam Alcumenam vxorem fecit suam.

Illud in principe versu perstringit aures, non terget meas: *Is ipsemet*. non tamen quod offendar crebra compositione, idemque significante; quam quod eo loco est in Plauto, vbi cernitur. Sed totum sane, ne argutemur, ineptum est, & puris auribus sordes parit. Secundus versus neque satis simplex videtur, neq; ita a Plauto credo est scriptus fortasse ita rectius:

Grauidam Alcumenam fecit vxorem suam.

Vt infra:

Et grauidam fecit is eam compressu suo.

Ecce vero aliquid inopinati, præterque spem tuam, Lector. Mercurius argumentum orditur Fabulæ, & statim subiicit:

Nam ego vos nouisse credo iam vt sit pater meus,
Quam liber harum rerum multarum siet
Quantusq; amator siet quod complacitum est semel.
Is amare occœpit Alcumenam clam virum,
Vsuramq; eius corporis cepit sibi
Et grauidam fecit is eam compressu suo.

Primum hoc ago, illud *Nam*, insolenter plane huc inferri, & versum ipsum non constare suis legibus, vt in Ioachimicis est libris. Nam quod supra est:

(Nam vos quidem id iam scitis concessum & datum
Mi esse a Diis aliis nuntiis præsim & lucro.)

Aliam habet rationem, & bene interiicitur, & commode parenthesi includitur. Hic vero alterum caput narrationis initium capit. Itaque leuissima mutatione, imo nulla, *Iam*, quod superest in aliis Editionibus nimirum, iam ego mihi sumam & ita constituam versum:

Iamq; ego vos nosse credo vt sit pater meus.

Secundus ille superior versus nihil magni secum affert: & vereor sane, vt bene habeat. nec enim intelligo quid illa sibi velint:

Quam liber harum rerum multarum siet

Quin potius vt ego conieci olim, & probauit Auratus meus, reponimus: *Quā liberatū rerū multarum siet.* At vero illud pœne omiseram

miseram, in priore illo versu aliquid obscurum esse, quod ego studiosis patere per me cuperem. Namque illud, *Vt si pater meus*, non habet vulgarem sensum, sed ad ingenium & mores lasciuos Iouis referri debet. Sic dicimus: *Vt homo est, ita morem geras.* Locutio in Plauto numero hæc est obuiam. Tertium nunc addam. supra dixerat Mercurius de Patris adulterio:

Et grauidam fecit is eam compressu suo.

Hic illud, *Fecit is*, non satis facit mihi, imo indignum est Plautina Venere. sic mecum iudicat Auratus meus. Ego reponerem ludibundus:

Et grauidam fecit eampse compressu suo.

Vel si est maius audendum aliquid:

Eamq; grauidam fecit compressu suo.

Pergimus:

Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat.
Et hac ob eam rem nox est facta longior;
Dum ille qua cum vult voluptatem capit.

In Dauentriensi Editione legebatur:

Meus est pater nunc intus, cum illa cubat.

Dicam & hoc loco quod videtur animo meo. Prior versus non arridet œconomia sua: & illud *Intus hic*, satis languidú est. Si liceret insanire, sed tamen licet, ita reponerem:

Et nunc pater meus intus cum illa cubat.

Credo ex illa nimia necessitate numerorum Grammaticorum irrepsisse errorem istum. Quod autem sequitur:

Dum ille qua cum vult voluptatem capit.

Æque displicet mihi, & satisfacit parum. Quin potius:

Dum illa quacum volt voluptatem capit.

Sic ego conieci antea legendum, idem post omnibus iisdem literis reperi editum in Plautino quodam exemplari, quod ante annos sexaginta impressum Dauentriæ est. Nunc tandem corollarium addam, & vnicum emendabo mendum, quod credo placebit doctis, vt aliquibus fortasse ad stomachum non faciet, id est huiusmodi:

Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu,
Et Sosia seruos, cuius ego hanc fero imaginem.
Nunc internosse vt vos possitis facilius.

Libenter in extremo versu legam:

Hunc internosse vt vos possitis facilius.

Nam proculdubio Amphitruonis Sosiam designat Mercurius. & sequentia quæ subscribam mecum faciunt credo:

Hunc internosse vt vos possitis facilius,
Ego has habebo hic vsque in petaso pinnulas
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso, id signum Amphitruoni non erit.

Ecce quod volo. Hæc nos multa quidem ex Plauto exrudimus, sed vereor ne ad pauca redigantur olim vel meo, vel doctiorum iudicio; cuius me suffragiis stare sane fateor: & cupio, ne quis ingeniosior in meo esse libello velit; & mihi relinquat si quid est quod calumniari velit. Ego enim his artibus & contra me vtor, & aliorum auxilio opus omnino nihil habeo. Si quid est quod coniecturæ tribui potest, id cupio a bonis & eruditis viris. reliquorum iudicium non curat Hippoclides.

Fragmentum in M. Catonis librum de re Rustica.

CAPVT XXI.

R*Vsticarius facula* Victorius in Catone, numero vndecimo legit & restituit, pro *Rusticariis*, quæ a rusticis & rudibus Sociis Latinorum inculcatæ fuerant. Certe Festus, *Rustum a rubis*, ait fieri. & apud eundem *Suts sunt Rustes*, ὑποργεμμένως Surculi. vbi inepte ad marginem legitur *Sunt fustes*. Atque hoc illud est, quod vult Cato, nescio tamen, an omnino conuenientius sit, *Facultas*, legere. Nec enim satis, *Facularum*, istiusmodi antiquitatem sapio; & eius nouitatem, id est, emendationem ac mutationem quodammodo amplector. Quod vero dubitas Capite XIII. Catonis, an *Corrigito*, ad Plinii regulam sit redigendum, qui *Porrigito* habet, an Plinii ad Catonem, sane quod dubitet nihil est. nam Cato seipsum interpretatur, cum ait: *Vti recte spectent*. Itaque *Corrigere*, est *Rectum facere*. Sic & Plinius alibi de Milone: *Manum nemo illi corrigebat*, nimirum vult dicere, Milonem tanta vi fuisse, vt quum manum clausisset, nemo illi eam aperire posset. Hinc & *Rigores in agris*, & *Rigor iuris*, & *Rigidus Deus* in Priapeis. Quare in Plinio locum Catonis restituendum existimo Cap. XXXVII. in Catone sic legi ait in libris suis Victorius:

Ex segeti vellito ebulum, cicutam, & circum salicta herbam mactam vluamque.

Apud Plinium vero, cum de eadem re scribit ex Catonis sententia, *Herbam auctam esse*. Victorius autem, *Altam*, retinuit ex vulgari Lectione. Et tamen *Macta herba*, eadem cum Plinii, *Aucta*, potest esse. nec enim aliud significat antiquis, *Macta*. adeoque puto Plinium Catonis multa, vt sæpe quoque ostendit Victorius, suis quibusdam verbis referre, vt sæculo suo seruiat, & nimiam hanc vetustatem emolliat; quæ tamen a Catonis sensu semper faciunt, eandemque omnino significationem habeant. Sic apud Seruium est: *Mactus vino taurus, vel thure in sacris*, nimirum *cumulatus & Auctus, quoties aut vinum, aut thus super victimam fundebatur*. Et illud vulgo iactatum: *Macte animo*, & *Macte virtute*, non quidem Aduerbialiter accipiendum, vt vulgus Grammaticorum sentit, sed pro *Macti* & *Macta*. Sed apud Plautum quoque illud ex hoc est numero: *Mactari infortunio*, quod alias, *Augeri malo*, sic &, *Mulctare*, *pro augere & voti compotem facere*,

facere, interpretatur Nonius. Itaque *Herbas Mallas* ex Catonis mei rure vellendas, vel eruncandas non existimo. Ad cetera gradum faciamus.

Cap. LXIIX. Catonis in manuscriptis semper, vt etiam alio superiore loco, *Melipontos* ait esse Victorius, nimirum ea ratione accipi possunt hi, qua *Melica Gallina*, *pro Medicis* apud Festum, & *Dacryma* apud eundem, pro *Lacrymis*. Quod vero nunc ponam, erit maioris operæ, nisi fallor. Cap. CLVII. Victorius noster scribi fatetur in libris suis locum vnum his verbis: *Et primum scito, de omnibus brassicis nulla est illiusmodi medicamento*. Loquitur autem Cato de *Tertia quadam Brassica*, *quæ Lenis vocatur*, *minutis caulibus*, *tenera*, *& acerrima omnium istarum*. Ego hanc lectionem antiquam esse, & genuinam Catonis credo. & fecit ingenue Victorius, vt est homo omnino bonus & popularis Literarum nostrarum, quod hanc lectionem, etsi eam non probaret sibi, tamen asscripsit in Commentariis suis. Vult enim Cato dicere, *Lenem hanc Brassicam maximo esse & singulari medicamento*, cum ait suis verbis & propriis: *Nulla est illiusmodi medicamento*, quod nos simplicius. reliqua desiderantur

FRAGMENTVM CAPITIS XXII.

In M. Terentii Varronis Libros de re Rustica.

Deest principium.

Atqui *Gesum* illud Festi, etiam *Gessum* dictum fuit ὅὸ & ἀκροντία interpretatur Sosipater; & *Seruius Gesa hastas viriles accipit*; *atque apud Gallos, Gesos viros fortes appellari scribit*. Sed credo sane homo hanc nobis antiquitatem periisse.

Ait Varro cap. 35. lib. 1. *Violaria in fundo facere non est vtile, ideo quod necesse est terra adruenda puluinos fieri, quos irrigationes, & pluuia tempestates abluunt. & agrum faciunt macriorem.*

Hanc Lectionem nos a Victorii Commentariis mutuati sumus, quam ille tamen in Varronis contextum non contulit, nimis anxia sane religione. nec enim durior, vel infestiuior est illa, quæ legitur in libris vulgaribus huiusmodi: *Ideo quod necesse est a terra ad ea obruenda puluinos fieri*. nam paria dicit, quanquam imparibus verbis Varro. nisi quis malit, quod ego nolo, sibi legere: *Terra aggrumanda*, a *Grumis* iam vulgatis. Sed certe idem omnino filum orationis erit. quare nil muto. Illud porro quod ait Varro: *Pluuia tempestatem abluunt*, ego *Dissoluunt* interpretor, subtilius fortasse, & tamen verius, nisi fallor, a veteri *Luo*, quod est apud Festum.

Capit. XXXI. Victorius, quod ad Orthographiam pertinet, duo admonere se posse dicit, nimirum in eo Capite, & alibi: *Resicari & Sicari*: & *Subsicuerunt* eodem libro diserte legi; quæ tamen ille vt Varroni plura reddiderit vocabula, (& quidem omnia hæc docte & liberaliter) quam nunc vel in vsu sint, vel intelligi

possint a rudibus, illa tamen in eius contextum referenda non putauit. Quæ certe ego ab Antiquitate recepta & vsitata non ignoro, quorum sexcenta reperias in Festo. Nam *Prosicium* est apud illum, *quod prosecatum proiicitur.* Ego existimarem, *Porricitur*, & *Prosicare.* quod de *Extis* accipiendum, vt etiam quod præcessit. Hæc quoque faciunt *Sibees Ennii, pro Hastarum spiculis latis. Sic Ennius apud Festum: Incedit veles vulgo sicilicibus latis.* In quo versu illud animaduertendum, an recte *Sicilibus* sit in Carmine, pro *Sicilicibus.* alioqui *Siciles* reponi deberent, quod non existimo nam vetustissimi, *Secidi* in præterito, & *Sicidi* dicebant, vnde apud Gellium, *Seciderat*, & *Sicilices* * a quo *Sicilire prata*, id est, Falcibus cõsectari, vt Varro interpretatur.

Fragmentum Epistolæ, ad Dionysium Lambinum missæ, in quo Catulli ac Tibulli loca aliqua multa vel corriguntur, vel explicantur.

Initium deest.

DOctrina tua, quæ mihi semper visa est summa, mores suauissimi, affabilitas non affectata te mihi tam carum faciunt. Vir Clarissime; denique illud studium, quod in Lucretii restitutione præstitisti, & etiam nunc præstas. quod vt accurate matures, etiam atque etiam rogo. Interim vide, mi Lambine, ne nimis matures, quæ res & tibi & Lucretio ipsi damnosa esset. Cupio vehementer, vt liceat mihi vnam rem a te petere, & etiam auferre, nimirum vt quæ vetusti codicis sit lectio, semper admoneas in Commentariis tuis, siue ea sit sana, siue insana, (vt Plauti verbo vtar) siue etiam obscura & incognita. Sic fiet, vt de fide tua nulli non sis gratus futurus; tum occasionem dabis studiosis, vt ex corrupta illa lectione tua integram & synceram conentur educere. quod, vir omnino Maximus Victorius sua fide facit, idque rectissime. Hæc non eo scribo, vir doctissime, quod putem tibi non eadem venire in mentem, aut iam esse: sed, quia famæ tuæ non aliter, quam meæ faueo; & partim quia de quo, qui tibi nec male volebat, maxime sinistre es suspicatus, nunc de illius in te obseruantia & solicitudine reddaris certissimus. Et hæc ad Protasin Fabulæ; nunc ad Epitasin veniamus. Soleo, mi Lambine, non vt quidam Epistolas nullius rei, sed tamen verbosas scribunt, scribere; sed appingere literis meis aliquid ingeniosæ commentationis. Itaque & nunc, quia tibi id gratum fore scio, & quia iudicio magnorum virorum libentissime vtor, vt audacius ista ab iis cõprobata vulgo proponam; proponam & ego tibi quædam hoc tẽpore, quo a vobis abfui, ex multis paucula effecta. Ac primum a Poetis, quibus, vt debeo, eximie delector, sed a præcipuis exordiar. Itaque Catullus opera Mureti nostri melior factus, & tamen non ita factus, vt non etiam optimus aliquando fieri possit, videtur mihi

Audio

studio meo iuuari posse, aut etiam adiutus esse. primum in Carmine, quod est ad Nepotem, ait porro:

Quare babe tibi quicquid est libelli,
*Qualecunque quidem * * **
Plus vno maneat perenne seclo.

In Catullo meo ad marginem est alias: *Patrona virgo.* quod ego bene excussum & euentilatum in tale triticum eduxi, vt posthac non solum Puteolanis granariis, sed omnino omnibus condi & depromi ad omnium vtilitatem posse confidam. Et tu, mi Lambine, de nostro tritico vtere ego legendum puto:

Qualecunque quidem per ora vulgi
Plus vno maneat perenne seclo.

Sic loquitur infra in Rauidum:

Anne vt peruenias in ora vulgi, &c.

Infra ad seipsum: *Fulsere quondam candidi tibi soles,*
Cum ventitabas, quo puella ducebat,
Amata nobis quantum amabitur nulla.

Legendum credo:

Amata vobis quantum amabitur nulla.

Sic Ouidius de Iasone in Medeæ Epistola:

Tibiaq; effudit socialia carmina vobis,
At mihi funesta flebilior tuba.

Nec id quidem insolens tibi visum iri suspicor, cum te sciam plurimum studii & diligentiæ in antiquis & bonis auctoribus semper posuisse. Idem in Aurelium:

Pedicare cupis meos amores:
Nec clam, nam simul & iocaris vna.

Hoc loco scribendum existimo: *Nam simul es, iocaris vna.* Elegantissimo loquendi modo, & etiam vsitato ab eodem ad Caluũ: *Vt tecum loquerer, simulq; vt essem.* Vides mi Lambine, quam plena omnia, quam composita futura, si legatur, vt ego cupio & volo. Iam tibi adscribam locum eiusdem facilitatis sed fortasse nõ satisfaciam iis, qui malunt omnia corruptissima relinquere, & sibi ignota facere, quam aliquando conari, etiam maxima ratione, vel apicem demere, vel adiicere. Horum ego religiosum iudicium pessime odi Sed ad rem, ad Varum de Suffeno:

Tantum abhorret, ac nutat. Hæc omnia, si leuiter aspicias, præclara, si propius spectes languida, & rei non magnæ videbũtur. Quid enim aliud, *Abhorrere*, quam *Nutare*? Ego sane incuriam omnem a maximo Poeta procul fuisse credo, putoque scripsisse illum ita vt subscribam:

Tantum abhorret, ac mutat. Natus mihi error videtur a librariis infelicissime doctis, qui vocis insolentia offensi eam loco suo mouerunt; &, quod ipsi intelligebant, supposuerunt. Gellius lib. 8. ex Varronis libris de Lingua Latina hæc citat: *In priore verbo*

prosodia qua fuerunt remanēt, reliqua mutant Idem 2. Rei Rusticæ: *Sus ad fœturam qua sit fœcunda animaduertunt fere ex primo partu, quod non multum in reliquis mutat.* Sed quid ego hæc tibi tam approbo, cum tu hæc omnia melius noris, quam nomen tuum? Idem de morte Fratris elegantissimo carmine ait:

Alloquar, audiarne vnquam tua verba loquentem?

Nescio, an hic reponere possim: *Tua verba loquentem?* sed tamē possum, quia ad te scribo, qui omnia hæc eo interpretaberis animo, quo ego Horatium contra te * * si aliquid æqui & boni in locutione illa. quod tamen nequeo perspicere satis, sed forsasse aliquando multa lectione consequar. Tu, si quid me iuuare potes, ne desis. certe magna solicitudine liberatis. Non possum tibi exprimere, quam vehementer optarim omnes bonos Auctores doctorum hominum labore saniores effici; vel certe mihi aliquādo Thesaurum aliquem veterum librorum obuenire. nō Aulam Euclionis reperisse me mallem. Sed certe nugor. nam Plautus Euclionem Aulam suam exarapagasse scribit, & sibi asseruasse. Sed nimirum & nostra ætas Euclliones Veterum non desiderat. Verum extra iocum. Nunc ad Tibullum venio, cuius ipso initio offensus sum. Quid enim? an cohærent ista?

Et quodcunq; mihi pomum nouus educat annus
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.
Flaua Ceres tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.
Pomosisq; ruber custos ponatur in hortis,
Terreat vt sæua falce Priapus aues.

Vide, quod facinus faciam, ex *s*, *f* facio: e *p*, *d* inuersum scilicet, hoc modo:

Flaua Ceres, tibi fit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores:
Pomosisq; ruber custos donatur in hortis, &c.

Statim sequitur:

Iam modo non possum contentus viuere paruo,
Nec semper longæ deditus esse viæ;
Sed canis æstiuos ortus vitare sub vmbra
Arboris, ad riuos prætereuntis aquæ.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boues, &c.

Consulendus Robortellus. Robortellus magnum videtur in Tibullo operæ pretium fecisse, cum docet, illum obscurissime expressisse clarissimi Græcorum vocabulum μονοτυχῆ, vt sit: *Iam non possum non contentus viuere paruo.* quod ipsum ex superioribus nec satis commode consequi videtur. Ego puto Tibullum dicere: Quum fortunas suas Fortuna aliis tradiderit, aut * * *, non licere sibi otiose viuere, & delitiari; vel remotas terras visere, aut bellum sequi: sed tamen licere

cere sibi in paruulo rure suo honeste agere, & somnũ captare sub arboribus suis. id enim suadere illi rei familiaris inopiam. *Cõtentum paruo* accipio, pressum egestate. Ait vero: *Non possum viuere contentus paruo; sed possum vitare æstiuos ortus sub vmbra arboris meæ.* &, ne videatur inhoneste otiari, subiicit:

Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boues, &c.

Sed quia de Robortello incidit sermo, videtur mihi vir ille febriculosæ eruditionis ostentator insignis; & nullum ferre ne se ipsum quidem, cum tanto abdomine distentus sit, vt intelligam nunquam supinũ cubare, sed in sigmate assidere * * * Ille namque Tibulli locum quendam, quem non intelligit sanum esse, insanissime, nõ deprauat, sed leuissime tollit. Ait vero sibi codicem vetustum esse, in quo scriptum sit:

— Neu quisquam multo percussum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amans.

Vt Tibullus ὑποστάζειν Græcorũ expresserit. Sed nõ obseruarat ille, cum hæc scriberet, Tibullum ita quoq; Elegia 7. loqui:

— —Geniumq; choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.

Ecce eadem sunt verba. Certe illud subtilitatis suæ prudentius Ouidio elarg tus fuisset, qui dicit in amoribus:

——Et multo tempora quassa mero.

ACHILLIS STATII LVSITANI

OBSERVATIONES DIFFICILIVM ALIQVOT LOCORVM, GRÆcorum, Latinorumque.

Ἐντελέχεια, an ἐνδελέχεια. Cicero explicatus Tusculana prima.

CAPVT I.

NVlla sub iudice lis diutius fuit, quam illa est agitata diu, incerta tamen adhuc, ac dubia quæstio de Aristotelis verbi literatura ἐντελεχείας, siue ἐνδελεχείας. Qua de re primum id dicam, in emendatis Ciceronis libris ἐνδελέχειαν etiam legi. Sin illa, quæ ab eo ponitur, huius verbi interpretatio, non hanc, sed illam potius literaturam postulat, dialectum esse intelligant Atticã, quæ δ in τ literam cõuerterit. Dialectus autẽ scriptionẽ quidem mutat, significationẽ vero nõ mutat. Esse hanc aũt dialectũ Atticã, Corinthi Grãmatici verbis in Attica dialecto facile doce-

bimus, τὰς μυῤῥίνας, inquit, μυρσίνας λέγουσι, καὶ τὸ συρίζειν συρίττειν, καὶ τὴν ἐνδελέχειαν ἐντελέχειαν. Si est igitur ἐνδελέχεια, continua motio, & hæc Attice ἐντελέχεια dicitur, eadem adhuc continua motio esse dicetur. Aut auctoritatem igitur Corinthi reiiciant necesse est, aut cum ἐνδελέχειαν, continuam motionem interpretatur, idem quoque fatentur ἐντελέχειαν significare. In vetustissimo manuscripto codice Ciceronis literis Latinis ita scriptum legi, *Endelecheian*.

Dialectica sepimentum est ceterarum artium, Cicero 1. de legibus illustratus.

CAPVT II.

IN primo de legibus extremo libro Cicero hæc, atque alia de sapiente: *In hac ille magnificentia rerũ, atq; in hoc conspectu, & cognitione naturæ, dii immortales, quam ipse se noscet, quod Apollo præcepit Pythius, quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quæ vulgo dicuntur amplissima? Atq; hæc omnia quasi sepimento aliquo vallabit, disserendi ratione, veri, & falsi iudicio, scientia, & arte quadam intelligendi, quid quamq; rem sequatur, & quod sit cuiq; contrarium.* Quam quidem siue translationem, siue similitudinem Cicero sumsit a Stoicis, qui philosophiam ipsam quidem culto, & frugifero comparant agro, Logicen autem eiusdem agri sæpimento. Quod ipsum Laertius in vita Zenonis his quidem verbis: εἰκάζουσι δὲ ζώῳ τὴν φιλοσοφίαν, ὀστοῖς μὲν καὶ νεύροις τὸ λογικὸν προσομοιοῦντες, τοῖς δὲ σαρκωδεστέροις τὸ ἠθικόν, τῇ ψυχῇ δὲ τὸ φυσικόν· ἢ ἀχῷ παμφόρῳ, τὸ μὲν περιβεβλημένον φραγμὸν τὸ λογικόν, τὸ δὲ καρπὸν τὸ ἠθικόν, τὴν δὲ γῆν ἢ τὰ δένδρα τὸ φυσικόν. Quas tamen omnes eorum similitudines prætererat illorum Ciceronis librorum interpres.

In eo ipso libro locus ex coniectura emendatus.

CAPVT III.

IN eodem libro hæc quoque verba sic leguntur: *Sed iter huius sermonis quod sit fides, ad Reipub. firmandas, & stabiliendas vires, sanandos populos.*) interpres non *vires*, sed *vrbes* legit: quid generandi casu illo reipub. futurum sit, non ostendit. Illius hæc mihi castigatio profecto non probatur: ac si, quod non admonet, *Reipub* mutat in *respublicas* multitudinis accusatiuum, huic ego iam librorum omnium constantem huius loci lectionem oppono. At si illo altero velit modo, tum mihi sic loquuturus fuisse videtur Cicero, *Ad Reipub. firmandas vires, stabiliendas vrbes, sanandos populos:* vt perpetuum, quod solet, esset ἀσύνδετον. Ac ne sic quidem ille crimen ineptiarũ videretur effugere, quod quum *Reip. vires*, tum etiam simul quod sequitur, *stabiliendas vrbes* dixisset. etenim Respublicæ, & vrbes idẽ fere sunt, ac Græcum verbum πόλις Respub. fere vertitur Latine.

Fasti-

Fastigium quid sit Philippica 2. M. Iulii, explicatum.

CAPVT IV.

IN secunda M. Iulii in Antonium oratione verba hæc sunt: *Et tu in Cæsaris memoria diligens? Tu illum amas mortuum? Quem is maiorem honorem consecutus erat, quam vt haberet puluinar, simulacrum,* fastigium, *flaminem?*) cetera cum sint non ita difficilia, quid vnum *fastigii* verbum significet, non satis liquet: ego quæ potero, conabor explicare. *Fastigium*, dici arbitror cellam diuo dicatam, in qua numen eius colitur: ea vero forma ac figura, vt in fastigiatum apicem, culmenq; consurgat. Sunt enim cellæ altæ, rotundæ, concameratæque, quos *Tholos*, & Vitruuius, & Varro vocant. Quod ita se habere, argumento esse possunt Virgilii versus in 9.

Si qua tuis vnquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit: si qua ipse meis venantibus auxi
Suspendiue tholo, aut sacra ad fastigia fixi.

Quanquam commodius forte sacram ipsam ædem μετωνυμικῶς, & Augustum templi totius ædificium interpretabimur, quã nos ad sententiam Ciceronis adiuuant, nonnihil illa in 3. de orat. verba: *Capitolii fastigium illud, & ceterarum ædium non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est.* Sed quod *ceterarum ædium* dicat, intelligo liberum cuiuis esse, vel ipsum *sacrum fastigium* hoc loco, vel etiam non *sacrum* interpretari.

L. Florus in 4. de populi Romani in defunctum Cæsarem studiis agens, *fastigii* verbo non secus vtitur. *Itaque*, inquit, *non ingratis ciuibus, omnes vnum in principem congesti honores: circa templa imagines: in Theatro distincta radiis corona: suggestus in curia: fastigium in domo: mensis in cælo: ad hoc pater patriæ: nouissime, dubium an ipso volente, oblata pro rostris regni insignia.* Quibus in verbis, *fastigium in domo*, dubium, in domo ne Cæsaris ipsius, an ciuium potius ipsorum: si in eius domo, interpretemur vel domũ ipsius totã, vel certe partem, imposito fastigio redactã in templi formam: sitque hæc, *ædes illa aurata*, pro rostris ad simulacrum Templi Veneris Genitricis collocata. quod ipsum ad indigetationem forte pertinuerit. Scribit enim S. Pompeius verbum *indigetis* interpretans, *Indiges indigetis facit. Hoc nomine Æneas ab Ascanio appellatus est, cum pugnans cum Mezentio nusquam apparuisset, in cuius nomine etiam templum construxit.* Sin domi quemque suæ intelligimus, Cellam aliquam interpretemur illam intra priuatos parietes dicatam, vt diis ipsis Laribus. *Tholi* autem quæ forma fuerit, sciri quidem id potest ex illis Ouidii versibus in 6. Fastorum:

Per facies templi, nullus procurrit in illo

Angulus, a pluuio vendicat imbre tholus.

Et aliquanto post:

Esse diu stultus Vestæ simulacra putaui,
Mox didici acruo nulla subesse tholo.

A fastigiorum quoque sacrorum mentione non videntur abhorrere, quæ Gell. in 13. cap. 24. his vtens verbis scribit, *in fastigiis fori Traiani, simulacra sunt sita circum vndiq; inaurata equorum, atq; signorum militarium, subscriptumq; est, ex manubiis.*

Tibulli locus cum Maniliano comparatus.

CAPVT V.

Apud Tibull. in primo Elegia tertia in impressis libris iis, quos sane videtim non paucos, sic hi duo versus constantes leguntur:

Nec vagus ignotis repetens compendia terris,
Presserat externa nauita merce ratem.

Quibus in versibus mutandum forte *compendia*, in nō vsquequaque disiunctum diuersumque ab illo verbum *commercia*, quod vt ita existimem, faciunt horum simillimi, ac ex his plane expressi illi M. Manilii versus in Procemio primi libri Astronomicon:

Et vagus incertum penetrauit nauita pontum,
Fecit, & ignotis itiner commercia terris.

Quanquam & apud Cæsarem in 3. belli ciuilis, ac apud alios, pro lucro, & quæstu sæpe *compendium* ponitur.

Fistula Theocriti quæ forma.

CAPVT VI.

Fistula quæ Græce σύριγξ dicitur, in Theocriti libris pingitur quidem illa varie. Cuius tamen ignorari figura non omnino potest, si eorum, quæ iam subiiciemus scriptorum verba consideremus. Tibulli in 2. Eleg 5. versus hi sunt:

Pendebatq; Vagi pastoris in arbore votum,
Garrula syluestri fistula sacra Deo.
Fistula cui semper decrescit arundinis ordo:
Nam calamus cera iungitur vsq; minor.

Iulii Pollucis in 4. hæc sunt sane persimilia, ἡ μὲν καλαμων ἐστὶ συνθήκη λίνῳ, καὶ κηρῷ συνδεθεῖσα, ἄγει αὐλίσκοις ἰδίῳ αὐλοὶ πολλοὶ ἕκαστος καὶ μικρὸς ὑφ' ἑκάστῳ ὑπολήγοντες εἰς τὸ ἐλάχιστον ἀπὸ τοῦ μεγάλου ἀνισότητα ἔχοντες, ὡς ὄρνιθος πτέρυγι ἐοικότες. Virgilius in Alexi.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.———

Et

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit.———

Et in

Et in Palæmone:

—Aut vnquam tibi fistula cera
Iuncta fuit?

Et Theocritus in 1. Idyll.

——ἔ τάνδε φέρ' ὦναξ πάκτοιο μελίπνουν.
ἐκ κηρῶ σύριγγα καλὰν περὶ χεῖλος ἑλικτάν.

Catulli versus ex Callimacho de Coma Berenices. Virgilius illustratus.

CAPVT VII.

POematis illius Callimachi de Coma Berenices reliqui duo sunt versus in commétarius Theonis in Arati φαινόμενα, quos Politianus in Elegorū formam redactos adducit indidem etiam acceptos, qui tamen, vt hodie se Theonis habent illa scripta, Hexametri sunt apud illum, atque Heroici: legit autem Politianus illos sic,

ἡ μὲν Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τ̃ Βερενίκης
βόστρυχον, ἣν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Vt nunc autem leguntur, in iis, quos vidi, libris sic,

ἡ δὲ Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
βόστρυχον, ὅντ' ἄρ κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖσιν.

Politiani lectionem probabiliorem facit interpretatio Catulli. Nunquam enim, opinor, illos, siquidem Heroici fuissent, in Latinos elegos cōuertisset Catullus. Vertit illos duos Catullus quatuor hisce versibus,

Idem me ille Conon cœlesti numine vidit,
Et Beroniceo vertice cæsariem,
Fulgentem clare, quam multis illa Dearum
Leuia protendens brachia pollicita est.

Est autem Conon in his Callimachi versibus ille, cuius in Palæmone Virgilius nomen suis versibus inseruit,

In medio duo signa, Conon: & quis fuit alter
Descripsit radio totum qui gentibus orbem?

Errat enim omnino Seruius, qui ducem illum Atheniensium intelligi credidit. Est vero hic Conon alter Mathematicus, cuius & Hesychius, & Theon in explanationibus in Aratum suis meminit. verba illius sunt: Κόνων δὲ ὁ μαθηματικὸς Πτολεμαίῳ χαριζόμενος Βερενίκης πλοκίμον ἐξ αὐτοῦ κατηστέρισε, & quæ sequuntur. Hunc enim voluisse Poetam indicare, demonstrant illa eius subiuncta verba, *Et quis fuit alter? Descripsit radio, &c.* Non enim dux ille, vt ab armorum & gerendarum rerum, sic ab Astrologiæ & rerum illarum omnium scientia clarus fuit. Sed & Probus illum explanans locum, de Mathematico intelligendum esse monuit.

[Augurum partitus. Cicero & Valerius Maximus emendati.

CAPVT VIII.

VAlerius Max. in 1 cap. de Religione, eadem tradit, quæ Cicero in orat. de Aruſpicum reſponſis, id quod ante me Iacobus Bononienſis & vidit, & ex illo Ciceronis hunc apud Valerium locum ipſe caſtigauit. Ego vero non hunc quem illum corruptum magis, ac depꝛauatum locum eſſe arbitror. Vt igitur ſe:e habeat in manuſcripto codice Valerii locus, ita deſcribo, *Maiores ſtatas ſolemnesque ceremonias pontificum ſcientia bene gerendarum rerum, auctoritate Augurum, obſeruatione Apollinis, prædicatione Vatum, libris portentorum depulſis, Etruſca diſciplina explicare voluerunt. Priſco enim inſtituto rebus diuinis opera datur cum aliquid commendandum eſt precatione, cum expoſcendum voto, cum ſoluendum gratulatione, cum inquirendum extis vel ſortibus impartito. Prædicationis* verbum etiam retinebat exemplar illud manuſcriptum. illa in extremo capite verba, *vel ſortibus impartito*, difficultatem nonnullam habent, quod quid *impartitum* ſit, non plane conſtet. Credo ego lapſum ſcriptoris ea in voce manu, ac pro *vel partito impartito* feciſſe. *In* enim particula ſcripta ſic, l', vt erat in eo libro, minimum abeſt ab illius alterius particulæ ſcriptione, ac figura, quæ in antiquis libris ita fere ſcribitur l'. Hac igitur ita legi, *vel partito*, quid tum autem *partitum?* auium volatum videlicet, & illam auguriis obſeruationem de cœlo ſignificabit, vt extorum inſpectio ſit aruſpicum, ſortes vatum ſint & oracula, augurum partitum. Quod vt ita ſentirem, Papinii me verſus in tertio Thebaid. in quibus *partiendi* verbo in hoc augurandi genere vtitur, illi impulerunt,

Si datur, & duris ſedet hæc ſententia Parcis,
Soluere Echionias Lernæa cuſpide portas,
Signa feras, læuusque tones: tunc omnis in aſtris
Conſonet arcana volucris bona murmura lingua.
Si prohibes, hic necte moras, dextrisque profundum
Alitibus prætexe diem. Sic fatus, & alto
Membra locat ſcopulo: tunc plura ignotaque iungit
Numina & immenſi fruitur caligine mundi.
Poſtquam rite diu partiti ſydera, cunctas
Perlegere animis, oculisque ſequacibus auras.

Ac poſt in 8.

——Haud mora cunctis
Inſignem fama ſanctoque Melampode cretum
Thiodamanta volunt, qui cum ipſo arcana deorum
Partiri, & viſas vni ſociare ſolebat
Am, hiaraus aues.

Feneſtella in libro de Magiſtratibus & ſacerdotiis Romanorum,

tum, si modo Fenestellæ liber ille est, vbi de Auguriis agit, *determinandi, designandi, definiendique* verbis vtitur, ac dextrarum, sinistrarumque partium simul etiam meminit, a quibus est partibus *partiendi* verbum forte deductum, quod in earum obseruatione partium versari significat, atque operam augurio dare. Verba subiicio Fenestellæ: *De ritu vero inaugurandi si vnum in casum pleraque dixero, eadem ad omnes ceteros facile fieri poterunt. Ea quidem, quantum ex veterum monumentis collegi, huiuscemodi fuit obseruatio. Augur in arce siue in adito quodam loco ad inaugurandum debebat sedere super lapidem meridiem versus, atque ad lauam sedens baculum in manu recuruum, quem lituum vocant, tenet. Inde vbi prospectu in vrbem agrumque capto, Deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinat, dextras ad meridiem, lauas ad septentrionem partes esse dicit: signum contra quod oculi conspectum longissime ferunt, animo definit: tum lituo in lauam manum translato, dextra in caput eius qui inauguratur posita, ita precatur: Iuppiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cuius ego caput teneo, Regem Romæ esse, vti nobis signa certa, ac clara sint inter eos fines, quos feci. Tum peregit verbis auspicia, quæ mitti vellet: quibus missis Numa de templo (ita enim designatas lituo regiones vocant) declaratus rex descendit.* Ad illam partiendi rationem significationemque pertinent illa etiam verba eiusdem: *Vti nobis signa certa, ac clara sint inter eos fines, quos feci.*

De horis diurnis obseruatio, earumque officia. Plinius explicatur.

CAPVT IX.

Diei, noctisque spatium, quod ἡμερονύκτιον D. Basileius nominat, veteres horis 24 definiebant. Dies ex horis duodecim, totidem nox ipsa constabat. Primam diei horam, cum primum diescere, vocabant duodecimam extremum diei tempus. Par horarum noctis ratio, quo numero cum dies, & nox circumscriberetur, pro quoque anni tempore, ac dierum, noctiumque productione atque contractione longiores quoque, ac breuiores horas diuersis quidem temporibus fuisse necesse est. Martialis diurnarum horarum omnium, præterquam reliquarum duarum munia in 4. hoc epigrammate breuiter exponit:

Prima salutantes, atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris,
Imperat exstructos frangere nona toros.

Hora libellorum decima est Eupheme meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.
Et bonus aetherio laxatur nectare Caesar,
Ingentiq; tenet pocula parca manu.
Tunc admitte iocos, gressu timet ire licenti,
Ad matutinum nostra Thalia Iouem.

Quod hòram nonam reficiendi, & curandi corporis tempus esse scribit Martialis, id ipsum potest etiam intelligi ex Epistola quadam Ciceronis ad Pætum, cuius est initium, *Accubueram hora nona*. Idem horam octauam multum iam esse diem ostendit, in prima Tusculana de bestiolis agens quibusdam. *Ex his igitur,* inquit, *hora octaua quae mortua est, prouecta aetate mortua est.* Idē Catullus de octaua illis in Gellium versibus.

Mane domo cum exis, & cum de octaua quietè
E molli longo suscitat hora die.

Quarum quidem horarum ratio ab vmbrarum, quam *gnomonicen*, vt ait Plinius, vocant, quia pendebat, vmbræ ipsæ in horologio scioterico obseruabantur. Horas Plinius bifariam dinumerat. Primam enim, secundam, tertiam, quartam, ac reliquas aut horas, aut partes diei, noctisque vocat. Persius vmbras in tertio Satyr.

Sternimus indomitum, quod despumare falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur vmbra.

Quod autem Plinius longissimum in Italia diem, decimumquintum horarum, & aliquot præterea partium esse dicit, non autem duodecim, horas intellexit æquinoctiales, quæ semper eædem sunt, vbique pro loco cœlique regione certæ ac statæ. Qua de re cum erudite multa Manutius pater, & Andreas Alciatus in commentariis de verborum significatione conscripserint, supersedebo pluribus.

De electro Cornelius Tacitus illustratus.

CAPVT X.

CORnelius Tacitus in libro de moribus Germanorum, vbi de electro apud quosdam Germaniæ populos large prouenientе multa narrans, hæc inter cetera commemorat. *Succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quaedam, atque etiam volucria animalia plerunque interlucent, quae implicata humore mox durescente materia cluduntur.* Cum his ego nunc Martialis versus eadem de re coniungo simillimos, e primo quidem de ape electro inclusa, hos:

Et latet, & lucet Phaetontide condita gutta.

Vt vi-

Vt videatur apis nectare clausa suo.

E 6. vero de formica electro inclusa, illos:

Dum Phaetontea formica vagatur in umbra,
Implicuit teneram succina gutta feram.

In Somnio Scipionis M. Tulli loquelariter legendum videri, vel populariter.

CAPVT XI.

IN Scipionis somnio, quam pene solam sex Ciceronis de Rep. librorum particulam tempus nobis reliquam facit, ita scriptum est: *Homines enim populariter annum tantummodo solis, id est, unius astri reditum metiuntur.* Quo in loco vetustissimi codices, alter quidem utrunque & populariter, & loquelariter: alter vero *loqueraliter* tantum scriptum præ se ferebant. Quod verbum etsi apud Ciceronem alibi, aut apud eiusdem ætatis scriptorem alium nondum legi non repudiandum tamen, nec prætermittendum duxi, illorum adductus librorum antiquitate, ac fide: Et quod Probum Grammaticum usurpare id verbum videam in appellandis iis præpositionibus, quæ componuntur tantum, non etiam casus regunt. eas enim ille *loquelares* appellat. Sed dicat quis, Grammaticum id esse verbum, nec esse Grammaticorum sermonem ita politum, ut elegantiæ fidem possit facere: ego tamen veterem lectionem ab hoc qualicunque subsidio nudam, desertamque esse nolui. Huic voci par est apud Aristotelem in poetica verbum Græcum λαλικὸν, qui cum doceat ἰαμβεῖον metrum esse μάλιστα λαλικὸν, non male, credo, *loquelare* interpretatemur, quod in hominum sermonibus, quemadmodum scribit ille, sæpius incidit. eius verba hæc sunt, λέξεως δὲ γενομένης αὐτὴ ἡ φύσις τὸ οἰκεῖον μέτρον εὗρε, μάλιστα γὰρ λαλικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖον ἐστι. Probabilius tamen alterum, *populariter* scilicet, quod eodem modo Cicero in primo de legibus, & in secundo de finibus, *populariter* utatur adverbio. Nam quod de Heroico numero eadem videtur Aristoteles in 3. Rhetoricorum scribere, cum ait: τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος, σεμνὸς, καὶ λαλικὸς, vitium id est scriptorum, qui pro λαλικὸς illud fecerunt alterum. Dicitur autem numerus Heroicus λαλικὸς, id est, ut ait interpres Græcus, μεγαλόφωνος, *vocalis*, sive *canorus*, sive *grandisonus*, sive *sonorus*, a verbo λαλεῖν. Id eruditissimum virum Petrum Victorium non vidisse miror; præsertim cum Phalereum legisset, hæc ipsa, quæ Aristoteles, Heroico pedi verbis idem significantibus tribuentem. ait enim, ὁ μὲν ἡρῷος σεμνὸς, καὶ οὐ λογικὸς, ἀλλ' ἠχώδης. Nimirum hæc rem prorsus eandem significat λαλικὸς & ἠχώδης. Quintilianus *amplum* hunc pedem dicit. Cicero eundem e:

Pæanem Priorem, & Creticum in 3 de Orat. *proceros numeros appellat.*

Parodia quid ex Hermogenis sententia.

CAPVT XII.

IN interpretatione παρῳδίας vocis omnino Græcæ præterierunt siue obliti, siue etiam ignari doctissimi homines Hermogenis ad eam rem verba summe necessaria, quæ sunt apud illum, vbi περὶ μεθόδου δεινότητος disputat hæc, τοῦ κωμικοῦ λόγου ἅμα καὶ σκώπτειν ἀρχαῖος τρεῖς μέθοδοι· τὸ κατὰ παρῳδίαν σχῆμα. τὸ παρὰ προσδοκίαν. τὸ ἐναντίας ποιεῖσθαι τὰς εἰκόνας τῇ τῶν πραγμάτων. ἔστι τοίνυν παραδείγματα λαβεῖν, τὰ μὲν ἐκ τοῦ κωμικοῦ, τὰ δὲ ἐκ τοῦ βίου, τὰ δὲ ἐκ τοῦ ῥήτορος. τὰ μὲν κατὰ παρῳδίαν οὕτως ἔχει. ὅλας; ...λος τὴν κεφαλὴν κέρατος ἔχει. θέλων γὰρ εἰπεῖν τὴν κεφαλὴν κέρατα ἔχει διὰ τὸ τραυλὸς εἶναι δεῖ ... ἁμαρτὼν τῇ φωνῇ διεκωμῳδήθη τοῖς τρόποις Et paulo post hæc ipsa. οὕτως δὲ πᾶσι χρῆται Δημοσθένης ἐν τῷ περὶ τοῦ στεφάνου ἔνθεν δηλοῦται ὅτι κωμῳδεῖν ἐπίσταται. τῇ μὲν παρῳδίᾳ οὕτως. τὸν μὲν πατέρα αὐτῷ τρέμοντος ἐποίησεν ἀτρόμητον. Quo de genere multa Quintilianus in 9. vbi de traductione, siue de petenda dicendi gratia e partibus contrariis, quales hæ sunt, *non orator, seu arator; non Pisonum, sed pistorum*, quæ *annominatio* nonnullis etiam dicitur. Cicero in tertio de orat hanc a Græcis, παρονομασίαν, dici tradidit. *Alterum genus est*, inquit, *quod habet paruam verbi immutationem, quod in litera positum Græci vocant* παρονομασίαν, *nobiliorem, mobiliorem, Cato*, &c. Asconius Pedianus Ciceronis verba explanans illa e 2 in Verrem actione, *Te non fato Consulem vt ceteros ex vestra familia*, *Parodia* verbo hoc vtitur: ait enim, *Dictum facete, & contumeliose in Metellos. Antiquum Neuii est,*

Fato Metelli Romæ fiunt Consules,

cui tum Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui & Saturnius dicitur.

Dabunt malum Metelli Næuio Poetæ.

De qua parodia subtiliter Cicero dixit, Te non fato vt ceteros ex vestra familia. Dubitari tamen hoc loco potest, quoniam *parodia* modis duobus dicitur aut illo quo exposuimus, aut cum versus alicuius Poetæ non totus sed partim inseritur orationi, vtro modo Pædianus acceperit: credo ego posteriore hoc altero, nisi quis *parodiam* etiam non insertum poema vocet. quo sane etiam modo dicitur, atque hinc παρῳδοὶ poetæ dicti, & παρῳδεῖν deductum verbum. quod ipsum poematis genus acerbum, scilicet, ac maledicum. *versus*, opinor, appellat Cicer. in secunda Epist. ad Q. Fratrem, vt quos alii collegerunt, interim locos omittam, sic enim scribit: *Ea res acta est, cum hora sexta vix Pompeius*

primi peroraßet, vsque ad horam octauam, cum omnia maledicta, versus etiam obscenißimi in Clodium, & Clodiam dicerentur. Pertinent etiam *versus* ad honorem ac laudem. Idem in prima in Antonium: *Quid enim gladiatorii clamores innumerabilium ciuium? quid populi versus? quid Pompeii statuae plausus infiniti?* & quæ sequuntur. Dici vero *parodiam*, cum poetæ versus non integer inseritur orationi, docet Hermogenes illo ipso in loco, vnde superiora illa sumsi. verba illius sunt: κατὰ πόσους τρόπους ἐν πεζῷ λόγῳ χρῆσις ἐπῶν γίνεται; κατὰ δύο, κολλήσει καὶ παρῳδίᾳ. Deinde paulo post: κατὰ παρῳδίαν δὲ ὅταν μέρος εἰπὼν τοῦ ἔπους παρ' αὑτοῦ τὸ λοιπὸν πεζῶς ἑρμηνεύσῃ. & quæ sequuntur. Cicero quanquam de *parodia* nullum verbum, de interpositione tamen versus in 3. de orat. sic scribit, *Sæpe etiam facete versus interponitur, vel vt est, vel paululum immutatus, aut aliqua pars versus.* & quæ sequuntur.

Prouerbii explicatio, Ex eadem fidelia duos inalbare parietes.

CAPVT XIII.

IN epistola Curii ad Ciceronem prouerbium quod est, *Ex eadem fidelia duos parietes dealbare*, obscure ab aliis tractari, nec dum satis intelligi video. Cuius ortum prouerbii cum nemo doceat, quod sit, ipsum per se ignorari necesse est. Pausanias vero in posteriore Eliacorum volumine Ionum verbum, ac Samiorum proprium fuisse tradit. Sic enim scribit: λυσάνδρῳ δὲ τῷ ἀριστοκρίτου σπαρτιάτῃ ἀνέθεσαν ἐν ὀλυμπίᾳ σάμιοι. καὶ αὐτοῖς τὸ μὲν πρότερον τῶν ἐπιγραμμάτων ἐστὶν,

Ἐν πολυθηήτῳ τεμένει Διὸς ὑψιμέδοντος.

ἕστηκε δ' ἀνθέντων δημοσίᾳ σαμίων. τοῦτο μὲν δὴ τοὺς τὸ ἀνάθημα ἀναθέντας μηνύει. τὸ δ' ἐφεξῆς ἐς αὐτὸν ἔπαινός ἐστι λύσανδρον.

Ἀθανάτων πάτρᾳ καὶ ἀριστοκρίτῳ κλέος ἔργων.

Λύσανδρ' ἐκτελέσας. δόξαν ἔχεις ἀρετᾶς.

δῆλοι οὖν εἰσι οἵ τε σάμιοι, καὶ οἱ ἄλλοι ἴωνες κατὰ τὸ λεγόμενον ὑπ' αὐτῶν ἰώνων, τοὺς τοίχους τοὺς δύο ἐπαλείφοντες. ἀλκιβιάδου μέν γε τριήρεσιν ἀθηναίων περὶ ἰωνίαν ἰσχύοντος ἐθεράπευον αὐτὸν ἰώνων οἱ πολλοί. καὶ εἰκὼν ἀλκιβιάδου χαλκῆ παρὰ τῇ ἥρᾳ τῇ σαμίων ἐστὶν ἀνάθημα. ὡς δὲ ἐν αἰγὸς ποταμοῖς ἑάλωσαν αἱ ναῦς αἱ ἀττικαί, σάμιοι μὲν εἰς ὀλυμπίαν τὸν τῆς ἀρτεμιδ(ος) λύσανδρόν τε αὐτὸν καὶ ἐπόνησαν. Quorum tamen verborum duplex potest esse sententia. Dealbatos a Samiis parietes duos fuisse, vel quod vna simul inscriptione suas & Lysandri laudes complexi essent, vel quod Alcibiadis fortuna, rebusque conuersis, cui nuper statuam posuerant, & studebant, ab eo defecissent, ad Lysandrum victorem studia sua contulissent. Qui enim se, vel inter amicos, vel aduersarios ita

Kkk 5

gerunt, vt apud vtrunque alterum se præcipue, vel vnum etiam, colere atque amare præ se ferant, vel maiores opes alterius & potentiam fortunamque quasi alternante gratia sequuntur, duos hi parietes, eos forte in quibus imagines eorum positæ sunt, linere, dealbareque dicuntur. Quam equidem posteriorem sententiam magis probo, & ex illis Pausaniæ verbis expressit Latine Romulus Amasæus, vir vnus in omni genere doctrinæ præstantissimus: & suadent illa eadem de re Suidæ verba: *δύο τοίχους ἀλείφεις. λέγεται ἐπὶ τῶν ἐπαμφοτεριζόντων, καὶ διὰ μέσου χωρούντων ἐν μάχαις, ἢ φιλίαις. εἴρηται δὲ ἐκ τοῦ ἀπὸ τῶν δύο τοίχους συμφιλίας ποιούντων.* Quo in prouerbio reticent illa Græci verba. *De eadem fidelia*, ei videlicet, quæ decet hoc genus, breuitati dum student. *Sepulcra* vero *dealbata*, quæ dicuntur in Euangelio Matthæi, & in Actis Apostolorum, *Paries dealbatus*, aliter atque hic accipi videntur, & verbum illic *dealbare*, Græcum est aliud.

Martulus quid Plinio, libro 7. Naturalis Historia.

CAPVT XIV.

C. Plinius secundus in 7. Natur. Histor. cap. quinquagesimo sexto, vbi de rerum inuentoribus disputat, hæc inter cetera commemorat: *Tegulas inuenit Cynira Agriopa filius, & metalla æris, vtrunque in insula Cypro: item forcipem marculum, vectem, incudem.* Quo in loco *marculum*, vitiose omnino scriptum fuisse puto. Nam & vetus huius loci lectio non *marculum*, sed *martellum* scriptum repræsentat. Quod & si multo illo est rectius, suspicor tamen non *marculum*, sed *martulum* primum scriptum fuisse, cuius illud diminutiuum sit. Fuit autem *marculus* cadente post & in præceps eunte Latina lingua corrupta ex illa, quam probo, dictio. Quod ita se habere vnius Capri doctissimi antiquissimique Grammatici testimonio confirmo: is itaque in extremo libro de Orthographia: *Martulus*, inquit, *a Marte, non marculus.* An a Marte inuentore ita dictum esse voluerit, nescio. Est autem *martulus* fabrile huiusmodi instrumentum ferreum, quale Itali, & Lusitani *martello*, Hispani ceteri *martillo*, Galli *marteau* vocant, Latina pene adhuc voce. Neque Hebraissensis noster alter est malam *marculis* leonem interpretatus.

Meminisse me facere, & fecisse, dici contra Agrætium Grammaticum.

CAPVT XV.

A. Grætius Grammaticus antiquus & nobilis in libello de Orthographia, & proprietate sermonis ita præcipit, *Memini me fa-*

me facere, dicere debemus: non *memini me fecisse*. Nam *memini*, sermo est totus præteriti temporis, qui ante factam rem in præsens reuocat: & si dixeris *me fecisse*, duo præterita simul iungis. Cicero: *Memini Pamphilum Kybanium mihi narrare solitum.* Idem infra: *Respondi Metello vt debui, & memini me dicere*. Terentius, *Ego illam vidi virginem, forma bona, memini me videre*. Virgil.

Cantando solitum memini me condere soles.

Idem:

—— Memini axunco sita ferre senes.

Et multis præterea in locis. neque inuenitur vbi ab aliis magnis auctoribus *memini* ita positum sit, vt non addatur aut etiam, aut aliquantus sermo, qui præsens tempus restituat, nisi vno in loco, & quasi hoc mirabile:

Namque sub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flauentia culta Galesus,
Corycium vidisse senem. Hactenus Agrætius.

Ego vero vt dem infinitum præsentis temporis postulare sæpius verbum *memini*, non tamen vno tantum in loco apud Virgilium cum verbo præteriti poni concesserim, quum etiam M. Tullius, vt alios eius ab aliis collectos locos prætermittam, in primo Epistolarum ad Atticum, in epist. cuius initium est: *Cum essem in Tusculano*, nulla metri cogente necessitate, eodem posuerit modo. *De comitiis*, inquit, *meis, & tibi me promisisse memini, & ego iam pridem hoc communibus amicis, qui te exspectant, prædico.* Hic alii codices *permisisse*, non *promisisse*, eodem tamen tempore. Id dictum volui, ne quem Agrætius impediret, quo minus ita Latine loqueretur.

Græca verba, Græco accentu esse proferenda ostensum ex Donato, & Seruio.

CAPVT XVI.

Dictiones hæc, *Philosophia*, *Orthographia*, & iis similes aliæ, quæ Græcæ primum fuerunt, postea vero etiam pro Latinis habitæ, non alio accentu Latine, quam Græce sunt afficiendæ, & pronunciandæ, quo modo nunc doctissimi quique viri pronunciant, & Donatus, & Seruius doctissimi Grammatici non aliter efferendas esse præcipiunt. Eorum verba subiicio: *Sane Græca verba*, inquit Donatus, *Græcis accentibus melius proferimus*. Seruius vero: *Græca autem, suis accentibus pronuntianda esse cognoscimus*. Horum igitur auctoritate duorum nixus, accentum in penultima ponendum esse arbitror, quod multo est rectius, quam cum aliter fit. Id cum Franciscus Vergara neget, eius tamen sententiæ auctorem adducit neminem.

De Synizesi in eadem contra Quintianum Grammaticum.

CAPVT XVII.

QVintianus & Grammaticus, & Poeta non malus, ablatiuum singularem pronominis *eodem, eadem*, ancipiti vult esse penultima, in reliquis vero casibus *a* penultimum semper esse breue: nec adeo multum probare videtur, quod in auferendi casu crasim, siue synizesim alii fieri dicunt. Sin ego nunc doceo *a* penultimam in ceteris casibus non semper esse breue, vt vult ipse, non aut omnino synizesin esse confitebitur, aut suam ipse orationem retexet, ac priorem illam sententiam damnabit? Sed age iam doceamus hoc ipsum, & confirmemus elegantissimis illis Lucretii versibus in secundo:

Non quo multa parum communis litera currat,
Aut nulla inter se duo sint ex omnibus eadem,
Sed quia. & reliqua.

non producitur *a* penultimum in nominatiuo numeri multitudinis. Ergo synizesis est, qua duæ breues in vnam longam contrahuntur. Nec est quod illam alteram huius Lucretiani versus lectionem appellet:

Aut nulla inter se duo sint ex omnibus idem.

quam optimi quique codices manuscripti, & impressi omnino nesciunt, & doctissimi homines etiã eiiciunt & abiudicant. eiusdem omnino generis est, atque figuræ Ennianum illud apud Lactantium in 5. de Iustitia,

Vni se atq; eidem studio omnes dedere, & arti.

Horum antiquissimorum poetarum exemplo M. Hieronymus Vida poeta ætate nostra nobilissimus in Hymno in Eucharistiam similiter scripsit,

Diluerita, merum patera libantibus eadem.

Vbi igitur ablatiui huius siue *a*, siue *o* penultimæ corripi videbũtur, crasin, aut Synizesin tibi esse persuade.

Gnatus, prosthesi litera G. scribendum.

CAPVT XVIII.

PRosthesin literæ *g.* ad dictiones *natus* & *nata*, apud Virgilium perpetuam esse debere existimo: quod eam antiquitas, cuius est Virgilius felicissimus & perstudiosus imitator, in his imprimis adamarit. Catullum vero nunquam aliter has voces vsurpare omnes animaduertimus: cuius cum nonnulla alia Virgilius sit imitatus, id quoque minime fuisset aspernaturus. Certe in antiquissimo Donati libro de figuris in exemplo anaphoræ, versus illi Virgiliani sic leguntur.

Gnate mea vires, mea magna potentia solus,
Gnate patris summi, qui tela Typhoea temnis.

Qua de re cum Pierius Valerianus in suis illis in Virgiliũ accuratissimis castigationib. non semel egerit, ad eius me caussam atq; sententiam libenter adiungo. Hanc autem literæ *g.* cum *n.* connexionem ab Italis, & Hispanis exprimi, pronuntiariq; rectius puto, quam ab alia quauis gente, quæ non ita pronuntiat. Has enim ego linguas treis, Italorum, Hispanorum & Gallorum, quod ad scribendi pronuntiandiq; rationem attinet, cum aut auctoritas, aut etiam manus nulla est vetus, inprimis sequor: quod in illis vt verborum ipsorum reliquias, ita veteris pronuntiationis vestigia superesse quædam arbitror.

Non seruitus, Non ignauissimus, & id genus alia, quomodo interpretanda.

CAPVT XIX.

Corinthus in Attica dialecto, vbi docet Atticorum id esse proprium, vnius affirmationis loco duabus vti negationibus, id addit præterea, vnam etiam negationem cum priuatiua dictione duas negationes efficere, vnam valentes affirmationẽ, quod quia tacitũ, ac scitu dignum est visum, & Latine fieri nonnunquam solet, illius verba, atq; vsum eius rei nostrum nunc coniungo simul, & demonstro. Corinthi sunt hæc: *τὸ μεταλαμβάνειν τὰς δύο ἀποφάσεις ἀντὶ μιᾶς καταφάσεως ἀττικῶν ἐστι· θουκυδίδης ἐν τῇ τρίτῃ τῆς συγγραφῆς. ξύμμαχοι μέν τοι ἐγενόμεθα οὐκ ἐπὶ καταδουλώσει τῶν ἑλλήνων, ἀντὶ τοῦ ἐλευθερίᾳ. εἰ καὶ μία ἐστὶν ἀπόφασις ἡ οὐ, ἀλλ' ἡ καταδούλωσις τρόπον τινὰ ἀπόφασις ἐστὶ στέρησις τῆς ἐλευθερίας τυγχάνουσα, καὶ ἐναντιούμενον τῷ τῆς ἐλευθερίας ἀξιώματι. ὡς ὅμηρος.*

ἐπεὶ οὔ μιν ἀπαυρήσετος βάλ' ἀχαιῶν,
ἀντὶ τοῦ ἀνδρεῖος.

Itaque apud Thucydidem *non seruitus*, apud Homerum *non ignauissimus*, est non ipsa libertas, non ipse, non fortis, id est, *libertas*, *fortis*. Apud Terentium: *Sed quid videtur hoc tibi mãcipium? P. non malũ hercle*: quasi diceret, *nõ mihi videtur non bonũ. i. bonum*. Itaq; duplicata negatio, aut cum priuatione simul, affirmationẽ facit. Donatus illa Comici verba explanãs inimicam esse laudationem admonet. Cum igitur parce minusque amanter laudare voluerimus, aut cum minus odiose hostiliterque vituperare, vtemur hac ratione, ac formula: qui enim sic loquitur, non omnino nihil aut laudat, aut vituperat: aut, vt Horat. loquitur, *laudat q; maligne*.

Ex præpositio Græcis, Latinisque tempus interdum significat.

CAPVT XX.

Ex præpositio, siue ἐκ, non solum Græcis tempus significat, sed & Latinis. Græcis quidem significare Demetrius Calchondyla tradidit hisce verbis, *δηλοῖ δὲ καὶ τὸ ὕστερον ὡς παρὰ σοφοκλεῖ:*

ἃ δ' ἐκ τῶν δὲ δράσω ταῦτα χρὴ κλύειν ἐμοῦ.

Latinis autem, cum sic loquuntur, *ex Pretore Consul*, significat enim post gestæ Præturæ tempus initum Consulatum. quomodo Cicero in primo de legibus loquitur, *Quia me*, inquit, *Athenis audire ex Pratore meo memini Gellium familiarem tuum, cum Proconsul ex Pratura in Graciam venisset.* atque alibi *Neque vero vsquam ex eo die discedebam, quo in adem Telluris conuocati sumus.* item alibi. *Cotta ex consulatu profectus est in Galliam.* Et, *Tribuni militares ex Cal. Ianuaris non indicabunt: vereor enim ne ex Cal. Ianuar. magni tumultus sint*, Simile his illud, *Diem ex die exspectare.* Virgil. cum alibi, tum in 2. Æneidos:

> *Ex illo fluere ac retro sublapsa referri*
> *Spes Danaum.*

Cornelius Celsus in 3. eodem modo est vsus *ex*, præpositione. *Igitur cum primum*, inquit, *aliquis inhorruit, & ex horrore incaluit.* Et quæ sequuntur. Idem *a* præpositione præteritum tempus significante, sic vtitur in 8. *Et a parte*, inquit, *posteriore lana mollis auri subiicienda est: Et a tertio die vapore, vt in naribus posui, fouenda.* Cicero quoque sæpe hoc modo *ad* præpositione est vsus. Animaduersum, & adnotatum id ab aliis, hoc præteritum, etiam *abs*. In Epistola enim ad Tyronem sic scribit: *Tertio die abs te ad Alyzam accesseramus.* Quam ad ipsam temporis rationem solet adhiberi etiam *sub* præpositio. Cicer. in Epist. ad Plancum. *Cum is*, inquit, *frigidas sane & inconstantes recitasset Literas Lepidi, sub eas statim recitata sunt tua.* Et Virg. 5. Æneid. *Ille sub hac.* Et Horat. in 8. Sat. lib. 2. *Sub hoc herus, hac grauida, inquit.*

De Litera I vndique cincta vocalibus.

CAPVT XXI.

Litera *I* cincta, vt ait Probus, vndique vocalibus in simplici dictione initium est syllabæ, & duplicem consonantem valet, ac ita in medio est pronuntianda cum sequente vocali, vt in verbi *maior* prima syllaba. Id Quintiliani, Probi, Prisciani testimoniis confirmari potest. Mihi quidem in eo vehementer errare videntur, qui horum contra sententiam auctoritatemque sicut *i* vocalem pronuntiare pergunt. Cuius veræ, rectęque pronuntiationis non obscura sunt hodie signa in Italorum lingua: quod enim Latine *maior* ea lingua; *maggior*, scribitur, & effertur admixto *g.* indice consonantis *i.* At in Hebraicis nominibus, cuiusmodi sunt, *Iesus*, *Ioannes*, *Iesse*, diuersam rationem doctissimi homines secuti sunt. Alii enim ad latinorum formam vt consonantem, alii vero Græcorum more vt vocalem pronuntiant *i* primam literam.

Ah interiectio an cum aspiratione scribenda.

CAPVT XXII.

AH interiectio aspiratione subiecta fere scribi solet, recte ne id, addubito. Priscian. in 15. vbi de Interiectione, simplici tantum

tum elemento a scribendum esse præcipere videtur, vt &, *pro* quoque interiectionem sine aspiratione. *A quoque*, inquit, *& præpositio est, & interiectio, & nomen: Præpositio, vt a summo ad imum.* Interiectio, vt præmonstrauimus in Bucol. esse positum, nomen ipsius literæ. *Pro* quoque tam præpositio quam interiectio. Præpositio, vt Virgil. in 12. *Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum.* Et in 5. *Pro sequiusq; viri, & depromunt tela Pharetris.* Interiectio vt Lucanus in 3.

Pro si remeasset ad vrbem,
Gallorum tantum populus Arctoque subacta.

Optime tamen de accentibus earum docuit Donatus, quod non sint certi, quippe cum & abscondita voce, id est, non plane expressa proferantur, & pro affectus commoti qualitate confundantur in eis accentus. Hæc Priscianus. Sed quoniam ille Donatum appellat, Donati quoque verba subiiciam: *Accentus*, inquit ille, *interiectionibus certi esse non possunt, vt fere in aliis vocibus, quas incondita inuenimus.* Probus Grammaticus carmen illud adducens Virgilii: *A Virgo infœlix*, interiectionem sine aspiratione quidem scripsit, si non illius manum mentiuntur impressi libri. At Asper Iunior Grammaticus conquerentis interiectionem esse cum dicat, duabus eam vtrinque stipat aspirationibus. Qua de re tota sic statuendum arbitror, posse modis hisce omnibus figurari eiusmodi interiectionem, quod incerti sint interiectionis accentus. Accentus autem intelligo ipsas aspirationes appositas, aut nullas etiam. est enim aspiratio spiritus, spiritus autem accentus: vt cum adsit aspiratio, asper dicatur accentus esse: cum nulla, lenis. Incertus itaque est huius interiectionis accentus, vt ait Donatus, id est, modo habet aspirationem, modo non habet: Et quod idem est, modo lenem, modo asperum habet accentum. At cui hæc accentus interpretatio non placet, nihil equidem impedio, quo minus alio interpretetur modo, grauem scilicet, & acutum accentus: sed abesse tum debet aspiratio, sibi vt ipse constet Priscianus. In antiqua quidem membrana descriptum Statii poema, quoties hæc incidisset interiectio, sine vlla scriptum aspiratione repræsentabat. Qua quidem descriptione eo minus dubitandum est, quod Hesychius *a* interiectionem prorsus eandem tradens esse σχετλιαστικὸν ἐπιφώνημα, vt Aldini quidem libri testantur sine vllo spiritu, solo autem graui accentu notauit. pluribus quidem ego locis spiritu leni, & accentu circumflexo notatum sic legi ἆ in Orphei poemate de lapidibus,

ἆ δειλοὶ σοφίην ἱερούσιον ὑβρίζοντες.

Et in eo Epigrammate quod Platoni tribuit Laertius,

ἆ δειλοὶ νεότητι ἀπαντήσαντες ἐκείνας.

Eustathius explanans illud Homeri,

ἆ δειλ᾽ ἢ μάλα δή σε κιχάνεται αἰπὺς ὄλεθρος,

Particulam hanc, cum quidem est ipsa Pathetica, leuiter ac ista prorsus modo proferendam & scribendam his verbis esse demonstrat, ἐν δὲ τῷ [ἆ δειλέ] ὅ ἐστιν ὦ δείλαιε, κλητικὸν ἐπίρρημα ἐστὶ τὸ ἆ. ἢ μᾶλλον προσφωνητικόν. διαφέρει δὲ τῆς διὰ τοῦ ὦ προσφωνήσεως, ὅτι τὸ μὲν ψυχῆς ἀπαθοῦς. τὸ δὲ ἆ πάθος τυραχῶδες δηλοῖ ψυχικόν, ὡς ἔστιν εὑρεῖν πολλαχοῦ. οἷον ἢ σχετλιασμὸν ἢ ὀνειδισμόν, ἢ ἀγανάκτησιν ὡς ἐν τῷ ἆ, ἢ ἔλεον. Deinde erudite illud de eadem particula ibidem addit, καὶ κεῖται ἐν ἐπιλόγῳ λέξεων ἀρχαίας, ὅτι τὸ ἆ δασυνθὲν, γέλωτα δηλοῖ. Quo sane etiam modo visus apud Plautum exprimitur in Asinaria quare qui dolent in scriptis, dum quidem sic scribunt, ridere se potius declarant. Sex. autem Pompeius *pro* interiectionem alteram sine aspiratione scribendam esse ostendit, quod eius significationes omnino multas esse dicit.

De literarum Græcarum germana pronuntiatione Beta, non Vita.

CAPVT XXIII.

ELementa quædam sunt Græcę dictionis, de quorum pronunciatione non satis adhuc constat: video enim ab eruditissimis viris pronuntiari varie. ac vt eorum quisque pronuntiat, ita se quoque recte pronuntiare, atque ea etiam suauiter appellare contendit. Ego vero quid mihi de quibusdam videar habere compertum, ceteros non celabo. β. vt ϐ. nostrum proferendum censeo, non vt u consonans, cum quod quas habemus iam in vsum Græcas dictiones hoc elemento scriptas Gręce, nos eas per b nostrum scribimus, & sonamus. Tum quod M. Tullius ad Pætum sic scribens, *Cum loquimur terni nihil flagitii dicimus, at cum bini obscanum est: Græcis quidem, inquiens* β. vt ϐ. nostrum esse pronuntiandum pene pręcipit. Mihi quidem tolerabilior hic error esse videretur, si nec vt u consonans, a quo multo abest longius, sed vt aut π. aut φ. inter quæ mediū est β. pronuntiaretur. Cui tum errori partem Macedonum consuetudo patrocinaretur: hi enim β. in φ. fere conuertunt. quod ipsum Eustathius in commentariis in Dionysium his verbis. ἀμφιλαφὶς δὲ κυρίως ἐστὶ τὸ δασὺ οὗ ἔστιν ἀμφοτέρωθεν λαβέσθαι, τραπέντος τοῦ β. εἰς φ. Μακεδόνων ἔθει, & quæ sequuntur. Quod igitur β. τῷ φ. sono propior esset quam τῷ π. in eius pronunciationem potius corruptum fuisse suspicor. Deinde quod u consonans a φ. prolatione ipsa non multum differret, vt u nostrum consonans β. cępit audiri, Plutarchus tamē *Varro*, quod est proprium nomen latine, βάῤῥων Græce effert, quod sibi forte vim potestatemq; consonantis v. nostri melius sic propriusq; videretur exprimere.

Item de vocalium ι, η, diphthongorumque οι, ει, pronuntiatione.

CAPVT XXIV.

PErdifficilis quoque atque incerta est maixme duarum vocalium, ac

Em, ac vnius diphthongi pronuntiatio ι η. οι. Similiter enim eodemque prorsus sono Græcia quæcunque nunc est, Italiaque pronuntiant. Quæ cum nonnullis pronuntiatio improbetur, ipsi aliam comminiscantur: ego contra retinendam censeo, cum gentis vtriusque Græcæ, atque Italæ adductus consensione (qua quidem in vtraque si non perfectam planeque expressam, at illius priscæ, integræ, synceræque pronuntiationis imaginem certe aliquam, & qualescunque reliquias superesse puto) tum quod id videor scriptis grauissimorum Auctorum Thycididis, ac Demetrii Phalerei docere posse; ac primum quidem eorum verba proponam, deinde vero ex illis effici, coquiq; quod volo, conabor ostēdere. Thucydides in 2. sic scribit: τοιούτῳ μὲν πάθει οἱ ἀθηναῖοι περιπεσόντες, ἐπιέζοντο: ἀνθρώπων τε ἔνδον θνησκόντων καὶ γῆς ἔξω δῃουμένης. ἐν δὲ τῷ κακῷ, οἷα εἰκὸς ἀνεμνήσθησαν, καὶ τοῦδε τοῦ ἔπους φάσκοντες οἱ πρεσβύτεροι πάλαι ᾄδεσθαι.

ἥξει δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

ἐγένετο μὲν οὖν ἔρις τοῖς ἀνθρώποις μὴ λοιμὸν ὠνομάσθαι ἐν τῷ ἔπει ὑπὸ τῶν παλαιῶν, ἀλλὰ λιμόν. ἐνίκησε δὲ ἐπὶ τοῦ παρόντος εἰκότως λοιμὸν εἰρῆσθαι. Phalereus in lib. περὶ ἑρμηνείας, quo loco περὶ συγκρούσεως agit, hæc scribit: αἱ δὲ ἐκ διαφερόντων συγκρούσεις ὁμοῦ καὶ μέγεθος ποιοῦσι καὶ ποικιλίαν, ἐκ τῆς οὐ πολυηχίας οἷον ἠώς, ἐν δὲ τῷ οἴην οὐ μόνον διαφέροντα τὰ γράμματά ἐστιν, ἀλλὰ καὶ οἱ ἦχοι: ὁ μὲν δασύς, ὁ δὲ ψιλός. Quod ad Thucididis locum attinet, intelligimus ex illis eius verbis, ni & οι, non eodem modo, ac sono pronuntiarentur, nullum futurum fuisse errorem, neque controuersiam inter Athenienses de λιμὸς & λοιμὸς verbis. Pronuntiantur igitur eodem modo. Iam quod scribit Demetrius, id est, huiusmodi, in οἴην esse σύγκρουσιν inter οι & η eadem voce, differre tamen inter se sono, id est, spiritu. Aspere οι, leniter η profertur, vt οι quidem ab η sic differat, quemadmodum ει diphthongus eadem a se ipsa nonnunquam aspirata, nōnunquā vero alibi tenuiter leniterque pronuntiata. Cratini vero qui citatur versus

ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει.

Credo ego non βῆ βῆ, sed vel βᾶ βᾶ, vnde *balare* dicuntur oues, vel βαὶ βαὶ legendum fore. quamquam βᾶ dicit Eustathius esse ἐπίρρημα ὅπερ ... αὐτὸ μιμοῦντες λέγειν, atque esse id apud Hermippum. Sed versiculus ille paulo aliter apud Suidam legitur, eo videlicet, quo nunc, modo, cum eius verbis subiicio, βῆ τὸ μιμητικὸν τῆς τῶν προβάτων φωνῆς, οὐχὶ βαὶ λέγουσιν οἱ ἀττικοί: κρατῖνος διονυσαλεξάνδρῳ.

ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει.

Eustathius multis locis in explanationibus in Homerum suis βῆ quoque, vt Suidas, non βαὶ, & apud Ælium Dionysium reperiri dicit. In ω autem etiam Cratini hunc versiculum ponit non qualem Suidas, sed qualem nos prius ipsi posuimus. Quod etsi verum fue-

tasse sit, dandum, id est, dialecto magis, vt quod per ει apud alios secundum rei materiam ipsius, apud illos per η non omninò eodem proferatur sono. Quæ vocales duæ ι & η quia cum tertio aliquo per se quæque consonat, eędem inter se quoque necesse est consonēt atque consentiant. Si enim est vna τῶ ει ac τῶ ι pronunutiatio, & τῶ ει ac τῶ η eadem: erit igitur eadem quoque & τῶ ι & τῶ η vocalium pronuntiatio. Qua plane eadem oris figuratione diphthongus ει pronunciari debet, & quod ita hodie Græci omnes, Italique pronuntiant, & quod ita priscis illis temporibus pronuntiari solitam Cicero demonstrare videtur, illo, quem ante ex Epistola ad Pætum protuli, loco: quæ enim potuit ex vnius vocis *bini* pronuntiatione amphibolia existere, si non eadem fuisset vocis vtriusque Græcæ Latinæque pronuntiatio? Græca quidem vox est βίνει. Neque vero illud vereor, ne quis dicat Latinam vocem sic *binei* scribi oportere, vt sit extrema vox ipsa diphthongus, quod vt aliquando factum fuisse concedam, in huiusce declinationis nominibus secundæ, quæ Victorinus Afer Grammaticus commemorat. fieri iam tamen id Ciceronis temporibus desierat, ac rudis illa duriorque pronuntiandi ratio, eruditissima hac altera limatissimaque ætate tota penitus exsoluerat, nec nisi forte in antiquis fœderum legumque libris retenta cernebatur. Accedit eo vetustissimorum librorum consensio & auctoritas in quorum nullis, vt isti volunt, scriptum illo modo *binei* reperitur. Ergo pronuntiabuntur eodē prorsus modo atq; oris habitu ι, η, ει ꭒ, literæ diphthongique. Sin de ipsius ꭒ pronuntiatione obtinere quod volo non possum, eadem certe reliquorum pronuntiatiò consistet.

In Aristotelis Poetica ἐν φανερῷ quid signat, contra Robortellum.

CAPVT XXV.

NOnnulla sunt in Aristotelis Poetica de quibus mihi cum Robortello interprete parum conuenit: quæ meis hisce obseruationibus attexuissem omnia, nisi eruditissimorum hominum interpretationes alias in Italia editas esse iam intelligerem: quas dum nanciscar, sustinebo ipse me ac reprimam interim: deinde vbi nactus eas legero, si ab eorum quoque ratione mea sententia dissidebit, non silebo. Nam cum commentariis, quos in Horatii poeticam molior, eadem simul, & ceteris diiudicandi potestatem faciam. Quorum iam tamen, vt aliquem lectori gustum præbeam, duos tantum locos delibabo ex illo libro. Scribit igitur Aristoteles sic, δύο μὲν οὖν τοῦ μύθου μέρη περὶ ταῦτ' ἐστί. περιπέτεια καὶ ἀναγνώρισις, τρίτον δὲ πάθος. τούτων δὲ περιπέτεια μὲν καὶ ἀναγνώρισις εἴρηται. πάθος δέ ἐστι πρᾶξις φθαρτικὴ, ἢ ὀδυνηρὰ, οἷον οἵ τε ἐν τῷ φανερῷ θάνατοι, καὶ αἱ περιωδυνίαι, καὶ ὅσα τοιαῦτα. vbi interpres.

ptes: Non quidem ita intelligendum est, ἐν φανερῷ, ut in scena spectanda praebeantur atrocia quaedam, hoc enim repugnat omni veterum artificio, naturaeque ipsi: tametsi quaedam spectari possunt, ut vulnera, ulcera, & tabes. Sed ita debet accipi, ut mala illa non sint occulta, & incognita: sed propter quum sint & querelae eorum, qui ea mala patiuntur, ita manifesta sint, ut commouere possint. Vnde quaeso haec tam noua τοῦ ἐν τῷ φανερῷ interpretatio? neminem enim Robortelle, vir doctissime, neque tu quidem adducis, neque ego vnquam legi scriptorem Graecum istius tuae rationis, & interpretationis Auctorem? Neque si palam fieri haec intelligas omnia, continuo sequitur id esse Tragico faciendum, Aristotelem praecipere. Aut enim, quod aliquando est factum, & si quidem contra artem, commemorat Aristoteles, vt ab Euripide post in hoc libro illis verbis. ἔστι μὲν γ' οὕτω γίνεσθαι τὴν πρᾶξιν. ὥσπερ οἱ παλαιοὶ ἐποίουν εἰδότας καὶ γιγνώσκοντας, καθάπερ καὶ εὐριπίδης ἐποίησεν ἀποκτείνουσαν τοὺς παῖδας τὴν μήδειαν. aut potius quae πάθος efficiant, non tam quid fieri debeat docet his ille verbis. Graecum aut illud ἐν φανερῷ sic accipi Graece, vt Latine siue *coram*, siue *palam*, cum dicitur aliquid fieri, declarant Aristotel. verba haec in 2. Rhet. καὶ τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς, καὶ τὰ ἐν φανερῷ. ὅθεν καὶ ἡ παροιμία τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς αἰδῶ. διὰ τοῦτο τοὺς ἀεὶ παρεσομένους μᾶλλον αἰσχύνονται, καὶ τοὺς ἀεὶ προσέχοντας αὐτοῖς διὰ τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς ἀμφότερα. Deinde post, καὶ μέλλοντες ὁρᾶσθαι, καὶ ἐν φανερῷ ἀναστρέφεσθαι. τοῖς συνειδόσιν αἰσχυντηλοὶ μᾶλλον εἰσιν. Et in declamatione quadam Libanii haec: εἰ μὲν οὖν πλοίοις μαχεσθεὶς: καὶ στρατοπέδῳ καταλάμπων τε τοῖς ὅπλοις περιστοιχισθεὶς τῇ λακεδαίμονι, καὶ τὴν ἔχθραν ἐν τῷ φανερῷ καταστήσας, καὶ χεῖρα ἀντιταξάμενος, καὶ βέλος ἀφιεὶς, καὶ δόρυ διεξάμενος, ἐνίκων, ἢ τῆς τύχης, ἢ τῆς ἀρετῆς νικῆσαι παρεχούσης, & quae sequuntur.

Verbum ἐκπίπτειν, quid in eodem Aristot. lib.

CAPVT XXVI.

VErbo ἐκπίπτειν locis quatuor vtitur Aristoteles, quos hic omnes colligo 1. σημεῖον δὲ τοῦτο ὁ ἐπιτιμᾷ τῷ καρκίνῳ: ὁ γὰρ ἀμφιάραος ἐξ ἱεροῦ ἀνῄει, ὃ μὴ ὁρῶντα τὸν θεατὴν ἐλάνθανεν. ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς ἐξέπεσε, δυσχερανάντων τοῦτο τῶν θεατῶν 2. σημεῖον δὲ ὅσοι πέρσιν ἰλίου ὅλην ἐποίησαν, καὶ μὴ κατὰ μέρος, ὥσπερ εὐριπίδης νιόβην ἢ μήδειαν, καὶ μὴ ὥσπερ αἰσχύλος ἢ ἐκπίπτουσιν, ἢ κακῶς ἀγωνίζονται. 3 quae sunt his consequentia: ἐπεὶ καὶ ἀγάθων ἐξέπεσεν ἐν τούτῳ μόνῳ. 4. ὥστε τοῦτ' ἔχει τὸ ἀγαθὸν εἰς μεγαλοπρέπειαν καὶ τὸ μεταβάλλειν τὸν ἀκούοντα καὶ ἐπεισοδιοῦν ἀνομοίοις ἐπεισοδίοις. τὸ γὰρ ὅμοιον ταχὺ πληροῦν, ἐκπίπτειν ποιεῖ τὰς τραγῳδίας. Robortellus etsi quidem verbi significationem bene omnino est interpretatus, versus tamen omisit Horatii, in quibus ille *cadere* verbum Latinum, sic, & eadem in re dixit, qui sunt in eius ad Augustum Epist.

Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus cadat, an recto stet fabula talo.

Standi verbo in hoc genere sæpius Terentius, atque alii sunt vsi. *stat fabula* cum placet: cum contra, *cadit*.

In Ciceronis Philippica secunda extrema, quæ formula sit, mecum vt voles.

CAPVT XXVII.

CIcero in 2. in Antoniū oratione sic loquitur: *Respice quæso aliquando Remp. M. Antoni, quibus ortus sis, non quibuscum viuas considera: mecum vt voles, cum repub. redi in gratiam.* In quibus illa verba, *mecum vt voles*, solemnia mihi fuisse videntur, atque visitata in eo genere, vt pertinerent vel ad amicitiam, vel inimicitiam, simultatemque, in alterutram partem suscipiendas, inter seq; exercendas. Quod vt ita existimarem, fecerunt illa Papirii Dictatoris apud Liuium verba in 8. *Mecum, vt voles, reuerteris in gratiā: Pop Romano, cui vitam debes, nihil maius præstiteris, quam si hic tibi dies satis documenti dederit, vt bello*, ac pace pati legitima impēria possis.

Frontem ferire, eidem Ciceroni admirationis gestum, non indignationis videri.

CAPVT XXVIII.

IN ceteris oratoris gestibus numeratur & ipsa frontis percussio, eam alii volunt indignationis esse significationem, & cum tribus locis positum apud scriptores id animaduerterint; libro primo Epistol ad Atticum, *Competitores qui certi esse videbantur; Galba, Antonius, & Q Cornificius, puto te in hoc, aut risisse, aut ingemuisse; vt frontem ferias, sunt qui etiam Cæsonium putent*. In eiusdē Bruto, de Callidii ratione dicendi: *Vbi dolor, vbi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces, & querelas solet? nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur, pedis, quod minimum est, nulla supplosio.* Apud Quintilianum in 11. hæc, *Femur ferire, quod Athenis primus fecisse creditur Cleon, & vsitatum est; & indignantes decet, & excitat auditorem, idque in Callidio Cicero desiderat, nō frons inquit, percussa, non femur, pedum, quod minimum est, nulla supplosio: quanquam si licet, de fronte dissentio: nam & complodere manus, scenicum est, & pectus cadere.* Horum tamen e nullo satis cōstare potest atque elici ad indignationem omnino pertinere gestum eiusmodi. Ego vero quoniam femoris percussio est indignationis propria, hanc alteram admirantis potius esse significationem existimo. Adductus in hanc sententiam sum, doctissimis verbis Nonni Poetæ eius qui paraphrasin in Ioannis Euangelium scripsit Hi sunt eiusmodi:

Ναθαναὴλ δ' ὀλόλυξεν ἔχων ταχυπειθέα βουλήν,
θαύματι πυκνὰ μέτωπα θεουδέϊ χειρὶ πατάξας,
ῥαββὶ ἐπουρανίων ἀδύτων ὑψίθρονε ποιμὴν
Ἰσραὴλ σὺ πέλεις βασιλεύς & quæ sequuntur.

De

De Nathanaele illa dicuntur, qui Seruatoris nostri vocem, ac diuinam rerum etiam longe repositarum perspicientiam mirabatur.

M. ANTONII MVRETI AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM & ILLUSTR.

VARIARVM LECTIONVM Liber Primus.

Tres Isocrates. Cuius sit παραίνεσις ad Demonicum, indicatum.

CAPVT I.

Elegans in primis, & cum saluberrimis referta praeceptis, tum omnibus condita dicendi festiuitatibus oratio, quae Paraenesis ad Demonicum inscribitur, non eius scriptoris est, cuius vulgo putatur: nam cum ab Isocrate illo, qui Socratis & Platonis aequalis fuit, cuiusque domus officina eloquentiae habita est, fluxisse, eiusque ingenio elaborata esse credatur, id secus est: quodque etiam in aliis contigisse scimus: errorem hic obiecit hominibus nominum similitudo: tres enim facundi, ac diserti fuere homines, quibus omnibus idem Isocratis nomen fuit. Vnus is, quem modo diximus: qui a Socrate commendatur in Phaedro; quemque Cicero, dissentiente Bruto, tantopere laudabat. alter huius discipulus: cuius apud Suidam mentio est, neutrius autem horum est ea, de qua loquimur, oratio: sed tertii cuiusdam Isocratis, qui Ciceronis temporibus floruit. Id ita esse, didici ex Dionysio Halicarnasseo, qui in aureolo libello, De arte rhetorica, quendam ex ea citans locum, Isocratem ipsius auctorem, suum, & Echecratis, ad quem scribit, sodalem vocat. eius verba sunt: Ἰσοκράτης μὲν οὖν ὁ ἑταῖρος ὁ ἐμός, ὦ Ἐχέκρατες, εἴπερ ἄλλο τι, φησὶ χρῆναι παρεῖναι τοῖς αὐτοῦ αἰεὶ ἀκροαταῖς ἐν τῇ παραινέσει τῇ πρὸς τὸν Ἱππονίκου, (ita enim legendum est, non, vt in vulgatis libris, πρὸς τὸν Ἱππόνικον) καὶ τὴν φιλοπραγμοσύνην, ὅπερ ἐστὶ τὸ ἀποτρέπειν τοὺς ἐπιχειροῦντας, ὥς αὐτός φησι. Locus autem, quem indicauit Dionysius, ita apud Isocratem legitur: Τῷ μὲν πρέπει γένει φιλοσοφοῦσι γοῦν, τῷ δὲ λόγῳ διαπονοῦσιν. ἐπὶ δὲ φιλοπραγμοσύνης μὲν τὸ ἀποτρέπειν τοὺς ἀκούοντας, διὰ πραγματείας δὲ τὸ τοῖς λόγοις αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν. Harpocration tamen qui sit ἐπακτὸς ὅρκος, exponens, Isocratem Apolloniaten eius, de quo agimus, libelli auctorem facit, at is veteris illius Isocratis auditor fuit: vt apud Suidam

est, Hermogenes autem aperte eundem Isocratem huius parænetici, & ceterarum orationum, de quibus nulla dubitatio est, quæ sint eius qui cum Socrate & Platone vixit, sed magis me ea, quæ supra recitaui, verba Dionysii mouent.

Mithridatem cur Dionysium Traliani honoris caussa vocarent. Illustratus locus ex oratione pro Flacco. Eius quæ Plutarchi συμποσιακῶν interpretatus est notatus error.

CAPVT II.

M. Tullius in oratione pro L. Flacco cum percenseret eas laudes, quas Traliani in Mithridatem, regem populo R. infestissimum, congesserant, ita scribit: *Mithridatem Deum, illum patrem, illum conseruatorem Asiæ, illum Dionysium, Bacchum, Liberum nominabant.* atq; hoc Petrus Victorius admonuit dictum esse ad Demosthenis imitationem, cuius illa sunt ex oratione de corona: Οἱ μὲν κατὰ πόλεις Θετταλοί, καὶ κοινὰ Θηβαῖοι φίλον, εὐεργέτην, σωτῆρα τὸν Φίλιππον ἡγοῦντο· πάντ' ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς: protulit etiam locum ex Athenæo, quo confirmatur, Mithridatem viuum ac videntem, diuinis affectum honoribus, sed cur Liberi patris potius, quam cuiusquam alii Dei nomine honestaretur ille rex, quando de eo sibi non loquere subobscure indicauit Victorius, ego aperte constituo. Duæ autem eius appellationis caussæ a Plutarcho libro primo συμποσιακῶν afferuntur. vna, quod Mithridates præmium proposuerit, qui plurimum edisset, quique plurimum bibisset: ipseque in vtroque certamine palmam tulerit: vtpote qui omnes ætatis suæ homines bibendo superaret. ob id igitur Dionysium vocatum, sed eam caussam Plutarchus ipse, vt inanem, commentitiamque, & minus idoneam reprobat. ac plane, si hæc vera esset, videri poterant Traliani, cum Mithridatem Dionysium salutarent non tam ei honorem tribuere, quam contumeliam facere: quasi ebriosum eũ & helluonem ac gurgitem vocarent. quare hęc altera caussa putanda est verior. bis cum fulmine appetitum fuisse: ita, vt innocuus incolumisq; remanserit. nam cum adhuc infantulus in cunis vagiret, collapsum fulmen, fascias, quibus inuolutus erat, exussit, neque tamen ipsum læsit. vestigium modo quoddam igni in fronte relictum est: quod facile occultaret coma, rursus cum iam vir esset, itam propinquum ei dormienti cecidit, vt tela in pharetram, quæ haud procul a lecto pendebat, condita conflagrauerint, ipse tum quoque intactus, iis expositis, audit Plutarch. Οἱ μὲν οὖν μάντεις ἀπεφαίνοντο, πλείστην αὐτὸν ἰσχὺν ἀπὸ τῆς τοξικῆς καὶ κούφης στρατιᾶς, οἱ δὲ πολλοὶ Διόνυσον αὐτόν, ἀπὸ τῶν κεραυνοβολιῶν ὁμοιότητι τοῦ πάθους προσηγόρευσαν. id est, Igitur vates quidem pronunciarunt, plurimum ipsum sagittariis, & leui armatura esse valiturum, vulgus autem ei Dionysio nomen fecit, ab iis fulminum ictibus: quod ei simile quiddam, atque Dionysio, contigisset. Hanc postremam partem quidam, qui librum illum Plutarchi Latinum facere studuit,

Libr. 7. var. Lect. cap. 4.

Cap. 6.

duit, ita reddidit. Quam ob caussam vates plurimum sagittariorum manu, leuisque armaturæ copiis præstiturum prædixerant. Quanquam non desunt qui Bacchi nomen a morbo sideratis, ac de cœlo tactis familiare datum illi existiment, quæ interpretatio ita est absurda & aliena, vt valde mirer, quid tũ illi homini in mentem venerit.

Locus quidam Ciceronis in Verrem vindicatus a praua aliorum correctione. Plinii aliter declaratus.

CAPVT III.

VTuntur interdum Latini scriptores Græcis quibusdam vocibus, easque Latinis tamen literis notant: quod qui non animaduertunt, facile in errorem incidunt: præcipue cum eæ voces eiusmodi sunt, vt etiam Romanæ videri queant, id quod accidit homini in primis erudito explicanti orationes Ciceronis in Verrem. Nam cum Cicero impurum illum hominem æstate summa, quo tempore ceteri prætores obire prouinciam, & concursare cõsueuerant, totum se ad nequitiam, & ad libidinem contulisse diceret, & tabernacula carbaseis intenta velis in littore collocari iussisse, vbi totos dies cum impudicis mulieribus perpotaret: haud ita multis interiectis verbis, ita postea locutus est: *Illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impudentia, quam nostis, tamen, cum vir esset Syracusis, uxorem eius parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere.* quorum verborum ille, quisquis est, sensum nõ videre se dixit, nisi pro, in acta, legatur, in lecto. neque intellexit Ciceronem, quod antea Romano more littus dixerat, id postea actam voce Græca, vt videlicet in Sicilia loquerentur, nominasse. notum est autem, Siculos eo quondam sermone vsos, qui e Græcis, Latinisque vocibus permistus esset. Actam vero solitos eos dicere pro littore etiam Virgilius indicio est, qui illud ipsum littus eo nomine vocauit: Actico. a.

At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant. 5 Æneid. vers. 601.

Ita igitur actam vterque, vt Terentius, & Cicero ipse vrbem Atheniensium, Attin. Sed & S. Ambrosius eadem voce vsus est lib. quinto Hexameron. *Quæ, inquit, non in actis, nec in litoribus, sed in Atlantici maris profundo feruntur videri.* Neque dissimili modo C. Plinius libro VII. naturalis historiæ probata pro pecudibus dixit. eius verba sunt: *In eadem Africa familias quasdam effascinantium Isigonus & Nymphodorus tradũt: quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes,* non enim quæ familiæ illę probassent, ea interire affirmauit, sed, vt dixi, τὰ πρόβατα. Eunucho. 2. de legib. Cap II. Cap.

Horatii locus ex Euripide expressus.

CAPVT IV.

QVod Horatius lib primo epistolarũ perelegan ter scripsit, esse verba & voces quasdã quib. animi morbos lenire ac mitigare

fas esset, respexisse ipsum arbitror ad locum quendam Euripidis ex Hippolyto coronato, vbi nutrix Phædram insano priuigni amore incensam alloquens, admonet eam, vt morbum illum suum fortiter ferat: esse enim cantus & sermones quosdam, in quibus insit vis ad eum mulcendum ac molliendum. Versus Euripidis hi sunt.

Act. 2.

Νόσει δ', εὖ πως τὴν νόσον καταστρέφου.
Εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι.
Φανήσεταί τι τῆσδε φάρμακον νόσου.

Horatii autem hi:

1. Epistol 1. vers. 33.

Feruet auaritia, miseroq; cupidine pectus?
Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.

Non tamen vterque idem intellexit. nam illa de magicis carminibus: hic de sermonibus philosophicis loquitur, a quib. vera omnium morborum animi petẽda medicina est. quanquam si quis Euripidem quoque illem κατ' ἀλληγορίαν τινὰ significare voluisse censeat, libenter me socium ipsius sententiæ adscripserim. Gaudet enim poeta ille eiusmodi sententiis quæ neque a populari consuetudine discedant, & philosophicum tamen intra se aliquid occultent. nam quod in versibus Horatii lego, *miseroque cupidine*, non, vt in plerisque libris legitur, *miseraq; cupidine*, in eo veteres libros auctores habeo, ac præterea, esse id ex Horatii consuetudine, nullo negotio probare possum. ita enim alibi:

1. Sermon. 1. vers. 61.

At bona pars hominum decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit. & in Odis:

1. Car. 16.

Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert:

Vt dubitari plane non possit, quin ea vera scriptura sit.

Eiusdem Horatii locus ex Isocrate prope conuersus.

CAPVT V.

VEnit mihi in mentem quorundam eiusdem poetæ versuum e sermonibus, quibus exponit, quæ primis temporibus vita hominum fuerit, agrestis videlicet, & ferina: vtque post rationis & orationis beneficio, ad ciuiliorem viuendi modum, & humanæ naturæ magis consentaneum venerint: qui quidem versus tantam habent cum Isocrate a quadam eiusdem rei narratione similitudinem & conuenientiam, vt eam poeta non modo imitatus, sed prope interpretatus esse videatur. qua de re vt cuius vtriusque linguæ intelligenti existimare liceat, vtriusque verba subiiciam. His igitur versibus eam Latinus vates sententiam est exsecutus:

1. Sermo. III.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atq; cubilia propter,
Vnguibus & pugnis, dein fustibus, atq; ita porro
Pugnabant armis, quæ post fabricauerat vsus:

Donec

Donec verba, quibus voces sensusq́ notarent,
Nominaq́ inuenere. dehinc desistere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges.

Isocrates autem ita Nicoclem loquentem facit: Ἐγγινομένου δὲ ἡμῖν τοῦ πείθειν ἀλλήλους, καὶ δηλοῦν πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς περὶ ὧν ἂν βουληθῶμεν, οὐ μόνον τοῦ θηριωδῶς ζῆν ἀπηλλάγημεν. ἀλλὰ καὶ συνελθόντες πόλεις ᾠκίσαμεν καὶ νόμους ἐθέμεθα, & quæ sequuntur.

Ciceronis locus ex oratione pro P. Quinctio pulcre a Paulo Manutio correctus.

CAPVT VI.

QVod si facere nolit, atque inhibuerit eiusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere: se se nihil precari, &, si quid agere velit, iudicio defendere.* Ita leguntur Ciceronis verba hæc ex oratione pro P. Quinctio in omnibus impressis libris, præterquam in Manutianis. quæ cum corrupta esse constaret, fuerunt, qui pro, *inhibuerit*, reponerent, *instituerit*. At præclare, vt solet Manutius: de quo viro merito dubitari potest, plus ne ipse Ciceroni, an ipsi Cicero debeat. Nam & ipse tractandis assidue Ciceronis scriptis eam assecutus est eloquentiæ laudem, qua vincit omnes: & cum ad ingenium, quo excellit, addidisset eam diligentiam, eamque laborum perpessionem ac tolerantiam, qua vires, ipsamque adeo valetudinem suam, magno nostro omnium, quotquot eum, quia plane nouimus, plurimi etiam facimus, dolore prostrauit; incredibile est, quot ab errorum milibus eos libros felicissime vindicarit. at ætas nostra mirificam quandam extulit vim hominum improborum, qui magnam laudem in obtrectatione positam putant, neque quicquam cupidius faciunt, quam vt quicquid possunt, quacumque ratione possunt, ex aliena gloria deterant, creduntque ita se demum emersuros, si eos qui exstant, depresserint, quam rationem grassandi ad famam nemo vnquam sapiens approbauit. sed me amoris quidam æstus ab eo, de quo dicere cœperam, abduxit. omnino autem, cum de Paulo Manutio loquendum est, moderari orationi meę neque volo, neq; possum, neque debeo. alii complures rationem inire poterunt, quod ipsi locos in Cicerone correxerint: illi aut vni, aut cum paucissimis, licet dicere,

Pauperis est numerare pecus.

In illis igitur libris (tandem enim ad propositum me referam tamen) is, de quo agebam, locus ita legitur: *Quod si facere nolit, atq; imbiberit eiusmodi rationibus illum ad suas cõditiones perducere, &c.* præclare, vt dixi. *Imbiberit* enim est, hoc sibi plane proposuerit, hoc ita in mente ac cogitatione sua defixerit, vt euelli non queat. Est autem ita scriptũ omnib. literis, in longe plurimis vetustis codicibus. sed insolentia locutionis fefellerat alios, quæ Manutium non fugit. meminerat enim ita locutum Lucretium lib. 3.

Qui petere a populo fasces, sæuasq; secures
Imbibit. & lib 6.
——non quod violari summa deum vis
Possit, vt ex ira pœnas petere imbibat acres.

Vt ergo a Lucretio dictum est, *imbibat petere*, sic a M. Tullio, qui eum poetam studiosissime legerat, *imbiberit perducere*. Vsus eodem modo & Liuius lib. 2. Annalium: *Neq; memor eius, quod initio consulatus imbiberat, reconciliandi animos plebis.*

Epitheton, quo Corinthum ornauit Horatius, e Græca voce expressum videri.

CAPVT VII.

1. Carm. 7. Bimarem Corinthum cum diceret H[oratius], non dubito, quin exprimere voluerit Græcam vocem ἀμφιθάλασσος. est autem ea vox non admodum frequens, proba tamen & antiqua: vsusque ea est Xenophon, cum vrbis Atheniensis commoditates celebraret, doceretque, eam opportuno admodum loco sitam ad importanda & exportanda, quæ opus foret. ita enim loquitur: καὶ μὴν ἡ ἀμφίρρυτός γε οὖσα ὅμως ὥσπερ νῆσος πᾶσιν ἀνέμοις προσάγεταί τε ὧν δεῖται, καὶ ἀποπέμπει ἃ βούλεται· ἀμφιθάλασσος γάρ ἐστι. Hoc eo annotare visum est, quoniam in scholiis Horatianis, quæ abhinc annos quatuor, ad Io. Auansonium V. C qui tum Romæ Gallorum regis legatus erat, miseram, cum ceterarum vrbium epitheta vnde sumta essent, indicassem: nescio quo modo contigit, vt hoc, quod minime decuerat, prætermitteretur.

Horatii locus, qui multis in libris corrupte legitur, explicatus.

CAPVT VIII.

Od. 2. Versus hi sunt e secundo odarum Horatii:

Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni.
Illum aget penna metuente solui
Fama superstes.

Quorum qui proxime vltimum antecedit, ita in multis libris legitur:

Illum aget penna haud metuente solui.

Constat autem ita correctum esse ab aliquo, qui sententiam quidem videret, sed vim verborum non satis perspiceret: putaretque ita melius æternitatem famæ significatum iri, si particula illa negandi vim habens adderetur. alioqui fore, vt parum firmitatis inesset ea in fama, cuius pennæ solutionem metuere diceretur. firmitas enim fiduciam, infirmitas metum parit. at ille, quisquis fuit, inani & friuolo argumento delusus est. nam, quia quæ metuimus, refugimus, longissimeque nos ab iis abducimus, factum, vt Horatius pennam metuentem solui dixerit eam, quæ semper longissime ab omni solutione abfutura esset. est autem simile illud Virgilii,

Ardet

Arctos Oceani metuentes æquore tingi. 1. Geor. Vers. 246.

Nam vt metuentes tingi dixit is, quæ nunquam tingerentur, ita hic pennam metuentem solui, quæ nunquam solueretur: Hoc eo libentius adnotaui, quod, vt alia multa, ita hoc quoque mendum in eos libros, quibus addita sunt mea scholia, operatum negligentia, me absente atque inscio, irrepserat.

Sententia quædam Terentiana ab Æschylo etiam prolata ostenditur: &, qui eandem continet, Græcus incerti scriptoris versiculus indicatur.

CAPVT IX.

QVod apud Terentium adolescens amore saucius dixit,

Facile omnes cum valemus, recta consilia ægrotis damus: Carinus Andria, act. 2.

Eius non dissimile quiddam Prometheum dicentem fecerat Æschylus. cum enim miserum illum, & ærumnosum deum nymphæ Oceanitides reprehenderent, quod peccasset: ita eum respondentem induxit: facile esse iis, qui malis soluti sunt, admonere ac corripere eos, qui aduersis rebus premuntur. Versus Æschyli, si quis eos requirit, hi sunt:

Ἐλαφρὸν ὅς τις πημάτων ἔξω πόδα Pag. 20. edit. H. S.
Ἔχει παραινεῖν, νουθετεῖν τε τὰς κακῶς
Πράσσοντας.

Id est.

Haud difficile est, pars nulla quem attingit mali,
Monere eos, ac corripere, qui miseriis
Vrgentur.

Tale igitur aliquid eo loco dixerat & Menander. sed & hunc versum alicubi legere memini:

Ὑγιὴς νοσοῦντι ῥᾷστα πᾶς τις νουθετεῖ.

Equitandi verbum quod Euro tribuit Horatius, Euripidem quoque eodem modo locutum esse.

CAPVT X.

AVdaci sane metaphora vsus videtur Horatius, cum Euro vento equitandi verbum tribuit. notus est enim ille versiculus,

Per Siculas equitauit undas.

Neque vnquam id, vt opinor, sine veterum exemplo ausus esset. sed meminerat, Euripidem quoque eodem modo locutum esse de Zephyro. itaque fecit more suo, vt, persequendis Græcorum vestigiis, τὸ τῆς λέξεως καινόν τε καὶ ξενικὸν quæreret, seque quam longissime a trita & plebeia loquendi consuetudine abduceret. quo in genere plane singularis fuit: neque, meo quidem iudicio, Græcas loquendi formas Latinorum poetarum quisquam vel frequentius, vel fidentius, vel felicius imitatus est. Locus autem ille Euripidis, quem dico, ita scriptus est in Phœnissis: Lib. 4. Carm. Ode 4.

Ζεφύρου πνοαῖς ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ. Chor. 1.

Currum pro naui, vt a Catullo, sic & a Græcis poetis dictum esse.

CAPVT XI.

Etiam illud Græcorũ exẽplo fecit Catullus, vt nauim currum vocaret, in libello De nuptiis Pelei & Thetidos: *Ver. 8.*

Diua quibus retinens in summis vrbibus arces,
Ipsa leui fecit volitantem flamine currum.

Siquidem apud Æschylum Prometheus in illa longa enumeratione artium, quas a se in vsum mortalium excogitatas & inuẽtas gloriatur, ait repertum suum esse currus illos nautarum, qui linteis alis vagentur per mare.

Pag. 31. edit. H.S.

Θαλασσόπλαγκτα δ' οὔτις ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ
Λινόπτερ' ηὗρε ναυτίλων ὀχήματα.

Sed & Euripidem eadem figura vsum memini apud quem nũtius, qui Medeam admonet, vt se mandet fugæ, præcipit ei, vt neque id vehiculum spernat, quod nauigandi, neque id, quod terrestris itineris conficiendi caussa comparatum est:

Actu 5.

Ὦ δεινὸν ἔργον παρανόμως εἰργασμένη
Μήδεια, φεῦγε, φεῦγε, μήτε ναΐαν
Λιποῦσ' ἀπήνην, μήτ' ὄχον πεδοστιβῆ.

Sed hoc quoque, vt totum prope veteris eloquentiæ choragium, ab Homero est: qui primus aurigam nauis pro gubernatore dixerat Φθέγξατο δ' ἡνίοχος κυανοπρώροιο. & naues, equos maris vocauerat: *Plut. libr. de Homero.*

Νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν, αἵθ' ἁλὸς ἵπποι
ἀνδράσι γίγνονται.

Odyss. 4. ver. 780.

Libidinosarum mulierum, quæ calumniatæ sunt eos, a quibus spretæ ac repudiatæ erant, exempla octo.

CAPVT XII.

Exempla octo memini legere, earum mulierum, quæ viros a se impudice appetitos, cum eos ad restinguendum libidinis suæ ardorem flectere nequiuissent, calumniatæ sunt postea tanquam ab ipsis tentatæ forent: eisque partim crearunt ingens periculum, partim etiam exitium attulerunt. eorum vnum est in sacra historia, de Iosippo Iacobi filio, qui, cum obtemperare heræ suæ, Phutiphæris vxori, noluisset, structis ab ea calumniis in vitæ discrimen adductus est. atque hoc, vt quod omnibus notum sit, nihil est necesse pluribus verbis exponere. Hippolytum quoque Thesei filium vt Phædra nouerca tentarit: seque ab eo spretam videns, reuerso ab inferis marito persuaserit, eum sibi vim afferre voluisse (quamquam paulo aliter est apud Euripidem) vtque castissimus adolescens crudelissime ob eam rem discerptus dilaniatusque sit, & lippis, vt ait Horatius, & tonsoribus notum est. Sed & Tenni Cycni filio, Neptuni nepoti idem contigisse memoratur. eius enim ephobi iam, & vt Græci dicunt, [illegible] desiderio

derio tacta nouerca Phylonome, seu, vt alii vocant, Peribœa, sermonem cum eo de stupro contulit. Reiecta & repudiata, insimulauit eum apud patrem. eodem plane modo, quo Hippolytum Phædra. Credulus parens inclusum in capsam quandam filium proiecit in mare: tulit opem Neptunus innocenti nepoti. delataque est capsa ad insulam Leucophryn: quam cum incolæ aperuissent, remque cognossent: non tantum Tenni regnum detulerunt; sed etiam de nomine ipsius, insulam Tenedon nominarunt, quin & mortuum coluerunt pro Deo. Eodem modo prope perditus est Bellerophō ab Antæa Prœti vxore: & Peleus ab Hippolyte vxore Acasti. de quibus apud Horatium sunt illa:

Vt Prœtum mulier perfida credulum — Lib. 3. Carm. Ode 7.
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert,
Narrat pene datum Pelea tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens.

Nos autem vtramque siue historiam, siue fabulam alibi copiosissime exposuimus. Hippodamia quoque cum eam auveheret Pelops, siti aliquando correpta esse dicitur. cumque Pelops. quærendæ aquæ caussa descendisset e curru, iamque longius abiisset (magnæ enim circum solitudines erant) illa Myrtilum aurigam, cum quo sola remanserat, solicitare cœpit, vt secum rem haberet. volebat videlicet, interea dum reuerteretur Pelops, aliam quandam sitim restinguere. sed cum Myrtilus morē gerere noluisset: accusatus est apud reuersum Pelopem, quod ipsam violare conatus esset: ob idque proiectus in vicinum mare; quod ex eo Myrtoum vsurpari cœpit. Philostratus libro sexto de vita Apollonii, cap. 2. Timasionem quendam Ægyptium a nouerca frustra adamatū, deinde illius calumniis solum vertere coactum esse narrat. etsi illa quidem alio quodam modo, quam ceteræ, priuignum calumniata est. Denique Fausta, Maximiani filia, Constantini Magni vxor, eodem modo vt Phædra, Crispum priuignum suum accusauit. itaque imperator optimus, sed hac quidem in re non satis consideratus, immerentem filium morte multauit. idemq; postea, re cognita, etiam de vxore supplicium sumsit. Sunt & alia duo exempla non dissimilia in libro De fluminibus, qui Plutarcho tribuitur; in Hebro, & in Lycorma.

Falsam quandam historiam a Petro Victorio pro vera traditam esse.

CAPVT XIII.

FAlsum est, quod Victorius tradidit libro duodecimo Variarum lectionum, exstitisse quendam capitalem importunumque hominem Athenis, qui dixerit, se, dum regno Athenarū vno die potiri posset, nullum supplicii genus recusaturum: passurum- cap. 10.

que æquo animo, vt acerbissimis cruciatibus postea afficeretur: omnisq; ipsius familia funditus periret. Nam, quod putauit id Plutarchum in Solone dicere: declarauit exemplo suo, quantos eruditos homines cæcutire & παρορᾷν, vbi aliquid conniuentes legunt. Nihil enim tale Plutarchus, quale Victorius credidit, narrat tantum, Solonem, cum delatum sibi a ciuibus suis tyrannidé maximo animo reiiceret, & aspernarentur, a multis reprehẽsum esse, & parum sanæ mentis habitum, aiebant enim, eum, si saperet, accepturum fuisse tyrannida, vel propositis iis conditionibus quas supra exposuimus. Ergo eos reprehẽsorum suorum sermones his versibus trochaicis inclusit Solon:

Οὐκ ἔφυ Σόλων βαθύφρων, οὐδὲ βουλήεις ἀνήρ.
Ἐσθλὰ γὰρ θεοῦ διδόντος, αὐτὸς οὐκ ἐδέξατο.
Περιβαλὼν δ' ἄγραν, ἀγρευτὴς οὐκ ἀνέσπασε μέγα
Δίκτυον, θυμοῦ θ' ἁμαρτῶν, καὶ φρενῶν ἀποσφαλείς.
Ἤθελε γάρ κεν κρατήσας, πλοῦτον ἄφθονον λαβεῖν,
Καὶ τυραννεύσας Ἀθηνῶν μοῦνον ἡμέραν μίαν,
Ἀσκὸς ὕστερον δεδάρθαι κἀπιτετρῖφθαι γένος.

Neque ego hæc indicarem, nisi viderem, periculum esse, ne quis Victorii testimonio fretus, ne quærendum quidem amplius putaret, vera essent, an minus.

Aristotelem in Hippodamo reprehendendo parum bona fide versatum esse.

CAPVT XIV.

Videtur Aristoteles interdum non satis bona fide retulisse eorum sententias, quos redarguere ac reprehendere statuisset cuius rei libet nũc exemplum proferre vnum, ex quo de multis similibus coniectura fieri possit. Etenim libro secundo πολιτικῶν, vbi exagitat eam reip. formam, quæ ab Hippodamo Milesio descripta erat, ait ciuitatem ab eo distributam esse in tres partes: nempe in artifices, in agricolas, & in milites. Κατεσκεύαζε δὲ inquit, τὴν πόλιν τῷ πλήθει μὲν μυριάνδρον, εἰς τρία δὲ μέρη διῃρημένην. ἐποίει γὰρ ἓν μὲν μέρος, τεχνίτας: ἓν δὲ, γεωργούς, τρίτον δὲ τὸ προπολεμοῦν, καὶ τὰ ὅπλα ἔχον. quod si verum esset, inscienter sane, & imperite se gessisset Hippodamus, qui ciuitatem sine consilio, tanquã corpus sine animo, esse voluisset. at vero non ita inconsultus fuerat. exstant enim magna ex parte leges ipsius, quæ Aristotelis, hac quidem in re, singularem quandam improbitatem manifesto patefaciant. Descripserat autem ille ciuitatem tres in partes, quarum primam fecerat eorum qui consilio remp. gubernarent: alteram eorum, qui eandem armis defenderent: tertiam ex iis constituerat, qui artes necessarias exercerent. atque in hanc postremã, & opifices, & agricolas, & mercatores incluserat. Id adeo prolatis ipsius verbis intelligetur. Φημὶ δ' ἐγὼ εἰς μερίδας τρεῖς δια-

τίθεμαι τὰν σύμπασαν πολιτείαν, καὶ μίαν μὲν εἶμεν μεγίσταν τῶν ἀγαθῶν, κυβερνώντων τὰ κοινά· δευτέραν δὲ, τῇ δυνάμει· τρίταν δὲ, τῶν ἐκπαρεχόντων καὶ χορηγεόντων τῶν ἀναγκαίων. ὀνομάζω δὲ τὸ μὲν πρᾶτον πλῆθος, βουλευτικόν· τὸ δὲ δεύτερον, ἐπικουρικόν· τὸ δὲ τρίτον, βαναυσικόν. & aliquanto post: Τῷ δὲ βαναύσῳ καὶ βιοποριστικῷ, τὸ μὲν ἐστι γεώπονον, καὶ περὶ τὰν κατεργασίαν τᾶς χώρας καὶ τῶ χρονικόμενον. τὸ δὲ τεχνατικὸν, ὄργανα καὶ ἐπιμαχανήματα τοῖς τῶ βίω πράγμασιν ἐκποριζόμενον· τὸ δὲ μεταβατικὸν καὶ ἐμπορικὸν, ὃ τὰ μὲν ἐν τῇ πόλει περισσάζοντα, ἐπὶ τὰν ξέναν διάγοντι· τὰ δὲ, ἀπὸ τᾶς ξένας ἐς τὰν πόλιν. Sed & cetera si quis attente consideret, videbit non tam multa in iis reprehendenda esse, quam videtur eis qui audita tantum altera parte, pronũtiant. sunt autem apud Stobæum, ἐν τῷ περὶ πολιτείας. Sermo. 41.

Duræ compositionis duo insignia exempla: ex Euripide vnum, alterum e Sophocle.

CAPVT XV.

INter ea, quæ duram atq; insuauem orationis compositionem efficiunt: vix quicquam est, quod magis reprehendatur a dicẽdi magistris, quam crebra & cõtinuata eiusdem literæ repetitio. Itaq; in Virgilio, *casus Cassandra canebat*: in Terentio, *tantam, tam ini; rou sam & consilia consequi consimilia*: in Cicerone *statum tua stabat* & *inuisa visa*, & in Cœliana, *vnquam quanquam*, eiusdemq; modi alia in aliis primæ classis auctoribus notantur. sed enim, quę duo eius rei exempla in duobus optimis ac præstantissimis poetis reperi, ea (ita insignia visa sunt) hoc loco proponenda esse duxi. eorum vnum Euripidis est: apud quem Medea cum Iasoni exprobraret, illum sua opera seruatum esse, ita loquitur: 3. Æn. 183.

Ἔσωσά σ', ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι
Ταὐτὸν συνεισέβησαν Ἀργῷον σκάφος. Medea, act. 1

Quorum versuum in priore, crebra illa repetitio literæ σ, locum etiam comicis iocis ac salibus dedit. siquidem Plato comicus, & Eubulus eiusdem homo artificii Euripidem ea de caussa vrbanissime tetigisse traduntur. Alterũ Sophoclis, & quidem ea in fabula quæ quasi regnum possidere inter tragœdias dicitur, ibi enim Oedipus cum Tiresia iurgans, eique & aurium, & mentis, & oculorum cœcitatem obiiciens, hoc eum versu indignabundus incessit:

Τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματ' εἶ. OEdyp. Tyran. pag. 167. H. S.

Vbi cum sæpius etiam inculcauerit literam τ, quam ille alter literam σ, tamen Euripides dicacium aculeos expertus est: Sophocles a nemine, quod sciam, notatus. Sophoclei non dissimilis est Ennianus ille, me puero, decantatus in scholis,

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

neque valde ab eo abludit Homericum illud,

Μηδὲ γέροντα κάρηον κινηκαμένον.

Coniectura de aliquot locis e libello Demetrii περὶ ἑρμηνείας

CAPVT XVI.

QVicunque ille Demetrius fuit, cuius est libellus, qui nunc omnium manibus teritur, περὶ ἑρμηνείας, (non enim mihi facile quisquam persuaserit, Phalereum esse) vtile profecto nobis, & minime triuialis doctrinæ plenum ingenii sui monumentum reliquit. neque vero paruum emolumentum Petrus Victorius studiosis attulisse censendus est, cum olim ad eum librum purgandum incubuit; laborque ipsius, vt semper alias, ita hic quoq; admodum vtilis & fructuosus fuit. cuius summi viri exemplo nos etiam incitati, longe quidem ac multum impari facultate, sed nô dispari voluntate, eandem viam sequimur, & veterum scripta, quantum in nobis est, obscura illustrare, deprauata emẽdare conamur. Igitur quæ, cum eum librum attente diligenterque legeremus, nobis & correctione aliqua indigere, & non ita difficile corrigi posse visa sunt, eorum hic partem aliquam cum studiosis communicabimus: si forte nostra quoque industria tam polito scriptori opis aliquid afferri queat. Ipsum autem libri principium scio negotium exhibuisse multis. ita enim legitur: ὥσπερ ἡ ποίησις διαιρεῖται τοῖς μέτροις, οἷον ἡμιμέτροις, ἢ ἑξαμέτροις ἢ τοῖς ἄλλοις, οὕτω καὶ τὴν ἑρμηνείαν τὴν λογικὴν διαιρεῖ, καὶ διακρίνει τὰ καλούμενα κῶλα. sed cum absurdum sit, pro metrorum exemplo ἡμίμετρα ponere, pro οἷον ἡμιμέτροις, legendum censeo, οἷον ἢ διμέτροις.

Item, vbi loquitur de iis periodis, quæ habent speciem aliquã ἀντιθέσεως, cum tamen ἀντίθεσις in eis nulla sit, exemplo quidem hoc Epicharmi vtitur,

Τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼν ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγών. deinde addit: τὸ αὐτὸ μὲν γὰρ εἴρηται, καὶ οὐδὲν ἐναντίον· ὁ δὲ τρόπος τῆς ἑρμηνείας μεμιμημένος, ἀντίθεσιν τινα πλανῶντι ἔοικεν quam vltimam partem ita lego: ὁ δὲ τρόπος τῆς ἑρμηνείας μιμούμενος ἀντίθεσίν τινα, πλανῶντι ἔοικεν. Haud ita multo post, vbi de similiter desinentibus verbis disputatur, ostenditurque id ornamentum ad affectus exprimendos inutile esse: vbi legitur, ποίαν γὰρ πόλιν τῶν ἐχθρῶν τοιαύτην ἔλαβον, ὁποίαν τὴν ἰδίαν ἀπέβαλον; pro ἔλαβον, libentius legerim, ἀπέλαβον. Vbi de magnifica oratione disseritur. cum dixisset scriptor ille, de Aristotelis sententia, pæonicam orationem magnificam esse: pęona etiam duplicem esse docuit, vnum προκαταρκτικὸν, qui quatuor syllabis constet, longa prima, ceteris breuibus; eiusq; exemplum ponit, ἤρξατο δέ: alterum, qui superiori illi ex altera parte respondeat, & a tribus exorsus breuibus, in longam desinat. huius autem exemplo esse vult, καὶ Ἀρραβία. quod quin corruptum sit, dubitari non potest. legi autem debere arbitror, Ἀραβία. Exemplum Antiphontis, quo docet, negligentia quadam interdũ

oratio-

orationi dignitatẽ ac granditatẽ cõparari, ita legendũ videtur: ἡ γὰρ νῆσος ἦν ἐρχομένοις δήλη μέν. καὶ πόῤῥωθεν μέν ἐστιν ὑψηλὴ, καὶ τραχεῖα, καὶ τὰ μὲν χερσαῖα, καὶ ἐργάσιμα μικρὰ αὐτῆς ἐστὶ, τὰ δὲ ἀργὰ πολλὰ σμικρῶς αὐτῆς οὔσης. Paulo post aũt, vbi agit, περὶ παραπληρωματικῶν, notatq; nõnullos, qui eis intẽpestiue vtebantur: vbi est καὶ τὸ νυ, καὶ τὸ πέρ: lego, καὶ τὸ νυ, καὶ τὸ ποτέ. Vnũ si addidero, cetera in aliud tempus reiiciam, vbi enim eos ipsos, quos modo dixi, cõparat cũ ineptis fabularũ actoribus, verba, quibus ea cõparatio exponitur, ita in omnibus libris leguntur: οἱ δὲ πρὸς οὐδὲν αὐαπληρωμάτως φησὶ, τῷ συνδέσμῳ, ἐοίκασι τοῖς ὑποκριταῖς, τοῖς τὸ καὶ τὸ πρὸς οὐδὲν ἔπος λέγουσι. quibus in verbis inest fortassis etiam aliquid aliud vitii: illud quidẽ certe vix dubium est, quin postrema pars ita legenda sit: ἐοίκασι τοῖς ὑποκριταῖς τοῖς τὸ αἶ, καὶ τὸ φεῦ πρὸς οὐδὲν ἔπος λέγουσι. non quin sciam, τὸ καὶ τὸ, Græcis valere, hoc & illud: sed exempla ipsa, quæ ponuntur a Demetrio, faciunt, vt ad eum, quem dixi modum, legi debere suspicer.

De forium aperiendarum ratione apud veteres Græcos, multis Plauti ac Terentii locis allata lux.

CAPVT XVII.

QVæsitum est ex me, cur in Plauti ac Terentii fabulis nunquam fere quisquam egrederetur domo, vt non antea crepuisse fores dicerentur. Respondi, eas fabulas e Græco conuersas esse, idcircoque quarundam consuetudinum, quibus olim Græci vsi essent, impressa in eis exstare vestigia. Quod autem Romæ antiquis temporibus M. Valerius Poplicolæ frater honoris insigne habuisse dicitur, vt fores ædium ipsius, non introrsum trahendo, sed in viam publicam pellendo aperirentur, id quondam in Græcia vulgatum fuit: omnesque omnium ædium fores eo modo pandebantur. quoniam igitur periculum erat, ne quispiam, qui aut præteriret, aut pro foribus staret, ab impulsa ianua pelleretur: ideo qui exituri erant domo, solebant prius ipsimet intrinsecus fores ædium suarum percutere: vt illo strepitu admonerentur, qui foris erant, cauere sibi, atque eatenus absistere, vt ne læderentur. Hoc a Plutarcho memoriæ proditum est: cuius hæc sunt in Poplicola: τὰς δὲ ἑλληνικὰς, de ianuis loquitur, πρότερον οὕτως ἔχειν ἁπάσας λέγουσιν ἀπὸ τῶν κωμῳδιῶν λαμβάνοντες. ὅτι κόπτουσι καὶ ψοφοῦσι τὰς ἑαυτῶν θύρας ἔνδοθεν, οἱ προϊέναι μέλλοντες, ὅπως αἴσθησις ἔξω γίνοιτο τοῖς παρερχομένοις ἢ προεστῶσι, καὶ μὴ καταλαμβάνοιντο προϊούσαις ταῖς κλεισιάσιν εἰς τὸν στενωπόν.

Quod de fama Vergilius dixit, idem Callimachum de Cerere, Homerum de contentione dixisse.

CAPVT XVIII.

SVspicari fortasse possit quispiam, versum illum, qui de fama apud Virgilium lib. quarto Æneidos legitur,

Ingrediturq́ue solo, & caput inter sidera condit,

Vers. 177. E Callimacho versum esse. quamuis Callimachus non de fama id, sed de Cerere dixerat: sed potuit Latinus poeta, quod de vna dea Græcus dixisse, ad aliam accommodare. versus quidem certe tantum non ad verbum expressus est:

Hymno in Cerere. v. 58. ἴθματα μὲν χερσῷ, κεφαλὰ δέ οἱ ἅψατ' Ὀλύμπω.

Sed tamen verisimilius est, totum illum Latini poetæ locum expressum esse ex iis, quæ apud Homerum de Contentione dicuntur:

Iliad. 4. vers. 442.

ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

Quid sibi velit apud Ciceronem in epistolis ad Atticum pastoritia fistula, explicatum.

CAPVT XIX.

Epist. 13. Ciceronis e libro primo epistolarum ad Atticum verba sunt hæc: *Itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas* ἐπισημασίας *sine vlla pastoritia fistula auferebamus.* quo loco ἐπισημασίας vocat plausus, acclamationes, & similia, quibus populus bonum suum animum erga quempiam significare solitus erat, & lætitiam, quam ex illius aspectu caperet, ostendere. hoc enim Græci vocant ἐπισημαίνεσθαι. vt apud Isocratem in Panathenaico: Καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν, καὶ τοὺς ἀκροατὰς ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν. sed quod addit, sine vlla pastoritia fistula, id ita declarat Paulus Manutius: Pastores qui fistula scienter vtuntur, ita interdum delectant, vt qui audiunt, influentem sensibus voluptatem gestu significent. at nos, inquit, populo ita cari sumus, vt ludorum gladiatorumque consessu mirandas ἐπισημασίας, id est, significationes daret, non vlla pastoritia fistula permotus, sed amore studioque impulsus. quæ declaratio cur mihi nullo modo placeat, non dicam. quod mihi verum videtur, id proponere satis habebo. veritatis enim prolata lux omnia facile tenebras dissipabit. Intelligendum igitur est, nonnunquam contigisse, vt cum quispiam alicui parti multitudinis carus & acceptus erat, ceteris autem odiosus & inuisus, partim plausu exciperetur, partim sibilo. plaudentibus enim iis, quos aspectus ipsius hilarabat, ceteri sibilabant. Ergo Cicero vt ostendat ἐπισημασίας illas suas eiusmodi non fuisse, sed puras omnino, & εἰλικρινεῖς, ait eas fuisse sine vlla pastoritia fistula: id est, sine sibilo, cuius similem sonum notum est e pastoritiis fistulis reddi. itaque Græci in vtroque dicunt συρίζειν: iidemque interdum σύριγγα, id est, pastoritiam fistulam pro sibilo dicunt. Hæc cum iam scripsissem: venit ad me Petrus Morinus Parisiensis, adolescens vtriusque linguæ peritissimus, idemque omnium artium, quæ quidem ingenuum hominem decent, scientia instructus

sed

ſice instructus, qui cum ego, quam diu hic fuit, mea omnia ioca ſeria, vt dicitur, libentiſſime communicabam: cum prope aſſidua quadriennii conſuetudine raram quandam in eo, & exquiſitam eruditionem pari coniunctam bonitate cognoſſem. is igitur non modo declarationi meæ calculum ſuum adiecit. verum etiam, quod tum in legendis Platonis libris, De legibus ſtudioſiſſime verſabatur, locum mihi indicauit, qui eam ſummopere confirmaret. quem appingere libuit: vt & ſententiam ſtabilirem meam, & iucundiſſimam magni amici memoriam grata recordatione renouarem. ergo ita ſcriptum eſt in extremo tertio De legibus: Τὸ δὲ κῦρος τούτων γνῶναί τε καὶ ἅμα γνόντα δικάσαι, ζημιοῦντι αὖ τὸν μὴ πειθόμενον, οὐ σύριγξ ἦν, οὐδέ τινες ἄμουσοι βοαὶ πλήθους, καθάπερ τὰ νῦν, οὐδ᾽ αὖ κρότοι ἐπαίνους ἀποδιδόντες· ἀλλὰ τοῖς μὲν γεγονόσι περὶ παίδευσιν, δεδογμένον ἀκούειν ἦν αὐτοῖς μετὰ σιγῆς διὰ τέλους, παισὶ δὲ καὶ παιδαγωγοῖς, καὶ τῷ πλείστῳ ὄχλῳ ῥάβδου κοσμούσης ἡ νουθέτησις ἐγίγνετο. vbi Plato idem plane σύριγγα dixit, quod Cicero paſtoriciam fiſtulam. Sed quam ſupra ad verbum e Pauli Manutii commentariis declarationem deſcripſi, eam admoneo in iis tātum exemplaribus legi, quæ edita ſunt, antequam hi libri a me in publicum emitterentur. Nam ab iis, quæ biennio poſt edidit, deleta ſunt ea omnia: & in eorum locum ſubſtituta quædam, quæ cum hac mea interpretatione conſentiunt. cuius rei eo admonere lectores volui, ne quis forte quæ a me, vt ſuo iure poteſt, accepit Manutius ea me ipſi ſurripuiſſe ſuſpicaretur. Profiteor enim, me, nō more multorum, quicquid ab aliis accepi, id ſemper ad auctores ipſos referre: cum contra quidam, qui mea impudenter compilauit, cōpilatum ſe a me impudentius conqueratur.

Alius locus ex iiſdem epiſtolis declaratus.

CAPVT XX

NE hæc quidem ſatis intelliguntur, quæ poſita ſunt in epiſtola prima libri ſecundi: *Prognoſtica mea cum oratiunculis propediem exſpecta.* ait enim Manutius, putare ſe libellum ſignificari, qui prognoſtica Ciceronis de rep. complecteretur. ſed ego malo tenere quod ſcio, quam putare quod neſcio. Scio autem Ciceronem interpretatum verſibus Arati prognoſtica: vt conſtat e libris De diuinatione. quare non habeo dubium, quin ea intelligat. meminit horū etiam libro earundem epiſtolarum 15. his verbis: *Equidem etiam pluuiam metuo, ſi prognoſtica noſtra vera ſunt. ranæ enim ῥητορεύουσι.* Reſpicit autem ad illos verſus:

Vos quoque ſigna videtis aquai dulcis alumnæ,
Cum clamore paratis inanes fundere voces,
Abſurdoque ſono fontes & ſtagna cietis.

Qui conuerſi ſunt ex illis Arateis, ſed liberius, id eſt, Ciceronis more,

Ἢ μᾶλλον δειλαὶ γλυκαί, ὕδρειον ὄνειαρ,
Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.

Hic quoque meam sententiam secutus est Manutius, in libris quos biennio post horum editionem diuulgauit.

M. ANTONII MVRETI AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDInalem amplissimum & illustr.

VARIARVM LECTIONVM Liber Secundus.

Correctus & explicatus locus e primo libro Aristotelis, De arte dicendi.

CAPVT I.

MOres dicentis plurimum valere ad persuadendum, & a magnis & sapientibus viris traditum est, & res ipsa loquitur. omnes enim facile adducimur, vt assentiamur iis quos bonis moribus præditos esse opinamur. sed opinio & fama probitatis, duobus modis comparari potest, primum ipso genere ac ratione viuendi, quæ certissima & honestissima est via. deinde etiam spargenda eiusmodi sententiis oratione, quæ significationem habeat animi ingenui ac liberalis, & honestatem omnibus aliis rebus anteponentis. prior ille modus ad rhetoricũ artificium non pertinet. posterioris cum ab aliis dicendi magistris, tum in primis ab Aristotele multa præcepta traduntur. qui etiam negat se eorum sententiæ accedere, qui iis in libris, quos de arte ediderant, posuerant, probitatem dicentis nihil habere momenti ad faciendam fidem. a quibus ipse ita dissentit, vt fere plurimum in ea positum esse dicat. Sed cum verba, quibus hoc exprimitur, corrupta sint in eis codicibus qui non immerito ceteris emendatiores putantur: homoque doctissimus, qui primus vero ac serio prætulit facem omnibus Aristotelicam in eo genere doctrinam intelligere cupientibus, in eorum explicatione sui dissimilis fuisse videatur: constitui primum ipsa philosophi verba proponere, vt leguntur. deinde quid in eis mutandũ putem, & cur putem, indicare: quo præstito, simul etiã sententia, quæ illum, quẽ dico, summũ virum latuit, facile intelligetur, Ergo ita Aristoteles: Οὐ γὰρ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων τίθεμεν ἐν τῇ τέχνῃ καὶ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος. quibus verbis optimus interpres accusari putat eos, qui, cum artem exponerent in arte, dicentis integritatem collocabant. deinde ὡς οὐδὲν συμβαλλομένης εἰς τὸ πιθανόν. hoc idem interpres putat cũ

lib. 1. Rhet.

Stoma:

stomacho & contemtu illorum magistrorum pronūtiatum esse. sed profecto & valde coacta videtur hæc declaratio: & ipsemet, quasi hoc sentiens, titubanter loqui videtur. Sequitur, ἀλλὰ χεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος. vbi ille, Hinc, inquit, inscitia horum doctorum intelligi potest: qui nihil momenti ad fidem faciēdam habere crediderint, quod maximam omnium ferme vim habet. Hæc ille. quæ quam cohæreant, quamque inter se apta sint, omnibus perspicuum esse arbitror. Ego quæ ille diuulsit, coniungenda duco: & quam scripturam ipse, cum reperisset in illo suo optimo & antiquissimo libro, rationem eius se non dispicere fassus est. verissimam esse statuo: συμβαλλομένην videlicet, non συμβαλλομένης. etiam vocabulum καὶ deleo multis impressis libris auctoribus: atq; ita lego denique: οὐ γὰρ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων τιθέασιν ἐν τῇ τέχνῃ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος, ὡς οὐδὲν συμβαλλομένην πρὸς τὸ πιθανόν· ἀλλὰ χεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος· quid autem tam manifestum, quam illud συμβαλλομένην, πρὸς τὴν ἐπιείκειαν referri? ἐν τέχνῃ autem est, in libris de arte scriptis. Particulam χεδὸν, eo addidit, quia sine dubio plurimum ad fidem valent αἱ ἀποδείξεις. In eodem etiam libro, vbi ostendit Rhetoricen æqualem esse Dialecticæ: atq; inter cetera argumenta eius rei ponit id quoque, vt dialecticus adhibeat ad probandum duo instrumenta, syllogismum, & inductionem, sic à rhetore adhiberi alia duo, quæ illis respondeant, enthymema, & exemplum, non dubito quin ita legendum sit: τῶν δὲ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, καθάπερ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς τὸ μὲν ἐπαγωγή ἐστι, τὸ δὲ συλλογισμός. καλῶ δὲ ἐνθύμημα μὲν, ῥητορικὸν συλλογισμόν· παράδειγμα δὲ, ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. quæcunque autem inculcata sunt, recte aberant ab aliis libris: & addita sunt ab iis, qui errore ducti, deesse aliquid existimarent: cum tamen nihil desit. hoc enim dicit Aristoteles: Eorum quæ faciunt fidem, quod aut demonstrent, aut demonstrare videantur, aliud syllogismum esse, aliud inductionem: quemadmodum & in dialecticis. se enim vocare enthymema, syllogismum oratorium; exemplum vero, oratoriam inductionem. Verbum φαίνεσθαι, & vox καθάπερ obiecisse errorem videntur iis, qui aliquid præterea addendum censuerunt.

De Psyllis, & ὀφιογενέσι. Allatus locus Varronis, cuius testimonio vsus erat Plinius.

CAPVT II.

PLinii verba sunt hæc e capite secūdo libri septimi: *Crates Pergamenus in Hellesponto circa Parium genus hominum fuisse tradit, quos Ophiogenes vocat, serpentum ictus cōtactu leuare solitos, & manu imposita, venena extrahere corpori. Varro etiam nūc esse paucos ibi, quorum saliua contra ictus serpentum medeatur. Similis & in Africa gens Psyllorum fuit, vt Agatharchides scribit, a Psyllo rege di-*

cta, cuius sepulcrum in parte Syrtium maioris est. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, vt cuius odore sopirent eas. Mos vero, liberos genitos protinus obiiciendi sæuissimis earum: eoq. genere pudicitiam coniugum experiendi: non profugientibus adulterino sanguine natos serpentibus. Hæc Plinius. qui cum Varronis testimonio vtatur, cuius scripta, maximo studiorum incommodo, desiderantur; ego autem ea, quibus hoc ipsum doctissimus ille scriptor exposuerat, verba repererim, operæpretium facturum esse me duxi, si ea hic apponerem, ac cum Plinianis contenderem. Citat igitur hæc Priscianus e Varronis lib. I. rerum humanarum: *Vt habent Parii, qui vocantur ὀφιογενεῖς, & in Africa Psyllos. quorū ὀφιογενεῖς cum arbitrantur, suppositum esse aliquem in stirpe, ei admouent, vt pungat, colubrum cum pupugerit, si de genere sit, viuere; si non sit, mori.* In eodem: *Admota aspide cum pupugerit, si non occidat, sciat, ex Psyllorum stirpe esse.*

Sententiam illam, Patria est, vbicunque bene est, acute a Lysia reprehensam.

CAPVT III.

QVod in vetere tragœdia Telamonis filius Teucer dixisse traditur, Patriam esse cuique, vbicunq; cuique esset bene: id etsi pulcre ac sapienter dictum videtur, profectumq. ab animo excelso & despiciente omnes acerbitates, quas homini obiicere fortuna posset: grauiter tamen & vere reprehensum est ab oratore prudentissimo, & acutissimo Lysia: demonstratumque eam sententiam hominis esse de suis tantum commodis soliciti, neque ad ciuilem communionem apti. non enim valde laborabit, quid patria sua fiat, quicunque eo erit animo, vt illius caritatem opportunitatibus suis metiatur. solum ipsum, cui primum institit, & cœlum ipsum, vnde primum spiritum duxit, diligat oportet, qui se bonum ciuem perhiberi vult: aut si forte cum alibi natus esset, ciuitate donatus est, eam imbibat opinionem, vt nisi ciuitati bene sit, ne sibi quidem putet bene esse posse. Itaque Vlyxes, vt est in fabulis, cum apud Calypsonem posset in omnibus delitiis viuere, tamen illam asperam & lapidosam patriam suam anteposuit etiam immortalitati: non ita facturus, si illam, quam diximus, Teucri sententiam approbasset. Verum ipsa verba, quibus eam exagitat Lysias, præstat, vt opinor, ascribere. Sunt autem in oratione aduersus Philonem, hoc modo: Καὶ γὰρ οἱ φύσει μὲν πολῖταί εἰσι, γνώμῃ δὲ χρῶνται, ὡς πᾶσα γῆ πατρὶς αὐτοῖς ἐστιν, ἐν ᾗ ἂν τὰ ἐπιτήδεια ἔχωσιν, οὗτοι δῆλοί εἰσιν, ὅτι ἂν παρέντες τὸ τῆς πόλεως κοινὸν ἀγαθὸν, ἐπὶ τὸ ἑαυτῶν ἴδιον κέρδος ἔλθοιεν, διὰ τὸ μὴ τὴν πόλιν, ἀλλὰ τὴν οὐσίαν πατρίδα αὑτοῖς ἡγεῖσθαι. Igitur dictum illud Teucri, bonum quidem virum aliquando fortasse non dedeceat: bonum certe ciuem non decet. Est apud Ouidium sententia quædam

non

non valde dissimilis, nisi quod latius patet: ita enim apud eum Carmenta: *1. Fastor.*

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor:
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Sunt autem ii versus expressi ex illis Euripideis: *Apud Stobæum serm. 38.*

ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος.
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

De vi verbi alloquor. Horatii in Odis explicatus locus.

CAPVT IV.

ALloquendi verbum proprie admodum & venuste vsurpatũ esse a veteribus in eo sermone, qui leuandi ac minuendi alieni doloris caussa haberetur, e Varronis libris iampridẽ Petrus Victorius annotauit. acceptum autem id a Græcis videtur. *παραμυθεῖσθαι* enim, aut *παρηγορεῖν*, verbum e verbo, est *alloqui*. præclare igitur Seneca: apud quem ita in Troade Vlysses: *Lib. 8. var. cap. 23*

Alios parentes alloqui in luctu decet.
Tibi gratulandum est. *Act. 3. sc. 2.*

Quo exemplo haud scio an vllum in scriptoribus antiquis exstet insignius, & illustrius. & est profecto poeta ille præclarior, & vetusti sermonis diligentior, quam quidam inepte fastidiosi suspicantur. Allocutionem etiam dixerunt *παρηγορίαν ἢ παραμυθίαν*: vt Catullus, *Ad Cornificium.*

Quem tu, quod minimum, facillimumq; est,
Qua solatus es allocutione?

& alloquium, *παραμύθιον*, quod cum esset ignotius, data est occasio imperitis corrumpendi carminis cuiusdam Horatiani. quod cum in veteribus libris ita legeretur,

Illic omne malum vino cantuq; leuato, *Epod. 13.*
Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis,

isti fecerunt, *Deformis ægrimonia. & dulcibus alloquiis.* atque ita interpretati sunt, moneri Achillem a Chirone, vt ad Troiam leuaret omne malum deformis ægrimoniæ tribus rebus, vino, cantu, & iucundis sermonibus. Non autem id dixit Horatius: sed vinum & cantum vocauit dulcia deformis ægrimoniæ alloquia, id est, *γλυκεῖα παραμύθια.*

De Callisthene & Philisto. Locus Ciceronis emendatus, & declaratus. Capitales interdum a veteribus ingeniosos dictos esse.

CAPVT V.

M. Tullii verba hæc sunt in epistola quadam ad Q. Fratrẽ: *Itaque ad Callisthenem & Philistum redeo: in quibus te video volutatũ. Callisthenes quidem vulgare & notum negotiũ: quemadmodũ Græci aliquot locuti sunt: Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis, pæne pusillus Thucydides.* sed est apud me liber vetus, in *l. 2. ep. 11.*

quo hæc ita scripta animaduerti: *Itaque ad Callisthenem & Philistum vi leo: in quibus te video volutatum.* Vnde suspicor primum quidem errore librarii bis positū esse verbum, video, quod semel tantum poni oporteret. deinde aliquem, qui corrigere vellet, ex, *video*, illo priori fecisse *vedeo* satis autem erat delere. videtur enim Cicero ἐλλειπτικῶς, vt sæpe alias, locutus hoc modo: *Itaque ad Callisthenem & Philistum; in quibus te video volutatum.* eo magis, quod in iis, quæ antecesserunt, de duobus illis historicis nulla mentio est: vt ad eos redire dicatur. Sequitur in eodem illo libro: *Callisthenes quidem vulgare & notum negotium: quemadmodum Græci aliquot: Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis, pæne pusillus Thucydides.* quam scripturam veram & emendatam esse iudico. Ipsum enim Callisthenem dicit esse vulgare & notum negotium, id est, ἀγελαφρόντιτον πρᾶγμα, & οὐ πολλοῦ ἄξιον. negotium que ita dixit, vt Græci interdum πρᾶγμα. Lucianus in asino: ξένος ἀγελαφρόντιτον πρᾶγμα, aut χρῆμα. Theocritus. σοφόν τι χρῆμ' ἄνθρωπος & Cicero ipse alibi: *Teucris illa, lentum sane negotium.* Vulgare autem & notum, triuiale, & in quo nihil admodum excellat Horatius,

L. 1. ad At. epist 9.

Ieiunus stomachus raro vulgaria temnit. — 2. Serm. 2.

Idem!

Ex noto fictum carmen sequar. — Art. Poet. v. 240.

quod enim ibi notum dicit, paulo post vocat de medio sumtum. Iam illa verba *locuti sunt*, quin melius absint, non dubito. hoc enim dicit, aliquot alios Græcos similes esse Callisthenis, id est, non magni ipsos quoque pretii. Nam quod a Manutio dictum scio. Callisthenem locutum in historia non exquisite, sed quomodo vulgo loquerentur; miror vnde id sumserit: cum ipsius scripta non exstent: Cicero autem ipse alibi aiat, eum pæne rhetorico more historiam scripsisse. Dissentio etiam ab eodem, in eo quod *capitalem*, grauem, & capita rerum attingentem exponit. primum, quoniam si Philistus capita modo rerum attigisset, plane Thucydidi similis non fuit. fuisse autem, & Cicero hic, & libro secundo de Oratore, & Marcus Fabius libro decimo docet. omnium autem optime ac luculentissime Dionysius Halicarnasseus, cuius verba melius erit ascribere: cum & admodum peruulgata non sint, & illud ostendant, Philistum neque grauem fuisse, sed humilem, & abiectum: neque capita modo rerum attigisse, sed potius eo nomine reprehensum, quod in descriptionibus quibusdam prope otiosis nimis immoraretur. Φίλιστος δὲ μιμητής ἐστι Θουκυδίδου, ἔξω τοῦ ἤθους, τὸ μὲν γὰρ, ἐλεύθερον, καὶ φρονήματος μεστόν. τοῦτο δὲ θεραπευτικὸν τῶν τυράννων, καὶ δοῦλον πλεονεξίας· ἐζήλωκε δὲ πρῶτον μὲν τὸ τὴν ὑπόθεσιν ἀτελῆ καταλιπεῖν, τὸν αὐτὸν ἐκείνῳ τρόπον, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὴν ἀταξίαν αὐτοῦ τῆς οἰκονομίας· καὶ δυσπαρακολούθητον τὴν πραγματείαν τῇ συγχύσει τῶν εἰρημένων πεποίηκε. τὴν δὲ λέ-

δὲ λέξεως τὸ μὲν γλωσσηματικὸν, καὶ περίεργον οὐκ ἐζήλωκε Θουκυδίδου. τὸ δὲ στρογγύλον, καὶ πυκνὸν, καὶ εὔτονον καὶ ἐναγώνιον πάνυ ἀκριβῶς ἀπεμάξατο. οὐ μὴν οὐσίας τὴν καλλιλογίαν. καὶ τὴν σεμνότητα, καὶ τὴν ἀφθονίαν τῶν ἐνθυμημάτων. καὶ τὰ βάρη, καὶ τὰ πάθη καὶ τοὺς σχηματισμούς. μικρὸς δέ ἐστι καὶ ταπεινὸς κομιδῇ, ταῖς ἐκφράσεσιν ἤτοι τόπων, ἢ ναυμαχιῶν. ἢ πεζῶν παρατάξεων, ἢ οἰκισμοῦ πόλεων οὐδὲ ὁ λόγος τῷ μεγέθει τῶν πραγμάτων, ἐξισοῦται. συντόμως μέντοι, καὶ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν, Θουκυδίδου πρὸς τοὺς ἀληθινοὺς ἀγῶνας ὠφελιμώτερος. Hæc igitur, cur ei declarationi non assentiar, vna caussa est. altera quod nomen capitalis eam vim habere apud Latinos non puto. Quo fit, vt hoc loco capitalem accipiam ingeniosum, &, vt paulo post dicitur, acutum. Id autem valuisse vocabulum illud apud veteres, docet Ouidius lib. 3. Fastorum, qui de Minerua capta disserens, multasque eius appellationis caussas proferens: hanc primam ponit, dictam videri posse captam, quasi capitalem: quod ingeniosa sit. Versus, quibus ea sententia continetur, hi sunt:

Parua licet videas capta delubra Mineruæ,
Quæ de natali cœpit habere suo.
Nominis in dubio caussa est. Capitale vocamus
Ingenium solers. ingeniosa dea est.

Neque me latet, alibi Philisti breuitatem a Cicerone laudari. sed aliud est, breuem esse, aliud, capita rerum attingere. Breuitas quidem etiam in Thucydide, Salustioque laudatur. Fieri tamen potest, vt ille aliud quippiam secutus sit, quod me fugiat. neque ego ipsius iudicio meum anteponi postulo. tantum, quid mihi videatur, aperte ac libere dico: iudicium aliorum facio. *Bruto de claris.*

Pauperum cognationem a nemine libenter agnosci. Terentii loco allatus non dissimilis Menandri.

CAPVT VI.

QVod homo impurus apud Terentium subdole & malitiose Phormio dicit, idcirco nolle Demiphonem agnoscere, eam puellam, cuius ipse se defensorem esse simulabat, tanquam cognatam sibi; quod illa egens relicta esset: id olim Menander generatim atq; vniuerse, summa cum elegantia, dixerat: pronuntiatque, difficile & operosum esse, reperire cognatum pauperis. neminem enim fateri, sibi quicquam esse cum, qui auxilii alicuius indigeret. propterea quod statim putaret a se aliquid petitum iri. Terentii versus sunt:

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens. *Phormione*
Negligitur ipsa. vide, auaritia quid facit. *Act. 2. sc. 2.*

Menandri autem, ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ
Πένητός ἐστιν. οὐδεὶς γὰρ ὁμολογεῖ,
Αὑτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινὸς
Δεόμενον. αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ.

Menandrea vero hæc ita in Latinum sermonem conuerterit quispiam:

———Ægre inueneris
Cognatum egentis. nemo enim agnoscit libens,
Ad se attinere eum, opis alicuius qui indiget,
Nam mox petitum quippiam a se sari putat.

Ciceronis locus e Dinarcho expressus ostenditur.

CAPVT VII.

M. Tullium in orationibus suis multa e Græcis oratoribus mutuatum esse constat: neque tantum artificii, quo illos in versandis ac regendis auditorum animis vsos esse perspiceret, acrem ac diligentem imitatorem fuisse, verum etiam integra nonnunquam sæpe enthymemata illorum in orationes suas transtulisse. Iuuat autem me, quatenus licet, id obseruare: profiteorque me ex eiusmodi locorum contentione singularem quandam, eamque, vt opinor, neque illiberalem, neque frugis expertem capere animo voluptatem. & quia ex meo sensu de aliis iudico, puto ceteris quoque idem vsuuenire: nemo, vt sit paulo humanior, cui non gratum ac iucundum sit cognoscere, quid a quoquã Cicero sumserit, quoquo modo quæ illorum erant, imitando fecerit sua. Quocirca talia quædam his libris inspergere est animus: non vllo quidem certo ordine: neque enim genus hoc scriptionis ordinem postulat; sed vt cuicunq; in mentem venerit. Nunc autem occurrit illud, quod scriptum est in priore actione in Verrem. Nam cum iudicum fidem nonnihil suspectam haberet orator, acute vidit, quomodo eos excitare ac perterrefacere, ne se corrumpi finerent, oporteret. affirmauit enim, totam ciuitatem esse in speculis. obseruantem, quam quisque reipub. præstaret fidem: &, vt ipsi de Verre iudicassent, ita de ipsis populum R. iudicaturum. Idem autem, & iisdem prope verbis dixerat antiquis temporibus Dinarchus in acerbissima oratione, qua insectatus est Demosthenem: vt non sine caussa videri possit, Ciceronem, cum illa scriberet, Dinarchi locum sibi propositum, quem imitaretur, habuisse. quod, vt magis intelligatur, Ciceronis primũ, deinde Dinarchi verba subiiciam. Cicero: *Nunc autem homines in speculis sunt: obseruant, quemadmodum se vnusquisq; vestrum gerat in retinenda religione, conseruandisq; legibus.* & paulo post: *Hoc est iudicium, in quo vos de reo, populus R. de vobis iudicabit.* Dinarchus: ὁρᾶτε γὰρ ὦ ἀθηναῖοι ὅτι παρὰ μὲν ὑμῖν Δημοσθένης ἐστὶ κρινόμενος, παρὰ δὲ τοῖς ἄλλοις ὑμεῖς· οἳ σκοποῦσι ποίαν ποτὲ γνώμην ἕξετε περὶ τῶν τῇ πατρίδι συμφερόντων, καὶ πότερον τὰς ἰδίας τούτων δωροδοκίας καὶ πονηρίας αὐτοὶ ἀναδέξεσθε εἰς ὑμᾶς αὐτούς, ἢ φανερὸν πᾶσιν ἀνθρώποις ποιήσετε, ὅτι μισεῖτε τοὺς κατὰ τῆς πολιτείας δῶρα λαμβάνοντας.

Quod

Quod Victorius de auctore libri de mundo ad Alexandrum credidit, verum non videri.

CAPVT VIII.

Liber, qui vulgo Aristoteli tribuitur, de mundo ad Alexandrũ, quin Aristotelis non sit, nemini dubium esse arbitror. nam, si nihil aliud, ipsum certe dictionis genus ita ab Aristoteleo dissidet, vt eam discrepantiam qui non videat, nihil omnino videat: etsi Iustinus Martyr, ἐν τῷ πρὸς ἕλληνας παραινετικῷ λόγῳ, eum Aristoteli tribuere videtur. sed quod P. Victorius putauit se verum illius auctorem reperisse, in eo falsus opinione sua videtur. *Lib. var. 25. cap. 13.* neque sane satis mirari possum, quid hominem & magna doctrina, & acri iudicio praeditum mouerit, vt, nullo alio argumento, nisi quod Nicolaus Damascenus aliquid iisdem de rebus scripserit, librum eum illius esse affirmarit. Nicolaus enim, vt notum est, Augusti temporibus vixit. at liber ille ad Alexandrum Philippi filium scriptus est. quomodo igitur hæc quadrare possunt? non enim minus ridiculus fuisset hac ratione Nicolaus, quam si quis hodie ad Priamum, aut ad Hectorem scriberet. Itaque etiamsi anteà creditum esset, librum illum a Nicolao scriptum, tamen id falsum esse, aperte eo, quod dixi, argumento, cõuinceretur. nedum in tanta temporum repugnantia, sine vlla firma ratione ei tribui debeat.

Pisces paruulos a maioribus deuorari, multorum scriptorum testimoniis confirmatum. emendatus Varronis locus.

CAPVT IX.

Petrus Victorius libro sexto Variarum lectionum, cum doceret, id quod hodieque prouerbii loco dicitur, minutos pisces maioribus pro cibo esse, etiam antiquis temporibus dici solitum: confirmauit id duobus locis prolatis, vno Polybii, altero Varronis. sed Varronis versus, nisi me fallit opinio, non satis emendate scriptos protulit. *Cap. 8.* Visum est igitur ita eos proponere, vt distinguendos emendandosque arbitrarer. Varro Margopoli περὶ ἀρχῶν:

Natura humanis omnia sunt paria. *Nonius v. comest.*
Qui pote plus vrget. pisces vt sæpe minutos
Magnus comest: vt aues enecat accipiter.

eam autem esse in piscibus feritatem, vt in genus suum sæuiant, multi optimæ notæ auctores prodiderunt: vt Oppianus libro secundo ἁλιευτικῶν. his versibus:

Ἰχθύσι δ' οὔ τι δίκη μεταρίθμιος, οὔτέ τις αἰδὼς
Οὐ φιλότης. πάντες γὰρ ἀνάρσιοι ἀλλήλοισι
Δυσμενέες πλώουσιν· ὁ δὲ κρατερώτερος αἰεὶ
Δαίνυτ' ἀμαυροτέρους. ἄλλῳ δ' ἐπιτέτυκτ' ἄλλος
Πότμον ἄγων· ἕτερος δ' ἑτέρῳ πόρσυνεν ἐδωδήν.

Neque tantum a maioribus minores, sed interdum quoq; maiores a minoribus arte superari ac vorari docet. Homerus quoq; Troianos Achillem fugientes comparat piscibus delphina fugientibus, ne ab ipso vorentur. Versus ipsius sunt Iliad. φ.

[Vers. 22.] Ὡς δ' ὑπὸ δελφῖνος μεγακήτεος ἰχθύες ἄλλοι
Φεύγοντες πιμπλᾶσι μυχοὺς λιμένος εὐόρμου,
Δειδιότες. μάλα γάρ τε κατεσθίει ὅν κε λάβῃσιν.
Ὡς Τρῶες ποταμοῖο κατὰ δεινοῖο ῥέεθρα
Πτῶσσον ὑπὸ κρημνούς.

Sed & apud Ælianum principio librorum De varia historia, & a-
[c. 19. & lib.] pud Aristotelem libr. 8. De natura animalium, quædam idem
[9. cap. 2.] confirmantia leguntur.

Iugurtham, cum in triumpho ductum esse, desipere ac delirare cœpisse. Plutarchi in Mario locus.

CAPVT X.

De vi doloris Venetiis, magna stipatus studiosorum hominum corona, aliquando disputabam: cumque mihi occurrisset, vt dicerem, eo dolore, quē e magnis infortuniis & calamitatibus homines caperent, mentem quoque ipsam sæpe turbari, adigiq; ad insaniam eos, qui antea cati in primis & solertes fuissent: cum alios complures nominaui quibus id contigisset, tum Numidarum regem Iugurtham. eius autē rei testem atq; auctorem laudaui Plutarchum in Mario. Postridie eius diei venit ad me vnus eorum, qui sermoni illi interfuerant, homo & probus, & ceteroqui non ineruditus, sed Græcarum inscius literarum. Is cum mihi prius, siue officii caussa, siue, quod ipse errore ductus ita sentiret, magnopere gratulatus esset, dixissetque, me, & sibi, & aliis valde in eo sermone placuisse: Vnum, inquit, est quod magnam hercule mihi molestiam exhibuit. nam cum, domum reuersus, in bibliothecam me abdidissem, cœpi ea, quæ tu dixeras, mecum in animo recolere. ac cetera quidem, nihil abfuit, non sane multum, quin ita, vti tu dixeras, in iis, quos dixeras, libris scripta repererim. vnum de Iugurtha reperiendi nulla potestas fuit. & quidem ea caussa totam Marii vitam ita diligenter perlegi, vt ne litera quidem vna me fugerit. Velim igitur, si commodum est, quem mihi iniecisti scrupulum, tute eximas; recogitesque tecum, vnde id sumseris: nam de Plutarcho quidem, fugit te ratio. Tum ego: Facile istuc quidem, inquam, fuerit. nam & memoria nemo est hominum, qui valeat minus: & heri ad dicendum non sane valde meditatus accesseram. sed tamen quid vetat Plutarchum a me quoque inspici? Vt tibi quidem, inquit, plane satisfacias, animumque expleas. nam quod reperire te id posse censeas, nihil est. Hæc eo dicente, ego, iam puerum codicem poposceram: in quem vt primum conieci oculos, obtulit se mihi id quod quærebam, his verbis explicatū: Καὶ Μάριος ἐκ Λιβύης μετὰ τῆς

παιδί.

ματεύματος διακομισθεὶς, αὐταῖς καλάνδαις Ιανουαρίαις, ἣν ἔτους ἀρχὴν ἄγουσι Ρωμαῖοι, τήν τε ὑπατείαν ἀνέλαβε, καὶ τὸν θρίαμβον εἰσήλασεν, ἄπιστον ἐπιδεικνύμενος θέαμα Ρωμαίοις. Ιουγούρθαν αἰχμάλωτον, οὗ ζῶντος οὐδ' ἂν εἷς ἤλπισε πολεμίων κρατήσειν. οὕτω τις ἦν ποικίλος ἀνὴρ τύχαις ὁμιλῆσαι καὶ πανουργίᾳ πολλῇ μεμιγμένον ἔχων τὸ θυμοειδές· ἀλλ' ἐξέστη γε πομπευθείς, ὡς λέγουσι, τότε τῶν φρενῶν. καὶ μετὰ τὸν θρίαμβον εἰς τὸ δεσμωτήριον ἐμπεσὼν, ὡς οἱ μὲν αὐτοῦ βίᾳ περιέρρηξαν τὸν χιτωνίσκον, οἱ δὲ σπεύδοντες ἀφελέσθαι βίᾳ τὸ χρυσοῦν ἐλλόβιον, ἅμα τὸν λοβὸν συναπέρρηξαν, ὠσθεὶς δὲ γυμνὸς εἰς τὸ βάραθρον κατεβλήθη, μεστὸς ὢν ταραχῆς, καὶ διασεσηρὼς, Ηράκλεις, εἶπεν, ὡς ψυχρὸν ὑμῶν τὸ βαλανεῖον. quæ, pro tépore, ipsius caussa, ita tum a me in Latinum sermonem conuersa sunt: At Marius ex Africa cum exercitu aduectus, Cal. Ian. ipsis, quod anni principium Romanis est, tum consulatum denuo iniuit, tum triumphum egit, in quo incredibile Romanis spectaculum exhibuit, captiuum Iugurtham, quo viuo se potiturum nemo hostium ipsius sperasset, ita vario erat vir ille, & multiplici ingenio, & ad fortunæ vicissitudines versatili, & ea præditus audacia, cui multa calliditas esset admista. sed in triumpho ductus, desipere, vt fertur, ac delirare cœpit. itaque post triumphum, in carcerem cōpactus, vt ei alii quidem violenter abrupere tuniculam, alii autem auream inaurem per vim eripere properantes, infimam vnà quoque auriculam disciderunt, ipse autem nudus in barathrum pulsus ac deiectus est, stuporis plenus, retectis, ridentis in morem, dentibus, Iupiter, inquit, vt frigidum vestrum balneum est. His lectis, & interpretatis, miratus ille, suum quoque librum afferri voluit. sed in eo ita erant omnia hæc, non illepide modo & incondite, verumetiam absurde, & procul a vero posita, vt meminisse pigeat. Indignatus igitur, & multa mala precatus istis librorum contortoribus, ita tum discessit a me, vt qui se, etsi natu iam grandior, primo quoque tempore alicui Grecæ linguæ magistro operam daturum esse iuraret. Non est autem prætereundum silentio, suspicari me quod apud Plutarchum legitur, τύχαις ὁμιλῆσαι, legi debere, ὁμαλῆσαι. puto enim τύχαις ὁμαλῆσαι, esse, naturam suam versare, & ad fortunæ mutationes inflectere. sed de hoc alii iudicabunt.

Aristotelis locus, allatis Theognidis versibus, qui eandem sententiam continent, illustratus.

CAPVT XI.

Aristoteles primo Rhetoricorum, cum enumeraret ea, quæ animum facere alicui possent ad iniuriam alteri inferēdam, id quoq; posuit, quod quotidie experimur, amicitiam: non illam quidem veram, & perfectam, sed vt vulgo amicitiæ nomine vtimur, cum quamlibet familiaritatem ac consuetudinem vitæ, amicitiam vocamus: eam igitur efficere, vt homines improbi ad imponendam iniuriam sint audentiores. facilius enim se id, quod

volunt, effecturos esse credunt: cum ab inimicis omnes sibi caueant: ab amicis nemo sibi cauendum putet. id autem ante Aristotelem sapientissimus poeta dixerat Theognis: cuius hi versus sunt:

Extremo lib.

Ἐχθρὸν μὲν χαλεπὸν καὶ δυσμενῆ ἐξαπατῆσαι
Κύρνε. φίλος δὲ φίλον ῥᾴδιον ἐξαπατᾶν,

Quo versus ita ludibundi conuertimus:

Fallere difficile est inimicum at amicus amicum
Fallere non magno Cyrne labore potest.

Sed & Cicero libro primo accusationis ait, nullas esse occultiores insidias, quam eas quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine.

Genus quoddam loquendi Horatianum indicatur e Græco fonte manasse.

CAPVT XIII.

CVR ME querelis exanimas tuis?
Nec dis amicum est, nec mihi, te prius
Obire Mæcenas, mearum
Grande decus columenque rerum.

Od. 17.

VErsus hi sunt, vt notum est, e secundo lib. Odarum Horatii in quibus genere loquendi vsus est apto illo quidem & eleganti sed apud Latinos non valde, nisi me fallit animus, vsitato. nam amicum esse aliquid diis, pro eo, quod est, diis ita videri, ac placere, vbi præterea legatur, equidem haud facile dixerim. neque sane ea dicendi ratio Romanis domestica vernacula est, sed trans mare petita, ob idque non obesæ naris hominibus ἠδῦσμα πρὸς ὄζειν ξενίας. id vt magis perspiciatur, aliquot illius exempla e duorum post homines natos eloquentissimorum hominum sumta libris proferam; Homeri, & eius, quem Panætius Homerum philosophorum vocabat. apud Homerum igitur Pallas ad Iouem pro Vlysse verba faciens, orat eum, vt, si quidem diis amicum est eum domum redire, Mercurium mittat, qui id Calypsoni nunciet. eius verba sunt:

Odyss. I. ver. 82.

Ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη ὕπατε κρειόντων,
εἰ μὲν δὴ νῦν τοῦτο φίλον μακάρεσσι θεοῖσι,
Νοστῆσαι Ὀδυσῆα δαΐφρονα ὅνδε δόμονδε, &c.

Apud Platonem autem Socrates, in apologia, cum dixisset, se tentaturum, si posset e iudicum animis euellere prauam illam opinionem, quam, adducti calumniatorum sermonibus, de ipso conceperant: sed putare, id difficile factu fore: Verum tamen, inquit, hac quidem de re ita sit, vt deo amicum est ὅμως δὲ τοῦτο μὲν ἴτω, ὅπῃ τῷ θεῷ φίλον. & in dialogo περὶ πράκτου, cum ei dixisset Crito nauem eo die e Delo appulsuram, ideoq; ipsi postridie e vita migrandum fore: Atqui, inquit, o Crito, bene eueniat: si ita diis amicum est, ita esto, ego tamen eam hodie venturam non puto. ἀλλ' ὦ Κρίτων τύχῃ ἀγαθῇ εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ ἔστω. οὐ μέντοι οἶμαι ἥξειν αὐτὸ τήμερον

τὸ τέμενος. & in Theage: Ἐὰν μὲν τῷ θεῷ φίλον ᾖ, πάνυ πολὺ ἐπιδώσεις καὶ ταχύ. & libro 10. legum: Τὰ μὲν ἂν δέ τῶν δεχομένων πέρι, μεθεῖσθαι, καὶ χαιρέτω, καὶ ὅπῃ θεοῖσι φίλον, λεγέσθω ταύτῃ: tale quoque est illud Æschyli: Promeeth. pag. 41.

——— ὡς μάθοι τὴν θεοῦ

Δεῶντ' ἢ λέγειν τε δαίμοσιν πράττειν φίλα.

Sed & illa non dissimilia sunt: Πουλυδάμα, σὺ μὲν οὐκ ἔτ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις: & in Protagora: εἴπερ φίλον: & apud Euripidem in Ione, τῷ θεῷ γὰρ ἦν φίλον. eiusdemque generis alia. Sæpe autem monui, solitum Horatium, inspergenda scriptis suis Græcitate, salem & Venerem quærere. Iliad. 12. ver. 231. Mercurius in prolog.

Platonis locus conuersus a Cicerone in Hortensio, in quo Marsilius leuiter lapsus est.

CAPVT XIII.

QVi aut aucupandæ inanis gloriolæ studio, aut conuincendi magis, quam docendi aduersarii gratia disputant, ii acriter vrgere ac premere eum solent: neque fere, si quid ipse inconsideratius aut falsus, aut inficiatus est, mutandæ postea sententiæ potestatem facere: at qui veritatem modo in disputando spectant, & docere eos, cum quibus agunt, volunt, æquiores liberalioresque sunt, neque ad viuum omnia resecant: sed si quid is quicum sermo est, dederit, cuius postea dati pœniteat, in eo non pertendunt pertinaciesue sunt: lubentibusque ipsis, corrigere se, qui sibi lapsus videtur, potest. id se facere, cum significare vellet Socrates in Hipparcho, eleganti admodum similitudine vsus est, sumta a ludo XII scriptorum, his verbis: Ἀλλὰ μὴν καὶ ὥσπερ πεττεύων, ἐθέλω σοι ἐν τοῖς λόγοις ἀναθέσθαι ὅ, τι βούλει τῶν εἰρημένων, ἵνα μὴ οἴῃ ἐξαπατᾶσθαι. quæ summi philosophi verba cum a summo oratore Romano in Latinum sermonem elegantissime conuersa reperissem, non indignũ id putaui, quod annotarem. Citat igitur hæc Nonius Marcellus e Ciceronis Hortensio: *Itaque tibi concedo, quod in XII scriptis solemus, vt calculum reducas, si te alicuius dati pœnitet.* Marsilius autem, qui locum illum Platonis ad ludum talorum retulit, falsus videtur. Sed & in illo e Protagora, ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ἀναθέσθαι ἔξεστιν, & in primo πολιτειῶν, vbi Polemarchus, aliter amicum & inimicum definire volens, quam prius fecerat, ita loquitur: ἀλλὰ μεταθώμεθα. κινδυνεύομεν γὰρ οὐκ ὀρθῶς τὸν φίλον, καὶ ἐχθρὸν θέσθαι: & aliis similibus locis, facile crediderim, metaphoram ex eodem illo XII. scriptorum ludo desumtam subesse. In v scriptus.

Ciceronis locus, quem Silius eleganter imitatus est.

CAPVT XIV.

SIlium Italicum poetam, meo quidem iudicio, præstantem, Ciceronis apprime studiosum fuisse, eiusque libros diligẽtissime atque assiduissime lectitasse, non modo Martialis, qui eius coæuus fuit, testimonio cognoscimus, sed multo magis ex eo intelligimus,

gimus, quod eum multa Ciceronis in poema suum transtulisse, eaque scienter admodum accommodasse ad illa, quę tum tractabat, videmus. cuius rei exemplum hic vnum proponere libitum est. Libro igitur septimo, cum Q. Fabius Annibalem ludificando, & cunctando, & bellum trahendo frangeret; Romanique milites pugnæ auidi, & conferendarum cum hostibus manuum ingenti desiderio incensi, quidque mora proficeretur, nescientes, imperatorem suum, tanquam ignauum, &, vt Horatius loquitur, inaudacem, summa verborum immoderatione increparent: iamque sublato clamore, iniussu ipsius rem gerendam esse vociferarentur: graui oratione furentem illorum impetum repressurus Fabius, ita exorditur, vt dicat, nunquam sibi Romanos in tanto discrimine summam rerum tradituros fuisse, si se talibus clamoribus turbatum iri credidissent.

Feruida si nobis corda, abruptumq; putassent
Ingenium patres, & si clamoribus, inquit,
Turbari facilem mentem: non vltima rerum,
Et deploratis mandassent Martis habenas.

Cicero quoque in ea oratione, qua C. Rabirium perduellionis reum protexit & eripuit, cum quiddam paulo confidentius dixisset clamorque concionalis secutus esset: *Nihil me*, inquit, *clamor iste commouet, sed consolatur: cum indicat, esse quosdam ciues imperitos, sed non multos. Nunquam, mihi credite, populus R. hic, hic qui silet, consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur.*

Quodnam sit verbum illud Græcum, quo vsos esse Athenienses in discordiis sedandis ait Cicero in Philippicis.

CAPVT XV.

VErbum Græcum quo in sedandis discordiis ait Cicero vsam esse Atheniensiū ciuitatem, non est, vt opinor, *ἀμνηστία*: quāquam ab omnibus qui eum locum attigerunt, ita esse traditum scio, neque me mouet, quod Plutarchus *ἐν τοῖς πολιτικοῖς παραγγέλμασι* scitum illud vocat *τὸ τῆς ἀμνηστίας ψήφισμα*: quodque alii scriptores Latini idem confirmant. neque enim nego, ita eam legem postea vocatam esse at verbum ipsum, quod in lege positum est, aio fuisse, *μὴ μνησικακεῖν*. cuius rei multos locupletes, & idoneos auctores habeo, vt Xenophontem, cuius hæc sunt e secundo *ἑλληνικῶν καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται, καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος*. vt Æschinem, qui in oratione De corona ita loquitur: *Νῦν δὲ οὗτοι μὲν, μεγάλων κακῶν συμβάντων, ἔσωσαν τὴν πόλιν, τὸ κάλλιστον ἐκ παιδείας ῥῆμα φθεγξάμενοι, μὴ μνησικακεῖν*. Quin & Aristoph. eodem respexit hoc versu:

Μὴ μνησικακήσῃς εἴ σου Φυλὴν κατέλαβες.

Sed quid coniecturis, vt in re dubia, vtimur? triplex iusiurandum

fuit, quo se, compositis rebus, obſtrinxerunt Athenienses. vnum commune totius ciuitatis, quod in hæc verba conceptum est: Οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενί, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα, οὐδὲ τούτων ὃς ἂν ἐθέλοι εὐθύνας διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν. alterum senatus: οὐ δέξομαι ἔνδειξιν, οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων: tertium eorum qui res iudicabant: Οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλῳ πείσομαι: ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. Hæc ita scripta sunt apud Andocidem in oratione De mysteriis.

Ciceronis ex oratione pro Deiotaro loci duo emendati.

CAPVT XVI.

SOleo libenter veteres libros, quicunque in manus meas incidunt, euoluere: eiuſmodi tandem illi sint, & quocumque literarum charactere exarati. quod enim Plinius de toto librorum genere dicere solebat, nullum esse tam malum, ex quo non caperetur aliquid fructus: id ego in his maxime verum esse comperio. multos enim nanciſcor mutilos, laceros, corruptos, euanescentibus literis: tum quod molestius est, descriptos ab hominibus imperitissimis, ideoque ἰλλιγγιῶντας. vt in eis legendis incredibilis quædam molestia exhaurienda sit, sed non in multos incido, qui omni ex parte frustrentur opinionem meam. fere enim semper aliquid tamen luceſcere facio siue autem hæc conſtantia vocanda est, siue etiam quidam mentis error, (non enim, quominus quisque, quo volet, nomine appellet, impedio) ita obstinato animo sum, nulla vt sit tanta erratorum multitudo, quæ a me legendo absterreat, neque mihi male operam collocasse videor, cum ex illis difficultatibus, tanquam a salebris quibusdam, emerſus, in recensione reperio, vnum aut alterum boni alicuius scriptoris locum bidui tridiiue labore purgatum esse. multi autem amici, qui me hoc morbo teneri sciunt, multas ad me scidas vndecumque collectas mittunt. neque ego illa mihi ἀπόβλητα δῶρα esse duco; quin auide arripio quicquid offertur, & in hac inopia, vbi siligneus panis deest, cibario me, vt possum, tueor: beatos illos esse ducens, quibus amplæ illæ ac nobiles bibliothecæ patent, vbi tam laute, tam copiose, tam splendide pascere animos suos hoc genere epularum queunt. nos tenuiores victitamus vt possumus, neque inuidemus aliis fortunam suam: sed, vt eadem nobis quoque aliquando contingat, optamus. nunc cuius rei caussa susceptus hic a me sermo, & vnde ortus sit, exsequar. Habeo librum quendam, aut potius discerpti & dilacerati libri aliquot paginas, ipsas quoque ita male acceptas, vt alicubi canum ludibrium fuisse videantur: in quibus hæc scripta sunt: pars orationis pro Marcello: tota fere pro Ligario: & pro Deiotario fere dimidiata. Nuper igitur placuit ea omnia cum vulgatis libris conferre: itaq; feci. in duabus autem prioribus nihil admodum reperi, quod alicui

ſus momenti videretur. in ea, quæ pro Deiotaro eſt, hæc, quæ ſubiiciam, non indigna, quæ notarentur, cenſui. Primum ergo vbi vulgo legitur, *Cui tamen ipſi regi veniam te daturum fuiſſe dicebas, ſi auxilia Pompeio, vel ſi etiã filium miſiſſet, ipſe tamen excuſatione ætatis vſus eſſet.* in illis fragmẽtis elegantius, ni fallor, & verius ita ſcriptum eſt: *Cui tamẽ ipſi regi veniam te daturum fuiſſe dicebas, ſi cum auxilia Pompeio, vel etiam filium miſiſſet, ipſe tamen excuſatione ætatis vſus eſſet.* Item hoc, quod non ad nitorem & elegantiam orationis, ſed ad ſententiam ipſam non mediocriter pertinet. In iis enim libris, quibus vulgo vtimur, ita legimus: *Ego mehercule C. Cæſar initio, cum eſt ad me iſta cauſſa delata, Phidippum medicũ, ſeruum regium, qui cum legatus miſſus eſſet, ab iſto ipſo adoleſcente exiſtimaui eſſe corruptum: hac ſuſpicione ſum perculſus. medicum indicem ſubornabit, finget videlicet aliquod crimen veneni.* at in illis ἐλλογίοις, (ita enim plane vocari poſſunt) multo ſyncerius multoque emendatius, meo quidem iudicio, ſcriptum eſt: *Ego mehercule C. Cæſar initio, cum eſt ad me iſta cauſſa delata, Phidippum medicum, ſeruum regium, qui cum legatis miſſus eſſet, ab iſto adoleſcente eſſe corruptum: hac ſuſpicione ſum percuſſus. medicum indicem ſubornauit? finget videlicet aliquod crimen veneni.* Quæ ſcriptura quid plane integra & corrupta ſit, nemo dubitabit, qui locum illum paulo attentius conſiderauerit.

Illuſtratus locus ex oratione pro Cœlio.

CAPVT XVII.

IN oratione pro Cælio cum conatus eſſet M. Tullius impuram mulierem Clodiam in eam ſuſpicionem adducere, vt qui adeſſent, veneno ab eo ſublatum Q. Metellum exiſtimarent, hac poſtea amplificatione vſus eſt: *Ex hac igitur domo progreſſa iſta mulier, de veneni celeritate dicere audebit? nonne ipſam domum metuet, ne quam vocem eliciat? non parietes conſcios, non noctem illam funeſtam ac luctuoſam perhorreſcet?* Suſpicor autem, vbi *eliciat* legitur, *eiciat* legi debere. ſignificat enim, hoc ipſum metuere debere Clodiam, ne vocem ipſa domus tam impii facinoris conſcia emittat. eliciendi autem verbum, ad hoc iudicandum, non nimis aptum videtur. Euripidis etiam verſibus quibuſdam ex Hippolyto coronato hanc coniecturam nonnihil adiuuari puto: e quibus totus ille locus manifeſto expreſſus eſt. ſunt autem hi:

> *Οὐδὲ σκότον φρίσσουσι τὸν ξυνεργάτην,*
> *Τέρεμνά τ' οἴκων, μή ποτε φθογγὴν ἀφῇ;* id eſt,
> *Neque tenebras noctis perhorrent conſcias,*
> *Neque, ipſa ne quando eiciat vocem domus?*

Loquitur autem ibi Phædra de mulieribus, quæ ſe pudicas eſſe ſimulant, cum tamen clanculum libidini ſeruiant: quas miratur prodire audere in conſpectum virorum: neque timere, ne a nocte ipſa, & a domo conſcia indicentur. Hanc meam cõiecturam tam-

bindo

binus homo omnium, sed nolo in mortuum, quoquo modo de me meritum, grauius dicere, principio quidem ira exagitauit, vt illa solemnia effunderet, barbaros esse, & omnium bonarum rerum imperitos. & quæcunque præterea solebat; quoties ab aliquo dissentiebat, si qui putarent, eiicere vocem, Latine dici. deinde, mutata sententia, in notis ad Ciceronem, ipse se ad illum imperitorum numerum aggregauit: neque tamen mihi prorsus assensus est, sed nutauit, vt plerumque in grauioribus rebus solebat: fassus cõiectur am meam duorum veterum librorum testimonio cõprobari. Exstitit deinde, qui, gratiam, credo, Lambini aucupari volens, quam tamen cuiusmodi esset, ipse postea expertus est, cum emendationem meam aliquot Lucretii locis confirmari videret, secutus quidem eam est, sed eius Lambinum fecit auctorem, a quo illa diu oppugnata, non me, a quo primum prolata erat. Sed hæc & lenia sunt, & a me ipso mirabiliter negliguntur. Aut non curãda gloria, aut ex grauioribus rebus petenda est.

Cicero in oratione pro Sylla, locum quendam Demosthenis imitatus ostenditur.

CAPVT XVIII.

VIdetur Cicero duobus ex oratione pro Sylla locis Demosthenicum quendam adumbrasse: qua in parte excusat se, quod in reo defendendo multa de seipso dicere cogatur: cuius sermonis impositam sibi esse dicit ab accusatore necessitatem. nam & Demosthenes idem in defendendo Ctesiphonte dixerat: quem quomodo Latinus orator sit imitatus, vt appareat, vtriusq; verba describam. Ita igitur Demosth. εἰ μὲν οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρησεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ αὐτοῦ τοῦ προβουλεύματος εὐθὺς ἂν ἀπελογούμην, ἐπειδὴ δὲ οὐκ ἐλάττω λόγον τἆλλα διεξιὼν ἀνάλωκε, καὶ τὰ πλεῖστα κατεψεύσατό μου, ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω καὶ δίκαιον ἅμα, βραχέα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περὶ τούτων πρῶτον εἰπεῖν. Cicero autem: *Et quoniam L. Torquatus, meus familiaris ac necessarius, iudices, existimauit, si nostram in accusatione sua necessitudinem familiaritatemque violasset, aliquid se de auctoritate mea defensionis posse detrahere, cum huius periculi propulsatione coniungam defensionem officii mei.* Post autem etiam apertius: *Nam si Torquatus Syllam solum accusasset, ego quoque hoc tempore nihil aliud agerem, nisi eum, qui accusatus esset, defenderem. sed cum ille tota oratione in me esset inuectus, & cum, vt initio dixi, defensionẽ meã auctoritate spoliare voluisset, etsi dolor meus respõdere nõ cogeret, tamen ipsa caussa hãc a me orationẽ flagitasset.*

Alius Ciceronis locus e Demosthene expressus.

CAPVT XIX.

SVmtum ex eadem illa Demosthenis oratione videtur & id, quod in secunda Philippica scriptum est: *Vt igitur in seminibus est caussa arborum & stirpium: sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti.* Nam & ille, cum Æschinem omnibus calamitatibus, quibus

Athenienses conflictati erant, caussam præbuisse dixisset; ita id confirmauit: Οὐ γὰρ τὸ σπέρμα παρασχὼν, οὗτος τῶν φυτῶν γεωργὸς αἴτιος.

Theocriti ἀδωνιαζούσαις correctus & explicatus locus.

CAPVT XX.

NOn puto, me rem studiosis ingratam facturum fore, quanquam hic Latinorum præcipue scriptorum caussa susceptus a me labor est, si nonnunquam etiam Græcis opis aliquid afferre coner. iampridem enim persuasum esse existimo omnibus qui versantur in literis, sine Græci sermonis cognitione, mācam omnem ac mutilam esse doctrinam, & qui eius expertes sint, ab eis ne Latine quidem scripta penitus percipi. Nunc igitur Theocriti versus quosdam, quos neque satis emendate scriptos circumferri, neque satis intelligi arbitror, quomodo scribendi, quoque modo accipiendi videantur, aperiam. sed primum eos describam ita, vt leguntur:

Γ. Μαῖ πόθεν ὤνθρωπος, τί δὲ τὶν εἰ κωτίλαι εἰμές,
Πασσάμενος ἐπίτασσε. συρακοσίαις ἐπιτάσσεις,
Ὡς εἰδῇς καὶ τοῦτο κορίνθιαι εἰμὲς ἄνωθεν,
Ὡς καὶ ὁ Βελλεροφῶν: πελοποννασιστὶ λαλεῦμες.
Δωρίσδεν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσσι.
Π. Μὴ φυῇ μελιτῶδες, ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη,
Πλὰν ἑνός. οὐκ ἀλέγω μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.

Inducuntur autem ibi duæ mulieres Syracusanæ, Gorgo & Praxinoa, quæ profectæ ad spectandam pompam sacrorum Adoniorum, cum, qui mos mulierum est, assidue garrientes, implerent omnia strepitu, & aures eorum, qui prope erant, obtunderent; offensus tanta earum garrulitate hospes quidam, illamque ferre amplius non valens, subcontumeliose imperauit eis, vt tacerent. Tum indignata Gorgo, quæso, inquit, quid hoc tandem hominis est? quid vero tua refert, si garrulis esse nobis libet? addit deinde: Πασσάμενος ἐπίτασσε. vbi legendum censeo, πασάμενος, non πασσάμενος: neque vero parum interest. nam πάσασθαι prima syllaba breui, est γεύσασθαι: ex quo poetæ, cum eam syllabam producere volunt, faciunt πάσσασθαι: at πάσασθαι prima longa, est κτήσασθαι: vnde est πολυπάμμων. estque ea vox Dorum propria. erit igitur πασάμενος, κτησάμενος. atque hoc dicet Gorgo hospiti; Impera ancillis tuis, ἐπίτασσε αἷς κέκτησαι: nobis enim tum imperas, scito te Syracusanis imperare: ne forte nos viles aliquas & abiectas esse fœminas putas. Corinthiæ sumus a prima origine, non minus, quam Bellerophon. Postremo, quoniam hospes reprehenderat eas, tanquam πλατειασδούσας, id est, lato & diducto ore pronuntiantes: (erat enim Dorum in Græcia eadem fere pronuntiatio, quæ in Italia Bergomatium) iccirco addit, se ita loqui, vt in Peloponneso loquerentur: ceterum non putare, caussam esse vllam, cur non Do-

r. bus

sibus Dorice pronuntiare fas esset. In iis autem duobus versibus, qui postea dicuntur a Praxinoa, mihi quidem tenebræ sunt. Nam quod Scholiastes ait, μελιτώδη vocari Persephonem; vix credibile mihi videbatur, antequam legerem Porphyrii Commẽtariolum περὶ τ̃ ἐν ὀδυσσείᾳ τ̃ νυμφῶν ἄντρου, qui mihi omnem hac de re scrupulum exemit. Ita enim ibi scriptum est: Πηγαὶ δὲ καὶ νάματα οἰκεῖα ταῖς ὑδριάσι νύμφαις. καὶ ἔτι γε μᾶλλον νύμφαις ταῖς ψυχαῖς: ἃς ἰδίως μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν, ἡδονῆς οὔσας ἐργαστικάς. ὅθεν καὶ ὁ σοφοκλῆς οὐκ ἀνοικείως τ̃ ψυχῶν ἔφη. Βομβεῖ δὲ νεκρῶν σμῆνος, ἔρχεταί τ' ἄλλη. καὶ τὰς δημητρὸς ἱερείας, ὡς τῆς χθονίας θεᾶς μυστίδας, μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν. αὐτήν τε τὴν κόρην μελιτώδη. Optat igitur mulier a Persephone, quę partubus præest, ne quis vnquam nascatur, qui in ipsas imperium exerceat addit autem, præter vnum: quoniam alioqui male precari videretur reginæ, & optare, ne quis vnquam ex ipsa filius nasceretur. Iam quod sequitur, οὐκ ἀλέγω, μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς, quam sententiam habere voluerit scholiastes, ipse viderit, cum illa sua præclara expositione: μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς: μή μοι κενὸν τὸ μέτρον ἀποψήσῃς: & ille alter, qui ita reddidit.

Non metuo, ne mensura tibi ludat inani.

Ego non dubito, quin pro κενεὰν, legendum sit κονίαν vt hoc mulier dicat: Non vereor, ne in me puluerem abstergeas id est, ne me impune contemtam, ac despicatam habeas. erat enim extremi contemtus signum, si quis puluerem e calceis, aut e veste sua, ludibrii caussa, abstergere in alios vellet. sed & in illo versu qui paulo infra est,

ὅπως καὶ ἐπέρχετ τὸν ἰάλεμον ἠείσεν,

Pro ἰάλεμον, legendum crediderim ἰαλίμου. Sed & illud κενεὰν defendit & explicat in Nouis lectionibus Canterus: idque ex Aurati sententia. Cedamus igitur non inuiti. Aurato enim in literis aduersari, οὐ θέμις.

M. ANTONII MVRETI AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM & ILLVSTR:

VARIARVM LECTIONVM Liber Tertius.

De quorundam admirabili memoria.

CAPVT I.

Hippias apud Platonem, tanquam de magno quodam & præstanti bono gloriatur, posse se quinquaginta nomina semel

Prœmio lib. contro. prim.

tantum audita recitare. at hoc nihil est, præut quæ de se Seneca scribit: cuius hæc sunt e libro primo declamationum: *Sed cũ multa iam mihi ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit: inter ea, quæ retuli, memoria est, res ex omnibus partibus animi maxime delicata & fragilis, in quam primum senectus incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, vt non tantum ad vsum sufficeret, sed in miraculum vsque procederet, non nego. Nam duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, referebam: & ab iis, qui ad audiendum præceptorem nostrum conuenerant, singulos versus a singulis datos, cum plures, quam ducenti efficerentur, ab vltimo incipiens vsque ad primum, recitabam. nec ad complectenda tantum quæ vellem, velox erat mihi memoria, sed etiam ad continenda quæ acceperat.* Hæc Seneca: quæ semper mihi mirabilia, ac, prope dixerim, incredibilia visa erant, donec vidi ipse, quod nunquam credidissem. Habitabat Patauii in vicinia mea homo adolescens, genere Corsicus, honesto, vt ferebatur; & credibile erat, apud suos loco natus, qui eo venerat ad ius ciuile discendum, quo in studio ita diligenter & attente annos aliquot consumserat, vt magna iam esset de doctrina illius hominum opinio. Ventitabat autem fere quotidie in ædes meas, deuexo iam & inclinato Sole, æstas enim erat: ibique, quod ædes satis amplæ erant, satisque apricæ, aut sub dio ambulans, & cum æqualibus suis iucundissime colloquens, aut saltu, aut lucta, aut trigonali pila corpus exercens, fessas studiorum laboribus vires honestissime reficiebat. rumor erat, tenere eum artem quandam memoriæ, cuius auxilio multa efficeret, quæ credi, nisi spectata, non possent. is cum ad aures meas perlatus esset, cupido me incessit mirabilia illa & inaudita spectandi. eiusmodi enim in rebus omnib. minime omnium auditis credulus esse soleo. visum est igitur, quando ipse domo mea arbitratu suo vteretur, hoc ab eo quasi ἐνοίκιον, exigere, vt, quod sibi commodum foret, præsente me, artis suæ specimen aliquod daret. ille nihil grauatus, lubentissimo animo se, cum vellem, facturum esse respondit. placuit. statim, cum per ipsum mora non esset, vna omnes qui aderamus, in proximum cubiculum ingressi, consedimus. cœpi ego dictare nomina Latina, Græca, Barbara, significantia, nihil significantia, tam varia, tam nihil inter se cohærentia, tam multa, vt & ego dictando, & puer, cui mandatum erat, vt ea exciperet, scribendo, & ceteri, qui aderant, audiendo atque exspectando, fessi iam miris modis essemus omnes, ipse vnus ex omni numero alacer ac recens alia adhuc plura poscebat. Sed cum ego ipse modo aliquem fieri oportere dixissem, abunde mihi satisfactum iri, si vel dimidiam partem eorum, quæ dicta erant, recitare potuisset. tum ille fixo ad terram obtutu, magna nostra omnium exspectatione, tacitus aliquamdiu stetit. quid ver-

bis opus est? vidi facinus, vt ille ait, mirificissimum. ὁ δαιμόνιος ἐκεῖνος exorsus loqui plane omnia, eodem ordine, nusquam propemodum insistens, nusquam hæsitans, nobis stupentibus, reddidit deinde ab vltimo incipiens, sursum versus peruenit ad primum. rursus ita, vt primum, tertium, & quintum, ac sic deinceps omnia diceret, quo denique quisque voluerat ordine, sine vllo errore omnia referebat. idem postea, cum ei iam familiarior factus essem, sæpe expertus, vsquequaque verum deprehendi. ipse mihi aliquando affirmauit, & erat ab omni iactantia alienissimus, se triginta sex millia nominum eo modo recitare posse. Quodque admirabilius est, ita hærebant omnia in animo, vt vel post annum diceret, se, quæcumque memoriæ commendasset, minimo negotio repetiturum. ego certe post multos dies facto periculo, verum comperi. Neque hoc satis. Diuersabatur apud me Franciscus Molinus, patricius Venetus, adolescens optimarum artium studiis mirifice deditus, qui cum se memoria parum firma esse sentiret, orauit hominem, vti se artem illam doceret. vix ostenderat se id velle, cum Corsicus operam ei suam prolixissime detulit. dictus est locus, dicta hora, ad quam cotidie conuenirent. nondum sex, aut septem dies abierant, cum ille quoque alter nomina amplius quingenta sine vlla difficultate, aut eodem, aut quocumque alio libuisset, ordine, repetebat. Hæc ego vix auderem literis prodere, mendacii suspicionem verens, nisi & res adhuc recens esset, (nondum enim annus est) & Nicolaum Lippomanum, Petri Alexandri filium, Lazarum Francisci filium, Ioannem Malipetrum Nicolai filium, Georgium Contarenum Laurentii filium, patricios Venetos, optimos & nobilissimos adolescentes, aliosque præterea innumerabiles eius rei testes haberem. a quibus, si mentirer, vanitatem meam coargui nollem. artem vero illam Corsicus accepisse se dicebat ab homine Gallo, quo puer domestico præceptore vsus esset. Huic ego ne ex antiquitate quidem, quem opponam, habeo: nisi forte Cyrum, quem Plinius, Quinctilianus, & alii latini scriptores tradiderunt, tenuisse omnium militum nomina. Sed hoc, vt verum fatear, semper veritus sum quam considerate atque explorate tradidissent. Xenophon enim, a quo illi vel vno, vel præcipue, quæ de Cyro dicebant, accipere potuerunt, istud tam incredibile non dicit; sed tantum eum tenuisse nomina τῶν ὑφ' αὐτοῦ ἡγεμόνων: quod, vt in imperatore laudabile est, ita non excedit fidem. Locus, si quis requirit, est libro quinto παιδείας. Fieri autem potest, vt Latinorum aliquis, qui locum illum Xenophontis male accepisset, alios postea auctoritate sua in errorẽ induxerit. hoc enim non semel nouimus contigisse. sed tamen hac de re nihil affirmo. Non erit alienum, vt puto, ascribere hoc loco distichon, quo Simonides, qui eius, de qua locuti sumus, artis pater fuisse traditur,

iam octogenarius gloriatus est, neminem sibi memoria parem esse.

Μνήμην δ' οὔτινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
Ογδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος.

Philostrat. l. 8. cap. 12. At Apollonius Tyaneus, cum centum haberet annos, tum quoque memoria excelluisse fertur.

Sublata menda quæ inhæserat in Euripideo versu apud Porphyrium. Item de forma dignitate quadam non indigna cognitu.

CAPVT II.

CVm Porphyrii libellus De quinque vocibus, quo via muniri putatur ad totum illud corpus librorum Aristotelis, quod ὄργανον vocant, teratur quotidie omnium manibus, mirum est, tam diu in eo insedisse mendum quoddam, quod nunc indicabo. etsi enim non est eiusmodi, vt cuiquam errorem possit obiicere; tamen in bonis libris vt ne qua vel minima macula insit, opera danda est. Porphyrius, vt probet, εἶδος vsitate dici de forma corporis ea, quæ sub aspectu cadit, ex qua formosi, aut deformes nominantur, citat hunc Euripidis versum:

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

Cap. de Specie. Ita enim vulgo legitur: cum tamen non ἄξιον, sed ἀξίως legi debeat. siquidem erant hæc verba apud Euripidem cuiuspiam optantis videre e filiis, vt opinor, suis maribus procreatos mares, qui primum quidem ea forma essent, in qua inesset regalis quædam dignitas, deinde aliis etiam bonis excellerent. hoc cognoscere est de Stobæo, apud quem ἐν τῷ ὑπὲρ κάλλους λόγῳ hæc scripta sunt:

Ἴδοιμι δ' αὐτῶν ἔκγον' ἄρρεν' ἀρρένων,
Serm. 36. *Πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίως τυραννίδος.*
Πλείστη γὰρ ἀρετὴ τοῦθ' ὑπάρχον ἐν βίῳ,
Τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν.

Vt autem Euripides quandam formam esse voluit, quæ regium quiddam haberet: ita Plautus, qui eam etiam formam regiam dixit:

Milite sc. Curate. *Sed vbi Artotrogus? Hic est. stat propter virum*
Fortem atq; fortunatum, & forma regia.

Xenophon quoque in conuiuio ait, φύσει βασιλικόν τι τὸ κάλλος εἶναι. Aristoteles primo politicon affirmat, si qui reperirentur ea corporis pulcritudine, quam in deorum statuis cernimus, neminem dubitaturum, quin eos aliis omnibus imperare oporteret. Idemque libro quarto, & libro septimo ait, Æthiopas & Indos in mandandis imperiis, proceritatis ac pulcritudinis habere rationem. & notum est, multatum a Lacedæmoniis Archidamum regem, quod exiguam duxisset vxorem: querebantur enim, non reges, sed regulos sibi procreatum iri. Ita enim hoc dictum comme-

commemorat Athenæus libro XIII. βασιλίσκους αὐτὴ βασιλίων. At Plutarchus, ἐν τῷ περὶ παίδων ἀγωγῆς. paulo aliter: ὁ βασιλίας ἀλλὰ βασιλίδας.

Locus Terentii e Phormione illustratus.

CAPVT III.

Ita scripta leguntur in omnibus libris hi versus e Terētii Phormione:

PH. Imo vero tu uxorem cedo. DE. *In ius ambula.*
PH. In ius? enimuero si porro esse odiosi pergitis. — *Act.5.sce.7.*

Ego autem in scholiis, quibus nonnullos eius poetæ locos illustraui, fassus sum, mihi non satis constare, quid de illo *in ius* facerem. nam & non inuenustam esse illam repetitionem, & confirmari auctoritate librorum veterum, & tamen versum, ea recepta, vno pede, quam deceret, fieri longiorem. postea autem mihi venit in mentem, solitos esse olim histriones talia quædam de suo in recitandis fabulis addere; vt oratio quotidianæ similior videretur: id quod & Demetrius in libello περὶ ἑρμηνείας prodidit: & multa eius rei vestigia in Euripidis fabulis reperiuntur, quorum aliquot hoc loco proponam: vt, quod dico, clarius ab omnibus perspici queat. Ita ergo loquitur Polydorus in Hecuba:

Φεῦ. ὦ μῆτερ ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων, — *Prolog.*

Vbi illud φεῦ, extra versum est, ab histrione additum & in eadem Agamemnon:

ἰὼ. Πολυμῆστορ ὦ δύστηνε, τίς σ' ἀπώλεσεν, — *Act.5.*

Et Clytemnestra in Iphigenia in Aulide:

Φεῦ Πῶς ἄν σ' ἐπαινέσαιμι μὴ λίαν λόγοις; — *Act.4.*

Et Medea: *εἶεν· καὶ δὴ τεθνᾶσι· τίς με δέξεται πόλις;* — *Act.2.*

Sed talia multa colligere, nihil negotii fuerit. Vt ergo illa φεῦ, ἰὼ, εἶεν, sunt extra versum; sic & illud, In ius? eiusdem generis esse apud Terentium puto.

Duo genera loquendi, quibus Latini poetæ vtuntur, a Græcis accepta esse.

CAPVT IV.

Virtutem Catonis pro Catone ipso dixit Horatius in hoc versu,

Narratur & magni Catonis — *L.3.Car.*
Sæpe mero caluisse virtus. — *Ode.21.*

Et alibi quoque eodem genere loquendi vsus est:

Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Lælî. — *2.Ser.1.*

Dictum autem id est ad Græcorum poetarum consuetudinem, qui βίην ἡρακληείην, & ἶφι ἰφικληείην pro Hercule & Iphiclo dicūt, ad eundemque modum alia multa: quod & alii notarunt, & Plutarch. in lib. aduersus Coloten. sed & eiusdē generis est, quod Turni corpus pro ipso Turno Virgilius dixit,

——— *quo pulcrior alter*

8. Æneid. ver. 649. *Non fuit excepto Laurentis corpore Turni.*

Ita enim & Eurip. Ἐγὼ τὸ μὲν σὸν σῶμ' ὑφ' ὧν ἐντύχων

Σώζειν ἑτοιμός εἰμι. & alibi:

Chor. Hecu. Act 4. ——— ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τοῦδε δεσπότου δέμας

ἀγαμέμνονο.

Et in Phœnissis, σὸν δέμας θηράμενο. vt ergo illi Græca dicendi genera exprimebant, ita facere oporteret eos, qui se nostris temporibus poetas perhiberi volunt.

Æris Corinthii temperatura quomodo inuenta.

CAPVT V.

Lib. 24 c. 2. SVper ære Corinthio, quænam illius origo fuerit, varia tradita sunt ab antiquis. Plinius casu mistum esse ait, Corintho, cum caperetur, incensa. L. quoque Florus eandem sententiam sequitur,

Lib. 2. c. 16. a quo ita hac de re scriptum est: *Æris notam pretiosiorem ipsa opulentissima vrbis fecit iniuria: quia incendio perustis plurimis statuis atque simulacris, æris, auri argentiq; vena in commune fluxere.* At alii vnam modo antiquis temporibus domum Corinthi arsisse dicunt, in qua cum auri argentique nonnihil inesset, æris autem magna vis; commista illa. & in eandem confusa massam, ex eo metallo, cuius maior inerat pars, Corinthii æris nomen acceperint. Alii etiam, quod propius ad veri similitudinem accedere videtur, narrant, ærarium quendam fabrum Corinthi fuisse, qui cum incidisset in thecam auri plenam, eamque sibi abstulisset, ne id rescireretur, metuens, dissectum in minutas particulas aurum paulatim æri admiscuerit, admirabilemque illam temperaturam effecerit, qua magnas sibi opes postea comparauit.

Indicata vetus scriptura duum locorum e libro secundo de Diuinatione

CAPVT VI.

BEne & emẽdate scriptus erat in veteribus libris locus hic e secundo de Diuinatione: *Ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius:*

Quom tonuit læuum bene tempestate serena.

At Homericus Vlysses apud Achillem querens de ferocitate Troianorum, nescio quid hoc modo nuntiat:

Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit

Atque ita cum legit Petrus Marsus: indicatque, versum esse sumtum ex Iliados nono. vt valde mirer, quæ fuerit eorum audacia,

Lib. 3. var. cap. 3. qui Aiacem postea pro Vlysse scripserunt. Nam quod Victorius credidit esse μνημονικὸν Ciceronis ἁμάρτημα, non viderat videlicet veteres libros, neque commentarium Marsi. Quem si legisset, cognouisset etiam, se non valde necessariam operam sumere in emendando quodam loco e primo eorundem librorum: vbi de Iamidarum familia mentio est. cum enim Marsus & probe ac incorrupte

corrupte scriptum repererat, & erudite interpretatus erat, adducto eo ipso Pindari loco, quem adduxit postea Victorius. Iniquum autem puto, quemquam sua laude fraudari: ideoque verum harum emendationum auctorem indicaui: neque dubito, quin Victorius ipse, quem, vt insigniter eruditum esse video, ita insigniter probū, & plane ingenuum esse audio, si & hæc, & alia quædam, quæ, vt noua profert, ab aliis notata sciuisset, aut non attigisset, aut suis auctoribus accepta retulisset. quod idem mihi etiam de aliis quibusdam eruditissimis hominibus facile persuadeo. Elegantem enim & liberalem doctrinam, liberalis etiam natura plerumque comitatur. L. b.13 c.15.

Cur Tibullus porcum hostiam mysticam dixerit.

CAPVT VII.

NOn satis, quod sciam, a quoquam explicatum est, cur Tibullus porcum hostiam mysticam vocauerit eo versu,

Hostiaque et lena mystica porcus hara. L.2 eleg.10.

Quinetiam eius rei ignoratione, inquibusdam libris e mystica factum est, rustica. sciendum autem est, in iis Cereris sacris quæ mysteria dicebantur, eam consuetudinem fuisse, vt quisque pro se Cereri porco faceret. seu quod animal illud infestum Cereri crederent: quia semina pando, vt ait Ouidius, eruisset rostro, annique spem intercepisset: ob idque deam eius cæde gaudere crederent: seu, quod e suillo rostro arandæ & inuertendæ terræ ratio primum accepta esset: nam id quoque multi prodiderunt, neque sane satis conuenit inter antiquos scriptores, de caussis, ob quas hoc, aut illud animal huic, aut illi deo immolaretur. alii enim, quod cuiq; deo gratissimum esset, id ad illius aras mactari solitum aiunt itaque equus Martis erat hostia. & quod aper Adonin interfecisset, apro Veneri rem diuinam fieri nefas erat. alii, quod quisque deus odisset, eius potissime illum cæde oblectari putabant. itaque Nocti sacrificabatur gallus gallinaceus: quod cantu suo diem prouocare, noctem fugare videretur. capra Palladi: quod oleam insigniter læderet. Sed vtra de caussa porcus Cereri caderet: illud certe obseruabatur, vt & præpinguis esset. & nulla sui parte mancus ac mutilus. quod etiam vniuerse in toto victimarum genere seruabant. ergo porcos mysticos, aut mystericos vocabāt, qui pinguissimi & integerrimi essent, Plautus synceros sacros vocat: quare Megarensis ille Aristophaneus, qui filias suas pro porcis vendere cuperet, iubet eis, vt saccum ingressę ita grunniant, vt porci mysterici esse videantur: 15. Metam. Menaech. Sc. Bene obson.

K' ἤπειτ' ἐς τὸν σάκκον ἀδ' ἐσβαίνετε Acharn.
Ὅπως δὲ γρυλλιξεῖτε καὶ κοΐξετε,
Χ' ἠσεῖτε φωνὰν χοιρίων μυστηρικῶν.

Et paulo post interrogatus a Dicæopoli, quid ferret, porcas se mysticas ferre respondet.

Δι. τί δαὶ φέρεις; Με. χοίρους ἐγώ γε μυστικάς.

C. Verres qua ex gente fuerit. emendatus locus e libro quarto accusationis.

CAPVT VIII.

ORiundum e gente Cornelia fuisse C. Verrem; a quibusdam Romanarum antiquitatum peritissimis hominibus traditum est: quod tamen mihi persuaderi non potest. vix enim verisimile videtur, e tam illustri gente ortum eum, cuius pater fur ac diuisor fuisse dicatur. Sed & illud non immerito miretur aliquis: hoc, quod isti volunt, proposito, cur nusquam eum Cicero gentis nomine appellauerit: præsertim cum illud ipsum iudicium lege Cornelia exerceretur. non enim obscurum est, ex eo sententiam quampiam aptam & accommodatam ad exasperandos iudicum animos, facile potuisse duci. sunt & alia non pauca, quæ mihi quidem videntur aliquid iustæ admirationis habitura, si Cornelium eum fuisse fateamur. nituntur autem, qui hoc dicunt argumento, quod sciam, vnico. aiunt enim libertum quendam Verris a Cicerone Cornelium Haruspicem vocari. Sed ego cum omnes accusationis libros & sæpe, & diligenter euoluerim, videor affirmare posse, nullam in eis esse istius Cornelii mentionem: ipsi igitur viderint. Cornelius quidem Verris lictor libro primo accusationis nominatur. Sed quid ad Verris gentem ea res pertinet? Fieri ergo potest, vt fallar: nunquam enim harum rerum valde diligens indagator fui: non equidem quo eas contemnam ac despiciam: sed quod diffidam parem esse me posse perferendo labori, quem video capiendum esse iis, qui subtiliter talia perscrutari volunt: & alioqui suo quisque studio ducitur. quare, vt ante dixi, fieri potest, vt fallar: sed tamen existimo, ipsum Verris nomen gentilitium esse. Hoc arbitror colligi posse e fine libri secundi, vbi de illa tabularum corruptione sermo est, in quibus Verres se pro Verre Verrutium fecerat. nam si in illis ita scriptum fuisset, C. CORNELIVS VERRES, non sane oportuerat, ex Verre fecisse Verrutium. neque procederent illa, quæ a Cicerone vrbanissime dicta sunt: *Responde mihi nunc tu Verres, quem esse hunc tuum pene gentilem Verrutium putes.* nam nominis cum cognomine similitudo nihil ad gentilitatem pertinet. Alium locum proferam, qui hoc, quod dico, ita manifesto confirmet, vt vix vllum dubitationis locum relictum iri putem. atque hunc eo recitabo libentius, quod & in vulgatis libris corrupte legitur, & quidam emendare conati, magis etiam corruperunt. Ita igitur Cicero libro quarto accusationis: *Ridiculum est nunc de Verre me audere, cum de Pisone Frugi dixerim, verumtamen, quantum intersit, videte. Iste cum aliquot abacorum faceret vasa aurea, non laborauit, quid non modo in Sicilia, verumetiam Romæ in iudicio audiret. ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, vnde prætori annulus fieret,* nimirum

nimirum ut hic nomen suum comprobauit, sic ille cognomen. Nunquam, vt opinor, ita locutus esset Cicero, si & Verres, & Frugi cognomina fuissent.

Correctus Plauti locus e Milite glorioso.

CAPVT IX.

APud Plautum in Milite glorioso ita vulgo leguntur hi versus:

Nam ego hanc machæram mihi consolari volo, Scen. 1.
Ne lamentetur, neve animum despondeat,
Quia se iampridem feriatam gestitem,
Quæ misera gestit fractum facere ex hostibus.

Cum autem illud, fractum facere, deprauatum esse, liquido constaret, homo eruditissimus, cuius labore & industria Plautinæ fabulæ plurimis sane locis emendatiores leguntur, scribendum eo loco censuit, fratrem facere. &, quoniam fratres interdũ a Græcis ὅμαιμοι dicuntur, qua in voce eiusdem sanguinis significatio est, iccirco hoc militem dicere credidit, cupere machæram tingi hostium sanguine. quod si reciperem, fratres tamen potius legerem, quam fratrem: ne perturbata numeris esset oratio. sed suum cuique, vt dicitur. mihi displicere nondum potest ea coniectura, quam, cum adolescentibus in Gallia Plautinas fabulas explicarem, iamdudum de hoc loco feceram. farctum enim legendum admonueram, vbi vulgo legitur fractum. atque ea voce farcimen, vt isitiam, aut eius generis aliquid, credideram indicari. vt, quoniam tales cibi e carnibus minutissime dissectis confici solent, diceretur machæra gestire hostes ita minutatim concidere, vt ex eis farcimen fieri posset.

Quæ se facturos iurauerint Græci cum Xerxis copiis congressuri.

CAPVT X.

PRæclarum sane & magni animi plenum est iusiurandum illud, quo se obstrinxerunt Græci omnes cum aduersus copias Xerxis dimicaturi essent. id autem in hæc verba conceptum est. Vitam libertate pluris non faciam. neque deseram imperatores, neque viuos, neque mortuos, sed eos e sociis, qui in prœlio occubuerint, omnes sepeliam: & vbi barbaros deuicero ex iis quidem ciuitatibus, quæ pro Græcia pugnauerint, nullam deuastabo: quę autem barbari partes sequi maluerunt, omnes decimabo. fanorum quæ a barbaris incensa & diruta sunt, nullum omnino excitabo sed sinam impietatis barbaricæ exstet in omni posteritate monumentum. Adscribam & Græca, si quis ea forte cognoscere cupiat. Οὐ ποιήσομαι περὶ πλείονος τὸ ζῆν τῆς ἐλευθερίας. οὐδ᾽ ἐγκαταλείψω τοὺς ἡγεμόνας, οὔτε ζῶντας. οὔτε ἀποθανόντας. ἀλλὰ τοὺς ἐν τῇ μάχῃ τελευτήσαντας τῶν συμμάχων ἅπαντας θάψω καὶ κρατήσας τῷ πολέμῳ τοὺς βαρβάρους. τῶν μὲν μαχεσαμένων ὑπὲρ τῆς ἑλλάδος πόλεων οὐδεμίαν ἀνάστα-

τοι ποιήσαι. τὰς δὲ ὑπὸ τοῦ βαρβάρου πολιορκουμένας ἁπάσας δεκατεῦσαι, καὶ τῶν ἱερῶν τῶν ἐμπρησθέντων, καὶ καταβληθέντων ὑπὸ τῶν βαρβάρων οὐδὲν ἀνοικοδομήσειν παντάπασιν. ἀλλ' ὑπόμνημα τοῖς ἐπιγιγνομένοις ἐάσειν καταλείπεσθαι τῆς τῶν βαρβάρων ἀσεβείας.

Locutio quadam, qua Euripidis esse credebatur, reiecta: & ipsius poeta emendatus locus.

CAPVT XI.

TRaditum est a quibusdam, & quidem iis in libris, qui clarissimi, & vtriusque linguæ intelligentia præcellentissimi viri Gulielmi Budæi nomen præseferunt, καλλίνικον φέρεσθαι apud Euripidem legi, pro eo quod est, victoriam reportare. ego autem, qui poeta illo singulariter oblectatus sum, plurimumque studii in eius fabulis posui, præstare ausim, nusquam id loquendi genus apud ipsum reperiri, sed eos ita putasse inductos in errorem, his e Medea versibus:

Nutrix. Prologo.
Δεινὴ γάρ. οὔτοι ῥᾳδίως γε συμβαλὼν
Ἔχθραν τις αὐτῇ, καλλίνικον οἴσεται.

Cum tamen ibi legendum sit, ἄσεται, non οἴσεται: est enim καλλίνικος genus cantilenæ, quod canebatur victoribus, quos etiam honoris caussa καλλινίκους appellabant: vt, Io pæan, aut, Io triumphe. idque diserte tradidit Athenæus libro 14. tripudiantes autem eam cantilenam canebant, vnde apud eundem poetam in Hercule furente,

Lycus Act. 1.
Τὸν καλλίνικον μετὰ θεῶν ἐκώμασεν.

Ait igitur nutrix non facile fore, vt pæana canat, qui cum Medea inimicitias susceperit. ne quis autem dubitet, quin ita, vt dixi, legendum sit, proferam alium locum similem ex eodem poeta, eaque, quam proxime nominaui, fabula, vbi senum chorus se ait Herculi reduci καλλίνικον canere velle. Versus hi sunt:

Chor. 2.
Ἔτι τὰν Ἡρακλέους
Καλλίνικον ἀείσω.

Chor. Act. 4. & in Electra: ἀλλ' ἐπειδὴ καλλίνικον ᾠδὴν ἐμῷ χορῷ.

Atticum loquendi genus, quod imperiti ex Euripidis Hecuba sustulerant, restitutum.

CAPVT XII.

APud Euripidem Hecuba, versus hi sunt Vlyssis Hecubam alloquentis:

Act. 2.
Οἶσθ' οὖν ὃ δράσεις; μήτ' ἀποσπασθῇς βίᾳ,
Μήτ' εἰς χερῶν ἅμιλλαν ἐξέλθῃς ἐμοί.

in quorum priore erratum est ab iis, qui Atticæ linguæ imperiti essent, non enim scribendum erat,

Οἶσθ' οὖν ὃ δράσεις: sed, Οἶσθ' οὖν ὃ δρᾶσον; quod valet quidem plane idem cum illo superiori: sed venustius, & ἀττικώτερον dicitur. Itaque scholiastes quoq; ita legit: & simile exemplum e Menandro citat,

Οἶσθ'

Οἶσθ' ὅ, ἢ ποίησον;

Ego autem sæpe admodum Euripidem ita locutum annotaui. vt Iphigenia in Aulide: *Agamemn.*

Οἶσθ' οὖν ὃ δρᾶσον, ὦ γύναι; πιθοῦ δέ μοι. *Clytemn.*

& in Helena: *Act. 3.*

Οἶσθ' οὖν ὃ δρᾶσον, τῆς πάρος λαθοίμεθα. *Helena Theoclymeno.*

& in Ione:

Οἶσθ' οὖν ὃ δρᾶσον, χλιδῆς ἐξ ἐμῆς λαβὼν *Act. 5.*

χρύσωμ' Ἀθάνας, &c. sed & alii Attici eodem modo locuti reperiuntur. vt Aristophanes in Auibus, *Creusa Sen. Act. 3.*

Οἶσθ' οὖν ὃ δρᾶσον, ὦ Τροχίλε; τὸν δεσπότην *Euelpis.*

Ἡμῖν κάλεσον. *Trochilo.*

quare sine controuersia ita etiam in illo ex Hecuba versu legendum est. etiamque illud, quod in Cyclope ita legitur,

Οἶσθ' οὖν ὃ δράσεις, ὡς ἀπαίρωμεν χθονός, *Vlysses Sil.*

eodem modo emendandum facile crediderim. *Act. 1.*

Antelogium quid. Plauti e Menachmis correctus locus.

CAPVT XIII.

Qvod dixi supra, cum, quid valeret apud Ciceronem, in acta, explicarem, Siciliam eo olim sermone vsam, qui neq; plane Græcus, neq; plane Latinus, sed quasi cinnus quidam ex vtroque mistus esset: id & e Cicerone, & e Q. Asconio intelligi potest. Plautus aũt, qui iocandi occasionẽ vndique quæreret, in Menæchmis, quod ea fabula, vt ipse ait, Sicilissitabat, nomen quoddam finxit e duabus vocibus, altera Latina, & Græca altera iunctum. Antelogium enim dixit pro eo, quod olim Pacuuius dixerat prologiũ. quod qui non intelligebant, ex Antelogium, fecerunt ante elogium: cum tamen elogium nihil neque Græcis, neque Latinis significet: vt alibi docebimus. sed Præstat Plauti versus subiicere, simul enim alia corrigentur.

Atq; adeo hoc argumentum Græcissat tamen. **Prologo.**

Verum non Atticissat, at Sicilissitat.

Pabergensis Plauti corrector, præter cetera peccata, e secundo horum versuum detraxerat particulam, at: deinde cum animaduerteret, vna syllaba minus esse, quam requireret lex carminis: pro Sicilissitat, scripsit, Siciliciſsitat, acute. Siciliciam pro Sicilia hac ratione diceremus. sequitur.

Huic argumento antelogium quoddam hoc fuit.

Idem, vna lepidissima voce lacerata, nullo sensu scripsit, ante elogium, & pro, quoddam, quidem. sequitur:

Nunc argumentum vobis demensum dabo,
Non modio, neq; trimodio, verum ipso horreo,
Tanta ad narrandum argumentum est benignitas.

Tanta enim legi debet: non, vt in illius libris, tantũ. quippe cum

hoc dicat, tantam esse sibi benignitatem ac largitatem ac natandum argumentum, seque ita illius esse προσφιλῆ, vt daturus sit illud demensum, non modio, neque trimodio, verum ipso horreo. Sed ex eadem illa, de qua dixi, Siculorum consuetudine, ioco dictum est in eadem fabula, Epidamni nomen iunctum esse ex ἐπὶ, & damnum: quia illuc nemo fere, nisi damno suo, diuertere soleret. quod omen fugiens populus R. antiquum oppido restituit Dyrrachij nomē. Hæc a me ante hos quindecim annos edita, nuper Cœlius quidam pro nouis ac suis venditauit.

Sce. Nulla s. voi optas.

Historia de oraculo quod Peleo redditum est.

Xenophontis locus correctus.

CAPVT XIV.

QVi crebro Veneri operantur, eorum genitalem humorem liquidiorem, icircoque minus aptum ad generandum effici constat. quare inter ea, quæ præcipi solent iis, qui liberos procreare cupiunt, id quoque est, vt congressu Venereo non ita frequēter vtantur. atq; is erat sensus oraculi, quod Ægeo quondā redditum traditur. qui cum petiisset a Deo indicari sibi rationem aliquā, qua pater fieri posset; multos enim iam annos frustra vxoris hortum conseuerat: responsum hoc tulit:

Ne soluas ex vtre pedem qui prominet, ante
Cecropia pingues quam sis delatus in agros.

Ita enim putaui hos versus reddi vtcunque posse:

Plutarch. vita Thesei.

Τὸν προὔχοντ' ἀσκοῦ ποδεῶν, ὦ φίλτατε λαῶν,
Μὴ λύσῃς πρὶν γουνὸν Ἀθηναίων ἀφικέσθαι.

Vtrem vocabat Deus ventrem ipsius Ægei: ex quo qui prominet ποδεών, nihil viio opus est Oedipo ad intelligendum. illo igitur verborum circuitu præcipiebat, vt se vxori castum & integellum seruaret, afferretque ad eam graues & plenos probatæ pecuniæ loculos. Illud quoque cognitum est & ratione, & experientia, si quid gignatur ab iis, qui se nimis sæpe in illa palæstra exercent infirmum id, atque imbecillum esse: cum contra qui parce ac bono modo id faciunt, robustiores plerumque ac solidiores filios edulant. Quam ob caussam Lycurgus instituerat, vt noui mariti & raro, & furtim congrederentur cum vxoribus: hac ratione iudicās fore, vt & ardentius se mutuo desiderarēt, & vegetiores liberos producerent. Xenophontis verba, quibus hoc de Lycurgo exponit, hæc sunt: ἔγνω γὰρ αἰδεῖσθαι μὲν εἰσιόντα, αἰδεῖσθαι δ' ἐξιόντα. οὕτω δὲ συνιόντων, ποθεινοτέρως μὲν ἀνάγκη σφᾶς αὐτῶν ἔχειν, ἐρρωμενέστερα δὲ γίγνεσθαι, εἴ τι βλαστοίη οὕτω μᾶλλον, ἢ εἰ διάκοροι ἀλλήλων εἶεν. Recitaui autem illa, vt legi debere censeo, nō vt vulgo leguntur. in omnibus enim, quos ego quidē viderim, libris, pro βλαστοίη, legitur βλαχεύοι. qui primo aspectu pusillus error quas Francisco Philelpho tenebras offuderit, scient, qui interpretationē illius inspexerint. quia autem verbum βλαστάνειν, ab iis, quæ oriuntur e terra, elegantissime

In repub. Lacedæmon.

ſine ad homines transferri potuerit, dubitaturum exiſtimo neminem.

Xenophontis alius locus correctus.

CAPVT XV.

MVlta deprauata ſunt in Xenophontis libris: plura male intellecta ab iis, qui eos in Latinũ ſermonem conuertere ſtuduerunt: quale eſt quod modo protulimus: itidemque quod nũc prolaturi ſumus. ſed hoc Xenophontis proprium non eſt. optimi quique ſcriptores & Græci, & Latini, quanquam Græci magis, ſed tamen & Græci, & Latini ita multis vlceribus ſcatent, vt vix eorum πολλοστημόριον quoddam ſanum integrumque permanſerit. Indoctorum autem audacia nunquam ſolutior, nunquam proiectior, quam noſtris temporibus, fuit. Conuertunt, aut inuertunt potius, & peruertunt omnia, philoſophos, poetas, oratores, hiſtoricos, rhetores, grammaticos, etiam ea, quæ naturam, vt verti poſſint, non habent: ſuntque ita impudentes, vt quæ ſe intelligere profiteri non audent, audeant interpretari. Quo magis laudanda eſt Petri Victorii, Pauli Manutii, Adriani Turnebi, præclarorum hominum, ac primorum, ſigniferũmque, & aliorum ſimilium induſtria: qui omne ſtudium ſuum eo conferunt, vt omnes, καθ' ὅσον οἷόν τε, maculas ex antiquorum monumentis eluant; & labore ſuo laborem minuunt iis, qui ex animo aſpirant ad veteres illos vero ac ſerio intelligendos. Equidem neque horum inſtitutum ſatis laudare, neque illorum impudentiam ſatis mirari queo: neque ſatis miſerari eorum vicem, quibus, quod aditum ſibi ad fontes patefacere neglexerint, ex impuris illis ac turbulentis talium interpretum lacunis hauriendum eſt. Sed omittamus hæc, &, quod inſtituimus, vnum etiam mendum e Xenophõte tollamus. & ſi enim parum videri poteſt, cum tam multa ſint, vnum aut alterum tollere: tamen nihil eſt tam puſillũ, quod non auide accipi debeat, quod quidem ad tam politum, tamq; vtilem ſcriptorem pertineat. Paruum eſt, quod afferimus, ſed magnus is, quem adiuuamus. Ergo in libello de rep. Lacedæmoniorum, cum dixiſſet ita inſtituiſſe Lycurgum publica illa ciuium ſuorum conuiuia, vt neque deeſſent epulæ, neque ſupereſſent, addit: πολλὰ δὲ καὶ παράλογα γίγνεται ἀπὸ τῶν ἀγρευομένων. οἱ δὲ πλούσιοι ἐστιν ὅτε, καὶ ἄρτον ἀντιπαραβάλλουσιν. ὥστε οὔτε ἔρημός ποτε ἡ τράπεζα βρωτῶν γίγνεται, ἔστ' ἂν διασκηνῶσιν, οὔτε πολυδάπανος. quæ verba ita interpretatus eſt Philelphus: Per multa quoque ab otioſis & abſurda patrari ſolent. ac locupletes interdum otioſi ſimilitudinem reddunt. proinde neque vacua cibis menſa vnquam fit, quoad diſcubuerint: neque item ſumtuoſa. In quo illud primum eſt, quod admirer. crediderit ne reuera, id quod ipſe diceret, e Xenophontis verbis colligi poſſe. ſi enim ita credidit, valde ſtupidus, valdeque imperitus fuit. ſin; cum ſibi conſcius eſſet, Xenophontẽ nullo

modo hoc dicere: quiduis tamē maluit, quam institutum omittere, & abiicere illas paucas paginas, quas iam conuertisset, & cōuertere se ad aliquid aliud, quod præstare posset: hoc, inquam, si fecit, nolo quicquam asperius dicere, malo in aliorum cogitationibus relinquere, quo illum nomine fuisse dignum putem. Deinde illud libenter ex eo, si viueret, quærerem: illa absurda, quæ patrari ab otiosis diceret, quid tandem ad conuiuia attinerent: aut qua ratione fieret, vt, quia multa absurda patrarentur ab otiosis, idcirco mensa neque inanis, neq; sumtuosa esset. sed ego fortasse culpādus, qui tam apertam stultitiam tam multis verbis insecter. Locus Xenophontis corruptus est. hoc primum. ita autem corrigendus videtur: vt pro ἀργευομένων, quod verbum nihili est, legamus, ἀγρευομένων: & pro ἀργὸν, ἄγραν. Ita hoc dicet Xenophon: præter quotidianum illum & legitimum apparatum, multa inexspectata afferri: solita ab iis, qui venati essent. Illi enim libenter ea, quæ ceperant, ad publicas illas mensas afferebant. interdum etiam diuites afferre solitos aliquid, quo quasi compensarent aliorum capturam: ne viderentur asymboli venire ad ea fruenda, quæ alieno labore parta essent. Hac ratione mensa sine magno sumtu commode instruebatur.

Particulam οὐ, e quodam loco ex apologia Socratis apud Platonem, delendam videri.

CAPVT XVI.

Accusatores Socratis, vt eius orationi fidem detraherent, eamque suspectam iudicibus efficerent, præmonuerāt eos, vt cauerent sibi: multum enim eum posse dicendo, & habere eam vim, eamque calliditatem, vt inferiorem caussam dicendo efficeret superiorem. Quare Plato in defensione, quam homini sanctissimo scripsit, ita eum, cupientem amoliri a se illam opinionem, loquentem facit: vt dicat se mirari, quid ipsis venerit in mentem id dicere, quod ipse statim reipsa refutaturus esset: locuturum enim non ornate & exquisite, sed simpliciter ac populariter, vt soleret. itaque sperare, omnes facile iudicaturos, se minime esse, quod illi dixerant δεινὸν λέγειν. addit deinde: εἰ μὴ ἄρα δεινὸν καλοῦσιν αὐτοὶ λέγειν, τὸν τ' ἀληθῆ λέγοντα. εἰ γὰρ τοῦτο λέγουσιν, ὁμολογοίην ἂν ἔγωγε οὐ κατὰ τούτους εἶναι ῥήτωρ. Sed ego ex illo οὐ κατὰ τούτους, particulam οὐ, delendam putarem: vt hoc diceret Socrates: si illi forte alter acciperent nomen eloquentis, quam vulgus soleret: & eloquentem vocarent non eum, qui ornate diceret, sed eum, qui vera loqueretur: se tunc fassurum, se non illo vsitato ac populari modo, sed ex ipsorum sententia rhetorem esse. Marsilius tamen illud οὐ, agnoscit, & alio quodam modo exponit, cui non attentior.

Apologia.

Emendatus Plauti locus e Milite glorioso.

CAPVT XVII.

Plautini

PLautini versus sunt e Milite glorioso:

Quid istuc quaeso? quid oculo factum est tuo? Scen. Si alia alio p.

PL. Habeo quidē hercle oculū. PYR. at laeuum dico. PL. eloquar.

Maris caussa hercle ego hoc vtor oculo minus.

Nam, si abstinuissem a mari, tanquam hoc vterer.

In quibus cum iocus elegantissimus, & Plautino dignissimus ingenio subsit, vna literula deprauata ita eum corrumpit, vix vt a quoquam sentiri queat. nam cum Atheniēsis ille adolescens, qui ornatu nauclerio amicam a milite per fallaciam abducturus venerat, oculum sibi laeuum, ne agnosceretur obligasset: interrogatus a milite, cur id faceret, vrbanissime respondet, se id maris facere caussa. nam, inquit, si amare abstinuissem, eo aeque atq; altero vterer. ludit autem militem ambiguitate vocabuli. cum enim dicere videatur duabus vocibus, si a mare abstinuissem. nō id dicit: sed si amare abstinuissem. reuera enim amor ipsi in caussa fuerat, vt eo oculo minus vteretur: aut saltem ita fingeret. Mare autem sexto casu dixisse veteres constat. Sic Varro.

Clauditur Oceano Libyco mare flumine Nilo. Varro Atacin apud Charisium.

Sed & Ouidius: — *& Libyco*, inquit *de mare carpat aquam*. ita igitur Plautinus ille versus legendus est:

Nam si abstinuissem amare, tanquam hoc vterer.

Hoc quoque pro suo nuper edidit Coelius: sed Secundus. Ego enim abhinc quindecim annos primus edideram.

Lentos debitores aliter a Cicerone, aliter a Lucilio dictos. Lucilii versus apud Nonium emendati.

CAPVT XVIII.

LEntos vsitate vocamus tardos & segnes: opponique tum id nomen promto ac celeri videtur. interdum autem lentum aliter accipimus: vt cum lentum vimen dicimus, & cum Virgilius lentam salicem: & — *lento ducunt argento*. lentū enim tum idem valet, quod molle, cedens, quodque, quocunque velis, facile trahi ducive possit. id denique, quod χαῦνον Graeci vocant, Latini nonnunquam facile: vt Tibullus, 7. Æn. 634.

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Lib. 1. eleg. 1.

Pocula, de facili composuitq; luto.

eandem enim qualitatem significauit in luto, quam in cera Plinius his versibus,

Vt laeta est cera, mollis cedensque sequatur

Si doctos digitos iussaque fiat opus.

flexibilem videlicet naturam quandam, & minime cōtumacem. Ad priorem illam huius vocabuli vim respexit M. Tullius, cum C. Antonium lentum vocauit: *Tenorem*, inquit, *illa lentum sane negotium*. hoc enim significauit, eum libenter subterfugere, & tergiuersari, & diem ex die ducere, neque promtum esse ad dis- 1. ad Att. 9.

soluendum quod deberet. at contra olim Lucilius lentū soluēdo acceperat, pro eo, qui facile solueret, bonumq; nomen esset. Credo, quod lenta quæ sunt, facile sequuntur quo velis: lentum quoque vocauit eum, qui facile ad soluendum adduceretur. Versus eius, in quibus hoc vocabulum ita ponitur, exstāt apud Nonium Marcellū: sed misere deprauati. sic enim ibi legitur: *Tricones, morosi & ad reddendum duri.* Lucilius satyrarum lib. 9. *Lucil. Cotta senex Crassi pater huius pacem magnus fuit triconum; Marius soluere nulli lentius, id est, facilis.* Mihi ita legendum videtur: *Tricones, morosi & ad reddendum duri.* Lucilius satyrarum lib. 9.

V. Tricones.

Lucius Cotta senex Crassi pater huius peracer,
Magnus fuit trico nummarius soluere nulli
Lentus, id est, facilis.

Iam qui fuerit ille Cotta, & qui potuerit, nisi forte per adoptionem, Crassi cuiusquam pater esse; cum alterum Aurelium, alterū Licinium fuisse verisimile sit: quanquam fieri etiam potest, vt Crassi nomen hoc loco proprium non sit: sed hoc vtut est, quærant, quibus ista curæ sunt. ego quod potui, præstiti.

Horatii versus e quinto Odarum illustratū.

CAPVT XIX.

Horatiani versus sunt ex Ode qua *εἰρωνευόμενος* veniam à Canidia venefica petit:

Epod. Od. 17.

Vnxere matres Ilia addictum feris
Alitibus atq; canibus homicidam Hectorem:
Postquam relictis mœnibus rex procidit
Heu peruicacis ad pedes Achillei.

Variant autem libri veteres: quod in aliis, *Vnxere*, legitur, in aliis, *Luxere*. quam posteriorem scripturam mirifice Homerus confirmat: apud quem in Iliados Omega, Hectorem relatum ad suos Andromacha, & Hecuba, & Helena θρηνοῦσι, ceteræ autem mulieres ἐπιστενάχουσι, καὶ στενάζουσι. neque tamen illa prior repudianda: cum cū constet, vngi solita apud antiquos cadauera, vt diutius integra conseruarentur: eiusq; muneris muliebrem curationem fuisse; vel ex illo Ennii,

Citatur a Seruio in 6. Æn. 219.

Tarquinii corpus bona fœmina lauit & vnxit.

Itaque & vrbanus scurra Martialis, non illepidum dictum ex eo duxit:

Lib. 3. ep 12.

Quinon cœnat, & vngitur Fabulle,
Is vero mihi mortuus videtur.

Et quidam Græcus epigrammatum scriptor ait, malle se viuum madere vnguentis & vino, quam vtrumque seruare ad exequias suas. sed ea quidem res dubitationem non habet. quare vtro quis modo legerit, peccaturum non crediderim. Id quod sequitur, *addictum feris alitibus atque canibus*, Homericum est: nota enim sunt illa,

αὐτοὺς

——αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν *Iliad. 1.*
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. &c. *vers. 4.*
Ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω, *Agamemnō*
Μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, οὔ οἱ ἔπειτα *Iliad. 2.*
Ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας, ἠδ' οἰωνούς. *v. 91.*

Epitheto quoque, quo Hector ornatur, ex eodē poeta sumtū est:
——ὅτ' ἂν πολλοὶ ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο
Θνήσκοντες πίπτωσι. &c.
Θεσπεσίῳ ἀλαλητῷ ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο
Φεύγοντες. itemque,
Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο κάρη μετὰ χερσὶν ἔχουσα. *Iliad. 24.*

Languidius tamen, & vt ita dixerim, eneruatius est Latinum, quā *v. 724.* id Græcum vnde expressum est. ἀνδροφόνος enim significari videtur is, qui viris fortibus in acie animam eripiat: at homicida magis est ἀνθρωποκτόνος. vt quantum inter hominem & virum interest, tantum inter hæc duo epitheta interesse videatur.

Declaratus locus quidam e Ciceronis Hortensio.

CAPVT XX.

Ciceronis ex Hortensio apud Nonium hæc verba referuntur. *Ancum videat me, & meas comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiā, constantiam grauitatē, fidem, ipsa se subducat?* *v. Subducere.* quamuis autē liber ipse non exstat: tamen nō est difficile homini in Ciceronis scriptis exercitato videre, quorsus illa dicta essent. Erat enim magnis inter philosophos agitata contentionib. quæstio: possetne quis in tormētis beatus esse. Theophrastus dixisse putabatur, vitā beatam in rotā non ascēdere. Stoici cōtra pugnabant: &, qui beatitudinē in sola virtute ponerēt, acerrime defendebant, etiā in sæuissimis asperrimisq; cruciatibus, hominē virtute præditum beatum fore. Vtebantur autem ad eam sententiā illustrandam, & subiiciendam ante oculos quadam imagine: vt dicerent, cum chorus ipse virtutum raperetur ad tortorem, beatam vitam non subducere se, neque manere extra ostium, sed illas vsq; comitari. Cicero igitur aut iustitiam, aut quam aliam virtutem, sed iustitiam, vt puto, ea, de quibus agitur, verba dicentem fecerat. id ita esse cognoscitur e 5. Tusculanarum, vbi Cicero ipse ita loquitur: *Quid igitur? sola ne beata vita quæso relinquitur extra ostium limenq; carceris, cum constantia, grauitas, fortitudo, sapientia, reliquæq; virtutes rapiantur ad tortorem, nullumq; recusent nec supplicium, nec dolorem?* & in eodem libro: *Dabit, dabit, inquā, se in tormenta vita beata, nec iustitiam, temperantiam, in primisq; fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam prosecuta, cum tortoris os viderit, consistet, virtutibusq; omnibus sine vllo animi terrore ad cruciatum profectis, resistet extra fores, vt ante dixi, limenq; carceris.* Possem multo plura colligere, quæ hoc verum esse ostenderent: sed hæc satis esse duco.

M. ANTONII MVRETI AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDInalem amplissimum & illustr.

VARIARVM LECTIONVM Liber Quartus.

Historia de Pindaro poeta, multato a suis, ornato ab Atheniensibus.

CAPVT I.

PAusanias in Atticis narrat, Athenienses, quod a Pindaro in quodam asmate laudati essent, tanti fecisse ampli illius ac grandiloqui poetæ testimonium, vt & dona ei plurima ob id miserint, & statuam in ciuitate sua statuerint. Non igitur mirum est, si illis temporibus multi ac præstantes poetæ fuerunt; cum qui ea facultate excellebant, & maximis muneribus honestarentur, & honoribus amplissimis mactarentur. ætate nostra vocalis ille olim Musarum chorus conticuit; quæque auaritia marsupia potentium clusit, eadem venas Heliconii liquoris obstruxit. Sed quod de Pindaro perstringit Pausanias, id fusius edisserit in quadam epistola Æschines. ait enim illum, cum Atheniensium vrbem commendasset his verbis, ὦ τε λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι Ἑλλάδος ἔρεισμ' Ἀθῆναι, multatum esse a ciuibus suis, ægre ferentibus, alienis eum potius, quam suis, illam tantam laudem dedisse. quod vbi resciuere Athenienses, confestim miserunt ei duplum eius pecuniæ, quam multæ nomine erat exactus: ipsumque ænea statua ornarunt. ea statua visebatur Æschinis ætate ante regiam porticũ, sedens Pindarus cum pallio, & diademate, lyram tenens, & supra genua apertum librum.

Quod Aristoteles sensit de iis, qui seipsos interficerent, Euripidis testimonio confirmatum.

CAPVT II.

CVm vulgo crederetur, viri fortis esse, mortem sibi consciscere potius, quam graue aliquid, & acerbum malum perpeti: sapienter animaduertit Aristoteles, falsam esse illam hominũ opinionem, eosque, qui ita facerent, non modo fortes, sed ignauos, paruique & abiecti animi habendos esse pronuntiauit: docent enim, se id, quod fugiunt, ferre non posse, neque pares esse ei casui sustinendo, propter quem vitam relinquunt. id autem effeminatam potius animi mollitiem, quam magnitudinem arguit. Disputauit eadem de re doctissime ac sapientissime diuus Aurelius Augustinus lib. I. De ciuitate Dei, multisque rationibus ostendit, Lu-

cretiam,

tretiam, Catonem, ceterosq; eiusmodi, frustra in historiis a fortitudine laudari. longius etiam progressus, demonstrauit nullam esse posse bono ac sapienti viro ἐξαγωγὴν, vt Stoici loquebantur ἄλογον. Sed & Euripides id ante docuerat, qui Herculem primo facit succumbentem magnitudini eius doloris, quem hauriebat e cæde vxoris & liberum, quam ipsemet, futuro diuinitus immisso correptus, perpetrauerat, & ob id e vita discedere meditantem: deinde redeuntem ad se, & mutantem consilium, verentem, ne id sibi ignauiæ ascriberetur, si lucem relinqueret, tanquam ægritudini impar ferendæ. Aristoteles ita hac de re scribit, libro tertio Nicomacheiôn. Τὸ δ' ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα. καὶ οὐχ ὅτι καλὸν, ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. Eurip. autem versus hi sunt:

Herc. fur. Act. 5.

Ἐσκεψάμην δὲ, καίπερ ὢν ἐν τοῖσι κακοῖς,
Μὴ δειλίαν ὄφλω τιν' ἐκλιπὼν φάος.
Ταῖς συμφοραῖς γὰρ ὅστις οὐχ ὑφίσταται,
Οὐδ' ἀνδρὸς ἂν δύναιτ' ὑποστῆναι βέλος.

Sed & apud Martialē memini esse epigramma quoddam in hanc sententiam, cuius hæc clausula est:

Lib. XI ep. [illegible]

Rebus in angustis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Correctus Ciceronis locus, e libro tertio De legibus.

CAPVT III.

DE tribunitia potestate longa & copiosa est disputatio apud Ciceronem lib. 3 De legibus. nam cum illam Q. Cicero pestiferam & exitiosam esse dixisset; respondens Marcus, multa ei vitia inesse non negat: sed quæ tamen facile compensentur pluribus, & maioribus bonis: eo maxime, quod nihil ea vtilius cogitari potuerit ad plebem cum patribus in concordia continendam. tum dissoluēs ea, quæ Quinctus aduersus eam dixerat, ita loquitur: *At duo Gracchi fuerunt. & præter eos, quamuis enumeres multos licet, cū deni crearentur: nullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos: leues, etiā non bonos fortasse plures. inuidia quidem summus ordo caret.* Sed habet dubitationē, quid sit quod Cicero ait, *Cū deni crearentur.* ita enim loqui, quasi deni creari desierint, videtur. Neq; melius, aliquanto etiam deterius videtur, quod Adrianus Turnebus scripsit, qui locū hunc ita edidit: *At duo Gracchi fuerūt: & præter eos, quamuis enumeres multos, licet. Cū deni creantur, nullos in omni memoria, &c.* quasi aliquando deni creentur, aliquando aliquo alio numero, &, cum deni creantur, tū nulli perniciosi reperiantur. quod si esset, ne mirificam ille vim numerus habuisset. ergo adde iam particulam non: & totum locum ita legendū puto: At duo Gracchi fuerunt. Et præterea eos quamuis enumeres mul-

tos licet, cum deni creentur. Nonnullos in omni memoria, &c. Illud enim, At duo Gracchi fuerũt, quasi ex Quincti persona Cicero dicit. Deinde respondens ait, non eos tantum proferri posse, verumetiam eorum similes, quamuis multos. neq; id mirum esse, cum deni creentur. etenim in tanto numero nõ est mirabile plures improbos exstitisse, quam in iis magistratibus, qui bini creabantur. Tum subiungit: si euoluantur annales, & antiquitatis memoria replicetur; nonnullos repertum iri pernitiosos tribunos: leues, aut etiam non bonos fortasse plures. Hoc tamen magnum bonum in tribunatu inesse: quod efficit, vt ordo senatorius inuidia careat. Nullos autem in omni memoria pernitiosos tribunos fuisse, nemo, opinor, nisi plane *ἀνιστόρητος* dixerit.

De veteri prouerbio, quo dicebatur, quod pulcrum est, placere.

CAPVT IV.

QVæ pulcra sunt habere eam vim, vt statim conspecta, omnium sibi voluntatem concilient, amoremque adiungant, nemini ignotum esse, nisi communis sensus experti potest. Itaq; tritum est illud Aristotelis, qui interrogatus ab aliquo, qui fieret, vt pulcri tam facile ab omnibus amarentur: cæci eam interrogationem esse respondit. & Græci sapienter sua lingua pulcro ex eo indidere nomen, quod omnes ad se alliciat: dixerunt enim *καλὸν παρὰ τὸ καλεῖν, ὅτι πάντας ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ.* Testati sunt idem vulgato olim prouerbio: quo dicebant, quod pulcrum esset, id demum amicum esse. eo vsus est Euripides in Bacchis: vbi hic versiculus legitur.

Chor. Act. 3. Ο, τι καλὸν φίλον ἀεί.

Et Plato in Lyside: *ἀλλὰ τῷ ὄντι αὐτὸς ἰλιγγιῶ ὑπὸ τῆς τοῦ λόγου ἀπορίας, καὶ κινδυνεύει, κατὰ τὴν ἀρχαίαν παροιμίαν, τὸ καλὸν φίλον εἶναι.* Eius autem originem ad Musas & ad Gratias referunt: quæ cum conuenissent ad nuptias Cadmi & Harmoniæ, pulcrum carmen, quo ea sententia contineretur, immortali ore cecinerint: nouæ nuptæ pulcritudinem, vt verisimile est, commendantes. Hoc de sapientissimo poeta Theognide cognouimus: cuius hæc sunt,

Vers. 15.

Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διός, αἵ ποτε Κάδμου
Ἐς γάμον ἐλθοῦσαι, καλὸν ἀείσατ' ἔπος.
Ὅττι καλὸν φίλον ἐστί, τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί.
Τοῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

nam ad illas nuptias venisse diuos, testatur etiam Euripides in Phœnissis:

Chor. Act. 3.

Ἁρμονίας δέ ποτ' εἰς ὑμεναίους
Ἦλθον οὐρανίδαι.

Sed & Hellanicus, & Apollodorus Musas cecinisse in nuptiis Cadmi.

dmi, ad easque conuenisse diuos, & nouæ nuptæ munera obtulisse scripserant.

De loco quodam Varronis aduersus Petri Victorii sententiam disputatum.

CAPVT V.

POsui iampridem magnum studium in iis fragmentis M. Varronis, quæ dispersa passim apud veteres Grammaticos, ac præcipue apud Nonium leguntur. magis autem mihi placere meum illud studium cœpit: postea quam Petri Victorii (quem ego hominem, etsi sæpe ab eo dissentio, longe tamen facio plurimi) Variarum lectionũ libri præclari sane, & vtiles in lucem prodierunt. Laudat enim ille pluribus locis eos, qui id faciunt: datque plurimas luculentas significationes diligentiæ, quam ipse in iisdem illis fragmentis reconcinnandis adhibuerit. sed ita contigit, vt multos locos, quos ego coniectura tantum vsus emendare conatus eram, ipse postea longe aliter a se emendatos ediderit. quare, etsi non sum tam stultus, vt me cogitem tanto viro ἀντιπαρεξοκλεῖν, proferam tamen veteres quasdam opiniones meas; vt de iis, cum ab aliis, tum ab ipso in primis Victorio iudicetur. Citantur igitur illa e Varrone Marcopoli, περὶ ἀρχῆς: *Cus celer dia nos lemmatos log s Antipatri Stoici filius rutro caput displanat.* quæ cum corrupta esse appareat, putat Victorius legendum esse, dilemmatos logos. Sed ea coniectura mihi quidem parum digna auctore suo videtur. primum, quod nimium recedit a vetere scriptura. Deinde, quod Antipater logis vtebatur, non dilemmatis, sed monolemmatis. vt testatur Alexander his verbis: ὡς γὰρ οἱ περὶ Ἀντίπατρον μονολημμάτους συλλογισμοὺς, λέγουσιν, οὐκ εἰσὶ συλλογισμοὶ, ἀλλ' ἐλλιπῶς ἐρωτῶνται. quæ verba ille cum ad stabiliendam cõiecturam suam attulit, videtur suo se gladio, quod aiunt. Nam dilemmati quidem syllogismi sunt ex Aristotelis sententia. quis est enim ita hospes in analyticis, vt nesciat, duo lemmata præcedere ad efficiendam conclusionem? Sed quid in hac re pluribus moror? Ego, nihil addens, nihil detrahens, locum ita legendum semper credideram: neque sane me sententiæ pœnitet. Cui celer δι' ἑνὸς, lemmatos logos. Idem enim puto esse λόγους μονολημμάτους. & λόγους δι' ἑνὸς λήμματος. cuius rei volo Victorium ipsum iudicem esse.

v. Rutrum. *lib. 23. c. 5. variarum.*

Fragmentum Varronis e Marcipore, quo tempestas eleganter describitur.

CAPVT VI.

ATtexam etiam huic loco elegantem quandam descriptionem tempestatis, quæ versibus iambicis inclusa, apud eundem Grammaticum, e Varronis Marcipore legitur; sed diuulsa. neque tamen quenquam puto inficiaturũ, eam a me recte & vere coniunctam esse. est autem hæc:

Nonius v. [illegible] um & syrus.

Nubes aquali frigido velo leues
Cœli cauernas aureas subduxerant,
Aquam vomentes inferam mortalibus.
Ventiq; frigido se ab axe eruperant
Phrenetici, septem trionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, syrus.

mutaui pauca quædam: tuto, ni fallor. sed tamen indicabuntur. Aurea in vulgatis libris legitur, non, aureas: & frigidos, vbi scripsi, frigido se: &, erumpebant, non, eruperant. sed hoc posterius verum esse demonstrat carminis lex, & præterea orationis ipsius ἀκολουθία, propter illud, subduxerant.

Enniani versus ex Euripide expressi, notata Nonii inconstantia.

CAPVT VII.

Cernere, ait Nonius, amittere. Varro γέροντος διδάσκαλος. *Non vides, apud Ennium esse scriptum, ter sub armis malim vitam cernere, Quam semel modo parere:* Sed falsam esse & ineptam illam eius verbi declarationem, ipsomet. qui eam attulit, teste peruincam. cum enim paulo post docuisset, *cernere*, nonnunquam esse idem, quod *dimicare*, aut *contendere*: ei rei probandæ hoc exemplum subiicit. Ennius Medea exsule,

Nam ter sub armis malim vitam cernere.

Hoc autem Euripides ex quo illam fabulam verterat Ennius, dixerat, παρ' ἀσπίδα στῆναι. cum enim Medea multa questa esset de infelicitate mulierum: addit, errare eos qui putant, melius agi cum mulieribus, quam cum viris; propterea, quod illæ domi vitam sine periculo exigant: cum viris sæpe sit de vita in bello dimicandum. se enim, si optio detur, malle ter vit. [illegible] sub armis, vel locutus est Latinus poeta, cernere, quam semel parere. Euripidis versus subiiciam:

Medea. Act. 1.

Λέγουσι δ' ἡμᾶς, ὡς ἀκίνδυνον βίον
Ζῶμεν κατ' οἴκους· οἱ δὲ μάρνανται δορί.
Κακῶς φρονοῦντες· ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα
Στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ.

Emendati Varronis loci duo.

CAPVT VIII.

Aristoteles libro tertio ad Nicomachum, homines intemperantes & ἀσώτους, cum in iis voluptatibus versari dixisset, quæ communes sunt nobiscum mutis animantibus, iis nempe, quæ gustatu percipiuntur, quæque tactu, addit postea, eos gustatu aut nihil omnino, aut perparum vti. cum enim gurgites illi ita vinum in guttur suum, quasi in vtrem aliquem inuergant, nihil curantes, nisi vt quam plurimum exhauriant, prope vt percolando vino nati esse videantur, non admodum possunt eius suauitatem gustando percipere: cum contra delicati & elegantes homines,

res, qui grato illo liquore linguam sibi ac palatum probe titillari volunt, paulatim eum in gurgulionem instillent verius, quam infundant, guttatim prope ducentes: etiam antequam bibant, oculis poculum sæpe ac naribus admouentes, nulla vt sit in eo particula suauitatis, quam non ipsi accurate exprimant, exquisiteq; persentiant. quod in Euripidis Sileno optime cerni potest. id non faciunt qui gutture tantum pro infundibulo vtuntur. Hoc autem auguror dixisse etiam Varronem in ea satyra, quæ inscribebatur. Est modus matula περὶ μέθης. inde enim citantur hæc: *Quis in omni vita belle nostro olfacit temetum?* quæ ego ita quodammodo legenda censuerim; *Quis in omni vita belluo probe olfacit temetum?* potest autem aut proprie vsus esse olfaciendi verbo, aut etiam illud ad gustatum transtulisse. Sed haud alienum fore puto, si ex eadem satyra versus aliquot attulerim, quibus vinum elegantissime celebratur. Nonius v. Temulentia.

Vino nihil iucundius quidquam bibit.
Hoc ægritudinem ad medendam inuenerunt.
Hoc hilaritatis dulce seminarium.
Hoc continet coagulum conuiuia. Nonius v. coagulum.

Duo versus Horatii conuersi e Simonide.

CAPVT IX.

DVdum admonui, versum illum Horatianum, Scholiis in Hor.

Mors & fugacem persequitur virum.

ad verbum expressum esse e Simonide; illum enim ita cecinisse: Li.3. Car.2.

Ὁ δ' αὖ θάνατος ἔφικε καὶ τὸν φυγόμαχον.

nunc cum in alium inciderim, qui itidem ex eodem poeta conuersus est, annotandum duxi. est igitur Horatii quidem hic:

Quicunque terra munere vescimur: L.2 od.14.

Simonidis vero, Εὐρυέδους ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα χθονός. qui ex Homero, vt videtur, sumserat: Iliad. 6. vers. 142.

Εἰ δέ τίς ἐσσι βροτῶν, οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι.

Reperitur autem Simonideus apud Platonem in Protagora, & apud Plutarchum in commentario De communibus notionibus aduersus Stoicos: sed lacer & mutilus. Vtinam exstarent veterum illorum lyricorum poemata. non dubito, quin propemodum omnia ornamenta, quibus Horatius splendet, ab eis corrogata esse constaret.

Sententia cuidam Ouidianæ allata similis ex Euripide.

CAPVT X.

OVidius in epistola quadam earum, quas scripsit exsul, cum multa incommoda collegisset, quæ in tali fortuna obstarét, sibi carmen pangere cupienti, illud etiam ponit, quod tristitia & mœrore confectus esset, cum carmina sint opus hilaræ mentis, 1. Tristium eleg. 1.

sereno que, vt ipse loquitur, animo deducta proueniant. Idem autem multis ante sæculis dixerat & Euripides: addideratque hanc caussam: quod qui domesticis ac propriis doloribus angitur, alios delectare non possit. Sed præstat, vt versus, quibus ea sententia continetur, ascribam. Sunt autem ἱκετίσι:

Adrastus. Act. 2.

Τόν θ' ὑμνοποιὸν, αὐτὸς ἂν τίκτῃ μέλη,
Χαίροντα τίκτειν ἢν δὲ μὴ πάσχῃ τόδε,
Οὔτοι δύναιτ' ἂν οἴκοθέν γ' ἀτώμενος,
Τέρπειν ἂν ἄλλους· οὐδὲ γὰρ δίκην ἔχει.

Verum igitur Ouidius ad illa Euripidea respexerit, an idem ipsi, quod illi, in mentem venerit, incertum est. idem certe vterque dixit.

Quod Aristoteles in antiquis dicendi magistris reprehendit, idem Isocrates anteq reprehendisse ostenditur.

CAPVT XL

NOn primus Aristoteles accusauit eos, qui ante ipsum de arte Rhetorica scripserant, quod cum vna eademque sit methodus deliberatiui generis, & iudicialis, illi, relicto eo, in quo multo plus inerat dignitatis, tractandarum modo caussarum forensium se rationem tradere professi essent, omnesque præceptiones suas ad id vnum genus contulissent. Sed & Isocrates antea idem reprehenderat, insignemque eorum fuisse stultitiam ostenderat, qui arti suæ nomen ab ea parte, quæ odiosissima erat, indidissent: cũ tamen artis Rhetoricæ præcepta nihilo magis ad lites iudiciarias, quam ad quodlibet aliud orationis genus pertineant. fecerãt igitur, quod illos potius facere decuerat; qui ei facultati odium conciliare vellent. qui enim infensi sunt alicui disciplinæ, eamque in odium adducere cupiunt; si quid in ea est odiosum ac molestum, ab eo potissimum eam appellare consueuerunt: contraq; qui eam se aut tenere, aut docere profitentur, solent, quod ipsa in se pulcerrimum ac speciosissimum habet, ex eo ipsi nomen imponere. Vtriusque verba, si quis requirit, apponam. Aristoteles igitur ita scribit libro primo τῆς ῥητορικῆς τέχνης· Διὸ γὰρ τῆς αὐτῆς οὔσης μεθόδου περὶ τὰ δημηγορικὰ, καὶ καλλίονος, καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας οὔσης, ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα, περὶ μὲν ἐκείνης οὐδὲν λέγουσι· περὶ δὲ τοῦ δικάζεσθαι, πάντες πειρῶνται τεχνολογεῖν. Isocrates autem in Oratione aduersus sophistas: Χεῖρον δὲ εἰσὶν ἡμῖν οἱ πρὸ ἡμῶν γενόμενοι, καὶ τὰς καλουμένας τέχνας γράψαι τολμήσαντες, οὓς οὐκ ἀφετέον ἀνεπιτιμήτους, οἵ τινες ὑπέσχοντο δικάζεσθαι διδάξειν. ἐκλεξάμενοι τὸ δυσχερέστατον τῶν ὀνομάτων, ὃ τῶν φθονούντων ἔργον ἦν λέγειν, ἀλλ' οὐ τῶν προεστώτων τῆς τοιαύτης παιδεύσεως. καὶ ταῦτα, τὸ πρᾶγμα, καθ' ὅσον ἐστὶ διδακτὸν, οὐδὲν μᾶλλον πρὸς τοὺς δικανικοὺς λόγους, ἢ πρὸς τοὺς ἄλλους ἅπαντας, ὠφελῆσαι δυνάμενον.

Antiqui

Antiqui quoties die cibum sumpserint.

CAPVT XII.

FAlsa multorum animos occupauit opinio, veteres semel tantum die cibum sumsisse. quam, vt puto, conceperunt e verbis Platonis, qui in illa nobili epistola ait, displicuisse sibi, quod in Sicilia bis die saturi fierent. Sed aliud est, capere cibum, aliud ἐμπιμπλᾶσθαι. Ego in Græcorum commentariis reperio, quater die ipsos cibo ac potu corpus reficere solitos: quod etiam hodie multis locis fit apud quasdam transalpinas nationes, primum quidem diluculo. id vocabant ἀκρατισμὸν, aut ἀκράτισμα: quod non dilutum, sed merum, vt ait Ausonius, merum biberent: aut etiam διακρατισμὸν, quam vocem vna cum re ipsa nostrates retinuerunt. sequebatur ἄριστον: ita dictum, quod postea oporteret ἀριστεύειν. inde ἑσπέρισμα: cuius hora erat, cum iam noctesceret, antequam tamen contenebrasset. postremo δεῖπνον, aut δόρπον, aut ἐπιδόρπιος, aliter tamen hæc ab aliis traduntur, sunt enim, qui tantum tria agnoscant ἄριστον, δεῖπνον, δόρπον. & de ipso τοῦ δείπνου tempore ac nomine non omnes ita sentiunt: omninoque confunduntur hæc apud veteres. In Romanis scriptoribus reperio silatum, siue ientaculum, prandium, cœnam, vespernam. miror autem, quid sibi voluerint, cum illi vinum cōdirent: iucunditatem ne aliquam in eo, an salubritatem spectauerint.

Terentianus versus imitatus e Cæcilio. loci cuiusdam e quarta Tusculana vulgata scriptura aduersus Nonium defensa. item eiusdem grammatici alia quædam improbata. Correctus locus e libro quarto De finibus.

CAPVT XIII.

VErsus est Terentii, in fabula, quæ inscribitur Adelphœ, in extremo:

Quod proluuium, quæ isthæc subita est largitas? Mitio. Scen. vltima.

Cum autem constet, multa sumsisse eum e veteribus poetis Latinis: non iniuria credi potest, in hoc versu Cæcilium imitatus esse, eius enim est illud ex Hypobolimæo:

——*Mea rastraria.* Nonius v. Largitas.

Quod proluuium, quæ voluptas, quæ te lactat largitas?

Hunc versum citat Nonius exponens, quæ sit vis verbi, *lactare*, apud quem tamē, vitio librariorum, Cœlius, non Cæcilius legitur. sed enim quem ibidem Ciceronis e quarta Tusculana adducit locum, melius in vulgatis libris legi, quam quomodo ipse vult, arbitror? ostendit enim se ita legere, *Voluptati malenolentia lactans malo alieno, delectatio, iactatio, & similia.* melius autem vulgo legitur, *malenolentia lætans malo alieno.* non enim dubium est, quin Cicero expresserit Græcum vocabulum, ἐπιχαιρεκακίαν. Sed multa eo modo & apud Nonium, & apud eiusdem classis alios parum e-

v. adhamauerunt
l. 2. Acad.

mendate leguntur; quale est illud ex Academicis. *Qui enim serius honoret adhamauerunt*; in quo quis est, qui aliquem sermonis Romani sensum habeat, quin multo malit, *adamauerunt*; eius generis est & illud, quod apud eundem Nonium legitur, *Coniectarium efficax, perfectum*, M. Tullius De finibus bonorum & malorum libro IV. *Illud vero minime coniectarium, sed in primis hebes illorum*. Hæc ille. Sed profecto aut locum ipsum non legerat, aut quid cum hominis fuisse, dicam, nescio, si cum legisset non animaduertit, *consectarium*, non *coniectarium*, legendum esse: eamque vocem neque efficacis, neque perfecti significationem vllam habere. Vtcumque autem sit, præclare agitur cum quibusdam Grammaticis, quod tam multa eorum, qui ab ipsis citantur, auctorum monumenta perierint. perierant ipsi, nisi illa perijssent. emolumento mihi tamen alicui hoc quoque loco Nonius fuit; lumen enim prætulit ad locum illum e libro quarto De finibus corrigendum, neque pigebit, hoc, quicquid est lucelli ac quæsticuli, communicare cum ceteris. Ciceronis igitur verba ita in vulgatis libris leguntur: *Illud vero minime consectarium, sed inprimis hebes: illorum scilicet nominum gloriatione dignam esse beatam vitam, quæ non possit sine honestate contingere, vt iure quisquam glorietur*. Quare primum miratus sum, quid ita venisset in mentem Nonio, vt in voce, *illorum*, sisteret: curque non aut eam omisisset potius, aut aliquanto longius progressus esset. deinde attentius cogitanti illud quoque loquendi genus insolens visum, illorum scilicet nominum gloriatione dignam. etenim, gloriatione dignum, apud Ciceronem reperias: dignum gloriatione alicuius nominis, non videor legisse. Quid plura? cœpi suspicari, voces illas duas, *scilicet nominum*, supposititias esse; &, delapsas ex aliquo glossemate, locum occupasse non suum. post autem idem illud non tam suspicatus sum, sed ita visus videre, vt ea, quæ cernuntur, oculis inspecto vetere libro, in quo erat, *Illorum scilicet nominum aut Stoicorum gloriatione, &c.* quis enim, qui dubitet, quin totum illud, scilicet nominum, aut Stoicorum magistri fuerit ἀμεταχείριστος, καὶ ἄπειρος, & illud, *illorum*, quo referri diceret, ambigentis? comprobauit autem ille, quicumque fuit, exemplo suo Euripidis dictum; posteriorem enim cogitationem habuit sapientiorem. sed & in eodem libro scriptum erat paulo post, quod nō possit, non, vt in aliis, quæ non possit. Quare ἀναμφισβητήτως ita legendum est: *Illud vero minime consectarium, sed in primis hebes illorum: gloriatione dignam esse beatam vitam: quod non possit sine honestate contingere vt iure quisquam glorietur*. Atque hoc ita esse, magis, qui magis considerauerit, iudicabit.

Theriacam olim bibi solitam, verum non videri emendatum Varronis locum.

GA-

CAPVT XIV.

PRofecto quo quisque plus auctoritatis habet in literis, eo sollicitius ac circumspectius cauere debet, ne quid sibi, quod parum exploratum habeat, excidere patiatur. nam leues ac contempti homines, cum tale aliquid designant, facilis iactura est. non est verendum, ne quis eos sequatur duces. horum vt maximo quisque in pretio est, ita maximo periculo peccat. sed humanus animus nouitatis studio ducitur. eius interdum specie illectus, neque satis id, quod obiectum est, attendens, vana pro veris, pro solidis inania amplexatur. Equidem de Petro Victorio nihil a me, nisi vt de viro summa doctrina prædito, dictum velim. neque aliter decet: qui non fateri tantum, sed præ me ferre etiam ac prædicare soleam, tantum me ex illius vigiliis cepisse fructus, quantum ex aliis, qui hoc tempore vixerit, nemini. sed cogor interdú, quod bona ipsius pace ac venia dictum sit, plusculum in eo diligentiæ & accurationis desiderare. Nã quale tandem est ꝙ de Leda matre Helenes prodidit? eam, Euripidem facere, in leænam esse cõuersam: cum in eadem illa tragœdia, vnde ipse se mirificam illam metamorphosin eruere putauit, tam sæpe legatur, Ledam laqueo sibi elisisse fauces, præ dolore, quem e filiæ dedecore perceperat. sunt enim hi versus in ipsa embasi: Libr. 13. var. cap. 13.

Ἑλ. ἀπωλόμεσθα. θεστίας δ' ἐστὶ κόρη; Helena
Τευ. Λήδαν ἔλεξας, οἴχεται θανοῦσα δή. Act. 1.
Ἑλ. Ου πού νιν Ἑλένης αἰσχρὸν ὤλεσε κλέος,
Τευ. φασί βρόχῳ γ' ἅψασαν εὐγενῆ δέρην,

Itaque Helena ipsa paulo post mala sua percensens, ita de matris morte loquitur:

Λήδα δ' ἐν ἀγχόναις
Θάνατον ἔλαβεν αἰσχύ- Chor. Act. 2.
νας ἐμᾶς ὑπ' ἀλγέων.

Sic enim legendum puto. & chorus ἐπᾳάζων

Μάτηρ μὲν οἴχεται.

Locum autem illú, quem ipsa de Leda accepit, de Callisthone accipiendum esse, vel cæco appareat. quid, quod in primo de Oratore, *actionibus*, sine vllo certo argumẽto, legi voluit? vbi noster postea Duarenus, *cretionibus*, legendum esse demonstrauit. ac sunt sane in illis Variarum lectionum libris eiusmodi plura, quam vellem. valde enim eius viri gloriæ faueo. sed quod libro primo. de theriaca prodidit, id, quia errorem obiicere alicui potest, dissimulandum non videtur. Ait enim theriacam videri olim bibi solitã: quare necesse esse, vt tum liquidior fuerit: hoc enim tempore crassiorem ac duriorem conformari. hoc elici ex verbis M. Varronis, quæ leguntur apud Nonium, e libro De liberis educandis. sunt autem hæc: *Vel maxime illic didici, & sitienti theriacam, mulsum: esurienti, panem cibarium, siligineum: & exercitato somnum suauem.* Cap. 22

Non, ita viuam, possum satis mirari, hoc Victorium, talem ac tantum virum, dixisse. primum enim vbi tandem verbum vnum delista liquida theriaca legerat? nam nostram quidem, quæ, vt opinor, & veterum fuit, cuiusmodi sit, omnes agyrtæ ac pharmacopolæ sciunt. deinde cum constet, ibi Varronem vulgares, & plebeios cibos lautis & opiparis opponere: quæro, cui se hoc probare posse sperauerit, tenues olim & egenos homines, vt panem cibarium esse, ita theriacam, amaram videlicet quãdam & tristem potionem, bibere solitos. quam quidem cuicuimodi fingas, oportebit, vt reor, pluris venire, quam mulsum, quasi vero aquam gratis sumere non præstiterit, quam emere quod torqueret. nam si amarum aliquid e medicinis quærebat, quod mulso opponeret; debuit sane eadem ratione siligineo pani opponere, nõ panem cibarium, sed agaricum, aut colocynthidas. Ego, quod senseram de illo Varronis loco, antequam Victorius Variarum lectionum libros ederet: idem nunc quoque sentio, idque nunc aperiam, vt ex contentione, vtra verior sententia sit, existimetur. Puto igitur ita legendum esse: *Vel maxime illic didici, sitienti videri acam mulsum, esurienti panem cibarium siligineum, & exercitato somnum suauem.* Nam e duabus vocibus, sitienti videri, suspicor factum ab imperitis librariis, *sitienti teri.* Acam autem pro, aquam, antiqua scriptura est: vt loci, pro loqui: coad, pro quoad: cotidie, pro quotidie. Hoc igitur dicet Varro, se illic didicisse, sitienti videri aquam mulsum, quæ coniectura si cui displicet, ipse meliorem afferat. quiduis certe potius, quam vt illam liquidam theriacam sorbeamus. Crediderim autem, Varronem, cum illa scriberet, respexisse ad hunc locum Xenophontis e primo παιδείας: εἰ δέ τις αὐτοῖς ἀπιστεῖ ἢ ἐσθίειν ἡδέως, ὅταν κάρδαμον μόνον ἔχωσιν ἐπὶ τῷ σίτῳ, ἢ πίνειν ἡδέως, ὅταν ὕδωρ πίνωσιν, ἀναμνησθήτω, πῶς ἡδὺ μὲν μᾶζα, καὶ ἄρτος πεινῶντι φαγεῖν, πῶς δὲ ἡδὺ ὕδωρ διψῶντι πιεῖν. eo magis, quod alium locum reperio ex eodem Varronis libro, qui ex eodem Xenophontis cõuersus est. Xenoph. αἰσχρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστι Πέρσαις, καὶ τὸ ἀποπτύειν, καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι. Varro: *Persæ propter exercitationes pueriles modicas, eam sunt consecuti corpore siccitatem, vt neque spuerent, neque emungerentur, sufflatique corpore essent.*

De liberis edic. Non. v Emungerentur.

Sententia quædam Horatii ab Arato prius prolata ostenditur.

CAPVT XV.

Quod Horatius in Odis elegantissime cecinit, cum ostenderet, quãta facta esset ad hominum nequitiam accessio, quasique vaticinaretur, eam maiorem assidue factum iri, videndum est, num ex Arato sumserit. Certe, vt hic noster dixit, ab auis deteriores esse prosemìnatos patres, se deinde editos nequiores patribus, ac liberos etiam corruptiores a se procreatum iri: ita Græcus ille Iustitiam fecerat, cum argenteæ ętatis mortales alloqueretur,

exprobrantem iis, quod tantopere degenerassent a patribus, simulque prædicentem, fore, vt tamen perditiores etiam liberos gignerent.

Οἵαν, inquit, χρύσεοι πατέρες γενεὴν ἐλίποντο
Χειροτέρην. ὑμεῖς δὲ κακώτερα τέξεσθε.

A quibus non ita multum abludunt Horatiana illa:

Ætas parentum peior auis tulit — Lib. 3. Car. Ode 6.
Nos nequiores: mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Princeps autem Homerus, tot ante sæculis, materiam hisce sententiis dederat, cum sapientissimam deam introduxisset dicentem, paucos filios patrum similes euadere, deteriores plerosq; paucos præstantiores.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται — Minerua. 2 Odyss. 276.
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

De loco quodam e quarto Æneidos aduersus Seruium.

CAPVT XVI.

N*Am quia nec fato, merita nec morte peribat,* — 4. Æn. 696.
Nondum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioq; caput damnauerat Orco.

Hosce quarto Æneidos versus Seruius Grammaticus oscitanter interpretatus est: ita enim scribit: Trahit hoc de Alcesti Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam secantem, quia fato peribat mariti. Sed apud Euripidem nulla prorsus, hac quidem in re, Mercurii mentio est. Introducitur quidem Mors, quæ se venisse ait, vt illi optimæ mulieri crinem secet: neque tamen id fieri ait, quod illa mariti fato peritura esset. quin ostendit, eum secari solitum eis omnibus, quibus fatalis aduenisset dies. Vniuerse enim pronuntiat, eum sacrum esse diis manibus, cuius ipsa crinem hasta libauerit, ita enim loquitur:

Στείχω δ' ἐπ' αὐτήν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει. — Actor. 1.
Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
Ὅτου τόδ' ἔγχος κρατὸς ἁγνίσῃ τρίχα.

Hæc igitur apud Euripidem ὁ Θάνατος loquitur: qui tamen illic quoque librariorum vitio, falso esse putatur Charon.

Prouerbium quoddam ab illo scriptore, qui tam multa alia collegit, prætermissum.

CAPVT XVII.

MVltæ ac variæ lectionis hominem, qui memoria nostra ex vtriusque linguæ scriptoribus tantam vim collegit prouerbiorum, fugere quædam, & quidem illustri in primis loco sita: quod quidem mihi nonnunquam peruideri mirum solet. Nam, si o-

missa essent, quæ vel e raris inuentu, vel obscuris & ignobilibus libris petenda erant, minus mirum foret: at vero prætermissa esse, quæ & in promptu posita sunt, & apud præstantissimos auctores leguntur, id vero iustam, vt opinor, admirationem habet. Ex hoc numero est, quod apud Ciceronem legitur, *familiam ducere*: eo enim prouerbio homo eloquentissimus vtitur, cum præcipuum aliquid significat, quodque principem in re quapiam obtineat locum. Ter autem id me legere memini. Primum in Epistola, qua C. Trebatium testem commendat Cæsari. nam cum eum multis laudibus affecisset, ad postremum addit. *Accedit etiam, quod familiam ducit, in iure ciuili singulari memoria, summa scientia*, quibus verbis significauit, hanc primam & præcipuam Trebatii esse laudem: ceteras ei cum multis fortasse communes: hoc esse ipsius pæne proprium bonum: Deinde libro quarto De finibus: vbi Catonem alloquens: *Sed primum illud*, inquit, *vide, grauissimam illam vestram sententiam, quæ familiam ducit, honestum quod sit, id esse solum bonum, honesteque viuere, bonorum finem: communem fore vobis cum omnibus, qui in vna virtute cõstituunt finem bonorum.* Et quinta oratione in Antonium: *Lucius quidem frater eius, vtpote qui peregre depugnauit familiam ducit.*

In bonorum comparatione dissensio inter Platonem & Aristotelem indicata.

CAPVT XVIII.

INter multas ac varias bonorum diuisiones, quas ab antiquis sapientibus accepimus, hæc quoque tradita est. Bonorum partim suapte tantum vi expeti: neque vsquam alio referri: alia & per se, & aliorum caussa, quæ ex ipsis efficiantur: nonnulla etiam, cum in se nihil expetendum habeant, aliorum modo gratia amari. Primi generis est voluptas. neque enim eam propter aliud expetimus, ipsa per se, a quocumque sentiri potest, ei desiderium incutit sui. in secundo ordine sensus collocari licet, quos & per se, & propter vitæ cõmoditates diligimus. sed & valetudinis ac virium firmitas eundem in numerum conici potest. Tertiæ, vt ita dixerim, classis laboriosæ exercitationes corporum, sectiones venarum, adustiones quarundam partium, amarorum medicamentorum sumptiones: quæ omnia, & eodem de genere alia, eo tantum expetuntur, quod ad aliud quippiam conducere putentur. Hac igitur tripartita distributione proposita, vtri superiorum generum debeatur principatus, (nam tertium quidem ii hoc se certamen concessit) non conuenit inter principes philosophorum. Plato enim principio libri ii πολιτείας Socratem ei generi, quod secundo loco posuimus, τὰ πρωτεῖα adiudicantem facit: quod cum duobus nominibus expetitur, melius esse, quam quod vno tantum. At Aristoteles a magistro dissentiens, id summe bonum

tum esse definit, quod tantum propter se, nullo autem modo propter aliud expetatur. Finem enim omnium optimum esse. Itaque vt in quodque ὁ τοῦ τέλους λόγος maxime conueniat, ita id optimum ac præstantissimum esse. Finis autem proprium est, cum ad eum pertineant cetera, ipsum nusquam alio dirigi. Hunc nodum dissoluent ii, qui Platonem & Aristotelem vbique συμφωνεῖν volunt. ego quidem, quid mihi tenendum sit, non valde dubium habeo.

De loco quodam ex Oratione in Pisonem aduersus Petrum Victorium.

CAPVT XIX.

Recte emendatus est locus Ciceronis ex Oratione in Pisonem vbi de rationibus a Pisone ipso ad ærarium relatis agitur, & Plautinus hic e Trinummo versus adducitur,

Ratio quidem hercle apparet: argentum οἴχεται. — *Stasimus*

Nam quod Budæus deceptus, corruptis antiquæ scripturæ vestigiis putauit, legendum esse, *Ratio quidem hercle apparet: argentum decoctum οἴχεται*: id ipsa carminis ratio manifesto repudiat. Tota n. illa pars apud Plautum trimetris iambicis constat; qualis hic quoque est: qui plane corrumpetur, si vocem illam inse[r]ris. Quare non illi peccarunt, qui eam sustulerunt: sed ii peccant, qui peccasse illos putant. Nam quod Petrus Victorius (is enim se corruptæ illius scripturæ defensorem professus est) pro firmo ac solido argumento attulit, Græcos veteres semper adiungere eo modo participium aliquod verbum οἴχεται: miror equidem, homini accurate & diligenter versato in Græcis literis, earumque, vt res ipsa loquitur, in primis intelligenti, quicquam ita perspicue falsum excidisse. neque vero nego, id eos interdum ac sæpe facere: sed interdum etiam, ac non minus sępe aliter eo verbo vti, sexcentis exemplis, si opus sit, me docere paratum esse profiteor. Aliquot proferam: ne Victorii auctoritas quempiam inducat.

S. Minnes q. An. in Pand. de off. Quæst.

Lib. var. 4. cap. 5.

Homerus:

Ὡς μὲν Τηλεμάχῳ ὁ μὲν οἴχεται· οὐδέ οἱ ἄλλος
εἷσ', οἴκοι κατὰ δῆμον ἀλαλκέμεναι κακότητα.

Æschylus: Τοιόνδ' ἄνθος περσίδος αἴας
Οἴχεται ἀνδρῶν.

Sophocles: Ἰὼ ἐν δύστηνος οἴχομαι τάλας.

Theognis: Ὤιχετο μὲν πίστις μεγάλη θεός.

Euripides: Μάτηρ μὲν οἴχεται.
Δίδυμοι τε Διὸς οὐκ εὐ-
δαιμονοῦ τέκνα φίλα. — *Helena Chor.*

Idem: Νεφέλας λιπὰς ἀγάλματα, ἐς αἰθέρ' οἴχεται. — *Act. 1.*

Idem: Ἀλλ' ἐξέδραμον. καὶ πόλις μὲν οἴχεται.

ψυχὴ δ' ἰσώθη.

Idem: Βέβακα δύστανος· οἴχομαι

Ἀπώλεσ' ἃ δυστυχεστάτῃ προσεῖπον κλήρῳ.

Plato Parmenide: ἄρτι γὰρ ἐνθένδε οἴκαδε οἴχεται.

Idem Hippia maiore: ἐκεῖνο μὲν τοίνυν οἴχεται, τὸ δυνατόν τε καὶ χρήσιμον ἁπλῶς εἶναι καλόν.

Ariſtophanes, Αὕτη μὲν ἡμῖν ἡ πίτειτος οἴχεται.

Ariſtoteles ἀλλ' οἴχεται τὸ ἓν καὶ τὸ ὅλον ἐκ τῆς θεωρίας.

Lucianus: δὶς κατηγορούμενος. Λοιπὸν χρὴ αὐτίκα μάλα παρεξιέναι συνείργοντας τοὺς χρησμοὺς, ἢ οἴχεσθαί οἱ τὴν δόξαν τῆς τέχνης. Plutarchus περὶ στωικῶν ἐναντιωμάτων: Οἴχεται γὰρ ἡ τάξις, εἰ πάντα ἐν πᾶσι μεταλαμβάνειν δεήσει. Sed mihi facile fuerit vel iuſtæ magnitudinis librum ex eiuſmodi exemplis conficere: niſi ſic quoque verear, ne qui hæc legent, in re ſatis aperta plus ſatis immoratum eſſe me iudicent. cuius tamen rei in me culpa non hæret: non enim, qui diligenter falſa conuincit, ſed qui indiligenter ea pro veris prodit, culpandus eſt.

Horatiana quædam ex Græco ducta.

CAPVT XX.

LEgebamus Tibure, æſtiuis menſibus, a prandio, dum ſe calor frangeret, vitandi ſomni cauſſa, & διαγωγῆς χάριν, Odas Horatii, eaſque libentiſſime, quæ de vetere illius locis ſalubritate atque amœnitate loquebantur: ac, ſi quid veniebat in mentem, quod aut e Græcis effictum, aut exquiſitius dictum, aut deniq; ab eius poetę interpretibus prætermiſſum, neque tamen cognitu indignum videretur id, pro ſuo quiſq; captu, quaſi ſymbolas quaſdam, amice & ſimpliciter in medium conferebamus. Atque ex illis collocutionibus excerpta pleraque in his libris legentur. Quale eſt hoc, quod cum recitata eſſent illa,

Lib. 4. Car. Ode 3.

Quem tu Melpomene ſemel

Naſcentem placido lumine videris:

Et quæ ſequuntur: dixi, ea mihi videri expreſſa de ſententia quadam Callimachi, qui in epitaphio patris ſui poſuit, quos Muſæ pueros aſpexerunt, eos per totam vitam Muſis amicos manere.

Epi. 27. in Battum.

——Μοῦσαι γὰρ ὅσους ἴδον ὄμματι παῖδας,

ἄχρι βίου, πολιοὺς οὐκ ἀπέθεντο φίλους.

in Odyſſ. 10. Venit & ex eo in mentem, quod ex vetere quodam refert Euſtathius; quos non aſpiciunt Muſæ, eis Circes pocula exitio eſſe. οὓς οὐ προσορῶσιν αἱ Μοῦσαι, τούτους ποτῷ δηλεῖται Κίρκη. Sed & illud quod prætereuntes notauimus, quod in eodem illo epigrammate eſt,

ὁ δ' ἤεισεν κρείσσονα βασκανίης,

Conſimiliter locutum videri Horatium quodam alio loco, vbi ſe inuidia maiorem vaticinatur fore.

M. AN-

M. ANTONII MVRETI AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDInalem amplissimum & illustr.

VARIARVM LECTIONVM Liber Quintus.

Insularum fortunatarum descriptio, & situs.

CAPVT I.

PRoditum est a veteribus poetis, esse quasdam in Oceano insulas, ad quas post mortem deferantur eorum animi, qui sancte religioseque vixerint. ibi eos inter se iucundissime ac suauissime viuere, in amœnissimo quodam prato, quod gemmea florum oculis naribusque gratissimorum varietate perpetuo distinctum picturatúmque sit. nunquam non illic nitere cœlum, frondere arbores, pubescere herbas, ridere omnia, spirare assidue mollissimos Fauonios, quorum flabellis arborum comæ leniter ventilatæ, placidissimo murmure auribus blandiantur. eo accedere innumerabilem vim ac copiam immortalium auicularum, quæ vsque & vsque liquidissimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium sensus incredibili voluptate permulceant. pratũ ipsum perennibus riuulis varie intersecari, quorum aquula nitidissima ad versicolores lapillos molliter fracta & allisa susurrum efficiat dulcissimum ita, qua flosculorum ambrosios odores exhalantium suauitate, qua Zephyrorum viridantibus arborum ramis illudentium sibilo, qua volucrum concentibus, qua blando murmurantium riuulorum strepitu beatas illas mentes continenter hilarari. ergo alios ad Orphei, Amphionisue lyram choreas agere; alios psallere. alios corollos texere, alios in herba fusos, qua tellus tremulis laurorum ac myrtorum opacatur vmbraculis, iucundissimos sermones conserere: humum ipsam opum suarum prodigam, sine vllo cultu, ter quotquot annis, vberare summa alimentorum copiam eis suggerere ac subministrare. Hæc aliaque similia de insulis illis poetæ, vt dixi, fabulantur. sed de earum situ non idem ab omnibus traditur. nam cum plerique omnes, Homerum secuti, eas in Hispaniæ finibus collocent: non desunt tamen, qui Indiæ vicinas esse dicant. in primis autem mihi visum est admirabile & absurdum, quod apud Græcum quendam Grammaticum reperi, eas in Britannia esse. talem enim quandam fa-

bulam narrat esse in littore eius maris, quod insulam Britanniam alluat homines quosdam piscibus capiendis victitantes: qui Francis quidem pareant, neque tamen sint vectigales. ii nonnunquam in ædibus suis dormientes audiunt vocem qua inclamantur, sentiuntque, pro foribus adesse multitudinem quandam hominum summa cum hilaritate plaudentium, expergefacti autem, & domo exeuntes, neminem quidem cõspicantur: naues tantum quasdam reperiunt, non suas; quas, ex ipso strepitu, vectorum plenas esse intelligunt. subeunt igitur illas, &, ex consuetudine, remigant Britanniam versus, & quo alioqui ne velis quidem passis secundo vento suis nauib. peruenire breuiore, quam quatuor & viginti horarum spatio solent: eo tum vnica, eaque non longa remigatione deferūtur. ibi incognitos illos vectores exponunt. cumq; neminem omnino videant, sentiunt tamen ingentem concursum fieri ad litus, hominum congratulantium iis, qui recens ites venerunt, eosq; maxima cum lætitia excipientium. audiunt etiam eos inter se humanissime consalutantes: cum alius alium proprio nomine, alius a tribu, alius ab artificio, alius etiam gentis ac cognationis nomine appellet. tum iisdem illis nauibus conscensis, qua celeritate venerant, eadem reuehuntur domum. Quinetiam a quodam historiæ scriptore proditum est, C. Iulium Cæsarem eo aliquando vna triremi cum centum hominibus delatum: cumq; incredibili loci amœnitate captus, sedes ibi capere vellet, ab illis *ἀοράτοις* incolis inuitum & reluctantem eiectum esse.

Tibulli versus illustratus.

CAPVT II.

SVperiore anno edidi scholia quædam in Tibullum, &, quantum licuit per angustias temporis, perque occupationes quib. distinebar, operam dedi, vt mea industria poeta ille & emendatius legi, & minore negotio intelligi posset. multos enim locos deprauatos restitui, obscuros declaraui, nonnullos etiam, qui integri putabantur, mancos ac mutilos esse indicaui: ne quem obducta forte cicatrix falleret. sed, inter cetera, cum versus illi e libro secundo ita legerentur,

2. Eleg. 1.
Ludite. iam nox iungit equos: currumque sequuntur
Matris lasciuo sidera fulua choro:

Admonui non *Matris*, sed *Matris*, legendum esse. ipsam enim Noctem, matrem siderum dici. Hoc nullo testimonio cõmmendandum ratus sum: quod neminem putabam ita stolidum fore, qui non statim illius emendationis bonitatem ac veritatem perspiceret. Nunc, cum videam, reperiri quosdam vsque eo *ἀνοήτους* vt negent, satis lepide dici posse Noctem siderum matrem: ideoque ad illam vulgatam scripturam defendendam inepta quædam de Martis sidere cõmminiscantur: visum est testari, primum in libro vetere, qui penes me est, *Matris*, non *Martis*, legi. deinde ita etiam locutum

Euripidem

Euripidem: ac noctem siderum nutricem vocasse. ita enim apud eum Electra loquitur:

Ὦ νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρων τροφέ. Id est: *Elect. Act. 1.*

Nox aureorum furua nutrix siderum.

Sed & alia quæ idem confirmarent, afferre quamlibet multa possem: nisi hoc satis superq; fore arbitrarer.

Virgilii versus, in quo Ciceronem imitatus videri potest.

CAPVT III.

MVlta sumsisse Virgilium non a poetis modo, qui ante ipsum fuerant, verumetiam ab iis, qui soluta oratione scripserant, notum est, quare facile crediderim, versum illum e secundo Æneidos,

Quanquam animus meminisse horret, luctuq; refugit, *Vers. 12.*

E Cicerone imitatum esse. ita enim ille oratione XIV. in Antonium scripserat: *Refugit animus P. C. eaq; formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmensium liberis & coniugibus effecerit.*

Platonis in Hippia maiore emendatus locus.

CAPVT IV.

APud Platonem in Hippia maiore, cum sophistes ille, de cuius nomine dialogo impositum nomen est, ter iam τὸ καλὸν definire conatus esset; neque tamen attulisset quicquam, quod non Socrates falsum & absurdum esse docuisset: ita denique loquens inducitur. ponam autem verba Platonis, ita vt vulgo leguntur: deinde Marsilii interpretationem subtexam: tum demum, quia ea deprauata esse existimo, ostendam, quomodo corrigenda, quoque modo interpretanda videantur. Platonis igitur hæc sunt: Ἱπ. Ἐγώ σοι ἐρῶ. ζητεῖν γάρ μοι δοκεῖς, τοιοῦτόν τι τὸ καλὸν ἀποκρίνασθαι, ὃ μηδέποτε αἰσχρὸν μηδαμοῦ μηδενὶ φανεῖται. Σω. Πάνυ μὲν οὖν ὦ Ἱππία, καὶ καλῶς γε νῦν ὑπολαμβάνεις. ἄκουε δή, πρὸς γὰρ τοῦτο ἴσθι ἐάν τις ἔχῃ ὅ, τι ἀντείπῃ, φάναι ἐμὲ μηδ' ὁτιοῦν ἐπαινεῖν. λέγε δὴ ὡς τάχιστα πρὸς θεῶν. quæ Marsilius ita interpretatur. *Hip.* Dicam equidem requirere. namque mihi videris tale quiddam pulcrum respondere, quod nunquam alicui turpe videri queat. *Soc.* Omnino o Hippia, recte nunc accipis. audi modo, & vide, si quis contra hoc obiicere possit, dicereque nihil me laudare posse. dic, per deos; cito. Ego vero primum male distinctam esse personis orationem existimo: deinde, non ἐπαινεῖν, sed ἐπαίειν lego. describam autem eam tantum partem, in qua vitium inesse arbitror. Σω. Πάνυ μὲν οὖν ὦ Ἱππία καὶ καλῶς γε νῦν ὑπολαμβάνεις. Ἱπ. ἄκουε δὴ πρὸς γάρ, τοῦτο, ἴσθι. ἐάν τις ἔχῃ ὅ, τι ἀντείπῃ, φάναι ἐμὲ μηδ' ὁτιοῦν ἐπαίειν. Σω. λέγε δὴ ὡς τάχιστα πρὸς θεῶν. Iam totum locum hoc modo interpretor. *Hip.* Ego dicam tibi. videris enim mihi quærere, quomodo tale aliquid pulcrum esse respondeas, quod nullo vnquam modo cuiquam turpe esse videatur. *So.* Plane o Hippia. recte tu

quidem nunc putas. *Hip.* Ausculta igitur. aduersus id enim, quod nunc afferam, si quis quod dicere possit habeat, sane me falsum nullius me omnino rei natum atque intelligentem esse. Hanc ego interpretationem vetiorem puto. cum autem & Platonis auctoritas tanta sit; & Marsilii conuersio, merito ab omnibus magni fiat: non male mihi operam nauare videor, cum, quæ minus bene ab eo reddita putem, indico. neque vero id facio, quod de ipso parum magnifice sentiam. potius ex eo intelligi volo, cum a me in bonorum & eruditorum interpretum numero haberi. nam ni ita esset, nunquam sane ipsum tanti facerem, quid bene aut male vertisset.

Emendatus locus e Ciceronis agrariis.

CAPVT V.

Orat. 2. non longe a principio.

CIceronis in Rullum hæc verba sunt, vbi eum cum Cn. Domitio comparat: *Ille, quod dare populo nullo modo poterat, tamen quodammodo dedit; hic, quod adimi nullo pacto poterat potestatem quadam ratione eripere conatur.* quæ si emendate leguntur, necesse est, ibi Cicero dixerit, *potestate*, id quod alibi, *pro potestate*, aut, *per potestatem*, dicere consueuit. Sed ego quidem eam scripturam vitium in se continere arbitror: neque admodum dubito, quin ita legenda sit: *Hic, quod adimi nullo pacto poterat, potestatem, quadam ratione eripere conatur.* Nondum tamen mihi contigit quemquam veterem librum videre, qui coniecturam meam confirmaret. sed facile in eo labi potuisse librarios, nemo, vt opinor, non videt.

Plautinæ Stichi principium emendatum, & distinctum.

CAPVT VI.

CVm multa mihi impedimento sint, ne possim Plautum a me emendatum tam cito, quam speraueram, edere; constitui interea inspergere libris meis nonnullos eius poetæ locos, eosque quomodo legendos arbitrer, exponere: vt & aliquem gustum dem conatus mei, &, iuxta præceptum Hesiodi, σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο, paulatim totum opus absoluam. neque vero me pigebit, Apellis exemplo, si quis quid monuerit, in quo peccasse videar, errorem corrigere, & quod rationi magis consentaneum videbitur, id amplecti. quin ita ab eruditis & harum rerum intelligentibus hominibus in magni beneficii loco erratis atque etiam peto, vt qua tum libertate, tum moderatione alienos a me errores detegi vident, eadem ipsi meos detegant: vt sine vlla maledicentia studia harum vere ingenuarum artium adiuuentur. Nunc igitur principium Stichi, quod in omnibus libris corruptissime legitur describam ita, vti legendum censeo. in quo optima fide affirmare possum, voculas aliquot, quas sustuli, auctoribus antiquis libris esse sublatas. in ordine ipso verborum, & in versibus distinguendis.

fateor

fateor, me coniectura tantummodo esse vsum. cum enim quidam homo eruditus tradidisset, versus illos esse numeris permistis, τριμέτρους, & διμέτρους, ἀκαταλήκτους, καταληκτικούς, & βραχυκαταλήκτους, putaui hanc confessionem potius quandam esse ἀμηχανίας, quam certi atque explorati iudicii professionem. itaque qui omnes senarios esse crederem, ita distinxi:

PANEG. *Credo ego miseram fuisse Penelopam soror,*
Ex animo, quæ tamdiu suo caruit viro.
Nam nos eius animum de nostris noscimus.
Quarum viri nunc hinc absunt: quorumque nos
Negotiis, vt æquom est absentium
Sollicitæ noctes & dies soror sumus.
PINAC. *Semper nostrum officium nos facere æquomst: neque*
Id facimus magis, quam nos pietas monet.
Sed hic mea soror assis: multa dum volo
Tecum loqui de re viri. PA. *Saluene amabo?*
PI. *Spero quidem, & volo: sed hoc crucior soror:*
Patrem tuum, meumque, adeo, qui vnus vnice
Ex omnibus perhibetur ciuibus probus,
Eum nunc improbi officio fungi viri.
Tantas viris qui absentibus nostris facit
Iniurias immerito, nosque abducere
Ab iis volt. hæ res vitæ me saturant soror:
Hæ mihi diuidiæ & senio sunt. PA. *ne lacruma*
Soror: neue tuo id animo fac, tibi quod tuus
Minatur facturum pater. spes est, eum
Melius facturum. noui ego illum. isthæc ioco
Dicit. neque ille mereat Persarum sibi
Montes qui esse perhibentur aurei, isthuc vt
Faciat, quod tu metuis. &, si faciat, tamen
Minime irasci decet. neque id immerito eueniet.
Nam tertius hic est annus, vt nostri domo
Viri abierunt. PI. *ita vt memoras.* PA. *cum ipsi interea*
Viuant, valeant, vbi sint, quid agant, ecquid agant,
Neque participant nos, neque redeunt. PI. *an id doles,*
Soror, quia illi officium non colunt suum,
Cum tuum facis? PA. *ita pol.* PI. *tace sis, caue audiam*
Ego istuc post hac ex te. PA. *nam quid iam?* PI. *quia*
Pol meo animo sapientis officium suum
Æquomst colere, & facere. quamobrem ego te hoc, soror,
Tametsi es maior, moneo, vt memineris tuum
Et si improbi sint illi, atque aliter nos faciant,
Quam æquomst, tamen, ne quid malis obnoxiæ
Simus, opibus omnibus nostrum officium nos decet
Meminisse. PA. *placet. taceo.* PI. *at, vt memineris, facito.*

PA. *Nolo ego soror, me credi esse immemorem viri.*
Neque ille honores mihi, quos habuit, perdidit.
Nam pol mihi grata acceptaque huius benignitas,
Et me quidem hac conditio nunc non pœnitet.
Neque est, cur studeam has nuptias mutarier.
Verum postremo in patris potestate est situm
Faciendum id nobis, quod parentes imperant.
PI. *Scio. atque cogitando, mœrore augeor.*
Nam propemodum iam ostendit suam sententiam.
PA. *Igitur quæramus, nobis quid facto vsus sit.*

Quæso autem, si qui reprehendere hæc volent, vt prius diligenter & accurate considerent. nollem enim me ita reprehendi, vt in refutandis temerariis reprehensionibus nouus mihi capiendus sit labor. Hoc quoque Cœlius, os hominis, non veritus est pro suo venditare.

Adonin Dianæ ira interfectum.

CAPVT VII.

Diana apud Euripidem in Hippolyto coronato, indigne ferens honestissimi adolescentis mortem, cuius culpa omnis in Venere hærebat, minatur eam non impune laturam. nam se quoque interfecturam aliquem, qui Veneri eximie carus sit, vt ipsam pari dolore afficiat.

Act. 5. sub finem.

Ἐγὼ γὰρ, inquit, αὐτῆς ἄλλον ἐξ ἐμῆς χερὸς
Ὃς ἂν μάλιστα φίλτατος κυρῇ βροτῶν,
Τόξοις ἀφύκτοις τοῖσδε τιμωρήσομαι.

Quem locum declarans scholiastes: Sunt, inquit, qui putent, obscure significari Adonin. sed nugax hoc quidem est. neque enim Dianæ sagittis, sed a Marte interfectus est Adonis. quem igitur dicat, obscurum est. Hæc ille. Apollodorus tamen, non malus harum quidem rerũ auctor, libro tertio bibliothecæ, Ἄδωνις, inquit, ἔτι παῖς ὢν, Ἀρτέμιδος χόλῳ πληγεὶς ἐν θήρᾳ ὑπὸ συὸς, ἀπέθανε.

Confirmata duorum locorum Ciceronis emendationes a Petro Victorio facta.

CAPVT VIII.

Lib. 2. Var. cap. 4.

Recte iudicauit Victorius, locum illum e secunda Ciceronis Philippica ita legi debere, vt in multis antiquis libris & in Manutianis legitur. *Illam suas res sibi habere iussit, ex XII. tabulis claues ademit, exegit* non, vt in aliis, *Caussam addidit, exegit.* Nam & Nonius Marcellus aperte id confirmat, qui in libro De varia significatione sermonum, cum dixisset, exigere idem esse, quod excludere; M. Tullius, inquit, Philippicis libr. II. *Claues ademit, forasque exegit.* Illud autem *forasque,* an recipiendum sit, alii viderint. mihi quidem non displicet, quamuis nõ legitur in veteribus libris, quos ego quidem viderim. Sed & aliam coniecturam eiusdem Victorii de loco quodam e primo libro accusationis, siue ex actione

actione secunda in Verrem (ita enim liber ille citandus est, non vt a Victorio, qui, accommodans, credo, se ad consuetudinem vulgi, septem facit actiones in Verrem, cum sint tantum duæ) eam igitur coniecturam non inanem fuisse, idem Grāmaticus ostendit. Cum enim vulgo ita legatur, *Quod vbi est Philodamo nunciatum, tametsi non erat ignarus*, &c. Victorius admonet legendum, *tameisi non erat ignarus*. apud Nonium autem paulo aliter legitur, sed eadem plane sentētia nempe hoc modo: *Tametsi erat ignarus*. Has igitur doctissimi hominis coniecturas veteris Grammatici auctoritate confirmare, operæ pretium duxi. Lib. 10. var. cap. 10.

Emendati loci aliquot e Mostellaria Plauti.

CAPVT IX.

Apud Plautum in prima Mostellaria lepidissimum colloquium est duorum seruorum, Grumionis rustici, qui absente sene, herilem filium corrumpi, remque familiarem dissipari dolebat: & Tranionis, nequam hominis, qui hero adolescentiori esset voluptatum ac libidinum administer. sed ea tota pars & in omnibus libris corrupte legitur, & in iis, quos Ioachimus emendauit, corruptissime. Nunc igitur libet locos aliquot emendare: cetera alias cum videbitur. vbi ergo Grumio ita minitans dicit: Scen. I.

Augebis ruri numerum, genus ferratile:

Legendum est:

Augebis ruri numero genus ferratile:

Genus enim ferratile vocat seruos, qui ruri in compedibus agerent: atque id genus numero, id est, breui, nempe cum redierit senex, a Tranione auctum iri ait. Aliquot versibus post, vbi ita loquitur Tranio:

Quid sibi, malum, mea, vt quid ego agam, curatio est?

Legi debet:

Quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio est?

Ita enim dictum est, vt illud, quid tibi hanc tactio est? ille autem versus,

Meum bonum me, te tuum maneat malum,

A Grumione dicitur, hoc sensu: Non recuso, quominus ego nunc duriter viuam, tu laute & opipare: dum me quidem maneat bonū meum, te vero maneat malum tuum, cum venerit senex. Vnum etiam mendum tollam: cetera in aliud tempus reiiciam. In libris Ioachimi ita leguntur hi versus:

Quid est? quid tu me nunc obtuere furcifer?

GR. *Pol tibi isthuc credo nomen actutum fore.*

TR. *Dum intereas, sic sit istud actutum sino.*

Postremus autem eorum ita legendus est:

Dum interea sic, sit istud actutum: sino.

Est enim hæc oratio hominis præsentia tantum spectantis, futura

negligentis: Dum, inquit, interea sic sit, vt nunc est, quid actiuum futurum sit, non laboro.

Ciceronis locus conuersus e Chrysippo.

CAPVT X.

QVod apud Ciceronem libro secundo De natura deorum, de societate, quam parandi cibi gratia ineat pinna cum parua squilla, e Chrysippo sumtum esse arbitror: eo magis, quod ibi Balbum de Stoicorum sententia disputantem facit: vt credibile sit, magnam partem illius disputationis non aliunde potius, quam e Stoicorum libris esse haustam. Sunt autem Ciceronis verba hæc: *Pinna vero* (sic enim Græce dicitur) *duabus grandibus patula conchis, cum parua squilla quasi societatem coniungit comparandi cibi. Itaque cum pisciculi parui in concham hiantem innatauerint, tum admonita a squilla pinna, morsu comprimit conchas. sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum est, congressu ne aliquo inter se, an iam inde ab ortu natura congregatæ sint.* Neque non etiam coniecturam adiuuat, quod hanc ipsam societatem exponi facit a Catone libro tertio De finibus: vbi etiam Stoicorum placita defendebat: vt plane videatur hoc Stoicum quiddam esse. Chrysippus autem libro quinto περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς ita scripserat: Η πίννα, καὶ ὁ πιννοτήρης συνεργὰ ἀλλήλοις, κατ' ἰδίαν οὐ δυνάμενα συμμένειν: ἡ μὲν οὖν πίννα ὄστρεόν ἐστιν. ὁ δὲ πιννοτήρης καρκίνος μικρός· καὶ ἡ πίννα διαστήσασα τὸ ὄστρακον ἡσυχάζει, τηροῦσα τὰ ἐπιόντα ἰχθύδια· ὁ δὲ πιννοτήρης παρεστὼς ὅταν εἰσέλθῃ τι δάκνει αὐτὴν ὥς περ σημαίνων. ἡ δὲ δηχθεῖσα συμμύει. καὶ οὕτως τὸ ἀποληφθὲν, ἔνδον κατεσθίουσι κοινῇ. Φασὶ δέ τινες, καὶ συγγεννᾶσθαι αὐτὰ αὐτοῖς, ὡς ἂν ἐξ ἴσης σπέρματος γενόμενα. Neque tantum eo in loco, sed & multis aliis eandem historiam repetierat: vt ostendit Plutarchus in commentario, quo quærit, Terrestria ne an in aquis degentia animalia prudentiora sint: his verbis, ὧν ἐστι καὶ ὁ τῷ πλεῖστον ἐν ψυχαῖς χρόνον περὶ πολλῶν πιννοτήρας, παντὶ καὶ φυσικῷ βιβλίῳ καὶ ἠθικῷ προεδρίαν ἔχει. Plinius quoque postea & Oppianus libro secundo idem prodiderunt. *Lib 9.c.24.*

Explicatus & emendatus locus e secundo Epistolarum ad Atticum.

CAPVT XI.

Ep. 5. CIcero in quadam epistola libri secundi ad Atticum, cum scripsisset se cupere Alexandriam & reliquam Ægyptum visere, rogat eum postea, vt ad se scribat, quoniam Nepos proficiscitur, cui nam auguratus deferatur: *Quo quidem*, inquit, *vno ego ab istis capi possum.* addit deinde: *Videte ciuitatem meam sed quæ dicebas, quæ cupio deponere, & toto animo, atque omni cura φιλοσοφεῖν, sic, inquam, in animo, sic vellem ab initio* Hæc igitur verba, *Videte ciuitatem meam*, quem sensum habeant alius viderit. Manutius ait, esse hemistichium ex veteri poeta in miserabilem ciuitatis aspectum. ego

ego locum corruptum esse opinor, ita legendum, *Vide leuitatem meam.* plane enim leuitatem quandam, & inconstantiam consiliorum suorum tota illa epistola indicat Cicero. fieri autem potest, vt ex *Vide le*, factum sit, *videte*. deinde illud, *vitatem*, quod nihil significaret, transierit in *ciuitatem*.

Virgilii versus ex Æschylo imitati.

CAPVT XII.

PRæcipere ac præsumere oportere sapientem omnia, quæ homini acerba, & grauia accidere possunt: talique præmeditatione leuiora illa, & perpessu faciliora effici, disputatum est copiose a Cicerone libro quarto Tusculanarum, allatique versus Euripidis e Theseo, & Terentii e Phormione, quibus id confirmaretur. Virgilius autem Æneæ suo, quem omnis virtutis exemplar esse voluit, vt ceteras laudes, ita hanc quoq; tribuit; cum eum his verbis de se vtentem fecit:

——non vlla laborum. 6 Æneid. vers. 103.
O virgo noua mi facies, inopinaue surgit.
Omnia præcepi atq; animo mecum ante peregi.

qui quidem videri non immerito possit hoc Æschylo sumsisse, apud quem Prometheus ita loquitur:

Καίτοι τί φημι, πάντα προὐξεπίσταμαι Prometheo Pag. 52. edit. H. S.
Σκεθρῶς τὰ μέλλοντ'. οὐδέ μοι ποταίνιον
Πῆμ' οὐδὲν ἥξει. id est,
Quanquam quid aio? cuncta pranoui optime
Futura. nec ventura calamitas mihi
Inopina quisquam est.

Ennii hemistichium ex Euripide.

CAPVT XIII.

CIcero libro 2. De finibus aduersus Epicureos disputans, qui summam voluptatem detractione omnis doloris terminabant: *Hoc*, inquit, *dixerit potius Ennius*;

——nimium boni est, cui nil mali est.

nos beatam vitam nō depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus. quanquam autem non exprimit, vbi id Ennius dixerit: facile tamen crediderim, esse hoc hemistichium ex Hecuba; idq; Hecubā ipsam pronunciasse. apud Euripidem certe infelix anus exemplo suo docet, inania esse bona illa, quæ plerūq; in animis hominum superbiam pariant. cum itaq; felicissimum habendum, cui nihil eo die obtingat mali. versus hi sunt:

—κεῖνος ὀλβιώτατος, Hecuba Talthyb. Act. 3.
Ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν.

Falsum argumentum allatum esse ab A. Gellio ad ostendendum, inter Platonem & Xenophontem aliquid simultatis intercessisse.

CAPVT XIV.

Cap. 3. A. Gellius libro 14. noctium Atticarum, aliquot argumenta collegit, quibus doceret, inter Platonem & Xenophontem nescio, quid occultæ simultatis intercessisse. multo plura autem, & multo accuratius exposita apud Athenæum libro vndecimo leguntur. sed eorum, quæ posuit Gellius, primum falsum esse, comperi. ait enim, neque a Platone Xenophontis, neq; contra a Xenophonte Platonis vllam vnquam factam esse mentionem: cum tamen vterque complurium Socratis sectatorum meminerit. Ego autem, ecquid Plato Xenophontem vsquam nominauerit; non sane pronuntiare ausim. apud Xenophontem quidē libro tertio ἀπομνημονευμάτων. Platonem nominari video. Narrat enim Xenophon, Glauconem Aristonis filium, qui ad populum verba facere, & remp. gerere cuperet, cum annos viginti nōdum haberet, sæpe ob id delusum, & detractum e suggesto: neque tamen amicorum ac domesticorum precibus a tam temerario incepto eum reuocare cupientium obtemperantem, destitisse tandem Socratis auctoritate adductum. Socratem autem ei amicum fuisse, ait, propter Charmidem Glauconis filium, & propter Platonem. *Xenophō l. 3. Memorabilium.* Γλαύκωνα δὲ, inquit, τὸν Ἀρίστωνος, ὅτ' ἐπεχείρει δημηγορεῖν, ἐπιθυμῶν προστατεύειν τῆς πόλεως, οὐδέπω εἴκοσιν ἔτη γεγονώς, ὄντων ἄλλων οἰκείων καὶ φίλων, οὐδεὶς ἐδύνατο παῦσαι, ἑλκόμενόν τε ἀπὸ τοῦ βήματος, καὶ καταγέλαστον ὄντα. Σωκράτης δὲ εὔνους ὢν αὐτῷ διά τε Χαρμίδην τὸν Γλαύκωνος, καὶ διὰ Πλάτωνα, μόνος ἔπαυσεν. Hoc cum primum scripsi, non memineram, idem a Laertio in Platonis vita notatum esse.

Secundam fortunam difficile ferri, multorum grauium scriptorum testimoniis confirmatum.

CAPVT XV.

Grauem admodum sententiam Gobryæ Xenophon dedit: quamque quotidiana experientia veram esse declarat. Difficilius videlicet reperiri qui secundam, quam qui aduersam fortunam bene ferant. Secundis enim rebus insolescunt plerique homines, & efferuntur: aduersis omnes ad temperantiam moderationemq; reuocātur. id quod ille expressit his verbis: *Cyriped. lib. 8.* δοκεῖ δέ μοι, ὦ Κῦρε, χαλεπώτερον εἶναι εὑρεῖν ἄνδρα τἀγαθὰ καλῶς φέροντα, ἢ τὰ κακά. τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ. M. autem Cato ille Censorius, & si a Xenophonte, vt opinor, nō hauserat, vt qui a Græcis literis abhorreret: prope tamen idem dixerat in Oratione pro Rhodiensibus ex ea enim citantur hæc: *Aduersa res se domant, & docent, quid opus sit facto: secunda res lætitia transuorsum trudere solent a recte consulendo, atq; intelligendo.* Itaq; non sine caussa dictum est ab Horatio:

Lib. 3. Car. Ode. 27. *——bene ferre magnam*
Disce fortunam. &,

Lib. 2. Ode. 3. *Æquam memento rebus in arduis*

Seruare

Seruare mentem: non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia. &
Rebus angustis animosus atque Lib.2.od.10.
Fortis appare. sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

aliaque multa eodem pertinentia. Non paucos enim fortuna, quos aduersa non moueat, propitia perculit. multisque contingere videmus id quod Tantalo contigisse ait Pindarus: quem ait nequisse concoquere felicitatem suam. εἰ δὲ δή τιν' ἄνδρα θνατὸν ὀλύμπου σκοποὶ ἐτίμασαν, ἦν Τάνταλος οὗτος. ἀλλὰ γὰρ καταπέψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη. Olymp.1.

Eorsi nomen ad alia quadam a vino eleganter tralatum.

CAPVT XVI.

INfatuatum prosperis rerum successibus Cleopatræ animum, elegantér admodum ac significanter expressit Horatius, cum eam dulci fortuna ebriam fuisse dixit. Pari autem elegantia vsus Euripides, cum induceret Electram conquerentẽ de contumelijs, quas patri suo mortuo imponeret Ægysthus, fecit ipsam dicentem, ea omnia illum Clytæmnestra ebrium facere. Ita enim loquitur: Lib.1. Car. Ode.37.

Μέθῃ δὲ βρεχθεὶς τῆς ἐμῆς μητρὸς πόσις Electra Act.2.
Ὁ κλεινὸς, ὡς λέγουσιν, ἐνθρώσκει τάφῳ,
Πέτροις τε λεύει μνῆμα λάϊνον πατρός.

Sed & Flauius Philostratus in Herodis vita simili modo dixit homines diuitiis ebrios. ita enim scribit: οἱ γὰρ πλούτῳ μεθύοντες, ὕβριν ταῖς ἀνθρώποις ἐπιπλέουσιν. & alicubi Lucretius homines ebrios curis. quam ad formam nos quoque haud ita pridem in ode quadam ad Anastasium Iusbertum Melchioris F. adolescentem eleganti ingenio, moribusque optimis præditum, ita cecinimus:

—— non didicit modum
Seruare, nec se legibus alligat,
Sed semper impermissa quærit
Immodico ebria mens amore.

Horatiana quadam genera loquendi e Græco expressa.

CAPVT XVII.

CVm multa & in libris, & in aliis loquendi genera notauerim, quæ Horatius a Græcis poetis mutuatus est, videor mihi conuenienter instituto meo, consuetudinique facturus, si plura etiam notare perrexero. nam & de meipso conitecturam faciens, hanc curiositatem meam iis, qui colunt hæc studia, non in-

iucundam fore duco: & vtile puto esse iis, qui pangendis versibus laudem aliquam sibi parare in animo habent, pernoscere, quomodo veteres Latini poetæ Græcos loquendi modos in Latium inuexerint: vt ipsi quoque, illorum exemplo, in eodem illo peregrinitatis aucupio elaborent. Ergo quod Nereus Paridi prædicens ea mala, quæ ob raptam Helenam consecutura erant, quasi iam in re præsenti versaretur, ita loquitur:

Lib. 1. Car. Od. 15.

— ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre.

id quisquis legit, sentit, opinor, quiddam transmarinum, neque in Romanorum consuetudine positum. Nam, *furit reperire*, vehemens quidem, & illustre, & euidentiæ plenum loquendi genus est; sed Latinis non vsitatum. est autem Euripidis, apud quem in Phœnissis, is qui enarrat, quemadmodum mutuis se ictibus Eteocles & Polynices interfecerint, ita eos mox pugnaturos describit:

Nuntius Act. 4.

Ἔσταν δὲ λαμπρῷ, χρῶμά τ' οὐκ ἠλλαξάτην,
Μαργῶντ' ἐπ' ἀλλήλοισιν ἱέναι δόρυ.

Id est:

Steterunt corusci, vultu eodem, quo prius,
Hastam furentes mittere alter in alterum.

neq; non illud ἑλληνίζει, quod meliorem patre dixit, cũ significet fortiorem. ita enim Græci κρείττονα, aut ἀμείνονα. vt, Μηδ' ἔθελ' ἐξ ἔριδος σεῦ ἀμείνονι φωτὶ μάχεσθαι. & ipse alibi, *Ceruus equũ melior*, vbi etiam minorem dixit, qui vinceretur: id est τὸν ἥττονα.

1. epist. 10.

Breuitatem & obscuritatem aptam esse ad terrorem inferendum, aliquot exemplis confirmatum.

CAPVT XVII.

BReuitas loquendi, & sermonis obscuritas imperiosum quiddam habet: ideoque aptissima est minantibus vtraque, vnicuiq; prodest, ad animos eorum quibuscum agimus, perterrefaciendos. nam, vt in tenebris magis timẽtur omnia, quam in luce: sic illæ orationis quasi tenebræ terribiliora reddunt ea, quæ proponuntur. Idq; vt opinor, secuti sunt Lacedæmonii, cum ad Philippum ita scripserunt: *Lacedæmonii Philippo. Dionysius Corinthi.* Multo enim fortior, &, vt Lucretii verbo vtar, penetralior illa breuitas fuit, quam si ita dixissent; Dionysius, cum aliquãdo præpotens tyrannus fuerit, vti tu es, nunc tamen regno exutus priuatam Corinthi vitam agit. Vide, ne, dum aliorum libertatem studes opprimere; idem tibi quoq; contingat. quæ iam non deterrere, sed admonere cupientium fuisset oratio. Neque dissimile illud Demetrii ad Locrenses: *Faxo cicadæ apud vos humi canant*: cum significaret, totam a se illorum regionem deuastatum iri. Ateas quoq; Scytharum rex hanc olim epistolam ad Byzantinos misisse

Plutarchus de garrulitate.

Stesichoro tribuit Arist. 2. rhet. Dionysio Demetrius Phal.

misisse fertur: *Nolite vectigalibus meis detrimento esse, ne equa mea ad vos aquatum eant.* Idanthuras autem, qui & ipse Scythis regio imperio præfuit, multo etiam obscurius nam ad Darium, qui Istrum traiecerat, literas quidem, quibus ei minaretur, misit nullas, sed pro literis symbolum hoc: *murem, auem, sagittam, aratrũ.* Cumq; hæc in Darij castris alius aliter interpretaretur: Orontopagas tribunus militum censuit significari, eos omnium rerum deditionem esse facturos domorum: hoc murem innuere. aquarum, aeris, armorum, regionis: harum symbola esse, ranam, auem, sagittam, aratrum. At Xiphodres longe alio modo interpretatus, Nos verò, inquit. quantum hæc symbola ostendunt, nisi aut terram subeamus, vt mures: aut aquam, vt ranæ: aut euolemus, vt aues: non effugiemus ipsorum tela. neq; enim terræ, quam ipsi arant, domini sumus. Hoc Pherecydem Syrum narrare, ait Clemẽs Alexandrinus. Herodotus autem in Melpomene hanc ipsam historiam aliquanto aliter narrat. *Lib 3. Stromateon.*

Locus Virgilii aliter, quam a Seruio & Macrobio expositus.

CAPVT XVIII.

EXcessere omnes, adytis, arisque relictis, *2. Æneid.*
Di, quibus imperium hoc steterat. *ver. 351.*

Hos versus, qui ab Ænea in secũdo Æneidos proferuntur. Seruius, & post eum Macrobius referẽdos censuerunt ad veterẽ quandam Romanorum consuetudinem qui, cum obsiderent vrbem hostium, eamq; iam capi posse confiderent, certo carmine euocarent tutelares illius deos: quod aut aliter vrbem capi posse non crederent: aut, etiam si posset, nefas existimarent, deos habere captiuos. *3. Saturn. cap. 9.* Ego autem: cum iis, qui hanc opinionem sequuntur, nõ sane contenderim. nam & ratione satis probabili nixa est, & a bonis auctoribus profecta. neque non tamen hanc veriorem & simpliciorem puto: ea nocte, qua capta est Troia, visos esse deos Æneæ, exeuntes e templis, & simulacra sua asportantes. Solitas certe a diis suis deseri eas ciuitates, quæ mox in hostium potestatem venturæ essent, aut saltem eam fuisse veterum opinionem, ostẽdit Æschylus, apud quem Eteocles offensus superstitione mulierum, quæ vagantes per templa, in tanto ciuitatis periculo, implebant omnia clamoribus, iubet eas id modo optare ac precari, vt turris ciues ab armis hostium protegat. quem cum illæ iterum rogassent, vnde eam id, nisi a diis, futurum putaret: respondens ille, quasique illudens, ait, vulgo dici solitum, excedere deos, cum vrbs aliqua capitur. Versus hi sunt e fabula, quæ inscribitur ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις.

Ετ. Πύργον στέγειν εὔχεσθε πολεμίων δόρυ. *Pag. 79.*
Χο. Οὐκοῦν τάδ' ἔσται πρὸς θεῶν; Ετ. ἀλλ' οὖν θεοὺς *edit. H. S.*
Τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεως ἐκλείπειν λόγος;

quem in locum scholiastes ait, id cõtigisse Troianis Αἰνείᾳ, inquit, ὅτι ὅταν ἔμελλε πορθηθῆναι ἡ Τροία, ἐφαίνοντο οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶ ἀπελθόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν. Æneam autem propter singularem ipsius pietatem, eos potius, quam cuiquam alii, apparuisse, credibile est. Sic & Tyriorum multis, cum Tyrum Alexander Philippi filius obsideret, visus est in somnis Apollo dicere, se ad Alexandrum abire: non enim sibi placere, quæ in ciuitate fieret. neq; ita multo post capta est Tyrus.

Q. Curtius lib. 4.

Illustratus Platonis locus ex Alcibiade primo.

CAPVT XX.

VRbano & eleganti artificio vsus est Socrates ad reprimendũ Alcibiadis fastum, in eo dialogo, qui inscribitur Alcibiades primus. nam cum sibi persuaderet adolescens ille, (quod eius ætatis esse ingenium solet) abunde iam instructum esse se iis omnibus rebus, quæ ad administrandam remp. pertinerent, blande aggressus hominem Socrates paulatim interrogando eo perduxit, vt ex ipsius respõsionibus aperte efficeretur, eum nullam esse adhuc iusti, & iniusti scientiam cõsecutum. cumq; ægre ferret quodammodo Alcibiades, & indignaretur, quod inscientiam sibi exprobrari putaret: purgat se Socrates, affirmatque, se nihil prorsus tale in eum dicere: ipsum esse Alcibiadem, qui de se fateretur. Ita autem loquitur: τὸ τοῦ Εὐριπίδου ἄρα συμβαίνει, ὦ Ἀλκιβιάδη. σὺ τάδε κινδυνεύεις, ἀλλ' οὐκ ἐμοῦ ἀκηκοέναι. οὐδ' ἐγώ εἰμι ὁ ταῦτα λέγων, ἀλλὰ σύ. ἐμὲ δὲ αἰτιᾷ μάτην. Vsuuenit, inquit, nobis, o Alcibiade, id quod ait Euripides periculum est, ne tu ex teipso hæc, non ex me, audias: neque ego sum huius sermonis auctor sed tu. me autem frustra incusas. Quæ verba, si quis forte auet scire, quem ad locũ Euripidis referantur: legat Hippolytum coronatum. ibi enim hos versus reperiet:

Act. 1.

Τρ. Τί φής; ἐρᾷς, ὦ τέκνον; ἀνθρώπων τίνος;
Φαι. Ὅστις ποθ' οὗτός ἐσθ' ὁ τῆς Ἀμαζόνος.
Τρ. Ἱππόλυτον αὐδᾷς; Φαι. σοῦ τάδ', οὐκ ἐμοῦ κλύεις.

M. ANTONII MVRETI AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDInalem amplissimum & illustr.

VARIARVM LECTIONVM Liber Sextus.

De praenotionibus, quibus scientiarum omnium principia debentur. explicatum & correctum principium posteriorum analyticorum Aristotelis.

CA-

Digitized by Google

CAPVT I.

EOrum, quæ ab hominibus aut discuntur, aut docentur, nonnulla eiusmodi sunt, vt plane nullam mentis agitationem requirentia, sensu prope nitantur vno: alia, in quibus motus quasi quidam mentis necessarius est, progredientis ex vno in aliud, viamque sibi paulatim ex aliis ad alia munientis. etenim vbi quis, exempli caussa, saltare discit, nullo ad eam rem mentis motu indiget: tantum opus est, vt quod magistrum facientem viderit, id ipse quoque imitari studeat, & ea, quæ videt, in memoria infigere: vt, cum volet postea, etiam sine doctoris opera, eodem modo atque ordine corpus mouere possit. iis autem in rebus nullum omnino mentis esse munus, vel ex eo intelligi potest, quod talia etiam bestiæ discunt: quodque in hominum genere non minus sæpe tardo & hebeti, quam celeri, & acuto præditis ingenio, talium artium præstantiam contingere videmus. ac cum illa philosophię, vt ita dixerim, progymnasmata dicimus, quę, propter perfectionem, commune disciplinarum nomen effecerunt suum: multoq; magis, cum ad illam ipsam bonorum omnium parentem philosophiã accedimus: ibi vero cernitur & exercetur illa vis, quam Græci, quorum fuit & doctrina maior, & verborũ copia vberior, διάνοιαν, vulgares sapientiæ magistri, non vsitato veteribus, magis quam ad rem exprimendam non apto vocabulo, discursum nominarunt. Quod vtinam venisset in mentem priscis illis Latini sermonis auctoribus, aut hoc ipso vti, aut aliud nobis quo vteremur tradere: simulque alia quãplurima procudere, quorum ope philosophia Latinis literis explicari commode posset. præstiterat, aliquid diligentiæ, sine fuco, & sine pompa, conferre ad eam rem, quam stultos illos non modo ante victoriam, sed prope ante pugnam pæanas canere: & tam sæpe gloriari, ac clamare, victam a se etiam verborum copia Græciam: cuius ipsi lautam illam ac copiosam supellectilem nõ modo adæquare, sed ne contemplari quidem satis atque inspicere potuissent. sed profecto ita est, vt dicam; nulli vnquam, qui res ignorarent, nomina, quibus eas exprimerent, quæsierunt. beati autem illi, & opulenti, & omnium gentium victores Romani in petendis honoribus, & in prensandis ciuibus, & in exteris nationibus verbo componendis, re compilandis occupati; philosophandi curam seruis, aut libertis suis, & Græculis esurientibus relinquebant. ipsi, quod ab auaritia, quod ab ambitione, quod a voluptatibus reliquum erat temporis, eius si partem aliquam aut ad audiendum Græcum quempiam philosophum, aut ad aliquem de philosophia libellum vel legendũ, vel scribendũ contulissent, iam se ad eruditionis culmen peruenisse, iam victam a se, & profligatam iacere Græciam somniabant. sed nos, eis omissis, pergamus id exsequi, de quo dicere institueramus. Est igi-

tur quædam διδασκαλία τε καὶ μάθησις διανοητική: quædam in quâ τῆς διανοίας nullum munus, nullum officium est. ad hanc nullius rei necessaria est prænotio. illa perfici, nisi antecepta aliqua, & antegressa notione, non potest. e perceptis enim quibusdam, & cognitis rebus moueatur ἡ διάνοια, necesse est: & ex iis ad alia, quæ nondum etiam cognita sunt, feratur. atque id caussæ est, cur summus magister, Aristoteles, principio libri tertii Analyticorũ scripserit, omnem διδασκαλίαν, & omnem μάθησιν, quæ quidem sit διανοητική, effici & existere ex anticipata notione. Atque id in Geometria, ceterisque mathematicis facillime perspici potest. etenim quem, quæso, ordinem tenent, qui eas docent? num acceptum auditorem confestim deducunt ad ea, in quibus vi & facultate τῆς διανοίας opus est? minime vero: sed primum tradunt finitiones, postulata, communes sententias: quæ omnia sine vllo (vt ita dicam) discursu mens apprehendit. tum demum veniunt ad theoremata, & ad problemata, in quibus iam ἡ διάνοια ἐνεργεῖ: quod facere nunquam posset, nisi ea, quas diximus, notiones antecessissent. Semper enim (id quam Græce, quo dici melius) τῇ τῆς διανοίας ἐνεργείᾳ ἡ νοῦς, ἢ αἰσθήσεως συνῆπται. Neque non idem in ceteris artibus fieri videmus. etiamque tum qui syllogismo, tum qui inductione ad aliquid probandum vtuntur, eandem viam tenent. illi enim sumunt τὸ καθόλου, tanquam notum & exploratum iis, quibuscum verba faciunt: hi e singulis rebus quæ notæ sint ei, quo cum disputant, probant τὸ καθόλου. eademque apud rhetoras exemplorum & enthymematum ratio est. Duo sunt autem genera prænotionum. nam & quæ sit cuiusque vocabuli vis, præcognitum esse oportet, antequam accedas ad vllam διδασκαλίαν διανοητικήν, &, quæ ponuntur in disputando vt ea esse præcognoscatur, necesse est. duæ igitur prænotiones: τὸ τί τὸ λεγόμενον, καὶ ὅτι ἐστί, quarum aliis in rebus altera tantum necessaria est, in aliis vtraque. Iam poterat ex iis, quæ dicta sunt, dubitatio quædam exoriri. Si enim discere, est cognitionem alicuius rei assequi, quomodo fieri potest, vt e præcedenti cognitione nat μάθησις? quid autem opus est doceri id, quod iam antea prænoueris? ad hanc dubitationem eximendam, ait Aristoteles. Ἔστι δὲ γνωρίζειν, τὰ μὲν πρότερον γνωρίζοντα, τὰ δὲ καὶ ἅμα λαμβάνοντα τὴν γνῶσιν id est, fieri autem potest, vt aliquis γνωρίζει id, quod partim prius ἐγνώριζε, partim eius eo ipso tempore λαμβάνων τὴν γνῶσιν. Scio autem hæc verba longe aliter ab omnibus interpretibus accipi. quorum si sententiam probarem caussa non erat, cur his de rebus verbum facerē. Nunc, recte an minus, alii viderint: certe quidem ab eis toto, vt dicitur, cœlo dissentio Τὰ μὲν, & τὰ δὲ, accipio, vt in illo e libro primo De arte dicendi: τὰ μὲν, δι' ἄγνοιαν δοκοῦσι τὰ δὲ, δι' ἀλαζονείαν, τὰ δὲ καὶ δι' ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς. Ac quamuis posteriore loco vulgo legitur, τοῖς δὲ, tamen in quibusdam vetu-

stis libris, eam, quam ipsi efferimus, scripturam fuisse, vel de Philopono cognosci potest. neq; non libentius, pro γνωρίζοντα, legerem γνωρίσαντα. sed tamen nihil refert. Non est igitur absurdum, etiam si quis dicatur discere id, quod antea quodammodo sciebat. sed si diceretur eodem modo discere quo antea sciuerat: id demum absurdum esset. quod Aristoteles ipse his verbis exprimit. ἄτοπον γὰρ οὐκ εἰ οἶδέ πως ὃ μανθάνει, ἀλλ' εἰ ᾗδε, οἷον ᾗ μανθάνει, καὶ ὥς. ita enim legenda illa sunt, non, vt vulgo leguntur. idq; etiam de illa rudi & inculta, sed fideli vetere tralatione cognoscitur. Etenim fieri potest, vt quis vniuerse sciat, omnia frigida habere vim ad inducendum somnum, qui tamen papauer aut lactucam eius generis esse nesciat. Is cum de eorum alterutro idem γνωρίσῃ, discet id, quod quodammodo antea sciuerat. quod enim de toto genere scitur, etiam de qualibet parte scitur: sed tamen ita distincte ac definite nesciuerat. Ergo τὰ μὲν πρότερον ἐγνώρισεν, τὰ δὲ καὶ ἅμα λαμβάνων τὴν γνῶσιν. Sic quoque qui didicit finitiones, postulata, communesque sententias, a quibus exorditur Euclides: is cum postea discit, Super proposita linea recta triangulum æquilaterum constitui posse; discit id, quod quodammodo præsciuerat. nam ex illis hoc efficitur. & qui nouit principia, nouit quodammodo conclusionem. non tamen discit. ἢ καὶ ὡς ἐγνώκει, sed distinctius & enucleatius, Non autem in omnibus, quæ discuntur. διὰ τοῦ μέσου τὸ ἔσχατον γνωρίζεται. imo vero sunt quædam, quæ ἀμέσως cognoscuntur: vt principia, & ea, quæ sub sensum cadunt. Mentis enim & sensus ἀμέσως cognitio est. Aristoteles eo loco ponit tantum exemplum ἐν τοῖς καθ' ἕκαστα: sed de principiis idem alibi docet. Cum autem vulgo legatur, ὅσα εἴδη τῶν καθ' ἕκαστα τυγχάνει ὄντα, non εἴδη legendum est. sed ἤδη, vt & vetus interpres legit, in quo falsi sunt ii, qui se disertos, quam intelligentes, haberi maluerunt. His autem de rebus disputauerat etiam Aristoteles eo libro, qui proxime antecesserat ἐν τῷ περὶ τῆς καθ' ὑπόληψιν ἀπάτης. Hæc iudicari cupio ab hominibus, & Græcæ linguæ intelligentibus, & re, non verbo, philosophis. ἀγροῖκοι & ἄμουσοι, quomodo accepturi sint, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

Axiomata quomodo Latine vocanda sint.

CAPVT II.

INepte faciunt, qui ἀξιώματα dignitates vocant: cuius prauæ consuetudinis Hermolaus Barbarus auctor fuit. neq; nego ἀξίωμα interdum idem valere, quod dignitatem; sed nihil hoc ad ea, de quibus agimus, axiomata. neq; minus ineptiunt, qui proloquia vocant, aut pronuntiata: in quorum tamen posteriore Ciceronem se habere auctorem putant, sed falluntur. Nam Cicero hanc vocem, ita vt a Stoicis accipiebatur, interpretatus est, qui axioma vocabant, quamlibet enuntiationem id est, ἀπόφανσιν. id quod Laertius docet. at si quis eo modo ἀξίωμα accipiat, tum sane vel pro-

nuntiatum, vel, si volet. proloquiũ dicat. Apud Aristotelem quidē & mathematicos alia huius vocabuli vis est. qui, vt notum est, axiomata vocant communes quasdam sententias, quæ non tantum veræ sunt, sed etiam veræ omnibus videntur. Verbum autem ἀξιοῦν, sæpe apud Græcos, sine vlla dignitatis aut indignitatis significatione, idem valet, quod existimare ac sentire. Inde igitur ἀξιώματα, ὅτι πάντες οὕτως ἀξιοῦσιν. vnde & κοιναὶ ἔννοιαι vocantur. Aut igitur vocem Græcam retinuerim, aut sententias potius, quā vel pronunciata, vel proloquia, vel dignitates dixerim.

Comparatione quadam Lucretiana vsus etiam Themistius ostenditur.

CAPVT III.

NOta est comparatio, qua vsus est Lucretius, cum se idem facere dixit, quod medicos: qui amaram aliquam potionem pueris dare cupientes,

Lib. 1. *——prius oras pocula circum*

Contingunt dulci mellis flauoq; liquore.

Videtur autem ea fuisse etiam apud Græcos celebris. Themistius quidem certe ea vtitur: quem verisimile est eam ex aliquo vetustiore sumsisse. Nam in oratione, qua Nicomedenses ad philosophiam exhortatus est: Imitandi sunt, inquit, nobis sapientiores medici: qui pharmaca ea, quæ amariora sunt, circumlito prius melle poculo, bibenda præbent. μιμητέον ἡμῖν τοὺς σοφωτέρους τῶν ἰατρῶν, οἳ τὰ πικρότερα τῶν φαρμάκων, μέλιτι τὴν κύλικα περιχρίσαντες, πίνειν διδόασι.

Vt multas alias diphthongos, quæ nunc vsurpari desierunt, ita oi pro œ, apud veteres fuisse, emendatus Plauti locus.

CAPVT IV.

MVltis vsos diphthongis veteres, præter eas, quibus hodie vtimur, constat. nam & Fourios dicebat pro Furiis, & Paitos ac Aimilios, pro Pætis & Æmilus, & de Sabineis triumphasse Tarquinium, de Etrusceis Ser. Tullium, in veteribus monumentis legimus. Quinetiam vt *ai* pro *æ*, sic *oi* pro *œ* interdū scribere, vt opinor, solebat. itaq; apud Plautum in Menæchmis *proilium*, & *proilio*, in veteribus libris scriptum animaduerti, pro eo, quod nunc prœlium, & prœlio scriberemus. Versus hi sunt, quib' Erotii meretricis cum parasito Peniculo, & cum Menæchmorum fratrum altero colloquium quoddam continetur.

Menach. Sc. Anime mi. *ER. Anime mi, Menæchme salue. PE quid ego? ER extra numerum es mihi.*

PE. Istud idem aliis ascriptiuis fieri ad legionem solet.

ME. Ego istic mihi hodie apparari iussi apud te proilium,

Hodie vt fieret. in eo vterq; proilio potabimus.

hoc qui non intellexerant, priore loco discesserunt a vetere scriptura,

ptura, & fecerunt, *prælium*: posteriore autem, vnam vocem diſcerpſerunt in duas, & ſcripſerunt, *pro Ilio*. quod qui ad Troianas pugnas retulerunt, etſi eis plurimum tribuo, adduci tamen, vt ipſis aſſentiar, hac quidem in parte non poſſum.

Dominos, niſi cupiditatibus ſuis imperent, ne ſeruis quidem ſuis imperare poſſe.

CAPVT V.

QVibus in domibus aut paterfamilias, aut materfamilias nequiter libidinoſeque viuat, in eis ſeruos non eſſe ſeruos, neque communi conditione ſeruitutis vti, ſed liberius licentius, diſſolutius viuere, & quotidiana docet experientia, & M. Tullius in Cœliana defenſione grauiſſime ac ſapientiſſime dixit. ſerui enim, vt alicubi falſiſſimus vrbaniſſimuſque ſcriptor poſuit Lucianus, omnium conſcii ſunt, quæ a dominis aut pulcre, aut turpiter fiunt. quocirca qui ea deſignant flagitia, quæ latere atq; occultari expediat, ii, tantum abeſt vt metuantur a ſeruis, ipſimet metuunt ſeruos: vtpote quos neceſſario habeant aſſiduos ſuorum facinorum teſtes. Hoc igitur argumento vſus eſt Cicero, vt doceret, veriſimile non eſſe, M. Cœlium cum Clodiæ ſeruis conſilium de veneno ei præbendo communicaſſe. Lyſias quoque in Oratione, quam ſcripſit ei, qui ſacram oleam incidiſſe arguebatur, hoc ipſo eum argumento vtentem fecit: nunquam auſurum fuiſſe ſe id facinus committere, cum & conſcios eius ſeruos adhibere oporteret, & ipſe eo perpetrato, non ſeruos eos poſtea, ſed dominos habiturus eſſet: neque vllo modo auſurus in eos animaduertere, quicquid illi tandem feciſſent. πῶς οὖν, inquit, οὐκ ἂν ἦν ἀθλιώτατος ἀνθρώπων ἁπάντων εἰ τοὺς ἐμαυτοῦ θεράποντας, μηκέτι δούλους ἔμελλον ἕξειν, ἀλλὰ δεσπότας τὸν λοιπὸν βίον, τοιοῦτον ἔργον συνειδότας; ὥστ' εἰ καὶ τὰ μέγιστα εἰς ἐμὲ ἐξημάρτανον, οὐκ ἂν οἷόν τε ἦν, δίκην με παρ' αὐτῶν λαμβάνειν. εὖ γὰρ ἂν εἴδειν, ὅτι ἐπ' ἐκείνοις ἦν καὶ ἐμὲ τιμωρήσασθαι, καὶ αὐτοῖς μηνύσασιν ἐλευθέροις γενέσθαι. Miſerrima igitur eſt impure ac turpiter viuentium conditio, quibus ad cetera damna illud etiā accedit, vt in quos imperium exercere debuerant, eos reuereri ac metuere adigantur.

Homerum & Æſchylum Athenienſes, Tyrtæum Lacedæmonii quo honore affecerint.

CAPVT VI.

HOmeri poemata quanti fecerint Athenienſes, quamq; vtilia eſſe ad inflammādos honeſtatis ac dignitatis amore animos iudicarint, hinc exiſtimari licet: quod legem tulerunt, vt quinto quoque anno in Panathenæis, eius vnius ex omni poetarum numero carmina publice canerentur. ita enim cogitabant, leges præcipere quidem, quid faciendum, fugiendumq; ſit, ſed propter breuitatem, non docere: at poetas, qui vitam hominum imitan-

tes, res præclare ac fortiter gestas, copiose exposuerent, easq; propemodum ante oculos constituerent, aptiores esse ad persuadendum. Similem autē honorem habuerunt Lacedæmonii Tyrtæo. cum enim ceteroqui a poeticis studiis alieni essent, neq; poetarū cantus libenter audirent, lege tamen constituerant, vt quoties cum hostibus dimicaturus in procinctu constitisset exercitus, cōuocarentur milites in tabernaculū regium: ibiq; audiendis Tyrtæi carminibus ad spernendam pro patria vitam incitarentur. Æschylo quoq; idem prope honos a populo Atheniensi tributus est. vnius enim ex omnibus tragicis fabulæ, ipso etiam mortuo, vt docerentur, decreto publico statutum erat.

Illustratus locus ex Aristotelis categoriis.

CAPVT VII.

ARistoteles in extremo libro Categoriarum cum docuisset multis modis *habendi* verbum accipi, addit: λέγεται δὲ ἔχειν καὶ ἀνὴρ γυναῖκα ἔχειν, καὶ ἡ γυνὴ ἄνδρα. Quid autem illud sit, cum vir mulierem, aut mulier virum habere dicitur: id, quia vulgo non satis intelligi video, explicabo. Is ergo mulierem quampiam habere dicebatur, aut qui eam vxorem duxerat, aut etiam cui illa dicto audiēs erat, qui ad eam, pro suo iure, cum volebat, ventitabat, eaque ad arbitrium suum fruebatur. atq; ita dictum est olim ab Aristippo, ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. & apud Lucianum: Τὴν ἑταίραν Θαΐδα τὴν Ἀχαρνικὴν, ἣν πάλαι μὲν Ἀβρώνιος εἶχε, μετὰ δὲ πρόσθεν ἐμοῦ, οἶσθα; neque non Latini idem eodem verbo indicabant. vt Cicero, qui illud voluptarii philosophi dictum, quod modo memorauimus, ita extulit: *Sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, cum esset obiectum, habere eum Laida. habeo, inquit, non habeor.* Græce hoc melius. tu, si voles, interpretabere. Nam illum Ciceronis locum, vt hoc ὁδοῦ πάρεργον admoneam, ita legendum iudico: & quas omisi voces, glossas esse. neq; alio sensu dictum est a Terentio:

Andria Act.1.sc.1.

——bonus puer,
Dic sodes quis heri Chrysidem habuit?

ad eandem etiam rem exprimendam *ductandi* verbo vtebantur. vt enim ductat exercitum is, cui paret exercitus: ita ductare mulierem dicitur is, cui illa obtemperat, morigeraq; est in rebus omnibus Plautus,

Asinaria sc. Vnūquodq.

Solus solitudine ego ted atq; ab egestate abstuli.
Solus si ductem, referre gratiam nunquam potes.
Solus ductato, si semper solus, quæ poscam, dabis.

Et eodem modo Terentius:

Phormione Act.7.sc.2.

Vt phaleratis dictis ducat me, & meam ductet gratis?

atque ita intelligendum est illud Fabii libro octauo: *Ductare exercitum, & patrare bellum, apud Sallustium dicta sancte & antique, ridentur a nobis, si diis placet.* Nam de illo altero verbo in Catul-

lum diximus. Sed & idem significantes, mulierem cum aliquo esse dicebant Plautus.

Mane, mane, audi. dic quid me aequũ censes pro illa tibi dare, Annum, hunc ne cum quiquam alio sit? *Asinar. Sc. Vnũque iq.*

Idem:

Diabolus filius Nicoli Claretae
Lenae dedit dono argenti viginti minas, *Eadem sc.*
Philaenium ut secum esset noctes & dies, *Agedũ istũ.*
Hunc annum totum.

Graeci autem συνεῖναι saepius, ut videtur, περὶ τῆς ὁμιλίας αὐτῆς, hoc est, de ipsa corporum commistione accipiebant. nonnunquam tamen aliter. ut, ὁ μὲν ἡλικιώτης σοῦ χαρμίδης, ὁ δὲ χαίτιος Ἀρχεστράτου ἤδη γαμεῖ ἤδη, καὶ σωφρονεῖ. σὺ δὲ μέχρι τίνος ἑταίρᾳ συνεῖ; Neque non Aristoteles ipse significauit, se hoc, quod dico, intelligere: sed tecto verbo, & pudoris ac verecundiae pleno. subiunxit enim, ἤδη γὰρ ἔοικε τὸ ἔχειν γυναῖκα σημαίνεσθαι, ἢ ὅτι συνοικεῖ. nam συνοικεῖν si quis hoc loco idem valere putat, quod in iisdem aedibus degere, ac non illud potius ipsum, quod supra dixi περὶ τοῦ ἔχειν, fallitur. ita enim eos hoc quoque vsos esse constat. Hippocrates, περὶ παρθενίων. Κελεύω δὲ ἔγωγε τὰς παρθένους, ὁκόταν τι τοιοῦτο πάσχωσι, ὡς τάχιστα ξυνοικῆσαι ἀνδράσιν. Andocides, καὶ συνῴκει ὁ πάντων σχετλιώτατος ἀνθρώπων τῇ μητρὶ καὶ τῇ θυγατρί. Lucianus. Θεῶν κρίσει. Δοκεῖ τις καὶ τῷ συνοικεῖν Ἰδαία γυνή. & Laertius in Aristippo, πρὸς τὸν αἰτιώμενον ὅτι ἑταίρᾳ συνοικεῖ ἆρά γε, εἶπεν, μή τι διενήνοχεν οἰκίαν λαβεῖν, ἐν ᾗ πολλοί ποτε ᾤκησαν ἢ μηδείς; id autem, quod vocauerat συνοικεῖν, paulo infra vocat συνεῖναι.

Correcti loci duo e primo libro Topicorum. Item alius e quinto Ethicorum.

CAPVT VIII.

Libro primo De arte Dialectica, quae Topica vocantur, ita scriptum est: Ἕξομεν δὲ τελείως τὴν μέθοδον, ὅταν ὁμοίως ἔχωμεν, ὥσπερ ἐπὶ ῥητορικῆς καὶ ἰατρικῆς καὶ τῶν τοιούτων δυνάμεων. τοῦτο δέ ἐστι τὸ ἐκ τῶν ἐνδεχομένων ποιεῖν ἃ προαιρούμεθα. semper autem mihi suspectus fuit is locus: neque vnquam aliter mihi persuadere potui, quam totum illud, τοῦτο δέ ἐστι τὸ ἐκ τῶν ἐνδεχομένων ποιεῖν ἃ προαιρούμεθα, inducendum esse: neque scriptum ab Aristotele, sed temere inculcatum ab aliquo imperito. nullus enim iis verbis videtur subesse sensus: etsi non sum nescius, quomodo ea vulgo accipi soleant. sed qui purgatas aures habent, facile mihi hoc, vt spero, assentientur. Neque leue argumentum ad hanc coniecturam firmandam putari debet: quod vetus Latinus interpres facit a me; illaque verba omnino non agnoscit. nam constat, eum & expressisse, si non eleganter, fideliter quidem certe, omnia quae repererat: & vsum libro, ἀμήχανον ὅσον, meliore & emendatiore iis omnibus, qui nunc circumferuntur. Alexander

quoque aut quisquis est Græcus ille, qui commentarios scripsit, nullo modo ea videtur agnoscere. quod me magis, vt in sententia permaneam, facit. Sed & paulo infra, eodem modo peccatum est. vbi enim vulgo legitur: ἔστι δὲ ἀριθμῷ ἴσα καὶ τὰ αὐτὰ ἐξ ὧν τε οἱ λόγοι καὶ περὶ ὧν οἱ συλλογισμοί. γίνονται μὲν γὰρ οἱ λόγοι ἐκ τῶν προτάσεων, περὶ ὧν δὲ οἱ συλλογισμοί, τὰ προβλήματά ἐστι: ibi ergo neminem, qui Aristotelicam dicendi rationem calleat, dubitaturum puto, quin præstet ita legi: ἔστι δὲ ἀριθμῷ ἴσα, καὶ τὰ αὐτὰ ἐξ ὧν τε οἱ λόγοι καὶ περὶ ὧν γίνονται. μὲν γὰρ ἐκ τῶν προτάσεων, περὶ ὧν δὲ τὰ προβλήματά ἐστι. λόγοι autem nomine & syllogismos intelligit & inductiones. eodem prope modo memini, correctum esse a me iampridem locum quendam e quinto Νικομαχείων: qui vulgo ita legitur: ὁ δ' ἄδικος οὐκ ἀεὶ τὸ πλέον αἱρεῖται, ἀλλὰ καὶ τὸ ἔλαττον ἐπὶ τῶν ἁπλῶς κακῶν. ἀλλ' ὅτι δοκεῖ καὶ τὸ μεῖον κακὸν ἀγαθόν πως εἶναι, τοῦ δ' ἀγαθοῦ ἐστιν ἡ πλεονεξία, διὰ τοῦτο δοκεῖ πλεονέκτης εἶναι. ἔστι δ' ἄνισος. τοῦτο γὰρ περιέχει, καὶ κοινόν. καὶ παράνομος. τοῦτο γὰρ, ἡ παρανομία ἤτοι ἡ ἀνισότης, περιέχει πᾶσαν ἀδικίαν, καὶ κοινόν ἐστι πάσης ἀδικίας. ego autem legendum censeo: ἔστι δ' ἄνισος, καὶ παράνομος. τοῦτο γὰρ περιέχει καὶ κοινόν ἐστι. cetera verba, iis admissa, delenda esse. In quo quid librarios deceperit, non est difficile coniicere hominibus in hoc genere exercitatis. Hanc correctionem a me acceptam, Dionysius Lambinus, vir acutissimo ingenio, acerrimoque iudicio praeditus, retulit in scholia in eos libros sua. nisi quod, cum meam sententiam exponeret, verba illa, πᾶσαν ἀδικίαν, & πάσης ἀδικίας, reliquit, quæ mihi vel maxima caussa fuit, hoc quoque loco testificandi, quid sentirem. non tantum enim existimo, e glossematis illa fluxisse, verum etiam e falsis & ineptis glossematis. nam verba illa περιέχει καὶ κοινόν ἐστι, si quis attente consideret, non πρὸς πᾶσαν ἀδικίαν, sed πρὸς τὸ πλέον, καὶ πρὸς τὸ ἔλαττον referenda sunt.

Videri Plautum dixisse rem voluptatum eodem plane modo, quo Græci dicerent, τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν.

CAPVT IX.

REm *voluptatum*, pro ipsis voluptatibus dixisse videtur Plautus in Amphitruone: vbi Alcumenam ita loquentem facit:

Satin' parua est res voluptatum in vita atq. ætate agunda
Præ quod molestum est? cuique hominum in ætate ita comparatum est,
Ita dis est placitum, voluptati vt mœror comes consequatur.

Sc. Satin' p.

quod si est, haud facile dixerim, vbi præterea in tota lingua Latina hoc loquendi genus reperiatur. sed videri potest sumtu a Græcis. illi enim plane ita dicerent, τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν. Ita locutus est Euripides in Phœnissis:

Antigona. Act. 1.

φιλόψογον γὰρ χρῆμα θηλειῶν ἔφυ.

qui

qui tamen versus ab imperitis deprauatus, ita vulgo legitur,

φιλόσοφον γὰρ χρῆμα θηλειῶν γένος ἔφυ.

ſed vocem, γένος, delendam eſſe, & lex carminis indicio eſt, & a ſcholiaſte facile colligitur. Ita etiam Xenophon libro ſecundo παιδείας: Τὸν Ἀρμενίων δὲ Μάρδαγον, ἱππέας τε εἰς μυρίους, καὶ ἅρματα εἰς ἑκατὸν, ὅ σφενδονητῶν παμπολὺ τὸ χρῆμα. & Herodotus libro tertio: πολλὸν τὸ χρῆμα τῶν ὀφίων ἐκλείπουσι. & Ariſtophanes Pluto, Sycophanta.

Πολὺ χρῆμά τι μαχῶν καὶ κενῶν ἀπηνθήμην.

& principio νεφελῶν, Scepſiades Prologo.

Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον

Ἀπέραντον ἔπειθ᾽ ἡμέρα γενήσεται;

quos verſus ita olim pueri interpretati ſumus, cum eam fabulam, exercitationis cauſſa, in Latinum ſermonem conuerteremus:

Rex Iupiter, quam immenſa res eſt noctium.
Nunquam ne pulſa nocte naſcetur dies?

De quodam Plautino ioco, itemque de loco quodam e Catone maiore Ciceronis diſputatum.

CAPVT X.

IOcatus eſt, vt ſolet, Plautus, cum in Pſeudolo ita cum lenone loquentem induxit coquum: Sc. forum coquinum.

Quia ſorbitione faciam ego te hodie mea,
Item vt Medea Peliam concoxit ſenem:
Quem medicamento, & ſuis venenis dicitur
Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum,
Item te ego faciam.

Neque enim Peliam Medea, ſed Æſonem e ſene iuuenem reddidit: cum autem recepiſſet, idem ſe facturam Peliæ; effecit, vt infelix ſenex natarum ſuarum manibus concideretur, quod ſi coquus ille item feciſſet iuuenem Ballionem, vt Medea Peliam fecerat; non ſane bonam, neque expetendam operam ei dediſſet. fieri etiam poteſt, vt perſonæ ſeruierit: & cum loquentem induxiſſet hominem ſordidum & abiectum, de induſtria perperā ab eo narrari veterem illam fabulam fecerit. Quod ſi Ciceronis etiam illud e Catone maiore ita legendum eſt (vt ſane legendum puto,) *Quo quidem me proficiſcentem haud ſane quis facile retraxerit: neve tanquam Peliam recoxerit:* nimirum tale aliquid hic quoq; cōminiſcendum eſt. nam aut decorum id, & conſentaneum Catoni credidit: quod & memoria vacillare γεροντικόν ἐστιν: & interdū habet aliquid grauitatis in magnis viris minus accurata fabularum, & talium rerum cognitio: aut hoc quoq; inter μνημονικὰ Ciceronis ἁμαρτήματα numerandum eſt.

Euripidem aliter, quam ceteros omnes, de Helena ſidere locutum.

CAPVT XI.

Cap. 37. DE sidere Helenæ non idem ab omnibus traditum est. Plinius quidem libro secundo naturalis historiæ, de eo, vt nauigantibus exitioso, locutus est. nam cum geminas illas flammas, quæ Castoris ac Pollucis esse putabātur, salutares ac prosperi cursus prænuntias esse dixisset: *Harum*, inquit, *aduentu fugari diram* Cap. 4. *illam ac minacem, appellatam Helenam ferunt*. Solinus quoq; cum exposuisset multa mala, quæ menstruus mulierū efficeret cruor: *Habet*, inquit, *plane id solū salutare, quod auertit sidus Helenæ perniciosissimum nauigantibus*. Papinius quoque idem de illis fulgoribus sentire se ostendit hoc versu:

Lib. 7. Thebaid.

——cum iam damnata sororis
Igne Therapnæi fugerunt carbasa fratres.

Quinetiam Franciscus Vicomercatus Aristotelis Meteorologica exponens, & cur Castor ac Pollux salutares essent, & cur diri ominis Helena, caussas, vt in eiusmodi re, satis probabiles reddidit. At Euripides tamen in Oreste salutarem eam nautis esse pronuntiat. Ita enim de ea Apollinem loquentem facit.

Act. 5.

Ζηνὸς γὰρ οὖσαν, ζῆν νιν ἄφθιτον χρεών.
Κάστορί τε, Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς
Σύνθακος ἔσται, ναυτίλοις σωτήριος.

Emendatus Plinii locus.

CAPVT XII.

Cap. 5. REdundare videtur vox, *voluptatibus*, apud Plinium libr. 14 vbi de natura vini agitur. cum enim vulgo ita legatur, *Prorsus vt vere dici possit, neq; viribus corporis vtilius aliud, neque aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit*: melior videtur fore sententia, si ea, quam dixi, vox deleatur. hoc enim dicet: immodico vino maxime debilitari corporis vires. quod & Lucilius dixerat his verbibus:

Lib. 30. Sat.

Scito etenim bene longinquum mortalibu' morbum
In vino esse, vbi qui inuitauit dapsilius se.

& Theognis:

Vers. 509.

Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακός. ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγαθός.

& Panyasis:

Ὡς οἶνος θνητοῖσι θεῶν πάρα δῶρον ἄριστον,
Πινόμενος κατὰ μέτρον, ὑπέρμετρος δὲ χερείων.

sed & libri testimoniorum pleni sunt, & exemplorum plena vita. illud tamen, *voluptatibus*. quod nos expungendum esse credimus, & Hermolaus, & Politianus agnoscunt.

Emendatus versus quidam Horatianus.

CAPVT XIII.

Od. 4. HOratii versus hi sunt e libro odarum tertio,

Testis mearum centimanus Gyas

Sententiarum notus, & integra
Tentator Orion Dianæ
Virginea domitus sagitta,

Eamque scripturam veteres Grammatici comprobant. qui etiam centimanum gigantem Briareum accipiunt. ego autem in quibusdam non contemnendæ auctoritatis libris scriptum reperio, non *gigas*, sed *Gyges*. & sane de Gyge illud etiã apud Ouidium legere memini:

Sphyngas, & Harpyias, serpentipedesq; gigantes, — 4. Tristium. Eleg 7
Centimanumq; Gygen, semibouemq; virum.

Hesiodus quoque Cœli & Terræ filios facit Cottum, Briareum, & Gygen, centenis singulos manibus, quinquagenis capitibus metuendos.

Ἄλλοι δ' αὖ γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἐξεγένοντο — Theogonia v. 147.
Τρεῖς παῖδες μεγάλοι καὶ ὄμβριμοι, οὐκ ὀνομαστοί,
Κόττος τε Βριάρεώς τε, Γύγης θ' ὑπερήφανα τέκνα.
Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο
Ἄπλαστοι, κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα
Ἐξ ὤμων ἐπέφυκον.

Sed & iampridem admonui, scriptum esse in quibusdam veteribus libris Gyas: meque de eo amplius quærendum putare. quamquam enim mihi nouum erat illud nomen: tamẽ ne eam quidem varietatem aut dissimulandam, aut cõtemnendam esse ducebam. Nuper ergo cum Apollodori bibliothecam, quæ tunc primum in meas manus venerat, percurrerem: in ipso statim principio hæc reperi: Οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς ἐδυνάστευσε κόσμου· γήμας δὲ γῆν, ἐτέκνωσε πρώτους τοὺς ἑκατόγχειρας προσαγορευθέντας, Βριάρεων, Γύην, Κοῖον. quæ verba ita reddidit Benedictus Ægius Spoletinus: Cœlus primus orbis vniuersi imperio præfuit. qui ducta vxore Tellure priores ex ea filios sustulit, quos Centimanos appellarunt, Briareum, Gyan, ac Cœum. quia & apud Hesiodum in iis, quos citaui, versibus, quædam optimæ notæ exemplaria non Γύγης habent, sed Γύης.

Correcti apud Ciceronem Ennii versus.

CAPVT XIV.

ENnii versus de Q. Fabio Maximo ita vulgo apud Ciceronem leguntur:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem. — Catone. e 12. Annal.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Ergo postq; magisq; viri nunc gloria claret.

Sed in multis veteribus libris eorum postremus ita scriptus est:

Ergo magisq; viri nunc gloria claret.

Vt valde verear, ne quis vt, versum, ad cuius mensuram aliquid deesse videbat, expleret, de suo addiderit illud, *postque* ego autem potius crediderim, illud, *magisque*, geminandum esse. non raro e-

nemne refugere sapiens debeat. nam si semper tam facundi ac diserti conuiuæ contingerent, quam illi sunt Platonici, tum fortasse non immerito talia omnia excluderentur: quod enim esse potest tam mirabile acroama, quod non collatum cum illorum sermonibus sordeat? quos equidem arbitror, si Apollinem vidissent ipsum cum lyra & plectro ingredientem, vno ore omnes oraturos fuisse, vt aut abscederet, aut ne cantu suo sermones abrumperet institutos. Et tamen, nisi valde fallor, non multo turpius fuisset, tibicinæ alicuius cantum audire, quam vel orationem Aristophanis, vel ea, quæ de Socratis temperantia ebrius Alcibiades, intemperantissime narrat.

Correctus locus e secundo De diuinatione.

CAPVT XVI.

Totas noctes somniamus: neq; vlla fere est, qua non dormiamus: & miramur aliquando id, quod somniauimus, euadere. Ciceronis hæc verba sunt e secundo libro De diuinatione, exagitantis va..itatem somniorum, & negantis, si quædam somnia euentus comprobet, ex eo effici, vt ne somnia pro somniis habenda sint. nam in tanta copia & varietate, magis mirũ foret, si nihil vnquam eorum, quæ per quietem videntur, eueniret. quanquam autem, vt ego Ciceronis verba recitaui, ita in omnibus, quos vidi, libris leguntur: tamen excuti hoc mihi non potest, quin deprauata illa, & ad hunc modum corrigenda sint: *Totas noctes dormimus: neq; vlla fere est, qua non somniemus: & miramur, aliquando id; quod somniamus, euadere?* Quod quidem ita mihi perspicuũ videtur, vt ne cõfirmatione quidem egeat, aliorum tamen iudicium facio.

Semiramis quo astu ad regnum peruenerit.

CAPVT XVII.

Vafra in primis & astuta ratione ad regnum ex humili & abiecta conditione peruenisse Semiramis dicitur. quæ historia cũ haud ita multis nota sit, neque Latinis, quod sciam, literis prodita, referetur a me ita, vt scriptam in Græcorum commentariis reperi. Aiunt igitur eam initio vernæ cuiusdam regii ancillam, ac concubinam fuisse. in quam cum aliquando incidisset rex Ninus forma ipsius & lepore captus, amare cœpit. obsecuta regi mulier, ita eum sibi paulatim stupri consuetudine astrinxit: vt nihil esset tantum, quod aut a rege petere nõ auderet Semiramis, aut petenti rex auderet negare. Ergo cum aliquando iniecisset in sermone, quiddam se valde cupere, rexque eam, quicquid tandem illud esset, aperte ac libere proferre iussisset: Cuperem, inquit, hoc mihi a te tribui, vt vnum modo diem sedere mihi liceat in solio tuo, & ius dicere: vtque omnes toto illo die, quemadmodum tibi faciunt, ita mihi obtemperarent. Risit rex: & quod petebatur, concessit, nec mora edicitur, vt certo quodam die omnes Semiramidi dicto audientes sint. ita regi placere: eam illo die,

regio imperio ac potestate præesse omnibus. vbi ille aduenit dies: mulier regio cultu in solio assedit. fit concursus maximus. illa de principio, experiendi caussa, quædam haud magni momenti imperat, vbi serio omnes sibi omnibus in rebus parere vidit, iubet satellitib. ac stipatorib. corporis regii, vt regē ipsum cōprehēdāt, cōprehēditur. vt vinciāt. vincitur. vt interficiāt. interficitur. ita imperium ex diurno diuturnum efficitur. hæc est, quæ Babylonem muris lateritiis cinxit: cuius horti illi pensiles tantam admirationem habuerunt: quæ cum equo concubuisse dicitur: quæ postremo cum filii quoque sui concubitum petiisset, ab eo trucidata memoratur.

Vt honorem Latinis, ita Græcis ὄνειδος & κλέος ambigua vocabula esse.

CAPVT XVIII.

Significationis ambiguæ verbum esse *honorem*, tradididit Gellius idque probauit his verbis ex Oratione Q. Metelli Numidici de triumpho suo: *Qua in re quanto vniuersi me vnum antestatis, tanto vobis, quam mihi, maiorem iniuriam atque contumeliam facit, Quirites, & quanto probi iniuriam facilius accipiunt, quam alteris tradunt: tanto ille vobis, quam mihi, peiorem honorem habuit. Nam me iniuriam ferre, vos facere vult, Quirites: vt hic conquestio, iste hic vituperatio relinquatur.* Eodem autem modo Græci quoq; ὄνειδος, cum fere in infamiæ ac turpitudinis significatione ponatur: nonnunquam tamen pro gloria accipiunt: vt,

Phœnissis.

Καλόν γέ μοι τοὔνειδος ἐξωνείδισας: &

Θνῄσκειν κάλλιστον ὄνειδος &,

Καλόν γ' ὄνειδος τῷ νεανίᾳ νυμφίῳ.

Sed & κλέος nonnunquam in malam partem accipitur. idq; non ex eo tantum intelligi potest, quod apud Homerum sæpe legitur ἐσθλὸν κλέος: vt ex eo coniiciamus, esse etiam aliquod κλέος κακόν: sed multo magis ex hoc Euripidis versu, quem apud ipsum dicit Helena:

Helena.

Οὐκ οὖν τις Ἑλένης αἰσχρὸν ἄλλεται κλέος;

Act 1.

In illis autem Metelli verbis nescio, an illud annotare debeam: *facere contumeliam*, quod loquendi genus Cicero in Antonio reprehenderat, legi. sed & apud Plautum, & apud Terentium crebra illius exempla sunt. Neque tamen iniuria notauerat Antonium Cicero: quod vulgo creditur. nam Antonius ita dixerat, *facere contumeliam*, vt, facere dānum, aut facere iacturam dicimus. quo modo nunquā quisquam, opinor, præter eum locutus reperietur.

3. Philip.
Asinaria & Phormione.

Correctus locus ex Oratione Ciceronis pro domo sua.

CAPVT XIX.

Vocabulum *actus*, pro eo, quod Græci dicunt ἐνέργειαν, plane barbarum est, & priscis illis temporibus quibus Romani sermonis integritas viguit, inauditum. eo tamen nōnullos vti video, & quidem

& quidem eorum, qui se non Latine modo, sed etiam, si diis placet, Ciceronis more loqui putant. Decipiuntur autem præcipue corrupto quodam loco ex Oratione pro domo sua ad pontifices: quem emendare institui: vt isti, qui se e Nizolii libro Germanos Cicerones esse credunt, errore hoc suo liberentur. Non enim ita locus ille legendus est: *Omnem diu collectam vim improborum, quæ inueterata compresso odio atque tacito iam erumpebat in actum, tam audaces duces excepi meo corpore.* Sed hoc modo, vt in antiquis libris esse homines certi & fide digni affirmant: *Omnem diu collectam vim improborum, quæ inueterata compresso odio atque tacito iam erumpebat, nacta tam audaces duces, excepi meo corpore.*

Correctus locus e secundo de finibus.

CAPVT XX.

Eiusdem generis est *odrilicium*: quæ inepta vox, & nihil plane significans, ita inuedit in loco quodam e secundo De finibus, vt omnes prope iam libros occuparit. Ita enim ibi legitur: *Assint etiam formosi pueri, qui ministrent, resplendeat his vestis, argentum, odrilicium, locus ipse.* at in libris veteribus hoc modo: *Assint etiam formosi pueri qui ministrent. respondeat his vestis, argentum, Corinthium æs, aut Deliacum, artificium, locus ipse.* quæ quia vera scriptura sit, non est cur quisquam dubitandum putet. itaq; ipsum quoque resplendendi verbum mihi quidem valde suspectum est. nam hoc vno loco nitebantur, qui illud vt Latinum recipiebant: nunc autem, nisi aliquod aliud testimonium reperiatur; videtur sane ei quoque lege Papia periculi aliquid imminere; hoc igitur alii cogitabunt.

M. ANTONII MVRETI AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM & ILLUSTR.

VARIARVM LECTIONVM Liber Septimus.

Sorores vxores ducere, num apud Athenienses licuerit.

CAPVT I.

Perelegans exstat Æmilii Probi ad T. Pomponium Atticum libellus; quo Græcorum imperatorum vitæ mundissimo ac castissimo orationis genere explicantur. eum nuper cum animi caussa

lius habita ratio retardaret. Inde igitur est, quod cum apud Terentium Thraso introduci iussisset in conuiuium Pamphilam, indignata Thais, *minime*, inquit, *gentium. In conuiuium tu illam?* Quae enim suis integram eam ac pudicam reddere ac restituere cupiebat, vix id consequi posse videbatur, si hoc, quod postulabat miles, passa esset. Ex eadem etiam consuetudine intelligendum est id, quod apud Ciceronem libro primo accusationis legitur. *Postea quam satis calere res Rubrio visa est: Quaeso, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari iubes? homo, qui & summa grauitate, & iam id aetatis, & parens esset, obstupuit hominis improbi dicto, instare Rubrius. tum ille, vt aliquid responderet, negauit moris esse Graecorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. hic tum alius ex alia parte. Enimuero ferendum hoc non est, vocetur mulier, & simul seruis suis Rubrius, vt ianuam clauderent, & ipsi ad fores assisterent, imperat. Quod vbi ille intellexit, id agi, atque id parari, vt filia sua vi afferretur, seruos suos ad se vocat: his imperat, vt seipsum negligant, filiam defendant.* Nam quod nonnullos ceteroqui non ineruditos homines opinari video, id tum a Philodamo pro tẽpore confictum esse: quantopere in eo fallantur, vel de his, quae subiiciam, nobilissimis oratoris Isaei, quem veteres Demosthenicae in dicendo facultatis fontem vocarunt, verbis cognosci potest. ita enim loquitur in oratione, qua de Pyrrhi cuiusdã hereditate contenditur. *Καίτοι οὐ δήπου γε ἐπὶ γαμετὰς γυναῖκας οὐδεὶς ἂν κωμάζειν τολμήσειεν; οὐδὲ αἱ γαμεταὶ γυναῖκες ἔρχονται μετὰ τῶν ἀνδρῶν ἐπὶ τὰ δεῖπνα, οὐδὲ συνδειπνεῖν ἀξιοῦσι μετὰ τῶν ἀλλοτρίων, καὶ ταῦτα μετὰ τῶν ἐπιτυχόντων.* Romani autem innuptas modo virgines, quod quidem sciam, a conuiuiis amouebant: quod haec Varronis verba ostendunt: *Virgo de conuiuio abdicatur ideo, quod maiores nostri virginis acerba aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.*

Eunucho Act. 4 sc. 2.

Agathone apud Non. in Acerbum.

Euripidis locus in Medea correctus & declaratus.

CAPVT III.

INterposita iusiurandi religio in obseruandis conuentionibus homines plerumque diligentiores facit. quanquam enim boni viri est fidem seruare etiam nullo eiusmodi vinculo alligatam: contingere tamen videmus, vt saepe caussam aliquam reperiant, qui ea, quae receperunt, praestare nolunt: cũ in iis quae affirmate quasi deo teste promissa sunt, nemo id facere, nisi plane impius, soleat. itaque prudenter & callide apud Euripidem Medea, cum Aegeus tutum ei apud se hospitium fore promisisset, non temere tamen ei statim fidem habere vult: sed illud ipsum iureiurando sibi confirmari petit. quod cum ille miraretur, quaereretque ex ea, an non sibi fideret: ita vafra & astuta mulier respondens inducitur:

Medea. Act. 3.

Πελιάδας. Πελίου δ' ἐχθρὸς ἐστί μοι δόμος,
Κρέοντι. τούτοις δ' ὁρκίοισι μὲν ζυγεὶς,
Ἄγουσιν οὐ μεθῇς ἂν ἐκ γαίας ἐμέ.
Λόγοις δὲ συμβὰς, καὶ θεῶν ἀνώμοτος,
Φίλος γένοιο ἄν, κ' ἀπικηρυκεύματα
οὐκ ἂν πίθοιο [illegible] μὴ γὰρ ἀσθενῆ,
Τοῖς δ' ὄλβος ἐστὶ, καὶ δόμος τυραννικός.

Qui quidem versus & aliquot locis deprauati vulgo leguntur; & a scholiaste, mea quidem sententia, non intelliguntur. ego igitur ita eos interpretor. Fido equidem tibi. ceterum inimica mihi est Peliæ domus: itemque Creon. τούτοις δὲ, nempe Peliæ & Creonti: ἄγουσιν ἐμὲ ἐκ γαίας, si venerint, cupientes me a finibus tuis abducere: οὐ μεθῇς ἂν, tu id non permittes, neque me eis trades: siquidem iureiurando fidem mihi tuam obligaueris. At si nudis tantum sermonibus mecum conueneris: (hoc enim est λόγοις δὲ συμβὰς) neq; deos testes adhibueris: tum te fortassis amice cum illis geres, neque stabis iis, quæ inter nos conuenta erunt. ea enim vocat ἐπικηρυκεύματα. addit deinde caussam probabilem, cur vereatur, ne ita eueniat. Cum autem vulgo legatur μεθεῖσαν, aut μεθῇς ἂν vbi ego legendum censeo, μεθῇς ἄν: & ἐνώμοτος, vbi ego, ἀνώμοτος: quantam ea res ἀμηχανίαν scholiastæ obiecerit, quamque longe eum a poetæ sententia abduxerit: dicerem, si liberet ostentare me in exagitandis aliorum erroribus. nunc eo ingenio sum; vt id, quod mihi verum videtur, nude ac simpliciter proponere, satius ducam.

Quid intersit inter imperium patris & domini. Emendati Afranii versus apud Gellium.

CAPVT IV.

MVltum interesse inter imperium patris & domini, longeq; alia ratione regendos esse liberos, alia seruos, multi & philosophi, & poetę veteres tradiderunt. nam seruilis quidem animus naturali quodam dominorum odio imbutus, coerceri fere, nisi malo non potest. liberi, quos cum parentibus arctissimo caritatis vinculo natura copulauit, officiis sunt, & obsequio, & beneuolentia deuinciendi. sed habendus diligenter est modus. neque enim laudandi sunt, qui ita indulgenter filios habent, vt ad omnia eorum peccata conniueant: qualis a Terentio inducitur Mitio: multoque minus, si qui se eis præbent inhonestarum libidinū administros, &, quod ait apud Euripidem Medeæ nutrix, [illegible]. Vt fugiamus enim proponuntur illa in theatris, non vt imitemur.

Plaut. As. sc. Sicut tuum.

Omnes parentes Libane liberis suis,
Obsequelam facient, qui auscultabunt mihi:
Quippe qui mage amico vtantur gnato, & beneuolo.
Atq; ego me id facere studeo: volo amari a meis.

Volo

Volo mei patris me similem, qui, caussa mea,
Nauclerio ipse ornatu per fallaciam,
Quam amabam abduxit a lenone mulierem
Neque puduit eum id ætatis sycophantias
Struere, & beneficiis me emere gnatum suum sibi.
Eos me decretum'st persequi mores patris.
Nam me hodie orauit Argyrippus filius,
Amanti vt facerem argenti copiam sibi.
Et id ego percupio obsequi gnato meo.
Volo amori obsecutum illius. volo amet me patrem.

Flagitiosa quidem illa sunt, & a paterna lenitate nimium quantum abhorrentia. an vero si quis pater filium aut brachio, aut crure, aut aliqua corporis parte debilitet, inutilemque reddat, teter & immanis habeatur: qui animum, quo nihil est diuinius, detorquebit, deprauabit, corrumpet, hunc lenem, atque indulgentem putemus? ego vero immitem potius, & crudelem nominauerim, non hercle minus, quam si desipienti ac deliranti, & mentis vitio mortiferum venenum petenti pro cibo præbeat, eique se nihil negare posse dicat. Satis sit errantes admonere, & admista blanditiis seueritate in viam reducere, lapsos erigere, ignoscere: non sæuire, non domo excludere, non in manicis & compedibus habere; præcipitare quidem labantes, & suapte sponte ruentes in exitium impellere, non comitatis est, neque clementiæ. sed crudelitatis, & dementiæ: neque hoc qui faciunt, benigni patres, sed importunissimi filiorum suorum hostes sunt iudicandi. Pari quoque propemodum in vitio sunt, qui ad illam summam veritatis normam exigere omnia, quæ a liberis fiunt, volunt: neque fas putant, inconsultam illam & improuidam ætatem vsquam offendere, & illectam blanditiis voluptatum a rationis præscripto deflectere: cum senes quoque ipsos, quibus multo facilius est, domitas & compressas libidines habere, nonnunquam tamen abripi earum æstu, neque ὀρθὰν τὰν ναῦν perpetuo tenere posse videamus. Illi ergo superiores a filiis pro amore contemtum ferunt. nunquam enim contemtum cognita nequitia effugit. hi, quibus naturæ lege, vita ipsa cariores esse debuerant, eis inuisos se, odiosque reddunt: & illud consequuntur, vt filii paternæ vitæ finem, suæ principium putent fore. Iam qui ne liberis quidem carus sit, eum consentaneum est, ne ceteræ quidem familiæ carum esse. Cui autem dulce quicquam esse possit in vita, qui se viuere tota sua domo norit inuita?

Θάνοιμ' ἄν, εἴ με παῖδες ἐχθαίροιεν ...

Ait ille. non male. nam quid miserius, quam ita viuere, vt neminem videas, qui te saluum velit? quod consequuntur illi, vt dixi, qui metu potius, quam reuerentia quadam, filios in officio continendos putant. Itaque præclare Afranius:

Rrr

Consobrinus. apud Gell. Li5.c.13.

Horunce parentum est vita bilis liberis,
Qui malunt metui, quam vereri se a suis.

Cuius versus eo libentius adduxi, vt emendarem apud Gellium enim mirabiliter deprauati leguntur. Quare neque exsultanti iuuenem libidini frena laxanda sunt: neq; ferox ætas duriore, quam par est, imperio magis etiam exasperanda: sed ea vtendum dexteritate, vt ii, qui reprehenduntur ipsi, non odio sui, sed amore potius & beneuolentia id fieri sentiant: omninoque ita temperanda omnia, vt ab odio seueritatem comitas vindicet, & a contemtu seueritas comitatem.

Emendatus Varronis locus, qui citatur a Nonio.

CAPVT V.

Modio. Non. v. Aurigatur.

ASse vinum: asse pulmentarium. sed eas quo natura aurigatur, non necessitudo. Ita plane citantur hæc verba Varronis a Nonio: nisi quod librariorum vitio, *sedeas*, coniuncte legitur pro, *sed eas*. Mirum est autem, Victorium, qui hæc verba diligenter considerauit, eorumque sententiam satis commode exposuit, non vidisse, magnum in eis adhuc hærere vitium, idque tale, vt sententiam plane absurdam & ineptam efficiat. nam quid est tandem, quo natura aurigatur, non necessitudo? aut quo aurigatur natura, nisi quo etiam necessitudo? puto autem tres primas literas vltimæ vocis ab aliquo librario sine caussa geminatas esse, hoc modo: *nec necessitudo*. deinde illud, *nec*, mutatum esse ab aliis in, *non* vt planeita legendum sit *Asse vinum. asse pulmentarium. sed eas, quo natura aurigatur necessitudo.*

Ab igne ad vitam crebro tralatas esse multas ab antiquis scriptoribus voces.

CAPVT VI.

Lib.3.

IGneæ naturæ esse animum, plerique veteres crediderunt. adducebantur autem in eam opinionem, quod calore foueri, ac vegetari omnia viderent. tum, quod frigere cadauera: vnde & *frigidam vitæ pausam* dixit Lucretius. Sed & mouetur per se ignis, & pascitur: quæ certo quodam modo propria animalium sunt. ergo ex ea opinione multa loquendi genera fluxere in quotidianam loquendi consuetudinem. nam exstinguendi verbum, quod in igne proprium est, etiam in animalibus dicitur. vt, —— *natumque patremque Cum genere exstinxem, & animam exstinxem meam.* & viuere, ab iis, quæ animata sunt, ad ignem transfertur. Plautus:

4. Æneid. v. 605. Aulul. Sc. Num. desac. Lib.3 Car. ode.21.

Nam si ignis viuet, tu exstinguere extemplo

Et Horatius *viuas lucernas* dixit, *accensas:*

Viuæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat astra Phœbus.

Quod autem mihi rarum in primis visum est, etiam interfectum torrem pro extincto Accius dixit. eius enim extant hi versus Meleagro:

Tum

Tum suum vitæ finem, ac fati internecionem fore *Apud Non. v. Torris.*
Meleagro, cum torris esset interfectus flammeus.

Correctus locus e primo Rhetoricorum Aristotelis. item locus Callimachi ex hymno in Apollinem.

CAPVT VII.

ARistoteles libro primo De arte dicendi, vbi felicitatis partes percenset εὐγηρίαν, id est, vt Victorius erudite & eleganter interpretatus, bonam commodamque senectutem in eo positam esse dicit, vt & tarde senescat quis, & sine dolore ac molestia senescat: nam neque quem cito deserit iuuentus, feliciter senescere dicendus est: neque is, cuius ingrauescentem ætatem magni dolores molesti æque comitantur. In iis autem verbis, quæ statim apud Aristotelem sequuntur, vitii aliquid inesse arbitror: neque Victorii aut scripturam, aut interpretationem ea in parte probo. Ille enim legit: Ἔστι δὲ καὶ ἐκ τῶν τοῦ σώματος ἀρετῶν, καὶ τύχης μὴ νόσος γὰρ ὢν, μηδὲ ἰσχυρὸς, οὐκ ἔσται ἀπαθὴς, οὐδ᾽ ἄλυπος, καὶ πολυχρόνιος, οὔτ᾽ ἂν δυστυχὴς διαμείνειεν ἄν. quibus ex verbis quam sententiam efficiat, ex ipsius commentario perspici potest. ego autem ita legendum censeo: μὴ νόσος γὰρ ὢν, μηδὲ ἰσχυρὸς, οὐκ ἔσται ἀπαθὴς, οὐδ᾽ ἄλυπος, καὶ πολυχρόνιος οὐδ᾽ ἄνευ τύχης διαμείνειεν ἄν. cum enim dixisset, ad εὐγηρίαν concurrere oportere tum corporis tum fortunæ bona: caussam statim addidit, cur vtraq; necessaria essent. nam & nisi qui prospera vtatur valetudine, integrisque sit corporis viribus, is vt ἀπαθὴς sit, fieri prorsus non potest. & cui parum amica fortuna sit, neque vacare molestiis poterit, neque diu viuere. multa enim fortuito obiici possunt, quæ partim magnas & graues molestias afferant, partim etiam vitæ spatium cōtrahant. hoc est igitur quod ait, οὐδ᾽ ἄνευ τύχης οὔτε ἄλυπον, οὔτε πολυχρόνιον διαμένειν οἷόν τε εἶναι. Eodem prope modo memini correctum olim esse ab Io. Aurato, homine doctissimo, mihiq; amicissimo, versum quendam Callimachi ex hymno in Apollinem: qui cum vulgo ita legatur:

Vers. 30.

> Οὐδ᾽ ὁ χορὸς τὸν Φοῖβον ἐφ᾽ ἓν μόνον ἦμαρ ἀείσει.
> Ἔστι γὰρ εὔυμνος· τίς ἂν οὐ ῥέα Φοῖβον ἀείδοι;

Legendus est, vt is, quem modo dixi, vir eruditissimus admonuit, hoc modo:

> Ἔστι γὰρ εὔυμνος· τίς ἂν οὐ ῥέα Φοῖβον ἀείδοι;

Hoc enim dicit poeta, neminem esse vsque eo rudem & indisertū, cui nō facilimum sit laudare Apollinem. nam ita multa in eo laudanda esse, vt nemini, ne infantissimo quidem, qui eum celebrare instituerit, deesse possit oratio.

Conantur emendandi duo loci e tertio libro Aristotelis De arte dicendi.

CAPVT VIII.

SVmmum studium adhibere debent, quicūq; aliquid dicendo

persuadere meditantur, in ipso dicendi artificio occultando & obtegendo. natura enim comparatum est, vt facilius assentiamur iis, qui ita, vti naturæ impetus fert, loqui videntur, quam illis, a quibus naturalem illum cursum arte quadam inflecti opinamur, etenim veritatis, vt ait Euripides, simplex est oratio. quo fit, vt quicumque ab illa naturali simplicitate discedunt, veniant nobis in suspicionem, quasi decipere nos, ac circumscribere moliantur. Sapienter igitur a dicendi magistris præcipitur, summam artem in arte dissimulanda sitam esse. quod Aristoteles libro tertio his verbis complexus est: Διὸ δεῖ λανθάνειν ποιοῦντας: καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως. τοῦτο γὰρ πιθανόν, ἐκεῖνο δὲ τοὐναντίον. ὡς γὰρ πρὸς ἐπιβουλεύοντα διαβάλλονται. Quæ verba exponens optimus interpretũ, ait, verbũ διαβάλλονται alio quodã modo accipi, quam plerumque soleat, cum enim διαβάλλεσθαι vsitate dicatur pro eo, quod est criminari, aut calumniari, hic valere idem, quod male animo affectos esse. ego autem, quod bona ipsius venia dictum sit, nunquam id verbum eam vim habere arbitror: neque sane eo loco, quem ipse ex Plutarcho protulit, declarationem illam vllo modo confirmari puto. potius autem crediderim, erratum esse a librariis, qui διαβάλλονται scripserint, cum scribendum esset δυσχεραίνονται. ac ne illud quidem pigebit admonere: paulo supra eum, quem modo recitauimus, locum, vbi in vulgatis libris legitur, ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις πολλῷ ἐλάττοσιν, mihi quidem legendum videri, ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις πολλῷ ἐλάττω τινά. ipsa enim orationis ἀκολουθία, nisi valde fallor, aliter constare non potest.

Illustratus locus e primo Topicorum Aristotelis.

CAPVT IX.

QVodam loco e primo Topicorum Aristotelis, vis particulæ πρὸς non satis e Latinis interpretibus percipi potest: vbi sic philosophus loquitur: Μὴ λανθανέτω δ' ἡμᾶς, ὅτι τὰ πρὸς τὸ ἴδιον, καὶ τὸ γένος καὶ τὸ συμβεβηκὸς πάντα λεγόμενα, καὶ πρὸς τοὺς ὁρισμοὺς ἁρμόσει λέγεσθαι. Non enim vertendum est, ita vt illi faciunt, *ad proprium, ad genus, ad euentum, ad definitiones*: sed, *aduersus*. Hoc enim docet philosophus: quæ argumenta afferri solent ad docendum aliquid non esse alicuius rei proprium, aut euentum, aut genus, eadem valere aduersus definitiones. Nam vt, si quid non reciprocatur, proprium non est, ita neque definitio. & si doceatur, genus non esse id, quod in definitione pro genere positum est: ipsa quoque definitio perimetur. quinetiam si quid ostendatur eorum, quę ad definiendum adhibita sunt, μὴ ὑπάρχειν, tolletur definitio: cum in tollendis etiam euentis eadem ratio valeat. est autem ita dictũ πρὸς, vt in illis, πρὸς Λεπτίνην, πρὸς τὴν Φιλίππου ἐπιστολήν, & similib. Sic & libro secundo τὰ πρὸς τὴν θέσιν vocauit ea, quæ ad oppugnandam θέσιν valerent.

Correctio

Correctus & illustratus locus e secundo Topicorum.

CAPVT X.

SI quando thesis nobis aliqua impugnanda sit, quæ sterilis, vt ita dicam, & ieiuna sit, neque magnum vllum habeat campum, in quo excurrere possit oratio: qua ratione huic incommodo occurrere ac mederi debeamus, copiose Aristoteles libro secundo Topicorum docet: inter cetera autem quæ ponit apta & accommodata ad orationem in planum ac patentem locum ex illis angustiis educendam, vafrum quoddam & callidum artificium detegit, quo sophistæ vti solerent: ob idque locum illum sophisticum vocat. πιϰρὸν enim plane, non τρόπον, eo loco legendum videtur. id erat huiusmodi. habebant sophistæ meditatos ac paratos multos diuersis de rebus communes locos: in iis & ornamentorum, & argumentorum omni genere abundabant. ergo si forte in suis illis ἐπιδείξεσι quæstio inciderat quæpiam, ad quam ipsi tractandam minus instructi forent, quacumque via poterant, abducebant disputationem a re proposita, ad vnum aliquem e locis illis communibus, in eoque postea sese iactabant. Id quatuor modis fieri potest. quorum priores duo neminem dedecent: tertius habet aliquid sophisticum: ideoque parce ac modice eo vtendum. quartus autem continet apertam significationem impudentiæ. quare totus sophistis relinquendus est. Primus modus est, cum eorum quæ a nobis sumuntur ad euertendam thesin, aliquid negatur ab aduersario. ita autem res fert, vt ad ipsum, quod negatur, tractandum instructiores simus, quam ad eam, cuius caussa id sumtum erat, quæstionem. tunc enim licebit, diis hominibusq; approbantibus, quanta maxima poterimus orationis vbertate ac copia versari in eo confirmando, quod negatur. Exempli caussa, finge, disputari inter duos de summo bono, quorum vnus in voluptate illud ponendum esse defendat: alter eam sententiam impugnet. hunc autem ponamus, non valde tritum esse in ea parte philosophiæ, quæ format mores: sed in physicis egregie exercitatum. nempe igitur ad propositam quæstionem, quæ ethica est, non poterit ei magna vis argumentorum suppetere. quod si quid physicum ageretur, haberet, vbi facultatem ostentaret suam. accingit se tamen ad disputationem: in eamque ingreditur hoc modo. Motionem omnem imperfectum quiddam esse. quare voluptatem, cum motio sit, esse etiam imperfectum quiddam: neque dignandum summi boni nomine. Neget ille alter, quod prioris syllogismi initio sumtum est; omnem videlicet motionem esse imperfectam. quis inficiari audeat, voluptatem impugnanti licere tranferre orationem ad demonstrandum id, quod negatum est? pandet igitur vela, & emersus ex illo, in quo deprehensus erat freto, in explicanda vi ac natura motionis, pleno mari feretur quippe. est enim ea tractatio Physico-

sum. Altera ratio his verbis ab Aristotele exponitur: ὁμοίως δὲ καὶ ὅταν ἐπαγωγὴ πρὸς τὸ διὰ τοῦ κειμένου ποιησομένου, ἀναιρεῖν ἐπιχειρητέον· τούτου γὰρ ἀναιρεθέντος, καὶ τὸ προκείμενον ἀναιρεῖται. quæ verba magnum negotium facesserunt Alexandro. ita enim sane vocemus eruditum illum interpretem, si non suo, at vsitato tamen nomine, cuius quæ hoc loco sit ἀμηχανία, videre est. ego autem, cum ab eo dissentiam, non constitui sententiam ipsius referre. petant eam e libro, qui volent. meam proponam: vt, cui placuerit, eam sequatur. Primum igitur Aristotelis verba ita legenda censeo: ὁμοίως δὲ καὶ ὅταν ἀπαγωγὴ πρὸς τὸ διὰ τοῦ προκειμένου ποιησόμενος, ἀναιρεῖν ἐπιχειρ[illegible] τούτου γὰρ ἀναιρεθέντος, καὶ τὸ προκείμενον ἀναιρεῖται. In quo, ne quis forte aliter putet, profiteor, me vnam tantum literam ex me mutare esse ausum. nam quod pro ἐπαγωγὴν, scripsi ἀπαγωγὴν, coniectura ductus, vt verum fatear, feci. προκειμένου, vbi vulgo legitur κειμένου, apud Alexandrum reperi. idque melius visum est, propterea, quod sequitur: καὶ τὸ προκείμενον ἀναιρεῖται. ποιησόμενος, pro ποιησομένου, antiqua scriptura est. vt apparet ex eodem Græco interprete. vnam autem literam mutare, non nimis improbum, neque inuerecundum esse arbitror. Nunc dicam, quam subesse his verbis sententiam putem. In illa superiori ratione, abducebatur disputatio ad antecedentia: hic ad consequentia abducitur. ait enim, si non satis multa nobis occurrant argumenta, quæ proprie pertineant ad labefactandam thesin: videndum esse; num quid ex ea consequatur, quod multis argumentis impugnare possimus licebit enim eo traducere disputationē: cum, si quid alicui consequens est, euerso eo, id quoque vnde consequitur, corruat. Exempli gratia. si quis disputet aduersus eos, qui animos cum corporibus interire censeat: & ostendat, eo, quod illi volunt, posito, omnem cultum diuinum, atque omnem religionem fundi[t]us sublatum iri. Deinde nactus dicendi campum, ostendat, quanta confusio ac perturbatio omnium rerum, quanta generis humani miseria & infelicitas consecutura sit, sublata religione. quæ si vel cogitatu h[o]rrenda sunt: exterminanda quoque est e mentibus hominum opinio illa, quæ animos mortales facit. eodem modo licebit, d[i]sserentem aduersus necessitatem fati, ostendere, si ea sit, superuacaneas esse leges: tum disputare ample ac copiose de legum dignitate, ac præstantia: & quantopere sint necessariæ, vtpote quibus, tanquam neruis, hominum societas deuincta teneatur. Hanc ego germanam esse Aristotelis sententiam existimo: eamque facile ex ipsius verbis elici, ad eum, quem dixi, modum emendatis. Tertius modus est cum videtur quidem is, qui disputationem alio deriuat, necessario id facere: neque tamen facit: vt si quis disputaturus de motibus animi: repetat sermonis principia ab iis, quæ de motu apud Physicos disputantur. videbitur enim auditoribus non acutissimis aliquid

quid

quid, quod rem faciat, dicere; cum de motu vtrobique agatur. ac tum maxime, si aduersarius eorum aliquid negauerit. Illud autem prætetiens admonebo: in hoc loco explicando, vbi apud Aristotelem legitur, εἴτ' ἀπὸ ἐπαγωγῆς ἐνδόξῳ, mihi legendum videri, εἴτε ἀπαγωγῆς ἐνδόξῳ. Quartus modus est, qui neque necessitatem, neq; necessitatis similitudinem habet vllam. qualc sit, si πῇ αὖ ἢ πάλιν inter disputandum exciderit soloecismus, aut falsa historia, aut aliquid tale: & tu in eo eum vrgeas.

Emendati loci aliquot e libello Q. Ciceronis De petitione consulatus.

CAPVT XI.

NVnc, quia non omnes eadem iuuant: estque, κατ' ἐκεῖνο τὸ Εὐριπίδειον, μεταβολὴ πάντων γλυκύ. omittamus paulisper Aristotelem: & alios leuioris operæ scriptores, quoad possumus, adiuuemus. Est autem in omni re laudabili atque honesta, etiam non consecuta operis affectione, voluntatis laudanda propensio. ac quoniam M. Tullii libros a mendis iam aliquod vindicauimus, voluimus quidem certe: Q. etiam Tullio eius fratri præstemus idem officium. & quem illius vnicum habemus de petitione consulatus commentariolum accuratissime atque artificiosissime scriptum, operæ aliquid in eo purgando sumamus. Igitur ex ipso quidem limine ac vestibulo mendum vnum sustulimus iam, iis in scholiis, quæ anno in Propertium edidimus. cum enim vulgo ita legatur, *Etsi tibi omnia suppetunt, quæ consequi ingenio, aut vsu homines; aut diligentia possunt*. docuimus, vocem, *homines*, temere additam, & illud, *consequi*, παθητικῶς positum esse. paulo post autem vbi fratris amicitias generatim enumerat. ita legitur. *Deinde & amicorum multitudo, & genera appareant. habes enim ea, quæ noui habuerunt: omnes fere publicanos, totum fere equestrem ordinem, multa præterea municipia*, & cetera. quo loco quin isti παντολίτορες, qui præclaras suas glossas vbique inferciebant, verbum, *habuerunt*, de suo addiderint, neminem, considerata re, dubitaturum opinor. Nam qui tandem illa noui habuerant? aut quid, magni erat, ea habere Ciceronem, quæ noui habuissen? Noui igitur, priore syllaba producta legendum est: vt sit: ἔχεις γὰρ ἃ ἴγνωσ non autem: ἔχεις γὰρ ἃ εἶχον οἱ καινοί. leuiusculum hoc est, quod dicturus sum: sed dicam tamen: nulla est enim tam parua macula, quam, non pulcrum sit, e bonis libris eluere. vbi ergo est, *Iam P. Galbam, & L. Cassium*: pro, *Iam*, legendum puto, *Nam*. illud grauius quod cum exposuisset multas caussas, ob quas Antonium Cicero pro nihilo putare deberet: de Catilina ingrediens loqui, ita scribit. *Alter vero, dii boni, quo splendore est? primum nobilitate eadem, num maiore? non: sed virtute.* Idem autem illi stercorei glossographi, quos glossis suis aliquid aliud facere, non libros cōtaminare oportebat ad illa verba, *Primum nobilitate eadem*, auctarium addiderunt,

qua Catilina, atque ita fuere bardi, vt non animaduerterent, de ipso Catilina sermonem esse. Nam illa, quæ sequūtur, *Quamobrem qui inanius vmbram suam metuit*, corrupta esse video: quomodo emendari debeant, non video. Venit mihi quidem in mentem aliquid: sed nihil satis firmi. nemo autem, qui præstat quod potest, ꝙ quędam non possit, reprehendendus est.

Ex eodem libello emendati aliquot loci.

CAPVT XII.

NOn eos modo, qui corruptos præstantium scriptorum locos emendant, praclare operam suam ponere arbitror: verum illos quoque, qui, cum aliud nihil possunt, eos indicant: proponūt enim hominibus ingeniosis, & copiosa veterum cōdicum supellectile instructis materiam, in qua se exerceant: eosque excitant ad aliquid excogitandum. quod nunc faciam; locumque indicabo ex eodem illo libello, qui sine dubio corruptus est. quomodo corrigi debeat, diuinabit fortassis alius. *Deinde vt quisque optimus ac maxime domesticus vt is amet, quisq; fidelissimum esse te cupiat, valde elaborandum puto: tum vt tribules, vt vicini, vt clientes, vt denique liberti, postremo etiam seruitus.* Huius periodi prima pars ita deformata est, vt quid sibi velit, suspicari potius, quam intelligere liceat. in extremo autem, vbi est, *seruitus*, legendum censeo, *serui tui*. Sequitur: *Nam fere omnis sermo ad forensem famam a domesticis emanat auctoribus* quæ verba vt integra & incorrupta sunt, ita deprauata & male distincta, quæ sequuntur. *Deinde instituendi sunt cuiuscunque generis amici ad speciem hominis illustris honore ac nomine: qui etiamsi suffragandi studia non nauant; tamen afferunt petitori aliquid dignitatis ad iustitiam obtinendam. Magistratus, ex quibus maxime consules, deinde tribunos plebis ad conficiendum centurias homines excellenti gratia, qui tribuent centuriam, &c.* Spero omnes homines mihi assensuros, nullam omnino idoneam sententiam ex iis verbis extundi posse. Ego autē puto eum facere tria genera amicorum: vnum, ad speciem: alterum, ad iustitiam obtinendam: si quis forte competitorum malis artibus eum deiicere moliatur: tertium ad conficiendum centurias. ac, ne longum faciam, ita legendum censeo: *Deinde instituendi sunt cuiusque generis amici. Ad speciem, homines illustres honore ac nomine: qui etiamsi suffragandi studia non nauant, tamen afferunt petitori aliquid dignitatis. Ad iustitiam obtinendam, magistratus: ex quibus maxime consules, deinde tribuni plebis. Ad conficiendum centurias, homines excellenti gratia.* Illud autem. *Qui tribuent centuriam*, alterius periodi principium est quæ ne ipsa quidem vitio vacat. Haud ita multo infra, in eodem libello ita legitur: *Et omnino, quoniam eo genere amicitiarū petitio tua maxime initiata est, quod caussarū defensionib. adeptus es, &c.* Ego ꝓ *initiata*, libenter legerim, *innixa*, Paulo post. *Et quēadmodū memini, quod nulla in re illis vnquam molestus fuisti, si: cura,*

sic cura, vt intelligat, omnia te, quæ ab illis tibi deberi putaris ad hoc tempus reseruasse. Sed quis est, qui cum illas sermonis sordes videt, *Memini, quod nulla in re fuisti molestus illis* non clamet, ὄντε μοι λεγόμενον; Vox *illis* abest a quibusdam olim impressis libris. vnde mihi verisimile fit, ita legi debere: *Et quemadmodum nemini ulla in re unquam molestus fuisti, &c.*

Ex eodem libello emendati aliquot loci.

CAPVT XIII.

PRæsertim cum id tibi casus afferat, vti tecum petant, quorum amicitia aut contemnenda, aut fugienda sit. ex eodem illo cómentariolo sunt hæc, in quibus libentius legerim, *Vt ii tecum petant.* at hoc non magni momenti est. Illud paulo grauius: quod, *rem honestam* scripserunt, vbi sine dubio scribere oportuerat, *honestatem.* Quis enim non offendatur, hæc legens? *Hac tu plane ab iis postulato, vt quoniam nulla impensa per te alii rem honestam, alii salutem ac fortunas omnes obtinuerunt, &c.* Honestatem autē dicit dignitatem & existimationem. Assentior etiam homini eruditissimo Dionysio Lambino, qui ignoratione antiqui verbi locum hunc ex eodem libro deprauatum iudicat. *Nam cum id petitur, quod honeste, aut sine detrimento nostro promittere nō possumus: quomodo si quis roget, vt contra amicum aliquam caussam recipiamus; belle negandum est: vt ostendas necessitudinem: demonstres, quam moleste feras: aliis te id rebus exacturum esse persuadeas.* neq; enim censet ille, ibi legi debere, *exacturū*: sed, *exsarturum.* idemque ita legit versus illos ex Heautontimorumeno:

Ancillas, seruos: nisi eos, qui, opere rustico *Menedem.*
Faciundo, facile victum exsarcirent suum. *Act. 1. sc. 1.*

vnum etiam locū Q. Ciceronis corrigam: qui in optimis omnium Manutianis libris asterisco notatus est: deinde alio me conuertam. Ita ergo ibi legitur: *Præsertim cum multo magis irascantur iis, qui negent, quam iis, quem videant ea caussa impeditum, vt facere quod promisit, cupiat, si ullo modo possit.* Legendum autem videtur, *Quam ei, quem videant, &c.* Errorem obiecit obsoleta iam scribendi ratio. *Eii* enim scribebant, pro *ei*: & *reii*, pro *rei*. & de eodem genere cetera ad eundem modum.

Quod apud Ciceronem in epistolis ad Atticum legitur, ἐν αἰνιγμοῖς, unde sumtum sit.

CAPVT XIV.

NOtum est, Ciceronem in veteribus vtriusque linguæ poetis lectitandis multum fuisse: crebroque eorum modo integros, modo dimidiatos versus, modo etiam leuiter immutatos scriptis suis immiscuisse: quin & nonnunquam vnam aut alterā vocem ab iis sumtam vsurpasse, quæ tamen facile ab hominibus in eodē studio tritis agnosceretur. Tale est, quod in epistola quadam ad Atticum posuit, ἐν αἰνιγμοῖς. Cum enim diceret, se, si per- *Ep. 19. l. 2.*

fidelem haberet tabellarium, omnia de rep. scripturum plane: sin aliter esset; subobscure quidē: sed tamen, vt Atticum facile intellecturum confideret: *In iis*, inquit, *epistolis me Lælium, te Furium faciam, cetera erunt* ἐν αἰνιγμοῖς. Sumsisse autem hoc videtur ex Euripide: apud quem in Rheso ita loquitur chorus:

Act. 5. Τὰ δ' ἐν αἰνιγμοῖσι σημαίνεις κακά.
Σαφῶς γὰρ αὐδᾷ συμμάχους ὀλωλότας.

Prouerbium quoddam, quo Cicero de senectute vsus est, ex Euripide sumtum esse.

CAPVT XV.

PRincipium libri De senectute e primo Platonis πολιτειῶν prope ad verbum conuersum esse, nemo paulum modo humanior nescit. sed quod ibi dicentem facit Scipionem de quibusdam senibus, quibus ita odiosa senectus esset, vt onus se Ætna grauius dicerent sustinere: id vnde sumtum sit, a nemine, quod sciam proditum est. Eruditus sane vir, ac multæ lectionis, qui tot millia παροιμιῶν vnum in corpus contulit, hoc non vidit. Est autem ex Euripide: apud quem Ἡρακλεῖ μαινομένῳ chorus, qui e senibus cōstat, iuuentutem quidem celebrat ac prædicat: malam vero, vt veteres loquebantur, ætatem miris modis exagitat, eiq; multa mala precatur. inter cetera autem, eam dicit onus esse Ætna grauius, quo perpetuo prematur senum caput. Versus hi sunt: qui tamen vulgo aliter leguntur. sed ego ita legendos puto:

Chor. Act. 2. Her fur.
ἁ νεότας μοι φίλον.
τὸ δὲ γῆρας ἄχθος αἰεὶ
βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων
ἐπὶ κρατὶ κεῖται.

Sed & apud Plautum non raro ita senes de ætate sua, vt de graui aliquo ac ponderoso onere, loquuntur.

Vt Cicero dixit, conficere famam, ita Græci dicunt ποιεῖν ὄνομα.

CAPVT XVI.

IN dialogo De claris oratorib. ita de Catulo loquitur Brutus: *Catulus erat ille quidē minime indoctus, vt a te paulo est ante dictū: sed tamen suauitas vocis, & lenis appellatio literarum bene loquendi famā confecerat.* Videtur aūt hoc loquendi genus, quo res quæpiam alicui famam conficere dicitur, a Græcis manasse. Socrates quidem certe apud Platonem in apologia eo vtitur. cum enim dixisset, mirum nonnullis videri posse, si nulla in re ceteris antecellebat; quid tandem ipsi tantam famam, tantamq; inuidiā conciliare potuisset: *Ego vero*, inquit, *conabor demonstrare vobis, quid mihi & famam & calumniam confecerit.* Verba, quibus hoc dicit, hæc sunt: ἐγὼ ὑμῖν πειράσομαι ἀποδεῖξαι, τί ποτ' ἐστὶ τοῦτο, ὃ ἐμοὶ πεποίηκε τό, τε ὄνομα, καὶ τὴν διαβολήν.

Quod

Quod Theopompus de Lacedæmoniis dixit, idem de fortuna quoque merito dici posse.

CAPVT XVII.

EVoluebam nuper Theodori cuiusdam Methochitæ librum, cuius mihi copiam fecerat homo cum philosophiæ ac Theologiæ scientia præstans, tum ita comis atq; amabilis, vt eum ipsæ suis manibus Gratiæ finxisse ac composuisse videantur, Sixtus Medices Dominicanus. continet autem liber ille centum viginti nō sane contemnendas variis de rebus disputationes Græco sermone conscriptas: quarum in vna reperimus hæc, quæ subiiciemus in fortunæ instabilitatem, atq; inconstantiam non inurbane, neque illepide dicta: quæ nobis caussa fuit, cur ea hoc loco proponeremus. Theopompus historicus aculeata Lacedæmonios oratione perstringens, improbarum eos mulierum cauponam exercentium similes esse dicebat. quæ hospitibus ad se diuertentibus vinum initio & gustatu suaue, & vsu salubre præbent, callide id astuteq; facientes, vt argentum ab eis eliciant, postea vero aliud infundunt vile, & corruptum, & acidum, eoque ipsos vti cogunt. Sic enim & Lacedæmonios initio eius belli, quod aduersus Athenienses gesserunt, callide fecisse, vt ceteros Græcos, tanquam suauissimo poculo oblato, allicerēt; cum quasi tabellis publice propositis profiterentur, ac promulgarent, cupere se Græciam a dominatu Atheniensium vindicare post autem eis amarissima & insuauissima pocula miscuisse, refertæ vndique molestiis vitæ, & negotiorum acerbissimos dolores inurentium: cum præficerent ciuitatibus Xuiros, & præsides importunissimos, qui eas tyrannico imperio premerent, agerentq; ea, quæ aspertima perpessu, planeq; intolerabilia essent. Sed enim quod Theopompus de Lacedæmoniis dicebat, id, meo quidem iudicio, de hominū fortuna conuenientius dici potest. quæ quidem multis initio obuiam sese ferens, miris eos ad se blanditiis allicit, tum inani præsentium successuum lætitia complēs, tum spe ita semper in posterum fore. vbi autem inhiantes sibi homines sua leuitate in altum sustulit, sæpe eis præter opinionem maximas exhibet difficultates. nonnunquam etiam illos, qui futura non prospicientes, magnos spiritus, ipsius inflati fauore, conceperant, deserit: non aliter, quam dolosus quispiam, & perfidus itineris comes, qui, quibus maxime in locis societate, & viribus, & mutua defensione opus est, ibi potissimum fugiens confisum sibi comitē derelinquit. Ita fere Theodorus: cuius liber cum adhuc diuulgatus non sit, iudicaui si hęc ex eo pauca describerem, non malam me studiosis gratiam initurum Sed Plutarchus in Lysandro hoc ipsum narrans, Theopompum hunc comicum vocat.

Ciceronis e Lucullo correctus & declaratus locus.

CAPVT XVIII.

EXperiri libet, ecquid opera mea corrigi possit locus quidam e Ciceronis Lucullo, quem cum deprauatum esse constaret, exstiterunt etiam alii, qui emendare vellent: sed eos, quod petebant, assecutos non puto. habetur autem ibi sermo de iis, qui ab ineunte adolescentia ita se alicui disciplinæ philosophorum addixerant, vt eius omnia placita ac decreta sequerentur: & vt Vlysses Homericus ait, solum Tiresiam apud inferos sapere, ceteros σκιαὶ ἀΐσσειν, ita ipsi, qui ex eadem essent hæresi, iis veritatem patere solis, ceteros omnes vagari temere, & huc illuc a vero autos ferri iudicarent. negat autem id eos statuere potuisse: non enim aliorum cognouisse rationes: vt, omnibus diligenter examinatis ac perpensis, constituerent, qua tandem vna cunctę aliæ præponderarentur. Scitum autem est illud, siue ἡσιόδειον est, siue, vt creditur, ψευδησιόδειον: Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς, id igitur non fecisse ipsos; sed infirmissimo tempore ætatis, aut obsecutos amico cuidam, aut vna alicuius, quem primum audiissent, oratione captos, de rebus incognitis iudicasse, & ad quamcunque disciplinam, quasi tempestate delati essent, ad eam, tamquam ad saxum, adhæsisse. Porro eandem stultitiam eleganter exagitauit Lucianus in dialogo, qui περὶ αἱρέσεων inscribitur. & multo grauius Origenes lib. primo κατὰ Κέλσου. Sed Cicero (eius enim caussa hæc suscepta & instituta oratio est) ita hac de re loquitur. *Nam quod dicunt, omnia se credere ei, quem iudicent fuisse sapientem: probarem, si id ipsum rudes, & indocti iudicare potuissent. statuere enim, qui sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis. sed vt potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis, iudicauerunt: aut re semel audita, ad vnius se auctoritatem contulerunt.* Ex his postremis verbis cum appareret, aut nullam sententiam effici, aut eam, quæ quodammodo cum ipsius Ciceronis mente pugnaret: visum est homini eruditissimo, & alioqui in sanandis eiusmodi vulneribus felicissimo, ita legi debere. *Sed vt potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis, iudicare: ita, re semel audita, ad vnius se auctoritatem contulerunt.* quam ego correctionem eo probare deterreor; quod Cicero, si ita legamus, fateri videbitur, eos tanta de re iudicare potuisse, si omnium sententias audiissent. at rudes & indocti erant. non igitur poterant, ne auditis quidem & cognitis omnium sententiis, iudices idonei esse. Quocirca alio modo corrigendũ arbitror: nempe ita, vt, pro *potuerunt*, legamus *potuerint*: pro illo *aut*, substituamus, non *ita*, sed *an*: totam autem comprehensionem interrogando efferamus, ad hunc modum: *Sed, vt potuerint: omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis iudicarunt, an, re semel audita, ad vnius se auctoritatem contulerunt?* Ita enim duobus modis eorum iudicium reprehendetur. quod neq; iudicare

Odys. lib. 10. v. 494.

iudicare potuerunt. cum rudes & indocti essent: &, vt eos potuisse demus (ea enim vis inest in his verbis, *vt potuerint*) non tamẽ cognouerunt omnium sententias: sed indicta caussa condemnatis aliis, vnius auctoritatem sunt secuti. de rebus autem neque auditis, neque cognitis recte iudicare nemo, quamlibet sapiens, possit.

Ciceronis locus ex Isocrate, vt videtur, imitatus.

CAPVT XIX.

ISocrates cùm Euagoræ laudationem ad Nicoclem eius filium mitteret, principio vsus est perceleganti, valdeque ad ornandũ ac commendandum munus suum accommodato. putare enim se dixit, si quis eorum, quæ hic fiunt, sensus ad mortuos perueniret, nihil posse ipsi Euagoræ accidere optatius, quam vt res ab ipso præclare ac fortiter gestæ eloquentis alicuius hominis voce, vt ipsarum dignitas posceret, celebrarentur. non erat autem dubium, quin plurimi facturus esset filius id, quod ipsi patri, de quo omnibus modis ornando cogitabat, probatum iri existimaret. perbono igitur, perque apposito argumento vsus est rhetor ille, cum, cuius laudes oratione sua cõplexurus erat, eius ipsius ea de re, quatenus licebat, iudicium ac sententiam protulit. Vidit id, qui Isocratis libros diu in deliciis habuerat, multasq; de floribus illius corollas sibi texuerat, Tullius. itaque cum in senatu ageretur de Ser. Sulpicii statua; quam pedestrem statui oportere censeret: eandem illam Isocratis rationem adhibuit, vt non immerito credi possit, eum Isocratis locum ipsi tum in mentem fuisse. Vtriusque verba ponam, vt conferre liceat. Isocrates, ἡγούμενον Εὐαγόραν, εἴ τις ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι, περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων, εὐμενῶς μὲν ἀποδέχεσθαι καὶ ταῦτα, καὶ χαίρειν ὁρῶντα τήν τε περὶ αὐτὸν ἐπιμέλειαν, καὶ τὴν σὴν μεγαλοπρέπειαν: πολὺ δ' ἂν ἔτι πλείω χάριν ἔχειν ἢ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, & quæ sequuntur. Cicero, *Mihi autem recordanti Ser. Sulpicii multos in nostra familiaritate sermones, gratior illi videtur, si quis est sensus in morte, aenea statua futura, & ea pedestris magis, quam inaurata equestris.* Philip. 9. Subiicit deinde vterque orator rationes, quibus verisimile efficiat, eum illorum fuisse sensum, de quibus honestandis agebatur.

De quodam loco e secundo De finibus, neq; Manutii, neque Victorii sententiam veram videri.

CAPVT XX.

CIcero lib. secundo De finibus aduersus Epicuri sententiam disputans, qui in constituendis conseruandisq; amicitiis suam quemq; vtilitatem sequi debere, affirmauerat: cum aliis argumentis vtitur ad eam opinionem labefactandam, tum hoc quoque: quod ista ratione suas quisq; possessiones pluris facere deberet, quam amicos: cum ex illis vberes certique plerunque

fructus; ex his damna & molestiæ non parum sæpe capiantur. His autem verbis Torquatum, quem ab Epicuro dicentem fecerat, alloquitur: *Num igitur vtiliorem tibi hunc Triarium putas esse posse, quam si tua sint Puteolis gramina?* quæ verba iampridem diligenter ponderans, Paulus Manutius iudicauerat, aliquid vitii subesse in voce, *gramina*: ostenderatq; se suspicari, pro *gramina*, legẽdum

Cap. 18. *prædia*. Multis annis post, P. Victorius libro 6. Variarum lectionum, vulgatam scripturam defendere conatus est, planeque pronuntiauit, eam mendo carere. Duobus autem argumentis id probat. primum, quod gramen non tantum valeat certam herbam, quam ἄγρωστιν Græci vocãt, sed alias etiam ostendat, ex quibus fœnum cogitur. deinde, quod Cicero libr. 2. De natura deorum de eadem re disputans, ita scripserit: *Prata & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex his capiuntur*. Mihi difficile & arduum videtur, a duobus eiusmodi hominibus dissentire: quorum vtrumque, vt debeo, plurimi facio, alterum etiam incredibiliter diligo. sed tamẽ quia, quod de se fortissimus ille Troianorum apud Euripidem dicit, —— *φιλῶ λέγειν τ' ἀληθὲς αἰεὶ κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ*, non reticere, quid mihi videatur. Primum

Hector Rhes. Act. 3.

igitur, cur Victorii sententiam non probem: post cum Manutio agemus. Quid igitur ait homo eruditissimus Victorius? Gramen proprie quidem esse eam herbam, quam Græci ἄγρωστιν vocent: interdum tamen id nomen patere latius, ita vt complectatur eas omnes herbas, e quibus cogitur fœnum. quod quidem ita esse, nemo nescit, eorum duntaxat, qui Latinarum literarum penitus rudes non sint. fœnum esse oporteret, si quis, qui tractaret literas, ad hanc rem doctore egeret. Sed illud quoque intelligendum est, quod Victorius, caussæ, vt opinor, seruiens, omisit dicere, hoc posteriore modo, graminis nomine solos vti poetas: idque eadem licentia, qua Notum pro quolibet vento, pro qualibet arbore pinum interdum, aut abietem dicunt. quam licentiam nunquam sibi sumsissent, qui soluta oratione scribebant: & minime omnium, nisi fallor, Cicero. nam quod in eius scriptis nusquam hoc nomen legitur, nisi hic dubio & controuerso loco, id etsi tantum valere non debet, vt hæc vox propterea expungatur: (multa enim sunt apud Ciceronem singularia, & magna pars librorum ipsius intercidit) non immerito tamen, cum præsertim alia concurrant, scripturam reddiderit suspectiorem. Victorius certe, quem ego libenter auctorem ac ducem sequor, hoc argumento vtitur, vt e quodam loco ex epistolis deleat vocem *fugatia*. Non postulo tamen, vt hoc mihi in numerum procedat. nam ipse quoque quandam hoc loco vocem reponere cogito, quam nusquam præterea apud Ciceronem reperiri arbitror. id me magis mouet, quod graminis nomẽ, pro illo toto genere herbarum pratensium, quibus exsiccatis & aridis ad pastionẽ anima-

lium

lium vtimur, apud solos poetas lego. Deinde, vt satis hoc e Ciceronis consuetudine dici posse demus: insulsa tamen & illepida erit oratio. hoc enim denique dicet Cicero: *Num igitur vtiliorem tibi hunc Triarium esse posse putas, quam si tua sint Puteolis herbae?* At, dices: prata hoc loquendi genere intelligit. Et potest cuiquam persuaderi, Ciceronem tam contorte locutum, vt, cum vellet prata dicere, noluerit ea suo nomine appellare, gramina maluerit: vt qui audirent, legerentve, pro graminibus herbas, pro herbis prata accipere necesse haberent? Nam locum, quem e primo De natura deorum adduxit Victorius, quid valere ad illam scripturam confirmandam crediderit, nescio: ego, qui eam impugno, eum ipsum locum valde facere a me puto. Etenim si ita dixisset Cicero; Gramina, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo: tacerem, quiescerem, verbum amplius non adderem: nullo modo de scripturae illius integritate dubitarem. nunc quid ait? *Prata, & arua, & pecudum greges, &c.* nempe igitur, vt hic prata suo nomine expressit, ita illic quoque, si prata dicere voluisset, prata dixisset, non gramina. recte igitur iudicauit Manutius, locum hunc vitio non carere. illud minus recte: quod sine auctoritate vetusti codicis, *pradia*, pro *gramina*, substituendum putauit. Ego in quibusdam satis veteribus libris ita scriptum reperio: *Num igitur vtiliorem tibi hunc Triarium putas esse posse, quam sint tua Puteolis granaria?* atque haec postrema vox ita etiam in quibusdam olim excusis legitur. quae scriptura cum absurdi nihil habeat, cur, ei quae vulgo recepta est, anteponenda non sit, non video: nihil enim prohibet, Torquatum hunc granaria quaepiam Puteolis, e quibus magnos fructus perciperet, habuisse.

Qui fuerint Aristotelis libri De philosophia, quodque illorum argumentum. Illustratus locus e primo libro Ciceronis De natura deorum.

CAPVT XXI.

VElleius, qui apud Ciceronem De natura deorum Epicuri partes tuetur, principio disputationis suae, veterum philosophorum super ea re sententias enumerando percenset: credo, vt cum alias omnes aut refellisset, aut illusisset, constitueret eam, quam sequebatur. Ibi de Aristotele ita loquens inducitur: *Aristoteles in tertio De philosophia libro multa turbat, a magistro Platone non dissentiens.* & quae sequuntur. quem locum declarans Petrus Marsus, homo, vt illis temporibus, non contemnendus; multa enim iam tum notauit, de quibus, tanquam nouis, & a se primum animaduersis, multi hodie sibi placent: is igitur libros Aristotelis De caelo tertium, De philosophia librum vocari putat: & vt stultam opinionem suam quoquo modo poterat, confirmaret, errorem, vt fit, errore cumulat, librorum eius philosophi ridiculum quendam ordinem commentus. primum enim de philoso- 1. de Nat. Deorum.

phia librum ait esse libros τῶν μετὰ τὰ φυσικά: secundum, libros φυσικῆς ἀκροάσεως: tertium, libros de cœlo. quam ineptiam pluribus verbis exagitare nihil opus est. id modo admonere non ab re fuerit, scripsisse Aristotelem libros tres, quibus nomen fecerit, περὶ ἀγαθοῦ, ἢ περὶ φιλοσοφίας, quibus complexus erat ea, quæ in sermonibus a Platone acceperat, itemque nonnulla Pythagoræ dogmata. Numerum librorum a Laertio accepimus: qui in indice scriptorum Aristotelis ponit, περὶ φιλοσοφίας α β γ. Ipsemet autem eorum meminit libro primo De animo, his verbis: Ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λεγομένοις διωρίσθη. quæ verba ita exponit Simplicius: περὶ φιλοσοφίας νῦν λέγει, τὰ περὶ τἀγαθοῦ αὐτῷ ἐκ τῆς Πλάτωνος ἀναγεγραμμένα συνουσίας. ἐν οἷς ἱστορεῖ τάς τε Πυθαγορείους, καὶ Πλατωνικὰς περὶ τῶν ὄντων δόξας. ex his autem facile cognosci potest error illorum, qui apud Ciceronem legebant, *A magistro Platone uno dissentiens.*

Vita Aristotelis. lib. 5.

Ciceronis e tertio De natura deorum locus ex Aristotele expressus.

CAPVT XXII.

SEmper existimaui, ea, quæ libro tertio De natura Deorum Cicero Cottam dicentem facit, vt ostendat, in diis virtutē inesse non posse, depromta esse ex Aristotele. Sed vt de hoc meo iudicio ceterorum iudicium faciam, hoc loco vtriusq; verba proponam. Ita ergo loquitur Cotta: *Quid enim? prudentiā ne Deo tribuemus? quæ constat ex scientia rerum bonarum & malarum, & nec bonarū nec malarum. Cui mali nihil est, nec esse potest, quid huic opus est delectu bonorum & malorum? quid autem ratione? quid intelligentia? quibus vtimur ad eam rem, vt apertis obscura assequamur. at obscurum Deo nihil potest esse. Nam iustitia, quæ suū cuiq; distribuit, quid pertinet ad Deos? hominum enim societas & communitas, vt vos dicitis, iustitiam procreauit. temperantia autem constat prætermittēdis voluptatibus corporis: cui si locus in cælo est, est etiā voluptatibus. nam fortis Deus intelligi qui potest? in dolore, an in labore, an in periculo? quorum Deum nihil attingit.* Apud Aristotelem autem libro 10. De moribus ad Nicomachum hæc leguntur: Πράξεις δὲ ποίας ἀπονεῖμαι χρεὼν αὐτοῖς; πότερα τὰς δικαίας; ἢ γελοῖοι φανοῦνται, συναλλάττοντες, καὶ παρακαταθήκας ἀποδιδόντες, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα; ἀλλὰ τὰς ἀνδρείας, ὑπομένοντας τὰ φοβερά, καὶ κινδυνεύοντας, ὅτι καλόν; ἢ τὰς ἐλευθερίας; τίνι δὲ δώσουσι; ἄτοπον δέ. ἢ καὶ αὐτοῖς ἔσται νόμισμα ἤ τι τοιοῦτον; αἱ δὲ σώφρονες, τί ἂν εἶεν; ἢ φορτικὸς ὁ ἔπαινος· ὅτι οὐκ ἔχουσι φαύλας ἐπιθυμίας. διεξιοῦσι δὲ πάντα, φαίνοιτ' ἂν τὰ περὶ τὰς πράξεις μικρὰ καὶ ἀνάξια θεῶν. quanquam autem inter vtriusq; orationem nō ita magna est dissimilitudo, longe tamen aliud Cottæ, aliud philosophi consilium fuit. ille enim scelerate & impie efficere voluit, nullam vllius generis in diis inesse virtutem, hic cum docere vellet, τὴν θεωρητικὴν τῆς ἀρετῆς præstare τῆς πρακτικῆς, ostendit has

humi-

humiliores esse & abiectiores, quamvt in diuinam naturam conuenirent. Præclare autem Platonici ; omnes omnino virtutes in Deo inesse dicebant, sed longe alio modo, quam in hominibus: nempe κατ' ἐξῃρημένως, καὶ αἰτιωδῶς. nobis quidem nihil esse certius atq; exploratius debet, quam Deum esse principium ac finē omnium virtutum, bonorumq; adeo omnium: ipsum solum vere ac per se bonum: cetera eo tantum bona, quod ab ipso proficiscuntur, ad eundemque referuntur.

Locus e Miloniana cum duobus Demosthenis, vno altero Lysia comparatus.

CAPVT XXIII.

CAllide & ingeniose locutus est Cicero in Miloniana, cum illuc venisset, vt fatendum esset, Clodium a seruis Milonis occisum fuisse. nam qui prospiceret, rem ipsam per se odiosam esse (nemo enim fere est, qui ad cædis mentionem non exhorrescat, & auersetur eum, a quo illa perpetrata dicitur) noluit eam suo ac proprio nomine appellare; sed eam orationi suæ sententiam intexuit, quæ ad auertendum odium, & ad facinus ipsum excusandum cogitari potuit aptissima. *Fecerunt*, inquit, *serui Milonis, quod suos quisque seruos in tali re facere voluisset.* neque enim non satis ex eo intelligitur, occisum Clodium: sed asperitas rei tollitur, mitigatur quidem certe, cum cogitat quisque, se quoq; idem facturum fuisse, si in tale discrimen incidisset. Omnes enim facile ignoscunt, cum quis quid fecit, quod ipsi quoque fecissent. Vsus est autem in re quidem & dissimili, & dispari, sed tamen vsus est eadem sententia Demosthenes in oratione aduersus Midiam. Se enim dicit, contumeliis affectum a Midia, id fecisse, quod eorum qui iudicabant, quisq; sibi faciendum esse duxisset. Ἐγὼ δ' ὅπερ ἂν ὑμῶν ἕκαστος ὑβρισθεὶς οἰηθείη πρᾶξαι, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐποίησα. Idem artificium adhibuit subtilissimus oratorum Lysias in oratione, quam scripsit ei, qui Eratosthenem quendam, in vxore sua deprehensum, occiderat. Nō enim aperte ac simpliciter dicit, eū a se interfectum, sed consecutum ea, quæ legibus cōstituta essent in eos, qui talia facinora facerent. οὕτως, inquit, ὦ ἄνδρες, ἐκεῖνος τούτου ἔτυχεν, ὧνπερ καὶ νόμοι κελεύουσι τοὺς τὰ τοιαῦτα πράττοντας.

Illustrati Virgiliani versus e quarto Æneidos.

CAPVT XXIV.

FVrorem illum, quo correpta est Dido, cum cognosset, captū iam esse Æneæ abeundi consilium, vt magis exprimeret optimus poetarum, comparauit eam cum duobus, qui sæpe in tragœdiis furentes inducebantur, Pentheo & Oreste. noti autem sunt illius versus:

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus, 4. Æneid. vers. 469

Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas:

Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem & serpentibus atris
Cum fugit, vltricesq; sedent in limine Diræ.

ac Seruius eorum exemplorum vtrumque a Pacuuio sumtum esse dicit, qui furentem induxerit Pentheum, idemque fecerit Oresté sedentem in Apollinis templo, neque audentem egredi: quod comitata furiis matris vmbra limen templi obsideret. neque sane inficias iuerim, potuisse Virgilium hoc a Pacuuio sumere mihi tamé nescio, quo modo verisimilius sit, hausisse eum ex ipsis fontibus, atq; ex Æschylo potius, & Euripide, quam e Pacuuio, ornamenta operi suo quæsisse. apud Euripidem quidem in Bacchis ita loquitur Pentheus:

Act. 4.

Καὶ μὴν ὁρᾶν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ.
Διστὰς δὲ Θήβας.
Videre videor iam duos soles mihi,
Duplicesq; Thebas

apud Æschylum autem in Eumenidibus ea spectantur, quæ Latinus poeta de Oreste perstringit. aut igitur a Græcis illa repetiit, aut a Pacuuio, qui eas, quas nominaui, fabulas verterat.

M. ANTONII MVRETI AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDInalem amplissimum & illustr.

VARIARVM LECTIONVM Liber Octauus.

Poetarum & apum comparatio. Illustratus Horatii versus, Necte meo Lamiæ coronam.

CAPVT I.

Libenter ac sæpe faciunt poetæ, vt se quidem apibus, studium autem suum mellificio cuidam comparét. neque, si quis diligenter inspiciat, parum multa vtrisque inter se similia reperientur. Apes instruendis operibus suis naturam tantum magistram sequuntur, artem non adhibent. sic & poetæ natura tantú valent: arte si qui se poetarum nomen tueri posse confidunt, eos grauissimus auctor Plato pronuntiat, nihil vnquam egregium ac memorabile effecturos. Itaq. Pindarus eo se gloriatur aduersariis suis, Bacchylide nimirum & Simonide, esse superiorem: quod ipse natura poeta sit, illi autem didicerint a magistris: in quo tantum esse vult, vt eo potissimum nomine se aquilæ, illos coruorum similes esse dicat.

σοφὸς,

σοφὸς, inquit, ὁ πολ-
λὰ εἰδὼς φυᾷ·
μαθόντες δὲ, λάβροι
παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὥς,
ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον. *Pindarus. Olymp. 2.*

Apes, nisi irritentur, innocuæ sunt: irritatæ figunt aculeis eos, à quibus læsæ sunt, & acerbissimos eis dolores infligunt. Idem poetis ingenium. Nulla, vbi non læduntur, innocentior hominum natio: lacessiti ira se vlciscuntur, vt interdū eos, a quibus offensi erant, ad mortē adegisse narrentur. Nam præter id, quod de Archilocho accepimus; noui ego, qui hac ætate tantum versib⁹ suis inimico dolorem inusserit, vt ex eo ille sit mortuus. Neq; non hoc de se ipsis poetæ prædicant, quorum sunt illa:

Caue, caue: namque in malos asperrimus,
Parata tollo cornua. &, *Horatius Epod. 6.*

Ne quisquam noceat cupido mihi pacis. at ille,
Qui me commorit: (melius non tangere. clamo)
Flebit, & insignis tota cantabitur vrbe. *Idem l. 2. Satyr. 1.*

Quocirca Plato in Minoe præcipit iis, qui bonæ famæ studiosi sunt, vt diligenter caueant, ne cum Poetis inimicitias suscipiant. Apes e variis floribus succum exprimentes, opus dulcissimū conficiunt. Poetæ quoq; vagantes per hortos illos Gratiarum & Veneris, de quibus est apud Pindarum, & ex iis bellissimum quodq; carpentes, ea concinnant carmina, quibus ne mel quidem ipsum mellitius videri potest. Inde igitur illa sunt.

Floriferis vt apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima vita. &, *Lucretius lib. 3.*

——— *ego apis Matinæ*
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, vuidique
Tiburis ripas, operosa paruus
Carmina fingo. *Horat. Car. l. 4. Od. 2.*

Merito igitur Eustathius ait, apem ζῶον εἶναι συγγενὲς τῇ ποιήσει, διά τε τὸ μέχρι τοῦ νῦν ἐπὶ τῇ ἐργασίᾳ, καὶ διὰ τὴν τοῦ ἔργου γλυκύτητα, καὶ τὸ τοῦ κέντρου δύσφορον ... ὧν πάντων μετέχει καὶ ἡ ποίησις, πόνῳ τε ἀθροισθεῖσα, ἐδόντι γὰρ τὸ καλῶν πόνου χρῄζεις, ἔχουσα δὲ καὶ γλυκύτητα οὐκ ὀλίγην, ἐναγλαΐζομένη δὲ, ἐν τῇ οὐ μέτρῳ οὔσῃ ποιᾷ.

Est etiam, cum poetæ iucundissima quadam allegoria vtentes, poemata sua coronas vocant, quibus aiunt, ornari ac redimiri a se caput illius, quem laudant: vt in Pythiis: σὺν ἁρμονίᾳ δέξαι στεφάνωμα τόδε. & alibi sæpe. quod imitatus Horatius dixit:

——— *ô quæ fontibus integris* *Lib. 1. Od. 26.*

Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam
Pimplea dulcis.

Delitiæ autem meæ, Euripides, Hippolytum quoque de hymno, quo Dianam celebrauerat, ita vt de corona quapiam loquentem facit:

Hippolyto, Act. 2.

Σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου
λειμῶνος, ὦ δέσποινα, κοσμήσας φέρω,
ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν βοτὰ,
οὐδ' ἦλθέ πω σίδηρος, ἀλλ' ἀκήρατον
μέλισσα λειμῶν' ἠρινὸν διέρχεται.
αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.
ὅσοις διδακτὸν μηδὲν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάντ' ἀεὶ,
τούτοις δρέπεσθαι, τοῖς κακοῖσι δ' οὐ θέμις.
ἀλλ', ὦ φίλη δέσποινα, χρυσέας κόμης
ἀνάδημα δέξαι, χειρὸς εὐσεβοῦς ἄπο.

atque equidem hos verſus, ſi potero, vel potius, vtcunque potero, Latine exprimam: vt etiam ii, qui Græce neſciunt, ſingularem eorum ſuauitatem quoquo modo odorentur. ab iis autẽ, qui Græca per ſe ſatis intelligunt, valde peto, vt hæc mea aut ne legant, aut conniuentibus oculis legant:

Tibi hanc corollam, diua, nexilem fero,
Aptam e virentis pratuli intonſa coma:
Quo neq; proteruum paſtor vnquam inigit pecus,
Neque falſis vnquam venit acies improba.
Apis vna flores vere libat integros,
Puris honeſtus quos rigat lymphis Pudor.
Illis, magiſtri quos ſine opera, perpetem
Natura docuit ipſa temperantiam,
Fas carpere illinc: improbis autem nefas.
At tu aureæ, regina, vinculum comæ
Amica ſuſcipe, pia quod porgit manus.

& quoniam ſemel audere cœpi, ſubiungam etiam verſus aliquot ex Edyllio, quod abhinc annos nouem ad FRANCISCVM TVRNONIVM, Cardinalem omnibus maximis honoribus digniſſimum, ſcripſi. In eo igitur ita erat, in extremo:

Ipſe ego tum e terra pennis ſublatus Amoris,
Per Charitum, Venerisq; hortos, pictosq; perenni
Flore ferar campos, & vulgo incognita prata.
Vnde metens violasque, & purpureos hyacinthos,
Intactasq; roſas, immortalesq; amaranthos,
Non prius audito texam tibi more corollam,
Quæ, damnoſi expers ſenii, tua tempora circum
Ardeat, æternoq; nitens ſcintillet honore.

Donec

Donec ad æquores ignotos fluctibus ignes
Clara Ariadnea rutilabunt signa corona.

De quodam loco e libro secundo Rhetoricorum Aristotelis aduersus Petri Victorii sententiam.

CAPVT II.

ÆQuiore animo se puniri ferunt, quicunque se, qui puniantur, dignos putant. Quocirca Aristoteles libro secundo De arte Rhetorica, inter ea, quæ ad mitigandum animum pertinent, ponit id quoque, vt iis, qui sibi factam iniuriam censent, ostendamus, ipsos priores in iniuria inferenda fuisse, & merito ipsis contingere ea, de quibus querũtur. ira enim ex opinione iniuriæ nascitur, quare si desinent putare iniuriam sibi fieri, irasci desinent. Sed in eius rei tractatione quędam verba sunt, quorum sententiã Victorium assecutum esse non existimo. Sunt autem hæc: Διὸ τῷ λόγῳ δεῖ προκολάζειν· ἀγανακτοῦσι γὰρ ἧττον κολαζόμενοι, καὶ οἱ δοῦλοι. quæ ita exponuntur a Victorio: *Ne facile irascamur, & ex tenui quaq; ac sæpe iniusta caussa accendamur animo, quæ ex re magna sæpe mala exoriuntur, præcipit, quomodo nos gerere debeamus. Ne temere igitur, inquit, in alios irruamus, non est cunctandum ratione animum præparare, & quasi ante motum illum castigare: hæc enim caussa est, cur serui male mulctati æquo animo ferunt, nec valde indignantur: antea enim iniquam suam cõditionem cogitantes, tolerandis miseriis se præpararunt: Id autem apud Plautum in milite seruum docere Periplectomenus tradit. Nam homini seruo suos domitos habere oportet oculos, & manus, orationemq;.* Hæc Victorius; quæ, an vera sint, nescio. mihi quidem non videntur. Credo autem hoc Aristotelem dicere: Cum reapse punire aliquem volumus, prius eum oratione esse castigandum, atq; efficiendum, vt ipse plane intelligat, quasique oculis cernat, se commeritum pœnam. Nam & serui minus indigne ferunt supplicia, quę de ipsis sumuntur, si hoc modo cum eis agamus.

Collatio loci cuiusdam e Phædro Platonis cum eiusdem loci interpretatione Ciceroniana.

CAPVT III.

NObilem illum Platonis e Phædro locum, vbi animorũ immortalitas necessaria ratione probari creditur, Cicero, vt notum est, & in libris De Rep. & in primo Tusculanarum disputationum interpretatus est. mihi autem hoc loco decretum est, cum Platonis verbis, Ciceronis interpretationem, quam diligentissime potero, contendere. puto enim, cum apud vtrumq; nonnulla haud satis emendate legantur, ex hac collatione aliquid emersurum. Plato, ψυχὴ πᾶσα ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀεικίνητον ἀθάνατον. Cicero, omissa propositione: *Nam quod semper mouetur, æternum est.* In quo illud obseruatione dignum puto, quod ἀθάνατον vertit *æternum*. quamuis enim Plato animos non immortales modo fa-

ciebat, verum etiam æternos; neq; quicquam apud philosophos immortale sit, quod non sit etiam æternum: tamen hæc vocabula vulgo distingui solent, cum Cicero plane pro eodem accipiat. Plato: τὸ δ' ἄλλο κινοῦν καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει ζωῆς. Cicero: *Quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, viuendi quoque finem habeat necesse est.* Præclare omnino reddita hæc pars videtur. cum autem illa eiusdem verbi repetitio; quæ in Græca oratione nihil habet insuauitatis, in Latino sermone parum elegans, neque satis dilucida fore videretur, varietate vitauit hoc incommodi: *motum afferre*, dicens, pro *mouere*: & *agitari*, pro *moueri*. sed & illud ἔχει, in quo colligendi vis inest, ita expressum est, vt nihil melius optari queat. Plato: μόνον δὴ τὸ αὑτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτό, οὔποτε λήγει κινούμενον. ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως. Cicero: *Solum igitur quod sese mouet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moueri quidem desinit. quinetiam ceteris, quæ mouentur, hic fons, hoc principiũ est mouendi.* In quibus illa præcipue annotanda duco: ἅτε, commode verti, *quia*: & κινήσεως, *mouendi*. Plato, ἀρχὴ δὲ ἀγένητον. Cicero, *Principii autem nulla est origo.* eleganter. neque enim poterat vna voce dicere ἀγένητον: cum *ingenitum* sit ἔμφυτον. Plato, ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι· αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνός. Cicero, *Nam ex principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci potest.* ἀνάγκη γίγνεσθαι, dixit simpliciter, *oriuntur*. & illud, τὸ γιγνόμενον, omisit. Plato: εἰ γὰρ ἔκ του ἀρχὴ γίγνοιτο: οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. Cicero, *Nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde.* videtur ergo apud Platonẽ legisse: εἰ γὰρ ἔκ του ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἀρχὴ γίγνοιτο. quod mihi, ne quid dissimulem, verius videtur. Aristoteles quoque principiorum tres proprietates esse voluit: vt ne gignerentur ex aliis: vt ne ex se inuicem: & vt ex ipsis cetera gignerentur. Plato. ἐπειδὴ δὲ ἀγένητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι. ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολομένης, οὔτε αὐτή ποτε ἔκ του, οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται. εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι. Cicero, *Quod si nunquã oritur, ne occidit quidem vnquam. nam principium exstinctum, nec ipsum ab alio renascetur: nec ex se aliud creabit.* (in quibusdam libris legitur, *recreabit*.) *siquidem necesse est a principio oriri omnia.* Plato, οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ, τὸ αὐτὸ κινοῦν. Cicero aliquanto liberius: *Ita fit, vt motus principium ex eo sit, quod ipsum a se mouetur.* Plato, τοῦτο δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθαι, οὔτε γίγνεσθαι δυνατόν. Cicero, *Id autem nec nasci potest, nec mori.* legit igitur apud Platonem, οὔτε γίγνεσθαι οὔτ' ἀπόλλυσθαι. & sane is ordo melior, & magis naturæ consentaneus videtur. Plato, ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γῆν εἰς ἓν συμπεσοῦσαν στῆναι καὶ μή ποτε αὖθις ἔχειν ὅθεν κινηθέντα γενήσεται. Cicero, *Vel concidat omne cælum, omnisq; natura, & consistat necesse est: nec vim vllam nanciscatur, qua, vt a primo, impulsa moueatur.*

Qua

Qua in parte id primum animaduertendum est voculam *&*, quæ in vulgatis Ciceronis libris non est, in veteribus legi: & necessariã videri. Deinde, cum Plato dicat, πᾶσάν τε γῆν: non est, vt opinor, dubitandum quin apud Ciceronem legendum sit, non, *omnisque natura*, sed *omnisque terra*. In verbis autem Platonis delendum videtur illud secundum εἰς ἓν, quod neque Cicero agnoscit, & sententia repudiat. Postremo cum in quibusdam Ciceronis libris vltima pars ita legatur, *Quæ primo impulsu moueatur*: testificor, veterem scripturam a me repræsentatam esse: neque dubitare me, quin ea vera sit. Αὖθις autem reddidit Cicero, *vt a primo*. Plato, ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτον αὐτὸν τις λέγων, οὐκ αἰσχυνεῖται. Cicero, *Cum pateat igitur, æternum id esse, quod a seipso moueatur* (in aliis libris, *quod seipsum moueat*) *quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget?* cuius periodi posteriorem partem si Cicero ita legit, vt hodie legitur (neque aliter legisse puto,) ne ille mirificus in ea conuertenda fuit. Hoc enim dicit Plato: si quis ita definiat animum, vt dicat animum esse id, quod seipsum mouet, eam definitionem nunquam auctori suo incussuram pudorem. nam οὐσίαν, & λόγον, & paulo post φύσιν vocat id, quod Aristoteles τὸ τί ἦν εἶναι ea vero sententia quomodo e Ciceronis verbis efficiatur, Deus aliquis viderit. Plato. πᾶν γὰρ σῶμα ᾧ μὲν ἔξωθεν τὸ κινεῖσθαι, ἄψυχον· ᾧ δὲ ἔνδοθεν αὐτῷ ἐξ αὑτοῦ, ἔμψυχον. ὡς ταύτης οὔσης φύσεως ψυχῆς. vbi non dubito, quin legendum sit αὐτῷ ἐξ αὑτοῦ. Cicero: *Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo. quod autem animal est*, (in quibusdam libris, *Quod autem est animatum*) *id motu cietur interiore & suo. nam hæc est propria natura animæ* (in quibusdam libris *animi*) *atque vis*. Inuertisse videtur Cicero ordinem τῶν προτάσεων, id est, fecisse ἐξ ὑποκειμένου κατηγορούμενον, & ἀνάπαλιν. Plato, εἰ δ' ἐστι τοῦτο οὕτως ἔχον, μὴ ἄλλο τι εἶναι τὸ αὐτὸ, αὐτὸ κινοῦν, ἢ ψυχὴν, ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε, καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη. Cicero, *Quæ si est vna ex omnibus quæ sese moueat; neque nata certe est, & æterna est.*

Correctus & explicatus locus Platonis ex apologia Socratis.

CAPVT IV.

QVotidie magis intelligo, verum esse id, quod semper existimaui: nullam esse mendam ita pusillam, quam non permagni intersit, e veterum monumentis tolli ac corrigi: neq; vllum hominum genus magis prodesse studiis, quam eos, qui accurate & fideliter operam in illis purgandis emendandisq; ponunt. vnius enim literulæ erratum interdum eas etiam eruditissimis hominibus offundit tenebras, vt tanquam in illuni nocte errantes, quouis potius perueniant, quam quo volunt. quod & sæpe alias animaduerti, & nuper cum Platonicam Socratis

apologiam euoluerem. in qua cum alia peccata a Marsilio deprehendi, tum hoc, quod nunc ostendere institui. nam cetera, est cur reiecta in aliud tempus velim. ad ipsum igitur illius orationis finem ita legitur: Τοσόνδε μέν τοι αὐτῶν δέομαι· τοὺς υἱεῖς μου, ἐπειδὰν ἡβήσωσι, τιμωρήσασθε ὦ ἄνδρες, ταὐτὰ ταῦτα λυπήσοντες, ἅπερ ἐγὼ ὑμᾶς ἐλύπουν, ἐὰν ὑμῖν δοκῶσιν ἢ χρημάτων, ἢ ἄλλου του πρότερον ἐπιμελεῖσθαι, ἢ ἀρετῆς καὶ ἐὰν δοκῶσί τι εἶναι, μηδὲν ὄντες, ὀνειδίζετε αὐτοῖς, ὥσπερ ἐγὼ ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἐπιμελοῦνται ὧν δεῖ, καὶ οἴονταί τι εἶναι, ὄντες οὐδενὸς ἄξιοι καὶ ἐὰν ταῦτα ποιῆτε, δίκαια πεπονθὼς ἐγὼ ἔσομαι ὑφ' ὑμῶν, αὐτός τε, καὶ οἱ υἱεῖς. quæ verba ita Marsilius reddidit: *Tantum tamen vos precor, o viri, vt meos quoq; filios, cum adoleuerint, si ipsi, similiter atq; ego, vobis molesti sint, pœnis similiter afficiatis, præsertim si videantur vobis vel pecuniarum, vel alterius cuiusquam rei maiorem, quam virtutis curam habere: atq; si videri velint, putentve, se alicuius esse pretii, cum nullius sint, illos obiurgetis, quemadmodum ego vos: quod non illis incumbant, quibus est incumbendum: ac existiment, cũ nullius pretii sint, se aliquid esse. Quod si hac feceritis, iusta a vobis passus fuero egoq; & filii.* In quibus id admirabile atque absurdum videtur: quid sit, cur Socrates ab Atheniensibus petat, filios suos interfici, si paternam hominum admonẽdorum & adiuuandorum consuetudinem, vbi adoleuerint, imitentur. quid enim peccasse fortassis sibi ipsi videbatur, quod eam viuendi viam insecutus esset? minime omnium. nam se in eo, & deo obtemperasse dixerat, & meritum, vt ea caussa in Prytaneo aleretur: &, si vita daretur longior, vnquam aliter facturum negaret. qua igitur de re ipse se merito amabat, summisque dignum honoribus vere gloriabatur: quid erat caussæ, cur eius in studia versari filios nollet? At dicet fortasse aliquis: ita demum eos ab Atheniensibus vltimo supplicio affici cupit, si ita reprehendant alios, vt ipsimet interim nihili sint, aliarumque rerum maiorem, quam virtutis, curam gerant. Ita ne quæso? Sic quoque eos morte multari, quam admoneri, ac corrigi mauult? nam si diceret se petere, primum vt liberi sui, si quid peccarent, reprehenderentur, atque increparentur diligenter: deinde, si viderentur ita deprauati, vt corrigi non possent, vita priuarentur denique: non inhonesta, neque aliena personæ Socratis esset oratio. sed & multa alia proferre possem, quibus eius sententiæ absurditas ostenderetur, nisi satius ducerem, iis omissis, veritatem ipsam detegere, cuius splendor exigui erroris nubecula obumbratus, Marsilii aciem fugit. vbi enim λυπήσοντες vulgo legimus, legendum est λυποῦντες. qua tantula mutatione scripturæ, quanta fiat sententiæ mutatio, videamus. hoc enim dicit Socrates, Peto a vobis Athenienses, cum filii mei adoleuerint, vt eos vlciscamini, easdem illis molestias exhibentes, quas ego vobis exhibere consueueram: si aut pecuniæ, aut vllius omnino rei, quam virtutis, studiosiores esse videantur.

deantur. Quas enim solebat exhibere molestias Atheniensibus Socrates? admonebat eos, vrgebat, instabat, ne vllam rem virtute potiorem esse ducerent: neue quicquam illius studio præuertendum putarent. eandem igitur molestiam filiis suis exhiberi cupit. itaque addit: Quod si, nihili cum sint, aliquid tamen esse se existiment: exprobrate eis, vt ego vobis, quod nō in iis, in quibus oportet, studium collocent: quodque, nulli pretii cum sint, aliquid se esse arbitrentur. Id enim se fecisse ipsemet dixerat: cum eos, qui se sapientes putabant, longe abesse a sapientia ostenderet. Sequitur: Hæc si feceritis: tum & mihi, & filiis meis, id quod iustum est, tribueritis. Mihi quidem: quoniam quod ego beneficium in vos cōtuli, id vos conferetis in filios meos. Ipsis autem: quoniam afficietis illos ea pœna, quæ errantibus debita est: quænam autem pœna illa sit, e primo πολιτειῶν cognoscere est: vbi cum Thrasymachus quæsisset de Socrate, qui tandem perpeti paratus esset, si ipse talem iustitiæ definitionem attulisset, quæ reprehendi nullo modo posset: Quid vero, inquit, aliud Socrates, quam quod eum perpeti par est, qui aliquid nescit; par est autem eum a sciente discere. egoque, de me quominus ea pœna sumatur, non recuso. Hæc tam præclara sententia in vnius literæ peruersione latuerat.

Virgilii versus e sexto Æneidos ex Homero imitati.

CAPVT V.

CVm studiose fecerint aliquot eruditi homines, vt indicarent locos Homeri, quos Virgilius imitatus esset: multos tamen (neque aliter in tanta copia fieri potuit) prætermiserunt. qualis est ille e sexto Æneidos: vbi, accipiente in nauim Charonte:

Ingentem Æneam, gemuit sub pondere cymba v. 413.
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.

Ita enim Iliados ε, cum insiliret Minerua in Currum Diomedis, gemuisse sub tanto pondere axis faginus dicitur:

Ἡ δ' ἐς δίφρον ἔβαινε παραὶ Διομήδεα δῖον
Ἐμμεμαυῖα θεά. μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων v. 837.
Βριθοσύνῃ. δεινὴν γὰρ ἄγεν θεὸν, ἄνδρα τ' ἄριστον.

Notatum Petri Victorii μνημονικὸν ἁμάρτημα.

CAPVT VI.

PEtrus Victorius libro sexto Variarum lectionum, narrans notum illud Socratis somnium, quo, cum in custodia publica esset, præuidit, sibi post tertium diem esse moriendum, admonitus illo versu, Cap. 9.

Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην

Versum, inquit, esse e primo libro Iliados notum est, pronuntiaturque illic ab Agamemnone in iurgio illo: cum enim dixisset Achilles se domum reuersurum, copiasque suas e bello abducturum, compulsum iam-

vis ipsius: libere permisit illi, vt hoc, si vellet, faceret, rex regum, vtque se obtenderet nihil curare discessum illius, monstrauit in sermone, cum breui tempore domum peruenturum. Hæc Victorius, quæ omnia, vt vno verbo dicam, falsa sunt. versum enim illum esse, non e primo, sed e nono libro Iliados, notum est: pronuntiaturque illic non ab Agamemnone, neque in iurgio; sed ab Achille, qui Vlyssem alloquens, abiturum se dicit. & si Neptunus prosperum cursum dederit, tertio die in patriam peruenturum.

εἰ δέ κεν εὐπλοΐην δώῃ κλυτὸς Ἐννοσίγαιος,
ἤματί κε τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.

Iliad. 9. v. 362.

Id est:

Quod si Neptunus facilem dederit mihi cursum,
Tertia lux Phthia laetis me sistet in aruis.

Cur autem apud Platonem ex *ἱκοίμην* factum sit *ἵκοιο*, facile est videre. Neminem igitur memoriæ suæ valde confidere oportet: cum Victorium quoque ipsum, tanta doctrinæ copia præditum hominem, in rebus non abstrusis, neque reconditis, interdum tamen vacillare videamus.

De facultate contrariorum. emendatus & declaratus locus e secundo Aristotelis de arte dicendi.

CAPVT VII.

TRibus modis intelligi potest id, quod in philosophorũ scholis tritum ac celebratum est, contrariorum eandem esse vim ac potestatem. aut enim de vi ea, quæ inest in ipsis contrariis, aut de ea, qua contraria apprehenduntur, aut de ea, qua efficiuntur. nos, docendi caussa, vim insitam, vim percipientem, & vim efficientem vocabimus. Ergo si de vi insita quis loquatur, non eadem est vis ac potestas contrariorum, imo vero contraria. exempli gratia: non eadem vis est insita frigori ac calori; cum frigus contrahendi vim habeat, laxandi calor: non eadem albo & nigro: cum illud visionem dissipet, hoc colligat. omnino autem, cum de hoc genere potestatis proprie ac per se agitur: valet illa regula, quæ posita est in primo dialecticorum, Contraria de contrariis dicta, probabilia esse. Quod si agatur de vi percipiente: tum simpliciter & absolute dici potest, eandem esse vim contrariorum. etenim album & nigrum eadem facultate cognoscimus: itemque consonum & dissonum; calidum & frigidum, & similia. Et de hac potestate intelligendus est locus ille e principio quinti Ethicorum, vbi hoc dicitur. quinetiam ob hanc ipsam caussam contrariorum eadem est ars, eademque scientia. *πᾶσαι γὰρ αἱ τέχναι, καὶ αἱ ποιητικαί, καὶ αἱ ἐπιστῆμαι, δυνάμεις εἰσίν.* ait Aristoteles libro octauo *τῶν μετὰ τὰ φυσικά*. Vbi autem sermo est de potestate efficiente, adhibenda quædam distinctio est. nam caussa efficiens contrariorum & quodammodo eadem est, & quodammodo non eadem,

eadem; nempe eadem quidem genere, sed non eadem specie. Verbi caussa: eadem res efficit sanitatem & morbum: nempe temperatio quatuor humorum, e quibus corpus constitutum est. sed illam bona temperatio, hanc mala. itidemque efficiendæ virtutis, & efficiendi vitii potestas eadem in re sita est: in consuetudine. non tamen vna eademque consuetudo vitiosum, & virtute præditum efficit hominem: sed contraria. atque ita intelligendus est locus ille e secundo Rhetoricorum: ἡ γὰρ αὐτὴ δύναμις τῶν ἐναντίων, ᾗ ἐναντία. in quo Victorius sui se dissimilem præbuit. legendum autem ibi est, ᾗ ἐναντία non, vt vulgo legitur, ᾗ ἐναντία. quod ego cum a primo coniectura tantum fretus iudicassem: reperi postea libros & calamo notatos, & typis descriptos, qui opinionem confirmarent meam. Quod si vna eademque specie, aut etiam numero res potestatem efficiendi contraria in se continere dicatur: id necesse erit contingere aut non in eodem ὑποκειμένῳ: aut quod si idem sit, non sit tamen affectum eodem modo: aut contraria illa non eadem ratione efficientur, aut non eodem quasi instrumento. Vt idem ignis & astringit, & resoluit: sed astringit fortasse corium: ceram, aut glaciem laxat. Æstas appetentiam rerum Venerearum & auget, & minuit: sed minuit in viris: auget in fœminis. Ebrietas alii garrulitatem affert, alii silentium. doctrinæ copia alii confidentiam, alii timiditatem. Fieri etiam potest, vt sit idem ὑποκείμενον: sed non eodem modo affectum, vt vini, aut Veneris vsus vni eidemque homini, sed aliter atque aliter affecto, modo salubris est, modo noxius. Quod si & idem sit, & eodem modo affectum: oportebit, vt dixi, contraria illa aut non eodem modo, aut non eodem quasi instrumento effici. Nam diuturna niuis contrectatio & frigus affert, & calorem: sed alterum quidem per se, alterum per quandam ἀντιπερίστασιν. Vinum & humectat, & exsiccat: sed alterum per se, alterum κατὰ συμβεβηκός. sic senectus adueniens & sicciores, & humidiores facit. At idem medicus eundem hominem & interficere potest, & sanare: non tamen eodem plane instrumento; sed hoc remedio, illud veneno. & idem geometres potest in eodem auditore & scientiam, & ignorantiam efficere; sed illam demonstratione, hanc paralogismo. Hæc mihi de hisce rebus cogitanti venerant in mentem; quæ cum haud prorsus ἀφιλόσοφα viderentur; placuit aliorum iudicio committere.

Alius locus ex eodem libro explicatus.

CAPVT VIII.

INest obscuritatis aliquid etiam in iis verbis, quæ proxime antecedunt eum, quem modo adduximus, e Rhetoricis locum. ait enim Aristoteles; Si vnum contrariorum eam naturam habeat, vt aut esse, aut fuisse possit: posse id probabiliter etiam de altero colligi. quod quidem verum esse non videbitur, nisi, quomodo

hic accipiatur *δυνατὸν* intelligas, idque Victorium nullo modo attigisse miror. *Δυνατοῦ* enim nomen interdum ita late patet, vt amplectatur & id, quod necessario vel fit, vel est, *καὶ κατὰ τὸ ἄλλως ἔχειν ἀδιαφορεῖ*: & id, quod citra vllam necessitatem. interdum autem ad hoc tantum genus, quod posteriore loco posuimus, pertinet, *καὶ ἀντιδιαιρεῖται τῷ ἐξ ἀνάγκης*. Illo priore modo si accipias, falsum erit, quod hic ab Aristotele traditur. non enim si potest ignis esse calidus, sequitur, vt etiam frigidus esse possit. neque, si potest moueri cœlum, potest etiam quiescere. nam in iis, quæ necessario sunt, non vtrumque contrariorum est *τῶν δυνατῶν*, sed alterum tantum; neque vtrumlibet, sed certo ac definite alterum. Nemo autem cauilletur hic, motum & quietem non esse proprie contraria. constat enim, hic, vt sæpe alibi, Aristotelem accipere *τὰ ἐναντία ἀντὶ τῶν ὁπωσδηποτοῦν ἀντικειμένων*. posteriore igitur modo accipiendum hoc loco est *τὸ τοῦ δυνατοῦ ὄνομα*, & ita verissimum erit, quod docetur. nam hoc modo *πᾶν τὸ δυνατὸν εἶναι, δυνατὸν ἐστὶ καὶ μὴ εἶναι*. Ita disputantur hæc ab Aristotele *ἐν τῷ περὶ ἑρμηνείας*.

Correctus Ciceronis locus ex oratione pro C. Rabirio perduellionis reo.

CAPVT IX.

Misera est ignominia iudiciorum publicorum; misera multatio honorum: miserum exilium: sed tamen in omni calamitate retinetur aliquod vestigium libertatis. mors denique si proponitur, in libertate moriamur. carnifex vero, & obductio capitis, & nomen ipsum crucis absit non modo a corpore ciuium R. sed etiam a cogitatione, oculis, auribus. harum enim omnium rerum non solum euentus atque perpessio, sed etiam conditio, exspectatio, mentio ipsa denique indigna ciue R. atque homine libero est. Ciceronis hæc verba sunt e luculenta illa oratione, qua consul C. Rabirium defendit perduellionis reum. in quibus cum duæ voces, seu merito, seu immerito, semper mihi suspectæ fuerint: non possum, quin suspectionem meam exponam. Harum vocum prior est, *obductio*, quamquam enim non sum nescius, obducere, interdum esse idem quod, obtegere; libentius tamen hoc loco legerem, *obnuptio*. nam quod hoc vocabulum nusquam alibi apud Ciceronem legatur; ne obductio quidem. & obnuptio melius, ni fallor conueniret cum diro illo & horrendo carmine, quod paulo supra recitauerat; *Caput obnubito: arbori infelici suspendito*. Altera earum, quas dixi, vocum est, *conditio*: pro qua mallem, *condictio*. Etenim condicere, vetere lingua, est denuntiare; & condictio, denuntiatio; vt & veteres Grammatici, & Iurisconsulti docent. quo sensu, mirifice hic, vt opinor, quadraret. Sed hæc opinione tantum nixa sunt. quare cohibeamus assensionem, dum aliquid certius & exploratius afferatur.

Cicero-

Ciceronis loci duo ex Æschine, ut videtur, imitati.

CAPVT X.

CIcero cum in tertia oratione in Catilinam commemoraret ea signa, eaque prodigia, quibus dii immortales imminens periculum præmonstrauerant, populumque R. vt sibi caueret, præmonuerant, affirmauit, eos ita præsentes opem tulisse, vt pæne oculis videri possent. & paulo post, tam multa signa se consule diuinitus exstitisse dicit; vt hæc, inquit, quæ nunc fiunt, canere dii immortales viderentur. Credi autem potest imitatus esse hac in parte locum illum Æschinis ex oratione aduersus Ctesiphontem, vbi ait, deos ita prædixisse ac præsignificasse populo Atheniensi mala, quæ ei Rhetorum quorundam culpa iminerent, vt prope humana voce assumta clamarent, cauendum esse. Verba Græci oratoris hæc sunt: ἀλλ' ὁ μεγάλη γῆν, ὁ προειπόμενοι ἡμῖν οἱ θεοὶ φυλάξασθαι, μόνον οὐκ ἀνθρώπων φωνὰς προσκτησάμενοι. nam quod videre oculis, ibi Cicero dixit, eodem loquendi genere Æschines vsus erat paulo supra, etsi non eadem de re loquens: ὁρᾶτε τοῖς ὀφθαλμοῖς τὸν ἐξ ἀγορᾶς καὶ ἐπιδέξιον λιμὸν [illegible]. eam autem orationem conuerterat, vt quidem creditur, Cicero. quo facilius ipsi, quæ ex ea imitaretur, in mentem venire potuerunt. nam pulcerrimum illum locum e secunda Agraria, *Ponite ante oculos vobis Rullum in Ponto:* & illum item ex vndecima Philippica, *Ponite igitur ante oculos P.C. miseram quidem illam & flebilem speciem, sed ad incitandos animos vestros necessariam, nocturnum impetum in vrbem Asiæ clarissimam,* & quæ sequuntur: eorum igitur locorum vtrumque quin ex eadem Æschinis oratione expresserit, non sane admodũ dubito. Locus autem Æschinis, vnde illos imitatos esse credo, hic est: Γένεσθε δή μοι μικρὸν χρόνον, τῇ διανοίᾳ, μὴ ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἀλλ' ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ νομίσατε ὁρᾷν προϊόντα τὸν κήρυκα. &c. & paulo post: ἀλλ' ἐπειδὴ τοῖς σώμασιν οὐ παρεγένεσθε, ταῖς γε διανοίαις ἀποβλέψατ' αὐτῶν εἰς τὰς συμφοράς, καὶ νομίσατε ὁρᾷν ἁλισκομένην τὴν πόλιν, τειχῶν κατασκαφάς, ἐμπρήσεις οἰκιῶν, ἀγομένας γυναῖκας, καὶ παῖδας εἰς δουλείαν, πρεσβύτας ἀνθρώπους, πρεσβύτιδας γυναῖκας, ὀψὲ μεταμανθάνοντας τὴν ἐλευθερίαν, κλαίοντας, ἱκετεύοντας ὑμᾶς, ὀργιζομένους, οὐ τοῖς τιμωρουμένοις, ἀλλὰ τοῖς τούτων αἰτίοις. quo quidem subiectionis exemplo vix vllum posse reperiri pulcrius puto.

In declamatione in Sallustium loci duo, quorum alter ex Æschine, alter e Demosthene expressus videtur.

CAPVT XI.

EX eadem Æschinis oratione sumtum est id, quod positum est ad finem illius declamationis, qua Cicero tamquam a Sallustio prouocatus respondere ei fingitur. ita enim ibi scriptum est: *Finem dicendi. P.C. faciam. sæpe enim grauiter vidi offendere animos auditorum, eos qui aliena flagitia aperte dixerunt, quam eos, qui commi-*

miserunt. apud Æschinem enim ita legimus, ἤδη γάρ ποτε εἶδον μισήσαντας τοὺς τὰ τῶν πλησίον αἰσχρὰ λίαν σαφῶς λέγοντας. quod autem statim subiungitur: *Mihi quidem ratio habenda est, non quid Sallustius merito debeat audire: sed vt ea dicam, si qua ego honeste effari possum:* videtur imitatum ex illo Demosthenis: ὀκνῶ, μὴ περὶ σοῦ τὰ προσήκοντα λέγων, αὐτὸς οὐ προσήκοντας ἐμαυτῷ δόξω προῃρῆσθαι λόγους: aut ex hoc, quod in eadem oratione legitur: πολλὰ γὰρ ἔγωγ' ἔτι περὶ αὐτοῦ ἔχων εἰπεῖν παραλείψω. οὐ γὰρ ὅσ' ἂν δείξαιμι προσόντ' αἰσχρὰ τούτῳ καὶ ὀνείδη, πάντ' οἶμαι δεῖν ἀσχρῶς λέγειν. ἀλλ' ὅσα μηδὲν αἰσχρόν ἐστιν εἰπεῖν ἐμοί.

Infic etum, non, vt vulgo, Infacetum scribi oportere: & ex eadem coniugatione cetera ad eundem modum.

CAPVT XII.

CVm iampridem in veteribus Catulli libris scriptum reperissem,

In Acmen. *O saeclum insipiens, & inficetum:* itemque

In an. Volu. *Plani ruris & inficetiarum:* &

In Varrum. *Idem inficeto est inficetior rure:*

Praeterieram ea omnia, tanquam errata librariorum; eramque secutus vulgarem consuetudinem, qua iam receptum est, vt per a literam, non per i, cuncta illa vocabula & scribantur, & pronuntientur. nuper autem cum ea de re paulo attentius cogitassem, plane adductus sum in eam sententiam, vt veterem illam scribendi rationem probam & incorruptam; eam autem, qua vulgo nunc vtimur, prauam & corruptam iudicarem. Vt enim ab æquo, non inæquus, sed iniquus: & ab amico, non inamicus, sed inimicus: & a sapiente, non insapiens, sed insipiens: & a facio, non infacio sed inficio dicitur: sic a *faceto*, non *infacetum*, sed *inficetum* dicendum videtur. Nam illud quoque nonnihil est, quod Angelum Politianum, eruditissimum & accuratissimum hominem, ita scribere solitum constat. Hermolaus quoque Barbarus, qui, quæ vrbs orbis terrarum lumen est, eius ipse vrbis maximum lumen fuit, ita scribenda hæc censuit. illius enim verba hæc sunt ex emendationibus Plinianis: *Cum inficetus, non infacetus, dicatur, auctore vel Catullo, scribendum est, Inficetissime.*

Correctus & illustratus Aristotelis locus e libro quinto Ethicorum.

CAPVT XIII.

ARistoteles libro quinto Ethicorum cum ius ciuile ita diuisisset vt aliud naturale esse, aliud legitimum diceret: legitimi exempla hæc posuit, Mina captiuos redimere: capram, non oues duas immolare: Brasidæ sacra facere. quorum primum & postremum vnde sumta sint, satis constat: medium ita non commune ac contritum est, vt Michael Ephesius temere id confictum, non ex vlla historia sumtum putarit.

Quod

Quod cum mihi semper suspectum visum esset: memini me, octo abhinc annos, cum eum librum Lutetiæ publice interpretarer, ita dicere, mendosam mihi eius loci scripturam videri; sic tamen, vt non magno negotio corrigi posset. neq; enim legendum, αἶγα θύειν, ἀλλὰ μὴ ὄϊς θύσαντας: sed αἶγα Διὶ θύειν, ἀλλὰ μὴ ὄϊς θύσαντας id est, capra, non ouibus, rem diuinam Ioui facere. Id acceptum esse ex Herodoto, qui in Euterpe narrat, ab iis Ægyptiis, qui Iouis Thebani templum accolunt, suntue e Thebana præfectura, nõ oues, sed capras tantum immolari: cum contra qui sunt e præfectura Mendesia, capris abstineant, immolent oues. vtriusq; autem ritus fabulosas quasdam origines pluribus verbis persequitur. Hoc ex me postea auditum Dionysius Lambinus, homo singulari doctrina & acerrimo iudicio præditus ita probauit, vt interpretationem Aristotelei loci suam, ad meam correctionem accommodarit.

Verbum διαψεύδεσθαι, quodam loco e secundo Rhetoricorum Aristotelis non videri ita accipiendum, vt Victorius censuit.

CAPVT XIV.

TRia omnino sunt quæ efficiunt, vt ii, qui consilium dant, digni iudicentur, quibus credamus, quosq; duces in rebus suscipiendis ac gerendis sequamur: prudentia, probitas, & beneuolentia erga nos. horum trium si quid abfuerit, non satis tutum est, eorum consilio fidere. nam & qui tum bonus vir erit, tum amicus nobis, si idem parum prudens ac consideratus fuerit, falsus ipse, nos fallet: & qui callidus atque acutus est, si aut improbus sit, aut male animatus in nos, in fraudem inducet potius, quam bono & vtili consilio adiuuet. etiam si qui & prudens est, & vir bonus, nisi beneuolentia nos aliqua complectatur, non valde elaborabit, quid nobis futurum sit. itaque dabit quidem ille nobis consilium bona fide, & sine fallacia: sed tamen non ita cogitate, vt si aliqua nobis cum ipso esset coniunctio. quare poterit fallere quod si etiam inimicus sit: nunquam sane nobis auctor erit, vt id faciamus, quod ipse nobis optimum fore cognoscet tria illa, in quo inerũt, is neque volet fallere, & vix poterit falli. Hoc Aristoteles libro secundo Rhetoricorum his verbis docuit: Τοῦ μὲν οὖν αὐτοὺς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας, τρία ἐστὶ τὰ αἴτια. τοσαῦτα γάρ ἐστι, δι' ἃ πιστεύομεν ἔξω τῶν ἀποδείξεων. ἔστι δὲ ταῦτα φρόνησις καὶ ἀρετὴ, καὶ εὔνοια. διαψεύδονται γὰρ περὶ ὧν λέγουσιν, ἢ συμβουλεύουσιν, ἢ διὰ πάντα ταῦτα ἢ διὰ τούτων τι. ἢ γὰρ δι' ἀφροσύνην οὐκ ὀρθῶς δοξάζουσιν, ἢ, δοξάζοντες ὀρθῶς, διὰ μοχθηρίαν οὐ τὰ δοκοῦντα λέγουσιν, ἢ φρόνιμοι μὲν καὶ ἐπιεικεῖς εἰσιν, ἀλλ' οὐκ εὖνοι. διόπερ ἐνδέχεται μὴ τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν γιγνώσκοντας. καὶ παρὰ ταῦτα οὐδὲν, quib. in verbis Petrus Victorius illud διαψεύδονται, exponit, *labuntur, ac decipiuntur*: & probat, id verbum interdum eo sensu capi, probato alio quodam Aristotelis loco. Ego autem

vt probes, verbum πολύσημοι hoc aut illo modo accipi, non puto hoc satis esse, si doceas, etiam alibi eam vim habere. videndum illud quoque arbitror, ea quam afferas, interpretatio ei loco, quem declares, conueniat ne, an minus. nam si in illo versu;

Virg. 1. Geor. vers. 45.

> *Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro*
> *Ingemere:*

Dicerem, taurum esse secundum signum Zodiaci: non eo minus errarem, si ostenderem, eam vocem id valere in illo,

1. Geor. ver. 217.

> *Candidus auratis aperit cum cornibus annum*
> *Taurus.*

Quanquam igitur διαψεύδεσθαι interdum valet idem, quod labi ac decipi: tamen qui in eo, quem recitaui, loco ita exponat, labi ipsum ac decipi puto. nam is, qui cognoscens quid sit optimum factu, nihilo minus aut malitia, aut odio ductus, aliud suadet, διαψεύδεται ex Aristotelis sententia: neque tamen labitur ac decipitur: sed fallit ac decipit. ergo præstare arbitror, vt διαψεύδονται, exponamus, *fallunt*. quod si quis obiiciat, id verbum hoc sensu non conuenire in eum, qui vir bonus amicusque sit, sed per imprudentiam inutile consilium det; huic ego respondeo, fallere dici nonnunquam etiam illos, qui sine vlla mala, vt ait Plautus, malitia, in errorem inducunt eos, quibuscum agunt. Non enim vetus illud iusiurandum ita concipi voluissent, Si sciens fallo: nisi etiam insicientem posse fallere iudicassent.

Quid apud Catullum, asini nomine intelligendum esse videatur.

CAPVT XV.

Epig. 96.

Asinum videtur Catullus dixisse: non animal, quod vulgo notum est, sed lapidem molarem: in epigrammate, quo exagitauit Æmilii cuiusdam deformitatem, quem ait pistrino atque asino tradi oportere. Græci certe & bestiam illam, & molam eodem nomine appellant. itaque Hesychius ὄνον ait esse superiorem in pistrino lapidem: Eustathius autem; τὸ κινούμενον τοῦ μύλου: & Antronium asinum ex eo in prouerbium abiisse, quod Antronii lapides habeant aptos ad conficiendas molas. & in primo ἀναβάσεως ita scriptum est: Οἱ δὲ ἐνοικοῦντες ὄνους ἀλέτας περὶ τὸν ποταμὸν ὀρύττοντες, καὶ ποιοῦντες, εἰς Βαβυλῶνα ἦγον, καὶ ἐπώλουν, καὶ ἀνταγοράζοντες σῖτον, ἔζων. quorum verborum hæc est Romuli Amasæi interpretatio: *Incolæ asinarias molas circa flumen cædunt, excusasque Babylonem deportant; iisque venditis coempto frumento famem leuant.* qui cur asinarias molas dixerit non video. ego *lapides molares* tantum dixissem nam illud ἀλέτας additum est in Græco sermone ad tollendam vocis ambiguitatem, quæ in Latino nulla est. Quinetiam *piscem* ὄνον ex eo vocatum esse credo; quod in cerebro lapides habeat molarum similes. quamquam alii ab asinini coris similitudine dictum autumant.

apud Xenophontem.

Male-

Male conuersos videri a Cicerone tres Euripidis versus.

CAPVT XVI.

NOn sine caussa, ait Cic. cum Orestem doceret Euripides, primos treis versus reuocasse dicitur Socrates: *Lib. 4. Tusc.*

Neque tam terribilis vlla fando oratio est,
Neq; sors, neq; ira calitum inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

Qui, si cuiq; licet, id quod sentit, dicere, videtur eorum versuum sententiam aut non satis percepisse, aut non fideliter reddidisse. quod vt iudicari ab aliis possit, Græcos Euripidis subiiciam:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὧδ᾽ εἰπεῖν ἔπος, *Oreste. Prolo. initio.*
Οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος,
Ης οὐκ ἂν ἄραιτ᾽ ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Primum igitur versum, si Ciceronem sequare, ita accipias necesse est: οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἔπος οὐδὲ δεινὸν εἰπεῖν, id est: *nullum est verbum ita terribile dictu.* quod sane, ne quid dissimulem, mihi quidem non placet. ac fieri potest vt fallar sed dico id, quod videtur. Deinde, πάθος quam apte reddatur, *sors*, alii viderint. postremo in tertio versu nulla est patientiæ ac tolerantiæ significatio. potiusque hos dicere Euripidem puto. Nihil, vt vno verbo eloquar, dirum ac terribile est; neque morbus, neque a diis inuecta calamitas, cuius grauitati hominum natura ac conditio ex posita non sit. id quod statim confirmat inusitato, & antea inaudito supplicii genere, quo a diis affectus est Tantalus. Neque ignoro, quam sit periculosæ, vt ait Flaccus, plenũ opus aleæ, a Cicerone dissentire: verumtamen. Mecum quidem Græcus eius poetæ explicator, quisquis est, facit.

De quodam loco ex Epistolis ad C. Trebatium accurate disputatum.

CAPVT XVII.

ANgelus Politianus Capite XXVII miscellaneorum illustrare conatus est hunc Ciceronis locum ex Epistol. ad Trebat. *Hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quam ignouerunt Medea, qua Corinthum arcem altam habebant, matrona opulenta optimates, quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi vitio illa verterent, quod abesset a patria.* *Lib. 7. epist. ad famil.*

Nam multi suam rem bene gessere, & publicam patria procul:
Multi, qui domi atatem agerent, propterea sunt improbati.

Quod enim neminem ante se ne suspicatum quidem esse gloriatur, ait, hos duos esse versus ex Ennii Medea ex his Euripideis expressos:

Κορίνθιαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων, *Medea Act. 1. post choeum.*
Μή μοί τι μέμψησθ᾽ οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
Σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,

Τοὺς δ' ἐν θυραίοις. οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδὸς
δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥᾳθυμίαν.

Cap. 13. Petrus quoque Victorius libro XX Variarum lectionum idem sentire se, quod tradiderat Politianus, ostendit. neque vnquam quenquam audiui, qui ea de re vllo modo dubitandum putaret. Ego autem, quanquam apud me plurimum & Politiani & Victorii valet auctoritas, mirifice tamen ab vtroque dissentio. quocirca hoc loco, quid de illis versibus sentiam, aperire constitui: vt ab eruditis hominibus, merito an immerito id faciam, iudicetur. In primis igitur Latinos versus male ab eis distinctos, ad hunc autem modum distinguendos censeo:

——————— *Nam multi suam*
Rem bene gessere, & publicam, patria procul,
Multi, domi qui ætatem egerunt, propterea
Sunt improbati.

Nam quod *egerunt*, lego, vbi vulgo legitur, *agerent*: veteres in eo libros auctores habeo, & ipse quoque Victorius ita legit. at hoc quidem leue est. illud grauius, quod plane iudico necesse esse, vt aut ne sint ii versus Euripidis a Latino Poeta conuersi, aut vt eos, siue Ennius, siue quis alius fuit, qui ita interpretatus est, non intellexerit, & in sententiam alienissimam detorserit. Nam apud Euripidem quidem, cum Medea præ dolore iam non compos animi, domi clausam se contineret, excruciaretque se, & eos, quasi a furiis agitata, clamores ederet, qui etiam foris exaudirentur: Corinthiæ mulieres, e quibus constat chorus, orant nutricem, vt ad eam adeat, ipsamq; educat ex ædibus. sperabant enim se aspectu & alloquio suo illum doloris ardorem aliqua ex parte mitigaturas. Paulo post igitur domo egrediens Medea ita eas affatur:

Κορίνθιαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων,
μή μοί τι μέμφησθε.

Id est: *Corinthiæ mulieres, egressa sum ex ædibus, ne quid mihi succenseatis.* quasi diceret: Non equidem libenter hoc tempore in aspectum hominum prodeo. omnes enim, quos grauior aliquis vrget dolor, tenebras & solitudinem quærunt: lucem & frequentiam oderunt: verumtamen cum vestro nomine rogata essem, vt huc prodirem, prodii: ne, si prodire nollem, vos id forte superbia quadam ac contemtu vestri a me fieri crederetis. At illo altero modo, ita accipienda erunt hæc verba: ἐξῆλθον δόμων. id est, *patriam meam reliqui.* μή μοί τι μέμφησθε. id est, *nolite id mihi vitio vertere*: quod mihi quidem alienum καὶ ἀπροσδιόνυσον videtur. Sequitur: οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο, τοὺς δ' ἐν θυραίοις. quæ ita interpretor: *noui enim multos mortalium, qui arrogantes habiti sunt, quod se videndos exhibere nollent. alios contra, quod in atriis sedentes viderentur de se quasi spectaculum quoddam præbere, in eandem opinionem venisse.* Nam quod ille Ciceronianus poeta

σεμνὸς

σεμνὸν accipit eos, qui rem suam & publicam bene gesserunt: ego eo nomine superbos & arrogantes accipio. & ita accepit Euripides in illo versu ex Hippolyto: Μισεῖν τὸ σεμνὸν, καὶ τὸ μὴ πᾶσιν φίλον. & in illo ex eadem fabula: Οἴμοι τὸ σεμνὸν ὥς μ᾽ ἀποκτενεῖ τὸ σόν. & in illis pulcerrimis versibus ex Alcestide: Famul. Act. 1. Theseus Act. 4. Hercules Act. 3.

> Ὅσοις δὲ θνητοῖς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών.
> ὡς τοῖς γε σεμνοῖς, καὶ συνωφρυωμένοις
> ἅπασίν ἐστιν, ὥστ᾽ ἐμοὶ χρῆσθαι κριτῇ,
> ὁ βίος ἀληθῶς οὐ βίος, ἀλλὰ συμφορά.

Sequitur: οἱ δ᾽ ἀφ᾽ ἡσύχου ποδὸς δυσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥαθυμίαν: id est: *alii contra, quod se quieti tradidissent, inglorii habiti sunt, & ignaui.* Hoc enim significare vult, solere homines omnia, quæ ab aliis fiunt, ad deteriorem partem accipere, & vndique captare maledicendi occasionem. illa autem quomodo interpretatus sit Latinus ille, si modo interpretari voluit, nihil attinet dicere. res ipsa loquitur. ex his, cæcutiam ipse, an merito alios παρεωρακέναι arbiterer, existimari potest.

Locus Platonis e Phædro, allata vetere quadam Atheniensium consuetudine illustratus.

CAPVT XVIII.

SOcratem Phædrus cum adducere vellet ad idem argumentum tractandum, quo ipse scriptam Lysiæ orationem paulo ante recitarat, ita ei blandiens apud Platonem inducitur: Καὶ σοι ἐγὼ, ὥσπερ οἱ ἐννέα ἄρχοντες, ὑπισχνοῦμαι χρυσῆν εἰκόνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφοὺς ἀναθήσειν, οὐ μόνον ἐμαυτοῦ, ἀλλὰ καὶ σήν. quæsitum est autem ex me, quænam esset aurea illa statua, quam Delphis ponere solitos archontas ex Cornelio intelligeretur: & qua de caussa id fieret. Respondi, nouem Atheniensium archontas, id est, eponymum, regem, polemarchum, & sex thesmothetas, cum magistratum inirent, publice iurare solitos, se obseruaturos esse leges, neque passuros fidem suam donis muneribusue corrumpi: si quis ipsorum secus fecisset, eum multæ nomine auream statuam suam pensurum esse. Eius rei auctor est Iulius Pollux libro Onomastici ad Commodum Cæsarem octauo. Cypselidarum autem anathema, de quo non ita multo post ea, quæ posui, verba apud Platonem mētio est: quodnam fuerit, copiose Pausanias in Eliacis docet.

Quod discrimen sit accusationis & maledictionis, e Demosthene & Cicerone.

CAPVT XIX.

TRaditum est accurate & diligenter a M. Tullio in Cœliana defensione, quid inter accusationem & maledictionem interesset. olim autem Demosthenes etiam ita distinxerat: vt quamuis non plane idem ab vtroque dicatur, dubium tamen non habeā, quin Cicero in ea re tractanda summi Græci oratoris vestigia

sit persecutus. Vtrumque igitur locum meo more describam, vt comparentur. Demosthenes περὶ στεφάνου. *Καί τοι ἐγὼ τοῦτο, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ἐγὼ λοιδορίαν κατηγορίας τούτῳ διαφέρειν ἡγοῦμαι, τῷ τὴν μὲν κατηγορίαν ἀδικήματ' ἔχειν, ὧν ἐν τοῖς νόμοις εἰσὶν αἱ τιμωρίαι. τὴν δὲ λοιδορίαν βλασφημίας, ἃς κατὰ τὴν αὐτῶν φύσιν τοῖς ἐχθροῖς περὶ ἀλλήλων συμβαίνει λέγειν.* Cicero pro Cœlio: *Sed aliud est maledicere, aliud accusare. Accusatio crimen desiderat: rem vt definiat: hominem vt notet: argumento probet: teste confirmet. maledictio autẽ nihil habet propositi præter contumeliam: quæ si petulantius iaciatur,* (ita enim legendum est: non, vt vulgo, *iactatur.*) *conuitium: si facetius, vrbanitas nominatur.*

De vi veritatis. Ciceronis sententia ex Æschine. Liuii loci duo emendati.

CAPVT XX.

EMergere tandem & exsistere veritatem, neque vllis vnquam machinis ita premi, vt opprimatur, multi grauesque auctores sæpe dixerunt: Cicero inter ceteros, qui cum hanc grauissimam & dignitatis plenissimam sententiam ponere in Cœliana defensione vellet, ex Æschine eam prope interpretatus est. *O magna,* inquit, *vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraq; fictas omnium insidias facile se per se ipsa defendat.* Æschines autem ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου, *Οὕτως ἰσχυρόν ἐστιν,* inquit, *ἡ ἀλήθεια, ὥστε πάντων ἐπικρατεῖν τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν.* Etiam apud Liuium Q. Fabius Maximus idem dicit, in illo pulcerrimo sermone, quem habuit cum L. Paullo aduersus Annibalem proficiscente. sed is locus ita deprauatus circumfertur, vt intelligi non queat. ita enim legitur: *A veritate laborare nimis iam sæpe aiunt: exstingui nunquam.* Sed vocem *iam.* in veteribus libris non legi admonuerunt etiam alii. Mihi, cum eum locum accurate legerem, incidit suspectio, ita corrigendum esse. *Veritatem laborare nimis sæpe, aiunt: exstingui nunquam.* id igitur in libri mei margine adscripserã, addita ea nota, qua coniecturas meas distinguere soleo ab iis mutationibus, quas vetustis libris auctoribus facio. Sed cum postea διὰ χρόνου accidisset mihi, vt eum ipsum locum inspicerem; visum est, librum quoque veterem, quem habeo, consulere; si quid is forte meam coniecturam adiuuaret. Reperi autem plus etiam, quam volueram etenim ne vna quidem litera plus minusue habebat quam vt ego diuinaram, sed ea inspectio etiam mihi aperuit ad tollendum ex eo loco mendum alterum. nam quod statim subiicit Fabius: *Gloriam qui spreuerit, veram habebit:* vix verum videtur, ita simpliciter, & sine vlla adiectione prolatum. quid enim? ἀφιλοδοξία, laudi ne datur, an in vitio ponitur? quam multi gloriam spernunt ignaui & nulli pretii homines? Cum igitur in meo libro legatur, *Gloriam quam qui spreuerit, veram habebit:* conicio legendum, *Gloriam vanam qui spreuerit, veram habebit.* sic enim & ratios

rior erit sententia, & illa contrariorum relatione ornatior, & melius cohærebit cum eo, quod paulo supra dixerat Fabius: *Resistes autem aduersus famam rumoresq; hominum, si satis firmus steteris: si te neq; collega vana gloria, neq; tua falsa infamia mouerit.* quam facile vero librarius in eo labi potuerit, cum quiuis facile videat, διισχυρίζεσθαι non est meum.

Mulieres eruditas plerumque libidinosas esse, duorum poetarum testimoniis confirmatum. Iuuenalis locus cum quodam Platonis collatus.

CAPVT XXI.

Vafferrimus poeta, quique omnia suæ tempestatis hominum vitia & nouerat optime, & insectabatur liberrime, Iuuenalis, in ea satyra, qua mulierum improbitatem etexit, non obscure significauit, displicere sibi mulieres eruditas, & disertas. *Saty. 6.*

Non habeat, inquit, matrona, tibi quæ iuncta recumbit, *Ver. 445.*
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes.

Euripides quoque, magnus & ipse mulierum osor, etsi dictus est a quodam eas odisse in choro, amare in thoro, eiusdem sententiæ fuit. putauit enim, id quod res est, catas & ingeniosas fœminas paratiores & acutiores esse ad struendas machinas, quibus decipiant viros. itaq; apud eum ita Hippolytus loquitur: *Hip. Act. 3.*

Σοφὴν δὲ μισῶ. μὴ γὰρ ἔν γ' ἐμοῖς δόμοις
Εἴη φρονοῦσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χρή:
Τὸ γὰρ κακοῦργον μᾶλλον ἐντίκτει Κύπρις
ἐν ταῖς σοφαῖσιν. Id est:

Odi eruditam. ne mea unquam sit domi,
Quæ plus sciat, quam mulierem scire expedit.
Namq; eruditis ipsa maiorem Cypris
Astutiam indit.

Et sane non nimis pudicas esse ingeniosas & eruditas mulieres, fidem facere poterit Sappho. neque mirum. multas enim historias legunt, peccaro, vt ait Flaccus, docentes. sed in iis, quæ supra retuli, Iuuenalis verbis constat, metaphoram esse a iaculis sumtam, quæ breuia cum sint, rotando torqueri solet. eadem autem vsus est Plato, cum Lacedæmoniorum loquendi consuetudinem exponeret: quos ait, initio videri solitos rudes & imperitos, sed postea torquere ac vibrare breue aliquod dictum: vt is qui cum disserebant, puer præ ipsis videretur. eius verba sunt: εἰ γὰρ ἐθέλει τις Λακεδαιμονίων τῷ φαυλοτάτῳ συγγενέσθαι, τὰ μὲν πολλὰ ἐν τοῖς λόγοις εὑρήσει αὐτὸν φαῦλόν τινα φαινόμενον: ἔπειτα ὅπου ἂν τύχῃ τῶν λεγομένων, ἐνέβαλε ῥῆμα ἄξιον λόγου βραχὺ καὶ κατεστραμμένον, ὥσπερ δεινὸς ἀκοντιστὴς, ὥστε φαίνεσθαι τὸν προσδιαλεγόμενον παιδὸς μηδὲν βελτίω. *Protagora post medium.*

Iphicratis multa dicta, quibus elatus & excelsus ipsius animus ostenditur.

CAPVT XXII.

RErum bellicarum gloria non ætatis modo suæ imperatores vicisse, sed superiorum etiam quemlibet adæquasse Atheniensis Iphicrates dicitur. idemque eloquentię studiis deditus fuisse, & cum sæpe dixisse in publico, tum ostentationis quoque gratia domi nonnumquam declamitasse perhibetur. erat autem excelso vir & elato animo, quique de se interdum magnificentius, quam vulgi aures libenter ferre possent, prædicaret. Itaque cum orationem de statua sibi ab Atheniensibus posita aduersus Harmodium quendam e veteris illius tyrannicidæ posteris haberet, multa dixit de seipso animose, & prope arroganter: vt Dionysius Halicarnasseus non alio magis argumento refellerit eos, qui orationem illam Iphicrati a Lysia scriptam esse dicebant, quam quod a Lysiæ moderatione nimium longe abesset. In ea hoc dixit, quod aduersarius generis sui nobilitatem extollens, illius obscuritatem, & ignobilitatem exagitauerat, *vt quisque virtute maxime præstaret, ita nobilissimum esse* Nam ne Harmodium quidem & Aristogitonem nobiles fuisse prius, quam præclarum aliquid designassent. Item illud: *se maiorem habere cognationem cum illis: quam ipsum illum quo cum contenderet: quo sua, quam illius facta propius ad eorum gloriam accederent.* &, *Meorum nobilitas a me incipiet: tuorum in te desinet.* quæ omnia imitatus est, quicumque scripsit declamationem in Sallustium. sed & ex eadem oratione hæc reperi: *Si qualis ego sum, tales vobis septem imperatores fuissent, deserta iam esset & inculta Lacedæmon.* Et cum de Harmodio & Aristogitone ageret: *Quorum*, inquit, *ego si temporibus fuissem, aut assumpsissem eos ad societatem præclari illius operis, aut ipse ab eis ascitus essem.* Et, *Vos fortasse Athenienses istam mihi columnam, & istas in eam inscriptas literas, præclarum quiddam & gloriatione dignum a vobis contigisse arbitramini. at mihi columna cœlum attingens in Peloponneso virtutis meæ testis constituta est* Hæc postrema quibus verbis Græce pronuntiata sint, si quis videre cupit, reperiet apud Ælium Aristidem ἐν τῷ περὶ τοῦ παραφθέγματος.

Medicum fuisse Herculem, & sanatam ab eo Alcestin, quum iam deposita esset.

CAPVT VXIII.

In Amatorio. SCribit Plutarchus, fortissimum heroum Herculem medicinæ peritum fuisse. Itaque quod apud Euripidem legitur de Alceſtide quam, cum mortem pro viro suo Admeto obiisset, Hercules cum ipsa Morte luctatus, per vim ei eripuisse, & viuam ad Admetum reduxisse narratur: ita intelligendum esse: cum Alcestis ita grauiter ægrotaret, vt deposita iam & desperata esset, venisse Herculem, & medendi arte, qua excellebat, ei valetudinem pristinam reddidisse. Admeto autem ea in re gratificari voluit, non enim minus amabat Admetum Hercules, quam Alcestin Admetus.

De immani crudelitate regis Deiotari.

CAPVT XXIV.

ATroci admodum & barbaro ingenio fuisse oportet regem Deiotarum: si verum est, quod de eo idem ille, quem modo nominaui, Plutarchus memoriæ prodidit. & sane is est auctor Plutarchus, quem nemo reiicere vt parum idoneum possit. Ait autem, Deiotaro plures fuisse filios quorum cum ipse vni relinquere imperium, atque omne patrimonium suum cuperet: quo id facilius efficeret, ceteros omnes manibus suis trucidauit; vinitorum exemplo, qui cum vitis aliqua complures emiserit surculos, vnum modo ex eis relinquere, alios amputare consueuerunt; vt is qui relinquitur, maior & robustior fiat.

De lege quadam Persarum humanitatis plena.

CAPVT XXV.

MVltæ olim apud Persas leges fuisse traduntur: ex quibus facile intelligi potest, singularem quandam eius gentis sapientiam fuisse. Atque earum in vnam nuper cum inciderim, quæ neque multis, nisi me fallit animus, cognita est, & dignissima quę cognoscatur ab omnibus: iudicaui non ingratum fore iis, qui hæc legent, si eam hoc loco proponerem. Erat igitur apud eos ita constitutum, vt cum quis in iudicio argueretur aliquid fecisse contra leges, etiamsi liquido constaret, eum culpæ affinem esse, non tamen statim condemnaretur: sed prius inquireretur diligentissime in omnem illius vitam, inireturque ratio, plura ne turpiter & flagitiose, an bene laudabiliterque gessisset. tum si vincebat turpium numerus, condemnabatur: sin præponderabantur honestis turpia, absoluebatur. Cogitabant enim, humanarum virium non esse, rectum cursum perpetuo tenere: habẽdos pro bonis viris eos, non qui numquam peccarent; sed qui sæpius honeste agerent. Hanc ipsam legem ego ab iis quoque, quorum in manus hi libri venient, obseruari summopere cupio. vt ne statim eos reiiciant ac condemnent, si quid in eis a me peccatum deprehenderint. nam si, ratione fideliter inita, maior τῶν ἐσφαλμένων, ἢ τῶν κατωρθωμένων, numerus fuerit: tum equidem, quin reiiciantur, & sordeant, non recuso.

M. ANTONII MVRETI I. C. AC CIVIS R.

VARIARVM LECTIONVM Liber Nonus.

De genere quodam loquendi quo in magni amoris significatione veteres vtebantur.

CAPVT I.

INter omnia loquendi genera, quibus veteres mirificam quandam vim amoris in aliquem sui exprimebant, illud mihi excellere videtur, quo significabant, cupere se, si quo modo id fieri posset, annos sibi ad videndum constitutos conferre ac contribuere cum eo, quem diligerent, ita vt quod ipsis superesset vitæ, eius pars aliqua ad illius vitam adderetur. Ita blanditur anui cuidam Tibullius:

Lib. 1. eleg. 6.

Viue diu, inquit, mihi dulcis anus. proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.

Ita apud Plautum adolescens quidam amicæ, quæ cum ei dixisset,

Asinaria Act. 3. Sc. ... Cur me. ...

Cur tu obsecro immerito meo me morti dedere optas?

Hoc ab eo responsum fert,

Ego te? quam si intelligam deficere vita, iam ipse
Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.

Argyrippus.

Atque hoc in consuetudine positum fuisse, ostendit Seneca in libro De breuitate vitæ his verbis:

Dicere solent eis, quos validissime diligunt, paratos se partem annorum suorum dare. Et ex illa consuetudine triumphantibus imperatoribus occinebatur,

Apologetico cap. 35.

De nostris annis tibi Iuppiter augeat annos.

Quod relatum est a Tertulliano. Sed & sanctissimus, pariterque disertissimus scriptor Gregorius Nazianzenus ita locutus est in oratione εἰς Βασίλειον· Καὶ προσθείημ᾽ ἄν τι τῆς ἐμαυτοῦ ζωῆς ἐκείνῳ, εἴπερ οἷόν τε ἦν, πρόθυμος ἦν.

Illustratus Horatii ex Odis locus.

CAPVT II.

CVm tanta esset apud veteres infamia eorum, qui abiecto clypeo fugerant, quosque contumelioso nomine, vt notum est, ῥίψασπιδας vocabant, quid in mentem venisse dicemus elegantissimo poetæ Horatio, eam vt notam sibi ipse versibus suis inureret voluerit? Nota enim sunt illa ex oda ad Pompeium Varum:

Lib. 2. car. Ode 7.

Tecum Philippos & celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula:
Cum fracta virtus, & minaces
Turpe solum tetigere mento.

An id ei ingenium fuit, vt non in alios modo, sed in seipsum quoque, libenter dicta diceret, vineraque, vt alibi ait, ipsemet cæderet sua? An in homine minime militari, Mercurialique potius, quam Martiali, neque ad arma, sed ad amores, & ad pocula, & ad libros tractandos nato aperta illa & simplex timiditatis suæ professio iucunda potius, quam ignominiosa est? Nam quod eum quoque ipsum, ad quem scribit, in eiusdem culpæ societatem vocat, videri potest fecisse Xenæneti Atheniensis exemplo, cuius est nobilis illa responsio ad ciues suos obiurgantes, cum quod

ugisset, μεθ' ὑμῶν γε ὦ φίλαι κεφαλαί. Omnino tamen verisimilius esse arbitror, Horatium hac quoq; in re Archilochi, ad cuius se imitationem studiose comparauerat, similem esse voluisse. siquidem & ille, vt alia turpiter a se facta, quod apud Ælianum legimus, prædicauerat, ita cum in prœlio aduersus Saios Thraciæ populos eadem ratione expediisset salutem suam, notum id posteris suo ipsius præconio esse voluit: cecinitq; hoc modo:

Ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ *Pluta. Inst*
Ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων. *Laconum.*
Ψυχὴν δ' ἐξεσάωσα φυγών· ἀλλ' ἀσπὶς ἐκείνη
Ἐρρέτω. αὖθις κτήσομαι οὐ κακίω.

Ita enim eos versus lego; etsi aliter Alciatus. sed & ille bello ferox, ille tyrannorum exactor Alcæus, quem etiam apud inferos, vt hic ait, canentem pugnas & exactos tyrannos mirantur Vmbræ, non ita fuit prodigus animæ, vt non fugere aliquando maluerit, quam mori: qui & ipse, ne hoc nesciremus, versibus id suis mandauit, vt auctor est Herodotus in Terpsichore: in quo malitiam quandam Herodoti notat Plutarchus. ita vt videatur ἡ φιλοψυχία poetarum, quasi quidam morbus: possintque ad multos eorum accommodari, quæ apud Homerum Veneri Iuppiter dicit:

οὔ σοι τέκνον ἐμὸν δέδοται πολεμήϊα ἔργα· *Iliad. ε.*
ἀλλὰ σύ γ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο· *v. 428.*
ταῦτα δ' Ἄρηϊ θοῷ, καὶ Ἀθήνῃ πάντα μελήσει.

Emendatus versus ex Asinaria Plauti, & locus quidam Appuleii in Floridis.

CAPVT III.

LOcus est Plauti in Asinaria ita scriptus in omnibus, quæ mihi quidem videre contigerit, exemplaribus,

Proficiscet hoc nunc dixerim nemo etiam me accusauit *Leonid. Se.*
Merito meo. neq; me Athenis est alter hodie quisquam *Quid hoc est*
Cui credi recte aque putent.

In quem homo eruditissimus, & de quo inter eos, qui poetam illum emendare aggressi sunt, propemodum dici potest, Οἶος πέπνυται, hæc notauit. Mendum hoc est, & in nostro scriptura deprauata, etiam interpolatione literarum: quæramus ergo emendationem. Ego autem, quemadmodum ei loco medicina facienda sit, iamdudum reperisse mihi videor: in quo, num quid ipse me fallam, alii iudicabũt. Vetus erat opinio, periculum esse aliquod a fascino, vbi quis impensius aut laudaret ipse se, aut præsens ab alio laudaretur. Eius rei caussas, quoniam alii & curiose quæsiuerunt, & copiose tradiderunt, nunc persequi non est operæ. Sed ex ea opinione receptum erat, vt in laudando plerunq; adderẽt vocem *præfiscine*, aut *præfiscini*, qua inuidiam & fascinum a se amoli-

tentur ac deprecarentur. Quale est, quo etiam hodie vtimur; Dicto absit inuidia. Est autem *præfiscine*, aut *præfiscini*, idem quod τῷ ἀπροβασκανίῳ. Cum igitur magnifice de se locuturus esset veterator ille, cuius ea apud Plautum verba sunt, quasi inuidiam a se amoliri cupiens ait,

Præfiscini hoc nunc dixerim.

Neque enim dubito quin ita legi oporteat. Huius vocis citantur exempla hæc a Charisio. Titinius in Setina:

Paula mea, amabo pol tu

Ad laudem addito præfiscini, ne puella fascinetur.

Afranius in Consobrinis:

Seu habitum ita vt nunc obtinet, præfiscine.

Sed & apud Appuleium multo eruditiorem, multoque pluris faciendum scriptorem, quam vulgo putant, locus est eiusdem vocis ignoratione corruptus libro tertio Floridorum. *Igitur, quod difficile factu erat, quodque reuera arduum nobis existimabatur, gratum esse populo, placere ordini, probari magistratibus, & principibus, id, præfusiue dixerim, iam quodammodo mihi obtigit. Præfiscine* enim, non *præfusiue*, eo loco legendum est. Iampridem hæc scripseram, cum ad me Tibur allatæ sunt literæ ab Oberto Giphanio homine in primis erudito, in quibus scriptū erat, Quod vulgo apud Gellium libro decimo Noctium Atticarum, & eius libri capite 24. legitur *pristini & pristine*, in Veteribus legi, *præfiscini & præfiscine*, certeque in vetere Macrobio, quem mihi commodauit Hercules Ciofanus Sulmonensis, vbi illa omnia ex Gellio, vt solet Macrobius, descripta referuntur, legitur *fiscine* & *fiscini*, deprauatis quidem, sed tamen manifestis rectæ scripturæ vestigiis.

1. Satur. cap. 4.

De loco quodam ex Odis Horatii.

CAPVT IV.

Ominosum esse crediderunt veteres illi, veræ religionis ignoratione occæcati, occursum serpētis, viam qua quis iter facturus esset quasi dissecantis; exque ea superstitione dictum ab Horatio est,

Lib. 3. Car. Oda 27.

Rumpat & serpens iter institutum.

apertius autem etiam idem cognoscitur ex Heliodori suauissimi scriptoris Æthiopicon libro tertio, vbi ita legitur: αὐτοὶ δὲ ἄρτι κώμης ἐκτὸς γεγονότες, καὶ τὰς ὄχθας τοῦ Νείλου παραμείβοντες, κροκόδειλον ὁρῶσιν ἀπὸ δεξιῶν ἐπὶ θάτερα διερπύζοντα, καὶ τῷ ῥείθρῳ τοῦ ποταμοῦ σὺν ἐξαισίῳ τῇ ῥύμῃ καταδυόμενον. οἱ μὲν δὴ ἄλλοι συνήθως τε καὶ ἀθορύβως τὸ ὀφθὲν ἤνεγκον· τὴν δὲ ἔσεσθαι ὁ Καλάσιρις κώλυμά τι τῆς καθ' ὁδὸν ἐπιχειρήσεως προύλεγεν. Sed hoc aut nihil est, quod ipse quoq; non inuitus fatebor, aut, si nō prorsus indignum erat, quod notaretur, reperietur certe, qui vel a se iampridem animaduersum, vel etiam e scidis atque aduersarius suis a me sublectum esse contendat.

Lib. 6.

Emen-

Emendatus locus ex Politicis Aristotelis.

CAPVT V.

ARistoteles septimo Politicon quorundam errorem notans, qui felicitatis caussam non in virtute, sed in opibus ac copiis esse censent, ait, perinde eos ridicule facere, ac si, quod musicus aliquis bene caneret, eius rei caussam non in artem, sed in lyram referrent. Id autem his verbis exprimit: Διὸ καὶ νομίζουσιν ἄνθρωποι τῆς εὐδαιμονίας αἴτια τὰ ἐκτὸς εἶναι τῶν ἀγαθῶν. ὥσπερ εἰ τοῦ κιθαρίζειν λαμπρῶν, καὶ καλῶς αἰτιῷτο τὴν λύραν μᾶλλον τῆς τέχνης. Quibus in verbis, vt illud præteream, quod legi malim aut αἰτιῷντο, aut αἴτιος τοῦ κιθαρίζειν, aliud mihi multo grauius subesse mendum videtur. Neque enim τοῦ κιθαρίζειν λαμπρὸν καὶ καλῶς, sed τοῦ κιθαρίζειν λάμπρον καλῶς legēdum puto: Λάμπρος, enim veteris musici proprium nomen fuit: quam boni, nihil ad rem: hoc enim tantum significat Aristoteles, *si Lamprus bene canat*, id non lyra, sed artificio ipsius effici, & ridiculum fore, si quis id nō artificio ipsius, sed lyræ tribuendum esse contendat. Lampri autem mentio est apud Platonem principio Menexeni, vbi Socrates ait, facile esse, Athenis Athenienses laudare. non ei modo, qui præstantes magistros nactus sit, quales ipse habuerat, rhetorices quidem Aspasiam, musices vero Connum: sed ei etiam, qui minus bonos, vt musices Lamprum, rhetorices Antiphontem. Hunc Lamprum Athenæus, non sane ex consuetudine musicorum, abstemium fuisse ait: profertq; in eum amara quædam dicta veteris poetæ Phrynichi, quibus ait, lugere gauias mortuo illo aquæ potore, quem etiam vocat mirificum artificem lugubre quiddam & querulum concinendi, Musarum aridum & exsiccatum cadauer, lusciniarum febrim, Plutonis hymnum. Eius igitur, quicunque tandem fuit, iampridem apud Aristotelem obliterata memoria, reposita a nobis ac restituta sit.

De locis aliquot Plauti ex Pseudolo.

CAPVT VI.

INepte post tot emendatores etiamnū legitur locus hic e Pseudolo Plautina,

Phœnicium Calidoro amatori suo Sc. Si ex te.
Per ceram & linum literasq; interpretes
Salutem mittit, & salutem abs te expetit.

Non enim *linum* legendum est, sed *lignum*. nam in tabulis ligneis cera oblitis veteres, vt notum est, scribere solebant. Tabulas igitur ipsas vocat lignum. & sic loquuntur iuris auctores cum bonorum possessionem contra tabulas vocant contra lignum. Quod autem in eodem illo diuerbio scriptum est:

Atq; id futurum vnde vnde dicam nescio:
Nisi quia futurum est: ita supercilium salit:

& apud Theocritum, *oculus dexter salit:* e stulta illa veterū super-

stitione ductum est, qua credebant, si pars aliqua corporis suapte sponte subsiluisset ac mota esset, eiusmodi palpitationibus, aut prosperi aliquid, aut aduersi portendi. S. Augustinus libro secundo De doctrina Christiana: *His adiunguntur millia inanissimarum obseruationum: si membrum aliquod salierit: si iunctim ambulantibus amicis, canis, aut lapis, aut puer medius interuenerit.* Idem in libro De natura dæmonũ. *Salitores vocati sunt, qui, dum eis membrorum quacunq; partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum, seu triste significare prædicunt.* Tales saltus Græco nomine vocabant παλμούς: exstatq; liber Melampodis περὶ παλμῶν, quo eius vanitatis quasi disciplina quædam continetur. Sed & vltimus eiusdem diuerbii versus male in vulgatis libris ita legitur:

Atque ipse egreditur penitus periurum caput:

cum ita legi debeat,

Atq; ipse egreditur Pœnus periurum caput.

Pœnum enim vocat lenonem, cum significet esse infidum, periurum, fraudulentum, quales Pœni meritissimo & habebantur, & habentur. Ne illud quidem pigebit adscribere, quod paulo supra de se dixerat Calidorus:

Quasi solstitialis herba paulisper fui.
Repente exortus sum, repentino occidi:

Alethio Miparuio.7. esse eius herbæ mentionem & apud Ausonium in professoribus, qui etiam, vt puto, hunc ipsum Plauti locum imitatus est his versibus:

Solstitialis velut herba solet,
Ostentatus raptusq; simul.

De duobus locis ex primo Odarum Horatii.

CAPVT VII.

Apud Horatium libro primo Odarum in plerisq; veteribus libris ita legitur:

Ode 6.

Scriberis Vario fortis & hostium
Victor, Mæonii carminis alite,
Qua rem cumq; ferox nauibus aut equis
Miles te duce gesserit,

non, vt in vulgatis, *Quam rem cumque.* eaque scriptura mihi verior ac syncerior videtur, vt hoc dicat, Quacunque in parte terrarum miles Agrippæ ductu rem gesserit, id est, cum hostibus populi R. confixerit, eosque fuderit, ac fregerit, insignemque aliquam Victoriam ex eis retulerit, Varium ea omnia versibus suis celebraturum. Hoc enim dicebant, rem gerere. vt in epistola ad Augustum:

Ad Scæuam ep. 17. lib. 1.

Rem gerere & captos ostendere ciuibus hostes,
Attingit solium Iouis.

& senex Terentianus;

In ipsa turba atq; in peccato maxume

Quod

Quod vix sedatum satis est, potastis scelus,
Quasi re bene gesta.

Et in Fastis Capitolinis tam sæpe legitur aliquem creatum esse dictatorem rei gerundæ caussa. At hoc fortassis leue alicui videbitur. Addam igitur aliud itidem leue: si forte, quæ singula parum habent ponderis, coniuncta ac conglobata aliquid adquirant ad lancem deprimendam. In explicandis igitur primis versibus odes illius, qua Quinctilii mors defletur, dissentio ab omnibus & vetustis, & recentioribus, & illud QVIS, quod principio positum est, sexti casus, posterioris numeri esse arbitror. neque referendum ad illa nomina *pudor & modus*: sed ad nomen *cantus*. Petit enim, vt mihi quidem videtur, poeta a Melpomene, vt sibi præcipiat cantus lugubres, quibus aut pudor, aut modus aliquis imponatur desiderio Quinctilii. Itaque delenda est illa interrogationis nota, quam post nomen *capitis*. primus Paphlago inuexit. Lib. 1. C. Ode. 24.

Illustratus locus Senecæ ex epistolis.

CAPVT VIII.

Apud disertissimum eundemq; sapientissimum scriptorē Senecam, cuius inter ceteras summas laudes hanc quoq; non postremam esse statuo quod inepte fastidiosis & olim displicuit, & hodie displicet, multa sunt non publici saporis, quæ qui surdiore, vt ita dicam, palato sunt, ingustata prætereunt: cum elegantiores homines, & talium deliciarū intelligentes mirificam quādam ex eis percipiant suauitatem. Quale est, quod in epistola ad Lucillium sexagesima octaua, cum multis verbis docuisset, quicquid cum virtute coniunctum est optabile esse, multaq, in eam sententiam genere orationis, vt soles, masculo & nihil vulgare, aut plebeium sonante dixisset, ad ipsum epistolæ finem ita scribit: *Indue magni viri animum, & ab opinionibus vulgi secede paulisper: cape quantam debes virtutis pulcerrimæ ac magnificentissimæ speciem, quæ nobis nō serto, sed sudore & sanguine colenda est. aspice M. Catonem sacro illi pectori purissimas manus admouentē, & vulnera parū demissa laxantē. Vtrum illi tandem dicturus es, Vellem quæ velles, & moleste fero, an, Feliciter quod agis?* Quibus in verbis notandā sunt duo antiqua loquendi genera vulgo non satis cognita; quorum altero ad eos, qui in malis essent, altero aduersus eos, quibus prospere aliquid obtigisset, vtebantur. Nam cui boni ac secundi aliquid obtigerat, ei, ominis caussa, gratulabundi dicere solebāt, *Feliciter*, aut *feliciter quod agis*; cum significarent, cupere se eum perpetuo eadem felicitate vti, idq; bonum ipsi proprium ac perpetuum esse. Iuuenalis Satyra secunda:

Signatæ tabulæ: dictum Feliciter: ingens Vers. 119.
Cœna: sed & gremio iacuit noua nupta mariti.

Contra cui male & aduersus animi sententiam erat, eum allo-

quentes dicebant: *Vellem quæ velles.* cum indicarent, dolere sibi quod illi male esset: ac si dicerent: Vellem tibi ita esset, vt tu quoque velles: mihique ægre est, quod tibi quidquam præter voluntatem tuam euenerit. Huius generis exemplum est apud Plautum in Mostellaria:

Sc. Melius anno hoc.

Ei. *Quid est? Me miserum, occidi: Qui? Quia*
Venit nauis nostra, naui quæ frangat ratem.
Velim vt velles Tranio: sed quid est negotii?

Hoc igitur significat: si quis M Catonem animo concipiat extremo illo vitæ tempore sua viscera lacerantem, & exituræ animæ facientem viam, nunquam ei vt in malis posito consolationem adhibiturum, sed potius vt pulcerrimum & gloriosissimum facinus obeunti gratulaturum. Nonnunquam etiam hoc posterius loquendi genus in nuda, & simplici amicitiæ significatione ponebant. Horatius:

Sat. 9. li. 1. Vers. 5.

Suauiter, vt nunc est, inquam: & cupio omnia
quæ vis.

Plautus Amphitruone:

Mercurius Prologo.

Debetis velle quæ velimus. meruimus
Et ego & pater de vobis & republica.

De potu aquæ aut vini circumdata niue refrigerati, Macrobii locus emendatus.

CAPVT IX.

AQuam ex dissoluta ac colliquefacta niue pessimam, & corporibus perniciosissimã esse, & iampridem Aristoteles, quasi oraculo edidit, & eorum qui palato obsequi, quam illius auctoritatem sequi, malunt, quotidiana experimenta declarant. Incommoda igitur quæ niuis potum sequuntur fugere, & tamen æstiuis mensibus frigidum bibere qui volunt, vasis duplicibus vti solent e tenuissima lamina eo artificio factis, vt vinum aut aquã quæ potui paratur, omni quidem ex parte nix ambiat, sed eorum tamen neutrum contingat, neq; cum eis commisceatur. Ita fit vt neq; bibant niuẽ. & tamen nihilominus frigidũ bibant, quam si biberent niuem. Ea me cõsuetudine vtentem cum amicus quidã, qui medicinam factitabat, pro nostra familiaritate reprehenderet: Vel ex Macrobio, inquit, si forte nostrorum libros minus frequenter lectitas, discere poteras, niuem quis, an aquam isto modo refrigeratam bibat, nihil interesse. Cumque ego subridens, quidquam tale apud Macrobium legi abnuissem: Iubesis, inquit ille, proferri librum. Quo prolato, ita quidem in eo scriptum reperimus. *Iamdudum*, inquit Auienus, *nosse aueo, cur aqua, quæ obsita globis nimium perducitur ad niualem rigorem, non minus in potu noxia est, quam ex ipsa niue aqua resoluta.* Sed ad libri marginem adscriptum erat mea manu, particulam NON, redundare & delendam

Lib. 7. Sat. cap. 12.

fendam videri. At ille, Isto, inquit, modo facile fuerit cuilibet scriptori quamlibet sententiam adfingere, si ex negatione adfirmationem facere liceat. Tum ego, Quæso, inquam, considera eatū rationum momenta, quibus statim sententiam suam confirmat: vt aperte videas negationem esse tollendam. Ait enim aquam e niue liquefacta non solo frigore nocere: quod si esset, faterer tibi, æq; noxiam esse aquam ex fonte aut ex puteo, aut etiam eam, qua ego, vt omnium saluberrima vtor, aquam pluuiam, circumdata niue refrigeratam: sed esse in illa aliud non minus incommodum. Cum enim humor vi frigoris densetur ac concrescit in niuem aut in glaciem, quæ partes in eo subtiliores ac tenuiores sunt, eas in illo ipso compressu euanescere ac difflari necesse est: solas autem manere crassiores, & ponderosiores, id est, ipsius aquæ quasi fæces quasdam ac retrimenta. Itaque si quis vas aquæ gelu astrictum admoto igne, dissoluat, minor modus aquæ, quā antea fuerat, reperietur. Quod argumento est, in illa concretione partem aliquam abiisse, ac dissipatam esse. Nocet igitur corporibus non tam frigore ipso, quam crassitudine, ac pondere. Itaque etiamsi dissoluta calefiat, æque noxia erit. Hoc vitium quod maximum est, ab hac, qua ego vtor, abesse certe vides. His dictis, & re paulo accuratius considerata acquieuit. In eodem autem illo Macrobii loco leuiuscula quædam præterea ex veteris libri fide a me emendata erant. Nam vbi legitur, *qua est corpulenta post terram:* vetus habebat, *qua est corpulenta post terram.* Et paulo post, *coalescit*, vbi vulgo legitur, *calescit*: & paucis post verbis, *cum denseretur*, non, vt vulgo, *cum densaretur*. Certeque *denseri*, non *densari* etiam apud Virgilium & apud Horatium legi, alii quoq; iampridem annotarunt.

De locis quibusdam e prima epistola libri primi ad Atticum.

CAPVT X.

MVlta sunt adhuc in epistolis ad Atticū deprauata: & si eis & Manutius iampridē, & post eum alii eruditi homines magno conatu multum opis attulerunt. Nos quoq; pro captu nostro aliquid earū studiosis præstare conabimur, dabimusque operam, vt liber prudentiæ & elegantiæ plenissimus nostra quoq; opera nitidior & emendatior legatur. Ac primum nō dubito, quin locus ille ex epistola prima ita distingui debeat: *Prensat vnus P. Galba. sine fuco ac fallaciis, more maiorum, negatur.* Neque enim sine fuco ac fallaciis Galbam prensare dicit: sed ei prensanti homines aperte, ac sine circuitione vlla negare: quod iocans ipse more maiorum fieri dicit, qui simplicius viuebāt, & aperte ac sine fuco, quæ in pectore habebant eloquebantur, nondū reperto artificio mentiendi. Iam illud, quod paulo infra positū est, *Vt frontem ferias*: nō dubium est, quin habeat significationem indignationis:

vt recte adnotauit Manutius. Sic & apud Plutarchũ in Pompeio: καὶ πληξάμενος τὴν κεφαλὴν, ἐκέλευσε τοὺς ναύτας τὸ ἐφόλκιον προσβαλεῖν. Eum autem qui statim nominatur, *Ca;onium*, in quibusdam libris *Cæsoninum* lego; vt dubitem, num significetur L. Piso; quem aliquoties in ea, qua illum insectatus est oratione, non sine quadam contumelia *Cæsoninum* vocat. Atque vt hoc propositũ magis, quam adseueranter dictum velim: ita quæ de Catilina sequuntur, non habeo dubium, quin hoc modo legenda sint: *Catilina: si iudicatum erit licere, certus erit competitor.* In quo sequor etiam testimonium optimi & eruditissimi senis Iacobi Taurelli, qui mihi confirmauit, in veteribus optimæ notæ libris ita legi: *Catilina si iudicatum erid merid lucere.* vt in hoc errauerit vetus librarius, quod scripsit *erid*, pro *erit*, deinde sine caussa geminauit quinque literas MERID: ac pro *licere* scripsit *lucere*. De illo autem, *Cutem obducere*, ita certum atq; exploratum videtur, quod iampridẽ attulit Victorius, vt mirer, repertum esse postea quemquam, qui aliter senserit: nisi quod fere fit, vt quos non amamus, eorum ne sententias quidem amemus. Certe eodem modo vsus est eo verbo & Seneca in Troadibus:

Nuntius. Act. 5.

non stetit fusus cruor
Humóve summa fluxit. obduxit statim,
Sæuusque, totum sanguinem tumulus bibit.

vbi vulgo male legitur, *abduxit*. Sic & educere apud Plautum in Sticho est ebibere: *Si hoc eduxeris.* & paulo infra: *Tene tu, hoc educe.* In extremo etiam malim, illius ἀνάθημα, quam ἡλίῳ ἀνάθημα. Quid enim efficere potuit, quamuis bella Hermathenæ collocatio: vt propterea gymnasium videretur Solis anathema? At potuit ita belle posita esse, vt principem ibi locum obtineret, vtque totum gymnasium credi posset ei dicatum ac consecratum esse.

Illustratus Plauti ex Asinaria locus.

CAPVT XI.

INcredibile dictu est, quam pusilla menda, quantas tenebras interdum etiam eruditissimis hominibus obiiciant: vt quod multa interdum sæcula summos viros latuit, id postea indicatum, vel pueri primis literis imbuti assequi debuisse videantur. Tale est, quod nunc ex Plauti Asinaria proferam, qua in fabula cum amore perditus adolescens lenæ persuadere conaretur, vt sibi puellam, quam amabat, concederet: se postea pro ea pecuniam persoluturum: vafra autem & artificii sui insigniter perita mulier, præsenti pecunia sibi opus esse diceret, ipsa denique ita loquitur:

Lena. Sc. Vnũquodq;

Semper oculatæ nostræ sunt manus: credunt quod vident.
Vetus est, nihili coctio est.

IN quo illud COTIO quot & qualibus viris negotium exhibuit; cum & Erasmus ridicula quædam attulisset, & Alciatus in parergis nihilo meliora, & postremo is, qui vnus plus opis Plauto attulit, quam cæteri ante eum omnes, ab hoc loco nulla se ratione expli are potuisset. Res tamen est eiusmodi, vt mirum sit eam nō vel a vulgaribus ludimagistris iam pridem deprehensam fuisse. Quis enim est qui nesciat literam o, & diphthongon au sæpissime apud veteres & scribendo, & pronuntiando inter se permutari solitas? Nam & aullam, & ollam dicebant, & Paullum & Pollā, & ad eundem modum pleraque alia. Nempe igitur & hoc loco, quæ *cautio* vsitate dicitur, facta est *cotio*. Hoc enim dicit lena, vetus dictum esse, nihili esse cautionem siue syngrapham aut chirographum: multoquē tutius ac cautius agere eos, qui numeratam pecuniam sibi in manum dari volunt. Nam qui cautionem habet, sæpe litigare cogitur: at cui soluta pecunia est, ei res omnis in tuto est. Itaq; & scriptores nostri fragilitatem cautionis dicunt in l. Qui ita institutus, D. Ad S.C. Trebell & incertum cautionis euētum in l. pupilli, Quod fal. tut. auct. gest ess dic. & Seneca syngraphas cautionesq; vocat vacua habendi simulacra. Hoc quod ita perspicuum est, eorum tamen, quos dixi oculatissimorum hominum aciem fugit.

De vetere prouerbio quo vsus est Cicero in Catilinam.

CAPVT XII.

PRouerbii speciem habet, quod scriptum est a Cicerone libr 2. Catilinarum: *Qui homines primum, si stare non possunt, corruant: sed ita, vt non modo ciuitas, sed ne vicini quidē proximi sentiat.* Quoniam enim quid a quoque fiat, vicinis fere ignotum esse nō solet, quod etiam vulgari leguleiorum prouerbio circumfertur: idcirco quod sine vllo prorsus tumultu ac strepitu fieret, id ne vicinis quidem sentientibus fieri dicebant. E vetere autem comico id acceptum esse cognoui ex Platone in Alcibiade primo, vbi ita scriptum est: ἡμῶν δὲ γενομένων, τὸ τοῦ κωμῳδοποιοῦ, οὐδ᾽ οἱ γείτονες σφόδρα τι αἰσθάνονται ὦ ἀλκιβιάδη. Et ex Plutarcho in Pocione, vbi de oratore Demade ita loquitur: Δημάδης δὲ τοῦ υἱοῦ νύμφην ἀγόμενος, ἐμοῦ μὲν, εἶπεν, ὦ παῖ, τὴν σὴν μητέρα γαμοῦντος, οὐδ᾽ ὁ γείτων ᾔσθετο. τοῖς δὲ σοῖς γάμοις, καὶ βασιλεῖς, καὶ δυνάσται συγχορηγοῦσι. Ac versus comici, quantum suspicor, hic fuit,

Ἐμοῦ γαμοῦντος οὐδ᾽ ὁ γείτων ᾔσθετο.

De locis quibusdam e Truculento Plautina.

CAPVT XIII.

MIris modis deformatus est Plautus: & quidem ita male acceptus multis admodum locis est, quod in pugilem ait poeta quidem Græcus, eum e pugna talem rediisse, vt si in speculum inspiciat, iuraturus sit, se eundem non esse qui fuerat; ita videa-

tur Plautus, si quis eum ab inferis Æsculapius exciret, iuraturũ fabulas illas suas non esse. Mutum autem me semper studium tenuit illius, siqua ratione possem, adiuuandi: fuitq; aliquod tempus; cum sperabam fore, vt omnes illius comœdiæ multis a me vulneribus sanatæ ederentur. sed cõsilium meum cum alia remorata sunt, tum magnificæ multorũ pollicitationes, qui mihi per literas significabant, idem opus aut sibi, aut aliis quibusdam magnis, & præclaris viris esse in manibus: vt vererer, si cum talib⁹ antagonistis in arenam descenderem, ne non inanis modo ac superuacaneus, sed ridiculus etiam meus omnis exiret labor. Illi autẽ interea partim mortui sunt, partim cessant, tanquam sibi satis esse ducentes, quod nouum opus aliis nuntiarint. Sunt & fuci quidam, qui quæ iampridem & a me, & ab aliis notata ac publicata sunt, ea colligentes, & pro suis impudenter venditantes, Plautinas comœdias, in quibus multa integra deprauarunt, multa corrupta fœdius etiam corruperunt, vt a se in pristinum nitorem restituta, edere non verentur. Quanquam igitur, quod in aliis mihi accidit, idem in eis quoque, quæ his libris inspergam, mihi euenturum auguratur animus: experiar tamen, neq; tantum apud me valere sinam quamlibet iustam indignationem, vt non plus valeat vtilitatis publicæ ratio. Ac nunc quidem veteres coniecturas meas proponam de quibusdam locis e Truculento: quibus ἐν παρέργοις, Turnebus aliter medicinam facere conatus est. Quod enim ita vulgo legitur:

Lib. 11. Aduers. cap. 21.

> *Supplicium ad te hanc minam fero auri. si mihi ridespice:*

id ille ita legendum censet:

Stratophanes Sc. Meo mihi more.

> *Si mihi rides, spice.*

At ego hoc modo conieceram:

> *Supplicium ad te hanc minam fero purissimi auri. respice.*

neque dum me pœnitet coniecturæ. Quod autem in eadem fabula est,

> *Non enim possunt militares pueri & a vio educere:*

ille ita legi *& a via educier*: Ego autem rectum iudicabam, quod in veteribus libris repeteram, *setania educier*: aut, vt in aliis item veteribus, *setanio educier*: Setanium enim, aut setania, aut, apud Dioscoridem & Theophrastum legitur, sitanium, vel sitania, genus mespili est in Italia frequens: cuius multis locis & apud Plinium mentio est. Hoc igitur dicit meretrix, non posse militares pueros vilibus & parui pretii cibis educari, cuiusmodi est setania. Ac nescio quo modo durat hodieque apud Italos idem loquendi genus in sermone vulgi: vt si multa ac magna requiri ad aliquid efficiendum significent, dicant, aliud requiri, quam mespila. Est & cœpæ genus setania. Nã de tintinnabulis, semper idem, quod

illa

ille tradidit, senseram: & præter locum Zonaræ, habebam alium ex Pseudolo:

Iam hic ero. verum extra portam Metiam currendum est prius. Sc. Pseudoli non edidit.
Quid eos lanios inde in (?) *cursum duos cum tintinnabulis.*
Eadem duo greges virgarum inde vlmearum adegero:
Vt hodie ad litationem huic suppetat satias Ioui.
In malam crucem istic ibit Iuppiter lenonius.

Etenim extra portam Metiam habitabat carnifex: & ibi comburebantur cadauera damnatorum. Vnde in Casina:

Illum edepol videre ardentem te extra portam Metiam Sc. falcidi chalinum
Credo ecastor velle.

Nunc igitur hæc. alia posthac, vt quidque occurret, proferemus.

E Ciceronis Academicis emendatus locus.

CAPVT XIV.

Locus est Ciceronis ad finem libri primi Academicarũ quæstionum, deprauatus ille quidem in omnibus libris, sed cuius ita facilis emendatio est, vt diu piguerit me eam in literas referre, cum putarem ita obtusum neminem fore, quin eam facile videret, si paululum animum aduerteret. Nunc cum videam, neq; hominem eruditissimum Turnebum, qui eleganti sane commentario librum illum illustrauit, neq; alios, qui postea Ciceronem a se, vt ipsi quidem putabant: nam quid præstiterint, videbimus: emendatum ediderunt, quidquam de mendo cogitasse, indicabo eum, & purgabo, ne diutius macula illa in tam polito scriptore hæreat. Verba autem, quæ dico, Ciceronis hæc sunt: *Cum Zenone, inquam, vt accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, nõ pertinacia aut studio vincendi, vt mihi quidem videtur, sed earum rerum obscuritate, quæ ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem, veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pæne veteres, qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt.* Hæc Cicero. Sed quomodo, quæso, Socratem amare potuerant Democritus, Anaxagoras, Empedocles, & veteres illi, qui ante, vt opinor, mortui erant, quam auia Socratis nasceretur? An in re perspicua nihil pluribus verbis opus est? Neque enim quemquam posthac dubitaturum existimo, quin ita legendum sit: *Quæ ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem, velut iam ante Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pæne veteres.* Vt significet illam confessionem ignorantiæ non a Socrate primum inductam, sed multo ante eum a veteribus prolatam fuisse.

De locis quibusdam e Truculento Plautino.

CAPVT XV.

Versus hi sunt ex Truculento:

Sc. Rus mane d.

Rus mane dudum hinc ire me iussit pater,
Vt bubus glandem prandio depromerem.
Post illuc veni, quam aduenit, si dis placet,
Ad villam, argentum qui meo debebat patri.
Qui ouis Tarenti erat mercatus de patre.
Quaerit patrem. dico esse in vrbe. interrogo, quid eum velit.
Homo crumenam sibi de collo detrahit.
Minas viginti mihi dat. accipio libens.
Condo in crumenam. ille abiit. ego perperam minas
Ouis in crumena hac in vrbem detuli.

Quis aũt est, qui diuinare possit, quas dicat *oues perperam minas*? sed nimirum corruptus est locus. legendumq; hoc modo:

ego propere minas
Ouis in crumena hac in vrbem detuli.

De pecunia enim, id est, de illis viginti minis, quas pro ouibus acceperat, ita vt de ouibus loquitur, eadem vrbanitate, qua viginti minas pro asinis acceptas vocat alibi asinos.

Nimis vellem habere perticam. Qui vel? qui verberarem
Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumena.

Simul autem eo alludit, quod oues quae ventrem pilosum non haberent, vocabant oues minas aut apicas, quas etiam in emendo reiiciebant: vt est apud Varronem libro secundo De re rustica. Erant illae igitur plane oues minae: neq; enim pilosi sunt nummi. *Cap. 2.* Quod autem sequitur:

Fuit adepol Mars meo periratus patri.
Nam oues illius haud longe absunt a lupis.

Inde dictum est, quod lupas Marti sacras putabant. Vnde & huius vrbis conditores, quod a Marte geniti essent, aluisse dicitur lupa. Lupas etiam vocabant meretrices, a quibus non longe abesse dicit eas oues, quas ipse tunc in crumena ferebat. Parua sunt haec, & facilia: dicet aliquis. fateor. neq; ego ea pro magnis aut reconditis vendito. Sed tamen quae homines eruditissimi obscura sibi esse fassi sunt, ea illustrasse me nunquam pigebit.

De Mitylene Horatii loci duo illustrati.

CAPVT XVI.

NOn temere est, quod Horatius Mitylenen inter vrbes pulcerrimas numerat: tum in Odis;

Lib. 1. Car. Od. 7.

Laudabunt alii pulcram Rhodon aut Mitylenen:

tum in Epistolis:

Lib. 1. ep. 11.

Incolumi Rhodos & Mitylene pulcra facit, quod
Paenula solstitio, campestre niualibus auris.

Talem enim fere fuisse proditum est, quales sunt quae hodie non Italiae modo, sed vniuerso orbi terrarum ornamenta sunt Venetiae. Nam & in Mitylenen influens mare multis eam Euripis distinguebat, ac dissecabat: & pontes tota vrbe plurimi erãt ex candidi-

dido ac polito lapide facti, vt non vrbs, sed insula amœnissima videretur. Id ita exponit dulcissimus ac suauissimus scriptor Longus principio ποιμενικῶν his verbis: Πόλις ἐστὶ Λέσβου Μιτυλήνη μεγάλη ϗ καλή. διείληπται γὰρ εὐρίποις, ὑπεισρεούσης τῆς θαλάσσης, ϗ κεκόσμηται γεφύραις ξεστοῦ, ϗ λευκοῦ λίθου. νομίσαις οὐ πόλιν ὁρᾶν ἀλλὰ νῆσον. Eo autem libentius ex eo pauca hæc protuli, quod & confirmant Horatii de nobilissima vrbe testimonium, & Longi liber lectu dignissimus nondum, quod sciam, publicum accepit.

Illustratus locus Horatii ex Odis.

CAPVT XVII.

PEreleganti comparatione vsus est Flaccus ode duodecima libri primi, cum ornare Cæsarem vellet:

Micat, inquit, inter omnes Lib. 1. Car.
Iulium sidus, velut inter ignes Od. 12.
Luna minores.

In eo autem imitatus est Pindarum: etsi quod hic noster de Luna, id Græcus ille in Isthmiis de lucifero dixerat. λάμπει ἀωσφόρος θαητὸς ὡς ἄστροις ἐν ἄλλοις. A Luna autem obscurari ceterarum stellarum splendorem, suauissimis versibus dixerat etiam Sappho: Od. 4. Stroph. 2.

Ἀστέρες μὲν ἀμφὶ καλὰν σελάνναν
Ἂψ ἀποκρύπτοισι φαεινὸν εἶδος,
Ὅπποτ' ἂν πλήθοισα μάλιστα λάμπῃ. Apud Eustathium.

Sed & Quintus Smyrnæus in celebranda Penthesilea eandem comparationem adhibuit:

Ὡς δ' ὅτ' ἀν' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν ἄστρασι δῖα σελήνη
Ἐκπρέπει.

Puto autem huiusmodi locorum collatione, ac contentione inter se, & magis elucere veterum poetarum præstantiam, & eiusdem gloriæ cupidos, quomodo in eis imitandis versari debeant, admoneri.

Emendatus & illustratus locus quidam Plutarchi.

CAPVT XVIII.

ERuditionis & prudentiæ plenissimus scriptor Plutarchus, in commentariolo quo docuit principum virorum amicitiam, ac consuetudinem eruditis hominibus non esse fugiendam, sed expetendam potius, & adhibito studio quærendam: quod multo plus prosint humano generi, si præceptis, disputationibus, exemplo suo vnum aliquem ex iis, qui principem in ciuitate sua locum obtinent, quam si cerdonem quempiam aut baiulum, meliorem ac sapientiorem effecerint. eo igitur in libro ita scribit: καίτοι δὲ καὶ δόξαν ἡγεμονικὴν καὶ δύναμιν ἐν φιλίαις οὐ διώκει. οὐ μὴν οὐδὲ φεύγει ταῦτα ὥσπερ ... ἦθος. Quæ verba homo eruditis-

simus, quique labore & industria sua nunquam desinit adiuuare honestarum artium studia, ita interpretatus est: *Diuitias autem, & principe dignam gloriam, ac potentiam in amicitiis neq; sectabitur, neque, si modice affluās, auersabitur.* Sed si Plutarchi verba paulo attentius considerasset, vidisset omnino, verba illa περιὸν ἢ μετρίῳ ἤθει, nullo modo ita reddenda esse, *si modice affluant.* Hoc enim ait Plutarchus: hominem vere philosophum in parandis ac conciliandis amicis, non illum quidem diuitias spectare aut gloriam, ac potentiam, vt vulgus solet: sed tamen si inciderit in aliquem diuitem ac potentem, qui idem apto ad virtutem ingenio, & modestis, ac compositis moribus sit, non absterreri, neq; ipsius consuetudinē propterea refugere, quod diuitiis ac potentia præstet. Idque statim declarat eleganti similitudine. Philosophi, inquit, in amandis adolescentibus non formam sequuntur, sed mores, & ingenium, & studium erga liberales disciplinas: neque tamen formosos reformidant, neque abstinent ab eorum consuetudine, si eosdem modestos ac bene moratos, & discendi cupides esse videant. Deinde addit: οὕτως οὐδ' ἀξίας ἡγεμονικῆς, καὶ δυνάμεως ἀνδρὶ μετρίῳ, καὶ ἀστείῳ προσούσης, οὐκ ἀφέξεται τοῦ φιλεῖν καὶ ἀγαπᾶν, οὐδὲ φοβηθήσεται αὐλικὸς ἀκοῦσαι καὶ θεραπευτικός. Interpres autem hoc modo: *Ita dignitate & potentia principe digna præditum homo ciuilis, ac moderatus non abstinebit amando & diligendo, nec verebitur aulicus appellari, & principem colat.* In quo certe a Plutarchi sententia aberrauit: qui hoc ait, Si quis sit vir bonus & eleganti ingenio præditus, cui præterea adsit hoc quoque, vt dignitate ac potentia excellat, non idcirco abstenturum esse sapientem ab eo amando, ac colendo, neque veriturum, ne propterea aulicus, aut adsentator vocetur. Sequitur apud Plutarchum: οἱ γὰρ κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν νοσοῦσι. ὁμοίως τοῖς ἄγαν θηρωμένοις. καὶ οἱ πρὸς ἔνδοξον οὕτως, καὶ ἡγεμονικὴν φιλίαν ἔχοντες. Quæ ille ita reddidit:

Nam qui Venerem fugiunt nimis mortalium
Ægrotant.

& qui bona sectantur. itidem errant gloriam & gratiam apud principes fugiendo. quam sententiam nullo modo ex Plutarchi verbis effici posse, omnes, vt opinor, vident. Sed hoc facilius excusare debemus hominem insigniter & eruditum, & industrium, quod Græca manifesto deprauata sunt. quæ mihi quidem videntur ita emendari posse:

Οἱ γὰρ κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
Νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς ἄγαν θηρωμένοις.

id est:

Namq; Venerem quicunq; refugiunt nimis,
Peraque ægrotant, atq; qui appetunt nimis.

itidemq; qui erga principum ac potentum amicitiam aut hoc, aut illo modo

modo affecti sunt. & puto hanc veriorem esse scripturam horũ Euripidis versuum quam quæ est apud Stobæum: Serm. 61.

Οἱ γὰρ κύπτειν φθέγγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
Νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς διώκουσιν ἄγαν.

Atq; hęc eo notaui, eiusdemque generis alia posthac fortassis notabo, vt prosim studiosis: non vt quidquam detraham de gloria, & existimatione eruditorum hominum, quos in magnis & arduis operibus interdum dormitantes, qui non ferat, aut qui eos propterea minoris faciendos putet; is mihi ab omni humanitate alienissimus esse videatur.

Tres antiquæ voces Ciceroni restitutæ.

CAPVT XIX.

VEtera quædam vocabula sunt apud Ciceronem, corrupta ab iis, qui quicquid minus vsitatum est, pro suo iure expungere, & quicquid collibuit, substituere audẽt, etiam inuitis: nam hoc nonnunquam profitentur, & reclamantibus omnibus libris. quorum nisi regatur & coerceatur audacia, paucis annis in Cicerone minima pars Ciceronis futura est. Quosdam hic proponam locos, ex quibus hoc, quod dico, intelligi possit. Ita igitur scriptum est libro quinto De finibus: *Stoici restant. hi quidem non vnam aliquam aut alteram a nobis, sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt. atque vt reliqui fures earum rerum, quas ceperunt signa commutant, sic illi vt sententiis nostris pro suis vterentur, nomina, tanquam rerum notas mutauerunt.* Sed in libris veteribus, *clepserunt*, legitur, non, *ceperunt.* quod sine dubio rectum est. Cicero ipse alibi: *Sparta, rapere vbi pueri & clepere discunt.* Eodem modo peccatum est libro I. De diuinatione, in versibus veteris poetæ de Cassandra:

Sed quid oculis rapere visa est derepente ardentibus?

Non enim *rapere*, sed *rabere* legendum est. Et libro 2. Tusculanarum: *Ingemiscere nonnũquam viro concessum est, idq; raro. Eiulatus ne mulieri quidẽ. Et hic nimirum est fletus, quem duodecim tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt.* Neq; enim *fletus* in vetustis libris, sed *lessus* legitur. Quod autem quidam homo eruditus pro *vetuerunt*, *voluerunt* legi vult, id tale est, vt ne ipsi quidem, si diligentius considerarit, probatum iri putem.

De quibusdam locis Laertii.

CAPVT XX.

MVlta sunt adhuc apud Laertium corrupta: etsi præclaram in eo emendando nauauit operam, homo & industria, & eruditione præstans, qui libros ipsius cum vetustis exemplaribus collatos haud ita pridem edidit. Nos vero cum & amare ac laudare debemus ob ea, quæ præstitit, & si quid ipsius diligentiam fugit, id ingenue cum studiosis communicare. In vita igitur Socratis (hinc enim exordiemur) ita scriptum est: Εὐθύφρωνα δὲ τῷ Lib. 2.

πατρὶ γεγραψάμενον ξενίας δίκην, περὶ ὁσίου τινὰ διαλεχθεὶς ἀπήγαγε. Sed qui Platonem vel primoribus, vt dicitur, labris attigerunt, satis sciunt, non fuisse illam ξενίας δίκην, quam Eutyphro intendebat patri: accusabat enim eum, quod mercenarium quendam enecasset: vt dubium non sit, quin pro ξενίας legendum sit ξενοκτονίας. Paulo post autem, vbi Euclidem a Socrate reprehensum narrat, quod in contentiosis Syllogismis nimium studium poneret, ita legitur: ἐχρῆτο γὰρ ὥστε εἶναι τὴν περὶ ταῦτα αἰσχρολογίαν: cum omnino legendum sit, μικρολογίαν: etsi aliter Victorius. Et quoniam, quam hæc, quæ tradimus, inter se cohæreant, non valde laboramus, addemus alium locum ex Heraclidis vita, vbi vnius literæ deprauatio festiuam & elegantem historiam corrupit. est autem hæc: *Dionysius Metathemenus, qui, vt est apud Ciceronẽ, propter dolorem oculorum a Stoicis descivit, & in Epicuri castra se contulit: is igitur Dionysius cum tragœdiã quandam scripsisset, cui Parthenopæo nomen fecerat, Sophoclis illi nomen inscripsit.* Hac ementita inscriptione delusus Heraclides in commentariis quibusdam suis versus ex ea fabula pro Sophocleis citauerat. Tum ei Dionysius rem, vt erat, aperit, seq; eius fabulæ auctorem esse profitetur. Quod cum etiam tum Heraclides negaret, eique fidem habere nollet, scripsit ad eum Dionysius, vt quendam ex ipsa tragœdia locum inspiceret, in quo ex primis versuum literis conficiebatur ac contexebatur nomen ΠΑΓΚΑΛΟΣ. Erat autem id nomen formosi pueri, quem Dionysius amabat; cuiusque nomen amoris caussa, occulte & artificiose poemati suo intexere voluerat. Sic olim Ennius versus quosdam, vt a Cicerone proditum est, scripserat, quorum ex primis literis efficiebatur, Q. Ennius fecit. In Græcis autem Laertii libris ab eo, quem supra significaui editis, nisi quod παγκάλους, pro Πάγκαλος scriptum est, cetera omnia ἔχει παγκάλως. Qui pusillus error tantas tenebras obiecit interpreti, vt huius historiolæ in eius interpretatione nullum prope vestigium appareat. Ac putassem in Græcis erratum esse operarum vitio, nisi homo eruditus in iis notis, quas ad finem libri adiecit, ostendisset, se veræ illius scripturæ sententiam non esse assecutum. Certe in optimo & vetustissimo libro Alexandri Farnesii Cardinalis multis nominibus Maximi aperte legitur ΠΑΓΚΑΛΟΣ: ne quis de scripturæ illius integritate dubitandum putet. Recte etiam idem ille liber in vita Cratetis, vbi ponitur iocolum quoddam eius Philosophi diarium, quo ostẽdebat a diuitibus magnos sumtus fieri in coquos, in adulatores, in scorta, cum in bonos & eruditos viros parci ac restricti sint, recte inquam in eo libro scriptum est τάλαντα πέντε, non, vt editum est, τάλαντα δέκα. Sunt enim tres versus iambici, qui propter vocis illius deprauationem non agnoscuntur.

Τίθει μαγείρῳ μνᾶς δέκ', ἰατρῷ δραχμήν.

Κόλακι,

Κόλακι τάλαντα πέντε, συμβούλῳ καπνόν.
Πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον.

Sed & quod in vita Pythagoræ legitur, fuisse medicum quendam Pythagoram, qui scripserit de Hernia, id non quidem omnino vere, sed tamen propius vero scriptum est eodem in libro. Περὶ κήλης enim habet, non περὶ κήλης. legendum autem περὶ σκίλλης. Id ita esse constat ex Plinio; cuius hæc sunt ex capite quinto libri XIX. vbi de generibus scillæ, quod bulbi genus est, loquitur: *Vnum de iis volumen condidit Pythagoras Philosophus, colligens medicas vires, quas proxime reddemus libro.* Cap. 5.

M. ANTONII MVRETI I. C. AC CIVIS R.

VARIARVM LECTIONVM Liber Decimus.

Quam vetus sit consuetudo, in honore alicui habendo manum suam ad os admouendi.

CAPVT I.

QVod hodieque in consuetudine positum est, vt in salutandis potentibus, aut in honore eis habendo, nostram ipsi manum ori admouere soleamus, id quæsitum est ex me, num a veteribus quoque factitatum esset, an, vt alia pleraque, ita hoc quoque inepte adulandi genus seruilia recentiorum aulicorum ingenia excogitassent. Respondi, cum morem vsque ab impia illa, & ridicula veterum, qui multos deos colebant, superstitione ductum ac propagatum videri. Solebant enim & illi, cum aut fanum aliquod præterirent, aut lignum, lapidemue aliquem aspicerent, in quo diuinitatis aliquid esse opinarentur: neque enim vilior illis temporibus vllius rei, quam deorum, annona erat: manum ad os referre, & tenui murmure illos ligneos aut lapideos deos, vt sibi fauerent, precari. Ouidius: Lib. 6. Metamorph.

Ecce lacu medio sacrorum nigra fauilla
Ara vetus stabat tremulis circumdata cannis.
Restitit, & pauido, Faueas mihi, murmure dixit
Dux meus: & simili, Faueas mihi, murmure dixi.

Apuleius apologia prima: *Nam, vt audio, percensentib. iis qui istum nouere, nulli deo ad hoc aeui supplicauit; nullum templum frequentauit: si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere.* Minutius Felix in Octauio: *Cæcilius simulacro Serapidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens, osculum labiis pressit.* Quo igitur gestu illi diis suis honorem ex-

Libebant, eodem nos hodie in potentibus ac fortunatis homini... isto ea dis vtimur.

V... sumsisse videatur Ouidius, quod in Oraculo terram, matrem, lapides autem ossa illius vocauit.

CAPVT II.

SApienter interpretatur Ouidianus Deucalio sortem sibi a Themide datam, quærenti qua arte genus humanum aquis extinctum reparare posset: qui iussus ossa magnæ matris post terga iacere, matris nomine terram intellexit, cuius in corpore ossa lapides vocarentur. Atque equidem existimo, ingeniosissimum poetam in illo responso confingendo, quod terram quidem matrem vocauit, sumsisse ex historia Romana, vbi, cum regiis adolescentibus responsum esset, eum regnaturum Romæ, qui primus matri osculum tulisset, Brutus is, qui reges exegit, e naui exiens, simulato casu, terram osculatus esse dicitur: quod autem *lapides, terræ ossa*, secutum esse auctoritatem veteris tragici, qui & ipse illos eodem nomine affecerat. Citantur enim hæc a vetere Grammatico:

Γῆς ὀστέοισιν ἐγχρίμψθεὶς πόδα.

De eo qui ad lapidem offendisset. Sic autem, & *sanguinem terræ* Aristoteles in quadam ad Alexandrum epistola *vinum* vocasse dicitur. & vulgo *venas in terra* dicimus aut quibus aqua conclusa latet, aut e quibus metalla eruuntur.

Versum quendam ex Odyssea multo aliter a nonnullis accipi, quam vt ab Horatio acceptus est.

CAPVT III.

NOn est dubium, quin Horatius in epistola ad Lollium, illo versu,

Lib. 1. ep. 2. *Dum sibi, dum sociis reditum parat,*

Exprimere voluerit illum Homericum:

1. Odyss. v. 5. Ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων

Sed Homericum tamen, non eodem, quo Horatius sensu omnes accipiunt. Didymus enim, cuius exstant in Odyssean eruditissimæ notæ, aliam etiam quandam eius declarationem tradit, an veriorem nescio, ipsi certe Vlyxi honestiorem ac gloriosiorem. Illum videlicet eo animo fuisse, vt & vitam impendere, & omnem reditus spem sibi præcludere non recusaret, dummodo saluti sociorum consuleret. Verbum enim ἄρνυσθαι, vt apud Eustathium legitur, ab agnis dictum est, quos Græci ἄρνας vocent: vt & ὠνεῖσθαι ἀπὸ τῶν ὄνων, & πωλεῖν ἀπὸ τῶν πώλων: quod prisci nondum reperto nummorum vsu, agnis, asinis, equuleis, aliisque eiusdem generis animalibus parare ea, quibus indigebant, solebant. Hoc igitur Homerum dicere ait, paratum fuisse Vlyxem, si res ita tulisset, ἄρνυσθαι, id est, quasi pro pretio dare καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ τὸν ἑαυτοῦ νόστον, ἀντὶ τῶν ἑταίρων. Neque coniuncte legendum. καὶ νόστον ἑταίρων.

ἑταίρων: sed distinguendum hoc modo. καὶ νόστον, ἑταίρων. Lucianus tamen prorsus Horatianæ sententiæ adstipulatur, qui in φιλοψευδεῖ Vlyxem multa in errore illo suo mentiri solitum dixit, πλεῖστα αὐτοῦ ψυχὴν ἀρνύμενον, καὶ τὸν νόστον τῶν ἑταίρων. Hanc sententiarum varietatem, quam Horatiani interpretes vel non animaduerterant, vel prætermiserant, non indignam duxi, cuius rudiores admonerentur.

De duobus locis ex primo libro Commentariorum Cæsaris De bello Gallico.

CAPVT IV.

Legebamus animi caussa primum librum commentariorum Cæsaris De bello Gallico ego, & Horatius Macaranus elegantissimo ingenio, & honestissimis moribus præditus adolescens: & vt ei quidque occurrerat, in quo hæreret, ita aut ex me sciscitabatur sententiam meam, aut etiam suam ipse modeste ac verecũde proferebat. Cum igitur ventum esset ad eum locum, vbi Ariouistus Cæsaris legatis respondet, *Æduis se obsides redditurum non esse, neque iis, neque eorum sociis iniuria bellum illaturum, si in eo manerent quod conuenisset, stipendiumque quotannis penderent: si id non fecissent, longe iis fraternum nomen populi R. afuturum:* his recitatis paululum substitit Horatius: &, Quando, inquit, mihi licere voluisti omnia dicere quæ in mentem venirent, non dissimulabo vereri me, ne hoc loco, vbi est *afuturum*, vna litera extrita, legi debeat *futurum*. Recens enim sum a lectione vltimi Æneidos, vbi commemini ita Turnum loqui,

Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem Lib.12.v.52
Fœminea tegat, & vanis sese occulat vmbris.

Vt ergo illic Turnus minatur, longe Æneæ futuram matrem: ita hic Ariouistus, longe Æduis fraternum nomen populi R. fore. Tum ego, Acute, inquam, isthuc a te, Horati, & ingeniose cogitatum est: & quo tibi magis etiam de ista tua coniectura placeas, scito, eandem adprime eruditi hominis Gabrielis Faerni fuisse, cum vno illo, quo tu quoque vsus es Virgilii testimonio niteretur: Certeque eodem modo locutus est optimus, & ipse Latinitatis auctor Ouidius octauo Metamorphoseon:

Pone, age, nec titulos intercipe fœmina nostros,
Thestiadæ clamant: nec te fiducia formæ
Decipiat: ne sit longe tibi captus amore
Auctor.

Sed tamen cum eadem veterum librorum scriptura sit, quę vulgata: nihil est caussæ, cur quidquam mutandum putemus. Nam hoc quoque alterum loquendi genus veteribus non inusitatum fuisse, ex eodem illo, quẽ modo citaui, Ouidio, cognoscitur; apud quem ita legimus libro quarto:

Huic quoque, vade procul, ne longe gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longe tibi Iuppiter absit.

Paulo autem infra eum, quem dixi Cæsaris locum locus alius est in omnibus, quos ego quidem viderim, libris deprauatus; quam qui nuper emendare voluerunt, magis etiam corruperunt. Nam cum dixisset Cæsar, e Gallorum sermonibus de Germanorum virtute, tantum exstitisse in exercitu Romano metum, vt non mediocriter omnium mentes, animosque perturbaret: *Hic*, inquit, *primum ortus est a tribunis militum ac præfectis, reliquisque qui ex vrbe, amicitiæ caussa Cæsarem secuti magnum periculum miserabantur; quod non magnum in re militari vsum habebant* Ita enim habét veteres tum calamo notati, tum typis descripti libri. At in iis qui postea editi sunt, addita est negatio, hoc modo: *Non magnum periculum miserabantur.* Sed qui attente totum locum considerauerit, facile intelliget legendum esse. *Magnum periculum efferebantur.*

Expensus locus ex Asinaria Plauti, in quo Poeta ipse quiddam non satis ex arte fecisse videri potest.

CAPVT V.

CVm animi caussa Plauti Asinariam euoluerem, quiddam reperi, quod mihi scrupulum obiecit: neque audenti accusare ἀτεχνίαν Plauti, neque tamen ad eum defendendum, ac vindicandum ab illo crimine quidquam satis probabile reperienti. Nam in prima fabula senex cum seruulo colloquens, scire se ostendit, filio opus esse viginti minis. Ita enim loquitur:

Demanetus. Sc. 1.

Nunc verba in pauca conferam, quid te velim,
Viginti iam vsust filio argenti minis,
Face id vt paratum iam sit.

Cleæreta cũ Argyrippo. Sc. vnumquodque.

Multo autem post, Argyrippa lena super illis uiginti minis cum adolescente paciscitur: cumq; adolescens dixisset,

Mane, mane, audi, dic quid me æquum censes pro illa tibi dare
Annum hunc ne cum quiquam alio sit:

Subiicit impura mulier:

Tene? viginti minas,
Atq; ea lege: si alius ad me prius attulerit, tu vale.

Ante igitur resciuerat senex, quantum argenti filio opus esset, quam id filius ipse ex lena cognoscere potuisset. Ac scio, visum esse nonnullis etiam Terentium in Adelphis similiter ipsum quoque peccasse. Sed Terentii quidem caussam veteres critici facile expediunt, eumque omnibus suffragiis liberant. Plautinum hoc, vereor, vt æque facile defendi queat.

Locus quidam Iuuenalis aduersus aliorum omnium sententiam declaratus.

CA-

CAPVT VI.

Mirum est, quanto opere vexatus sit ab hominibus eruditis versus ille Iuuenalis e Satyra vndecima:

Qui Lacedæmonium pedeumate lubricat orbem: vers. 173.

Vt vix vllus iam superesse videatur nouæ aut emendationi, aut interpretationi locus. Primum enim Domitius, & alii eum secuti *pytismate* legerunt, non *pedeumate*: cumque Lacedæmonium orbem interpretarentur annulum, putarunt hoc versu significari diuitem delicatum, qui annulum, quem in digito gestaret, identidem extraheret sputoque illineret, vt habilius & commodius versari posset. At Merula, saltationis genus esse pytisma quo Lacedæmonii vterentur: idque homo ingenuus fassus est, se nusquam legisse: sed ita sibi in mentem venisse, vt ea quæ somniamus. Tertius accessit Georgius Valla, qui cum putaret, vix satis sibi decorum fore, si ad has epulas asymbolus veniret, orbem Lacedæmonium trochum esse dixit e piuu factum, quæ Græce pytus diceretur. Adhuc hæc erant, cum ecce tibi homo acutissimus, & eruditissimus Politianus, qui, explosis omnium superiorum sententiis, *pytilismate* legendum censuit: id enim ex Galeno esse exercitationis genus, quo in Laconicis, id est, in sudatoriis, vterentur, peruncto prius corpore: atque eo lubricandi verbum pertinere. Et fortassis obtinuisset hæc sententia propter summam Politiani in literis auctoritatem, nisi animaduertissent homines, eam cum iis de quibus eo loco Iuuenalis ageret, nullo modo cohærere. Alciatus quidem cum se in idem illud a Politiano exstructum sudatorium contecisset, vt tamen adferret aliquid noui, *pyreysmate*, legendum censuit, nouo, & ante ipsum inaudito vocabulo. Exstitit deinde Flauius quidam, cuius scripta nondum in manus meas venerunt, qui ratus sit legendum, *poppysmate*: & orbis Lacedæmonii nomine intellexerit τὴν ἐρυγκτῆρα, versum hunc ad nefariam libidinem referendum putans: quod mihi quidem absurdissimum, & a poetę sententia alienissimum videtur. Secutus est homo multæ ac variæ lectionis Ioannes Brodæus, qui *pedemate* legendum pronuntiauerit. Huius ego Miscellanea, in quibus hoc tradidisse fertur, quanquam magno studio quæsita, numquam vsque adhuc reperire potui: sed facile tamen ex ipso pedematis nomine video eum aliquod saltationis genus intellexisse: & mihi verisimile fit eodem modo legisse etiam Merulam. Postremo Turnebus *pytisma* sputum, *orbem* trochum videri voluit. Quis post tot, ac tales viros quidquam sibi præterea quærendum putet? & aut idoneum se inter eos arbitrum profiteri, aut, quod eorum nemo intellexerit, id se verius explicaturum polliceri audeat? Quando tamen in hoc literarum genere, minimo periculo peccatur, non deterrebor ego quoque, quid sentiam, dicere. Puto igitur quod in vetustis libris legitur *pedenmate* leuiter deprauatum esse, ac legendum *persouma-*

re, a verbo παιδεύω: significatique eo versu diuitem aleæ studio deditum. Quod confirmant & ea quæ statim sequuntur:

Namque ibi fortunæ veniam damus. alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus: hæc eadem illi
Omnia cum faciunt, hilares, nitidique vocantur.

Orbem autem Lacedæmonium vocat mensam ex marmore Laconico, vt & Martialis Libycum orbem, mensam ex marmore Africano.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes:
Fulcitur testa fagina mensa mihi.

Et Seneca ad Albinam: *Magni, leuatique mensarum orbes* lubricantur autem, id est, leuantur, ac poliuntur adsidua attrectatione marmora, super quibus adsidue alea luditur. Vix illum reperiri posse versum in omnibus antiquorum poematis puto, quam tam multi tam varie interpretati sint.

Non modo, pro, non modo non, sæpe apud veteres legi, idque loquendi genus a Græcis ductum esse.

CAPVT VII.

NOtauerat iampridem Paulus Manutius, *non modo*, pro *non modo non*, sæpissime apud veteres legi: idque & ego postea libro primo commentariorum in Catilinarias confirmaueram, & alii homines eruditissimi suo calculo comprobarant. Sed inciderunt nuper in manus meas, cum in taberna quadam libraria otiosus sederem, ibique cum amicis aliquot eruditis hominibus colloquerer, notæ cuiusdam sane docti ac diligentis viri in scripta Ciceronis, in quibus, quodam loco vehementer nostrum omnium in eo iudicium improbat, & illis omnibus locis, quibus nos ad id confirmandum vtebamur, negationem addendam esse contendit. Ego autem, si quis aduersus veterum consuetudinem multorum librorum consensu testatam, opinione quadam, ac iudicio suo, aut etiam rationibus, quæ speciem aliquam probabilitatis habeant, niti velit, non sane propterea cum eo altercabor, neque pugnabo. Sed tamen non protinus de sententia demouebor. Scio enim in omnibus linguis multa dici, quorum ratio non constet: sed in vsu loquendi, ipsam bene loquentium consuetudinem pro ratione habendam puto. Congeram igitur huc aliquot Ciceronis, & aliorum primæ classis scriptorum loca, quæ ipse in optimæ notæ libris, ita prorsus, vt subiiciam, scripta legi: vt eis inspectis, hac de re ab omnibus eruditis iudicetur. Cicero in epistola ad Lentulum: *Non modo præmiis, quæ apud me minimum valent, sed ne periculis quidem compulsus vllis.* Idem ad Pætum: *Hoc tamen scito, non modo me, qui consiliis non intersum, sed ne principem quidem ipsum scire, quid futurum sit.* Item lib. decimo ad Atticum: *Regnum non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile.* & eodem lib. *Mihi non modo irasci, grauissima iniuria accepta,*

Lib. 1. ad fam. ep 9.
Lib. 9. ep. 17.
ep. 4.
Lib. 11 ep. 14.

seu no

sed ne dolore quidem impune licet. Atque hi omnes loci ita leguntur etiam in libris proxime a Victorio editis, quos ex optimis omniũ exemplaribus cum fide descriptos esse constat. Idem libro tertio in Verrem: *Voluerunt eos in suis rebus ipsos interesse: eorum animos non modo lege noua, sed ne nomine quidem legis non commoueri.* Idem libro primo in Catilinam. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam planeq; sentiam.* Idem pro Sex. Roscio Amerino: *Qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.* Idem pro Cælio: *Hæc genera virtutum non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur.* Sed in eadem oratione in libris veteribus ita legitur: *Huic oberis tuum maledictum, qui istius facti non modo suspicione, sed ne infamia quidem est aspersus.* Et libro primo De oratore: *Neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit.* Et libro secundo De officiis. *Quod eo firmiore animo facient, quia non modo illis inuidetur ætati, verum etiam fauetur.* Et libro tertio: *Etenim si is, qui non defendit iniuriam neq; propulsat a suis cum potest, iniuste facit, vt in primo libro disserui, qualis habendus est is, qui non modo repellit, sed etiam adiuuat iniuriam?* Varro libro primo De re rustica: *Bono animo esto*, inquit Agrius: *nam non modo illud sublatum est, quod ludis Circensibus non primis curriculi finem facit quadrigis: sed ne illud quidem vidimus, quod in Ceriali pompa solet esse primum.* Liuius libro XXV. *Postremo ita assuetudine mali efferauerant animos, vt non modo lacrymis, iustoq; comploratu prosequerentur mortuos sed ne efferrent quidem, aut sepelirẽt.* Hæc inquam, omnia, aliaque eiusdem generis plurima ita in antiquissimis libris scripta sunt, quorum tantum consensum pro nihilo putare, hominis esse ingenio suo præfidentis puto. Præsertim cum Græci quoq; ita loquantur, apud quos, οὐχ ὅτι, μὴ ὅτι, οὐχ ὅπως, interdum valent, *non solum*, interdum. *non solum non*: quod & docuit, & multis præstantissimorum scriptorum testimoniis confirmauit decus, atque ornamentum Gallici nominis Gulielmus Budæus in commentariis linguæ Græcæ.

De loco quodam ex secundo De officiis.

CAPVT VIII.

DVbitant eruditi homines, quomodo accipiendum sit, quod ait Cicero libro secundo De Officiis: *multa sæcula exspectanda fuisse C. Pontio Samniti si a fortuna reseruatus esset ad id tempus, quo Romani dona accipere cœperunt.* Bellauit enim cum Romanis Pontius anno ab vrbe condita CCCCXXXII. lex autẽ Calphurnia de pecuniis repetundis lata est anno ICCIV. vt si *sæculũ* sit cẽtum annorum, quomodo accipiendum, & Grammatici veteres docẽt, & ludorũ sæcularium appellatio cõfirmat: non tota duo sæcula ei exspectanda fuerint. Sed certe *sæculũ* interdũ est γενεά, vt ostẽdit &

Nævius, qui Nestorem, vt est apud Gellium triseclisenem vocabit, ex illis videlicet Homeri versibus:

1. Iliad. vers. 250.

Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

γενεὰ autem triginta annorum est. Itaque illi Homerici versus ostendunt tantum, Nestorem, cum illa loqueretur, sexagenario maiorem fuisse: quamuis illic quoque γενεὰν pro centum annis accepisse etiam veteres Latini poetæ videntur.

Illustratus locus ex Oratione pro Flacco.

CAPVT IX.

Mirifice abiicit, & extenuat Cicero in oratione Flacco vim & auctoritatem plebiscitorum siue psephismatum, quæ fiebant in Græcia, quod in eis neque per capita, neque per tribus, neque per centurias exquirebantur sententiæ; sed per præconem edicebatur, vt qui ita sentirent, & manus tollerent: atque ita clamore multitudinis & sublatione manum, de rebus grauissimis temere & inconsulte decernebatur. *Sic sunt*, ait summus orator, *expressa ista præclara, quæ recitantur, psephismata non sententiis, neque auctoritatibus declarata, non iureiurando constricta: sed porrigenda manu, profundendoque clamore multitudinis concitata.* Et paulo post: *Porrexerunt manus: psephisma natum est.* Atque eo respicientes apud Aristophanem αἱ ἐκκλησιάζουσαι, aiunt, videndum sibi esse, quomodo manus tollere debeant, ad confirmandum videlicet id quod Praxagora proposuerit:

ἐκκλησιαζούσαις Act. 1.

Ἐκεῖνο δ' οὐ πεφρόντικας, ὅτῳ τρόπῳ
Τὰς χεῖρας αἴρειν μνημονεύσομεν τότε,
Εἰθισμέναι γὰρ ἐσμὲν αἴρειν τὼ σκέλη.

Cap. 23.

Et si Victorius libro duodecimo Variarum lectionum alio id referendum putauit. Huius autem consuetudinis & apud Æschylum in Supplicibus mentio est:

Pag. 329. edit. H. S.

Πανδημία γὰρ χερσὶ δεξιωνύμοις
ἔφριξεν αἰθὴρ τόνδε κραινόντων λόγον

Et paulo post:

Τοιαῦτ' ἀκούων, χερσὶν Πελασγῶν λεὼς
ἔκρανεν

Vbi etiam scholiastes formulam verborum ponit, quæ in eiusmodi rebus præconi vsitata erat, ἀράτω τὰς χεῖρας ὅτῳ ταῦτα δοκεῖ. Meminit & alicubi Scholiastes Nicandri.

Emendatus Plauti locus in Epidico.

CAPVT X.

Stulta quædam consuetudo est ignauorum, & nullius pretii hominum, vt cum quid ignaue, indecoreq; fecerunt, si ostendere possint magno alicui, ac præclaro viro idem quoquo modo contigisse, satis id sibi esse aut ad defensionem, atque excusationem

nem, aut etiam ad gloriam, & commendationem arbitrentur. Sic iocans alicubi Martialis, quendam qui malos versus faciebat, etiam laudandum esse dicit, quod ea in re Ciceronis similis sit. sic inepti olim quidam cum illud impedimentum linguæ, quo Demosthenem laborasse legerant, imitarentur, germani sibi Demosthenes videbantur. Sic Platonis paulo elatiores humeros, Aristotelis vnam τραυλότητα, qui studiose effingerent, multi erant. Et apud Terentium Thraso cum ædes meretricis oppugnaturus, loco sibi cauisset, *Idem*, inquit, *hocce Pyrrhus factitauit.* quasi eadem ratio Pyrrhi fuisset, quæ tum erat illius. & in eadem fabula cum de deditione cogitaret, iamque se impuræ mulierculæ in seruitutem mancipaturus esset, *Qui minus*, inquit, *quam Hercules seruiuit Omphalæ?* Est autem horum consimilis iocus & apud Plautum in Epidico, vbi seruus e militia rediens, de herili filio qui arma aut amiserat, aut vendiderat, loquens, ait, id ei gloriosum fore: nam idem olim etiam Achilli contigisse. Notum est autem, vt interfecto Patroclo, ad Troianos Achillis arma peruenerint. sed Plauti locus in omnibus vulgatis libris deprauatus est. ita enim legitur: Eunucho Act 4 sc 7. Act. 5 sc. 8.

Sed quid ais? TH. quid rogas? EP. vbi arma sunt Stratippocli? Scen. Heris adolescens.
TH. Pol illa ad hostes transfugerunt. EP. arma ne? TH. & quidem cito.
EP. Seruoq; dicis hac tu? TH. serio, inquam, hostes habent.
EP. Ædepol facinus improbum. TH. at iam ante alii fecerunt idem.
Erit illi illa res honori.

Sed pro *alii* sine vlla dubitatione legendum est *Acili* vnico l, propter versum, vt sæpe apud Homerum: quod & ea, quæ statim sequuntur, manifesto declarant. Quod autem statim subiungit; se putare arma Stratippoclis fabricatum esse Vulcanum, quoniam ad hostes transuolauerint: eo pertinet, quod τὰ ἡφαιστότευκτα plerumque animata erant: vt illi tripodes, de quibus apud Aristotelem primo Politicorum, quos ait Homerus αὐτομάτους θεῖον δύσεθ᾽ ἀγῶνα.

De libidine Eunuchorum verum esse quod a Terentio dictum est.

CAPVT XI.

NOn vanum est quod de Eunuchis audisse se ancilla Terentiana dicit, eos amatores esse mulierum maximos. neque enim quibuscumque amputantur testes, in eis libidinis ardor extinguitur: imo vero crescit, & intenditur in iis, qui exsecti sunt iam puberes: ita vt olim libidinosæ mulieres, quæ tamen parere nolebant, cupide eis, vt in illa clinopale indomitis & indefessis ad libidinem suam explendam abuterentur. Idque hoc etiam tempore

Xxx

metuens immanis & barbara gens Turcarum, quibus Eunuchis vti ad mulierum suarum custodiam volunt, eis non testes modo, sed & caudam, vt ait Horatius, salacem ferro demetere plerumque solent. Multæ enim alioqui fecerent idē, quod Gelliam quandam facere solitam ait Martialis. Verum autem esse, quod modo dicebam, & exempla declarant, vt Phauorini philosophi, qui Eunuchus cum esset, in adulterio deprehensus dicitur: & grauissimi, ac sanctissimi scriptoris Basilii confirmat auctoritas, qui hac de re ita scribit in ἀσκητικοῖς. Τοὺς γὰρ μετὰ τῆς ἀνδρωθῆναι πρὸς συνουσίαν, καὶ παιδογόνα μόρια, τοὺς διδύμους ἀποτεμόντας. φασὶ δ' ἐκμανῆναι καὶ ἄγχιλον πρὸς τὰς συνουσίας οἰστροῦσθαι, καὶ οὐκ οἰστροῦσθαι μόνον, ἀλλὰ καί, ὡς αὐτοῖς δοκεῖ, ἀκινδύνως φθείρειν τὰς προσεγχύτας. Atque hoc ipsum plane Satyrice exsequitur Iuuenalis his verbis:

Satyr. 6. ver. 364.
Sunt quas Eunuchi imbelles, ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barbæ:
Et quod abortiuo non est opus: illa voluptas
Summa tamen, quod iam calida, & matura iuuenta
Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro.
Ergo exspectatos, ac iussos crescere primum
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,
Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.

Euripidis vnus, Ciceronis ex Epistolis ad Atticum duo loci emendati.

CAPVT XII.

ERudite sane, vt solet, emendauit iampridem locum Euripidis ex Hippolyto coronato doctissimus homo Victorius. In quo cum vulgo legatur:

Lib. 13. var. 17.
Πότερον ὑπ' ἄτης, ἢ θανεῖν πειρωμένη;

Monet ille pro ἄτης; legendum videri ἄσης: quo nihil verius dici potuisse censeo. Sed tamen scrupulus residere adhuc aliquis potest propter syllabæ modum, qui obstare, atque impedire huic mutationi videtur. ἄσην enim priore syllaba producta dicimus, ἄτην correpta. Auctor huius rei Eustathius, qui exponens illud Homericum,

Iliad. 9. Vers. 116.
Ἀασάμην, οὐδ' αὐτὸς ἀναίνομαι,

Ita scribit: τὸ δὲ ἀασάμην, ῥῆμά ἐστιν ἐξ οὗ ἡ ἄση γίνεται, ἡ κατὰ ...... ὡς ἀπὸ κορέσεως. τὸ ἐν ἀρχῇ οἰνοφόρον. ἡ καὶ ἡ ἄση, ἄλλο τι παρὰ τὴν ἄτην ..., ὡς καὶ οἱ κωμικοὶ δηλοῦσι, συστέλλει τὴν ἀρχουσαν: καθὰ καὶ Εὐριπίδης δηλοῖ ἐν τῷ .... ὑπ' ἄσης καρδίαν ἄτης. Neque tamen propterea non illa recta ac vera est emendatio. tantum immutandus est duarum vocum ordo, vt ita legatur:

Πότερον ἄσης ὕπ', ἢ θανεῖν πειρωμένη;

Sed huius ipsius vocis ignoratio corrupit etiam locum quendam ex epistola prima libri decimi ad Atticum, vbi, cum vulgati libri habeant: [illegible]

tem dubium non sit, quin legi debeat, *Hac est ἄτη*. significat autem æstum quendam animi, nihil quod satis probet reperientis. Est etiam in eadem epistola locus superuacanea vocum aliquot adiectione deprauatus, quem ita hoc loco describam, vt ex veteris libri mei auctoritate legendus est: *Nihil video quod sperem, aut quod iam putem fieri posse: sed tamen hoc ipsum est vnum τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων. veniendum ne sit in consilium tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit.* Hanc scripturam qui cum vulgatis conferet, de eius integritate dubitaturum non puto.

Ex Amphitruone Plautina loci aliquot emendati.

CAPVT XIII.

Apud Plautum Alcumena cùm dixisset, multo plus esse in vita molestiarum, quam voluptatum, neque fere quidquam boni cuiquam obtingere, quin aliqua statim molestia consequatur: sibi id suo ipsius exemplo cognitum, ac compertum esse dicit: *Sc. Satin' parua est.*

Nam ego, inquit, *id nunc experior de me, atque ipsa de me scio.*

Sed in meo vetere libro, multo, vt mihi quidem videtur, elegantius scriptum est:

Nam ego id nunc experior domo, atq; ipsa de me scio.

Domo enim dixit, οἴκοθεν, vt cum Græci dicunt, οἴκοθεν ὁ μάρτυς, de eo qui se ipse indicat: & cum quod cuiusque proprium ac suum est, id οἰκεῖον vocant. Eodem autem illo in diuerbio cum Amphitruo ab exercitu rediens, ita salutasset vxorem:

Amphitruo vxorem salutat lætus speratam suam:
Quam omnium Thebis vir vnam esse optimam diiudicat:
Quamq; adeo ciues Thebani vero rumificant probam:
Valuistin' vsq;? exspectatus ne aduenio?

neque illa quidquam responderet, quod virum a se paulo ante abiisse, seque ab eo illudi arbitraretur: iocans, qui eis adstabat, seruus Sosia,

———— haud, inquit, *vidi magis*
Exspectatum: eum salutat magis haud quisquam, quam canē.

Vbi illud, *haud vidi magis*, vetustissime dictum est, & ex contrario intelligendum. Sic in Captiuis:

At etiam te suum sodalem esse aiebat. Haud vidi magis. *Tyndarus*
Et quidem Alcmæo, atq; Orestes, & Lycurgus postea
Vna operam mihi sunt sodales qua iste. *Sc. Quo hīc.*

Et in Pœnulo:

At amans per amorem si quid feci Milphio,
Ignoscere id te mi æquum est. Haud vidi magis. *Sc. Sæpe ego res mult.*
Et ego nunc amore pereo. sine te verberem:
Item vt tu mihi fecisti ob nullam noxiam,
Post id locorum tu mihi amanti ignoscito.

Et simile illud Ciceronis pro Sextio:

lapides, gessaque in vallum conicere. Nostri primo integris viribus fortiter repugnare, neque vllum frustra telum ex loco superiore mittere, vt quaque pars castrorum nudata defensoribus premi videbatur, eo occurrere, & auxilium ferre. Sed profecto aut ego plane desipio, aut totum illud, *neque vllum frustra telum ex loco superiore mitteret*, alieno loco positum est. Neq; enim in Romanos conuenit, qui, vt constat, in valle inclusi obsidebantur: sed in Gallos, qui noctu, vt dictum est, iuga impendentium montium occuparant. Censeo igitur, verba illa statim subiicienda post verbum *conicere*: idq; mihi ita certũ videtur, vt in re perspicua argumentis abutendum non putem.

Ouidii locum quendam ex Apollonio Rhodio sumtum esse.

CAPVT XVI.

TErram Africam serpentibus plurimis infectam esse constat: eius autem rei Ouidius hanc caussam adfert, quod Perseus

Vipereí referens spolium memorabile monstri,
Aera carpebat tenerum stridentibus alis;
Cumque super Libycas victor penderet arenas,
Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ,
Quas humus exceptas varios animauit in angues.

Quam fabulam videtur hausisse ex Apollonio Rhodio, cuius versus ex quarto lib. Argonauticωn subiiciam: quod eos Ouidius non imitatus modo, sed prope interpretatus videtur:

Εὖτε γὰρ ἰσόθεος λιβύην ὑπερέπτατο Περσεὺς
Εὐρυμέδων, καὶ γὰρ τὸ κάλεσκέ μιν οὔνομα μήτηρ,
Γοργόνος ἀρτίτομον κεφαλὴν βασιλῆι κομίζων,
Ὅσσαι κυανέου στάγες αἵματος οὖδας ἵκοντο,
Αἱ πᾶσαι κείνων ὀφίων γένος ἐβλάστησαν.

De quibusdam qui habiti sunt impii, cum ex omnibus popularibus suis longissime ab impietate abessent.

CAPVT XVII.

DE Diagora Melio, Theodoro Cyreniaco, aliisque nonnullis ita plerique veteres, quasi de hominibus summe impiis, loquuntur, quique nullum omnino Deum esse crederent. Eandem etiam notam calumniatores Socrati inurere voluerunt: eamque ob caussam Aristophanes, quem ipsum ἄθεον fuisse non dubito, Socratem Melium vocat. At de Socrate quidem longe alia est Iustini Martyris, sanctissimi, & eruditissimi viri sententia, qui in apologia secunda pro Christianis, eum quodam modo Christianum fuisse ait. Ita enim scribit: Οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραὰμ, καὶ Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαὴλ, καὶ Ἠλίας, καὶ ἄλλοι πολλοί. Et certe Socrates nunquam docuit

nullos deos esse: sed tantum esse supremum quendam Deum, immensum, infinitum, æternum, multo superiorem, ac potētiorem, iis omnibus, qui tum pro diis publice colebantur. De Diagora autem & Theodoro, itemque de Euemero Agrigentino, & aliis quibusdam, Clemens Alexandrinus in protreptico mirari se scribit, quid ita eos antiqui pro impiis & atheis habuerint: cum illi tamen, & modeste ac frugaliter viuerent, & hoc propius accederent ad veram pietatem, quam ceteri, quod, etsi veri Dei cognitionem consecuti non erant, eos tamen qui colerentur a popularibus suis, Deos non esse intelligebant. Verba pii ac sancti scriptoris hæc sunt: θαυμάζειν ἔπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ Εὐήμερον τὸν Ἀκραγαντῖνον, καὶ Νικάνορα τὸν Κύπριον, καὶ Διαγόραν, καὶ Ἵππωνα τὸν Μήλιον, τόν τε Κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον, ὁ Θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἄλλους συχνοὺς, σωφρόνως βεβιωκότας, καὶ καθεωρακότας ὀξύτερόν που τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην, ἀθέους ἐπικεκλήκασιν, εἰ καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν μὴ νενοηκότας, ἀλλὰ τὴν πλάνην γε ὑπωπτευκότας, ὅπερ οὐ σμικρὸν εἰς ἀλήθειαν φρονήσεως ζώπυρον ἀναφύεται σπέρμα. Constat igitur, nouum non esse, sed illis etiam temporibus in consuetudine positum fuisse, vt illi ipsi, qui in ratione diuini numinis colendi fœtidissimis implicati erroribus tenebātur, hominibus eruditis, quibus intelligerent stultitiam suam non probari, impietatis, καὶ ἀθεότητος maculam aspergere conarentur.

De loco quodam ex Eunucho Terentiano verius videri sensisse Donatum, quam Turnebum.

CAPVT XVIII.

Rectissime ac verissime exposuerat eruditissimus Grammaticorum Donatus dictum illud Phædriæ Terentiani, *si non tangendi copia est;*

Eho! ne videndi quidem erit? si illud non licet, — *Eunucho*
Saltem hoc licebit. certe extrema linea — *Act. 4. sc. 2.*
Amare, haud nihil est.

Cum diceret *quinque amoris* quasi *lineas* esse, *quarum prima est, videre eam quam ames: secunda, cum ea sermonem conferre: tertia, posse eam contingere: quarta, osculari: quinta, potiri:* Vetus tamen poeta Græcus eas tantum quatuor fecerat, noto disticho:

Εὐδαίμων ὁ βλέπων σε, τρὶς ὄλβιος, ὅστις ἀκούει,
Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ' ὁ συνών.

Neque cuiquam mirum videri debet, eandem, quæ prima est, extremam vocari. Prima enim est in conciliando amore, quasique munienda via ad id, quod amantes concupiscunt. Sed si quis a fine, qui, vt ait Aristoteles, omnis actionis principium est, retro versus numerare incipiat, eadem efficitur extrema: vt ἐν ἀναλύσει διαγράμματος extrema sunt, quæ in componēdo fuerant prima: & vt quod in deliberando vltimū est, idem in exsequendo cōsilio primum

πατρὶ γεγραψάμενον ξενίας δίκην, περὶ ὁσίου λογὰ διαλεχθεὶς ἀπήγαγε. Sed qui Platonem vel primoribus, vt dicitur, labris attigerunt, satis sciunt, non fuisse illam ξενίας δίκην, quam Euthyphro intendebat patri: accusabat enim eum, quod mercenarium quendam enecasset: vt dubium non sit, quin pro ξενίας legendum sit ξενοκτονίας. Paulo post autem, vbi Euclidem a Socrate reprehensum narrat, quod in contentiosis Syllogismis nimium studium poneret, ita legitur: ἄχρηστον γὰρ ᾤετο εἶναι τὴν περὶ ταῦτα αἰσχρολογίαν: cum omnino legendum sit, μικρολογίαν: etsi aliter Victorius. Et quoniam, quam hæc, quæ tradimus, inter se cohæreant, non valde laboramus, addemus alium locum ex Heraclidis vita, vbi vnius literæ deprauatio festiuam & elegantem historiam corrupit. est autem hæc: *Dionysius Metathemenus, qui, vt est apud Ciceronē, propter dolorem oculorum a Stoicis desciuit, & in Epicuri castra se contulit: is igitur Dionysius cum tragœdiā quandam scripsisset, cui Parthenopæo nomen fecerat, Sophoclis illi nomen inscripsit.* Hac ementita inscriptione delusus Heraclides in commentariis quibusdam suis versus ex ea fabula pro Sophocleis citauerat. Tum ei Dionysius rem, vt erat, aperit, seq; eius fabulæ auctorem esse profitetur. Quod cum etiam tum Heraclides negaret, eique fidem habere nollet, scripsit ad eum Dionysius, vt quendam ex ipsa tragœdia locum inspiceret. in quo ex primis versuum literis conficiebatur ac contexebatur nomen ΠΑΓΚΑΛΟΣ. Erat autem id nomen formosi pueri, quem Dionysius amabat, cuiusque nomen amoris caussa, occulte & artificiose poemati suo intexere voluerat. Sic olim Ennius versus quosdam. vt a Cicerone proditum est, scripserat, quorum ex primis literis efficiebatur, Q. Ennius fecit. In Græcis autem Laertii libris ab eo. quem supra significaui editis, nisi quod παγκάλως, pro πάγκαλος scriptum est, cetera omnia ἔχει παγκάλως. Qui pusillus error tantas tenebras obiecit interpreti, vt huius historiolæ in eius interpretatione nullum prope vestigium appareat. Ac putassem in Græcis erratum esse operarum vitio, nisi homo eruditus in iis notis, quas ad finem libri adiecit, ostendisset, se veræ illius scripturæ sententiam non esse assecutum. Certe in optimo & vetustissimo libro Alexandri Farnesii Cardinalis multis nominibus Maximi aperte legitur ΠΑΓΚΑΛΟΣ: ne quis de scripturæ illius integritate dubitandum putet. Recte etiam idem ille liber in vita Cratetis, vbi ponitur iocolum quoddam eius Philosophi diarium, quo ostēdebat a diuitibus magnos sumtus fieri in coquos, in adulatores, in scorta, cum in bonos & eruditos viros parci ac restricti sint, recte inquam in eo libro scriptum est τάλαντα πέντε, non, vt editum est, τάλαντα δέκα. Sunt enim tres versus iambici, qui propter vocis illius deprauationem non agnoscuntur.

Τίθει μαγείρῳ μνᾶς δέκ', ἰατρῷ δραχμήν.

Κόλακι,

Κόλακι τάλαντα πέντε, συμβούλῳ καπνόν.
Πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον.

Sed & quod in vita Pythagoræ legitur, fuisse medicum quendam Pythagoram, qui scripserit de Hernia, id non quidem omnino vere, sed tamen propius vero scriptum est eodem in libro. Περὶ κίλλης enim habet, non περὶ κήλης. legendum autem περὶ σκίλλης. Id ita esse constat ex Plinio; cuius hæc sunt ex capite quinto libri XIX. vbi de generibus scillæ, quod bulbi genus est, loquitur: *Vnum de iis volumen condidit Pythagoras Philosophus, colligens medicas vires, quas proximo reddemus libro.* Cap. 5.

M. ANTONII MVRETI I. C. AC CIVIS R.

VARIARVM LECTIONVM Liber Decimus.

Quam vetus sit consuetudo, in honore alicui habendo manum suam ad os admouendi.

CAPVT I.

QVod hodieque in consuetudine positum est, vt in salutandis potentibus, aut in honore eis habendo, nostram ipsi manum ori admouere soleamus, id quæsitum est ex me, num a veteribus quoque factitatum esset, an, vt alia pleraque, ita hoc quoque inepte adulandi genus seruilia recentiorum aulicorum ingenia excogitassent. Respondi, cum morem vsque ab impia illa, & ridicula veterum, qui multos deos colebant, superstitione ductum ac propagatum videri. Solebant enim & illi, cum aut fanum aliquod præterirent, aut lignum, lapidemue aliquem aspicerent, in quo diuinitatis aliquid esse opinarentur: neque enim vilior illis temporibus vllius rei, quam deorum, annona erat: manum ad os referre, & tenui murmure illos ligneos aut lapideos deos, vt sibi fauerent, precari. Ouidius: Lib 6. Metamorph.

Ecce lacu medio sacrorum nigra fauilla
Ara vetus stabat tremulis circumdata cannis.
Restitit, & pauido, Faueas mihi, murmure dixit
Dux meus: & simili, Faueas mihi, murmure dixi.

Apuleius apologia prima: *Nam, vt audio, percensentib. iis qui istum nouere, nulli deo ad hoc æui supplicauit; nullum templum frequentauit: si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admouere.* Minutius Felix in Octauio: *Cæcilius simulacro Serapidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens, osculum labiis pressit.* Quo igitur gestu illi diis suis honorem ex-

Libebant, eodem nos hodie in potentibus ac fortunatis hominibus ... vtimur.

V... videatur Ouidius, quod in Oraculo terram, matrem, lapides autem ossa illius vocauit.

CAPVT II.

Sapienter interpretatur Ouidianus Deucalio sortem sibi a Themide datam, quærenti qua arte genus humanum aquis extinctum reparare posset: qui iussus ossa magnæ matris post tergum iacere, matris nomine terram intellexit, cuius in corpore ossa lapides vocarentur. Atque equidem existimo, ingeniosissimum poetam in illo responso confingendo, quod terram quidem matrem vocauit, sumsisse ex historia Romana, vbi, cum regiis adolescentibus responsum esset, eum regnaturum Romæ, qui primus matri osculum tulisset, Brutus is, qui reges exegit, e naui exiens, simulato casu, terram osculatus esse dicitur: quod autem *lapides, terræ ossa*, secutum esse auctoritatem veteris tragici, qui & ipse illos eodem nomine affecerat. Citantur enim hæc a vetere Grammatico:

Γῆς ὀστέοισιν ἐγχρίμψας πόδα.

De eo qui ad lapidem offendisset. Sic autem, & *sanguinem terræ* Aristoteles in quadam ad Alexandrum epistola *vinum* vocasse dicitur. & vulgo *venas in terra* dicimus aut quibus aqua conclusa latet, aut e quibus metalla eruuntur.

Versum quendam ex Odyssea multo aliter a nonnullis accipi, quam vt ab Horatio acceptus est.

CAPVT III.

Non est dubium, quin Horatius in epistola ad Lollium, illo versu,

Lib. 1. ep. 2. *Dum sibi, dum sociis reditum parat.*

Exprimere voluerit illum Homericum:

1. Odyss. v. 5. Ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων

Sed Homericum tamen, non eodem, quo Horatius sensu omnes accipiunt. Didymus enim, cuius exstant in Odysseam eruditissimæ notæ, aliam etiam quandam eius declarationem tradit, an veriorem nescio, ipsi certe Vlyxi honestiorem ac gloriosiorem. Illum videlicet eo animo fuisse, vt & vitam impendere, & omnem reditus spem sibi præcludere non recusaret, dummodo saluti sociorum consuleret. Verbum enim ἄρνυσθαι, vt apud Eustathium legitur, ab agnis dictum est, quos Græci ἄρνας vocent: vt & ὠνεῖσθαι ἀπὸ τῶν ὄνων, & πωλεῖν ἀπὸ τῶν πώλων: quod prisci nondum reperto nummorum vsu, agnis, asinis, equuleis, aliisque eiusdem generis animalibus parare ea, quibus indigebant, solebant. Hoc igitur Homerum dicere ait, paratum fuisse Vlyxem, si res ita tulisset, ἄρνυσθαι, id est, quasi pro pretio dare καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ τὸν ἑαυτοῦ νόστον, ἀντὶ τῶν ἑταίρων. Neque coniuncte legendum. καὶ νόστον ἑταίρων:

ἐπεῖχεν: sed distinguendum hoc modo. καὶ νόστον, ἐπεῖχεν. Lucianus tamen prorsus Horatianæ sententiæ adstipulatur, qui in φιλοψευδεῖ Vlyxem multa in errore illo suo mentiri solitum dixit, πάντα αὐτοῦ ψυχὴν θρυπτόμενον, καὶ τὸν νόστον τ' ἐπείγων. Hanc sententiarum varietatem, quam Horatiani interpretes vel non animaduerterant, vel prætermiserant, non indignam duxi, cuius rudiores admonerentur.

De duobus locis ex primo libro Commentariorum Cæsaris De bello Gallico.

CAPVT IV.

Legebamus animi caussa primum librum commentariorum Cæsaris De bello Gallico ego, & Horatius Macaranus elegantissimo ingenio, & honestissimis moribus præditus adolescẽs: & vt ei quidque occurrerat, in quo hæreret, ita aut ex me sciscitabatur sententiam meam, aut etiam suam ipse modeste ac verecũde proferebat. Cum igitur ventum esset ad eum locum, vbi Ariouistus Cæsaris legatis respondet, *Æduis se obsides redditurum non esse, neque iis, neque eorum sociis iniuria bellum illaturum, si in eo manerent quod conuenisset, stipendiumque, quotannis penderent: si id non fecissent, longe iis fraternum nomen populi R. afuturum:* iis recitatis paululum substitit Horatius: &, Quando, inquit, mihi licere voluisti, omnia dicere quæ in mentem venirent, non dissimulabo vereri me, ne hoc loco, vbi est *afuturum*, vna litera extrita, legi debeat *futurum*. Recens enim sum a lectione vltimi Æneidos, vbi commemini ita Turnum loqui,

Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem
Fœminea tegat, & vanis sese occulat vmbris. Lib.12.v.52

Vt ergo illic Turnus minatur, longe Æneæ futuram matrem: ita hic Ariouistus, longe Æduis fraternum nomen populi R. fore. Tum ego, Acute, inquam, isthuc a te, Horati, & ingeniose cogitatum est: & quo tibi magis etiam de ista tua coniectura placeas, scito, eandem adprime eruditi hominis Gabrielis Faerni fuisse, cum vno illo, quo tu quoque vsus es Virgilii testimonio niteretur: Certeque eodem modo locutus est optimus, & ipse Latinitatis auctor Ouidius octauo Metamorphoseon:

Pone, age, nec titulos intercipe fœmina nostros,
Thestiada clamant: nec te fiducia formæ
Decipiat: ne sit longe tibi captus amore
Auctor.

Sed tamen cum eadem veterum librorum scriptura sit, quæ vulgata: nihil est caussæ, cur quidquam mutandum putemus. Nam hoc quoque alterum loquendi genus veteribus non inusitatum fuisse, ex eodem illo, quẽ modo citaui, Ouidio, cognoscitur; apud quem ita legimus libro quarto:

Huic quoque, vade procul, ne longe gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longe tibi Iuppiter absit.

Paulo autem infra eum, quem dixi Cæsaris locum locus alius est in omnibus, quos ego quidem viderim, libris deprauatus; quam qui nuper emendare voluerunt, magis etiam corruperunt. Nam cum dixisset Cæsar, e Gallorum sermonibus de Germanorum virtute, tantum exstitisse in exercitu Romano metum, vt non mediocriter omnium mentes, animosque perturbaret: *Hic*, inquit, *primum ortus est a tribunis militum ac præfectis, reliquisque qui ex vrbe, amicitiæ caussa. Cæsarem secuti magnum periculum miserabantur; quod non magnum in re militari vsum habebant.* Ita enim habét veteres cum calamo notati, tum typis descripti libri. At in iis qui postea editi sunt, addita est negatio, hoc modo: *Non magnum periculum miserabantur.* Sed qui attente totum locum considerauerit, facile intelliget legendum esse. *Magnum periculum efferebantur.*

Expensus locus ex Asinaria Plauti, in quo Poeta ipse quiddam non satis ex arte fecisse videri potest.

CAPVT V.

CVm animi caussa Plauti Asinariam euoluerem, quiddam reperi, quod mihi scrupulum obiecit: neque audenti accusare ἀτεχνίαν Plauti, neque tamen ad eum defendendum, ac vindicandum ab illo crimine quidquam satis probabile reperienti. Nam in prima fabula senex cum seruulo colloquens, scire se ostendit, filio opus esse viginti minis. Ita enim loquitur:

Demænetus. Sc. I.

Nunc verba in pauca conferam, quid te velim.
Viginti iam vsust filio argenti minis,
Face id vt paratum iam sit.

Cleæreta cũ Argyrippo. Sc. vnumquodque.

Multo autem post, Argyrippa lena super illis uiginti minis cum adolescente paciscitur: cumq; adolescens dixisset,

Mane, mane, audi, dic quid me æquum censes pro illa tibi dare
Annum hunc ne cum quiquam alio sit:

Subiicit impura mulier:

Tene viginti minas,
Atq; ea lege: si alius ad me prius attulerit, tu vale.

Ante igitur resciuerat senex, quantum argenti filio opus esset, quam id filius ipse ex lena cognoscere potuisset. Ac scio, visum esse nonnullis etiam Terentium in Adelphis similiter ipsum quoque peccasse. Sed Terentii quidem caussam veteres critici facile expediunt, eumque omnibus suffragiis liberant. Plautinum hoc, vereor, vt æque facile defendi queat.

Locus quidam Iuuenalis aduersus aliorum omnium sententiam declaratus.

CAPVT VI.

Mirum est, quanto opere vexatus sit ab hominibus eruditis versus ille Iuuenalis e Satyra vndecima:

Qui Lacedamonium pedeumate lubricat orbem: vers.173.

Vt vix vllus iam superesse videatur nouæ aut emendationi, aut interpretationi locus. Primum enim Domitius, & alii eum secuti *pytismate* legerunt, non *pedeumate*: cumque Lacedæmonium orbem interpretarentur annulum, putarunt hoc versu significari diuitem delicatum, qui annulum, quem in digito gestaret, identidem extraheret sputoque illineret, vt habilius & commodius versari posset. At Merula, saltationis genus esse pytisma quo Lacedæmonii vterentur: idque homo ingenuus fassus est, se nusquam legisse: sed ita sibi in mentem venisse, vt ea quæ somniamus. Tertius accessit Georgius Valla, qui cum putaret, vix satis sibi decorum fore, si ad has epulas asymbolus veniret, orbem Lacedæmonium trochum esse dixit e pinu factum, quæ Græce pytus diceretur. Adhuc hæc erant, cum ecce tibi homo acutissimus, & eruditissimus Politianus, qui, explosis omnium superiorum sententiis, *pytilismate* legendum censuit: id enim ex Galeno esse exercitationis genus, quo in Laconicis, id est, in sudatoriis, vterentur, peruncto prius corpore: atque eo lubricandi verbum pertinere. Et forrassis obtinuisset hæc sententia propter summam Politiani in literis auctoritatem, nisi animaduertissent homines, eam cum iis de quibus eo loco Iuuenalis ageret, nullo modo cohærere. Alciatus quidem cum se in idem illud a Politiano exstructum sudatorium coniecisset, vt tamen adferret aliquid noui, *pyrsysmate*, legendum censuit, nouo, & ante ipsum inaudito vocabulo. Exstitit deinde Flauius quidam, cuius scripta nondum in manus meas venerunt, qui ratus sit legendum, *poppysmate:* & orbis Lacedæmonii nomine intellexerit τὸν πρωκτὸν, versum hunc ad nefariam libidinem referendum putans: quod mihi quidem absurdissimum, & a poetę sententia alienissimum videtur. Secutus est homo multæ ac variæ lectionis Ioannes Brodæus, qui *pedemate* legendum pronuntiauerit. Huius ego Miscellanea, in quibus hoc tradidisse fertur, quanquam magno studio quæsita, numquam vsque adhuc reperire potui: sed facile tamen ex ipso pedematis nomine video eum aliquod saltationis genus intellexisse: & mihi verisimile fit eodem modo legisse etiam Merulam. Postremo Turnebus *pytisma* sputum, *orbem* trochum videri voluit. Quis post tot, ac tales viros quidquam sibi præterea quærendum putet? & aut idoneum se inter eos arbitrum profiteri, aut, quod eorum nemo intellexerit, id se verius explicaturum polliceri audeat? Quando tamen in hoc literarum genere, minimo periculo peccatur; non deterrebor ego quoque, quid sentiam, dicere. Puto igitur quod in vetustis libris legitur *pedenmate* leuiter deprauatum esse, ac legendum *petaumate*-

te, a verbo πιτθίζω: significatique eo versu diuitem aleæ studio deditum. Quod confirmant & ea quæ statim sequuntur:

Namque ibi fortunæ veniam damus. alea turpis,
Turpe & adulterium mediocribus. hæc eadem illi
Omnia cum faciunt, hilares, nitidique vocantur.

Orbem autem Lacedæmonium vocat mensam ex marmore Laconico, vt & Martialis Libycum orbem, mensam ex marmore Africano.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes:
Fulcitur testa fagina mensa mihi.

Et Seneca ad Albinam: *Magni, leuatique mensarum orbes* lubricantur autem, id est, leuantur, ac poliuntur adsidua attrectatione marmora, super quibus adsidue alea luditur. Vix illum reperiri posse versum in omnibus antiquorum poematis puto, quam tam multi tam varie interpretati sint.

Non modo, pro, non modo non, sæpe apud veteres legi, idque loquendi genus a Græcis ductum esse.

CAPVT VII.

NOtauerat iampridem Paulus Manutius, *non modo*, pro *non modo non*, sæpissime apud veteres legi: idque & ego postea libro primo commentariorum in Catilinarias confirmaueram, & alii homines eruditissimi suo calculo comprobarant. Sed inciderunt nuper in manus meas, cum in taberna quadam libraria otiosus sederem, ibique cum amicis aliquot eruditis hominibus colloquerer, notæ cuiusdam sane docti ac diligentis viri in scripta Ciceronis, in quibus, quodam loco vehementer nostrum omnium in eo iudicium improbat, & illis omnibus locis, quibus nos ad id confirmandum vtebamur, negationem addendam esse contendit. Ego autem, si quis aduersus veterum consuetudinem multorum librorum consensu testatam, opinione quadam, aut iudicio suo, aut etiam rationibus, quæ speciem aliquam probabilitatis habeant, niti velit, non sane propterea cum eo altercabor, neque pugnabo. Sed tamen non protinus de sententia demouebor. Scio enim in omnibus linguis multa dici, quorum ratio non constet: sed in vsu loquendi, ipsam bene loquentium consuetudinem pro ratione habendam puto. Congeram igitur huc aliquot Ciceronis, & aliorum primæ classis scriptorum loca, quæ ipse in optimæ notæ libris, ita prorsus, vt subiiciam, scripta legi: vt eis inspectis, hac de re ab omnibus eruditis iudicetur. Cicero in epistola ad Lentulum: *Non modo præmiis, quæ apud me minimum valent, sed ne periculis quidem compulsus vllis.* Idem ad Pætum: *Hoc tamen scito, non modo me, qui consiliis non intersum, sed ne principem quidem ipsum scire, quid futurum sit.* Item lib. decimo ad Atticum: *Regnum non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile.* & eodem lib. *Mihi non modo irasci, grauissima iniuria accepta,*

Lib. 1. ad fam. ep 9.
Lib. 9. ep. 17.
ep. 2.
Lib. 11 ep. 14.

sed ne dolore quidem impune licet. Atque hi omnes loci ita leguntur etiam in libris proxime a Victorio editis, quos ex optimis omniũ exemplaribus cum fide descriptos esse constat. Idem libro tertio in Verrem: *Voluerunt eos in suis rebus ipsos interesse: eorum animos non modo lege noua, sed ne nominis quidem legis non commoueri.* Idem libro primo in Catilinam. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam planeq; sentiam.* Idem pro Sex. Roscio Amerino: *Qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.* Idem pro Cælio: *Hæc genera virtutum non solum in moribus nostris, sed vix iam in libris reperiuntur.* Sed in eadem oratione in libris veteribus ita legitur: *Huic oberit tuum maledictum, qui istius facti non modo suspicione, sed ne infamia quidem est aspersus.* Et libro primo De oratore: *Neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit.* Et libro secundo De officiis. *Quod eo firmiore animo faciunt, quia non modo illis inuidetur ætati, verum etiam fauetur.* Et libro tertio: *Etenim si is, qui non defendit iniuriam neq; propulsat a suis cum potest, iniuste facit, vt in primo libro disserui, qualis habendus est is, qui non modo repellit, sed etiam adiuuat iniuriam?* Varro libro primo De re rustica: *Bono animo esto*, inquit Agrius: *nam non modo illud sublatum est, quod ludis Circensibus non primis curriculis finem facit quadrigis: sed ne illud quidem vidimus, quod in Cerialis pompa solet esse primum.* Liuius libro XXV. *Postremo ita assuetudine mali efferauerant animos, vt non modo lacrymis, iustoq; comploratu prosequerentur mortuos sed ne efferrent quidem, aut sepelirẽt.* Hæc inquam, omnia, aliaque eiusdem generis plurima ita in antiquissimis libris scripta sunt, quorum tantum consensum pro nihilo putare, hominis esse ingenio suo præfidentis puto. Præsertim cum Græci quoq; ita loquantur, apud quos, οὐχ ὅτι, μὴ ὅτι, οὐχ ὅπως, interdum valent, *non solum*, interdum. *non solum non*: quod & docuit, & multis præstantissimorum scriptorum testimoniis confirmauit decus, atque ornamentum Gallici nominis Gulielmus Budæus in commentariis linguæ Græcæ.

De loco quodam ex secundo De officiis.

CAPVT VIII.

DVbitant eruditi homines, quomodo accipiendum sit, quod ait Cicero libro secundo De Officiis: *multa sæcula exspectanda fuisse C. Pontio Samniti si a fortuna reseruatus esset ad id tempus, quo Romani dona accipere cœperunt.* Bellauit enim cum Romanis Pontius anno ab vrbe condita CCCCXXXII. lex autẽ Calphurnia de pecuniis repetundis lata est anno ICCIV. vt si *sæculũ* sit cẽtum annorũ, quomodo accipiendum, & Grammatici veteres docẽt, & ludorũ sæcularium appellatio cõfirmat: non tota duo sæcula ei exspectanda fuerint. Sed certe *sæculũ* interdũ est: γενεὰ, vt ostẽdit &

Næuius, qui Nestorem, vt est apud Gellium triseclisenem vocauit, ex illis videlicet Homeri versibus:

1. Iliad. vers. 250.

Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ', οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

γενεὰ autem triginta annorum est. Itaque illi Homerici versus ostendunt tantum, Nestorem, cum illa loqueretur, sexagenario maiorem fuisse: quamuis illic quoque γενεὰν pro centum annis accepisse etiam veteres Latini poetæ videntur.

Illustratus locus ex Oratione pro Flacco.

CAPVT IX.

Mirifice abiicit, & extenuat Cicero in oratione Flacco vim & auctoritatem plebiscitorum siue psephismatum, quæ fiebant in Græcia, quod in eis neque per capita, neque per tribus, neque per centurias exquirebantur sententiæ; sed per præconem edicebatur, vt qui ita sentirent, & manus tollerent: atque ita clamore multitudinis & sublatione manum, de rebus grauissimis temere & inconsulte decernebatur. *Sic sunt*, ait summus orator, *expressa ista præclara, quæ recitantur, psephismata non sententiis, neque auctoritatibus declarata, non iureiurando constricta: sed porrigenda manu, profundendoque clamore multitudinis concitata.* Et paulo post: *Porrexerunt manum: psephisma natum est.* Atque eo respicientes apud Aristophanem αἱ ἐκκλησιάζουσαι, aiunt, videndum sibi esse, quomodo manus tollere debeant, ad confirmandum videlicet id quod Praxagora proposuerit:

ἐκκλησιαζούσαις Act. 1.

Ἐκεῖνο δ' οὐ πραγματικὸν μὲν, ὅτῳ τρόπῳ
Τὰς χεῖρας αἴρειν μνημονεύσομεν τότε,
Εἰθισμέναι γὰρ ἐσμὲν αἴρειν τὼ σκέλη.

Cap. 23.

Et si Victorius libro duodecimo Variarum lectionum alio id referendum putauit. Huius autem consuetudinis & apud Æschylum in Supplicibus mentio est:

Pag. 329. edit. H. S.

Πανδημία γὰρ χερσὶ δεξιωνύμοις
ἔφριξεν αἰθὴρ τόνδε κραινόντων λόγον.

Et paulo post:

Τοιαῦτ' ἀκούων, χερσὶν δήμιος λεὼς
ἐκραν'

Vbi etiam scholiastes formulam verborum ponit, quæ in eiusmodi rebus præconi vsitata erat, ἀράτω τὰς χεῖρας ὅτῳ ταῦτα δοκεῖ. Meminit & alicubi Scholiastes Nicandri.

Emendatus Plauti locus in Epidico.

CAPVT X.

Stulta quædam consuetudo est ignauorum, & nullius pretii hominum, vt cum quid ignaue, indecoreq; fecerunt, si ostendere possint magno alicui, ac præclaro viro idem quoquo modo contigisse, satis id sibi esse aut ad defensionem, atque excusationem

Digitized by Google

nem, aut etiam ad gloriam, & commendationem arbitrentur. Sic iocans alicubi Martialis, quendam qui malos versus faciebat, etiam laudandum esse dicit, quod ea in re Ciceronis similis sit. sic inepti olim quidam cum illud impedimentum linguæ, quo Demosthenem laborasse legerant, imitarentur, germani sibi Demosthenes videbantur. Sic Platonis paulo elatiores humeros, Aristotelis vnam τραυλότητα, qui studiose effingerent, multi erant. Et apud Terentium Thraso cum ædes meretricis oppugnaturus, loco sibi cauisset, *Idem*, inquit, *hocce Pyrrhus factitauit*. quasi eadem ratio Pyrrhi fuisset, quæ tum erat illius. & in eadem fabula cum de deditione cogitaret, iamque se impuræ mulierculæ in seruitutem mancipaturus esset, *Qui minus*, inquit, *quam Hercules seruiuit Omphale?* Est autem horum consimilis iocus & apud Plautum in Epidico, vbi seruus e militia rediens, de herili filio qui arma aut amiserat, aut vendiderat, loquens, ait, id ei gloriosum fore: nam idem olim etiam Achilli contigisse. Notum est autem, vt interfecto Patroclo, ad Troianos Achillis arma peruenerint. sed Plauti locus in omnibus vulgatis libris deprauatus est. ita enim legitur: Eunucho Act 4 sc 7. Act. 5 sc. 8.

Sed quid ais? TH. *quid rogas?* EP. *vbi arma sunt Stratippocli?* Scen. Herili adolescent.
TH. *Pol illa ad hostes transfugerunt.* EP. *arma ne?* TH. *& quidem cito.*
EP. *Serio, dicis hæc tu?* TH. *serio, inquam, hostes habent.*
EP. *Ædepol facinus improbum.* TH. *at iam ante alii fecerunt idem.*
Erit illi illa res honori.

Sed pro *alii* sine vlla dubitatione legendum est *Acili* vnico l, propter versum, vt sæpe apud Homerum: quod & ea, quæ statim sequuntur, manifesto declarant. Quod autem statim subiungit; se putare arma Stratippoclis fabricatum esse Vulcanum, quoniam ad hostes transuolauerint: eo pertinet; quod τὰ ἡφαιστότευκτα plerumque animata erant: vt illi tripodes, de quibus apud Aristotelem primo Politicorum, quos ait Homerus αὐτομάτους θεῖον δύεσθ᾽ ἀγῶνα.

De libidine Eunuchorum verum esse quod a Terentio dictum est.

CAPVT XI.

NOn vanum est quod de Eunuchis audisse se ancilla Terentiana dicit, eos amatores esse mulierum maximos. neque enim quibuscumque amputantur testes; in eis libidinis ardor extinguitur: imo vero crescit, & intenditur in iis, qui exsecti sunt iam puberes: ita vt olim libidinosæ mulieres, quæ tamen parere nolebant, cupide eis, vt in illa clinopale indomitis & indefessis ad libidinẽ suam explendam abuterentur, idque hoc etiam tempore

metuens immanis & barbara gens Turcarum, quibus Eunuchis vti ad mulierum suarum custodiam volunt, eis non testes modo, sed & caudam, vt ait Horatius, salacem ferro demetere plerumque solent. Multæ enim alioqui facerent idē, quod Gelliam quandam facere solitam ait Martialis. Verum autem esse, quod modo dicebam, & exempla declarant, vt Phauorini philosophi, qui Eunuchus cum esset, in adulterio deprehensus dicitur: & grauissimi, ac sanctissimi scriptoris Basilii confirmat auctoritas, qui hac de re ita scribit in ἀσκητικοῖς. Τοὺς γὰρ μὲν τῆς ἀνδρωθείσης πρὸς συνουσίαν τὰ γεννητικὰ μόρια, τοὺς διδύμους ἀποτεμόντας. φασὶ δὲ ἐμμανέστερον καὶ ἀγριώτερον πρὸς τὰς συνουσίας οἰστροῦσθαι, καὶ οὐκ οἰστροῦσθαι μόνον, ἀλλὰ καί, ὡς αὐτοῖς δοκεῖ, ἀκινδύνως φθείρειν τὰς προσευχομένας. Atque hoc ipsum plane Satyrice exsequitur Iuuenalis his verbis:

Satyr. 6. Ver. 364.

> *Sunt quas Eunuchi imbelles, ac mollia semper*
> *Oscula delectent, & desperatio barbæ:*
> *Et quod abortiuo non est opus: illa voluptas*
> *Summa tamen, quod iam calida, & matura iuuenta*
> *Inguina traduntur medicis, iam pectine nigro.*
> *Ergo exspectatos, ac iussos crescere primum*
> *Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres,*
> *Tonsoris damno tantum rapit Heliodorus.*

Euripidis vnus, Ciceronis ex Epistolis ad Atticum duo loci emendati.

CAPVT XII.

ERudite sane, vt solet, emendauit iampridem locum Euripidis ex Hippolyto coronato doctissimus homo Victorius. In quo cum vulgo legatur:

Lib. 13. Var. 17.

> Πότερ᾽ ἐγὼ τὸν ἄτης, ἢ θεοῦ στεφηφόρον;

Monet ille pro ἄτης legendum videri ἄτης: quo nihil verius dici potuisse censeo. Sed tamen scrupulus residere adhuc aliquis potest propter syllabæ modum, qui obstare, atque impedire huic mutationi videtur. ἄτην enim priore syllaba producta dicimus, ἄτην correpta. Auctor huius rei Eustathius, qui exponens illud Homericum,

Iliad. 9. Vers. 116.

> Ἀασάμην, οὐδ᾽ αὐτὸς ἀναίνομαι,

Ita scribit: τὸ δὲ ἀασάμην, ῥῆμά ἐστιν ἐξ οὗ ἡ ἄτη γίνεται, ἀεὶ ἐκτείνον τὸ α, ὡς ἀπὸ κεφαλῆς. τὸ δὲ ἀρχὴ οἷ χρόνον. οἱ καὶ ἡ ἄτη, ἀλλ᾽ ὅτι παρὰ τὴν ... ὡς καὶ οἱ ... δηλοῦσι, συστέλλει τὴν ἀρχουσαν: καθὰ καὶ Εὐριπίδης δηλοῖ ἐν τῷ .... ἔπαυσε καρδίαν ἄτης. Neque tamen propterea non illa recta ac vera est emendatio. tantum immutandus est duarum vocum ordo, vt ita legatur:

> Πότερον ἄτης ὑπ᾽, ἢ θεοῦ στεφηφόρον;

Sed huius ipsius vocis ignoratio corrupit etiam locum quendam ex epistola prima libri decimi ad Atticum, vbi, cum vulgati libri [illegible]

[illegible]

dem dubium non sit, quin legi debeat, *Hac est ἄσυ*. significat autem æstum quendam animi, nihil quod satis probet reperientis. Est etiam in eadem epistola locus superuacanea vocum aliquot adiectione deprauatus, quem ita hoc loco describam, vt ex veteris libri mei auctoritate legendus est: *Nihil video quod sperem, aut quod iam putem fieri posse: sed tamen hoc ipsum est vnum τῶν πολιτικωτάτων σκεμμάτων, veniendum ne sit in consilium tyranni, si is aliqua de re bona deliberaturus sit.* Hanc scripturam qui cum vulgatis conferet, de eius integritate dubitaturum non puto.

Ex Amphitruone Plautina loci aliquot emendati.

CAPVT XIII.

Apud Plautum Alcumena cum dixisset, multo plus esse in vita molestiarum, quam voluptatum, neque fere quidquam boni cuiquam obtingere, quin aliqua statim molestia consequatur: sibi id suo ipsius exemplo cognitum, ac compertum esse dicit: *Sc. Satin' parua est.*

Nam ego, inquit, *id nunc experior de me, atque ipsa de me scio.*

Sed in meo vetere libro, multo, vt mihi quidem videtur, elegantius scriptum est:

Nam ego id nunc experior domo, atq; ipsa de me scio.

Domo enim dixit, οἴκοθεν, vt cum Græci dicunt, οἴκοθεν ὁ μάρτυς, de eo qui se ipse indicat: & cum quod cuiusque proprium ac suum est, id οἰκεῖον vocant. Eodem autem illo in diuerbio cum Amphitruo ab exercitu rediens; ita salutasset vxorem:

Amphitruo vxorem salutat lætus speratam suam:
Quam omnium Thebis vir vnam esse optimam diiudicat:
Quamq; adeo ciues Thebani vero rumificant probam:
Valuistin' vsq;? exspectatus ne aduenio?

neque illa quidquam responderet, quod virum a se paulo ante abiisse, seque ab eo illudi arbitraretur: iocans, qui eis adstabat, seruus Sosia,

——————— *haud*, inquit, *vidi magis*
Exspectatum: eum salutat magis haud quisquam, quam canẽ.

Vbi illud, *haud vidi magis*, vetustissime dictum est, & ex contrario intelligendum. Sic in Captiuis;

At etiam te suum sodalem esse aiebat. Haud vidi magis.
Et quidem Alcmæo, atq; Orestes, & Lycurgus postea *Tyndarus*
Vna operam: hi sunt sodales qua iste. *Sc. Quo lat.*

Et in Pœnulo:

At amans per amorem si quid feci Milphio, *Sc. Sæpe ego res mult.*
Ignoscere id te mi æquum est. Haud vidi magis.
Et ego nunc amore pereo. sine te verberem:
Item vt tu mihi fecisti ob nullam noxiam,
Post id locorum tu mihi amanti ignoscito.

Et simile illud Ciceronis pro Sextio;

Est enim homo iste populo Romano deditus. Nibil vidi magis.

Quod autem in illo Amphitruonis, & Alcumenæ colloquio ita vulgo legitur,

Obsecro ecastor, quid tu me deri dicoli gratia
Sic salutas, atque appellas, quasi dudum non videris
Quasique nunc primum recipias te domum huc ex hostibus?
Atque me nunc proinde appellas, quasi multo post videris?

Sc. Satin' parua est.

Moneo, horum quatuor versuum posteriores duo neque in meo illo vetusto libro legi, & plane otiosos videri. Et aliquanto inferius, vbi vulgo,

Si obsequare, vna resoluas plaga:

Melius in illo,

Si obsequare, vna te absoluas plaga,

Multis autem versibus interiectis,

Iam illud non placet principium de osculo.
perge exsequi.

Non vt in vulgatis, *pergam exsequi*: est autem *exsequi*, narrare. Gr. γκῆσθαι. Neq; indignum puto quod notetur, verbum *capere*, Græco more positum esse pro eo, quod est coarguere, ac conuincere in illo versu,

Tu si me impudicitia captas, non potest caperè.

Ita enim illi ἁλίσκειν: sed cum versus eo modo non constet, curtusque ac mutilus sit, facile equidem adducor, vt ita legendum putem,

Tu si me impudicitia captas, capere non potes.

Neque minori, aut commodiori mutatione arbitror eum redigi posse ad modum, ac mensuram ceterorum. Et, quando hæc pu[illegible] colligere cœpi, addam illud quoque: vbi ita legitur,

Namque de illo subditiuo Sosia mirum nimis est.

Sine vlla dubitatione legendum esse, *mirum est minus*. neque hoc omittam, vbi Mercurius se ad Amphitruonem decubandum cōparat, legendum videri:

Ibo intro, ornatum capiam, qui potis decet.

Sc. Cōcedito.

Non vt vulgo, *qui potius decet*. Id enim significat, quod paulo antè dixerat;

Capiam coronam mi in caput: assimulabo med
esse ebrium.

Est autem ita dictum, quomodo in hac ipsa fabula, *nostro generi non decet*: & apud Terentium, *vt vobis decet*: Græcorum hoc quoque imitatione, & exemplo. Sic in libris iuris: *Decet enim tantæ maiestati eas seruare leges, quibus ipse solutus videtur.*

Emendatus, & declaratus locus quidam ex Epistolis ad Atticum.

CAPVT XIV.

SOlet Cicero cum prouerbiis vtitur, mutila sæpè ea, & decurtata proferre: quod & alii tum Latini, tum Græci scriptores sæpe fac[illegible]

faciunt: videturque in eo inesse aliquid leporis, ac venustatis, cum vnusquisque eius linguę non ignarus, audito eorum principio facile reliqua per se subiecturus esse videatur. Sed adfert tamen ea res interdum orationi aliquid obscuritatis, cum ex vna, aut ex altera vocula non quilibet statim prouerbium esse animaduertit, neque eius statim recordatur. Itaque ea quoque res non paucas maculas scriptis veterum aspersit. Quomodo equidem arbitror deprauatum fuisse locum quendam e libro XIII. Epistolarum ad Atticum, vbi ita legitur. *Sed, quæso, Epistola mea ad Varronem valdene tibi placuit? Male mihi sit, si vnquam quicquam tam enitar.* Quis enim hæc postrema verba legens, non sentit insuaue quiddam, & a consuetudine Ciceronis alienum? Cum autem in satis vetere libro, quo me donauit lumen, ac splendor amplissimi ordinis Gulielmus Sirletus Cardinalis legatur: *Male mihi sit, si vnquam quidquam tam inita*: fieri potest vt fallar, sed mihi plane persuadeo legendum esse; *si vnquam quidquam tam inuita*: & subaudiẽdum, *Minerua*: vt significet, se nihil vnquam tam inuita Minerua scripsisse, quam illam epistolam ad Varronẽ, ob idq; mirari, quod illa Attico tam valde placuerit. *Epist. de r. tentione.*

Locus Cæsaris emendatus.

CAPVT XV.

IAmpridem animaduerti, multa in optimis quibusque scriptoribus ita manifesto deprauata, vt ea ipsa mihi caussa fuerit, ne publice testarer, quomodo emendanda viderentur, quod neminem ita hebetem arbitrabar fore, quin id per se videret: maleque mihi videbar iudicaturus de ceterorum ingeniis, si ne illa quidem quæ in oculos incurrerent, nisi monente me, animaduersum iri existimarem. Nunc, cum huius generis pleraque illis quoque in libris hærere, ac residere videam, qui quotidie emendati ab hominibus doctissimis prodeunt, dissimulandum amplius non puto: cum præsertim in illa tanta hominum multo maiori, quam ego sum, doctrinæ copia, multoque acriori iudicio præditorum consensio interdum addubitare me cogat, ne mihi nimis ipsemet blandiar, neue solus iis ipsis in locis cœcutiam, in quibus alios parum esse arbitror perspicaces. Tale est, quod nunc e tertio libro commentariorum Cæsaris De bello Gallico proferam. Vbi cum dixisset Cæsar, in vico Veragrorum Octodoro, qui positus in valle, altissimis vndique montibus contineretur, Galbam cum aliquot cohortibus ad hyemandum consedisse: &, quia is vicus in duas partes flumine diuideretur, alteram partem concessisse Gallis, alteram attribuisse cohortibus: tum deinde cum dies complures hibernorum transiissent, subito captum a Gallis consilium renouandi belli, opprimendæque legionis, eiusque rei caussa montes qui impenderent, noctu ab eis occupatos, haud ita multo post subiicit: *Hostes ex omnibus partibus, signo dato, decurrere,*

lapides, gessaque in vallum conicere. Nostri primo integris viribus fortiter repugnare, neque vllum frustra telum ex loco superiore mittere, vt quaque pars castrorum nudata defensoribus premi videbatur, eo occurrere, & auxilium ferre. Sed profecto aut ego plane desipio, aut totum illud, *neque vllum frustra telum ex loco superiore mittere,* alieno loco positum est. Neq; enim in Romanos conuenit, qui, vt constat, in valle inclusi obsidebantur: sed in Gallos, qui noctu, vt dictum est, iuga impendentium montium occuparant. Censeo igitur, verba illa statim subiicienda post verbum *conicere*: idq; mihi ita certũ videtur, vt in re perspicua argumentis abutendum non putem.

Ouidii locum quendam ex Apollonio Rhodio sumtum esse.

CAPVT XVI.

TErram Africam serpentibus plurimis infectam esse constat: eius autem rei Ouidius hanc caussam adfert, quod Perseus

Vipereí referens spolium memorabile monstri,
Aera carpebat tenerum stridentibus alis;
Cumque super Libycas victor penderet arenas,
Gorgonei capitis guttæ cecidere cruentæ,
Quas humus exceptas varios animauit in angues.

Quam fabulam videtur hausisse ex Apollonio Rhodio, cuius versus ex quarto lib. Argonauticon subiiciam: quod eos Ouidius non imitatus modo, sed prope interpretatus videtur:

Εὖτε γὰρ ἰσόθεος λιβύην ὑπερίπτατο Περσεὺς
Εὐρυμέδων, καὶ γὰρ τὸ κάλεσκε νιν οὔνομα μήτηρ,
Γοργόνος ἀρτίτομον κεφαλὴν βασιλῆϊ κομίζων,
Ὅσσαι κυανέου στάγες αἵματος οὖδας ἵκοντο,
Αἱ πᾶσαι κείνων ὀφίων γένος ἐβλάστησαν.

De quibusdam qui habiti sunt impii, cum ex omnibus popularibus suis longissime ab impietate abessent.

CAPVT XVII.

DE Diagora Melio, Theodoro Cyrenaico, aliisque nonnullis ita plerique veteres, quasi de hominibus summe impiis, loquuntur, quique nullum omnino Deum esse crederent. Eandem etiam notam calumniatores Socrati inurere voluerunt: eamque ob caussam Aristophanes, quem ipsum ἄθεον fuisse non dubito, Socratem Melium vocat. At de Socrate quidem longe alia est Iustini Martyris, sanctissimi, & eruditissimi viri sententia, qui in Apologia secunda pro Christianis, eum quodam modo Christianum fuisse ait. Ita enim scribit: Οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, Χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς· ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραάμ, καὶ Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαήλ, καὶ Ἠλίας, καὶ ἄλλοι πολλοί. Et certe Socrates nunquam docuit

nul-

nullos deos esse: sed tantum esse supremum quendam Deum, immensum, infinitum, æternum, multo superiorem, ac potētiorem, iis omnibus, qui tum pro diis publice colebantur. De Diagora autem & Theodoro, itemque de Euemero Agrigentino, & aliis quibusdam, Clemens Alexandrinus in Protreptico mirari se scribit, quid ita eos antiqui pro impiis & atheis habuerint: cum illi tamen, & modeste ac frugaliter viuerent, & hoc propius accederent ad veram pietatem, quam ceteri, quod, etsi veri Dei cognitionem consecuti non erant, eos tamen qui colerentur a popularibus suis, Deos non esse intelligebant. Verba pii ac sancti scriptoris hæc sunt: *θαυμάζειν ἔπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ εὐήμερον τὸν ἀκραγαντῖνον, καὶ νικάνορα τὸν κύπριον, καὶ διαγόραν, καὶ ἵππωνα τὸν μήλιον, τόν τε κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον, ὁ θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἄλλους συχνούς, σωφρόνως βεβιωκότας, καὶ καθεωρακότας ὀξύτερόν που τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων, τὴν ἀμφὶ τοὺς θεοὺς τούτους πλάνην, ἀθέους ἐπικεκλήκασιν, εἰ καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν μὴ νενοηκότας, ἀλλὰ τὴν πλάνην γε ὑποπτευκότας, ὅπερ οὐ σμικρὸν εἰς ἀλήθειαν φρονήσεως ζώπυρον ἀναφύεται σπέρμα.* Constat igitur, nouum non esse, sed illis etiam temporibus in consuetudine positum fuisse, vt illi ipsi, qui in ratione diuini numinis colendi fœtidissimis implicati erroribus tenebātur, hominibus eruditis, quibus intelligerent stultitiam suam non probari, impietatis, *καὶ ἀθεότητος* maculam aspergere conarentur.

De loco quodam ex Eunucho Terentiana verius videri sensisse Donatum, quam Turnebum.

CAPVT XVIII.

RECtissime ac verissime exposuerat eruditissimus Grammaticorum Donatus dictum illud Phædriæ Terentiani, *si non tangendi copia est;*

> *Eho, ne videndi quidem erit? si illud non licet,* *Eunucho Act. 4. sc. 2.*
> *Saltem hoc licebit. certe extrema linea*
> *Amare, haud nihil est.*

Cum diceret *quinque amoris* quasi *lineas* esse, *quarum prima est, videre eam quam ames: secunda, cum ea sermonem conferre: tertia, posse eam contingere: quarta, osculari: quinta, potiri:* Vetus tamen poeta Græcus eas tantum quatuor fecerat, noto disticho:

> *Εὐδαίμων ὁ βλέψας, τρὶς ὄλβιος, ὅστις ἀκούει,*
> *Ἡμίθεος δ' ὁ φιλῶν, ἀθάνατος δ' ὁ συνών.*

Neque cuiquam mirum videri debet, eandem, quæ prima est, extremam vocari. Prima enim est in conciliando amore, quasique munienda via ad id, quod amantes concupiscunt. Sed si quis a fine, qui, vt ait Aristoteles, omnis actionis principium est, retro versus numerare incipiat, eadem efficitur extrema: vt *ἐν ἀναλύσει διαγράμματος* extrema sunt, quæ in componēdo fuerant prima: & vt quod in deliberando vltimū est, idem in exsequendo cōsilio primum

est. Vt nullo modo absurdum sit, idem primum & extremum nominari. Hadrianus tamen Turnebus, homo immensa quadam doctrinæ copia instructus, sed interdum nimis propere, & nimis cupide amplexari solitus ea, quæ sibi in mentem venerant, capite decimo libri duodecimi Aduersariorum, longe aliam huius dicti interpretationem prodidit: *Amare*, inquit, *extrema linea, est amare impensissime, ducta translatione a curriculis vel stadiis, in quibus prima linea cursus erat in carceribus, vltima in fine, quæ & calx dicebatur, quod scilicet calce, vel creta notaretur.* Hæc Turnebus: quæ tamen, quod sine vlla contumelia dictum accipi volo; Turnebum enim & amaui, ac colui viuum, & me semper ab eo amari sensi: mihi videntur alienissima esse, neque vllo modo cum iis, quę paulo ante Phædria dixerat, cohærere. Quid enim frigidius est hac sententia: Certe impensissime amare haud nihil est. At illud contra elegantissimum: Si nihil aliud consequi hoc biduo possum certe tamen aliquid erit, amicam videre. Quare qui mihi auscultabunt, veterem interpretationem tenebūt. Eodem illo in capite emendat locum quēdam ex eadem fabula, vbi ait vulgo legi,

G. Rex te ergo in oculis, T. scilicet. G. gestire.

Eunucho. Act. 3. sc. 1. Sed legendum, *gestare*: quod vt ferre, ita gestare in oculis, recte dicatur: gestiendi autem verbum ab hoc loco alienum sit. At ego totis decem annis, antequam Turnebus aduersaria ederet, ita emendaram, & edideram: vt illum locum ex eadem fabula,

qui illum flocci fecerim.

Act. 2. sc. 3. Neque fuit caussa cur homo tam eruditus ea denuo reponeret, aut obtruderet pro suis. Sic *impetritum* Ciceroni, & Valerio restituisse primus videri voluit, Capite X V I I I. libri quinti, quod tamen cui acceptum ferendum sit, scient, qui legerint scholia Pauli Manutii in libros De diuinatione, edita abhinc annos viginti. Atque ego, quæ tum Manutio indicaui, eadem publice docueram Lutetiæ, quinquennio ante, & cum ipso Turnebo communicaueram. Sic *venustatem* ἀπὸ τῆς ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς ἀφροδισίας. & *inuenustum* pro eo, qui parum in amore felix esset, tanquam a se primum animaduersa prodidit, cum ego ante annos plus minus triginta eadem docuissem in scholiis quibusdam meis in Terentium, quę tum edidit Lutetiæ Michael Vascosanus. Sic *detestata* apud Ciceronem De legibus, quod tamen mihi se debere postea fassus est. Sic alia multa, quæ percensere & longum, & molestum foret. Atque adeo hæc ipsa reticuissem libens: scio enim lectoris nihil interesse, quis primus aliquid docuerit. & tantus in literis Turnebus fuit, vt suo quodam iure mea omnia sibi vindicare potuisse videatur. Sed mihi stomachum interdū mouent furunculi quidem egentes, ac famelici, qui, quod a me talia negligi ac dissimulari vidēt, mea tam Mysorū, vt dicitur, prædā putāt. Quos vt quiescant, moneo: &, si quiduis sibi putāt licere in ea, quæ a me

priuatim

priuatim acceperunt, iis saltem abstineant manus, quæ edita iam ac publicata sunt: ne etiam tacente me, plurimos & iniustitiæ, & impudentiæ suæ testes, suo sibi præconio colligere velle videantur.

Illustrati ex Odis Horatii aliquot loci.

CAPVT XIX.

SOlitas deorum tutelarium effigies in prora, aut in puppi nauium edi[illegible] atq; eminenti loco collocari, & alii vere notarũt, ad illum Horatii versum,

Non di, quos iterum pressa voces malo: *Lib. 1. Car. Ode 14.*

& confirmari potest auctoritate veteris Grammatici exponentis hos versus ex Iliados nono:

Στεῦται γὰρ νηῶν ἀποκόψειν ἄκρα κόρυμβα, *vers. 241.*
Αὐτὰς τ' ἐμπρήσειν μαλεροῦ πυρός.

Ait enim quæri posse, cur Hector minari dicatur, se abscissurum summas Græcarum nauium partes, deinde autem ipsas naues incensurum. respondetque id eum facere, ἐπειδὴ ἐπὶ τῶν ἀκροστολίων ἦσαν ἀγάλματα καὶ εἰκόνες τῶν θεῶν. ne videlicet deos quoque ipsos inflammare velle videatur. Sed quid est, quod Horatius in Archytæ Tarẽtini epitaphio, ꝙ in eodẽ libro legitur, bis puluerem nominat? Et opinor eum respexisse ad superstitionem veterum qui nõ integras, ac solidas glebas, sed tritum, ac minutum puluerem iniiciebant mortuis: credo, ne pressu dolorem eis aliquem adferrent. Nam eis etiam leuem ac mollem terram optare soliti erant. In quo non videntur abhorruisse a sententia Democriti, qui cadauera quoq; ipsa sentire opinabatur. Itaque Eustathius exponens illud Homericum,

Τυδέος, ὃν Θήβῃσι χυτὴ κατὰ γαῖα καλύπτει, *Iliad. 14.*

χυτὴ δέ, inquit, καὶ τὴν γαῖαν ἡ ἐπιχεομένη νεκροῖς. οὐ γὰρ βῶλοι αὐτοῖς ἐπιρρίπτονται, ἀλλὰ χοῦς, ὅς ἐστι γῆ χυτή. *vers. 124.*

Romani tamen, vt ex Cicerone, ac Varrone notum est, glebam iniicere solebant. libet adiicere principium illud Odarii in Venerem,

O Venus Regina Gnidi, Paphique, *Lib. 1. Car.*
Sperne dilectam Cypron: *Ode. 30.*

expressum videri partim ex Alcmane, cuius hæc citantur,

Κύπρον ἱμερτὰν λιποῖσα καὶ Πάφον περιρρύταν·

partim ex Æschylo, ex quo hæc adducuntur,

Κύπρου Πάφου τ' ἔχουσα πάντα κλῆρον.

Cæsaris locus e primo De bello ciuili emendatus.

CAPVT XX.

LIbro primo commentariorum Cæsaris De bello ciuili, haud procul a principio ita scriptũ est: *Scipionis oratio, quod Senatus in vrbe habebatur, Pompeiusq; aderat, ex ipsius ore Pompeii mitti*

videbatur. Sed quia perspicuum est, Pompeium tunc præsentem in Senatu non adfuisse: idcirco iampridem homo eruditissimus Petrus Victorius, capite primo libri tertii Variarum lectionum, legendum censuit, *aberat*. Qua in re auctoritatem ipsius secuti sunt omnes, quorum postea in eis libris emendandis versata est industria. Ego veterem librum habeo, in quo neque *aderat*, neque *aberat* legitur, sed *auerat*. Quæ scriptura etsi videri potest confirmare coniecturam Victorii: siquidem librariis veteribus nihil æque vsitatum fuit, quam V pro B, & B pro V scribere: mihi tamen longe secus videtur. Puto enim legendum, *A. V. erat*: isque notis significari, *ad vrbem erat*. Etenim tunc Pompeium ad vrbem fuisse, nemini esse obscurum potest, qui totam illam paginam legerit. Memini me hoc ipsum ante aliquot annos Paulo Manutio dicere, eique vehementer probatam esse coniecturam meam. Quam quidem ita nunc quoque probatum iri confido omnibus idoneis existimatoribus, vt pluribus verbis confirmandam non putem.

M. ANTONII MVRETI I. C. AC CIVIS R. VARIARVM LECTIONVM Liber Vndecimus.

Emendati loci aliquot ex primo libro Annalium Taciti ab excessu diui Augusti.

CAPVT I.

Multa iampridem notaueram in C. Cornelium Tacitum, eaque, vt soleo, cum amicis compluribus communicaueram: cogitabamque eum, si daretur occasio, edere a multis, studio, atque opera mea errorum maculis vindicatum. Sed dum diem ex die duco, exspectans eius quod animo conceperam efficiendi, atque exsequendi maturitatem: ecce tibi Iustus Lipsius adolescens de[illegible] ingenio præditus, mihique dum Romæ fuit, perfamiliaris, tamdiu sibi cunctandum esse non putauit. Sed cum ipse quoque ex veteribus libris, quos hic nactus erat, multa correxisset, non nulla etiam acute, & ingeniose excogitasset, Taciti libros a se emendatos, & illustratos publicauit. Qui cum ad me perlati essent, eosque vna ego, & Gibertus Oddus Perusinus, qui cum ego ante hos duodecim annos Tacitum totum diligenter euolueram, curiose cum eo, qui tum a me emendatus erat, conferre, ac contendere cœpissemus, deprehendimus ita sæpe incurrisse vtrumque nostrum in eadem vestigia, vt, qui rem non nosset, pleraque sumsisse alterum ab altero suspicaretur. Quam tamen iu[illegible] a me, si nihil alius

aliud, temporum ratio facile amolitur: neque cadere in Lipsium sinit fides ipsius, ac probitas; qua ille non minus, quam ingenio excellit. Gauisus sum adolescenti, cuius ego crescenti gloriæ plurimum faueo, tantam exstitisse mecum his quoque in rebus cōsensionem, ac iudicii similitudinem: & tamen pauca quædam in quorum nonnullis non prorsus mihi cum illo conuenit, subiicienda duxi, non tam certandi studio, quam propter amorē, vt ait vetus poeta. Primum igitur sub principium libri primi annaliū lego: *Donec gliscente adulatione deterrerentur*, vt Æmilius, non *deterrerentur*, vt Lipsius. libertate enim aluntur, & gliscūt ingenia: adulatione, qua nihil seruilius est, degenerant, & deteruntur. Est autem oratio venustior illa contrariorum contentione. gliscere enim est crescere: deteri, deminui. Illud, *pluribus munimentis insisteret*, iampridem a me ita emendatum erat, eodemq; modo versus Ennianus apud Ciceronem:

Nam tibi munimenta mei peperere labores.

Paulo autem infra eum locum ita lego: *igitur versa ciuitatis statu, nihil vsquam prisci, & integri moris: omnes, exuta æqualitate, iussa principis aspectare:* non vt vulgo *omnis*. Et de Tiberio: *Ne iis quidē annis, quibus Rhodi, specie secessus, exsul egerit:* vbi vulgo *exsulē egerit*. Iam illud: *seruiendū fœmina, duobusq; insuper adolescentibus, qui remp. interim premant, quandoq; distrahant*, prorsus integrū esse censeo, hoc sensu: fore vt duo illi adolescētes interim, dum imperaturus est Tiberius, remp. premāt, quæ eos quoq; aliqua ex parte dominos habitura sit: quandoq; autem, nempe Tiberio mortuo, quādocunq; tandem id futurum sit, eandem distracturi sint. cum verisimile sit, fore, vt vterque fautores, & sectatores habeat, per quos operam det, vt, summoto altero, ipse in imperium succedat. Tūc igitur remp. in partes ac factiones distractū iri. *Quandoq;* autem ita positum est, vt in illo loco libri quinti: *Et tu Galba quandoq; degustabis imperium.* Sed nihil mihi tam præter opinionem accidit, quam eam coniecturam, qua ipse mihi præcipue placebam, quam eruditissimis hominibus sæpissime ostentaueram, quam, vt filiolam amplexabar meam, legendum esse *Gnarum id Cæsari*, vbi ante me omnes nullo sensu legerant, *C. Nauum id Cæsari*, eam Lipsio quoq; in mentem venisse. Cogitaui autem idem mihi euenisse, quod multis patribus, qui dum adultas, ac nubiles filias nimium diu domi habent, eisq; conditionem quærere negligunt, efficiunt interdum, vt ipsæ sibi maritos quærant. Sed vtvt sit, quoniam de eo Taciti loco multa dicenda sunt, ea proximo capite exsequemur.

De aliquot aliis ex eodem libro locis.

CAPVT II.

CVm secum cogitaret Augustus de Agrippa Posthumo, sui ex filia nepote, quē in Insulam Planasiam proiecerat, reuocando, ac for-

tassis successore Imperii relinquendo, uni ex omnibus amicis consilii hoc suum aperuit Fabio Maximo. Ille quod celare debuerat, Martiæ uxori aperuit; Martia Liuiæ: quæ cum ea de re grauiter apud virũ cōquesta esset, facile intellexit Augustus arcanum suum a Fabio proditum esse. Itaq; postridie ab eo salutatus, ita eum resalutauit, ut insaniã obiiceres. Iussit enim eũ ὑγιαίνειν, id est, sana mente esse. persensit illico Fabii animum id quod erat. Itaq; peccati sui conscius, domũ rediit, moriendi certus, & cum uxore, se garrulitate illius perditum conqueri cœpit. Illa contra, Tua, inquit, prior culpa est, qui mecum tamdiu versatus, non cognoueris me eo ingenio esse, ut tacere non possem, neq; me celatã habueris id, quod taceri tantopere tua intererat. Sed de te quidem ipse videris. Ego, si quid peccaui, pœnas a memet ipsa exigam simulq; arrepto gladio, quæ marito mortis caussam præbuerat, eadem ei fortiter moriendi dux, & exemplum fuit. Ita fere Plutarchus in commentario περὶ ἀδολεσχίας. apud quem tamen *Posthumius* pro *Posthumo*. & pro Fabio *Fuluius* corrupte legitur. In ea re narranda scripsit Tacitus; *Gnarum id Cæsari*: cum significare vellet, id Cæsari cognitum, ac compertum fuisse. Nam quod tum alii, tum Dionysius Halicarnasseus in Thucydide notarunt, solere eum plerumque ad conciliandam orationi peregrinitatem vti vocibus ἐναλλάξ ... παθητικῶς, & contra id ipsum, & Tacitus, qui quam maxime Thucydideus esse studuit, facere consueuit. Cum igitur *gnarus* vsitate dicatur qui scit, *ignarus* qui nescit: amat tamen ipse *gnarum* pro *cognito*, *ignarum* pro *incognito* dicere. Sic *incautum iter* dicit, de quo hostes nõ cogitarant, neq; cauerant, ne illac Romanus trãsire posset. hoc ipso in libro: *Inde saltus obscuri permeat. consultatque ex duobus itineribus, breue & solitum sequatur, an impeditius, & intentatũ, eoq; hostibus incautum.* Sic in eodem *nescium* pro *incognito* dixit. Aliis gentibus ignorãtia imperii Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa: *Gnari* autẽ & *ignari* vocibus tam sæpe παθητικῶς vtitur, vt difficile sit locos omnes enumerare. Hoc ipso in libro: *Quod gnarum duci.* & alibi: *in paludem gnaram vincentibus.* libro secundo: *Per occulta, & vigilibus ignara*, libro 3. *Gnarum id Tiberio fuit.* eodem libro: *Non quidem sibi ignara quæ de Silano vulgabantur.* libro 4. *Non quidem sibi ignarum posse argui.* libro 5. *Sed quædam secus, quam dicta sint, cadere, fallaciis ignara dicentium.* libro 11. *Non rumor interea, sed vndique nuntii incedunt, qui gnara Claudio cuncta, & venire promptum vltioni adferẽt.* libro 12. *Nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta & astus oppugnationum: At nobis ea pars militiæ maxime gnara est.* libro 15. *Idq; nulli magis gnarum, quam Neroni.* Sed & libro 13. vbi est, *Cognitum id Neroni*: e veteris scripturæ vestigiis lego; *Gnarum id Neroni.*

Ex eodem libro alii aliquot loci.

CAPVT III.

Agrippa

AGrippa interfecto, nuntianti centurioni, vt mos militiæ, factum esse quod imperasset, neque imperasse sese, & rationē facti reddendam apud Senatū respondit. Verbis illis Taciti, *vt mos militiæ*, propemodum adducor, vt illam quasi solemnem quādam fuisse verborum formulam putem: *Factum est quod imperasti.* eo magis, quod hac ipsa in re narranda. Eandem retinet & Suetonius, cuius hæc verba sunt: *Tiberius renuntianti Tribuno factum esse quod imperasset, neque imperasse se, & redditurum eum senatui rationem respōdit.* Itemque in Claudio: *Die ipso Claudii, & Agrippinæ nuptiarum in quinque & triginta senatores, trecentosque amplius equites Romanos tanta facilitate animaduertit, vt de nece consularis viri renuntiante centurione, factum esse quod imperasset, negaret quidquam se imperasse: nihilominus rem comprobaret.* In eo autem, quod paulò post subiicitur: *Eam conditionem esse imperandi, vt non aliter ratio constet, quam si vni reddatur*: frustra tentatur a quibusdam vetus scriptura, qui putant melius legi posse, *vt non aliter rata constet.* Hoc enim dicit Tacitus, rationem cuiusque facti constare non posse, si pluribus, vt senatui reddenda sit. semper enim idem factum alios probaturos, alios improbaturos. vnum esse oportere, cui reddatur ratio, & cuius iudicio stetur, si aliter fiat, imperii vim resolui: & pro monarchia Aristocratian quandam, aut oligarchiam constitui. Paulo post autem, legēdum puto: *Lachrimas gaudio, questus adulatione miscebant.* Nam hoc modo & venustior est, & numerosius cadit oratio. Iam vero vbi de testamento Augusti agitur, locus est mirifice corruptus, de quo quid mihi videatur exponam. Primum igitur, quod ait, *Legata non vltra ciuilem modum*, nihil omnino arbitror ad legem Falcidiam pertinere, quæ cum vt notum est, ne in militari quidem testamento locum habeat, multo minus locum habere potuit in testamento imperatoris, quē huiusmodi legibus solutum esse constat: neque hoc dicere, Tacitum non esse oneratam legatis ab Augusto hereditatem suam vltra modū Falcidia lege præscriptum: sed legata ab eo fuisse modica, & modesta, neque excedentia vsitatum locupletibus ciuibus in testamentis condendis modum. Certe enim *ciuile* etiam in libris iuris sæpe dicitur, quod moderatum est, & vsitatum, & ordinarium. Et ita dixit Cicero *odium ciuile*, non vlla propria, ac priuata de caussa susceptum, sed quod omnium bonorum ciuium commune esse solet aduersus improbos. Quid enim odisset Claudium Milo, segetem, ac materiam suæ gloriæ, præter hoc ciuile odium, quo omnes improbos odimus? Peccat enim Victorius, qui *commune* eo loco, non *ciuile*, aduersus omnium librorū fidem scribendum putat. Sic Ouid.

Exercet memores plusquam ciuiliter iras.

Augustus igitur legata non reliquit vltra ciuilem modum, præter pauca quædam, quæ subiungit his verbis: *nisi quod populo & plebi*

CCCCXXXV. *prætoriarum cohortiũ militibus singula nummûm millia, legionariis autem cohortibus ciuium R. trecentos nummos viritim dedit.* Hæc enim legata magna plane, & ampla sunt vltra ciuilem modum: & imperatoria potius, quam ciuilia. Sed verba Taciti, non dubito, quin corrupta, & ad hunc modum e Suetonio emendanda sint: *Nisi q populo & plebi quadringenties, tribubus tricies quinquies.* Vt intelligamus, præter quadringenties legatum populo, etiam in singulas tribus centena millia relicta esse. Quod autem apud Suetoniũ professus dicitur Augustus nõ plus ad heredes suos peruenturum esse, quam millies, & quingenties; non ita intelligendum est, vt ex ea pecunia legata præstanda essent, sed omnibus legatis, atque omni onere deducto. Ita enim id verbum accipiendum esse, iuris auctores docent, quod non adscripsissem, nisi a quibusdam, quos minime decebat, aliter accipi viderem. Aliquanto post, vbi ita legitur: *Cæsis Hirtio & Pansa, siue hostis illos, seu Pansam venenum vulneri affusum, siue milites Hirtium, & machinator doli Cæsar abstulerat.* non dubito, quin illud posterius, *siue*, deleri debeat. Huius generis multa sciens omitto non quin e re sit, ea quoq; indicari: sed quod arida quodammodo, & legentibus nihil voluptatis allatura videam: cuius in hoc scriptorum genere aliquam habendam esse rationem puto.

In eodem libro notata, & emendata nonnulla.

CAPVT IV.

MOdestiæ nomen tribus omnino locis apud Tacitũ animaduerti longe aliter acceptum, quam vulgo solet. Nam cum *modestiam* fere vocare soleamus affectionẽ animi de se modice ac modeste sentientis, ipse contra interdũ *modestiam* pro tenuitate quadam, & infirmitate virium dicit. Eorum locorũ vnus est hoc ipso in libro, ex quo pleraq; iam emendaui: *Versa inde ad Tiberium preces: & ille varie disserebat, de magnitudine imperii, sua modestia.* modestiam enim dicit modicas & exiguas vires suas, & nequaquam tanto oneri pares. Alter est libro tertio: *simul modestia Neronis, & sua magnitudini fidebat.* etsi eo loco fortasse possit aliquis modestiam, animi moderationẽ interpretari. Sed mihi altera illa interpretatio verior videtur. Tertius est libro 12. *Quindecim dierum alimenta vrbi, non amplius, superfuisse constitit: magnaq; Deum benignitate, & modestia hyemis, rebus extremis subuentum. Modestum* quoque pro modico aliquoties dixit. Quando autem semel Tacitum in manus sumsi, non tam facile ab eo auellar: sed pauca quædam ex eodem illo primo annalium libro, quomodo mihi legenda videantur, aperiam. Vbi igitur Asinii Galli sententia refertur, puto legendum hoc modo: *Addidit de laudibus Augusti*: non, vt vulgo, *Addidit tandem de Augusto*, & paulo post ita lego, *Quippe Augustus supremis sermonibus cum tra-*

ctaret,

haret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent: aut impares vellent: vel iidem possent, cuperentq́. M. Lepidum dixerat capacem, sed aspernantem: Gallum Asinium auidum, sed minorem. Verba autem Haterii, quæ tam varie leguntur: ita puto legenda: *Quousq; patieris Cæsar desse caput reipublicæ?* Est autem vetus scribendi ratio, *desse*, pro *deesse*.

Notatus vsus quidam verbi labor, aut dilabor.

CAPVT V.

CVm coetus aliquis dissoluitur, seque, aut domum quisq; aut quo vocant negotia, aut deniq; quo fert animus, alius alio recipit, in eo significando *dilabendi* verbum ponere Tacitus solet. Ac fieri potest, vt & apud antiquiores quoq; eius vsurpationis exempla reperiantur; rariora tamen vt opinor: quo mihi putaui minus vitio datum iri, si huc congesta nonnulla sub vno aspectu ponerem. Libro igitur primo annalium ab excessu D. Augusti ita scriptú est; *Impellere paullatim nocturnis colloquiis, aut flexo in vesperam die, & dilapsis melioribus deterrimum quemq; congregare.* Id est, cum meliores iam se ad curanda corpora recepissent. Et libro secundo: *Neq; Cæsare copiam pugnæ obsessores facere, ad famam aduentus eius dilapsi.* Et libro 11. *Cæteris passim dilabentibus assuere centuriones.* Et libro 12. *Vt anteirent populatores, vel dilapsis improuisi circumfunderentur.* Et libro tertio annalium ab excessu Neronis: *Donec fatisceret seditio: & extremo iam die sua quisq; in tentoria dilaberetur.* Sed & æqualis Taciti Suetonius in Vitellio: *Cum deserta omnia reperisset, dilabentibus & qui simul erant, Zona se aureorum plena circumdedit.* *labi* etiam pro eodem dixit Iuuenalis satyra sexta: *Labente officio crudis donanda.* *Labente* enim *officio*, est iis, qui ad celebrandas nuptias officii caussa côuenerant, discedentibus, ac dilabentibus.

Inanes videri regulas duas, quas super versibus heroicis & trimetris iambicis tradidit Gellius.

CAPVT VI.

NOn tantum in iure ciuili, sed etiã in leuioribus artibus periculosa est omnis definitio: perrarũ enim est, vt subuerti non possit. Certe duarum ad artem metricam pertinẽtium, quas Gellius libro duodeuicesimo tradit, quarumque alteram ad M. Varronem auctorem refert, neutram perpetuo veram esse, nullo negotio probari potest. Quod mihi eo magis indicandum putaui; quia memini quendã in vrbe magni nominis Grammaticũ, quique etiam faciendorum versuum leges sibi aut vni, aut cum perquã paucis notas esse iactabat, duos illos canonas, tãquam abditum quiddam, & μυστικώς familiaribus suis ἐν ἀπορρήτοις tradere solitũ esse. Eorum prior est: *In longis versibus, qui hexametri vocantur, ita in senariis duos primos pedes, item extremos duos habere* Cap. 15.

singulas posse integras partes orationis: medios haud vnquam posse. Sed constare eos semper ex verbis aut diuisis, aut mistis atq; confusis. Sed nos quo ludicrum præceptum refutemus, ex ludicro poemate sumamus. Homerus in Ranis,

Ὑδρόχαρις δὲ τε πέφνε πτερνογλύφον βασιλῆα.

Quæro, in eo versu tertius pes habeat ne integram partem orationis, an minus. & si grauius testimonium requiritur, arcessamus hoc ex Iliade:

Ὣς εἰπὼν, ζυγὸς μὲν λίπεν αὐτοῦ, βῆ δὲ μετ' ἄλλους.

Nonne hic & tertius, & quartus partem orationis absoluunt? Addam & alium ex Lucretio:

Lib. 3. *Concutitur tum sanguis: viscera persentiscunt.*

& ex Aristophanis Pluto:

Ἀλλ' ἴθι σὺ μὲν ταχέως δραμών. Τί δρῶ; λέγε.

Altera regula est: *obseruasse M. Varronem in versu hexametro, quod omni modo quinctus semipes verbum finiret.* Sed hoc quoque quam sit ἀρχαῖον, tametsi ex iis ipsis versibus, quos supra posui, cognosci potest: addamus tamen alios. Et primum quidem occurrit primus versus Odysseæ:

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον.

Et secundus Iliados:

Οὐλομένην, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκεν.

Eclog. 2. v. 7. Quid in illis Virgilianis: *Nil nostri miserere:* &, *Cum venti posuere.*
Æneid. 7. 27 *& Insit. eo dicente:* ac similibus, num quinctus semipes verbum finit? Sed si plura testimonia in re perspicua congeram, ipse mihi
L. 10. v. 101. videor ridiculus fore.

Quiddam quod occulte significauerat Homerus, non minori artificio a Virgilio significatum esse.

CAPVT VII.

VT inferos esse, vbi a sceleratis hominibus pœnæ post mortem exigantur, nemini vnquam sano dubium fuit, ita excubantem pro inferorũ foribus Cerberum; & Acherontis transuectionem, & causæ dictionẽ ad Minonis tribunal, & pertusis doliis aquam haurientes puellas, & Ixionis sibi assidue imminentem fugam, & metuentem ne aut siti, aut impendentis saxi casu denuo moriatur; Tantalum, & totam denique illam in Plutonis domo tragœdiam, quicunq; ex veteribus paulo cordatiores erant, inlo... rum, aut anilium fabellarum loco semper habuerunt. Itaq; & Cicero primo libro Tusculanarum ea irridere, ac pictorum & poetarum portenta vocare non veretur, quæ cõuincere nihil negotii sit: & aliorum quamlibet multa testimonia colligi possunt, ex quibus cõstet eandem illorum quoque his de rebus fuisse sententiam. Sed & antiquissimus poetarum Homerus tecta quadã vanitate significauit, quæcunq; ipse de inferis cecinisset, talia esse, quália interdum muliercuculis, & puerulis ad focum sedentibus

bus aut fallendi, aut conciliandi somni gratia narrari solerent. Facit enim Vlixem moneri a matre, vt quamprimum superos repetat, quæq; apud inferos vidit, mente condita teneat, vt habeat quod vxori narrare possit.

Ἀλλὰ φόωσδε τάχιστα λιλαίεο· ταῦτα δὲ πάντα
Ἴσθ', ἵνα καὶ μετόπισθε τεῇ εἴπῃσθα γυναικί. Odyss. xi. vers. 221.

vt tantum non aperte dicere videatur,

Πάρ γε τουνεκα ταυτα λέγειν χειμῶνος ἐν ὥρῃ.

Summus autem Homericarum virtutum imitator Virgilius aliam rationem commentus est, qua idem obscure ac symbolice indicaret. Nam cum duas, ex Homero hoc quoque, Somni portas fecisset, Corneam vnam, qua vera; Eburna alteram, qua falsa insomnia mitterentur. Æneam, spectatis illis inferorũ portentis, porta eburna egredientẽ facit, vt sagacibus lectoribus suspicandum relinqueret, talem esse totam illam τερατολογίαν qualia somnia ex inferis eadem illa porta exire dixisset.

Veterum comicorum loci duo inter se collati.

CAPVT VIII.

FAcete expressit Plautus in Menæchmis Peniculi Parasiti edacitatem, qui cum Cylindrum coquum, iussum tribus parare prandium, interrogantem fecisset, qui nam illi tres futuri essent, respondissetq; meretrix, se, & Menæchmum & parasitum eius, ita statim ratiocinantem inducit coquum: Cylind. Sc. Sportulam cape.

iam isti sunt decem:
Nam parasitus octo manus hominum facile fungitur.

Videtur autem Eubulum veterem comicũ imitatus esse, qui Philocratem quendam in mensa facile pro duobus aut pro tribus esse dixerat. Sed Plautus, vt solet, modum excessit. Eubuli versus hi sunt apud Athenæum: Lib. 1. Dipn. cap. 8.

Εἰσὶ γὰρ ἡμῖν τῶν κεκλημένων δύο
Ἐπὶ δεῖπνον ἄμαχοι φιλοκράτης καὶ φιλοκράτης.
Ἕνα γὰρ ἐκεῖνον ὄντα, δύο λογίζομαι,
Μᾶλλον δὲ τρεῖς.

sed Eubulus, vt mihi quidem videtur, vrbanius, qui cum duos dixisset, vnum Philocratem bis nominari fecerit. Nam insulsi profecto, & illepidi fuerunt, qui apud Athenæum in secundo horum versuum scripserunt, φιλοκράτης καὶ φιλοκτήτης. corruperunt enim & vrbanitatem dicti, & versus modum. Eodem autem sale cõdiit vetus quidam poeta distichon, quo cum quædam cauenda ac fugienda complexus esset, bis in eis Laodicenses nominauit. Id distichon in Synesii epistolis legitur; sed non satis emendate. Sic autem legendum videtur:

Ἀσπίδα, φρῦνον, ὄφιν, καὶ λαοδικείας προσφεύγε,
Καὶ κύνα λυσσώδη, καὶ πάλι λαοδικέας.

Radiantis pro sole. Emendatus apud Ciceronem veteris poetæ versus.

CAPVT IX.

RAdiantem veteres poetæ Latini interdum sine vlla adiectione vocabant ſolem. Et ita hoc nomine vſus eſt Cicero in Arato:

Hoc motu radiantis, Etesiæ in vada ponti.

neque enim dubium eſt, quin expreſſerit illud Arateum,

Verſ.1[illegible]. Ἠελίου δ᾽ ἀνιόντι συνερχομένοιο λέοντι,

Τῆμος καὶ κελάδοντες ἐτησίαι εὐρέϊ πόντῳ

Ἀθρόοι ἐμπίπτουσι.

Quo fit, vt in verſibus vetuſti poetæ, qui citantur libro tertio De oratore,

Viue Vlixes, dum licet.

Oculis poſtremum lumen radiatum rape:

non dubitem, quin melius omnino ſit, quod in vetere libro meo legitur,

Oculis poſtremum lumen radiantis rape.

Cur Iuno apud Homerum Vulcano blandiens, claudum eum vocet.

CAPVT X.

Cap. 19. QVærit P. Victorius libro 29. Variarum lectionum, quo cāſa filio Iuno apud Homerum Vulcano blandiens, veritā tamē

Iliad. 21. non ſit eum κυλλοπόδιον vocare: idque eo factum ait, quod cum

verſ. 331. vitium pedum ipſius apertum eſſet, neque vllo modo tegi poſſet, nullo verbo magis eum mater oſtendere potuit, quam ſi inde ipſum vocaſſet. id autem feciſſe ὑποκοριζομένην, vt oſtenderet cum a ſe valde amari. Quæ fortaſſis vera ſunt. Sed Plutarchus, grauis in primis & idoneus auctor, aliam huius rei cauſſam adfert, nihilo, vt ego quidem arbitror, deteriorem. Ait enim, voluiſſe ſummum ac ſapientiſſimum poetam oſtendere, neque bona, neque mala corporis talia eſſe, vt aut ad laudem, aut ad vituperationem cuiuſquam valde pertineant. Itaq; apud eum etiam, qui aliquem obiurgant, ac reprehendunt, eo tamen ipſo tempore cōmendare ipſius formam ſi bona eſt, non verentur. Vt Hector Paridi conuicium faciens,

Iliad. 3. v. 39. Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε, γυναιμανὲς, ἠπεροπευτά.

& ipſi Hectori Glaucus,

Iliad. 17. Ἕκτορ, εἶδος ἄριστε, μάχης ἄρα πολλὸν ἐδεύεο.

verſ. 142. neque vnquam in probri loco obiiciunt ea, quæ corporis ſunt, ſed quæ animi; vt Vlixes Therſitæ non quod claudus eſſet, aut caluus, aut gibberus exprobrat, ſed quod immodice, & intempeſtiue loquax. Contraq; mater ipſa ne tum quidem cum filio blanditer, veretur eum claudum, vt erat, vocare; quod ea res nullo modo

ad ri-

ad vituperationem ipsius pertineat, neq; quicquam de dignitate ipsius detrahat. οὔτε, inquit, ὅμηρος καλὸν ἄν τι τῶν αἰσχυνομένων ἐπὶ χωλότητι, ἢ τυφλότητι· οὔτε ψεκτὸν ὁ γενόμενος τὸ μὴ αἰσχρὸν, οὔτε αἰσχρὸν τὸ μὴ δι' ἡμᾶς, ἀλλ' ἀπὸ τύχης γενόμενον. eodemq; modo Attius in Philoctetа, quem Vlixi blandientem induxerat, ab eo id commemorari facit, Vlixem formosum non esse.

Inclute, parua prædite forma,
Nomine celebri, claraq; potens
Pectore Achiuis classibus ductor,
Grauis Dardaniis gentibus vltor,
Laertiade.

Vbi etiam illud notant, quod patris nomen id vltimum locum reiecerit, quia in laudibus magnorum virorum postremum locũ generis nobilitas teneat: ea autem posuerit primo loco, quæ ipsius Vlixis propria essent: in quibus nihil sibi neque Laertes, neque Anticlea, neque Acrisius vindicaret.

Quod de Scipione & Lælio dictum est, idem de duobus antiquis Philosophis dictum esse. Diogenes Laertius locis aliquot illustratus.

CAPVT XI.

Scipionis, & Lælii amicitia nemini ignota esse paulum modo humaniori potest. cum autem præstaret sapientia Lælius, ex qua etiam ei cognomen inditum fuisse notum est: nihil admodũ in rep. gerebat, nihil moliebatur, nihil suscipiebat Scipio, nisi de consilio, & sententia Lælii. Vnde qui aut tales viros inter se committere, aut de Scipionis gloria aliquid deterere, ac diminuere volebant, actorem modo esse aiebant Scipioné, sed Lælium poetam. Eadem autem orationis figura dictum vulgo erat, & antea de duobus eruditissimis hominibus Eretriensi Menedemo, & Asclepiade. Qui cum inter se ita coniuncte viuerent, vt Pyladea quædam esse ipsorum amicitia putaretur, essetque Asclepiades natu grandior: non deerant, qui dicerent, poetam quidem Asclepiaden, nihil autem aliud, quam actorem, & histrionem quendam esse Menedemum. Hunc Menedemum, grauem postea, & seuerum philosophum, principio scenarum pictorem fuisse aiũt, id est σκηνογράφον non vt vulgo putant σκηνορράφον. Quod & ex vetustis Laertii libris cognoscere poterant, & ex aliis, quæ in ipsius Menedemi vita leguntur. Vt quod cum psephisma quoddam scripsisset, dictum est in eum a quodam Alexini sectatore, ὡς οὔτε σκηνὴν, οὔτε ψήφισμα πρέπει τῷ σοφῷ γράφειν. Ioci enim venustas est in multiplici significatione verbi γράφειν, quod est & scribere, & pingere. Item quod adolescentuli cuiusdam ferocientis audaciam compescuit, cum in eum quidem nihil dixisset, sed tantum humi delineasset muliebria patientem. Hoc enim est, περιγραψάμενος: quod male interpres conuertit, traiectus. Et eodem

modo accipiunt verbum illud paulo post in illo mordaci, & aculeato aduersus Hierociem dicto, εἰ; [Greek illegible] Et in vita Arcesilai: quem locum ita male accepit interpres, vt veræ sententiæ ne vestigium quidem appareat: Diogenis enim verba sunt: [Greek illegible] λω. Et ita reddit interpres: *Quum retulisset ad eum quidam vitiosa concludens, non videri altero alterum maius, Nec decem, inquit, digitorum longitudo senorum longitudine.* Ego autem hoc modo: *Cum quidam, quem opinio erat, mollem, atque impudicum esse, ad eum retulisset, non videri sibi aliud alio maius: interrogauit eum: num ne id quidem, quod decem digitos longum esset longius videretur eo, quod sex tantum digitos longum.* Quid autem significaret, neq; difficile est cogitare, neque honestum eloqui.

Ciceronis locus e Sophocle expressus.

CAPVT XII.

PRæclarum sapientiæ præceptum est, debere vnumquemque nostrum maiorem curam habere eius temporis, quod post mortem nostram consecuturum est, quam breuis illius & exigui, quo in hac vita sumus. Itaq; grauiter & magnifice Cicero in quadam ad Atticum epistola: *Longum,* inquit, *illud tempus, cum non ero, magis me mouet, quam hoc exiguum.* Nam quod ita locutus est *cum non ero:* in eo secutus est consuetudinem vulgi: non quod eos, qui ex hac vita migrassent, nō amplius esse opinaretur. Quāquam autem hæc sentētia suapte sponte in mentem ei venire facile potuerit; tamen facile adducor, vt hominem eruditissimum, & in Græcorum poetarum lectione exercitatissimum cogitasse putem de loco Sophoclis, apud quem Antigone, cum fratrem insepultum iacere nollet, & certo tamē sciret, si eum aduersus Creontis edictum sepeliisset, sibi quoq; moriendum esse; non tamen propterea absterretur ab illius pii erga fratrem muneris functione: cum dicat, multo longius esse tempus quo se placere ac probari oporteat inferis, apud quos perpetuo futura sit, quam iis, qui in hac vita versantur. Verba ipsius hæc sunt:

Lib. 12. epist. 4.

Φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι, φίλου μέτα,
Ὅσια πανουργήσασ'· ἐπεὶ πλείων χρόνος,
Ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω, τῶν ἐνθάδε,
Ἐκεῖ γὰρ αἰεὶ κείσομαι.

Antigone Pag. 216. edit. H.S.

Elogium Conciliatura. Diuinaculi. Tres loci emendati apud Suetonium in Vitellio.

CAPVT XIII.

SCripseram iampridem *elogii* nomen neq; Græcum esse, neque Latinum: deinde mirantibus quibusdam amicis dixerā, vbicumque *elogium,* legeretur, neque *ellogium,* neque *eulogium,* sed *eclogium* dici debere. Id duo ex ipsis a me acceptum in suis tulerunt:

runt: cum enim de elogii nomine disputassent, vtroque eos accusassent, qui vocem probam, & antiquam nimis imperiose e ciuitate deturbare vellent: postremo eo venerunt, vt *elogium* quidē non, sed *eclogium* recte & emendate dici docerent. Ac mihi quidem, ne viuam, si non & hæc, & talia omnia ridiculo sunt. Sed interdum tamen nescio quid stomachi mouent. Nunc expungamus præclarum istud *elogii* nomen e quodā Suetonii loco, in quo iampridem insedit. Ita enim vulgo legitur in Vitellio: *Exstatque elogii ad Q. Vitellium D. Augusti quæstorem libellus; quo continetur, Vitellios Fauno Aboriginū rege, & Vitellia, quæ multis locis pro numine coleratur, ortos, toto Latio imperasse.* Sed quis iste libellus elogii, aut a quo scriptus? An fatuum est id quærere: cum in vetere libro ita legatur; *Exstat Q. Clodii ad Q. Vitellium D. Augusti quæstorem libellus.* eodem modo peccatum est in omnibus libris editis lib. 5. in Verrem: vbi legitur, *Posteaq. Pompeius*, cum legendum sit, *Postea Q. Pompeius.* sed vt ad Suetonium redeam, in eodem vetere libro paulo infra eum locum ita legitur: *Cuius filius sectionibus, & conciliaturis vberius compendium nactus:* non vt vulgo *consuturis*, aut vt quidam emendare voluit, *cognituris.* Conciliatores autem erant, qui Græco vocabulo proxenetæ, & in eodem Vitellio: *Nullis tamen infensior quam diuinaculis, & mathematicis vt quisque deferretur, inauditum capite puniebat.* Vbi vulgo inepte legitur, *vernaculis.* Cap. 1. Cap. 14.

Restituti Ciceronis loci duo, in quibus librarii duorum veterum scriptorum nomina corruperant.

CAPVT XIV.

Libet duorum eruditorum hominū nomina apud Ciceronē corrupta integritati suæ restituere: quādo isti, qui tota plaustra librorum veterum habuisse se iactāt, quorum collatione Ciceronem emendarint, aliquanto pauciora præstant, quam pollicentur. Apud Ciceronem igitur in Lucullo ita vulgo legitur: *Nicetas Syracusius, vt ait Theophrastus, cœlum, Solem, Lunam, stellas, supera deniq. omnia stare censet: neq. præter terrā rem vllam in mundo moueri: quæ cum circum axem se summa celeritate conuertat, & torqueat, eadem effici omnia, quæ, si, stante terra, cœlum moueretur. atq. hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidam arbitrantur, sed paulo obscurius.* Hæc Cicero: sed, cui illius admirabilis sententiæ auctor putatus est, ei Hicetas, non Nicetas nomen fuit, Laertius in vita Philolai: ἐ τὴν γῆν κινεῖσθαι κατὰ κύκλον κινεῖσθαι πρῶτον εἰπεῖν· οἱ δὲ Ἱκέταν συρακούσιόν φασιν. Apud eundem Ciceronem lib. 1. de diuinatione ita scriptum est: *Quid ego quæ magi Cyro illi principi interpretati sunt, ex Dionysii Persicis libris proferam?* Sed præclare in vetere libro meo: *ex Dinonis Persicis proferam?* Dinonis enim Persica sæpe & ab Athenæo, & a Diogene Laertio citantur. Neque vero ad- Lib. 8.

Digitized by Google

denda est vox, *libris*. non enim cum dicunt, Indica, Persica, Iberica, & similia, intelligunt βιβλία: sed res Indorum, res Persarum, Iberorum: eodemq; modo in ceteris.

De fictis quibusdam amicis, qui leuia amicorum peccata reprehendunt, ad grauiora conniuent.

CAPVT XV.

VEhementer vituperare ac reprehendere solebat Hippolytus Cardinalis Ferrariensis, cuius ego memoriam perpetuo colere, eique pacem ac veniam a Deo precibus omnibus exposcere debeo, sententiam Plauti de amici officio: neque vnquam audiebat hos versus,

Trinummo sc. 2.

Amicum castigare ob meritam noxiam,
Immane est facinus:

quin prope excandesceret. diceretque nihil potuisse stultius, aut a veri amici natura, ac consuetudine alienius cogitari. Vix enim vllum esse aut viri boni, aut amici hominis maius, ac præclarius munus, quam amicum vel peccare parantem retinere, atque impedire, vel cum iam peccasset, reprehēdere, atque increpare: dum tamen constaret id non alio animo fieri, quam ad incutiendum ei pudorem, ne quid postea tale committeret. sed in eo magnam adhibendam esse cautionem, ne deciperemur ab hominibus improbis, qui vt amice ac libere agere videantur, in iis, quibus se amicos esse simulant, leuia quædam, & pusilla peccata reprehendunt, ad maiora & grauiora interim conniuentes: cuiusmodi fere omnes esse dicebat Regum ac potentum tenuiores amicos: neque hac maiorem vllam esse in felicitate infelicitatem. Ac memini olim cum Tibere, cum inter prandium multa in hanc sententiam disputasset, meque postea, vt solebat, in cubiculum suum seuocasset, valde gauisum esse, vt ex me audiit aut eadem quæ ipse dixisset, aut certe valde iis consentanea a Plutarcho tradita esse eo in libro, quo adulatoris ab amico distinguendi viam, ac rationem doceret. Mirifice enim amabat Plutarchum: magisque confirmabatur in sententia sua, cum intelligeret eam, tam grauis, tamque cordati scriptoris iudicio comprobari. Verba autem quæ tum protuli, hæc sunt: ἔστι δὲ τῶν μὲν ἀληθινῶν καὶ μεγάλων

Pag. 108, edit. H. S.

ἁμαρτημάτων οὐδ' εἰδέναι προσποιούμενος, οὐδὲ γινώσκων, πρὸς δὲ τὰ μικρὰ καὶ τὰ ἐκτὸς ἰσχυρὸς ἐμφῦναι δεινὸς ἀΐξαι, καὶ μετὰ τόνου καὶ πάθους αὐτοῖς καὶ σφοδρότητος. ἂν σκεῦος ἀμελῶς ἴδῃ κείμενον, ἂν οἰκοῦντα φαύλως, ἂν ὀλιγωροῦντα κουρᾶς ἢ ἀμπεχόνης, ἢ κυνὸς, ἢ ἵππου μὴ κατ' ἀξίαν ἐπιμελούμενον· γονέων δὲ ὀλιγωρία, καὶ παίδων ἀμέλεια, καὶ ἀτιμία γυναικὸς, καὶ πρὸς οἰκείους ὑπεροψία, καὶ χρημάτων ὄλεθρος οὐδὲν ἐν τούτοις αὐτῷ, ἀλλ' ἄφωνος ἐν τούτοις καὶ ἄτολμος. ὥσπερ ἀθλητὴν ἐῶν ἀλείπτης μεθύειν καὶ ἀκολασταίνειν, εἶτα περὶ λήκυθον χαλεπὸς ὢν καὶ στλεγγίδα, ἢ γραμματιστὴς ἐπιπλήττων τῷ παιδὶ περὶ δέλτον, καὶ γραφεῖον, σολοικίζοντος δὲ καὶ βαρβαρίζοντος οὐ δοκῶν ἀκούειν. Quæ cum ei inter-

interpre-

terpretatus essem, addidi huiusmodi præposteros amicorum reprehensores exagitari etiam ab Horatio: qui etiam duobus exemplis iisdem, quibus Plutarchus vsus esset, κουρέως καὶ ἀμπεχόνης. statimque recitaui hos Horatii versus:

Si curtatus inæquali tonsore capillos — Epist. lib. 1. ep. 1. v. 94.
Occurri, rides: si forte subucula pexæ
Trita subest tunicæ: vel si toga dissidet impar,
Rides. quid mea cum pugnat sententia secum:
Quod petiit, spernit: repetit quod nuper omisit:
Æstuat, & vitæ disconuenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis!
Insanire putas solemnia me, neq; rides,
Nec medici credis, nec curatoris egere
A prætore dati: rerum tutela mearum
Cum sis, & praue sectum stomacheris ob vnguem
De te pendentis, te respicientis amici.

eumque cum huius loci collatione oblectatum viderem: addidi tertium e sanctissimo & disertissimo scriptore Ioanne Chrysostomo in oratione πρὸς τοὺς ἐγκαλέσαντας ὑπὲρ τοῦ μήκους τῶν προοιμίων: vbi ita scribit, Νυνὶ δὲ ἂν μὲν ἴδωμεν ἄνθρωπον τὸν χιτωνίσκον ἔχοντα παραλελυμένον ἐκ πλαγίων, ἢ τὴν ἄλλην στολὴν κακῶς περικειμένην, διορθοῦμεν καὶ ὑπομιμνήσκομεν. ἂν δὲ ἴδωμεν αὐτοῦ τὴν ζωὴν παραλελυμένην, οὐδὲ λόγον ποιούμεθα. Huius generis sermonibus partem aliquam temporis prope quotidie mecum consumebat ille omnium, quos vnquam vidi, prudentissimus, & consilii plenissimus senex: cuius aut excelsitatem animi, aut perpetuam erga eruditos homines munificentiam ac liberalitatem qui exsequet, & adhuc requiro, & vereor, ne semper frustra requiram.

Quod Epicurum merito a Plutarcho reprehensum A. Gellius frigide atq; inepte defendere conatus sit.

CAPVT XVI.

Epicurum dialectices imperitum fuisse, ac putasse etiam omnem operam ludi, quæ in ea cognoscenda ac perdiscenda poneretur, ita notum est, vt confirmatione non egeat. Itaque illius artis ignoratione ruebat in dicendo: sæpeque aliquid probare aggressus, ea sumebat, quibus datis ac concessis, id tamen quod probare instituerat, non concluderetur. Quale est, quod cum docere vellet, mortem nihil ad nos pertinere, ita ratiocinabatur: Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ. τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. Neque enim sequitur, si id quod dissolutum est, sensu vacat; idcirco ipsam quoque dissolutionem non sentiri. Neq; mors est τὸ διαλυθὲν, ἀλλὰ αὐτὴ ἡ διάλυσις. Meritoque Plutarchus secundo librorum, quos de Homero composuit, imperfecte, atq;

præpostere, atq; syllogismo vsum esse cum dixerat: nõ quod prætermisisset illud λῆμμα, ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις: quo addito, nihilo magis efficietur, quod ipse voluit: sed quod, stupiditate quadam & crassitudine ingenii, non peruidisset, quantum inter id, quod dissolutum est, & ipsam dissolutionem interesset. Nactus autem est patronum tali prorsus cliente dignum Gelliũ: qui dum alienam stultitiam tegere vult, prodit suam. Tantum enim abest ab eo defendendo, vt ne intellexisse quidem videatur, quid in eo reprehenderetur. Neq; enim difficile est coniicere, ita eum a Plutarcho reprehensum, vt ab eruditissimo Aristotelis interprete Alexandro Aphrodisiensi reprehenditur: cuius hæc sunt ex commentario in primum Topicorum: οὗτος καὶ ὁ περὶ τοῦ θανάτου ὑπὸ Ἐπικούρου λόγος εἰρημένος. ὁ γὰρ ἐκ τῶν λεγομένων συνῆκται, τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ. τὸ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, συνάγεται τὸ, ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, ὡς αὐτὸς ἠξίωσεν, ἀλλ' ὅτι τὸ διαλυθὲν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. ἀλλ' οὐδὲ ὁ θάνατος τὸ διαλυθέν ἐστιν, ἀλλ' ἡ διάλυσις. οὐκ ἔδωκε δὲ ὁ δὺς τὸ διαλυθὲν ἀναισθητεῖν, καὶ τὸ, τὴν διάλυσιν γίνεσθαι ἀναισθήτως. Neq; minus iste ac grauiter reprehenditur ab eodem Plutarcho, quod τὸ ἀλγοῦν posuisset ἀντὶ τοῦ ἀλγεινοῦ. Cuius enim stuporis est, confundere id, quod dolorem excipit, ac patitur, cum eo, quod dolorem facit? At istas curas vocum, verborumque elegantias, ait Gellius, non modo non sectatur Epicurus, sed etiam insectatur. Nostra sane nihil interest, quid ille aut sectetur, aut insectetur. Sed qui tam sæpe monuerat, diligenter videndum esse, quæ vis, quæque notio vnicuique voci subiecta esset, tam negligens esse in loquendo non debuit, vt aliud sentiret, aliud diceret. Neque si Epicuro esse negligenti licuit, caussa vlla est, cur aliis diligentibus esse non liceat.

Lib. 2. c. 8.

De duabus antiquis vocibus, Tametsi & Insuperhabere.

CAPVT XVII.

VOces quasdam Latinas, quæ iam ita exsoleuerant, vt prope a nemine agnoscerentur, retraxit ex fuga summus, & cũ illis veteribus comparandus I. C. Iacobus Cuiacius: quas diligenter retinendas censeo, & quam plurimis testimoniis corroborandas: ne lingua satis per se inops, nostra negligentia, atq; incuria magis etiam pauperetur. Ex illis vocibus est *tamenetsi*, pro tametsi: de qua, quoniam nonnullos adhuc dubitare video, proponã hic locos aliquot, præter eos, quos attulit Cuiacius, ex quibus cõlliet frequentem apud veteres illius vsum fuisse. Plautus Milite: *Deos sperabo, teq; postremo: tamenetsi istuc mihi acerbum est, quia hinc te carendum est optimo.* Cicero in Verrem; *Hoc si tuum inimicum sibi fecisset, tamenetsi animo æquo prouincia tulisset, inimici iudicium graue videretur.* Idem libro 12. ad Atticum: *& tamenetsi continuo congressuri sumus, scribes ad me, si quid habebis.* Cæsar libr. septimo De bello

Epist. 1.

De bello Gallico: *Quæ tametetsi Cæsar intelligebat, tamen quam mitissime potest, legatos appellat.* Idem eodem libro: *Ac tametetsi dextris humeris exertis animaduertebantur.* Ennius: *At Romanus homo, tamẽetsi res bene gesta est, Corde suo trepidat.* Lucanus in carmine ad Pisonem: *tametetsi bella quierunt, Non periit virtus.* Seneca libro quinto De beneficiis: *Cui, tametetsi malus est, ipse quoque in simili materia gratus esse debebit.* Eiusdem generis est verbum *insuper habere*, pro eo quod est negligere: cuius ipse testimonia multa ex libris iuris: vnum præterea ex Appuleio protulit. Sed & Gellius Cap. XIX. libri primi eo verbo vsus est: *Eam,* inquit, *constantiam, confidentiamque non insuperhabendam intelligit.* Ita enim plane, id est, non duabus vocibus, sed vno iuncto verbo legitur in vetere libro Fuluii Vrsini. Appuleius quoque libro primo De asino aureo: *Hic qui meis amoribus insuperhabitis, non solum me diffamat probris, verumetiam fugam instruit.* Ita enim habent veteres libri, non, vt editi, *subterhabitis.* *Apud Cic. 3. de Orat.*

Locos quosdam e primo Rhetoricorum Aristotelis e Platone sumtos videri.

CAPVT XVIII.

NOn semper nominat Platonem Aristoteles, neque cum ab eo dissentit, neque cum ab eo aliquid sumit, neque deniq; cum quid dicit, quod ad aliquem Platonis locum pertineat: sed interdum, quasi præteriens, & aliud agens, id facit: ita vt lectorem minus attentum facile lateat. Vt libro primo De arte dicendi, cum opus, ac finem Rhetorices; ait, non in persuadendo positum esse, sed in videndo, quid in quaque re aptum sit ad persuadendum; non dubium est, quin verba illa, καὶ ὅτι οὐ τὸ πεῖσαι ἔργον αὐτῆς, dirigantur aduersus id, quod apud Platonem ait Gorgias: τὴν ῥητορικὴν πειθοῦς δημιουργὸν εἶναι, καὶ τὸ κεφάλαιον αὐτῆς εἰς τοῦτο τελευτᾶν. Itemq; paulo post, cum ait, τὸ σοφιστικὸν εἶναι οὐκ ἐν τῇ δυνάμει ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει: & libro quarto νικομαχείων cum idem dicit περὶ τοῦ ἀλαζόνος, duobus verbis persecat ea, quę apud Platonem in Hippia minore fusius, ac copiosius disputantur. illud quoque quod paulo infra eum locum tradit, vnamquamque aliarum artium esse διδασκαλικὴν, καὶ πειστικὴν, in eo quod tractat, vt geometriam in iis, quæ magnitudinibus accidunt: in numeris arithmeticen, similiterque in aliis alias: manifesto sumtum est e disputatione Socratis aduersus Gorgiam. Hæc notare non alienum putaui: quia P. Victorius, qui mihi adhuc videtur solus in eos libros scripsisse, id facere omiserat. Neque sane ab vno scribi omnia aut potuerunt, aut debuerunt. satis esse debet Victorio ad gloriam, quod ea in illis libris præstitit, quæ nemo hac tempestate alius præstitisset.

Loci aliquot e Pœnulo Plautina emendati, & illustrati.

CAPVT XIX.

APud Plautum in Pœnulo ita cum Miphione seruo Agorastocles adolescens colloquitur:

Sc. Quid nunc [illegible] ix.

Quid nunc mihi es auctor Milphio? vt me
verberes,
Atq; auctionem facias. nam impunissime
Tibi quidem hercle vendere hasce ædis licet.
AG. Quid iam? MIL. maiorem parte minore
habitas mea.
AG. Superjede istis verbis.

Lib. 15. c. 7.

Sed Turnebus e veteri, vt ipse ait, membrana vnam literam addit, legitque hoc modo:

Maiorem partem minore habitas mea.

Atque hanc sententiam esse dicit. Tibi licet impune hasce ædes vendere in auctione: maior enim pars tua est, minor mea: vt accessiuncula mea impedire venditionem, legemque mancipii non possit, quæ declaratio, si vera est, primum de Turnebi sententia nouum ius ciuile recipiendum erit, vt quarum ædium maior pars alicuius est, ei, etiam inuito eo, cuius est pars minor, eas totas ædes vendere liceat. Sed hoc ius, nisi obstet Turnebi auctoritas, valde controuersum futurum est: & vix, aut ne vix quidem, illius sententia obtinebit. Sed & aliud nobis multo absurdius deuorandum erit. Quomodo enim ædes domini, & serui communes esse possunt? aut qui sui dominus non est, is partis ædium dominus esse? An eam partem dicetur habere in peculio? At non ne dominus & serui, & peculii dominus est? An qui facile pronuntiant, facile etiam παραλογίζονται: nosque ipsi ridicule facimus, dum in declaratione tam ridicula confutanda tam multi sumus: legendum enim plane est.

Maiorem partem in ore habitas mea.

Hac sententia. Licet tibi has ædes impune vendere; vt quib. tibi iam opus non sit: ita enim sæpe mihi contundis os pugnis, & calcibus, vt, non in ædibus, sed in ore meo maiorem temporis partem habitare videaris. In eadem autem fabula, vbi legitur:

res serias
Omnis extollo ex hoc die in alium diem.
Profecto festos habeam decretum est mihi:

Lycus Sc. Dii illum.

Vna litera mutata, legendum, *Profesto.* Habere autem dies festos pro festo, ita dictum est, vt, *somnia, pro somniis* habenda. vt, apud hunc ipsum, *pro sano*: vt apud iuris auctores, *pro herede, pro domino, pro possessore*: vt apud Apuleium: *neq; pro amica, neq; pro Philosopho facturum.* Et cum ait, se tes omnes serias extollere in alium diem, procul

procul dubio respexit ad illud vetus dictum, εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα. Sed & in eadem fabula in Agorastoclis ἀναγνωρισμῷ deprauati sunt hi versus: Sc. Αἴν' τυ dixe.

Ostende, vt inspiciam iam aperi, audi, atque ades.
AG. Mi patrue salue. POE. & tu salueto Agorastocles.

Legendique hoc modo:

Ostende vt inspiciam. aperi. AG vide. eccum adest,
Mi patrue salue. POE. & tu salueto Agorastocles.

Sed in illo versu, qui in extrema fabula legitur,

Iniuriarum multo induci satius est,

Qui vulgatam scripturam mutare conatur, nimis ingeniosi sunt. Sc. Si ego minam. Pag. 112. Induci est εἰσάγεσθαι: & de hoc verbo consulendus est Budæus in cōmentariis linguæ Græcæ

Vnde sumserit Horatius, quod Amorem in Chiæ genis excubare dixit.

CAPVT XX

NEminem esse opinor, duntaxat Græcarum delitiarum οὐκ ἀγεύστων, quin peregrini, & transmarini saporis aliquid sentiat in his Horatii versibus:

Et cantu tremulo pota Cupidinem Lib. 4. Car. Ode 13.
Lentum sollicitas. Ille virentis, &
Doctæ psallere Chiæ
Pulcris excubat in genis:

Ego quidem quoties illum tremulum Lyces cantum cogito, videre mihi videor libidinosam illam & καταφερῆ anum, quæ apud Aristophanem, cerussa, & purpurisso fluentibus buccis, cantare se ait, vt virum aliquem sibi conciliet: ἐκκλησιαζούσαις.

Ἐγὼ δὲ καταπεπλασμένη ψιμυθίῳ,
Ἕστηκα, καὶ κροκωτὸν ἠμφιεσμένη
Ἀργὸς, μινυρομένη τι πρὸς ἐμαυτὴν μέλος,
Παίζουσ', ὅπως ἂν περιλάβοιμ' αὐτῶν τινὰ
Παριόντα. Μοῦσαι δεῦρ' ἴτ' ἐπὶ τοὐμὸν στόμα,
Μελύδριον εὑροῦσαί τι τῶν Ἰωνικῶν.

Iam in iis quæ sequuntur, Græca plane omnia non in eo modo quod virentem Chiam dicit, id est, χλοερὰν καὶ ἡβῶσαν: sed multo etiam magis, quod Amorem ait in pulcris illius genis excubare. Sumsit autem hoc e grauissimo poeta Sophocle, apud quem ita in Antigona canit chorus:

ἔρως ἀνίκατε μάχαν, Pag. 245. edit. H. S.
ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,
ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς
νεάνιδος ἐννυχεύεις.

Hoc certe quidam, si viueret, aut sibi subreptum esse, aut sibi alicubi in via excidisse diceret.

M. ANTONII MVRETI I. C. AC CIVIS R.

VARIARVM LECTIONVM Liber Duodecimus.

Emendati loci aliquot e libro primo Senecae De beneficiis.

CAPVT I.

VT emtoris & venditoris, locatoris & conductoris permutata esse inter se aliquot in iure ciuili locis nomina, docuit princeps & nostrae, & superioris memoriae iurisconsultorum Cuiacius, ita notasse mihi videor quodam apud Senecam loco creditorem pro debitore positum esse. Ita enim vulgo legitur, libro primo De beneficiis: *Nemo beneficia in kalendario scribit: nec auarus exactor ad horam & diem creditorem appellat.* Vbi, nisi me fallit animus, legendum est, *debitorem.* Neque hoc, quando haec rudioribus nauatur opera, monere omiserim, non id dicere Senecam, ab auaro exactore non appellari debitorem ad horam & diem, quod manifesto falsum esset: sed eum qui beneficium dat, non facere item vt auari exactores solent, qui, quod crediderunt, id sibi ad horam & diem solui volunt. Similis ergo locus est illi Horatiano: *Nec excitatur classico miles truci.* non enim negat, militem classico excitari; sed eum qui rus suum colit negat ita excitari classico, vt milites solent. Sic in epistola ad Pisones: *Nec verbum verbo curabit reddere fidus Interpres.* negat enim bonum imitatorem id sibi studio habere, vt verbum verbo reddat, quemadmodum fidi interpretes solent. Emendabo & ex eodem libro alia. Vbi ergo de Gratiis loquens ait: *Inueniam alium poetam, apud quem praecingantur, & spissis auro Phrygianis prodeant:* legendum est ex veteribus libris, *& spissis auro Phrygianae prodeant.* Phrygianarum vestium mentio est & apud Plinium: spissas autem auro dicit, quibus Phrygio multum ac densum aurum intertexuisset. Et, vt quaedam in medio leuiora omittam, veniam ad locum quendam mirifice deprauatum, qui cum minimo negotio ex vetere scriptura sanari posset, tales medicos inuenit, vt cuilibet eorum dici potuerit,

Τὸ φάρμακον σου τὴν νόσον μείζω ποιεῖ.

Vulgo enim ita legitur: *Ad hanc honestissimam contentionem beneficiis beneficia vincendi sic nos adhortatur Chrysippus, vt dicat verendum esse, ne quia Charites Iouis filiae sunt, parum certe parum ingerere sacrilegium, si tam bellis puellis fiat iniuria.* Possem ostendere, quomodo alii scribendum censuerint. Sed quid opus est, exagitandis illis ostentare me? Veterum librorum scriptura haec est: *parum*

Cap. 2.

Ode 2. Epod. vers 5,

vers 138.

Cap. 3.

Cap. 4.

rum sacrate gerere sacrilegium sit & tam bellis puellis fiat iniuria. Vbi est, *sacrate*, scribito, *segrate*: plane omnia & emendata erunt. Vnum etiam locum ex eodem libro appingam, qui vulgo ita legitur: *Itaque veni etiam farre ac fictili religiosi sunt: malis rursus non effugiunt impietatem, quamuis aras sanguine multo cruentauerint.* Libri veteres, &, vt Turnebus loquitur, manuales, pro *fictili* habent *fritilla*. Sed legendum *fitilla*. Id genus erat pultis, quo vtebantur in sacris. Arnobius lib. septimo aduersus Gentes: *Quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, consplolium, cubula?* ex quibus duo; quæ prima, sunt pultium nomina, sed genere & qualitate diuersa. series verò, quæ sequitur, librorum significantias continet. Cap. 6.

Eiusdem Senecæ locus illustratus.

CAPVT II.

MVlti sunt, qui, cum libenter & prolixe alios laudent, neminem tamen habent, qui se, quod ab eis laudatus sit quidquã propterea eis debere arbitretur. Laudant enim sine vllo dilectu ac discrimine omnes: vt id non aut iudicio, aut beneuolentia adducti, sed morbo quodam animi facere videantur. Sed & in pecunia idem, quamquam rarius & a paucioribus, fieri videas. Eiusmodi igitur homines & eleuant auctoritatem iudicii sui; & omnem beneficiorum gratiam amittunt. De quibus prçclare Seneca: *Beneficium, inquit, quod quibuslibet datur, nulli gratum est. Nemo se stabularii aut cauponis hospitem iudicat, nec conuiuam dantis epulum: vbi dici potest, Quid enim in me contulit? Nempe hoc, quod in illum & vix notum sibi, & in illum etiam inimicum ac turpissimum hominem. Nunquid enim me dignum iudicauit? Morbo suo morem gessit.* Puto autem hoc, quod postremo loco positum est, veteris poetæ Græci exemplo dictum esse, ex quo quadratum versum perelegantem citat Plutarchus: Lib. 1. de Ben. cap. 14.

Οὐ φιλάνθρωπος σύγ' ἐσσ'. ἔχεις νόσον χαίρεις διδούς. Publicola ex Epicharmo Pag. 191. ed. H.S.

Ibi enim quisquis ille est, qui loquens inducitur, negat, quod alius quispiam inuitis pecuniam largiatur, id ab ipsius humanitate ac liberalitate proficisci: eum enim illo quasi morbo teneri; vt dandis pecuniis gaudeat.

Alius eiusdem scriptoris locus emendatus.

CAPVT III.

EXcepta *Macedonum gente*, ait libro tertio De beneficiis Seneca, *non est in vlla data aduersus ingratum actio*. Sed vbi quidquam tale de Macedonibus lectum est? Imo vero apud solos mortalium Persas ingrati actionem dari, ex Xenophonte didicimus; cuius verba describam, non vt vulgo leguntur, sed vt legenda sunt: Cap. 6.

δικάζουσι δὲ καὶ ἐγκλήματος οὗ ἕνεκα ἄνθρωποι μισοῦσι μὲν ἀλλήλους μάλιστα, δικάζονται δὲ ἥκιστα, ἀχαριστίας. Nunquid igitur Senecam memoria lapsum esse dicemus? At eam ipsemet profitetur sibi vsq; eo firmam Lib. 1. Cyrop.

fuisse, vt non tantum ad vsum sufficeret, sed in miraculum vsque procederet. Equidem vidi veterem Senecæ librum, in quo non *Macedonum* legebatur, sed *madonum*: neque dubium habeo, quin legendum sit, *Medorum*. Medos autem pro Persis antiqui sæpe dicebant: vt iampridem docui in illum Catulli locum:

Coma Berenices.

Cum Medi rumpere nouum mare.

Auibus post 1. Epod.

Itaque Aristophanes gallinaceum, quem iocans ait olim Persis imperasse, ea de caussa Μῆδον ὄρνιν vocat: ἐπεὶ καὶ τοὺς Πέρσας Μήδους ἔλεγον, ait qui scholia in eius fabulas scripsit.

Vetus quædam consuetudo satisfaciendi iis, quibus male precati erant.

CAPVT IV.

IN consuetudine apud veteres positum fuit, vt qui alicui male precatus erat, is si eum placare eique satisfacere vellet, optaret, eo præsente, vt in caput suum reciderent ea, quæ in ipsum dixisset. Duobus hoc e Seneca locis cognosci potest: quorum vnus est libro tertio De beneficiis, vbi ita scriptum est: *Rufus vir ordinis senatorii inter cœnam optauerat, ne Cæsar saluus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat: & adiecerat idem omnes & tauros & vitulos optare. Fuerunt, qui illa diligenter narrarent. Vt primum diluxit, seruus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cœnam ebrius dixisset. Hortatur, vt Cæsarem occupet, atque ipse se deferat. Vsus consilio descendenti Cæsari occurrit. Et cum malam mentem habuisse se pridie iurasset, id vt in se & filios suos recideret, optauit, & Cæsarem vt ignosceret sibi, rediretque in gratiam secum, rogauit.*

Cap. 25.

Alter est libro quarto: quem & ipsum subiiciam: loquitur autem de homine impurissimo Mamerco Scauro. *Pollioni Asinio iacenti, obsceno verbo vsus dixerat se facturum id, quod pati malebat; & cum Pollionis attractiorem vidisset frontem: Quidquid, inquit, mali dixi, mihi & capiti meo.*

Cap. 31.

Sed & festiuissimus poeta Tibullus, cum Iunoni cuidam multa mala dixisset, eamque postremo placare vellet, ita canit:

Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capitis sint precor illa mei.

Lib. 1. eleg. 2.

Vrbanissime autem apud Aristophanem Dicæopolis cum Megarensem χαίρειν, id est, gaudere aut saluere iussisset: idque ille respondisset sibi ὡς ἐπιχώριον ἄμμιν precatur, vt id in caput suum recidat.

Acharn. extremo dimet.

Πολυπραγμοσύνη νυν ἐς κεφαλὴν τράποιτ' ἐμοί. Vbi Scholiastes tradit eam, quam dixi, consuetudinem etiam Atheniensium fuisse.

Linguarium quid vocarit Seneca.

CAPVT V.

QVærit Seneca libro quarto De beneficiis, si quis cui quid tanquam digno se daturum promiserit, quem postea indignum

dignum esse comperiat, quid facere debeat: num recedere ab eo, quod promisit, an etiam indigno dare. Et hãc quæstionem distinctione dissoluit: *Aut enim magnum aliquid promissum est: & tunc præstat semel pudere, quam semper pœnitere: aut exiguum aliquid: quo casu etiam indigno dari potest.* Hoc posterius ipse ita exprimit: *Si exiguum est, dabo: non quia dignus es, sed quia promisi. Nec tãquam munus dabo: sed verba mea redimam, & aurem mihi peruellam.* Id est, scribam hoc in animo diligenter, & in memoria infigam, vt mihi documento sit in posterum, ne temere promittam. Aurem enim vellebant, cum quid volebant, in memoria hærere. Plinius libro vndecimo: *Est in aure ima memoriæ locus, quem tangentes antestamur.* Et inde est illud Horatii: *licet antestari? ego vero Oppono auriculam.* Ac vidi veteres nummos æreos, in quibus viri duo insculpti erant, quorum vnus alteri aurem vellebat: in orbem autem scriptum erat, ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ. Seneca ipse libro quinto: *Dicere solemus; Sine tu, loquar mecum: & Ego mihi aurem peruellam.* Sed in eo loco, de quo dicere cœperam, statim sequitur: *Damno castigabo promittendi temeritatem. Ecce, vt doleat tibi, vt postea consideratius loquaris. quod dicitur, linguarium dabo.* Quibus in verbis dubitari potest, quid sit *linguarium.* & Turnebus quidem ait esse tanquam linguarum thecam & repositerium, in quo dicat Seneca se linguam conditurum, ne temere promittat. Ego autem longe aliter eam vocem accipio: neque dubito, quin *linguarium* sit id, quod pro lingua, quæ temere locuta est, penditur. idq; mihi aperte ostendere videntur verba illa Senecæ, *Verba mea redimam*: &, *Damno castigabo promittendi temeritatem.* Sic *vasarium* dicebatur pecunia, quæ pro vasis, id est, pro vtensilibus attribuebatur ex ærario magistratibus in prouincias proficiscentibus. Sic *cerarium* vocabat Verres pecuniam, quam quasi pro cera exigebat. Sic *salarium* antiquitus, quod dabatur pro victu, in quo principem locum tribuebant sali. Sic *vnguentarium* apud Plinium libro secundo Epistolarum, quod Marius Priscus a prouincialibus, quasi pro vnguentis exegerat. Sic *honorarium vinum*, quod regibus & potentibus honoris gratia offertur. Cato de innocentia sua: *Cum essem in prouincia legatus quamplures ad prætores & consules vinum honorarium dabant, numquam accepi nec priuatim quidem.* Sic *hordearium*, quod equiti pro hordeo ad alendum equum dabatur. Sic denique *vxorium*, pœna quæ publice exigebatur ab iis qui vxores non haberent.

Cap. 56. Cap. 45. Lib. 1. Saty. 9 ver. 76. Cap. 7. L. 4. cap. 36. Lib. 12. c. 4. Act 2. in Verrem. Ep. 11. Arriano.

De naturali quadam spei & metus coniunctione.

CAPVT VI.

Cum spei nihil æque aduersetur ac timor: notatum tamen est a sapientissimis viris, vbi omnis omnino sublata spes est, ne timorem quidem posse subsistere. Pendeat enim oportet metuentis animus: qui si spei, quo sustentetur, nihil prorsus reliquum sit, pla-

ne iacet. Atque hoc eleganter admodum expressisse videtur vdolescens Terentianus:

Charinus Andria. Act. 2. sc. 1.

Vanum ero mihi,
Vt animus in spe atque in timore vsque antehac attentus fuit,
Ita, postquam ademta spes est, lassus, cura confectus stupet.

Itaque negat Aristoteles eos, qui ad mortem ducuntur, timere, vt quos iam spes omnis reliquit. Et qui timent, quærunt, si qua ratione id, quod imminet vitare possint. At in rebus desperatis nemo consultat. Imo vero ita spe alitur metus, vt omni spe ademta, plerumque in audaciam transeat. Idque in extremis iam periculum adductis sæpe saluti fuit. Hac de re dictum Hecatonis commemorat Seneca: *Desines timere, si sperare desieris.* Cui ipse postea addit: *Dices, quomodo ista tam diuersa pariter sunt? Ita est, mi Lucili, cum videantur dissidere, coniuncta sunt. Quemadmodum eadem catena & custodem & militem copulat: sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt.* Sed in his postremis verbis omnes editiones deprauatæ sunt. Non enim *custodem*, legendum est, sed *custodiam.* Vocabant autem custodias reos ipsos, qui sub custodia erant, vt alibi: *Cum adueheretur inter custodias quidam ad matris munus spectaculum missus.* Et sæpe ita accipitur hoc nomen in libris iuris ciuilis. Dabantur autem fere militibus custodiendi.

Lib. 1 ep. 5.

De piscibus subterraneis emendati Senecæ loci duo.

CAPVT VII.

Immensam quandam aquarum vim in subterraneis specubus latere philosophi tradunt, quæ etiam interdum erumpant, secumque magnam piscium multitudinem efferant. Ceterum pisces illos, vt in tenebris saginatos, tum aspectu deformes atque horridos, tum gustatu noxios ac mortiferos esse. In Caria quidem cum id aliquando contigisset, quicumque illos ederant pisces, omnes ad vnum periisse, literarum monumentis proditum est. Sed quam ad vrbem id contigisse Seneca dicit, is enim huius historiæ auctor est, eius vrbis nomen ita in libris ipsius corruptum circumfertur, vt sine veterum librorum ope vix quispiam, non dicam ad verum peruenire, sed de mendo suspicari queat. *Circa Myndum enim Cariæ vrbem id euenisse,* in vulgatis libris legas. Ego olim librum veterem habui, quem postea clarissimo, & cum incredibili omnigenæ eruditionis copia, tum virtute atque integritate præstanti viro Vincentio Laureo episcopo Montisregalis dono dedi: quo in libro scriptum erat *factum id in Caria circa Ierumna vrbem.* Ex qua leuiter deprauata scriptura, facile conieci legendum esse, *circa Loruma vrbem.* Nam & in epitoma Stephani De vrbibus nominatur, λώρυμα πόλις καρίας: & a Strabone libro XIV. & a Ptolemæo libro quinto, & a Plinio, & a Mela, nisi quod

Lib. 3. Nat. qu. cap. 19.

nisi quod apud hunc librariorum vitio, *Latumna* non *Leruma* legitur. Emendabo & alium ex eodem libro locum, quem omnes vsque in hunc diem aliquot vocibus mancum ac mutilum ediderunt. Vbi enim narrat Seneca quosdam fluuios palam in specum aliquem decidere, & terra absorberi, deinde in remotissimis locis exire, cursumque ac nomen suum repetere: cum id de Lyco amne exposuisset Ouidii versibus; subiungit; *Idem & in oriente Tigris facit: absorbetur, & desideratus diu, tandem longe remoto in loco purgamenta eiectat, vt Arethusa in Sicilia quinta quaque aestate per Olympia.* Lib.3.c.26. Cap.26.

De Arimaspis, cur dicti sint vnum tantum oculum habere: item de populis, apud quos pueri oblongo capite nascuntur.

CAPVT VIII.

HOmines esse quosdam in Scythia tradiderũt ex antiquis nõnulli, qui vnum tantum in media fronte oculum haberent. *Arimaspis* nomen est, quos & Aeschylus ex eo μονώπας vocat. Ipsum quoq; Arimasporum nomen ex re illis inditum putant. Scythica enim lingua *ari* vnum esse: *masson* oculum. Sed quibus curae fuit veritatem rerum diligentius indagare, eam gentem arcu & sagittis excelluisse memorant, quas cum dirigerent, alterumque, vt fit, oculum clauderent, adsiduique in eo studio essent; dicti sunt vno tantum oculo vti. Fortassis etiam, quod ei rei a pueris adsuefierent, alterius oculi orbe erant contractiore: versaque paulatim, vt saepe accidit, in naturam consuetudine, patrum similes filii nascebantur: quaeque in patribus deformitas ex oculorum inaequalitate ἐπίκτητος & aduentitia, eadem in filiis innata atque insita erat. Ita certe de quibusdam in Asia populis grauis auctor Hippocrates narrat; cum apud eos pulcrum haberetur oblongo capite esse: ob idque nutrices recens editorum infantium tenella capita manibus contrectando ac comprimendo, globosam & orbicularem figuram corrumperent, eaque fastigiarent, ac fasciis etiam adstricta in acumen crescere cogerent, paulatim studium in naturam vertisse; vt omnes ea in gente oblongis capitibus nascerentur; ex eoque Macrocephalos vocari. Idem & hodie, serio an ioco, de gente quadam in Italia dicitur. Prometh. Pag.49.H.S.

De loco quodam Terentii ex Eunucho confutata Marcelli Virgilii sententia.

CAPVT IX.

IOcose quidem dictum est a Chaerea in Eunucho Terentiana, *Pessulum ostio obdo*: subestque omnino obscoenior sensus: neque tamen adsentior Marcello Virgilio, qui putat respexisse poetam ad medicorum πεσσούς, qui mulierum naturalibus ad pro- Act.3.sc.5. Comment. in Dioscoridem Lib... Cap 1.

uocandos menſes ſubiici ſolent. Primum enim ex voce non Græca modo, ſed & medicorum propria quorumquiſque aſſecutus eſſet vim loci? deinde non puto voces Græcas admittere eam formam imminuendi, quæ Latinis vſitata eſt; neque ſi Græci exiguum πόσθιον dicunt ποσθάλιον, licere continuo Latinis peſſulum eo ſenſu dicere: non ſane magis quam logulum ἀντὶ λογαρίου, aut eiuſmodi alia. ipſumq; Marcellū peccaſſe arbitror, q. ποσθάλια peſſulos vertit. Sed peſſulus eſt πάσσαλος quo nomine ſignificabant interdum iocantes id, quo mares ſumus. Ariſtophanes:

Ταῖς πρὶν οὔσαις γυναιξὶν ἔστω τὸ νέον
Ἕλκειν ἄνω τι, λαβομένας τοῦ παττάλου.

Lib. 2. Car. ode. 5. Suſpicor & Horatium in ſuo verſu,

nec tauri ruentis
In venerem tolerare pondus,

cum allegoriæ ſeruiret, eo etiam reſpexiſſe, quod illam partem Græci interdum ταῦρον vocant: vnde & λασταυρος. Quin & temporibus Romuli cum conſulta Iuno, matronas Romanas, ſi fœcundæ fieri vellent, a capro iniri oportere reſpondit, Græce potius quam Latine locuta eſt, neq; tam caprum intellexit, quam illum κάπρον, in quo præcipuum putatur eſſe remedium aduerſus mulierum ſterilitatem.

De quibuſdam, qui piloſo ſunt corde.

CAPVT X.

Ariſtomenis Meſſenii, qui trecentos Lacedæmonios occiderat, quique & fortitudine & calliditate præſtiterat, mortui cor hirtum, & denſa quaſi ſylua pilorum obſitum repertum eſſe Lib. 11. ca. 37. tradit Plinius. Idem de Lyſandro Lacedæmonio, qui & ipſe tum fortiſſimus tum aſtutiſſimus fuit, Græci quidam memoriæ prodiderunt. Ipſe quoque memini, cum Venetiis eſſem, ſumtum eſſe capitis ſupplicium de nobili quodam latrone, qui cum a carnifice diſſecaretur, corde admodum piloſo repertus eſt. Roboris quidam, aſtutiæ & calliditatis alii eſſe id argumentum volunt. Ab ingenti certe calore proficiſcitur, quo qui abundant, ii & robuſti eſſe, & callidi ſolent. Itaque eruditus & grandiloquus poeta Nonnus libro XXVI. Dionyſiacon Sabiris populis ait eſſe cor denſis veſtitum pilis: ideoque audaciſſimos eſſe, neque vnquam in prælio metuere.

Τοῖς ἔπι δὲ σκαιῶν πυκινοὶ τρίχες, οἷσι καὶ αὐτῶν
φρικτὰ δασυστέρνων ἐνὶ στέρνοισι φύλα φαάνθη.
τοῖσιν ἐνὶ κραδίη λάσιαι τρίχες, ὧν χάριν αἰεὶ
ψυχῆς θάρσος ἔχουσι, καὶ οὐ πτώσσουσιν ἐνυώ.

De aduerbiis quibuſdam, quæ aliter apud veteres interdum ſcribebantur, quam nunc ſolent. Emendatus Ciceronis apud Fabium locus.

CAPVT XI.

Quod

Qvod nūc perpetuo *istinc* & *illinc* scribimus, veteres nonnumquam *istim* & *illim* scribere solitos constat. Recteque factum a Petro Victorio est, quod in libris Epistolarum Ciceronis, antiquam scripturam hac quoque in parte cum fide repræsentandam putauit. vt in Epistola ad Valerium: *Qui istim nunc veniunt*, & aliis locis. Huius autem rei ignoratione deprauatus est Ciceronis locus ex epistolis ad Brutum, qui citatur a Fabio: neque correctus ab eruditis hominibus, qui Ciceronis fragmenta studiose collegerunt. Ita enim vulgo legitur, *Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali quid: etsi argumentum simile non erat.* In vetusto autem Fabii codice, qui penes me est, hoc modo: *Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferremus illim ali quid: etsi argumentum simile non erat.* Hoc ne cui leue videatur, moneo alios quoque primæ classis scriptorum locos eodem modo corruptos esse: quos aut nos ipsi, aut alii quandoque indicabunt. *Lib. 1. ep. 10.*

De Thalete Milesio historia elegans.

CAPVT XII.

Thales Milesius magno vir & sublimi, vt notum est, ingenio fuit: multaque admirabilia cum in aliis disciplinis, tum in astrologia primus excogitauit. Is cum reperisset, quam rationem haberet magnitudo Solis ad magnitudinem eius circuli, quem Sol ipse annuo cursu metitur ac conficit, quoque modo id Geometrica subtilitate demonstrari posset: eam rationem cum Prienensi quodam, homine & talium rerum curioso, & diuite ac copioso communicauit. Qui & acumen Thaletis, & inuenti pulcritudinem admiratus, pręmium a se illum, quantum vellet, optare iussit. *Nullum te*, inquit, *aliud præmium posco, Thales, nisi, vt ne tibi vnquam huius inuenti gloriam arroges: sed si quando eius alios participes facere volueris, auctorem illius esse me perpetuo profitearis.* Nō igitur contemnunt gloriam ne sapientissimi quidem: nedum nos, qui sapientes non sumus, æquo animo feramus, si quid a nobis interdum, ex quo laus aliqua possit existere, animaduersum est, id iniuste atq; impudenter ab aliis occupari.

De quibusdam locis e primo Rhetoricorum Aristotelis.

CAPVT XIII.

Aristoteles libro primo De arte dicendi, vbi docet, neminem sanæ mentis deliberare de iis, quę vno tantum modo euenire possunt, qui modo ea talia esse existimet; ita loquitur, περὶ γὰρ τῶν ἀδυνάτων ἄλλως ἢ γενέσθαι, ἢ ἔσεσθαι, ἢ ἔχειν οὐδεὶς βουλεύεται, οὕτως ὑπολαμβάνων: vbi putat optimus interpres, eum complecti tria tempora. & certe tria verba, quibus vtitur, facile id alicui persuadere possunt. Sed tamen cum omnis deliberatio futurum tempus respiciat: quomodo, quæso, quis deliberare de rebus præteritis potest, siue illæ vno, siue pluribus modis aut esse aut fieri

potuerint? Possunt quidem vrbes pluribus modis capi atque expugnari: Sed si quis hodie deliberet atque in consultatione ponat, quemadmodum Troia capta sit, nonne ad agnatos & gentiles deducendus esse videatur? Quærere, quomodo id factum sit, possumus: deliberare non possumus. Omnis autem consultatio quæstio illa quidem est, sed non contra: Ne præsentia quidem in deliberationem cadunt, nisi vt eis in posterum non consulatur, ac denique omnis deliberatio ad futurum tempus refertur. Ita igitur interpretor, vt cum rerum, quemadmodum multis locis Plato & Aristoteles docent, quædam dicantur εἶναι, vt nummi, ædes: quædam γίνεσθαι, vt bellum aut nuptiæ: vtrumque genus hic Aristoteles complexus sit. Aoristus enim γενέσθαι, non magis præteriti quam præsentis aut futuri temporis significationem habet. Et rectissime Victorius hoc ipso in libro verba illa Aristotelis, ὅσα ἐνδέχεται καὶ γενέσθαι καὶ μή, interpretatus est, *quæ eam naturam habent, vt & fieri & non fieri possint.* Sæpe autem consultamus non tam περὶ τοῦ γενέσθαι, ἢ εἶναι, quam περὶ τοῦ πῶς μέλλει ἔχειν. Igitur & hoc addidit, non deliberare homines περὶ τῶν ἀδυνάτων ἄλλως ἔχειν. Deinde subiungit οὐδὲν γὰρ πλέον, ἢ οὕτως ἐνδέχεται συμβουλεύειν. Sed ego totum illud, ἢ οὕτως ἐνδέχεται συμβουλεύειν, delendum censeo: legendumque simpliciter, οὐδὲν γὰρ πλέον, & ita interpretor: *nullus enim vsus eiusmodi deliberationis esset.* Sic Plato libro quarto De Rep. ὅτι ἀνωφελὲς καὶ πλέον οὐδέν. Idem epistola quincta: εἰ μὴ μέλλω μηδὲν κοινῇ ὠφελήσειν οὕτω, πλέον δ' οὐδὲν ποιήσειν. Aristophanes in Pluto: καίτοι τί πλέον πλουτεῖν; quod Scholiastes ita exponit, τίς χρεία ἐστὶ τοῦ πλουτεῖν; Hoc qui non viderant, putarant aliquid deesse.

Locus Virgilii expressus e Chœrilo.

CAPVT XIV.

Videtur Chœrilus non ita contemtus & abiectus poeta fuisse, vt eum haberi voluit Horatius: quamquam & alii, quorum maior est auctoritas, male de eo multo ante Horatium senserant. Sed tamen & hic versus ipsius:

Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ,

Multos magnosque imitatores habuit: & prope ausim dicere, locum quendam optimi maximi poetarum Virgilii ex eo mihi expressum atque effictum videri. Cum enim Chœrili versus quidam legantur, quibus queritur præcipua argumenta scribendorum poematum a vetustis poetis occupata iam esse: eadem etiam conquestio tertio libro Georgicon apud Virgilium legitur. Chœrili versus hi sunt:

ἆ μάκαρ, ὅστις ἔην κεῖνον χρόνον ἴδρις ἀοιδῆς
Μουσάων θεράπων, ὅτ' ἀκήρατος ἦν ἔτι λειμών.
Νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται, ἔχουσι δὲ πείρατα τέχναι,
Ὕστατοι ὥστε δρόμου καταλειπόμεθ', οὐδέ πῃ ἔστι

Πάντῃ

Πάντῃ παπταίνοντα νεόζυγες ἅρμα πελάσσαι.

Virgilii autem hi:

Cetera, quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia iam vulgata. Quis aut Eurysthea durum 3. Georg. ver. 3.
Aut illaudati nescit Busiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer, aut Latonia Delos,
Hippodameq; humeroq; Pelops insignis eburno
Acer equis? tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorq; virum volitare per ora.

Illud certe, *Omnia iam vulgata*, prorsus compar ac geminum est illi, Νῦν δ' ὅτε πάντα δέδασται.

Emendata multa in oratione Ciceronis pro Archia.

CAPVT XV.

Cicero in oratione pro Archia cum multis verbis doctrinæ studia commendasset, eaque magnam vim ad laudem atque virtutē habere dixisset: addit postea, etiāsi nihil ex eis aliud, quam delectatio peteretur, nihil esse, quo quasi diuertere, & in quo honestius ac liberalius requiescere fessus grauium negotiorum tractatione animus possit. In hac autem re explicanda verba ipsius hæc sunt: *Quod si non hic tantus fructus ostenderetur: & si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen vt opinor, hanc animaduersionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis.* Sed cum *animaduersionis* nomen pro certo aliquo studiorum genere nusquam neque apud Ciceronem, neque apud vllum alium bonum Latinitatis auctorem legatur, Lazarum Bonamicum aiunt, cum eam orationem interpretaretur, non *animaduersionem*, sed *animi remissionem*, ibi legendum censuisse qui mihi videtur, quod *animaduersionis* nomen ei loco non conuenire censuit, recte ac vere iudicasse: sed in eo peccasse, quod a vetere scriptura nimis longe recessit. Ego cum eam orationem abhinc triennium publice in vrbe interpretarer, vsus sum vetere libro Fuluii Vrsini; viri optimi & hominis eruditissimi: quo in libro scriptum erat *animaduersionem*. Vnde ego vna litera detracta, scribendum cēsui, *animi auersionem*. Auertere enim animum aut cogitationem a re aliqua, sępe, vt notū est, Cicero dicit. Eodem in libro vetere aperte scriptum erat: *Hæc studia adolescentiam agunt:* non, vt vulgo, *alunt*. Ferri tamen potest, *alunt*. Sic enim alibi Cicero, *ingenia melius ali Græcis exercitationibus*. Iam quod eadem in oratione legitur: *Bestiæ sæpe immanes cantu flectuntur atq; consistunt:* si quis attente consideret, videbit nullo modo referri posse ad Orphei & Arionis fabulam: quod tamen erudito homini Paulo Manutio visum est. Nam quod perraro factum poetæ fabulantur, quo ore id Cicero dixisset sæpe fieri? Melius igitur Victorius, qui id iampridem ad serpentes retulerat: quos carminibus flecti ac consistere opinio est. Gothicarum quidem rerum scriptores narrant vrsos ita delectari tibiarum, & fistu-

larum pastoriciarum sono, vt, cum in pastores impetum fecerint, sæpe ab eis cantu mulceantur: atque hanc vtilissimam pastoribus eius regionis rationem esse expediendæ ab vrsorum impetu salutis suæ. Vix tamen est, vt existimem id Ciceroni notum fuisse. Illa autem de Homeri patria ita in eodem illo libro leguntur: *Homerum Colophonii ciuem esse dicunt suum: Chii suum vindicant: Salaminii repetunt: Smyrnæi vero suum esse confirmant.* melius omnino, quam vt vulgo *consitentur*. Quis enim in significatione gloriationis, confitendi verbo vtitur? Quod autem statim sequitur: *Itaq; etiam delubrum eius in oppido dedicauerunt*: caussa nulla est, cur mutetur. Quamuis enim ceteræ quoque Homerum suum esse cōtenderent, non tamen Ciceroni propositum fuit eas omnis vrbes nominare, quæ sibi summum illum poetam vindicarent. Et notum est apud Smyrnæos Homeri delubrum fuisse. Strabo libro quartodecimo: ἔστι δὲ καὶ βιβλιοθήκη καὶ τὸ ὁμήρειον, στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν ὁμήρου καὶ ξόανον. μεταποιοῦνται γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ. καὶ δὴ καὶ νόμισμά τι χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς ὁμήρειον λέγεται. Cuius me loci admonuit, vnumque eius generis æreum nummum peruetere m ostendit idem ille, quem antea nominaui, summe doctus & summe in amicos officiosus Vrsinus. Puto etiam in eadem oratione ita legendum: *Nam si Ilias exstitisset, ille idem tumulus.* non vt vulgo: *Nam si Ilias exstitisset illa.* Sed hoc leuiusculum est, & coniectura tantum nititur. Ad ipsum autem orationis finem ita vulgo legitur: *Hæc vero siue a meo sensu post mortem afutura sunt: siue, vt sapientissimi homines putauerunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt: nunc quidem certe cogitatione spéq; delector.* Sed a libro vetere abest vox *animi*, quod verius puto. ita enim veteres loquebantur: Horatius,

L. 3. Car. od. 30.

> *Non totus moriar, magnaque pars mei*
> *Vitabit Libitinam.*

Ouidius:

L. 15. Metã. extremo.

> *Parte tamen meliore mei super alta perennis*
> *Astra ferar.*

Sequitur locus, qui valde torsit & alios homines eruditos, & ipsum in primis Manutium; vbi ita Cicero: *Quare conseruate iudices hominem pudore eo, quem amicorum studiis videtis comprobari tum dignitate, tum etiam venustate.* Manutius autem ita: Quem hic locum habet *dignitas aut venustas*? [illegible] valere debet ad conciliandam Archiæ iudicum voluntatem pudor ipsius & ingenium, plurimum vero ipsa caussa: quibus singulis aliquid ad[illegible], quo [illegible] eant illustrius. at hæc, *tum dignitate, tum etiam venustate*, [illegible] quo modo intrusa, prorsus nuda sunt. Vt omittam, quod ille loquendi modus, *Conseruate hominem tum dignitate, tum etiam venustate*, mihi quidem parum satisfacit. Adde, quod venustas iucunda quædam vel in vultu vel in corporis motu species est, quæ ad commen-

commendationem Archiæ, præsertim ætate prouecti nihil pertinet: Itaque prorsus videtur abundare. glossema dicerem, si, quo adiungi posset, viderem. nam glossemata quæ vocant, interpretãdi caussa ponuntur. Sed ita hic aperta sunt omnia de pudore Archiæ, de ingenio, de caussa, vt nullum interpretationis lumen desiderent. Hoc tamen, quicquid est, & omnino, quæcumque sentimus & scribimus, ita probamus, dum ne hominibus eruditis, & in hoc studiorum genere exercitatis improbanda videantur. Hæc Manutius, vt homo disertus ac copiosus multa; vt in loco deprauato, non multum opis adferentia. Ego rem paucis expediam. Vox *studiis*, abest ab omnibus antiquis libris. Delenda igitur: & pro *venustate*, legendum *vetustate*. Hoc enim dicit: pudorem & integritatem morum in Archia cõprobari amicorum ipsius tum dignitate tum vetustate. Luculli enim & Metelli & Catuli, & alii præterea viri grauissimi, quos antea nominarat, non tantum Archiæ amici, sed veterrimi amici erant. Numquam autem ille, nisi plane vir bonus fuisset talium virorum amicitiam, aut tam facile comparare, aut tam diu conseruare potuisset. Vocem *studiis* redundare, viderat & alius: sed inepte in talibus viris, quasi in pulcellis pueris, venustatem commendari, non viderat. Idque illorum qui eum nouerant, nemo miratur. Nescio, an hoc quoque addere debeam; quod paulo post legitur: *Quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti atq; dicti*: nõ esse, cur quisquam calumnietur. Ita enim & pro Marcello: *An ex eo numero, qui vna tecum fuerunt?*

Prouerbium ab aliis prætermissum e Plutarcho.

CAPVT XVI.

Reperiuntur nonnulli homines, qui dum faceti ac dicaces videri volunt, nullam salse aliquid dicendi occasionem prætermittunt, maluntq; sæpe amicum, quam dictum perdere; faciliusq; flammam ardentem in ore, quam dictum aliquod aculeatum cõtinerent. Talis erat ille, de quo Horatius:

dum modo risum — Lib. 1. Sa. 14.
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico. — vers. 34.

Neque in priuatos modo ac sortis suæ homines, sed & in principes immoderata illa maledicendi libidine abutuntur: non cogitantes, quam stultum sit scribere in eos, qui possunt proscribere; &, vt Cicero alicubi loquitur, gladio ἀντιμυκτηρίζειν. Vitæ igitur periculo dicacitatis famam aucupantur, sparguntq; voces per iugulum fortasse redituras: ac plerumque leuissimæ rei, vt Plato ait, verborum grauissimas pœnas sufferunt. Ac ne mortui quidẽ aliam mercedem ferunt, quam vt de eis dicatur, quod de Tantalo Euripides,

ἀκόλαστον ἔχει γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον. — Oreste Prolo.

Eiusmodi homines Plutarchus in commentario, quo tradit qui-

Pag. 117. edit. H.S.

bus notis adulator ab amico discerni queat, ait, τὴν [illegible] ἔρχεται ἀπεχθῶς ὀρχεῖσθαι. Quod cum prouerbii figuram habere videatur, quæsiui nuper, num in illam præclaram congeriem adagiorum, quę Florentię cum tot speciosis ac magnificis titulis impressa tum primum prodierat, relatum esset. Sed hoc dum quæro, ea vidi, quæ vidisse piguit. Neque ego vllum vnquam inspexi librum, qui magis confirmaret vetus dictum: *Magnus liber, magnum malum.* Sublata quidem omnia, quæ piorum animos offendere poterant existimo: neque dubito, quin Episcopus Regiensis, qua rerum sacrarum intelligentia, & qua in rebus sibi mandatis diligentia, est, quod suarum partium erat, egregie præstiterit: sed vellem aliquid diligentiæ ab aliis collatum ad ea quoque tollenda, quæ ineruditis errorem obiicere, eruditis nauseam mouere possent. Nam cum is, qui primus aliquot prouerbiorum millia collegerat, qui vtinam aut ne attigisset vnquam theologica, aut in eis religiosius & sincerius versatus esset, homo, qui neque legendo expleri, neq; scribendo defatigari posset, multa in illo præcipiti scribendi calore male interpretatus esset, multa coniecisset in illum aceruum prouerbiorum, quæ prouerbia non erant: decuit certe vtriusque incommodi partem aliquam ab eis tolli, qui prouinciam illius operis perpurgandi susceperant: & in eorum quæ detracta essent, locum substitui, si qua ab eo omissa viderentur. Nunc omnes fatuas interpretationes intactas reliquerunt, eisque tamquam sacris pepercerunt: quæ prouerbia non sunt, non tantum non resecuerunt, sed multa præterea, vt liber grandior fieret, addiderunt: & tamen sic quoque multa, quæ vere prouerbia sunt, omiserunt. Ac vellem suum cuique tribuissent, eorum saltem, quorum nomina damnata non sunt. Ita enim sciret quisque, quid in quoque aut laudaret aut reprehenderet. Nunc quicumque rudem illam & indigestam molem congessit: Paulum enim Manutium fuisse, nemo mihi vnquam persuaserit; qui etiam breui scripto testatus est, se ea tantum, quæ imprimenda acceperat, aliis imprimenda dedisse: credo, quod ipse non satis digna pleraque iudicaret, quæ typis suis excusa legerentur: ille igitur ἕλκων ἐφ' ἑαυτὸν, ὡς καικίας νέφη, omnes omnium reprehensiones in caput suum traxit. Cum enim nobis interdictum sit lectione aliorum omnium librorum, quibus prouerbia explicantur, quicquid stolide, quicquid imperite, quicquid ineleganter dictum erit, id scilicet ei vni, cuius ille liber est, imputari oportebit. Ita homines interdum, dum aliorum gloriam ad se trahere conantur, alienæ stultitiæ succidanei, vt Plautus loquitur, fiunt. Sed hæc, si videbitur, alias. Nunc, quod cœperamus, exsequamur: Quorum puteorum neque obstructa ora sunt, neque crepidines paulo altius exaggeratæ: neq; denique quidquam est, quod obiectu suo prohibeat, ne quis in eos incautior prolabatur, quales multos ruri videmus

demus, si qui circa eos choreas agant, magnū periculum adeunt, ne, dum progrediuntur, regrediuntur, corpus in orbem mouent, saltitant, in puteum delapsi mergantur. Prouerbii igitur vsus esse poterit in eos, qui per ludum ac lasciuiam tale aliquid factitant, vt eo ipso se in magnum aliquod periculum coniiciant.

De libro Prouerbiorum nuper edito Florentia.

CAPVT XVII.

NE quis me putet, quæ superiori capite dixi de Florentina Prouerbiorū editione, sine caussa dixisse, & alienæ industriæ iniquum existimatorē fuisse: proponam hic aliquot exempla, vt quidq; occurret: non enim mihi tantū est otii, vt plures horas ea in re perdere libeat: ex quibus illa vere ac merito dicta esse intelligatur. Atque vt hinc exordiar: ait alicubi in Odis Horatius, se Veneri sacrificare velle, quam in se nimis sæuam experiatur: sperare autem, vbi ei hostiam mactauerit, illam sibi leniorem fore. Atq; hoc ita exprimit: *Mactata veniet lenior hostia.* Inde Erasmus, aliud cogitans, prouerbium fecerat, *Mactata hostia lenior.* & adfirmarat, dici de spontaneis ac mansuetis. Nonne oportuit tam ridiculam interpretationē tolli ab iis, qui a se falsas interpretationes sublatas esse profiterentur? Nam si quis vel inspecto Horatii loco, non viderit, quam hoc ridicule dictū sit: prope est, vt alia prouerbii figura dicat aliquis, minus ei esse sensus, quam mactatæ hostiæ. Plautus ludens dixerat Amphitruonem suam neq; tragœdiam, neque tamen plane comœdiam fore, sed tragocomœdiam. Isti hanc ipsam vocem *κωμῳδοτραγῳδίαν*, prouerbium esse dixerunt, de re, quæ ex lætis simul & tristibus constaret. Quis igitur modus prouerbiorum scribendorum futurus est, si talia quoque prouerbia accipimus? Cognouerant ex Varrone, in bulgam seu vesicam olim condi solitos nummos, statim natū prouerbiū est: *Ad oculos magis, quā ad vesicā pertinet.* Quo præclaro prouerbio quis, quæso, vnquā antiquus scriptor vsus est? Saltem vnū citassent. Eiusdem generis sunt illa: *Fluuii cursus nō detorquendus: Pauca male parta, multa bene cōparata perdunt: Cōscientia crimen prodit: Patere legem, q̄ ipse tulisti. Pendere pecus, nō radi debet: Temporibus seruire decet: Pygmæi vel Thiodamas cum Hercule: Amor fit ira iucundior: Voluptas malorū esca:* & talia *ὅσα κόνις*. Vt enim quibusdam hominibus male affectis, quicquid edunt, in bilem aut in pituitam, ita istis, quicquid legunt, in prouerbium vertitur. Versus est Catulli ex Epithalamio: *Omnia omnibus annuit.* Descripserunt ad verbum, quæ ego abhinc viginti annos ad eum versum scripseram, eaque pro suis sumentes, nouum prouerbium concinnarunt. Versus est, opinor, Euripidis:

ἐπ' ἐχθροὺς θυμὸς ὁπλίζει χέρα. id est,
In hostes ipsamet ira armat manum.

Eum isti ita verterūt, *in inimicitias armabit ira manus* Quid illa?

L. 1. Car. Ode 19.

Amphitruone Prologo.

Φῶς ἀγαθόν: *Manuarium as: Sternutauerunt Amores: Bilis in naribus: Planus semel crura fregit: Absens heres non erit: Oleo fraudare lucernas:* & illa, *Noxa caput sequitur: Herculis clypeum: Ab aula recessit: Lenato vels de caussa cognoscere:* & illud omnium stultissimum *Lex Africani:* & qualia in eo libro tam multa sunt, vt ea quærere, sit aquam in mari quærere; tanti fuerunt, vt propter tales nugas librum in tantam molem excrescere oporteret? Addam pauca quædam, vt occurrent, & si potero, insignia: quanquam ita multa sunt insignia, vt hoc ipso difficile sit reperire, quæ dicantur insignia. Versus est Luciani: Πώγωνα τίλλεις κουρίων ὑπ' ὠλέναις. Hunc quidam ex illis prouerbium facit, & ita vertit *Barbam vellis a puerorum vlnis.* Quot verba, tot peccata. Πώγωνα, id est *barbam* interpretatur pilos, qui in vlnis nascuntur. nihil ineptius. Τίλλεις, non est *velle*, sed, *vellis.* Ridicule autem κουρίων facit κούρους: id est, *ex tonsoribus, pueros.* Et ὑπ' ὠλέναις, inepte interpretatur, *ab vlnis:* cum ὑπ' ὠλέναις κουρίων, sit, *sub manibus tonsorum.* Versus est Aristophanis, principio τῆς εἰρήνης Αἶρ' αἶρε μᾶζαν ὡς τάχιστα τῷ κανθάρῳ. Eum aiunt isti ab eruditis prouerbii loco referri. Quæro, qui sint isti eruditi: aut quis vnquam idoneus auctor hoc versu, vt prouerbio, vsus sit. Erasmus in quodam versu scripserat. facile videri, prouerbia scribere; idque se non negare: sed difficile esse chiliadas scribere. At si talia prouerbia recipiamus: iam non chiliadas, sed myriadum myriadas scribere facile fuerit. Quanto enim iustius in hunc ordinem referetur illud ex Pluto?

Principio fabulæ.

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν ὦ Ζεῦ καὶ θεοί,
Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.

Vt dicas prouerbii vsum esse posse in eos, qui seruiunt libidinoso amori, aut auaritiæ, aut deniq; alicui cupiditati. & illa ex Nebulis:

Principio.

Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ. τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν, ὅσον
Ἀπέραντον. οὐδέποθ' ἡμέρα γενήσεται;

Vt dicas prouerbio vti posse aliquem, qui, exempli caussa, doleat, tot gentes hæreticorum præstigiis occæcatas tam diu in tam crassa errorum caligine versari: cuiq; longum videatur, dum eis veritas illucescat. Sed num quid commode in varios sensus flecti potest, statim prouerbium est. *Insuere in saccum vel culeum,* ait, quicunque est ex illis parœmiologis, vulgo dicimus, pro circumuenire aliquem vel ludere. Nescio an ita loquantur in Germania, aut in alia quapiam gente, vnde est, quisquis est, qui hoc scripsit? Sed ego putabam non Germanica, aut Gallica, aut Italica, sed Latina tantum, & Græca vetera prouerbia eo libro contineri. Latini autem de parricidis loquentes, dicunt quidem eos in culeum insuendos esse, non tamen ludo, neque vt eos circumueniant: neque hoc prouerbio dicunt. Plato libro decimo De Rep. dixerat poetarum metra, spoliata musices coloribus, similia esse eorum vultui, qui ætate quidem integra sunt, sed formosi non sunt: id est, τοῖς τῶν ὡραίων προσώποις, καλῶν δὲ μή. οἷα γίγνεται ἰδεῖν, ὅταν αὐτὰ τὸ ἄνθος προλίπῃ. Illi prouer-

bium

bium fecerunt: *Formosus sine pulcritudine*, in eos, qui pigmentis exoticam, ita enim loquuntur, formam adsciuerunt. Persarum reges, quibus a populis potestatem omnium rerum sibi tradi volebant, ab eis symbolice per legatos terram & aquam petebant: quam qui dabant, significabant, se imperium accipere. Res vulgo nota est. Isti prouerbium fecerunt, *Terram & aquam poscere*; & *terram & aquam dare*, pro, bellum alicui inferre, & bellum cum aliquo suscipere. *Massilienses mores* colere dixerat Plautus in Casina eum senem, qui armigeri filio sibi pro puella supposito facere id voluerat, quod nouæ nuptæ solet, eo respiciens, quod Massilienses, etsi ab aliis, vt seueri prædicantur, mollitiei tamen nomine male audiebant, vt est apud Athenæum, credebanturque γυναικωνῖτιν. At isti *Massilienses mores* apud Plautum, optimos & probatissimos interpretantur. S. Hieronymus verba, quibus vsus erat Iouinianus, irridens, ita scripserat: *Rogo, quæ sunt hæc portenta verborum? quod ve scriptionis dedecus? Nonne vel febrem somniare eum putes, vel arreptum morbo phrenetico, Hippocratis vinculis alligandum?* respiciens videlicet ad ea vincula, de quibus Hippocrates ἐν τῷ κατ' ἰητρεῖον. At isti, quæ argumentis fortissimis reborata sunt, vel scripturarum testimoniis, ea tradunt ab Hieronymo dici vinculis Hippocratis alligata. Quod si quis obstinatius defendere audeat, ipsemet vinculis Hippocratis alligandus esse videatur. Sed hæc hydra quædam est: quo plura capita amputaueris, plura succrescunt.

Sc. vbi tu: &, qui c.

L. 1. aduersus Iouinianum, non longe a principio.

Dictum elegans Io. Antonii Lucatelli episcopi Venusini.

CAPVT XVIII.

Vere & grauiter dicere solitũ memini Io. Antonium Lucatellum, & virum & philosophũ optimum, qui postea episcopus Venusinus fuit, tunc autẽ in familia magni illius Hippolyti Cardinalis Ferrariensis mecum amicissime cõiunctissimeq; viuebat, quod Socrates in cibo ac potu faciendũ esse monuisset, id cõtra fieri oportere in iis, quibus animus aleretur. Etenim apud Xenophontẽ Socrates eos cibos summo studio vitandos esse dicit, quibus etiam qui nõ esuriunt, ad edendũ prouocantur: & eos potus, qui etiam nõ sitientem adducunt, vt bibat. Contra autem ii sermones vtilissimi sunt, atq; omni studio cõsectandi, qui in animis languentibus excitant cognitionis & scientiæ cupiditatem.

Emendatus Plauti locus e Bacchidibus.

CAPVT XIX.

Demus aliquid istis, qui Plautum alieno labore emendare cupiunt. quod, cum libuerit, vt solent, arripiant pro suo. Versus sunt e Bacchidibus:

Postquam aurum abstulimus, in nauem conscendimus,
Domum cupientes. forte vt adsedi in stega,
Dum circumspecto: atq; ego tuum lembum conspicor,

Sc. Ibo in Piræeum.

Longum est rigorem maleficum exornarier.

1. Georg v. 203. Vbi illud *Atque*, ita positum est, vt in illo Virgilii,

Atque illum in praeceps prono rapit alueus amni.

Sed hoc fortassis omnes vidēt. eorum autem versuum postremum, quis, quæso, intelligit? *Srigas* vocabant mulieres maleficas, quæ etiam noctu volare arbitrabantur. Eodemque modo *strigones* homines maleficos: quorum vocabulorum vtroque hodieque vulgus in Italia vtitur. Vafer igitur ille seruus, quē lembū maleficum vocaturus erat, quod eo piratas vectos esse simularet, eum prius, quasi idem valente vocabulo, strigonem nominauit: vt plane legendum sit hoc modo:

Longum, strigonem, maleficum exornarier.

Loci quidam ex Oratore Ciceronis ad Brutum illustrati.

CAPVT XX.

M. Cicero etsi de laudibus suis non inuitus prædicabat, potiusque in eam partem peccabat, vt in eis immodicus atque immoderatus esset: semper tamen diligenter cauit, ne ubi ingenii laudem arrogaret: potiusque videri voluit labore & diligentia, quam ingenii præstantia aliquam dicendi facultatem consecutus. Intelligebat enim nihil esse inuidiosius, quam de ingenio suo gloriari: cum quauis laude facilius homines aliis, quam laude ingenii cedant, vt vere cecinit Martialis:

Lib. 8. epigr. ad Ciriniū.

Aurum & opes & rura frequens donabit amicus.

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Cicero pro Quinctio. pro Archia. 1. Tuscul.

Nota igitur illa sunt: *Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparaui:* &, *si quid est in me ingenii, iudices: quod sentio quam sit exiguum:* &, *Aristoteles ait omnes ingeniosos melancholicos esse: vt ego tardiorem esse me non moleste feram:* & similia. Sed & in Oratore ad Brutum locus quidam est, in quo sibi ingenii laudem detrahit: quod tamen eo minus animaduertitur, quia locus ille aliquot vocibus mancus ac mutilus legitur etiam in iis libris, qui cum librorum veterum aceruis collati esse dicuntur. Ita enim cum vulgo scriptum videas: *Atque haud scio an plerique nostrorum Oratorum ingenio plus valuerint, quam doctrina; itaque illi dicere melius præcipere, nos contra fortasse possumus.* Sed complures iam anni sunt, cum Alexander Glorierius tunc quidem magnæ spei adolescens, nunc autem vir clarissimus, quique magnis in rep. muneribus præfectus, concitatæ iampridem exspectationi præclare omni ex parte respondeat, librum veterem mihi vtendum dedit, in quo ita integrius & emendatius legebatur: *Atque haud scio an plerique nostrorum oratorum, contra atque nos, ingenio plus valuerint, quam doctrina. Itaque illi dicere melius quam præcipere: nos contra fortasse possumus melius docere.* Eodem illo in libro ita scriptum erat: *Quomodo enim vester Axilla Ahala factus est, nisi fuga literæ vastioris?* Quam literam etiam e maxillis,

& axillis,

& axillis, & vexillo, & pauxillo consuetudo elegans Latini sermonis euellit. & paulo infra: *decemvirorum stlitibus iudicandis*: non vt vulgo, *litibus iudicandis*. Neque hæc indigna visa sunt, quæ adnotarem.

M. ANTONII MVRETI I.C. AC CIVIS R.

VARIARVM LECTIONVM Liber Decimus tertius.

Nigidii rationes quædam quibus contendebat natura inesse in vocibus vim significandi. vnde sumta sint, indicatum.

CAPVT I.

Leui prorsus & futili argumento visus est P. Nigidius, vt doceret nomina, & verba naturalem quandam significandi vim habere, non quæ eis hominum arbitratu, quasique conuentione quadam imposita esset. scripsit enim id perspici posse ex vocibus, *Ego, Tu, Mihi, Tibi, Nos & Vos.* itemque ex Græcis prouocabulis, quæ idem valerent. Nam, *Ego, Nos, Mihi,* neq; profuso intentoq; flatu vocis, neq; proiectis labiis pronuntiari, sed & spiritu & labiis quasi intra nosmetipsos adductis atque compressis. At cum *Tu, Tibi, Vos,* dicimus, labias sensim primores emoueri, ac spiritũ atque animam porro versum, & ad eos quibus cum loqueremur, intendi. Dignum sane argumentum, quod ex multis seligeretur a Gellio, eiq. præter cetera lepidum & festiuum videretur. Existimo autem illud, qualecunque est, e Chrysippi fontibus haustum ac deriuatum fuisse. qui cum superiorem animi partem, id est, τὸ ἡγεμονικὸν, in corde, non in cerebro, esse contenderet: vel ex eo id colligi posse dicebat, quod cum dicimus, *Ego*, natura ipsa duce, & ita quodammodo cogente natura ipsius literæ, quæ eius vocis princeps est, mentum deorsum ad pectus, & ad cor mouemus: vt quasi nutu ostendamus eam partem, qua præcipue sumus, id quod sumus: *Mens enim cuiusque,* ait Cicero, *is est quisque.* Addebat illud quoque, naturale esse, vt de nobis loquentes, nosque ipsos ostendere volentes, digitum indicem ad pectus referamus, non ad caput. ex quo effici, vt natura ipsa quodammodo docere videatur, præcipuę partis, & eius quæ hominem constituit, non in capite, sed in corde, sedem ac domicilium esse. Quoniam autem videbat Chrysippus, promtam ac paratam esse ἔνστασιν aduersus illud prius argumentum ex voce ἐκεῖνος, cuius idem esset principium, quod τῆς ἐγώ: subiecerat pulcram sane & ingeniosam dissolutionem. neque enim tantum priorem syllabam vocis *Ego* ita cõ- Lib. 10. ca. 4.

formatam esse, vt eam qui proferret, nuc: se, id est, pectus suum ostenderet: verum & posteriorem, id est syllabam *τυ*, nihil habere, vt ipse loquebatur, apostematicon, id est, quo quidquam extra nos positum indicaretur. At vocem *ἐκεῖνος* incipere quidem ab eadem syllaba; sed sequi statim syllabam *κεῖ*: in qua inesset vis quædam significandi aliquid a nobis seiunctum ac separatum. Hæc tam ingeniose fatua vix a summis viris dicta crederemus, nisi ex Varrone didicissemus, nihil a quoquam ægroto somniari posse tam stultum, quod non aliquis Philosophorum serió dixerit.

Virgilii locus e sexto Æneidos illustratus.

CAPVT II.

QVid est, quod doctissimo poetarum Maroni, qui infantes mortui sunt, eos dies ipsa abstulisse dicitur? noti enim sunt versus illi e sexto diuini poematis:

Lib. 6. Æn. V. 426.

> *Continuo auditæ voces, vagitus & ingens,*
> *Infantumque animæ flentes in limine primo,*
> *Quos dulcis vitæ exsortes, & ab vbere raptos,*
> *Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo:*

& existimo, eum ad consuetudinem & ad opinionem veterum respexisse: apud quos, qui iuuenes immaturam, vt videbatur, mortem obierant, albescente cœlo, ante solis exortum, a propinquis efferri solebãt: quod nefas opinarentur, tanti mali, tantæque calamitatis spectatorem ac testem esse solem: Atque eam ob causam dies ipsa eos auferre ac rapere dicebatur: quod vt primum dies apparere cœperat, auferebantur. Qua de re ita Eustathius. φασὶ γὰρ ὅτι τοὺς ὡραίους νέους, ἅμα ἡμέρᾳ ἐξανάγειν ταφῇ οἱ παλαιοὶ ... ὃν ἥλιον ... τοιοῦτον κακόν. διὸ καὶ ἐλέγετο ἁρπάζειν αὐτοὺς ἡ ἡμέρα. Sic raptum ab aurora, quæ eadem & dies est, Orionem fabulantur. Atq. hoc colore vsus est Nero, cùm Britannicum fratrem suum, qua nocte veneno sustulerat, ea ipsa humandum curauit. Qua de re ita prudẽtissimus historiæ scriptor Tacitus. Nox eadem necem Britannici & rogum coniunxit. & paulo post. Festinationem exequiarum edicto Cæsar defendit, id a maioribus institutum referens, subtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinere.

Lib. 13. Annalium.

De Anchisæ morte varia veterum Scriptorum sententia.

CAPVT III.

VAria admodum & inter se discrepantia de morte Anchisæ, qui Æneæ pater fuit, veteres prodiderũt. Sunt enim, qui annos nactum octoginta in Phrygia obiisse dicunt; ostenduntque tumulum ipsius in monte Ida: vbi pastores & bubulci quotannis per ... solenne sacra faciant. Pausanias mortuum in regione Arcadica tradit, antequam in Siciliam perueniret: sepulturamque in

Arcadicis.

mõte, qui ex eo Anchiſias vocetur. Virgilius in Sicilia, quam opinionem νεωτέρων ἔργον eſſe ait Euſtathius. Cato, vt a Seruio relatum eſt, cum Ænea filio in Italiam perueniſſe. *5. Æneid.*

Verſus Græcus in eos, qui robuſti cum ſint, mendicant tamen, emendatus.

CAPVT IV.

MEndicos quoſdam videmus, qui mendicandi victus quaſi artem quandam factitant, quiq; cum robuſto ſint corpore, & validis lacertis, languori tamen & ignauiæ ita dediti ſunt, quiduis vt malint; quam labore & induſtria ſua ſibi, vnde viuant, quærere. eis vetere verſu iubemur panẽ dare: & inſuper quaſi pro opſonio pugnum impingere: illud quidem; quia homini panem petenti negare, vix hominis videtur: hoc autem, vt diſcant ab illa fœda parandi victus ratione abſiſtere, & intelligant ſe bonis omnibus merito odioſos eſſe. Verſus Græcus hic eſt:

Δὸς ἄρτον πτωχῷ, καὶ κονδύλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ. *Apud Euſtathium.*

eſt autem verſus ἀκέφαλος, vt cuius prima ſyllaba breuis ſit. Aliter eum ab Euſtathio & legi, & exponi ſcio; ſed vt ſuum cuique mea mihi interpretatio magis arridet.

De loco quodam Horatii aduerſus ſententiam cuiuſdam, qui eum corrupit, diſputatum.

CAPVT V.

HOratius cum veteres tragicos ac comicos Latinos in componendis Iambicis verſibus mire negligentes fuiſſe dixiſſet: indignamq; eis veniã datam eſſe: quærit, num idcirco ſi quis ſcripturus ſit, eorum negligentiam imitari debeat, &, vt Teucer ſub Aiacis clypeo, ita ſub auctoritate eorũ latere, an potius imitari ſeueritatem ac diligentiam Græcorum, qui tantam ſibi licentiam non ſumſerunt, ſed verſus ſuos multo certioribus, multoque arctioribus legibus adſtrinxerunt. Tum ſubiicit, eum, qui nihil aliud in ſcribendo ſtudeat, niſi vt tutus ſit a reprehenſoribus, & vt ſe aliorum exemplo tegat, neque vlterius caueat, quam ne quid admittat, in quo veniæ ſpem promtam ac paratam nõ habeat, nullam laudem mereri: ſed vt liberaliſſime cum eo agatur, hoc tantum dici poſſe, eum vacare culpa. Hortatur ergo Piſones, ne id ſibi ſatis eſſe ducant: ſed verſent diurna ac nocturna manu Græcos poetas, & ad eorum exemplum ſcripta ſua dirigere conẽtur. Verſus autem, quibus id præcipit, hi ſunt.

Non quiuis videt immodulata poemata iudex: *Arte Poet. v.263.*
Et data Romanis venia eſt indigna poetis.
Idcircone vager, ſcribamq; licenter: an omnes
Viſuros peccata putem mea? tutus & intra
Spem veniæ cautus, vitaui deniq; culpam,
Non laudem merui, vos exemplaria Græca

Nocturna versate manu, versate diurna.

Tutus, inquit, id est, si tantum me tutum alieno exemplo præsti-tero. & si cautus fuero intra spem veniæ: neque aliud cauero, qui ne illos quasi cancellos & limites transiliam, intra quos eandem veniam sperare possum, quæ iam aliis ante concessa est: culpam denique vitasse non laudem meruisse dicar. Quæ sententia cum & vera, & perspicua sit; quidam tamen, qui eam non intelligeret, ausus est locum deprauare: & vbi recte legebatur, *intra spem veniæ*, quasi pro imperio iubere, vt legatur, *extra spem veniæ*. Verba eius subieci; e quibus hominis & cautio, & modestia cognoscetur. Mendose in omnibus libris legebatur, *intra spem veniæ cautus*. quæ scriptura mire torsit eos omnes, qui in hanc Epistolam commentarios scripserunt. Ego autem coniectura ductus, & ab ipsius veritatis voce admonitus, locum corruptum ita emendaui: *& extra spem veniæ cautus*. Neque hoc satis. addit sanctionem: Si quis dissentire audeat, e doctorum numero summorum it. Sed ipsum audire præstat: *Sic, inquit, legendum; quicquid obstrepant semidocti, seu potius indocti quidam. Nam quid peius sit lectione vulgata?* Hæc ille. Mihi vero siue semidocto, siue etiam, si quis ita malit, indocto sesquidoctus ille plane extra spem veniæ peccasse in Horatium non hoc tantum loco videtur.

Alius Horatii locus illustratus.

CAPVT VI.

Horatii versus sunt e primo Epistolarum:

Lib. 1. ep. 19. v. 32.

Rupit Hyarbitan Timagenis æmula lingua,
Dum studet vrbanus, tenditque disertus haberi.

Quos in versus decuit interpretem illum, qui quicquid vsquam viderat, legerat, audierat, somniauerat, αὐτῷ τῷ θυλάκῳ in commentarios suos congerebat, de Timagene, si quid haberet dicere. Et tamen in priori editione silentium: in posteriori pauca quædam ex Suida. Prætermittenda certe non erant, quæ de eo leguntur apud Senecam Libro tertio De ira: ex quibus & Timagenis maledicentia & contumax animus, & Augusti comitas ac facilitas optime cognoscitur. Addi poterant & illa Plutarchi, ex libro De discrimine adulatoris & amici Τιμαγένης ἐξέπεσε τῆς Καίσαρος φιλίας, ἐλεύθερον μὲν οὐδέν ποτε φωνῇ χρησάμενος. ἐν δὲ τοῖς συμποσίοις, καὶ τοῖς περιπάτοις ἑκάστοτε προφέρων, οὐ σπουδῇ ἀλλ' ὅ, τι οἱ εἴσαιτο γελοίιον Ἀργείοισιν, αἰτίαν φιλίας, ὥσπερ πρόφασιν λοιδορίας προέμενος. Sed non dubito, quin hæc quoque habuerit in scidis & aduersariis suis: in quibus iam pridem notauerat, quicquid alii aut iam dixerant, aut quandoque dicturi erant.

Iliad. 17. vers. 215.

Illustratus locus Tibulli.

CAPVT VII.

Lib. 1. eleg. 3.

Distichon est Tibulli ad amicam:

Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante:
Sed videar cœlo missus adesse tibi.

ıs priorē partem interpretati sunt alii ex Plutarcho: eam vi-
et Romanorū fuisse consuetudinem, vt domum ex peregri-
one redituri præmitterent, qui vxoribus nuntiarent ipsos ad-
are, siue vt illæ se diligentius ad viros decenter excipiendos
ararent: siue ne viri tanquam de illarum pudicitia dubitan-
inito eas opprimere velle viderentur: siue, vt quidā alii dixe-
ne repentina vis gaudii ex subito virorum aspectu eas gra-
aliquo incommodo adficeret. Sed ad posteriorem versum
adhuc, quod sciam, quidquam notauit, quo is illustrior fi-
Sciendum igitur est, fuisse illud vulgare loquendi genus, vt
missos dicerent, quos inopinato viderent. Neque mihi hoc
postulo, sed graui & erudito scriptori Minucio Felici, qui
ibit in Octauio: *In hodiernum, inopinato visos cœlo missos;*
les & ignotos terræ filios nominamus.

Refutatum impudens & impium mendacium Petri Criniti.

CAPVT VIII.

rus Crinitus Florentinus patrum nostrorum memoria li-
os aliquot scripsit De honesta disciplina: de quibus in vni-
n quid sentiam non habeo necesse dicere. Illud quidē certe
non potest, multa in eis vulgaria pro reconditis, falsa pro
oua pro veteribus legi, quale est turpissimum illud & im-
tissimū, vt ipse vocat, Senatus consultum, ex quo concin-
aput octauū libri vndecimi: quod nemo nisi plane obesæ
on statim animaduertit, nihil prorsus redolere antiquita-
aut ab ipso Crinito confictū esse, aut, quod credibilius est,
lone aliquo, qui ipsi Crinito illudere voluerit. At hoc qui-
ō magni momenti est: nisi quod talia indigna certe erant,
ferrentur in eos libros, quorum inscriptio honestam disci-
pollicerentur. Illud grauius & acriori reprehēsione dignū,
eritus non est optimo & religiosissimo imperatori Theo-
iolatæ Religionis crimen adfingere. Etenim libri noni
tradit Valentem & Theodosium Augustos ita scribere ad
ium præfectum prætorio; & si ipse quidem Eudoxium nō
at: *Cum sit nobis cura diligēs in rebus omnibus superni numi-*
ionum tueri: Signum Saluatoris CHRISTI nemini quidē
mus, coloribus, lapide, aliaue materia fingere, insculpere, aut
Sed quocunq; reperitur, tolli iubemus, grauissima pœna eos
do, qui contrarium decretis nostris & imperio quidquam ten-
r. Atq; id referre se ait ex libris Augustalibus: ita enim, in-
adam ostentatione, Codicem Iustinianeum vocat, nolens
rato nomine appellare, vt reconditos aliquos libros tra-
deretur. Sed profecto dignus fuit, qui falsi pœna plectere-

tur, ausus sanctissimæ Cōstitutionis verba corrūpere, & eā ad laicam pietatē detorquere. Ita enim legitur in Codicis Iustin. aut libro primo, titulo octauo: *Impp. Theod. & Valent. AA. Eudoxio PP. Cum sit nobis cura diligens, per omnia superni numinis religionem tueri: Signum Saluatoris CHRISTI nemini licere vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculpere vel pingere: sed quodcunque reperitur, tolli: grauissima pœna multando eo, qui contrarium statutis nostris tentauerit. specialiter imperamus. Dat. 12 Kal. Iun. Hierio & Ardaburio Coss.* Ac ne quis fortasse putet, aliā veterum librorum scripturam fuisse: habeo ipse Codicem scriptum annos ab hinc fere sexcentos, in quo plane eodē modo, vt in vulgatis, legitur. Licuerit fortasse Crinito in rebus ludicris ac leuibus, leges, ac Senatusconsulta contingere: certe in re ad cultum diuini numinis pertinente, imperatoris commemorabili pietate ac religione præditi constitutio corrumpenda non fuit.

Puerorum lusus, quibus maximi momenti negotia præsignificata sunt.

CAPVT IX.

SOlent pueri interdum colludētes imitari ea, quæ maxime seria sunt; neque raro animaduersum est, eorum ludicris quandam futuræ sortis ac conditionis significationem contineri. Romulus certe, cum adhuc ignarus suæ originis inter pastores educaretur, rex ab illis per ludum creatus, & per eam occasionem ad magnū patruum perductus, puerilis simplicitatis præsagitionem re ac factis comprobauit. Quod ipsum & de Cyro aliisque proditum nouimus. Sed & L. Septimium Seuerum, qui postea Romano imperio præfuit, tradit Spartianus, cum adhuc puerulus esset, nullum alium ludū inter pueros exercuisse, nisi ad iudices: cum ipse præeunte fascibus ac securibus, ordine puerorum circumstante, sederet ac iudicaret. Quod autem his omnibus multo maius ac præstantius est, sanctissimo viro Athanasio summus ordo in Ecclesia Dei puerili quodam ludo præsignificatus est. Nam cum eum æquales sui, festo quodam die in litore maris colludentes, Episcopum creassent: & ad eum alios quosdam puerulos nondum baptizatos perduxissent: ipseque eos, obseruatis ad vnguem omnibus Ecclesiasticis ritibus salutari aqua tinxisset: Alexander episcopus Alexandriæ, qui totum illum ludum eminus spectauerat, atque etiam a principio iniquo animo tulerat; eum, vocatis ad se pueris, rem totam diligenter cognouisset: pronuntiauit, pueros illos rite baptizatos videri, neque amplius baptizandos esse, adiicienda tantū ad illud mysterium ea, quæ more atque instituto Christiano a sacerdotibus ob ... Eius aūt Alexandri, S. Athanasius successor fuit. Neque absimile est, quod de S. Ambrosio Episcopo

Medio-

Digitized by Google

Mediolanensi S. Paulinus Nolanus Episcopus memoriæ prodidit, cum adhuc puerulum solitum esse, quasi per iocum manus sororibus suis osculandas dare; cum sacerdotibus eum honorem ab illis tribui videret; nam se aliquando Episcopum fore.

Locus Demosthenis a Cicerone, singulari artificio expressus.

CAPVT X.

NOn quicquid more fit, iure fit: aliudq; multo est, solere aliquid fieri, & aliud licere. & hæc tamen turpiter factis excusatio plerunq; prætexi solet: neq; fere quisquam est, quin iniuriã sibi fieri putet. quod alii complures diu impune fecerint, hoc a se potissimum eius vlciscẽdi ducatur exordiũ. Sed acerrimus ac pugnacissimus oratorum Demosthenes, quem perturbant amicus quidam meus Aristotelem oratorum vocat, quod, vt in Aristotele, ita in Demosthene nihil otiosum, nihil redundans reperiatur, densa & compacta omnia & neruorum ac virium plena: is igitur grauiter labefactat ac concutit hanc rationem defendendi, eiusque fundamenta, impacto huius vehementissimi enthymematis quasi ariete quodã subruit: οὐ γὰρ εἴ τι πώποτε μὴ κατὰ τοὺς νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτο ἐμιμήσω, διὰ τοῦτο ἀποφύγοις ἂν δικαίως, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἁλίσκοιο· ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἑάλω, σὺ ταῦτα οὐκ ἂν ἔγραψας, οὕτως ἂν σὺ νῦν ἁλῷς, ἄλλος οὐ γράψει. quæ ita Latine reddita sunt a Fabio: *Non enim si quid vnquam contra leges factum est, idq; tu es imitatus; idcirco te conuenit pœna liberari: quin e contrario damnari multo magis. Nam vt si quis eorum damnatus esset, tu hæc non scripsisses: ita si tu damnatus fueris, non scribet alius.* Summus autem Latinus orator, vt peritum imitatorem decet, vim quidem ac pondus sententiæ retinuit: sed eam, toto dicendi genere immutato, suam fecit. Ita enim scribit libro tertio accusationis: *Quid igitur dices? fecisse alios? quid est hoc vtrum crimini defensio, an comitatus exsilio quæritur? Tu in hac repub. atq; in hac hominum libidine, & vt adhuc habuit se status iudiciorum, etiam licentia, non ex iure, non ex æquitate, non ex lege, non ex eo quod licuerit, sed ex eo, quod aliquis fecerit, id quod reprehenditur, recte factum esse defendes?* & paulò post: *Vt ego adsentiar orationi, defensionem tamen non probabo. Potius enim te damnato, ceteris angustior locus improbitatis defendendæ relinquetur, quam te absoluto, alii, quod audacissime fecerunt, recte fecisse existimentur.* Talium exemplorum collatione velim studiosis eloquentiæ adolescentibus veram & rectam imitandi rationem indicari, non vt a plerisque fieri video: qui cum, vt picæ & psittaci, easdem voces redundent, magnos se luculentorum scriptorum imitatores arbitrantur.

Oleum nunquam conglaciare: contra quam a Gellio proditum est.

CAPVT XI.

SÆpenumero miratus sum quæstionem, quam Gellius libro 18.
propositam esse dicit in cœna Athenis apud philosophũ Tau-
rum, cur oleum sæpe & facile, vina rarius congelascant. ac do-
luit mihi, quod puer ille, qui emtum oleum ierat, tam cito redi-
isset, aut non alicubi guttum fregisset in via: erat enim tanti, cor-
rumpi ollam illam lentis Ægyptię, & cucurbitę, dum quæstiones,
quæ propositæ erant, explicarētur. Saltem olla vacua, pleno ven-
tre rediissent ad disputationes institutas. sed, vt opinor, vna cum
olla deferbuerat etiam ardor disputandi. Equidē ita semper acce-
pi ab iis, quibus omnis prope census in oleo est, oleũ frigore cras-
sescere quidem, sed nunquam congelascere Quin & ii, qui con-
glaciare vsquam negant mare, inter ceteras eam quoq; caussam
adferunt, quod innatet mari pinguis quidam & olei similis hu-
mor. Et Heracleo in Iliados ψ, nunquam ait conglaciare oleum,
propter calorem, qui ei admistus est: τὸ ἔλαιον, inquit, οὐκ ἀποκρυ-
σταλλοῦται, πολὺ ἔχει ἐν αὐτῷ τὸ θερμόν. Et hoc philosophus Taurus
cognoscere potuerat ex Aristotelis libro quarto Meteorologi-
con, vbi docet summus Philosophus, ὅτι ὑπὸ ψύχους πήγνυται τὸ ἔ-
λαιον, ὅτι ὑπὸ πυρὸς, ἀλλὰ ὑπ' ἀμφοῖν παχύνεσθαι. propterea quod
aeris plenum sit: ex quo etiam fieri, vt aquæ innatet: quod ipsum
& libro secundo De generatione animalium, vbi ita legi-
tur, ἐν τοῖς ψύχεσι δὲ καὶ πάγοις παχύνεται τὸ ἔλαιον, πήγνυται δ' οὔ·
διὰ γὰρ τοῦ θερμότητα οὐ πήγνυται. ὁ γὰρ ἀὴρ θερμὸν & ἀπηχθεῖν. Ac dicere,
Gellium ita intellexisse, non plane in crustam concrescere oleũ,
sed crassius ac densius fieri, nisi puerum aperte vtentem fecisset
verbo κεκρυστάλλωται.

Iucunda narratio super ambiguitate vocula cuiusdam, qua duobus eruditissimis hominibus errorem obiecit.

CAPVT XII.

INterpretabar nuper publice librum Senecæ, quo sanctus ille
Philosophus quærit, quare mala bonis viris accidant, cum sit
Prouidentia. Cumque ventum esset ad eam partem, in qua ipse
grauiter insectatur luxum temporum suorum, accidit, vt ego
quoque in eo loco tractãdo enumerarem multa genera peregri-
narum auium, quas veteres Romani e remotissimis totius orbis
partibus petitas mensis inferre soliti essent. Venit ad me triduo
post vnus eorum, qui tum interfuerant, homo & suo iudicio eru-
ditissimus, & meo non ineruditus. Isque cum aliquot e famili-
bus meis mecum vna esse vidisset, dissimulanter quidem, sed ita
tamen, vt artificiũ appareret, cœpit operam dare vt sermo noster,
aliis de rebus susceptus, in mentionem eius disputationis, quæ
triduo ante a me habita erat, sensim delaberetur. Tum quasi oc-
casionem nactus ostentandæ eruditionis suæ: Nollem, inquit, a
te, tum prætermissam vnius auis mentionem, ex qua vna incredi-
bilis

bilis veterum libido in exquisitis dapibus conquirendis vel maxime cognosci poterat. Quam, quæso? inquam, Phœnicem, inquit ille. Obsecro te, etiam Phœnicem illi esitabant? certe inquit. Neque multi, inquam, neque sæpe id facere poterant. aiunt enim eam auem vnicam toto orbe reperiri, & viuere annos, opinor, sexcentos sexaginta, & cum ipsa sibi rogum construxerit, funusque fecerit, tum eodem illo ex rogo renasci. Sed ego figmenta esse illa poetarum putabam. Tu vero, quem, vt illos raræ inuentu dapes, ita omnia in studiis rara & exquisita delectant, ede nobis nomen gulonis illius, qui tanti putauerit palato gratificari, vt tam pulcram auem in perpetuum sustulerit: certe enim cum vnica toto orbe sit, neque nisi ex se renascatur, interfecta vna, totum genus exstinctum est. Atque ea fortassis caussa est, cur nullus iampridem Phœnix reperiatur. Ludis tu quidem, inquit ille, & solita illa tua dissimulatione vteris: sed si tum inspexisses librum Plutarchi De valetudine tuenda, didicisses ex eo, istius auis, quam tu nullam esse putas, cerebrum dulce quidem esse, sed dolorem capitis inducere, quod tam grauis auctor nunquam prodidisset, nisi saltem ab iis, qui id gustassent, audiisset. Illud vero, inquam, magis etiam mirum fuerit, qui semel eum cibum gustassent, neque enim potuere sæpius tam cito, & tam distincte naturam illius percipere potuisse. Nam ego ita ex Aristotele didiceram, e memoria eius, quod sæpe eodem modo contigisset, experientiam, e multis autem, (scio hoc Latinum non esse, sed dabitis veniam) experientiis artem effici. De isto, inquit, tu videris: mihi satis erit, si tibi Plutarchi locum ostendero. Simulque librum e sinu protulit, in quo cum aliis quibusdam erant & ὑγιεινὰ Plutarchi, Erasmo, vt puto, interprete: nomen enim ita deletum erat, vt tamen ex ductibus literarum agnosceretur. In eo autem ita plane scriptum legebatur: *Nam Phœnicis cerebrum cum sit admodum dulce, tamen aiunt capitis dolorem parere.* Homo igitur qui tam vnam ob caussam venisset, atque id vnum operis habuisset, cum dicto, vix salutatis nobis, caussatus sibi nescio quid negotii esse, discessit. Eo digresso visum est iis qui aderant, etiam Xylandri interpretationem inspicere. Is autem ita locum illum reddiderat: *Cerebrum Phœnicis dulce admodum est, sed dolores capitis inducere fertur.* Tum ego, Vna, inquam, Græca vox paulo negligentius expressa, videte, quantum errorem & sodali illi nostro, qui modo discessit, & fortasse etiam aliis obiecerit. φοῖνιξ enim Græce palma est, cuius arboris non tantum fructus esui sunt, sed etiam medulla, quam & Græci ἐγκέφαλον & Latini cerebrum vocant. De illa aũt loquitur Plutarchus, non de Phœnicis commenticiæ auis cerebro. Theophrastus libro secundo περὶ φυτῶν, vbi de Palmarum generibus agit: ἐκ γὰρ ἐξαιρεθέντος τοῦ ἐγκεφάλου, ζῶσι, καὶ κοπέντες ἀπὸ τῶν ῥιζῶν παραβλαστάνουσι. Plinius: *Sunt & cadua Palmarum quo-*

que silua germinantes rursus ab radice succisæ. Dulcis medulla [illegible]
in cacumine, quod cerebrum appellant: exceptaq; viuunt, quod non
alia. Meminit & Galenus libro octauo de Facultatibus simplici-
um medicamentorum, & alii. Quod autem hic ait Plutarchus e
Xenophonte videlicet sumsit, apud quem id relatum est lib. o se-
cundo Anabaseos.

Quiddam de Vrsorum adipe dictum a Theophrasto, non satis ex fide a Plinio relatum videri.

CAPVT XIII.

Videtur Plinius non semper inspexisse veterum libros, cum
quæ ab eis scripta erant, referre vellet: sed interdum nimis
fidens memoriæ suæ quædam non satis fideliter tradidisse. Quale
Cap. 3. est, quod scribit libro octauo, Theophrastum credere, certo quo-
dam tempore anni quo latere vrsi, & supra modum pinguescere,
altissimo somno oppressi soleant, coctas quoque eorum carnes, si
asseruentur, increscere. Neq; enim id Theophrastus de coctis car-
nibus, quod prorsus incredibile est sed περὶ στέατος, id est, de adipe
dixerat. Adscribam verba nobilissimi Philosophi ex libro De o-
doribus, vt ea politissimus & accuratissimus interpres Turnebus
reddidit: ita enim nunc quidem malo, quam Græce: *Haec, modi*
autem naturæ consensio atque contagio in aliis etiam quodammodo
euenit. Vinum enim cum vua efflorescens tentari videtur: & alia
cepaq; tum acerrimi sunt odoris cum in terra germinant. Sed præterea
accidit, vt vna etiam ipsa germinent: atq; omnino omnia, quæ tanti-
cata constant radice, modo non exaruerint, germinationis tempore mo-
uentur: cum insita cuiq; vis sollicitatur & excitatur. Sed omnium il-
rum admirationem facile superat, quod in adipe vrsino euenit, qui
latebrarum tempore exundans, intumescensq; vasa implet. Theo-
phrasti verba paulo altius repetii, vt e similium collatione magis
intelligeretur id, quo de agebatur.

Cur maior in nonnullis ciuitatibus, quam in aliis, exsistere fortium virorum copia soleat, ex Hippocrate explicatum.

CAPVT XIV.

Qvod lauti ac sumtuosi homines facere in cibis solent, vt iis,
quæ in mari nascuntur, magis in mediterraneis, quæ in ma-
ritimis locis gaudeant: contraque cum in mari versantur, iis ve-
scantur libentius, quæ nisi in cõtinenti reperiri non solent, vt ipsa
peregrinitas pro condimento esse, & cibis præcipuam quandam
gratiam conciliare videatur: idem ego in studiis interdum facio &
si quid aut apud Grammaticos, quod ad ius ciuile, aut apud phy-
sicos, quod ad politicen; aut deniq; apud quemque, quod ad aliam ar-
tem quam eam, quæ ab eo præcipue tractatur, pertineat, reperio,
eo mirifice capior: multoq; magis afficior, quam si idipsum re-
perissem apud alium scriptorem, cuius ea tractatio propria esset.

Vt nuper, cum quæstionem politicã, & magni quidem momenti, deprehendi a principe medicorum Hippocrate verissime ac sapientissime explicatam. Cum enim constet, maiorem copiam virorum fortium exsistere solere in ciuitatibus liberis, quam in iis, quæ vnius dominatu tenentur: vt in historiis veteribus multo plures legimus Athenienses, Lacedæmonios, Romanos, quam Assyrios, Persas, Medos, fortitudinis laude excelluisse: quæri non iniuria potest, quæ id caussa efficiat. Ait igitur Hippocrates id ex eo euenire, quod homines pro suis quam pro alienis commodis, pro sua quam pro aliena gloria, longe alacrius atque animosius pugnant. In iis autem ciuitatibus, quæ suis legibus viuũt, si quid bello partum sit, eius intelligit quisque ciuium aliquid ad se pro virili parte pertinere. At vbi summa rerum omnium penes vnum est, ibi labores quidem militares, & pericula, & vulnera, & cædes pertinent ad eos, qui imperio subsunt: gloriæ autem & imperii amplificatio, & omnis denique fructus, qui ex victoria capitur, ad eum vnum redit, qui ceteros oppressos tenet, eosq; habet in mancipiorum, aut in pecudum loco. Hęc in hanc fere sententiam disputantur ab Hippocrate in libello, quo explicat, Quid efficiant cœli, aquarum & locorum varietates.

Bacidos tres.

CAPVT XV.

Recte iudicauit P. Victorius, apud Aristotelem in Problematis, vbi vulgo legebatur, σίβυλλαι καὶ βακχίδες, legendum esse, βάκιδες. Sed non veram caussam reddidit, cur Aristoteles Bacidas, ac non potius Bacidem dixerit. Putauit enim, vnum quidem fuisse Bacidem: sed numero multitudinis, nota figura vsum, summum Philosophum dixisse Βάκιδες, cum intelligeret non illum solum, sed cetros omnes eius generis atque illi similes. Id autem secus est. Duo enim Bacides fuerunt: quorum vterq; futura prænoscere ac prædicere putabatur. Docet id Clemens Alexandrinus, cuius hæc verba sunt e primo στρωματέων. Ἤδη δὲ καὶ παρ' Ἕλλησι χρησμολόγοι συχνοὶ γεγονέναι φέρονται, ὡς οἱ Βάκιδες, ὁ μὲν Βοιώτιος, ὁ δὲ Ἀρκὰς, πολλὰ πολλοῖς προαγορεύσαντες. Sed & tertium Atheniensem addit Philetas apud Suidam. Bœotii tamen frequentissima apud veteres mentio. Lib. 26. c. 26.

Locus Virgilii e Thucydide effictus.

CAPVT XVI.

Qui collegerunt indicaruntq; locos Virgilij ex aliis scriptoribus expressos, ad illum versum ex quarto Æneidos,

Ille dies primus lethi, primusq; malorum Vers. 169.
Caussa fuit,

alii alia notarunt. Ego autẽ existimo, Virgilium habuisse tunc in animo dictum Melesippi Spartiatæ, qui principio belli Peloponnesiaci, cum ad pertentandos animos Atheniensium missus esset:

cumque illi inauditum statim ad suos redire iussissent, ex Atticæ finibus excedens dixisse fertur, illũ diem Græcis magnorum malorum principium fore. qua de re ita Thucydides libro secundo: ὁ δ' ἐπειδὴ ἐπὶ τοῖς ὁρίοις ἐγένετο, καὶ ἔμελλε διαλύεσθαι, τοσόνδε εἰπὼν ἐπορεύετο, ὅτι ἥδε ἡ ἡμέρα τοῖς Ἕλλησι μεγάλων κακῶν ἄρξει. fuit autem Virgilius grauissimi illius rerum scriptoris studiosissimus: vt multis, certisque argumentis perուinci facile potest.

Probam vocem esse, Exanclare, & temere ab aliis damnatam.

CAPVT XVII.

EXantlandi verbum nunquid a Latinis scriptoribus vsurpatũ sit, pro certo & explorato statuere non ausim. Si quis tamen ex me, quid sentiam, roget, peregrinum esse existimo: & Græce quidem recte dici ἐξαντλεῖν: sed Latine loquenti *exanclare*, non *exantlare*, dicendũ. Quo magis miror, quid acciderit cuidã, qui eam vocem: ipsa enim hominis verba ponam, neque ab vlla Latina, neque ab vlla Græca voce originem habere posse, & ex totius linguæ Latinæ finibus ablegandam esse, audacter pronunciauit. Poterat certe, qui tam multis locis alienam in hoc genere audaciam accusat, ipsemet modestius loqui. Sed nõ est nouum, vt quo quisq; vitio maxime laborat, eius se in aliis acerrimum ac vehementissimum reprehensorem profiteatur. Ἀγκύλον curuũ est: & inde est *angulus* & *ancylia*, scuta vt ait Nonius, grandia: & *ancyle* vt ait Hesychius, poculi genus: id est, vt ego arbitror, scutella: & inde est Latinis *anculare*, id est, haurire: & συγκεκομμένον *anclare*, & *exanclare*, id est, exhaurire: eadem forma, qua *popinum* pro *populo*, & talia multa dicebãt. Neq; hæc vel ex Festo & Nonio ignota esse debebant. Itaq; apud Plautum, Ciceronem, aliosque scriptores Latinos vbicunque *exantlare* legitur, vna litera mutata *exanclare* legendum puto.

Emendatus e Plauti Bacchidibus locus.

CAPVT XVIII.

THesaurum quendam malorum Plautinæ fabulæ continent: ita quo plura in eis hulcera coeunt, ac consanescunt, eo plura erumpunt ac deteguntur. Itaque non est verendum, ne iis, qui ex veterum scriptorum emendatione ingenii gloriam aucupantur, quid agãt, desit. Vt omnes omnia cõterant, vnus eis Plautus satis superque negotii vsque & vsq; exhibebit. Quando igitur nos quoque in eis quorundam opinione cculemur: agedum, opis ei aliquid pro nostra virili parte quantuis ea cumque est, adferamus. Mnesilochus in Bacchidibus cum amorem suum, quem per literas sodali Pistoclero, commendarat, recte & cum cura ab eo procuratum esse audiisset: itemque bonam sibi operam a seruo Chrysalo datam in reperiẽda techna, qua partem au-

gento interuenteret, negat, committendam sibi esse, vt ingratus habeatur: ideoque diligenter sibi videndum, quomodo gratiam Chrysalo referat. id exponit his versibus:

Nam vt in Ephesum hinc abis, hoc factum est ferme abhinc biennium. Bacchid. Sc Multimodi
Ex Epheso huc ad Pistoclerum meum sodalem literas
Misi, amicam vt mihi inueniret Bacchidem, illum intelligo
Inuenisse, vt seruus meus mihi nuntiauit Chrysalus.
Condigne is quam technam de auro aduersum meum fecit patrem,
Vt mihi amanti copia esset. Sed eccum video incedere.

Sed quis, quæso, ille est, quem ait videre se incedere? certe enim neque patrem suum, neque sodalem, neque Chrysalum videt: quos nominarat vnos. Atque hoc non modo non emendauit is qui se Lynceum, ceteros Hypsæa cœciores putabat, sed ne mendum quidem subesse animaduertit. Legendum autem videtur hoc modo:

Sed æquum id eii reddere.

Idque aperte declarant, quæ statim subiicit:

Nam pol meo quidem animo, ingrato homine nihil impensiu'st.

Illa autem deprauata scriptura exstitisse videtur ex eo, quod paulo post scriptum est:

Vt ut eris, moneo, haud celabis. Sed eccos video incedere
Patrem sodalis, & magistrum. hinc auscultabo, quam rem agant.

Loci aliquot veterum scriptorum apud Nonium emendati.

CAPVT XIX.

Corpora nostra vi animi moueri, ex se autem immobilia esse dixerat Varro, Mutuum muli scabunt. cuius ea de re verba citantur a Nonio, sed ita deprauata, vt difficile sit eorum sententiam consequi. leguntur autem in voce Grallatores, hoc modo: *Grallatores, qui gradiuntur grallis, quæ sunt perticæ ligneæ ab homine isto qui in ista tangitantur, sic illi animi nostri sunt, galea crura ac pedes nostri essiarexινητοι: sed ab animo mouentur.* Puto autem ita emendari posse, partim veterum librorum auctoritate, partim cõiectura fretus: *Quæ sunt perticæ ligneæ sine animo: sed ab homine, qui in iis stat, agitantur. sic illi animi nostri sunt: grallæ, crura ac pedes nostri, ex se ἀκίνητοι: sed ab animo mouentur.* Aliter diuinarat Iunius. Erit igitur aliorum iudicium. Addam & corollarium ex eodem Grammatico in voce Deprecor: vbi enim legitur, *Ennius: Eripite o eius nũc ærumnam a libertate para quibus seruitutem meam miseram deprecor:* ita emendat Iunius:

Ennius: Eripite o ciues quibus

Nunc aerumna mea libertatem paro,
Quibus servitutem mea miseria deprecor.

Ego, Ennius Erechtheo:

Quibus nunc aerumna mea libertatem paro.

In ceteris Iunium sequor. In voce Obscenum: versus Lucilii ita lego:

Vociferatum, atque opere magno edicit is
Per urbem, ut omnes, qui arcem alltuq; accolunt.

Non, ut Iunius, *Arpinatem & Aricinam*: quorsus enim necesse est praecones, quibus per urbem aliquid edicendum est, in Elidem & in Hispaniam mittere? Video haec quam levia & pusilla sint: sed, ut horum temporum mos est, talia multa ab aliis quoque in censum deferuntur.

De Nili & Istri magnitudine non idem videri sentire Sallustium & Arrianum: tum poenae cuiusdam militaris ratio aliter, quam a Gellio, explicata.

CAPVT XX.

A. Gellius lib.10.c.7.

TRia maxima Europae flumina esse Nilum, Istrum, & Rhodanum, traditum est; sed principem locum omnes tribuunt Nilo. Ab eo autem secundum Istrum facit Sallustius. At Arrianus Istrum omnium maximum esse affirmat his verbis: ἀπὸ δὲ τῆς μάχης τριταῖος ἀφικνεῖται Ἀλέξανδρος ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν Ἴστρον, ποταμῶν τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην μέγιστον ὄντα καὶ πλείστην γῆν ἐπεξερχόμενον. hoc igitur appingi poterit ad ea, quae de his fluminibus tradit Gellius capite septimo libri decimi. Sed & hoc, quod dicam, adiici poterit ad id caput eiusdem scriptoris, quod proxime sequitur. Ibi enim sanguinis missionem narrat fuisse olim inter ignominias militares: neque caussam eius rei ullam a veteribus proditam esse. Se igitur putare id factum, quasi minus sani viderentur omnes, qui delinquerent: ob idque tali purgatione egerent. Ego autem potius id factum puto, ut sanguinem, quem cum gloria fundere pro patria noluerant, eum cum ignominia amitterent.

M. ANTONII MVRETI I. C. AC CIVIS R.

VARIARVM LECTIONVM Liber Decimusquartus.

Duo gravissimorum scriptorum loci, quorum in utroque eadem macula haeserat, emendati.

CAPVT I.

VEreor interdum, ne sint quibus hoc totum scriptionis genus leve ac contemnendum esse videatur, quod ad maculas e ve-

terum libris eluendas refertur. Vt enim vera sint quæ scribimus: fere tamen, simulatque quis vnam aut alteram literam vocemue in libro suo, aut mutauerit, aut deleuerit, aut addiderit, in singula horum librorum capita concerpat licet: vt quorum vix vsus præterea vllus esse alius possit. Sed tamen si quis tecum reputet, primum, quanta vtilitas ex veterum scriptorum lectione capiatur, deinde, quantam difficultatem deprauata scriptura illorum studiosis exhibere soleat, magnam gratiam habendam esse iudicabit iis, qui suo labore laborem aliis minuunt, & in quibus ipsi fortassis aliquando hæsitarunt, in eis ne alii quoque hæreant, elaborant. Quaipse fretus, subsiciuis horis, eorum librorum, quibus olim vius sum, oras inspicio, & si quid in eis notatum video, quod vsui etiam aliis esse posse arbitrer, colligo: atque ita hæc qualiacumque concinno: vt, si minus ipse de meo excudere possum digna, quę legantur, at certe aliquid efficiam, quo ii qui lectione digna, scripserunt, facilius intelligantur. Nunc igitur duos locos indicabo, quorum in vtroque Διάνοια legitur, cum vtrobique ἄνοια legi debeat: idque eo libentius faciam, quod in vtroque & eruditissimi interpretes lapsi sunt: neque id isti animaduerterunt, qui, quasi ipsi nusquam offendant, exultant in aliorum erratis, eaque inimico orationis genere tam cupide persequuntur. Eorum prior est apud Thucydidem lib sexto, in oratione qua Alcibiades aduersus Niciam de mittendis in Siciliam copiis disserit. Cum enim prior eum tetigisset Nicias, quod maiores sumtus, quam pro re faceret: respondet delicatus ac sumtuosus adolescens, sumtus illos ad ostentandam externis hominibus ciuitatis magnitudinem ac potentiam pertinere: neque illam imprudentiam inutilem esse (ita enim εἰρωνευόμενος vocat) cum quis sumtibus suis non sibi solum prodest sed etiam ciuitati. Verba eius hæc sunt: καὶ οὐκ ἄχρηστος ἥδ' ἡ ἄνοια, ὃς ἂν τοῖς ἰδίοις τέλεσι μὴ ἑαυτὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν πόλιν ὠφελῇ. Ita enim legendum esse, non vt omnes peruulgati libri habent, Διάνοια vel de scholiis Græcis intelligi poterat, in quibus ita notatum est: εἰρωνεύεται ὁ Ἀλκιβιάδης, λέγων ὅτι, εἰ καὶ ἀνόητος φαίνομαί ποτε, ἀλλ' οὖν τῇ πόλει οὐκ ἄχρηστός μου ἐστὶν ἡ ἄνοια, ἀλλὰ καὶ ὠφέλιμος. Idemque plane confirmat, quod in eadem oratione haud ita multo post legitur: καὶ ταῦτα ἡ ἐμὴ νεότης καὶ ἄνοια παρὰ φύσιν δοκοῦσα εἶναι, ἐς τὴν Πελοποννησίων δύναμιν λόγοις τε πρέπουσιν ὡμίλησε, καὶ ὀργῇ πίστιν παρασχομένη, ἔπεισε. Alter locus est in libello, qui Plutarchi quidem non videtur, sed inter ipsius opuscula tamen legitur, De liberis educandis: vbi grauiter peccare ostendit eos, qui paruulos quidem liberos sub magistris ac pædagogis habent, sed puberes iam factos, suo more ac modo viuere patiuntur: ait enim, eos non animaduertere, se in eo imprudentiæ ac temeritati licentiam ad faciendas iniurias dare. Atque hoc exponit his verbis, ὅταν δ' οἱ μὲν τῆς ἡλικίας ταύτης ἐρρωμένως αἱ πλημμελούμενοι τῇ ἀνοίᾳ διδόντες

ἐξουσία

ἐξουσίαν ἐπὶ τῷ ἀδικήματι, λαμβάνειν. Sed hic quoque τῇ ἀλγεινῇ perperam in vulgatis libris legitur.

Illustrati loci duo ex Æneide.

CAPVT II.

NIhil temere aut inconsiderate a Virgilio dicitur: omnia propriis & accommodatis ad id, quod agitur, vocibus exprimuntur: &, vbi minime putes, aliquid plerumque reconditæ eruditionis latet. Vt in illis versibus e sexto Æneidos:

Vers. 140.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore fœtus

Nemo, quod sciam, veterum, ac ne Fuluius quidem aut Gellius notarunt, cur *operta telluris* dixerit. Bonam deam & Tellurem eandem esse, vel ex Macrobio constat. Vbi autem Bonæ deæ fiebat, opertum vocabant, quo viris ingredi nefas erat. Cicero primo Epistolarum ad Atticum: *Quasi in operto dicas fuisse*. Et in Paradoxis: *Vt, si in opertum Bonæ deæ accessisses, exsulares*. Iam igitur constat, cur *telluris operta* dixerit. Sed & in illis e quincto versibus:

1 Satur. cap 12. Epist. 13 Parad. 4.

Vers. 765.
Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Vt veterem esse illam porriciendi exta in mare consuetudinem notarunt: ita vellem, aliquid de fundendi meri consuetudine notassent. Poterant autem e Thucydidis libro sexto: vbi Nicias, Lamachus, & Alcibiades soluentes e Piræeo aureis & argenteis pateris vinum in mare fudisse dicuntur. Verba scriptoris omnium grauissimi hæc sunt: κρατῆράς τε κεράσαντες παρ' ἅπαν τὸ στράτευμα, καὶ ἐκπώμασι χρυσοῖς τε καὶ ἀργυροῖς οἵ τε ἐπιβάται καὶ οἱ ἄρχοντες σπένδοντες. Quod & a Diodoro libro tertio decimo bibliothecæ, in eiusdem historiæ explicatione memoriæ proditum est.

Emendati loci aliquot e tertio libro Ciceronis De officiis.

CAPVT III.

CIceronis e libro tertio De officiis verba sunt: *Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium non licitatorem venditor, nec qui contra se liceatur, emtor apponet. Vterque, si ad loquendum venerit, non plus, quam semel loquetur.* Quibus in verbis memini ab eruditis hominibus dubitatum esse, cur diceretur emtor neminem, qui contra se liceretur, appositurus. Certe enim solent interdum vēditores in auctionibus licitatorem aliquem apponere, qui se emere velle simulet: & pluris liceatur ea quæ venum exposita sunt, quam quanti sunt: vt eo modo ceteri emtores inducantur. Atque hoc sæpe fieri vidimus. Emtor autem cur quæso, quemquam, qui contra se liceatur, apponat? Id enim si faciat, obstabit sibi: neque hoc dubium est, quin qui emere aliquid vult, illud potius optare debeat, vt nemo, qui cōtra liceri velit reperiatur. Quare si qui contra se liceatur apponat, non sibi consulet, sed venditori.

ditori. Quid igitur est? Multa ab istis παραδιορθωταῖς allata sunt, quæ qui accurate refellere velit, ridiculus sit: ita sunt ridicula, insipida & leuia. Peccatum hic est, vt & in aliis libris sæpe, & in Pandectis Florentinis sæpissime, vt semel tantum positæ sint literæ, quas geminari oportebat. Legendum enim est, *qui contra se liceatur*, id est, qui contra asse liceatur. Vt enim venditor dolose apponit, qui pluris liceantur, ita emtor qui minoris: vt sibi facilius res addicatur. Assem autem pro minimo pretio veteres sæpe dicebant: eoque nomine in rebus extenuandis & abiiciendis vtebantur. Socrates apud Varronem: *Asse vinum, asse pulmentarium.* Cato: *Quod non opus est, asse carum est.* In ludicro poemate: *Non assis faciunt, euntque recta.* Catullus: *Omnes vnius æstimemus assis.* Horatius: *In triuiis fixum qui se demittit ob assem.* Persius: *Et centum Græcos curto centusse licetur.* Satyr. 5. vers. 191. *Asse* igitur *liceri*, est pretium rei extenuare & abiicere; quod qui faciat, si emtor apponat, improbe cum factum Cicero putat. In eodem libro, quod vulgo ita legitur: *vt cum omnes simul in rostra post meridiem descenderent*: vetus liber meus habet, *escenderent*. Recte omnino. Neque enim *descendere in rostra* dicebant, sed *ascendere*. *Escendere* autem vetere lingua & *ascendere* idem est: vt alibi docui. In eodem libro ita legitur etiam in libris, qui vt hiantes inducantur emtores, cum totis plaustris librorũ veterum collati esse dicũtur: *Nunc habeo ad vulgi opinionem, quæ maior vtilitas quam regnandi esse possit? nihil contra inutilius ei, qui id iniuste consecutus sit, inuenio, cum ad veritatem cœpi reuocare rationem.* legendum autem hoc modo: *Non habeo ad vulgi opinionem quæ maior vtilitas, quam regnandi esse possit. nihil contra inutilius ei quid iniuste consecutus sit, inuenio, cum ad veritatem cœpi reuocare rationem.* Sed vt pisces sale, ita correctores isti correctore indigent. Quid autem est, quod in versu Ennii, qui eodem in lib. citatur, *fides alma, apta pinnis* dicitur? Plerisq; simulacris Deorum, vt Victoriæ, vt Famæ, affingebant alas: vt Deos vbique præsto esse indicarent. Apta autem *pinnis* est ὑπόπτερος. Appuleius apologia prima: *Si verba, ita vt poetæ aiunt, pinnis apta vulgo volarent.* Expressit autem illud Homericum, ἔπεα πτερόεντα. Attii autem versus eodem in libro ita legendus est:

Neq; do infideli cuiquam, neque dedi fidem.

vt sit senarius.

Addam & alia, quæ cum addidero, sic quoque alia supererunt: ita diligenter præstant isti quæ pollicentur. Vbi ergo de Epicureis ita scriptum est, *Dicunt enim voluptatis magnitudinem doloris detractione fieri*: non *fieri* legendum est, sed *finiri*. Hoc enim dicebant Epicurei, vbi dolor detractus esset, finiri ac terminari, & quo verbo ipsi vtebantur, ὁρίζεσθαι voluptatem: neque crescere amplius, sed variari tantum, id est, ποικίλλεσθαι. Sed & paulo post, vbi vulgo legitur: *Nec vero finis bonorũ & malorum qui simplex esse*

debet, ex dissimilibus rebus misceri & temperari potest. Ibi ergo, si quis attente rem ipsam consideraverit, animadverteret duas illas voces *& malorum* ab hominibus fortasse minime malis, sed certe non satis intelligentibus, additas esse.

Plinii Locus emendatus.

CAPVT IV.

Risi nuper Plinium legens, cum in ea, quae ille de Bonaso refert, incidissem. Haec enim ipsius verba sunt: *Tradunt in Paeonia feram, quae Bonasus vocatur, equina iuba, cetera tauro similem,* Lib. 8. cap. 15. *cornibus ita in se inflexis, ut non sint utilia pugnae. quapropter fuga sibi auxiliari, reddentem in ea fimum interdum trium iugerum longitudine, cuius contactus sequentes, ut ignis aliquis, amburat.* Sane cum mirificum siphonem illius bestiae esse oporteret, quo illa suum illud causticum stercus ad CXX passus, tot enim efficiunt tria iugera, iacularetur. Quae autem ballista aut quae catapulta cum illa ignivoma fistula comparari posset? Sed modestius Aristoteles, qui id ipsum referens, ait Bonasum iacere stercoreum illud incendium εἰς τέτταρας ὀργυιὰς ἀφ' ἑαυτοῦ, id est, ad quatuor passus. Quare aut inde erravit Plinius, aut quod verius puto, peccatum est a librariis: & ubi legitur III. *iugerum*, legendum est IV. *orgyiarum*. Quod autem orgyi nomen in Latine loquentium consuetudine non esset, eam erroris caussam fuisse librariis arbitror.

Plauti loci aliquot illustrati.

CAPVT V.

Epicharmum tradidit Aristoteles, & post eum Demetrius in commentariolo περὶ ἑρμηνείας, risus captandi caussa interdum sententias quasdam ita conformasse, ut e contrariis constare viderentur, cum tamen in eis bis idem diceretur: quarum exemplum hoc uterque ponit: Τόκα μὲν παρ' κείνοις ἐγὼν ἦν, τόκα δὲ παρ' τήνοις ἐγών. Ita enim legendum est, ut trochaici metri ratio constet, quo gaudebat Epicharmus. Risum autem commovet illa stultitiae imitatio, καὶ τὸ παρὰ προσδοκίαν, cum auditor qui aliquid aliud exspectabat, sua se spe delusum videt, quo in genere facetissimum est illud Ciceronis ad Atticum: *Noli putare, pigritia facere me, quod* Lib. 16, Ep. 13 *non mea manu scribam, sed me hercule pigritia: nihil enim habeo aliud quod dicam: & tamen in tuis quoque epistolis Alexin videor agnoscere.* Plautus autem, quem dixit Horatius *ad exemplar Siculi properare Epicharmi*, & frequenter ita ludit: & interdum sine illa simulata contentione contrariorum, ridiculi caussa simulata contentione et huiusmodi enuntiatione ponit, in quib. ut dialecticorum [illegible] niore loquatur idem ut τὸ [illegible], idque non duquam paulo alius, non numquam etiam plane iisdem verbis sic ille in Curculione [illegible]:

Plures homines [illegible] sunt profecti; Ex-

Sc. Quot. hom. ne.

Exspectes dum dicat, ei omnia succedunt sub manum: aut aliquid eiusmodi. at ille,

et, inquit, *non esse iratos puto.*

quod tale est, ac si quis diceret, *Vinum quod album est, nigrum non esse arbitror.* Itaque ridicule quidam illic acutus esse voluit, & argumentari eum, a contrariis dixit. Simile illud e Sticho:

quanta mea sapientia est,
E malis multis malum quod minimum est, id minimum est malum. Pinacium. Sc. Quam mane.

Talia erant illa, quæ ridentur in Stoicis: *Si dies est, dies est. Est autem dies. Est igitur dies.* Cui enim dubium esse potest, quin quod malum minimum est, id sit minimum malum? Sed sunt quidam ψευδογράφοι, qui hæc perinde accipiunt, ac si serio dicerentur. Simile est illud e principio Captiuorum:

Hos quos videtis stare hic captiuos duos, Prolog.
Illi qui stant hi stant, ambo, non sedent.

Hoc enim dicit, eos captiuos, qui illic stāt in conspectu omnium, eos igitur stare, non sedere. neque dictum est, Hos duos captiuos, pro horum captiuorum duorum, vt quidam putat: sed talis verborum constructio est qualis illa,

Vrbem quam statuo, vestra est: 1. Æn v. 573.
& illa,
Eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit? Teren. eunucho est 4. sc.
& in Amphitruone,
Naucratem quem conuenire volui, in naui non erat: 3. sc. Naucratem quem:

Deinde, quasi res dubia sit aut testibus egeat, itidem risus caussa.

Vos vos, inquit, *mihi testis estis, me verum loqui.*

Vbi *Vos vos*, valet vosmetipsi: quomodo *meme* dicimus meipsum, & *tete*, teipsum. Hæc omnia prætermisissem, vt per se vel pueris nota, nisi istos tua & quorundam opinione Lynceos nihil in eis vidisse vidissem.

Dubitatum de iis, quæ tradit Gellius super vi musicorum cantuum in morbis quibusdam sanandis

CAPVT VI.

Apud Gellium cap. 13. libri quarti hæc leguntur, *Creditum hoc a plerisque est, & memoriæ mandatum, ischiaci cum maxime doleant, tum si modulis lenibus tibicen incinat, minui dolores. Ego nuperrime in libro Theophrasti scriptum inueni, viperarum morsibus tibicinem scite modulateque adhibitum mederi.* Hæc Gellius: quæ vereor, vt ab eo satis fideliter relata sint. Certe quidem Theophrastus non lenibus modulis leuari ischiacos scripserat: sed harmonia Phrygia. quæ omnium vehementissima est, & aptissima ad animos audientium diuino quodam furore incitandos. Ideoque eam adhibebant in orgiis Bacchi & Berecynthiæ. & hoc est quod ait Catullus:

De Berecyn-thia.

Tibicen ubi canit Thryx curuo graue calamo.

Et propterea ait Aristoteles tibiam adhibendam esse ἐν αἷς ἡ διάνοια κάτοχος μᾶλλον ἢ ὡς ἂν τῆς μάθησιν. quod non animaduerterunt, qui eum Aristotelis locum interpretati sunt. Verum autem esse, quod dixi de Theophrasto, constat ex his, quæ sunt apud Athenæum libro XIV. ὅτι δὲ καὶ νόσους ἰᾶται μουσική Θεόφραστος ἱστόρησεν ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμοῦ ἰσχιακοὺς φάσκων ἀνόσους διατελεῖν, εἰ καταυλήσοι τις τοῦ τόπου τῇ φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ. Sed & quod statim subiicit de morsu viperarum, vereor ne non de viperis scripserit Theophrastus, sed de iis phalangiis, quæ hodie vulgo Tarantolæ vocantur, quarum morsus hic Romæ, quod sciam, innoxius, in Appulia si negligatur, lethalis est: neque aliud mali visitatius, aut exploratius remedium, quam in citharœdis & tibicinibus: quibus auditis, velut e graui somno excitatus, qui morsus est attonitus & extra se positus saltare ac tripudiare incipit; neque vnquam desinit, dum ne illi quidem intermittant, donec delassatus, ac sudore fluens, prope exanimis concidat. Hoc quidem & certissimum ac notissimum est, & a præstanti medico Matthiolo literis proditum. Apud Gellium autem eodem loco vbi legitur φειλουμένη ἢ λογικῶν, non dubium est, quin λοιμικῶν, non λογικῶν, legi debeat.

Quid significet vox περιπερδίνας.

CAPVT VII.

VErbum περιπερπερεύεσθαι, quo vtitur M. Tullius in Epistola quadam libri primi ad Atticum: (verba eius sunt: *Ego autem ipse, dii boni, quomodo ἐνεπερπερευσάμην nouo auditori Pompeio!*) quoque vsus est & Paulus Apostolus in priore Epistola ad Corinthios; ἡ ἀγάπη, inquiens, οὐ περπερεύεται; raro admodum in scriptoribus Græcis legitur: ideoque varie & a Grammaticis, & ab aliis exponitur. Est autem *iactare & ostentare se, & manu gloriosa fructum ex re aliqua auctitare*. Id didici ex illo vere magno Basilio; cuius hæc sunt ἐν ἀσκητικοῖς. Πᾶν ὃ μὴ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ καλλωπισμὸν παραλαμβάνεται, περπερείας ἔχει κατηγορίαν. Neque vsquam melior eius vocis interpretatio reperiri potest.

Epist. xi.

Loci aliquot ex epistolis ad Atticum emendati.

CAPVT VIII.

EMendabo, aut saltem emendare conabor ex iisdem epistolis aliquot. Libro igitur secundo ita vulgo legitur: *Cura, amabo te, Ciceronem nostrum. ei nos θεῖοι videmur.* vbi quam quæso idoneam sententiam efficere potest illud θεῖοι, siue patruos, siue diuinos interpretere? Sed non libet περιπερδίνας. In libro satis vetere, quo me donauit vir multis nominibus illustrissimus Gulielmus Sirletus Cardinalis, ita scriptum est: *Cura amabo te Ciceronem nostrum* CINOS CVNOCTIN *videmur*. Ex quibus deprauatæ veteris scripturæ vestigiis coniicio legendum: *Cura amabo te, Ciceronem*

Epist. 2.

tem nostrum: cui nos συμπάσχειν videmur. Ægrotabat apud Atticum Q. Cicero Q. F. Eum igitur patruus auunculo diligenter cōmendat: & quo magis declararet suam erga illum voluntatem, ait se sibi videri vna cum eo ægrotare. In ea autem epistola, quæ statim sequitur, vbi vulgati libri habent, *SED ME KATAKPICIC MEA ILLA COMMOVET.* in meo est: *sed me pecus mea illa commouet*, vt suspicer pro κατακρίσεις legendum πάθος: Ita enim veteres, πάθους nomine vitios scio. Illud autem miror in eodem libro a nemine emendatum esse; *Subito cum mihi dixisset Cæcilius quæstor, puerum se Romam mittere, hac scripsi raptim.* Nō enim *subito* legendum: sed S. V. B. quo scribendi compendio significabant, *Si vales bene est*, & ita iampridem emendarat Riuius eodem modo corruptum locum nono earundem Epistolarum. Epist. 6.

E libro quarto earundem Epistolarum emendata alia.

CAPVT IX.

SVppudet me, interdum quædam referre in literas; verentem ne nimis obuia & protrita sint: sed cum in eis animaduerto errasse eos, qui quasi columina quædam literarum habentur; venio in spem fore, vt ea, quamuis leuia & pusilla sint, aliquos tamen inueniant amatores. In epistola quadam libri quarti ad Atticum ita scriptum est in libris Manutianis: *Sed quoniam qui nihil possunt, ii me nolunt amare: demus operam vt ab iis qui possunt, diligamur: Dices vellem iampridem, scio te voluisse: & me ast nugigerum manum fuisse.* sed illud, *ast nugigerum manum*, quid tandem monstri est? Manutius ingenue fatetur, locum sibi depositum ac desperatum videri. Malaspina sane fidenter, *me, ligam germanum* legit: & est qui occinat, nihil hac coniectura diuinius. Eo enim iam stultitiæ ventum est, vt satis non sit in his quisquiliis laudandis dicere eleganter, acute, ingeniose, εὐστόχως: dicendum, nihil diuinius: ne frigide laudasse videaris. In libro Victorii est: *scio te voluisse, & me: Ast num germanum fuisset?* Manutius in quodam se legisse ait: *Ast num ge. asinum germanum fuisset.* meus habet, *Ast num germanum fuisse.* Muta vnam literam vt sit, *& me asinum germanum fuisse*: vitium omne sustuleris. Hoc enim dicit, se merum asinum fuisse, qui bene monenti Attico non obtemperarit. Erat autem illa iocularis contumelia. Terentius: *qui stultus esset, flabellum tenere te asinum tantum*, idem, *Quid? tu asine hunc auscultas?* in eodem autem libro, in epistola cuius principium est, *Epistola tua*, in extremo ita lego: *Quid superest? etiam. Puerum Ciceronem curabis, & nos amabis vt facis.*

Epist. 5.

Eunucho Sc. 5. Act 3. & Adelph. Act. 5. sen. 8.

Ep. 7.

Item alia ex eodem libro.

CAPVT X.

QVando quartus epistolarum ad Atticum est in manibus: vnum etiam locum ex eo emendabo, qui in omnibus editis libris mirabiliter deprauatus est. Legitur autem in libris quidem,

Victorii fere ad finem eius epistolæ, cuius principium est, *Occupationum mearum*: at in aliis, in epistola, O *exspectatam*. Vulgo igitur ita scriptum reperias: *Quid aliud noui? & tamen absoluto Gabinio stomachantes alii iudices, hora post Antiochum Gabinii nescio quem ac centum Gabin i, solidu pictorem libertū, lege Papia condemnarunt. Itaq; dixit statim reus lege maiestatis,* ** ΟΥ COIMPICAMA ΦΙΗΙ. Ego autem ita emendo: *Quid aliud noui? Est tamen Absoluto Gabinio, stomachantes alii iudices*, & quæ sequuntur, deinde Græca illa hoc modo: ΟΥ CY ΜΕ ΠΡΟΙΚ' ΑΦΙΗΙC. Hoc autem dicit, Libertus ille Gabinii, cum patronum suum tam turpiter absolutum videret, se quoque sperabat absolutum iri, etiam si nulla mercede iudices corrupisset. At vbi se præter spem, lege Papia condemnatum vidit, reus factus lege maiestatis, intellexit iudices eadem via sibi expugnandos, qua Philippus Macedo omnia castella expugnari posse dicebat. Itaque cœpit eos circumire, & illam eis cantilenam occentare, *οὐ σύ με προῖκ' ἀφίης*. qua significabat, qui se absoluisset, gratis id facturum non esse. Suspicor autem fuisse hemistichium veteris alicuius poetæ: cuius eadem esset sententia cum illo Homerico, *Ζώγρει Ἀτρέος υἱέ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα*.

Epist. 15.

6. Iliad. v. 46.

E libro quinto earundem emendata quædam.

CAPVT XI.

PErsequar & alia ex iisdem epistolis, dignissimæ enim sunt ad quas perpurgandas omnia ab omnibus conferantur. Quod igitur est in epistola secunda libri quinti in Manutianis, *cum me e grata essem Pansa villa, numquid vellem, rogasset*: certo certius est exturbandum hinc esse *Pansam*. Victoriani & veteres habent, *cum me ex... dum hinc esse Pansam*. Vnius literulæ mutatione locus integer fiet: *vt* ... *se sua villa*. Epistola duodecima vbi vulgo ineptissime: *me exiens e sua villa*. Epistola duodecima vbi vulgo ineptissime legitur: *Itaque erat in animo, nihil festinare, nec me Delo mouere, nisi omnia ἀκρωτήρια sura vidissem* e deprauatis veteris, scripturæ vestigiis q hæc sunt, ΑΚΡΑ ΤΗΚΙΥΡΑ: ex eis igitur legendū puto, *ἄκρα τῆς κυρίας ... ἄκρα τε χωρίς* ... Hoc enim dicit non esse sibi consilium nauigare, nisi serena & tranquilla, ac secunda omnia viderit. In illa quæ sequitur, mirum est homines eruditos, Manutium, Corradum, alios, tam nihil vidisse, vt dum paulum modo vetus scriptura abesset a recto, ipsi tam longe deflexerint. Veteres libri, *Verumtamen Decumanus venissem cum imperio*. At illi, *Verumtamen cum essem Romanus venissem cum imperio*. Erat autem rectum, *Verumtamen decumani, vt si venissem cum imperio*. Ne intellexerunt quidem id quod statim sequitur: *Ex quo te intelligere certo scio, multorum annorum ostentationes meas nunc in discrimen esse adductas*. Quorum verborum sententia hæc est: Et ostentarat se Cicero semper amicissimum ordini publicanorum, & semper item fecutum se instituerat prouincialium commodis. Nunc cum inter de-

Ep. 13.

cet decumanos & prouinciales male conueniret: periculum erat, quicquid inter eos decreuisset in prouincia sua, ne in alterorum offensionem incurreret. Ait igitur, se vsurum ea palaestra quam ab Attico didicerat. Multa sciens praetermitto: neque enim omnia huc congerere decreui. In Epistola *Quam vellem*, ita legitur: *Satis animus: & quia consiliis, vt videmur, bene vtimur, speramus etiam manu: tuto consedimus, copioso a frumento, Ciliciam prope conspiciente, expedito ad mutandum locum.* Sed neque illud *speramus manu*, recte dici arbitror: & illa tam multa epitheta, *tuto, copioso a frumento, conspiciente Ciliciam, expedito,* cum quo cohaereant, non habent. Quid, quod illi ipsi qui ita legunt, fatentur, se hoc excogitasse, cum in antiquis libris exstaret aliud? illi enim habent: *Satis animus: & quia consiliis, vt videmur, bonis vtimur, speramus etiam armo tuto consedimus copioso a frumento.* Vbi si minima mutatione facta legas, *speramus etiam armo tuto consedimus:* recte, vt mea quidem opinio est, legeris. Sic locutus est & poeta: Ep. 18.

Nec venit in mentem, quorum consederis aruis?

Taurum autem montem, vbi tunc erat Cicero, magna ex parte aruum esse, notissimum est vel e Tibullo, cuius illud est, 4. Æneid. v. 39. Lib. 1. el. 7.

Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas.

Emendatus locus e secundo Politicorum Aristotelis.

CAPVT XII.

NOta est lex Pittaci, qua cauerat, vt, qui ebrii peccassent, iis non modo poena non imminueretur, sed duplaretur. Meminit eius Aristoteles tertio Ethicorum, secundo Rhetoricorum, & secundo Politicorum. Nisi quod in politicis dicere videtur, id tantum constitutum in eos, qui ebrii aliquem pulsassent, aut verberassent. Ita enim ait: Ἐγένετο δὲ καὶ Πίττακος νόμων δημιουργὸς, ἀλλ' οὐ πολιτείας. νόμος δ' ἴδιος αὐτοῦ, τὸ, τοὺς μεθύοντας ἂν τυπτήσωσι, πλείω ζημίαν ἀποτίνειν τῶν νηφόντων. Quid igitur, si in alio aliquo genere peccauerint? An tum tantum creicet poena, si quem percusserint? Et verius est, idem in ceteris quoque peccatis constitutum. Nam & in secundo Rhetoricorum, Πιττακὸν dicitur, maiores poenas statuisse, ἐάν τις μεθύων ἁμαρτάνοι. quare non dubito, quin locus ille e secundo politicorum deprauatus sit, vt, vbi legitur ἂν τυπτήσωσι, legendum sit, ἂν ἁμαρτήσωσι. Neque hoc vlla confirmatione egere arbitror.

Qui sint versus ἰσόψηφοι. Declaratum epigramma Graecum. Item aliquot quaestiones ludicrae, quae apud Gellium proponuntur, dissolutae.

CAPVT XIII.

NOn equidem vnquam cuiquam auctor fuerim, vt quaerat apud Homerum versus ἰσοψήφους: si quis tamen neque habet quod agat, & nihil agere non potest, indicabo ei, qui versus

dicantur σύψηφοι: quos si quærere postea volet, præstabo, non de fore illi, vbi se exerceat. Cum igitur literę Græcorum etiam ad numeros significandos, vt notum est, adhibeantur, quorum versuum omnes literæ pro numeris acceptæ eundem numerum efficerent ac constituerent, eos versus ἰσοψήφους vocabant. Eius rei exemplum ostendam in duobus nominibus: eademque declarabo epigramma Græcum incerti auctoris e libro secūdo anthologiæ, quod qui explicarit, neminem adhuc video exstitisse. Primum igitur illud adscribam:

εἰς ἀκτηρύς.

Δαμαγόραν καὶ λοιμὸν ἰσόψηφόν τις ἀκούσας
ἔστησ' ἀμφοτέρων τὸν τρόπον ἐν κανόνι.
Ὡς τὸ μέρος δὲ καθεῖλκεθ' αὐτὸ λχναδεῖν τὸ βάλανθον
Δαμαγόρου λοιμὸν δ' εὗρεν ἐλαφρότερον.

Iocatur quisquis est in flagitiosum quendam, Damagoran nomine, cuius nomen cum pestis nomine ἰσόψηφον esse, quidam cum audisset, quasi in statera expendit ingenium pestis & ingenium Damagoræ: præponderasse autem eam lancem, in quam Damagoræ ingenium impositū erat: quod videlicet multo leuiora essent mala, quæ a peste, quam quæ a Damagora, importarentur. Sunt autem ἰσόψηφα plane nomina Δαμαγόρας, & λοιμὸς, vt e subiecta descriptione perspici potest:

δ	4	λ	30
α	1	ο	70
μ	40	ι	10
α	1	μ	40
γ	3	ο	70
ο	70	ς	200
ρ	100		420
α	1		
ς	200		
	420		

Multum igitur negotii habuit, aut potius multum ei ab re sua otii superfuit, quicumque ille fuit Gellii familiaris, qui conquisierat, quinam ita inter se affecti versus apud Homerum forent. Quod autem præterea notarat, quorum nominum in Homerico poemate reperiretur παρθενοχρις: notat Eustathius, e primis literis quinque primorum versuum vltimi libri Iliados effici nomen λευκή, vbi etiam tradit veteres eiusmodi quæstiunculis lusitare solitos esse, quales aliquot ponit & explicat, leues illas quidem & ludicras, sed tamen cognitu non iniucundas. Nam quod ibidem amicus ille Gellianus quærit, quis Homeri versus sit, qui per singula vocabula singulis syllabis increscat: non dubito, quin is eum significauerit e tertio Iliados,

Vers 182. Ὦ μάκαρ Ἀτρείδη μοιρηγενὲς ὀλβιόδαιμον.

Sed

Sed & illius quæstionis explicationem, qua ratione dicat Homerus, singulas pecudes in Africa, in singulos annos terna parere, reperiet, qui hoc tanti putabit, apud Eustathium in quartum Odysseæ. Leuia hæc esse fateor: sed vt in eis quærendis defatigari stultum fuerit, ita cum se sponte offerunt, non omnino repudianda esse arbitror.

Emendatus locus e septimo Politicorum Aristotelis.

CAPVT XIV.

CVi vnquam vel fando auditum est, vel persuaderi potest, eas domos eaue cubicula, quę Aquiloni exposita sunt, esse ad hyemandum accommodatiora? Certe enim si ita est, magnam hominum partē in magno errore versari necesse est, qui hyeme quidem loca tepida præoptant, æstate autem alsiosa. Notum autem est, quæ ad Aquilonem obuersa sunt, omnium frigidissima esse. Itaq; Horatius villam suam commendans, *Est*, inquit, *vbi plus tepeant hyemes?* Illę vero in locis Aquilonaribus minime tepent. Et Cornelius Celsus ad salubritatem monet habitandum esse ędificio lucido perflatum æstiuum, hybernum Solem habente. Et hoc est quod Aristoteles ait in Oeconomicis, *oportere domum* πρὸς ὑγίειαν εἶναι εὔπνουν μὲν τοῦ θέρους, εὐήλιον δὲ τοῦ χειμῶνος. Quomodo autem ad septentriones exposita, hybernum Solem habitura sunt? Mirari igitur non immerito possit aliquis, cur Aristoteles lib VII. Politicorum, vt nunc quidem libri illi collocari solent: mihi enim dubium non est, quin quartus liber sit, qui vulgo numeratur septimus: sed cur in eo libro, quotuscumq; tandem ille sit, obuersas ad Boream habitationes, aptiores esse dicat ad hyemandum. Nam cum omnium saluberrimas esse dixisset eas, quæ excipiunt eos ventos, qui ab Oriente flant, statim subiicit: δεύτεροι δὲ κατὰ βορέαν εὐχείμεροι γὰρ αὗται μᾶλλον. At quomodo, si Aquilonem spectabunt, futuræ sunt εὐήλιοι? Tales autem, vt ex Oeconomicis retulimus, hyeme esse oportet: sed non dubito, quin vbi legitur εὐχείμεροι, legendum sit, εὐδίεροι quod cum per me suspicatus essem, magis etiam confirmatus sum in sententia, cum veterem interpretem eodem modo legisse animaduerti. Vertit enim, *recentiores*. Sunt autem εὐδίεροι μᾶλλον, altiores & salubriores: quales esse, quæ Aquilonem excipiunt. Si quis forte dubitat, audiat verba Varronis e libro primo De re rustica: *Permagni interest, vbi sint posita villa quanta sint, quo spectent porticibus, ostiis ac fenestris.* An non ille Hippocrates medicus in magna pestilentia, non vnum agrum, sed multa oppida scientia seruauit? Sed quid ego illum voco ad testimoniū? Non hic Varro noster, cum Corcyræ esset exercitus ac classis, & omnes domus repletæ essent ægrotis ac funeribus, immisso fenestris nouis Aquilone, & obstructis pestilentibus, ianuaq; permutata, ceteraque eius generis diligentia, suos comites ac familiam incolumes reduxit.

Hymeraea mulieris de Dionysio tyranno somnium eodem propemodo Graece a Timesia, quo Latine a Valerio relatum.

CAPVT XV.

NOn inutilem studiosis elegantioris doctrinae nauauit operam Sebastianus Corradus, qui breuib. notis ad Valerii Maximi libros additis, aliorū scriptorū locos, vnde ille singula sumsisse videretur, aut certe in quibus eadem historia legeretur, indicauit. Pauca autem quaedam reliquit, quae vnde sumta essent, inuestigare non potuerat: quale illud est quod libro primo legitur de somnio Hymeraeae mulieris, quo Dionysii tyrannis praesignificata est. Ego igitur cum deprehenderim antiqui scriptoris Timesiae locum e libro sexto historiarum, quem prope ad verbum interpretatus est Valerius, vtriusque verba proponenda duxi, vt conferri queant. Valerii igitur haec sunt: *Intra priuatum habitum Dionysio Syracusano adhuc se continente, Hymeraea quadam non obscuri generis foemina, inter quietem opinione sua coelum conscendit: atque ibidem deorum omnium lustratis sedibus animaduertit praeualentem virum, flaui coloris, lentiginosi oris, ferreis catenis vinctum, Iouis solio pedibusque subiectum: interrogatoque iuuene, quo considerandi coeli duce fuerat vsa, quisnam esset; audiit illum Siciliae atque Italiae dirum esse fatum, solutumque vinculis multis vrbibus exitio futurum: quod somnium postero die sermone vulgauit. Postquam igitur Dionysium inimica Syracusarum libertati, capitibusque insontium infesta fortuna coelesti custodia liberatum, velut fulmen aliquod otio ac tranquillitati iniecit, Hymeraeorum moenia, inter effusam ad officium & ad spectaculum eius turbam intrantem vt aspexit, hunc esse quem in quiete viderat, vociferata est. Id cognitum tyranno causam illi tollendae mulieris dedit.* Timesias autem hoc modo: γυνή τινα τῶν οὐκ ἀδόξων Ἱμεραίαν ἰδεῖν ὄναρ, δοκοῦσαν αὐτὴν εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ [illegible] θεάσασθαι τὰς τῶν θεῶν οἰκήσεις. ἔνθα ἰδεῖν καὶ τὸν Δία καθεζόμενον ἐπὶ θρόνου, ὑφ' ᾧ ἐνδεδέσθαι πυρρός τις ἄνθρωπος καὶ μέγας ἁλύσει καὶ κλοιῷ [illegible] αὐτὸν δὲ εἰπεῖν, ἀλάστωρ ἐστὶ τῆς Σικελίας καὶ Ἰταλίας. [illegible] τὰς χεῖρας [illegible] Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ [illegible] ἀλάστωρ [illegible] λέγουσα [illegible] Putaui autem horum inter se neque iniucundam neque inutilem collationem fore.

In Plauto & in Euripide notata quaedam non satis ex arte facta.

CAPVT XVI.

MVlta admodum notaui in Plauto, in quibus puto illius oeconomiam merito reprehendi posse, vt [illegible] eas obiter. Quale est quod in Captiuis, vix [illegible]

Socratem ex Ætolia euntem in Elidem, & rursus ex Elide, confecto negotio, quod certi aliquid temporis postulabat, redeuntem in Ætoliam facit; et non multo citius senex e foro domum se receperit, quam ille totum illud iter confecerit. Itaque ridiculus est Hegio, cum ei profecturo dicit,

Sequere me, viaticum vt dem hinc a Trapezita tibi. — *Sc. Quæ res bene vort.*

Quid enim ante horam vnam rediturus viatico eguit? Nisi forte & seni ipsi, cum in forum iret, viatico opus fuit. Sed si in peccatis magna exempla ad defensionem valent, tueri se Plautus Euripidis exemplo potest: qui in Supplicibus tam cito redeuntem Thebis Athenas nuntium facit, vt volasse, & ea quæ interea facta refert, vix tantulo temporis spatio somniare potuisse videatur. *Act. 3. Sc. 1.* At in Amphitruone nimis certe sibi Plautus licentiæ sumsit, qui eadem illa nocte quam triplo longiorem esse voluit Iupiter in Hercule procudendo occupatus, redeuntem e bello Amphitruonem, & eo ipso die qui illi nocti proximus illuxit, decumo post mense Alcmenam parientem facit. *Act. 5. Sc. Spes atque opes.* Si quis quid hodie tale faceret, exsibilaretur, sed quadam antiquitatis maiestate fit, vt quæ in nostris reprehenderemus, in veteribus admiremur.

Diuerbium Plautinum e Rudente restitutum,

CAPVT XVII.

PRincipium Stychi Plautinæ iampridem emendaui: & meam in ea re sententiam secuti sunt, qui postea Plautum ediderunt. Sed vellem, ipsi quoque ad versus distinguendos aliquid operæ contulissent. Quod quando facere aut non potuerunt, aut noluerunt, alia quoque eodem modo a me emendata his libris inseram: si forte tam venustus poeta paulatim pristinum nitorem recuperare possit. Nam vt nunc quidem est, qui ei post Ioachimum admouerunt manus, magna professi, parua admodum præstiterunt. Sed mihi quidem neque aliena abiicere animus est, neque mea venditare tanti videtur. In Rudente, ad ipsum finem actus primi, colloquium est aniculæ, quæ Veneris sacerdos erat, cum puellis eiectis, ita confusum ac perturbatum, vt nullus prope versus integer sit. *Sc. Quid mihi melius.* Id igitur proponam, ita vti legendum censeo:

SACERDOS.

Qui sunt, qui pat ... patrona expetunt mea?
Nam vox precantum me excitauit huc foras
Bonam deam sequuntur, obsequentemq; haud grauatim
Multumq; benignam. PALÆSTRA. *Mater hem. saluere te iubemus.*

SA. *Saluete puellæ. Sed vos vnde cum vuida*
Veste ire dicam, tam vestitas mœstiter?

PA. *Haud longule imus illico hinc ex hoc loco,*
Verum longe hinc abest, vnde huc vectæ sumus.

SA. *Nempe de equo ligneo caruleas per vias*

Vectae estis. PA. *admodum.* SA. *Æquius ergo vos erat*
Venire candidatas hostiatasque ad hoc
Fanum, isthunc ad modum veniri non solet.
PA. *Quane eiecta sumus e mare nunc ambae, obsecro,*
Vnde hostias nos agere voluisti huc tibi?
Amplectimur tibi nunc genua, egentes opum,
Quae nescia spe in nesciis locis sumus,
Tecto recipias vt tuo seruesque nos:
Vtique te miserarum ambarum misereat:
Quibus neque spes parata est vlla, nec locus:
Neque quidquam est nobis amplius, quam hoc quod vides.
SA. *Manus mihi certe ambae a genibus exsurgite.*
Me fœminarum nulla est misericordior.
Sed res, puellae, hae pauperes inopesque sunt.
Egomet vix vitam colo. Veneri cibo meo
Seruio AM. *Veneris fanum, obsecro, hoc est?*
SA. *Sane. Ego.*
Huius Sacerdos clueo. Verum, quicquid est,
Fient comiter a me omnia, quorum copia
Cluebit. ite hac mecum. PA. *amice nostrum habes*
Honorem mater, ac benigne. SA. *oportet.*

Sunt autem tertius & quartus versus iambici quadrati catalectici: postremus trimeter catalecticus: ceteri omnes trimetri catalectici.

Num qui capiuntur illo bello, ignaui propterea habendi sint.
Illustratus Plautini Captiuis locus.

CAPVT XVIII.

FOrtium virorum videtur in prælus aut vincere aut mori; qui enim capiuntur, vix interdum effugiunt ignauiæ aut certe φιλοψυχίας notam: Atq; hoc significauit Philocrates Plautinus, qui cum ex Hegione, apud quam vinctus adseruabatur, audisset.

Sc. iam ego, reuertar. *Vt vos hic, itidem illic apud vos meus adseruatur filius, Captiuus est:* inquit deinde adfirmitate lene; *Non igitur,* inquit, *nos ignaui fuimus.* Sed tamen Lacedæmonius quidam ex iis, qui ab Atheniensibus capti sunt in Pylo, vrbane a se ignauiæ notam amolitus dicitur. Cum enim Atheniensis quidam ei per ludibrium dixisset: *Ex vestris videlicet optimi ac fortissimi quique ceciderunt: Magni, inquit, faciendus esset fusus, si viros fortes dignoscere ac discernere ab ignauis posset.* fusum autem Lacedæmoniorum more, vocabat sagittam: & significabat, non fortissimos quosq; mortuos esse, sed eos, qui casu sagittis icti fuissent: vt qui hostium potiti erant, non propterea minus fortes habendi essent, quam qui ceciderant. Eminus enim cum illis præliati erant Athenienses. Ita hoc a grauissimo historiæ

Lib 4. scriptore Thucydide accepimus.

Nihili esse verbum excolubrandi, quod quidam pro Plautino obtrudere conatus est.

CAPVT XIX.

SÆpe contingit, vt in magnis scriptoribus vitia lateant, & quæ corrupta atque ὕπουλα sunt, integra putentur: nonnunquam etiam, vt quæ recta & incorrupta sunt, hominibus non satis intelligentibus videantur. Vt autem medicamenta bene valentibus, ita rectis & veris correctiones ac mutationes nocent. Eius rei exemplum proferam e Stycho Plautina, vbi Dinacium e portu rediens, iniquo animo fert, sibi a parasito Gelasimo molestiam exhiberi. Versus hi sunt:

GE. *Ibo, atq; hunc compellabo.*
Saluos sis. DI. *Et tu salue,*
GE. *Iam tu piscator factus?*
DI *Quampridem non edisti?*
GE. *Vnde is? quid fers? quid festinas?*
DI. *Tua quod nihil refert, ne*
Cures. GE. *Quid istic inest?*
DI. *Quas tu vides colubras?*
GE. *Quid tam iracundus?* DI. *Si in te*
Pudor assit, non me appelles.

Sc. Mercurius.

Illud igitur de colubris Ioachimus quo pertineret, non videns, hanc notam ad illum locum addiderat: *Suspecta hæc scriptura mihi est. Ac si sciam, quid hoc verbi sit, suspicor sic fecisse poetam, Quæ tu id re excolubras?* Hæc ille: frustra quidem, sed modeste tamen. & alioqui homini erudito, qui Plauti fabulis hoc tempore, fatendum enim est, saluti fuit, sicubi fallus sit, facile condonari potest. Vetus est, non omnia vni, deos dare. Secutus est alter multo confidentior, qui illam tenuem & obscuram Ioachimi coniecturam, nihil dubitans, arripuit pro vera: & contestatus, sic sine vlla litura esse in suis veteribus libris (habebat autem plerunq; bonos & obsequentes libros) interpretatus est etiam nobis verbum *excolubrandi:* vt sit *excolubrare*, illo quidem auctore, curiose, & oculis eminentibus, quales sunt oculi colubrorum, & ceruicibus inflexis & oculis exstantibus exquirere. Verbosa sane declaratio: sed, qui si crediturus sim, locupletiorem eius auctorem requiro. Atq; vt sine fuco & fallaciis agam, emendationem illam non tam refutatione, quam risu, dignam puto. Insanum enim dicit esse parasitum puer, & a furiis atque intemperiis agitari: ideoque ex eo quærit, quas colubras videat: quod furiæ non tædis modo ardentibus, sed colubris quoq; ac serpentibus insectari eos quos agitabant, putabantur. Et inde est illud e vetere tragœdia,

Ω μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ 'πίσειέ μοι
Τὰς αἱματωπὰς καὶ δρακοντώδεις κόρας.

Euripid. Oreste. Act. I.

Quare excolubrandi verbū, qui pepererunt, sibi habeant licet.

Detectum Ciceronis erratum in quinto De finibus.

CAPVT XX.

MAgnorum virorum errores qui notant, dum id modeste & sine scurrilitate faciant, publice prodesse arbitror. Nam neque quidquam propterea de illorum existimatione detrahitur: & ceteri, vt cautiores ac consideratiores in scribendo sint admonentur: & si quid cui, vt sunt humana, tale contigerit, habet exépla quibus aut excusare se aut solari queat. Eo igitur animo indicare hoc loco institui insignem Ciceronis neglgentiam, quam a nemine vsque adhuc notatam esse demiror. Quinque sunt, vt notum est, illius libri De finibus, quibus explicatæ & excussæ veterum philosophorum, sed præcipue Epicuri, Stoicorum, & Peripateticorum, de summo bono sententiæ continentur. Et prima quidem disputatio, qua Epicuri sententia examinatur, habita fingitur in Cumano Ciceronis, cum eo L. Torquatus & C. Triarius salutandi Ciceronis caussa venissent: neque quisquam præterea alius interesset. Secunda autem in Tusculano Luculli, inter Ciceronem ipsum & M. Catonem, cum se illi in Luculli bibliotheca sine arbitris abdidissent. At tertia Athenis in Academia, cum ibi vna essent M. Q. & L. Cicerones, & Atticus, & is, cui disputandi partes tribuuntur, M. Piso. Certe igitur aperte constat tres illas disputationes & locis, & temporibus, & personis esse distinctas. Et tamen, perinde ac si vnus & idem, iisdem superstitibus præsentibus, vt in formulis dicebant, & aduersus Epicurum, & aduersus Stoicos disputasset: ita Piso loquens inducitur: *Quoniam igitur & de voluptate cum Torquato, & de honestate, in qua vna omne bonum poneretur, cum Catone est disputatum*: & quæ sequuntur. Hæc si Cicero ipse in prooemio eius libri ex sua persona diceret, ferri possent: a Pisone quidē quomodo apte & conuenienter dici queant, neque video, neque videre quemquam puto. Sed certo Cicero, cum illa scriberet, oblitus erat, non se, sed Pisonem loqui. Quod ei tum quoque contigisse arbitror, cum eodem in libro versus Homericos, quibus Sirenes Vlixem alloquuntur, Pisonem sibi tribuentem ac vindicantem facit. Nō enim dubium est, quin eos Cicero suos, vt erant, videri voluerit.

M. ANTONII MVRETI I. C. AC CIVIS R. VARIARVM LECTIONVM

Liber Decimus quintus.

Sermo habitus cum Dario Bernardo de stultitia quorundam, qui se Ciceronianos vocant.

CA-

CAPVT I.

Venerant ad me in Quirinalem visendi ac salutādi caussa nobiles aliquot Germani adolescentes, qui, cum totam prope Italiam perlustrassent: neq; quenquam fere prætermisissent eorū qui nomen aliquod habent in literis, quin eum vidissent, allocutique essent: me quoque, vt ipsi quidem dicebant, eadem de caussa videre, mecumq; colloqui voluerant. Cumque ipsi me de studiis meis, ego contra eos de Germaniæ statu, deque iis, qui illic hodie florere dicerentur, eruditis hominibus interrogarem, quæ cuiusque ætas esset, quæ habitudo corporis, quæ fortuna ac conditio viuendi, in primis autem quinam ex eis patritam, atq; auitam religionem constanter tuerentur, neq; illo se pestiferarum opinionum æstu abripi sinerent: varie illis vt de quoq; interrogati erant, respondentibus, vna atque altera hora consumta est. Complexus igitur illos, & abeuntes faustis ominibus prosecutus, dimisi. Interfuerat illi sermoni ac colloquio nostro Darius Bernardus iuuenis & festiuo ingenio, & sanctis plane atque incorruptis moribus, qui eis digressis, Verum omnino, inquit, est quod dicitur, in nullis hominibus hoc tempore, præterquam in transalpinis, promtam atque expeditam reperiri Latine loquendi facultatem. Vel ii, qui modo abierunt, vt nusquam in loquēdo hæreant, nusquam titubant, nusquam offendunt, vt omnia in numerato habent, vt tota eorum sine vllo impedimento ac salebris decurrit oratio. At nostri homines, etiam ii, qui sibi e studiorum laboribus pallorem & maciem, & senium contraxerunt, si quando Latine loquendum est, vt luctantur, vt sudant, vt anhelant. Credas eos magna vi ex imis pulmonibus verba eruere: cum istis contra sine vlla cura ac cogitatione iugis quædam ac beata Latinarum vocum copia vltro ex ore manare ac decurrere videatur. Est istuc quidem, inquā, ita vt dicis, Dari: sed tamen habet & Italia præclaros viros, quique & ornatissime scribant, & disertissime ac copiosissime, cum opus est, loquantur. Manutium, inquit, fortasse dicis, & Sigonium, & Petrum Ioannem Maffeium, aut ex eadem sodalitate eum cuius audita morte vbertim tibi nuper lachrymas isse memini, Perpinianum: & si quos tales vix singulos singulæ ætates ferunt. Et istos, inquam, & alios, quāquam is quidem, quem tu postremo loco nominasti, Hispanus non Italus fuit: sed ita diu in Italia fuerat, vt pro Italo haberi posset. Quem tu virum Dari vtinam audire potuisses, neque te, quo tempore ille in hac vrbe eloquentiæ præcepta tradebat, alio vitæ genere implicatum aula tenuisset. Nunquam enim quenquam audiisti, ac ne audies quidē, vt opinor, in quem illud de Nestore elogiū melius conueniret, *Cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio.* Sed quid est quod tu, colloquentibus nobis, bis terue nutu mihi nescio, quid significare visus es? Egone? inquit: Dolebam excidere inter-

dum grandiori illi, qui tecum colloquebatur, voces quasdã minus Latinas, quibus ille perpetuus subitæ orationis nitor, quasi maculis quibusdã, infuscaretur. Quas quæso? inquam: nam me quidẽ alia cogitantem præteruolarunt. *Cælos*, inquit, *& cælorum orbes* aliquoties dixit, & *eam doctrinã, quæ cælitus ad homines lapsa esset*. Quid? tu recte hæc dici non putas? *Cælestia*, inquit, *corpora & orbes cælestes, & cælo lapsam doctrinã* dixissem lubentius. Non male tu quidem: sed tamen ne illa quidem suos auctores non habent. Citat hæc Seruius e Ciceronis Hortensio, *Epicurei plures volunt esse cælos*. Et Lucretii sunt hæc e libro secundo:

In v. 331. L. 1 Æneid. *Quis regere immensi summam, quis habere profundi*
Endo manu validas potis est moderanter habenas?
Quis pariter cælos omnis conuertere?

Quamuis autem cælos illi dicebant mundos, quos putabant esse innumerabiles: tamen ex eo satis constat, *cæli* nomen apud Latinos & singulare esse & multitudinis. Nam de illo *cælitus*, me quoque olim reprehensum memini a quodam, qui nisi quod Ciceronis esset, nihil Latine dici putabat. Itaque irridebat me, non modo cum citarem Seruium, qui versum illum e primo Georgicon;

Vers. 168. *Si te digna manet diuini gloria ruris;*

ita exponit, *si tibi concessum est cælitus, ut gloriam ruris habeas*: sed etiam, cum multo meliorem istis omnibus Ciceronis imitatorẽ Lactantium, cuius hæc sunt e libro quincto Institutionum: *Nemini dubium potest esse, quin is doctor qui cælitus mittitur, tam scientia sit certus omnium, quam virtute perfectus*. Quid tu igitur? inquit: satisne istos idoneos auctores Latinitatis putas? Ego diam tibi, inquam, Dari. Diu & ipse in eo errore versatus sum, ut nisi qui aut Ciceronis ætate, aut paulo ante vixissent, aut certe illius ætati suppares fuissent, non satis dignos esse arbitrarer, quorum exemplis, qui Latine aut scribere, aut loqui vellent, uterentur. Sed postea re tota mecum accuratius considerata, visus ipse mihi sum nimio plus mihi sumere, qui de Seneca, Liuio, Valerio, Celso, Quinctiliano, Columella, vtroque Plinio, Tacito, Suetonio, Velleio, Q. Curtio, Lactantio, aliisque eiusmodi scriptoribus, qui eis & ab iis ipsis temporibus, quibus Latina lingua florere diceretur, propius afuisse, & suo quemque seculo, disertissimos habitos esse constaret, temere pronuntiare auderem. Certe enim neque quisquam vnquam veterum eos male Latine locutos esse dixit: neque nos, tam longo interuallo, valde boni eius rei existimatores sumus. At multa simplicia vocabula, multa etiam loquendi genera in eorum libris leguntur, quæ apud Ciceronem & eius æquales nusquam reperias. Primum quis hoc præstare audeat? Ciceronis scriptorum vix decimam partem reliquam habemus, eamq; multis partibus mancam ac mutilam, multis vulne-

ribus, multis cicatricibus deformatam: Sallusti vix centesimam, Varronis tantundem, Catonis e tam multis voluminibus vnum, De re rustica commentariolum: tot philosophorum, tot oratorum veterum, tot poetarum, tot historicorum, tot iurisconsultorum scripta perierunt; & ex illis fractis ac laceris, quæ ad nos peruenerũt, Romani sermonis reliquiis adfirmare audeamus, si quid in eis non reperiatur, id apud veteres in vsu non fuisse? Quanto credibilius est, noua multa atque inusitata nobis videri, quæ si eorum libri exstarent: in frequentissimo vsu posita fuisse constaret? Illi autem, quos stulte & arroganter, vt minus eleganter locutos, despicere audemus, cum & bibliothecas haberent omni genere librorum instructissimas, & eas diligentissime peruolutarent, & acerrimo iudicio præditi essent, quis scit an ea ipsa ex vetustioribus sumserint, quæ frustra nobis aut nouitatis, aut peregrinitatis nomine suspecta sunt? Cùm sæpe cõtingere videamus, vt multæ voces diu ab istis censeantur inter nouas, quæ postea vsque ab vltima antiquitate a nobilissimis auctoribus proditæ ac propagatæ reperiuntur. Quid quod in istis ipsis Ciceronis reliquiis multa sunt, quæ semel tantum leguntur? Ergo si paulum chartę aut mus, aut tinea adrosisset, aut situs & caries corrupisset, aut scintilla e lucerna in certam aliquam libri partem incidisset, hodie *nigrandi* & *contionari* verba, multaque alia illis delicatis barbara essent: quæ nunc ita non refugiunt, vt inculcent. Et vt magis intelligas totum hoc e stulta quadam opinione pendere, scito multos ex istis inepte fastidiosis, quibus quiquid dicunt, quod Ciceronis non sit, meros lapides loqui videntur, quibus, vt olim athletis in arenam descendentibus, circumdandæ essent amphotides, quoties in publicum prodeunt, ne delicatæ ipsorũ aures vocum non Ciceronianarum ictibus contunderentur, sæpe esse a me magna cum voluptate delusos. Nam cũ voces quasdam obseruassem, Ciceronis quidem illas, sed minus contritas, neque a Nizolio in illum præclarum indicem, qui istorum obruza est, relatas: admiscebam eas de industria orationi meæ, cũ ad me audiendum amici quidam hoc, de quo loquor, morbo laborantes venissent. Illi vt earum quamque audierant, ceruicem contorquere, humeros attollere, frontem contrahere, alius alii in aurem insusurrare, excuti sibi cerebrum, perire aures, cum talibus vocibus verberarentur. Quin etiam cœtu dimisso, cum me, vt fit, officii caussa domum reducerent, male se a me habitos atque acceptos esse conquerebantur. Ego aliquandiu eos ambiguo sermone frustratus, tandem sponsione lacessebam, ni illæ ipsæ voces, quibus auditis, caput sibi condoluisse dicerent, Ipsius Ciceronis essent. Quid quæris? cum id ita esse peruicissem: iam voces illæ omnem duritiam, atque asperitatem deposuerãt; iam leues, suaues, iucundæ auditu factæ erant: &, vt lupini aqua

macerati, omnem amaritiem exsuerant; simul atq; eas Ciceronis esse constiterat. Meministine cum vox *illustrissimus* apud istos censores in vrbe ius togæ tueri non poterat, sed pro peregrina habebatur?

Nec misera prodesse in tali tempore quibat, quod Gellius *illustrissimas orationes*, & *illustrissimos philosophorum* alicubi dixisset. Itaq; si quis Latine loquens *Cardinalem quempiam illustrissimum* vt iis, vocauerat, in eum ἀπὸ τοῦ μυκτῆρος, vt Græci dicunt, vtebantur. Neque extorqueri eis poterat, vt nō *maxime illustrem*, pro *illustrissi-*
2. De re rust. cap. 1. *mo* dicerent, nisi, postquam ex Varrone audierant, *illustrissimum quemq; ex veteribus pastorem fuisse*. Et quidem eam vocem nemo maiori cachinno exciperet, solitus erat, quam is quem sui ita esse Ciceronis similem prædicabant, vt diceret, οὐχὶ μὰ τὸν Δημοσθένη, eique illud occurrerat, οὐ πῶς ἀρχαϊκῶς, ἀλλ' ἀρχαϊκοῖς αὐτὸς εἶ. Qui cum aliquādo ad me libros tum Aristotelis ad Nicomachum interpretantem venisset, audissetque affirmantem innumerabilia esse in omnibus philosophiæ partibus, quæ Latine dici non possent ab iis, qui tam seueri esse vellent: egressus mihi, cum circumfusa nobis esset magna eruditorum hominum corona, mirari se dixit, quid ita mihi videretur fieri non posse, quod iam egregie Perionius præstitisset. Credo, inquit, illum dicis, qui quod quinto quoque anno faciendum significari vellet, id *singulis quinquennis* fieri oportere scripsit. Eum ipsum, inquam, & Ciceronis eloquentiam vides. Sed vt me ad propositum referam, etiamsi fatemur, demus, nouata esse multa ab iis, qui post Ciceronē fuerunt, quid caussæ est, cur ea reiicere debeamus? Quorsus igitur illud Horatii? *Vt folia in siluis*. & illud:

Art. poet. v. 58. & 60. *—— licuit semperq; licebit*
Signatum præsente nota producere nomen.

Nonne Cicero & multa nouauit ipse, & Catonē, Varronem, Brutum, aliosque vt idem facerent hortatus est? An fortassis personale illud priuilegium fuit, vt cum Cicerone, & cum iis,

Qui tum viuebant homines atq; æuum agitabant,

exstinctum esse videatur? *Incomprehensibile* Ciceroni facere licuit: quid ni aliis alia ad eundem modum postea liceret? Equidem existimo Ciceronem, si ad Quinctiliani & Plinii, & Taciti tempora vitam producere potuisset, & Romanam linguam multis vocibus eleganter conformatis eorum studio auctam ac locupletatam vidisset, magnam eis gratiam habiturum, atque illis vocibus cupide vsurum fuisse. Nam istorum quidem audire est operæ pretium amentiam. Ad Taciti aut Suetonii voces nauseant: ipsi eas temporis sui intexunt, quæ ne in culina quidem illorum patienter audiri potuissent. Mentior nisi tibi, cum voles, in scriptis quorundam, qui huius sectæ coryphæi habentur, *[illegible]*, *ingratitudinem, contrarietatem*, aliaque eiusdem generis plurima osten-

ostendero: *Sed, satis est dixisse, ego pulcra poemata pango.* Cum semel in hanc disciplinam nomen dederis, quocunq; modo & scribas, & loquare, dicas licebit;

Ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι.

Fuit hæc de principio laboriosa quædam, & exquisita diligentia, nunc in ignauiam vertit. quid enim magis in promtu est, quam, cum quid scribere ingressus sis, de singulis voculis Nizolium consulere? Quid tu igitur? inquies. ex omnibus antiquis scriptoribus, nullo discrimine, verba quibus vtare, depromes? Imo verò adhibebo iudicium, habebo dilectum, &, cum ex iis potissimum, qui antiquitatis quoque ipsi principes visi sunt, Cicerone, Cæsare, Terentio, aliis, quamplurima sumsero: cum orationis meæ genus ad eorum exemplar, quam maxime potuero, conformaro; ex aliis quoque bellissimum quodque carpam: & quo quisque maxime excelluisse videbitur, id imitari atque exprimere conabor: neque in iis modo, quos paulo ante nominaui, sed in Tertulliano, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, & quod magis mireris, Appuleio, Cassiodoro, Martiano etiam & Sidonio Apollinari multa reperiam, quibus suo loco positis oratio venerior & ornatior fiat. Tibi quoque, Dati, auctor sum, vt idem facias, in primisque vt ne eorum stultitiam imiteris, qui vsque eo antiquitatis studiosi sunt, vt voces quoque Christianæ religionis proprias refugiant, & in earum locum alias substituant, quarum nonnullæ etiam impietatem olent: qui non *fidem*, sed *persuasionem*: non *sacramentum corporis Dominici*, sed *sanctificum crustulum*: non *excommunicare*, sed *diris diuouere*: non *Angelos*, sed *genios*: non *baptizare*, sed *abluere* dicunt: aliaque eodem modo deprauant; qui, vt opinor, nisi sibi metuerent, etiam pro Christo *Iouem optimum maximum* dicerent. est enim magis Ciceronianum. Quæ autem insania est, cum *porricere*, cum *impetrire*, cum *tripudium solistimum*; cum *pateras* & *sympinia* legimus, notare ea tanquam dicta sapienter: quod ex auguralibus & pontificalibus libris depromta sint; propria Christianæ fidei. & Christianorum rituum verba, vt non satis Latina contemnere? Plura dicere cum pararam, amicorum quorundam interuentus institutum sermonem abrumpere coegit.

Conatus emendandi locum quendam Taciti pessime a librariis acceptum.

CAPVT II.

Solent interdum medici eos quoque ægrotos, quorum salus ab omnibus deposita iam ac desperata est, curandos suscipere, interposita prius cautione, fraudi sibi non fore, si quid eis interea deterius acciderit. Eadem ego quoque conditione locum quendam Taciti suscipiam, ita male affectum & in vulgatis, & in veteribus libris, vix vt vlla spes eius sanandi supersit. Si quid

igitur boni efficere potuero: sin minus, veniã tamen vt spero, ab æquis iudicibus consequar. Ita ergo scriptum est libr 14. annaliũ ab excessu Diui Augusti: *Ne tamen ludicra tantum imperatoris artes notescerent, carminum quoq; studium affectauit contractis, quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum insignis ætatu nati considere simul, & allatos vel ibidẽ repertos versus connectere, atq; ipsius verba quoquo modo prolata supplere: quod species ipsa carminum docet, non impetu & instinctu, nec ore vno fluens.* Neque multum opis in veteribus libris, in quibus ita legitur: *Nec dum insignis ætatu tati considere simul, & natos vel repertos ibidem versus connectere.* Nunc quomodo ei mederi coner, aperiam. Primum illud *tati*, ex quo ab aliis factum est, *nati*, deleo: & puto frustra geminatas esse ab indocto & oscitante librario literas eius vocis, quæ proxime præcesserat. Deinde ex illo *ætatu* facio *erat.* li. Postremo vbi est *& natos vel repertos*, deleo illud *vel repertos*: & puto dubitatione eius librarii legere nescientis. Quæ si mihi concedantur, præstare ausim, locum integrum esse hoc modo: *Ne tamẽ ludicra tantum imperatoris artes notescerent, carminum quoq; studium affectauit, contractis quibus aliqua pangendi facultas, nec dum insignis erat. hi considere simul, & natos ibidem versus cõnectere, atq; ipsius verba quoquo modo prolata supplere: quod species ipsa carminum docet, non impetu & instinctu, nec ore vno fluens.* Si quis igitur melius aliquid nouit, impertiat: si non, his mecum vtatur licet.

Emendata quædam apud Tacitum in vita Iulii Agricolæ.

CAPVT III.

IN vita Iulii Agricolæ, quã ideũ ille Latinus Thucydides scripsit, oratio est ducis Britannorũ Galgaci, ardoris & vehementiæ plena, qua ille milites suos ad fortiter pugnandum cohortatur, facilemq; eis, si præsenti animo sint, spem victoriæ ostentat. in ea ita vulgo legitur: *Brigantes, fœmina duce, exurere coloniam, expugnare castra, ac, nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri & indomiti, & libertatem non in præsentia laturi, primo statim congressu vnde ostẽdamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.* In quibus acute vidit Lipsius, legendum, *primo statim congressione.* Idq; ipsi mihi magis placet, quam quod ego antea suspicatus eram, vocem *vnde* delendam esse: tametsi vtroque modo eadẽ sententia efficitur. Sed ea, quæ proxime antecedunt, et obscuriora, & ad corrigendum difficiliora sint, Rhenani temeritate factum est, qui, vt in Taciti libris nonnulla correxit, ita certe plura corrupit. Libri Romæ impressi habebant, *& libertatem non in præsentia laturi.* Rhenanus fecit, *& libertatem non in præsentiam ituri.* & stultæ mutationi stultiorem interpretationem addidit. Significat, inquit, prius ipsis libertatem fuisse, pro qua adipiscenda non erat opus pugnare, sed conseruanda. In ore-

butus

lentia dixit de futuro. Equidē Rhenanum, cum illa scriberet, sobrium fuisse non puto. Sed, eo omisso, adferamus si quid verius possumus. Censeo igitur vbi est, *in præsentiam laturi*, legendū esse, *in P.R. seruitium nati*. vt totus locus legatur hoc modo: *Nos integri & indomiti, & in libertatem, non in populi Romani seruitium nati, prima statim congressione ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit*. Non magnam neque violentam esse mutationem, qui in hoc genere exercitati sunt facile vident: vulgus quid probet, quid non probet, nunquam laboraui.

Quid sit apud Ciceronem amor amicitiæ: & cur idem in flagitiosi amoris mentione, dixerit, more Græciæ.

CAPVT IV.

VEteres philosophi Græci libentius fere versabantur cū adolescentulis, quam vt sermones hominum, & aliquam turpitudinis suspicionem effugerent: quanquam enim illorum se ingenia amare dicebant, ea tamen fere potissimum amabant, quæ bene habitarent. Itaque id Cicero in eis vrbane, vt solet, exagitans, ita scribit libro quarto Tusculanarum: *Ad magistros virtutis philosophos veniamus: qui amorem negant stupri esse, & in eo litigant cum Epicuro, non multum, vt opinio mea fert, mentiente. quis est enim amor iste amicitiæ? cur neq; deformem adolescentem quisquam amat, neq; formosum senem?* Quibus in verbis, quæsitum est ex me, quem aut Cicero, aut illi *amorem amicitiæ* dicerent. Respondi hoc eos προκάλυμμα nequitiæ suæ obtendere solitos esse, vt dicerent, amorem suum non ad fœdam & nefariam corporū contaminationem, sed ad constituendam amicitiam referri: atq; ita eum vocasse ἔρωτα ἐπὶ φιλίᾳ. id est, vt Cicero interpretatur, *amorem amicitiæ*. Plutarchus: ἔρως γὰρ εὐφυοῦς καὶ νέας ψυχῆς ἁψάμενος, εἰς ἀρετὴν διὰ φιλίας τελευτᾷ. & paulo post: οὐ συνουσίας γὰρ αὐτὸς ὁ ἔρως, καθάπερ τῶν γυναικῶν. Idem in Numa: ἀνδρὶ δὲ οὐκ ἔστι σύμμιξις πρὸς θεὸν, οὐδὲ ὁμιλία σώματος. ἀγνοοῦσι δὲ ὅτι τὸ μιγνύμενον ᾧ μίγνυται, τὴν ἴσην ἀντιποδίδωσι κοινωνίαν. οὐ μὴν ἀλλὰ φιλίαν γε πρὸς ἄνθρωπον εἶναι θεῷ καὶ τὸν ἐπὶ ταύτῃ λεγόμενον ἔρωτα. Fuisse autem amores illos in Græcia vsitatos, etiam illud indicio est, quòd qui eo vitio laborabant, *more Græcorum facere* dicebantur. Cicero quincto Tusculanarum de Dionysio tyranno loquens: *Cum abundaret & æqualium familiaritatibus & consuetudine propinquorum, haberet etiam more Græciæ, quosdam adolescentes amore coniunctos, credebat eorum nemini.* Æmilius Probus in Alcibiade: *ineunte adolescentia, amatus est a multis, more Græcorum.* Xenophon libro secundo παιδείας. Ἀλλ' ἦ καὶ σύ, κατὰ τὸν ἑλληνικὸν τρόπον, ὅτι καλόν ἐστι, περιάγῃ τοῦτο τὸ μειράκιον.

Amatorio pag. 1336. ed. H. S.

Vetus quædam Æmilii Probi reprehensio aduersus eruditum virum, qui Æmilium defendere voluit, confirmata.

CAPVT V.

Lib. 7. cap. 1. SCripſi iampridem errasse mihi videri Æmilium Probum, qui negaſſet, turpe fuiſſe Cimoni, ſummo Athenienſium viro, ſororem Germanam habere in matrimonio, quippe cum ciues eius eodem vterentur inſtituto. Extitit biennio aut triennio poſt homo non indoctus, qui in notis, quas ad Plutarchi vitas in Latinum ſermonem a ſe conuerſas addidit, a me diſſentiens, Æmilium defendere conatus eſt. Ait enim Cimonem pulſum eſſe in exilium, non quod ſororem duxiſſet vxorem: ſed quod ea citra nuptias abuſus crederetur: idque ex ipſis Plutarchi verbis colligi poſſe, ſi quis attentius ea conſideret. addit Athenæum libro *Cap. 21.* ipſo hac ipſa de re loquentem non ſimpliciter dicere, τῇ ἀδελφῇ συνῴκει, ſed addere παρανόμως: ex quo intelligi damnatum Cimonem, non ſimpliciter quod cum ſorore Germana corpus commiſcuiſſet; ſed quod id feciſſet, aduerſus leges, id eſt, priuſquam eam vxorem duceret. Poſtremo Plutarchum aperte idem, quod Æmilium dicere, qui Themiſtoclis filio Mneſiptolemam Themiſto- *Themiſto-cle. ſub fin.* clis ipſam quoque, ſed ex alia matre filiam, ex ea conſuetudine nupſiſſe narrat. Ego autem non eram neſcius licuiſſe Athenienſibus, ſorores eodem patre dum ne eadem matre, natas vxores ducere. Docuerat me id Theon, qui in Nebulas Ariſtophanis ita ſcribit: παρ' Ἀθηναίοις ἔξεστι γαμεῖν τὰς ἐκ τῶν πατέρων ἀδελφάς. Sciebam hoc interfuiſſe inter Solonem & Lycurgum, quod illic ὁμοπατρίας ducere permiſerat, hic τὰς ὁμομητρίους. Docuerat me id Philo, cuius hæc ſunt: Ὁ μὲν οὖν Ἀθηναῖος Σόλων ὁμοπατρίους ἐφεὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν. ὁ δὲ Λακεδαιμονίων νομοθέτης ἔμπαλιν, τὸν ἐπὶ ταῖς ὁμογαστρίοις γάμον ἐπιτρέψας, τὸν πρὸς τὰς ὁμοπατρίους ἀπεῖπεν. At de Germanis ſororibus nuſquam tale quicquam legere memineram. Ita enim ſemper exiſtimaui, qui eodem patre ſed non eadem matre geniti eſſent, conſanguineos; qui eadem matre, ſed non eodem patre, vterinos; qui iisdem & patre, & matre interdum quidem conſanguineos, ſed ſuo ac proprio vocabulo Germanos vocari. Itaque neque vnquam apud Athenienſes germanam ſororem habere in matrimonio licuit: &, ſi Elpinice conſanguinea tantum Cimonis fuit, non etiam ὁμομήτριος: bis errauit Æmilius, qui eam germanam ipſius ſororem fuiſſe dixit. Imo vero ſi conſanguinea tantum fuit, dicere auſim, cauſſam non fuiſſe, cur Athenienſium legibus Cimon in exilium pelleretur. Stuprum enim, non inceſtum fuiſſet. Inceſtum ſiquidem non committitur cum ea, quam quis ducere vxorem poteſt. Sed certe veriſimilius eſt, germanam fuiſſe: & eo illum exulaſſe, quod eam παρανόμως, vxorem ducere auſus eſſet. Nam illud quidem argumentum ex Athenæo, non fuiſſe additurum παρανόμως, niſi idem fieri poſſet etiam οὐ παρανόμως, æque bellum eſt, ac ſi quis, quia Cicero alicubi dicit, Catilinam peſtem patriæ nefarie moli-

Isti, colligat, idem non semper nefarie, sed interdum etiam sine scelere fieri posse. Postremo sanctissimus & eruditissimus vir Cyrillus Alexandrinus libro sexto aduersus Iulianum, non furtiuos concubitus, sed nuptias cum sorore Cimoni, vt scelus nefarium obiicit: non facturus, si id apud Athenienses legitimum & vsitatum fuisset. Tunc enim accusari Solonem oportuerat, qui id permisisset, non ciuem, qui patriæ suæ legibus paruisset.

De Chaldæis Ciceronis locum e Theophrasto conuersum videri.

CAPVT VI.

CHaldæi, ait Cicero libro primo De diuinatione, *non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati diuturna obseruatione siderum, scientiam putantur effecisse, vt prædici posset, quid cuique euenturum, & quo quisque fato natus esset.* In quo, quod ait Chaldæos ex gentis, non ex artis, vocabulo nominatos, pertinet ad communem errorem refellendum, quo genethliacos, cuiuscunque gentis forent, Chaldæos vocabant: ita vt id artis, non gentis, vocabulum haberetur. Quod autem ait de illorum scientia, aut vanitate potius, & falsa opinione scientiæ ex Theophrasto sumtum videri potest: qui eos temporibus suis in magna admiratione fuisse dicit: quod non ea tantum prædicerent, quæ communia essent, vt tempestatem, serenitatem, & iis similia, sed etiam quomodo quisque victurus, quomodo moriturus esset. Atque hoc de Proculo cognouimus: apud quem ita scriptum est: Θαυμασιωτάτην δὲ εἶναί φησιν ὁ Θεόφραστος ἐν τοῖς κατ᾽ αὐτὸν χρόνοις τὴν τῶν Χαλδαίων περὶ ταῦτα θεωρίαν, τά τε ἄλλα προλέγουσαν καὶ τοὺς βίους ἑκάστων, καὶ τοὺς θανάτους καὶ οὐ τὰ κοινὰ μόνον. οἷον χειμῶνα, καὶ εὐδίας· ὥσπερ καὶ τὸν ἀστέρα τὸν Ἑρμοῦ χειμῶνος μὲν ἐμφανῆ γινόμενον ψύχη σημαίνειν, καύματα δὲ θέρους εἰς ἐκείνους ἀναπέμπειν. πάντα δ᾽ οὖν αὐτοὺς καὶ τὰ ἴδια, καὶ τὰ κοινὰ προγινώσκειν ἀπὸ τῶν οὐρανίων ἐν τῇ περὶ σημείων βίβλῳ φησὶν ἐκεῖνος.

De honore qui Olympionicis & interdum imperatoribus ro præclare gesta habebatur. Emendatus Æmilii Probi locus.

CAPVT VII.

QVanto in honore fuerint antiquitus Olympionicæ, nemini, qui paulum modo versatus sit in hoc literarum genere, ignotum est. Solebant autem inter cetera donari coronis aureis: vnde & Pindarus Olympiam vocat μητέρα χρυσοστεφάνων ἀέθλων. Olymp. od. 8. Imperatores quoque, re bene & feliciter gesta, interdum quamquam admodum raro, eodem honoris genere afficiebantur. Sic Cyro post tam multas tamque insignes victorias in auitum regnum redeunti Cyaxaris filia, quæ ipsius postea vxor fuit, coronam auream offert. Xenophon libro octauo: ἡ δὲ καὶ ἡ παῖς

χρυσοῦν ἐδέξατο, προσέπεμψε δ' αὐτῷ τὴν θυγατέρα στεφανοῦν τε χρυσοῖς καὶ ψέλλια φέρουσαν. Habitus est hic honos Alcibiadi quoque, cum domita Lacedæmoniorũ superbia in patriam rediret: qua de re ita Probus: *Hic vt naui egressus est, quanquam Theramenes, & Thrasybulus eijdem rebus præfuerant, simulq; venerant in Piræeum, tamen illum vnum omnes prosequebantur: &, id quod nunquã antea vsuuenerat nisi Olympiæ victoribus, coronis aureis æneisq; vulgo donabatur.* Sed cur æneas quoque coronas addat, non immerito quæri potest. Nam vt Glauci Homerici væcordia ridetur permutantis χρύσεια χαλκείων, ita ridicula videri potest hæc χρυσείων καὶ χαλκείων permistio. Ego vero non dubito, quin Probi verba corrupta sint, ita vt vbi est *æneisq;* legendum sit *tæniisq;*. Solebant enim fere tæniæ cum coronis coniungi. Empedocles:

Ταινίαις τε περίστεπτος, στέφεσίν τε θαλείοις.

Lib. 4. non longe ab extremo. Idque manifesto confirmat quod apud Thucydidem de Brasida legitur: quem Scionæi, re præclare gesta, vt Olympionicen excepisse, & vt Græciæ liberatorem, corona aurea & tæniis redimiisse dicuntur. Thucydidis verba hæc sunt: καὶ οἱ Σκιωναῖοι ἐπῇρθησάν τε τοῖς λόγοις, καὶ θαρσήσαντες πάντες ὁμοίως, καὶ οἷς μὴ πρότερον ἤρεσκε τὰ πρασσόμενα, τόν τε πόλεμον διενοοῦντο προθύμως οἴσειν, καὶ τόν τε Βρασίδαν τά τ' ἄλλα καλῶς ἐδέξαντο, καὶ δημοσίᾳ μὲν χρυσῷ στεφάνῳ ἀνέδησαν, ὡς ἐλευθεροῦντα τὴν Ἑλλάδα, ἰδίᾳ δὲ ἐταινίουν τε, καὶ προσήρχοντο, ὥσπερ ἀθλητῇ. Athletam autem cum dicit, Olympionicen intelligit.

Emendata quædam e libro sexto Epistolarum ad Atticum.

CAPVT VIII.

IN hoc scribendi genere non modo exigi ordo non solet, sed ipsa potius ἀταξία, & melius Variarũ lectionum nomen [illegible] & minus satietatis adferre lectoribus creditur. Ego itaque qui horis exceptis hæc qualiacunq; procudo, vt quisque liber venit in manus, ita ex eo aliquid excerpo, quo mea hæc auctiora fiant. Nunc igitur percurram sextum librum Epistolarum ad Atticum. In cuius prima epistola haud procul a fine ita legitur: *Nam Camillum libertum ad me misit, & literas accurate scriptas, & de pantheris, & de ciuitatibus.* Puto pro *ciuitatibus* legendum [illegible] probatum iri que iis, qui rem totam accurate considerauerint, probatum iri confido. In eadem epistola paulo infra libri editi sic habent. *Cum omnia obsignaret, in Vennonius domum Vennonii venit. cum omnia [illegible] nas res incidit. In eis inuenta sunt quinque imagunculæ matronarum, in quibus vna sorore amici tui hominis Bruti, qui hoc vtatur, & illius Lepidi, qui hæc tam negligenter ferat.* Vetus liber meus pro illius Lepidi, qui hæc tam negligenter ferat, [illegible] amici tui habet *amici tuo*. Bruti autem & Lepidi nomina [illegible] bet. Quare totum locum ita lego: *In quibus vna [illegible] [illegible], qui hoc vtatur: & illius, qui hæc tam negligenter ferat.* [illegible]

Significat enim duri admodum oris esse & Brutum, qui vtatur eo, propter quem soror sua adulterii suspecta esse possit: & Lepidum, qui tam turpem suspicionem in vxore tam lente ac negligenter ferat. Neque dubium est, quin de Bruto & Lepido loquatur: sed in talium rerum narratione ac significatione, propria eorum de quibus agitur, nomina multo venustius multoque verecundius subticentur. Addita autem puto iampridem ab aliquo erudito homine, qui locum declarare vellet. Iam illud *os hominis*, ita dictum est, vt apud Martialem.

Santonica medicata dedit mibi pocula virga. Lib. 6. epig. 96.

Os hominis. mulsum me rogas Hippocrates.

Libet & notare vsum verbi *placet*, sane elegantē: si quis forte eum minus aduerterit. Cum igitur in manifesto peccato aliquem deprehenderant, ita vt ne ipse quidem factum suum defendere posse videretur: ita eum interrogabant: *Placet hoc tibi:* Sic Thais Terentiana deprehensum Chæream leuiter obiurgans, *Satin' hoc tibi placet?* Eunuch. Act. 5 sc. 2. Cicero epistola sexta eius libri in quo nunc versamur: *Sed heus tu πυρὸς εἰς δῆμον. placet hoc tibi?* Tibullus in carmine obscœno: *Placet . . . . . qui sub arborum coma:* & quæ sequuntur. piget enim adscribere. In eadem epistola, vbi vulgo legitur, *At nunc Cœlium non dico equidem, quid egerit:* legēdum est. *quicquid egerit.* In octaua, *meros terrores,* non vt vulgo, *miros.* In vltima vero, *Accepi ab Acasto, meo statore, tuas literas,* non vt editi libri habent, *Accepi ab Acasto seruo meo statim tuas literas.*

Emendata multa e libro tertio De officiis.

CAPVT IX.

Ciceronis verba sunt e tertio De officiis: *Accedit eodem testis locuples Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola, P. Rutilium Rufum, qui Panætium audiuerat, dicere solere, vt nemo pictor esset inuentus, qui Veneris eam partem quam Apelles inchoatam reliquisset, absolueret: oris enim pulcritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat: sic ea, quæ Panætius prætermisisset, & non perfecisset, propter eorum, quæ fecisset præstantiam, neminem persecutum.* Quibus in verbis sæpe admiratus eram, cur additum esset illud, *& nō perfecisset.* certe enim quæ prætermiserat Panætius, ea non modo non perfecerat, sed ne inchoauerat quidem. Sed veteres libri admirationem sustulerunt, quorum in plerisque postrema eius cōprehensionis pars ita legitur: *Sic ea quæ Panætius prætermisisset, propter eorum, quæ perfecisset præstantiam, neminem persecutum.* In eodē libro, vbi de Cæsaris cæde, etsi eum non nominat, loquitur, ita vulgo legas: *Vicit igitur vtilitas honestatē: imo vero honestas vtilitatem secuta est* At in vetustioribus quanto melius? *Vicit igitur vtilitas honestatem? imo vero honestatem vtilitas consecuta est.* Significat enim factum illud honestum fuisse per se, vtile κατὰ συμβεβηκός. Vnum præterea locum subiiciam, qui nusquam ille quidē

in vulgatis libris emēdate legitur: sed in libris præclari illius coni-
gect- ris ita deprauatus est, vt ipsius sententiæ, aliquot vocum te-
mere additarum congestu obrutæ. vix, quasi per nebulam, tenue
quoddam vestigium appareat Et fuit ea illius consuetudo, vt nō
tam quæreret interdum, quid dixisset Cicero, quam, quid ipse
eum dicere oportuisse centeret. Sed tota res mihi paulo altius re-
petenda est: vt etiam in iis Ciceronis verbis, quæ non multo an-
tecedunt eum quem purgare instituimus locum, maculæ quædā
eluantur. Quærit igitur Cicero, liceatne interdum viro bono a-
lium lædere, deque illius commodis aliquid detrahere. Ac primū
illud, quasi principium ponit humanæ societatis arctissimū vin-
culum esse; magis arbitrari esse contra naturam, hominem ho-
mini detrahere sui commodi caussa, quam omnia incommoda
subire vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, *seruantem
iustitiam*. Ita enim plane legendum est, non vt vulgo, *quæ vacant
iustitia*. Vetus scriptura deprauata est, *conatent iustitiam*. Deinde,
paucis interiectis, addit: *Quid? si Phalarim, crudelem tyrannum,
& immanem vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare
possit, nonne faciat?* Hic libri mei veteres habent, *ne ipse algore pe-
eat*. sed vtroque modo eadem sententia efficitur. Deinde totam
quæstionē, adhibita distinctione, explicat his verbis: *Nam si quid
homini ad nullam partem vtili, vtilitatis tuæ caussa detraxeris, in-
humane feceris, contraque naturæ legem.* quibus verbis ne homini
quidem plane inutili significat, quidquam sapientem detrahere
debere, vtilitatis suæ caussa. At ille, quem dico, ita edidit: *Nam si
quid homini homo ad nullam rem vtilis, vtilitatis tuæ caussa detra-
xeris*. Inepte. Instituta enim quæstio est hoc modo, *Num sapiens
homini ad nullam rem vtili aliquid aliquando detrahere possit.* non
autem: *Num homo ad nullam rem vtilis*. Ita enim paulo ante quæ-
situm erat: *Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit
cibum alteri homini ad nullam rem vtili?* Negat igitur Cicero, id
vtilitatis priuatæ caussa licere. Deinde addit: *Sin autem is tu sis,
qui multam vtilitatem Reip. atque hominum societati, si in vita re-
maneas, afferre possis: si quid ob eam caussam alteri detraxeris,
non sit reprehendendum.* Ob eam caussam, id est, non ob tuam
vtilitatem, sed publicam. Sequitur: *Sin autem id non sit eiusmodi
suum cuique incommodum ferendum est potius, quā de alterius com-
modis detrahendum.* Liber autem vetus, quo nunc vtor, ita habet:
Sin autem is nō sis eiusmodi. vnde colligo librarium, primo per er-
rorem, cum scripsisset *sis*, redisse denuo ad superius memoriæ
ductu, cuius principium erat, *Sin autem is tu sis*, deinde errore animad-
uerso non deleuisse quidem duas voces quas frustra repetierat, *autem
is*, sed cetera persecutum. Vt sit vera lectio: *sin non sis eiusmodi bo-
lebant enim homines imperiti, qui auorum aut proauorum no-
strorum temporibus, victum sibi describendis libris quærebant,
quæ

quæ perperam scripserant, non delere: ne libros suos multis lituris deformatos, minus vendibiles redderent, iterum ve totas paginas describere cogerentur: sed iis vt erant omissis, cetera persequi. Atque ea res innumerabilem errorum copiam in omne scriptorum genus inuexit.

Xenophontis loci duo emendati.

CAPVT X.

Libet hoc loco proferre coniecturam meam de duobus locis Xenophontis e primo ἀναβάσεως: de quibus dubium non habeo, quin & in omnibus vsque in hunc diem editis libris corrupte legantur, & tuto ac facile corrigi possint. Eorum primus est, vbi Cyrus in Ciliciam transit, superatis montibus in quibus Syennesis præsidium collocarat. Cum enim Cilices ad primam Cyri aduentantis famam sese in fugam dedissent, sine vllo negotio Cyrus & montes conscendit & Cilicum castra cepit. Ibi Xenophontis verba sunt: Κῦρος δὲ ἀνέβη ἐπὶ τὰ ὄρη οὐδενὸς κωλύοντος, καὶ εἶδε τὰς σκηνὰς οὗ ἐφύλαττον οἱ Κίλικες. Quid autem attinuit dicere eum, superatis mõtibus, vidisse castra, quæ Cilicum fuerant? Certe enim ita necesse fuit, nisi aut cæcus fuisset, aut clausisset oculos. Sed nos quoque cæci, opinor, fuerimus, nisi videamus, εἷλε, non εἶδε legendum esse. Alter locus est, vbi Cyrus ad flumen Chalum peruenisse dicitur: cuius pisces Syri, vt & columbas, pro Diis habebant. Ibi enim ita legimus: αἱ δὲ κῶμαι ἐν αἷς ἐσκήνουν, Παρυσάτιδος ἦσαν, εἰς ζωὴν δεδομέναι. Sed mihi excuti non potest, quin ζώνην non ζωὴν legere oporteat, vt dicamus eam totam regionẽ reginæ Parysatidi in cingulum attributam fuisse. Reginis enim Persarum multa oppida, multæque regiones in singulas mundi muliebris partes attribui solebant: verbi caussa, *in strophium, in amiculum, in cingulum, in sandalia.* Idq; locupletissimus testis cõfirmat Plato in Alcibiade primo his verbis: ἐπεί ποτ' ἤκουσα ἐγὼ ἀνδρὸς ἀξιοπίστου τῶν ἀναβεβηκότων παρὰ βασιλέα, ὃς ἔφη παρελθεῖν χώραν πάνυ πολλὴν καὶ ἀγαθήν, ἐγγὺς ἡμερησίαν ὁδόν, ἣν καλεῖν τοὺς ἐπιχωρίους ζώνην τῆς βασιλέως γυναικός. εἶναι δὲ καὶ ἄλλην ἣν αὖ καλεῖσθαι καλύπτραν. καὶ ἄλλους πολλοὺς τόπους καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἰς τὸν κόσμον ἐξῃρημένους τὸν τῆς γυναικός καὶ ὀνόματα ἔχειν ἑκάστους τῶν τόπων ἀπὸ ἑκάστου τῶν κόσμων. Sed & Lutetiæ Parisiorum vectigal quoddam vino impositũ est, quod vulgo *cingulum reginæ* vocant. Sic Themistocli apud eosdẽ Persas quinque vrbes, Magnesia, Lampsacus, Myus, Percope, & Palæscepsis in panem, vinum, opsonium, stragula & vestitum adtributæ fuisse dicuntur. *Plutarchus Themistocle.*

Suetonii in Galba vnus, & alter in Othone emendatus & illustratus locus.

CAPVT XI.

Miram & prope sordidam Galbæ Imperatoris parsimoniam fuisse & Tacitus, & Suetonius, & alii tradiderunt. Cuius *Cap 12.*

exempla multa cum retulisset Suetonius, adiicit: *Quare aduentus eius non perinde gratus fuit: idq; proximo spectaculo apparuit. Siquidem Atellanis notissimum canticum exorsis, Venit io simus a villa: cuncti simul spectatores, consentiente voce, reliquam partem retulerunt. ac sæpius versu repetito egerunt.* Quæ Turnebus libro quin- Cap. 2.
cto Aduersariorum emendaturum se, & explicaturum professus, nihil de suo adfert, nisi *Io* esse interiectionem exultantis omnibus notissimam. Miror autem cur tantus vir, cum manus deprauato loco admouisset, nihil protulerit, nisi quod pueri paulo grandiores in schola si ignorarent, cæderentur. Certe si nodus iste tam facile solui poterat, non tali vindice indigebat. Quomodo autem populus, iterando eam vocem, quæ exultantium propria est, declarare potuisset, parum sibi gratum esse imperatoris aduentum? Sed nos tentemus, si quid melius possumus. Seruis olim & libertis interdum nomina ex moribus ipsorum imponi solebant. atque id magis etiam fiebat in comœdiis. Puto igitur in veteri Atellana vel seruum, vel libertum dispensatorem fuisse, qui, quod frugi & parcus, & dominis vtibilis foret, ex re Onesimus vocaretur. Seruile autem illud nomen esse, etiam e S. Pauli epistolis notum est. Eum igitur conserui cum in Atellana fabula viderent redeuntem e villa, intelligerentque parcius sibi iam edendum ac bibendum fore, quod eos Onesimus dure contenteque habiturus esset, occinerant, *Venit Onesimus a villa:* & addiderant, opinor, alia quæ ad parsimoniam & seueritatem ipsius exagitandam pertinerent. Eadem igitur illa cum in Galbam, qui nuper venerat, præclare conuenire viderentur, populus iocans crebro iterasse dicitur. Plane autem in veteribus libris legitur *Venit ione simus.* quod testati sunt & alii: & minimo negotio mendum tolli potuerit. Sed sæpe fit, vt etiam perspicacissimos ea, quæ sunt ante oculos posita, fugiant. Fuit autem ipsi Suetonio pater vir fortissimus, & spectatæ virtutis: cuius nomen cum in filii libris decurtatum ac deprauatum legatur, restituere, operæ fuerit. Sic ergo
Cap. 10. legimus in Otthone: *Interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis, tertiædecimæ legionis tribunus angusticlauius* Ita vulgo. At vidi ego librum, qui cariem & tineas senserat, in quo post nomē *Suetonius* foramen erat exiguum: deinde sequebatur *lenis*: & supra alia manu emendatum *lenis*: Omnino autem legendum est *Paulinus*. id enim ei verum cognomen fuit. Testem in eam rem laudabo Tacitum, qui fortis viri neq; nomen, neque virtutem tacitam esse siuit. Eius enim & sæpe in annalibus & in Agricolæ vita perhonorificam mentionem facit.

Aristoteles e primo Politicorum, Hippocratis e libro περὶ τροφῆς emendati & illustrati loci.

CAPVT XII.

ARistoteles libro primo Politicorū erudite ac copiose disputare

git de origine seruitutis: ostenditq; veræ seruitutis caussam in natura positam esse: ita vt ii qui mente ac consilio valent, corpore autem sunt ad obeunda necessaria munera non satis habili, natura facti sint ad imperandum: qui contra valido ac robusto corpore, sed ingenio hebeti ac stolido, tantum vt imperata facere, non etiam ipsi, quid agendum sit, prospicere possint, eos natura ipsa eorum qui plus sapiunt imperio subiecisse videatur. Qui autem bello capti, aut alio modo in seruitutem redacti sunt, ii, si liberali sint ingenio, fortuna quidem ac conditione serui sunt, sed natura liberi. Sunt igitur quidam liberi natura, quos in seruilem sortem casus aliquis deduxit: sunt contra multi quos seruire oportet qui que natura serui sunt, qui melioribus & natura liberis imperant. Neque omnis aut libertas, aut seruitus contra naturam est: neque omnis congruens ac consentanea naturæ. Sed ad ipsum eius disputationis finem ita legitur in libris emendatis a Victorio, & in aliis prope omnibus: ὅτι μὲν οὖν ἔχει τινὰ λόγον ἡ ἀμφισβήτησις, καὶ οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δ' ἐλεύθεροι, δῆλον. quæ ita interpretatur Victorius: *Continere igitur in se rationem quandam hanc controuersiam, & non esse, hos quidem natura seruos, hos autem liberos, planum est.* Atqui Aristoteles ipse nihil tam docere conatus est, in iis quæ antecesserunt, quam esse quosdam natura seruos, & quosdam natura liberos. Itaque in libris Aldinis hoc modo legimus: καὶ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δ' ἐλεύθεροι, id est, *& esse alios natura seruos, alios liberos.* Sed ne hoc quidem ferri potest. Vtrumque enim docuit, quosdam natura, quosdam præter naturam, & seruos & liberos esse. Verum igitur est, quod ego, cum prius coniecissem, postea scriptum reperi in eis libris, quos Aldi heredes ediderе: καὶ εἰσὶ καὶ οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν φύσει δοῦλοι, οἱ δ' ἐλεύθεροι, id est, *Et esse, & non esse alios quidem natura seruos, alios autem liberos.* Similis locus est in libro Hippocratis De alimento: qui ita lacer ac mutilus est, vt & Cardanus & ceteri, quos ego quidem viderim, ætatis nostræ medici, qui eum declarare voluerunt, meras nugas attulerint. Ego autem eum ita interpretabor, vt non verear, ne quis mihi illud obiiciat: τέκτων γὰρ ὢν ἔπραττες οὐ τεκτονικά. Exposuerat Hippocrates varias super tempore puerperii sententias, dixeratque aliis quidem videri tempus id esse dierum CCX. qui quidem efficiunt septem menses, si quis Ægyptiorum more, quem tum fere sequebantur, tricenos dies singulis mensibus tribuat: aliis trecentorum, qui eadem ratione efficiunt decem menses: aliis denique CCXL. qui eadem ratione octo menses efficiunt. Deinde ad hanc postremam opinionem respiciens, subiicit οὐκ ἔστι καὶ ἔστι. Quæ verba quid sibi velint, ne Mopsus quidem aut Oedipus diuinarit. Legendum autem hoc modo: ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γόνος. Atque ita intelligendum esse quodammodo partum octimestrem, & quodammodo non esse. Potest enim mense octauo mulier parere: sed

foetus vitalis non est. Atque ideo Sabinus, Galeno, vt notum est, antiquior medicus, ea sic exposuerat: ἐστὶ μὲν ... ex quibus etiam Sabini verbis, conijcio, vbi apud Hippocratem legimus ... legendum ... & quæ sequuntur, deprauata in Hippocratis textu: quæ quomodo emendanda sint, cognosci poterit e Gellio, libri tertij capite XVI. vnde etiam sumta sunt quæ modo attuli. vt mirum sit ea tamdiu latuisse, cum tam aperto ac celebri in loco paterent. Eodem autem loquendi genere vsus est & Plautus in Trinummo:

Sc. Larem corona.

Est atq; non est mihi in manu Megaronides.
Quin dicant, non est: merito vt ne dicant id est.

Emendati e Trinummo Plautina loci duo.

CAPVT XIII.

Facta me Trinũmi mentio admonet, vt insignem ex ea locum emendem: in quo & versus perperam collati sunt, & personarum nomina locis non suis posita & deprauati versus, & denique ... Nolo autem otium, quo minime abundo, inanibus verbis consumere. tantum proponam locum ipsum, ita vt mihi legendus videtur:

PHILT.

Sc. Quo illic homo.

Non edepol tibi pernegare possim quidquam quod velis.
Cui egestatem tolerare vis? loquere audacter patri.

LYSITELES.

Lesbonico huic adolescenti, Charmidæ huius filio.
Qui illic habitat. PH. qui comedit, quod fuit, quod non fuit.
LY. *Ne opprobra pater. eueniunt multa homini quæ vult quæ non vult.*
Sapientia ætati condimentum est: sapientia ætati cibus est.
PH. *Mentire edepol nate, atque id nunc facis haud consuetudine.*
Nam sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi.
Nulli quæ ne volt eueniunt, ni si fictor malus fiet.
LY. *Multa est opera opus fictura, qui se fictorem probum*
Vita agenda esse expetit. sed hic admodum adolescentulus est:
PH. *Non ætate, verum ingenio apiscitur sapientia.*
Agedum eloquere. quid dare illinc nunc vis? LY. nihil quidquam pater.
Tu modo ne me prohibeas accipere, si quid det mihi.

Quod autem ait Lysiteles ad excusandum sodalem, *sapientia esse condimentum ætatem*, & *sapientiam ætati cibum*; hanc sententiam habet. Quidam cibi sunt, qui recentes quidem non sunt esui; sed reponi solent in longam ætatem, & muria aut aceto, aut sale, aliisue modis condiri. mitescunt autem, ac concoquuntur tempore, &

Digitized by Google

re, & ad vescendum vtiles fiunt: sic sapientiam ait in iuuenibus immaturam esse: procedente ætate condiri ac mitigari, quasiq; maturescere. In eadem autem fabula iocularis quidam versus qui a Stasimo pronuntiatur, & corrupte legitur, & male explicatur. Lambinus hoc modo: Sc. Minus quindecim.

Cœna hac annona est, sine sacris hereditas.

Et exponit, Cœna hæc est instar annonæ. At Lipsius ἐρωτηματικῶς: *Cœna hac an non est?* Ego veterem scripturam retineo:

Cœna, hac annona, est, sine sacris hereditas.

Est autem, *hac annona*, ablatiuus, vt Grammatici vulgo loquuntur, absolutus; & hoc significat, hac annonæ caritate quę nunc est, Sic alibi: Milite Sc. Nisi quid.

Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico:

Id est, cum triticum tam vile sit.

Notata quædam apud Liuium, in quibus ipse sibi pugnare videri potest.

CAPVT XIV.

Liuii historiarum scriptoris disertissimi ac copiosissimi errores quosdam notauit olim Laurentius Valla, vnum etiam homo eruditissimus mihique amicissimus Carolus Sigonius, qui hoc tempore tantum in Liuii annalibus præstitit, quantum vix sperare fas erat. Supersunt & alii, quos notare non ab re fuerit vt incendatur scribentium industria; & vt intelligatur τὸ ἀναμάρτητον maius quiddam esse quam vt ab homine præstari queat. Libro igitur annalium quarto, multis argumẽtis docet, errare eos, qui tradunt A. Cornelium Cossum tribunum militum, secunda opima spolia Iouis Feretrii templo intulisse. At eodem in libro Mam. Æmilium dicentem facit, se eundem dictatorem esse, qui ante Veientium Fidenatiumque, adiunctis Faliscis, ad Nomentum exercitus fuderit: & magistrum equitum A. Cornelium eundem in acie fore, qui priore bello tribunus militum, Larte Tolumnio, & rege Veientium, in conspectu duorum exercituum occiso, spolia opima Iouis Feretrii templo intulerit. Ne illud quidem defendi posse arbitror, quod libro nono in laudando L. Papirio Cursore ita scribit: *Haud dubie illa ætate, qua nulla virtutum feracior fuit, nemo unus erat vir, quo magis innixa res Romana staret. quin eum parem destinarant animis magno Alexandro ducem, si arma, Asia perdomita, in Europam vertisset.* At paulo post ait, se arbitrari, Alexandrum ne fama quidẽ Romanis notũ fuisse. Quomodo igitur L. Papirium quem ei opponerent, animis destinare potuerant? Sed & illud recte ac vere notauit Glareanus, manifesto cũ sibi pugnare, cum Hannibalem vix dum puberem Hasdrubalis literis accersitũ scribit, cum ex ipsis Liuii verbis necessario colligatur, Hannibalẽ eo tẽpore annos nõ minus viginti tres natũ fuisse. Qua ętate

qui alium tutore egere dicat, ipsemet curatore potius indigere videatur.

Cur videatur Assa nutricibus dici solitum. Emendatus quidam Varronis locus.

CAPVT XV.

V. Assas. QVod Nonius *assas nutrices olim vocatas* esse scribit, *quia assint iis quos nutriant*, id quam verum sit, videbimus. Fortassis enim verius est esse a Græco ἄττα· ἐστὶ δὲ τὸ μὲν ἄττα, φίλε, τὸ δὲ ἄττα, In Iliad. lib. 6. v. 518. τροφίμε, τὸ δὲ πάππα, πατρὸς, τὸ δὲ ἠθεῖε, ἀδελφοῦ, ait Eustathius. Sed quod homo eruditus putat, se apud ipsum Nonium eius vocis exemplum repertisse in exemplo Varronis ab eo adducto, cum verbi Betere notionem explicat, de eo mihi quidem longe aliter videtur. Verba Varronis in veteribus libris ita scripta sunt: *Assa in multos quod ea parere non poterat mulier, eum betere foras iussit.* quæ is, quem dico ita emendat: *Assa non multo post, quod ea parere non poterat mulier, eum betere foras iussit.* Et tamen ait ibi assam vocari non nutricem, sed obstetricem. Quod si admitteremus, nõ tamen dicendum esset, repertum exemplum eius quod Nonius dixerat, sed repertam aliam significationẽ nominis *Assa*, quæ ipsum quoque latuisset Nonium neq; vsquam a veteribus tradita esset. Id autem quam credibile sit, non disputo: mihi certe nondum displicet quod de illis Varronis verbis iampridem existimaui: ea pertinere ad Sp. Caruilium, qui primus Romanorum vxorem repudiasse dicitur, non quod eius mores aut ingenium parum probaret, sed quod coniugem se velle diceret liberorum quærendorum gratia: illam autem sterilem esse. Lego igitur hoc modo: *Asse annos multos quod ea parere non poterat mulier, eam betere foras iussit.* Erat enim hoc Philip. 2. quoque verbum vsitatum in repudiis. Cicero: *Claues ademit, foras* Lis ep. 105. *exegit.* Martialis: *Vxor vade foras, aut moribus vtere nostris.*

Emendati complures variorum scriptorum loci in quibus a librariis eodem modo peccatum erat.

CAPVT XVI.

AD medicinam melius & certius factitandam, non mediocriter vtile est, scire, quibus in rebus is qui ægrotat, peccare solitus sit: quo & caussa morbi facilius reperiatur, & ad eam medendi ratio accommodetur. Sic & iis, qui se veterum scriptorum quasi medicos quosdam esse profitentur, nosse expedit, quibus potissimum modis veteres librarii peccare soliti sint, vt latentia hulcera quæ in optimis quibusque scriptoribus inueterarunt, sagacius deprehendant. Inter cetera igitur sane multa genera deprauationum, animaduerti, solitos eos, si quando vetustioris libri, ex quo aliquid describebant, scripturam satis certo ac liquido perspicere non poterant, dubitabantque hoc an illo modo scriptum foret, aut si quando aliud in aliis exemplaribus scriptum reperiebant, v-

trumque

etrumque ponere, & lectorum iudicio permittere; vtrum verius videretur. Eo modo, vix credibile est, quam multa in optimis & nobilissimis quibusque scriptoribus maculata sint. Libet eius rei aliquot exempla proponere: vt ab aliis quoque alia consimilia notentur. Apud Xenophontem libro primo Anabaseos ita legimus: *τὸ δὲ στράτευμα ὁ σῖτος ἐπέλιπε, καὶ πρίασθαι οὐκ ἦν, εἰ μὴ ἐν τῇ Λυδίᾳ ἀγορᾷ, ἐν τῷ Κύρου βαρβαρικῷ, τὴν καπίθην ἀλεύρων ἢ ἀλφίτων, τεττάρων σίγλων.* vbi qui diligenter attenderit, facile videbit, legendum tantum esse, *τὴν καπίθην ἀλφίτων*. Apud Aristotelem libro primo De arte dicendi: *Ἀνάγκη συλλογιζόμενον ἢ ἐπαγόμενον δεικνύναι ὁτιοῦν ἢ ὁντινοῦν.* vbi frustra se torquet Victorius. illud enim *ἢ ὁντινοῦν* plane delendum est: quod ego cum iampridem coniecissem, confirmatus sum in sententia, auctoritate Halicarnassei, qui hunc locum ita citat, vt illam librariorum *προσθήκην* non agnoscat. Apud Ciceronem in Academicis: *& vsitus amantes Socratem.* vbi docui legendum, *& iam ante Socratem.* Apud Liuium libro XXIV. in libris a doctissimo Sigonio emendatis: *Cum illud potius agendum, atque eis cogitandum sit, si quomodo fieri possit, ne qui socii a populo R. desciscant: & non vocitent. documentum autem dein ante statui oportere, si qua resipiscat, & antiquam societatem respiciat.* Libri autem veteres ita habent: *Documentum aut ducent, statui oportere non nociturum.* Ita igitur emendo eum locum, quem insanabilem esse pronuntiauit Sigonius. Primum illud, *Documentum aut ducent*, a librariis esse, vtro modo scriptum esset, ambigentis. Deinde illud, *& non vocitent*, factum esse ex eo, quod paulo post sequitur *non nociturum*, & positum loco non suo. Quibus positis ita lego: *Documentum statui oportere, non nociturum, si quis resipiscat & antiquam societatem respiciat.* Est autē optima & grauissima sententia, & Thucydidea: *ὅτι ἀνέλπιστον καταστῆσαι τοῖς ἀποστᾶσιν, ὡς οὐκ ἔσται μεταγνῶναι.* Apud Senecam lib. I. De beneficiis: *Ergo & Mercurius vna stat, non quia beneficia ratio commendat vel oratio, sed quia pictori ita visum est.* legendum: *Non quia beneficia commendat oratio.* Apud eundem Epistola XXXIII. *Ego vero vtar via veteri: sed si propiorem planioremque inuenero, hanc muniam.* Libri veteres: *Sed si propiorem vel planiorem.* Ego, *sed si planiorem inuenero.* Apud Plinium cap. XXII. lib. XIV. *Spectante, miraculi gratia Tiberio principe in senecta iam seuero, atque etiam alias saeuo, sed ipsa iuuenta ad merum pronior fuerat.* Totum illud, *atque etiam alias saeuo*: delendum est. Apud eundem cap. III. lib. XXVI. *Abstinentiam cibi, alias vini.* Dele illud, *alias vini.* dicit enim *ἀσιτίαν*. Apud Tacitum lib. XI. ab excessu Diui Augusti: *Vt sacrificantes vel insanientes Bacchae.* Vtrum non facile dixerim: alterū certe *παρέλκει*. Apud eundem lib. XIII. *Audiretur hinc Germanici filia, inde vilis rursus Burrus:* Liber vetus: *inde debilis rursus aut Burrus.* legendum, *inde debilis Burrus.* debilem autem vocat, quia trūca erat manu: vt statim sub-

iicit. Apud eundem libro XIV. *Per insidias seruiles, quas [illegible]* *habuit, aut prodidit*, delendum illud, *aut prodidit*. Apud Plutar. num in Theseo: [illegible Greek] delendum id [illegible Greek]. Parcam plura congerere: ne ipsa copia lectori nimium molesta sit.

Recte scriptum a Donato, his verbis, Hoc age, silentium & attentionem imperari.

CAPVT XVII.

Act. 2. sc. 3. & Eunucho act. 1. sc. 2.

DOnatus in Phormionem Terentii scripserat, hoc loquendi genere, *hoc age*, silentium imperari. Gabriel Faernus, homo Latinæ quidem linguæ non ignarus, sed Græce prorsus expers: neque hoc detrahendi studio dico: ita esse sciunt, quibus ille notus fuit: neque id ipse diffitebatur: ne poterat quidem: is igitur hoc, quia nusquam alibi legerat, ferre non potuit: & vt erat ingeniosus, confugit ad illud tritum, vt diceret in veteribus libris Terentii scriptum fuisse *hoc ag st.* sed vnam aut alteram literam erasam esse: & verba illa Donati ad illud *st*, non ad verba *hoc age* pertinere. Credo hoc acute excogitatum esse: & agnosco ingenium hominis, non tantum quid in vetustis exemplaribus scriptum esset, legere soliti, sed diuinare etiam quid deletum iis fiet. Sed quia tardior sum, quam vt illam tantam celeritatem ingenii sequi possim: continebo me intra septa, & contentus ero iis quæ ab aliis confirmata reperio. Videor autem legisse, in sacris imperari solitum silentium his verbis *fauete linguis*, & Græce [illegible Greek]. & eadem de caussa clamari solitum, *hoc age*, & hoc puto docere non malum auctorem Plutarchum in Numa: [illegible Greek], ΟΚΑΓΕ. Hoc igitur tenebo: curam legendi ea quæ erasa sunt, perspicacioribus delegabo.

Confirmatum quod de Aristotele & Hippodamo in superiori re scriptum est aduersus frigidam defensionem eius, qui quod ipse non ignorauit, aliis pro certo & explorato obtrudere voluit.

CAPVT XVIII.

Lib. 2. cap. 14.

SCripseram, non satis bona fide versatum Aristotelem in [illegible] Hippodami rep. reprehendenda: idque cognosci posse de quibusdam ipsius Hippodami fragmentis quæ apud Stobæum exstarent. Exstitit, qui decennio post, Aristotelis defensionem [illegible] [illegible]: neque eius rei historiam ignorasse [illegible] planum facturum, fideliter, vt docebat, [illegible] in toto illo negotio præstitisse. Exspectabam igitur, [illegible] [illegible] præstaret: & quando me [illegible] [illegible] argumentis [illegible] [illegible] historiam quidem [illegible] [illegible] videtur. Reperio historiam quidem nullam

argumenta autem ita leuia, vt ea dum refello, videar mihi cum Æ-
nea Virg. ludo per equitentes sine corpore vitas. Alium esse ait Hippodamum, cuius multa apud Stobæum leguntur, alium qui ab Aristotele reprehenditur. Illum enim Italicum, hunc Milesium fuisse. Velit ut aliquis veteris scriptoris testimonium protulisset, e quo horum duorum Hippodamorum Milesii & Italici, quorum vterque optimæ reip. speciem informasset, mentio fieret. Quamquam enim plurimum illi tribuo: non tantum tamen, vt satis sit, αὐτὸς ἔφα. Hæc videlicet, illa historia est, cuius ignoratione lapsum esse me dicit. Quæ si in ipsius ingenio deliteuerat neque a quoquam veterum prodita erat, qui, quæso, eam non ignorasse potui? At quia testimonia non suppetunt, ab argumentis auxilium mutuatur. *Hippodamus*, inquit, *Aristoteli Milesius fuit*. Fateor. *Stobæi vero vt existimare licet, Italicus, quod dysciplina ili...,& sermo etiam Doricus, quo vtitur, declarat. alter Hippodamus Ionico vsus fuisset. Miletus enim Ionia ciuitas fuit.* Neque quicquam hac ratione concludi. Nam neque omnes qui Italicam philosophiam coluere, fuerunt genere atque origine Italici: cum Pythagoras eius disciplinæ auctor Samius fuerit: neque omnes Dorico sermone scripsere. Empedocles certe Ionice scripsit; qui tamen Pythagoreus fuit: *At alter* inquit, *Hippodamus Ionico vsus fuisset. Miletus enim Ionia ciuitas fuit.* Quasi vero necesse sit, vnumquemque eius gentis lingua in scribendo vti in qua ipse natus est. Frustra certarent sept. in vrbes de stirpe insignis Homeri, si vlla in hoc argumento firmitas esset. Neque ego puto ea lingua vsos Stagiritas, qua Aristoteles scripsit: aut, quia ἀττικώτατα scripsit Theophrastus, ideo ita locutos Ephesios. Petrum Bembum optime Etrusce scripsisse ait bonus in primis eius rei existimator Ioannes Casa. at Bembus Venetus fuit. Quid autem vetat, Hippodamum, cum Mileti quidem natus esset, sed diu versatus in magna Græcia, in qua philosophia illa florebat, eius gentis sermone scripsisse, non in qua natus esset, sed in qua viueret, & cui fortasse potissimum scriberet? Doriensis fuit Hippocrates, ait Ælianus: sed in Democriti gratiam Ionice scripsit. Qui magis licuerit Doriensi Ionice quam Ionico Dorice scribere? Hoc saltem admonere debuit ipsum, non minus acri iudicio quam acuto ingenio præditum, vt non statim propterea duos Hippodamos esse concluderet. Addit: *Quanto autem plura sunt, quæ indicio Stobæi, in scripta ipsius Hippodami discrepant a sententia Aristotelis, tanto facilius intelligere poteras, ipsos longe alios esse. neque enim existimandum est philosophum ita perfricuisse frontem, vt tam aperte mentiretur: præsertim eo tempore, cum omnes nullo negotio hoc redarguere potuissent.* Hoc loco arduam mihi & lubricam defensionem esse fateor. nam neque de Aristotele, quem quanti faciam, nemo nescit, quicumque me nouit, quidquam iniquius loqui velim. & tamen res ipsa subigit me, vt dicam,

eum non nūquam reprehendendorum veterum paulo quam par fuit erat cupidiorem fuisse. Plato ciuitatis salutem in eo posita in esse dixerat, si quam maxime vna esset. Quàm id sophistice Aristoteles calumniatus est? Non libet de ideis dicere. Sed tamen non desunt ex ipsis Aristoteleis, qui Aristotelem in eis labefactandis non optima fide cum Platone egisse fateantur. Parmenidem quidem defendit Simplicius, nihil Aristotelis auctoritate deterritus. Et Platonis aut Parmenidis scripta non minus illa tempestate in manibus erant, quam Hippodami. Sed si duo Hippodami fuerant, quorum vterque de republica scripserat, cur eorum alterum Aristoteles insectatus est, alterum ne nominauit quidem? cum praesertim quosdam nominauerit, quorum nusquam alibi memoria exstat. An illud verius est ex his duobus Hippodamis alterum Milesium, alterum, vt Palladem e Iouis, ita ex hominis eruditissimi cerebro Florentiae natum? Et addit postremo: *Quod autem Aristoteles significauit, eum, quem improbat, Milesium fuisse, putari debet [illegible] esse, vt distingueret ab altero, hoc eodem nomine vocato [illegible]*. Nō video, cur ita putari debeat: multos enim a patria nominat [illegible]. Et vbi nihil opus est distinctione. vt cum dicit, [illegible] Et libro primo cum dicit: [illegible] τὸ Θάλεω τοῦ Μιλησίου, non [illegible] Milesium dixit, vt eum ab aliquo Thalete Italico distingueret. Iam igitur [illegible] Hippodamum omittam: pertinacius [illegible] occinam,

Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δ' [illegible].

D. literam vocibus in vocalem desinentibus antiquitus interdum addi solitam. Et eius rei proposita aliquot exempla.

CAPVT XIX.

A Latinis veteribus concursum vocalium non amantibus fieri saepe solitum, vt vocibus in vocalem desinentibus adderent literam *D*, tum maxime, cum subsequentis vocis prima litera vocalis esset, notum est & ex Fabio, & e fragmento columnae rostratae C. Duillio positae, quod e foro [illegible] nunc in Capitolio visitur. Atque idem obseruatum est in iungendis verbis, vt ex *re* & *eo*, *redeo*: ex *re* & [illegible] ad [illegible] que modum plurima. Sed & *med erga*, *ted erga*, *sed erga*, [illegible] frequenter apud Plautum leguntur, vt nemini ignota esse [illegible]. Supersunt & in posterioris aeui scriptoribus multa [illegible] consuetudinis vestigia, nisi per errorem obliterata essent. Nam & apud Catullum plane ita legendum: *[illegible]* quod ex me in sermone familiari auditum [illegible] & apud Horatium duo loci sunt huius veteris [illegible] ignoratione deprauati. Nam & libro tertio Carminum [illegible] vulgo [illegible],

[illegible] & puella

Iam virum experta male ominatis
Parcite verbis; Od. 14. v. 10

Ex quo alii fecerunt, *male nominatis*: plerique veteres libri habent *maled ominatu*. quod vt verum est & libro primo epistolarum:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum. Ep. 4. v. 13

Ex quo factum est, *tibi diluxisse*. Est autem ita locutus Horatius, vt Liuius in illo: *Hic speciosus vltimus dies P. Scip onis illi xit.* Apud Plautum quoque in Rudente, in extrema fabula, vbi vulgo ita legitur:

Tibi propino decuma fonte: tu tibi inde si sapis. Stycho sc. Agite ite.

Non habeo dubium, quin ita legendum sit:

Tibi propino deccum a fonte: tu tibi inde si sapis.

Aquam enim conseruo propinat: & eum iubet vinum sibi ipsum miscere. Quinetiam lib. XLIII. Digestorum, sub titulo, Ne quid in loco publico vel itinere fiat, vbi legitur: *Idem ait, si odore solo locus pestilentiosus fiat non esse ab re de ea interdicto vti*: legendũ censeo: *non esse ab re deo interdicto vti.*

Essentia nomen a Cicerone nouatum esse. Emendatus Seneca ex epistolis locus.

CAPVT XX.

Magnam sæculo suo laudem consecutus est & dicendi facultate, & philosophiæ scientia & grauitate morum Ser. Flauius Fabianus: multaque de eo cum alii, tum locupletissimus testis Seneca honorificentissime scripsit. Is cum philosophiam ciuitate donare vellet, multa vocabula nouauerat: neque enim aliter fieri poterat; cum in Græco quoque sermone, qui Romano immensum quantum copiosior est, veteres illi necesse habuissent multa procudere. Putabatur autem primus, quam Græci *vsiam* dicunt, eam Latine *essentiam* nominasse. ita certe Quinctilianus credidit, qui libro secundo, cum rhetoricam a quibusdam Latine loquentibus oratoriam aut oratricem vocati dixisset: *& hac*, inquit, *interpretatio non minus dura est quam illa Flauii essentia*, & libro tertio: *vsiam, quam Flauius essentiam vocat, neque sane aliud est eius nomen Latinum.* & libro octauo: *Multa ex Græco formata noua, ac plurima a Ser. Flauio: quorum dura quædam admodum videntur, vt ens & essentia: quæ cur tantopere aspernemur, nihil video: nisi quod iniqui iudices aduersus nos sumus ideoque paupertate sermonis laboramus.* Primus tamẽ eam vocem finxerat Cicero: sed quod eam Fabianus primus vsũ tetulisset, quodque alias multas fabricatus esset, huius quoque origo ad eum referebatur. Sed eam Ciceroni vindicat Seneca epistola LIX. nisi quod locus corruptus, ne id vulgo animaduertatur, impedimento est. Ita enim legitur: *Cupio si fieri potest, propitiis auribus tuis quid sentiam dicere, sin minus,*

dicam & iratis. Ciceronem auctorem huius verbi habeo, puto locupletem. Si recentiorem quæris, Fabianum, disertum & eloquentem, orationis, etiam ad nostrum fastidium nitidæ. Sed pro illo *quatientiam*, omnino legendum est *essentiam*. alioqui enim cur illos verbi habere se auctores diceret? Idque manifesto declarant, quæ statim sequuntur: *Quid enim fiet mi Lucili? quomodo dicetur ΟΥΣΙΑ, res necessaria naturam continens, fundamentum omnium?* Rogo itaque permittas mihi hoc verbo uti. Quamquam autem res aperta est, ne quis tamen calumnietur, alium testem in eam rem dabo. Is erit Sidonius Apollinaris: cuius hæc sunt ex epistola quadam ad Polemium: *Lecturus es hic etiam nouum verbum, id est, essentiam. sed scias hoc ipsum dixisse Ciceronem. Nam essentiam, nec non & indoloriam nominauit, addens: Licet enim nouis rei nouo nomina imponere.* & recte dixit: Nam sicut ab eo quod est, verbi gratia, sapere & intelligere, sapientiam & intelligentiam nominamus regulariter, & ab eo quod est esse, essentiam non tacemus. Iam igitur qui ad Nizolii epulas bellaria inferunt, eiusdem nomine auctiorem eius librum faciant licet. *Indoloriam*, me quidem auctore, non addent. nam & apud Sidonium ipsum *indolentiam* legi debere arbitror.

Post Cap. 15.

M. ANTONII MVRETI.

VARIARVM LECTIONVM Liber Decimussextus.

T. Liuii locus e philosophia depromtus.

CAPVT I.

PHilosophicam sententiam fecit Liuius, libro quinto Annalium, ab App Claudio, dici in ea oratione quam ad populum, aduersus Tribunos habuit. Hæc enim ipsius verba sunt *Laborem voluptasque dissimillima natura, societate quadam naturali inter se iuncta sunt.* Constat autem id multo ante apud Platonem dictum esse a Socrate, qui cum paulo post moriturus, vinculis ex more, solutus esset, *Quam mirabile*, inquit, *videtur id, quod suaue homines vocant: & mirabiliter affectum natura erga id, quod ei aduersari videtur, molestum: cum ambo quidem in homine simul esse nolint: alterum autem eorum si quis persequatur ac capiat, alterum quoque fere capere cogatur: tamquam ex eodem vertice capite apta, ac colligata sint.* Neque tamen omnino verum est, voluptatem, & molestiam simul in eodem esse nō posse: multæ enim

enim sunt voluptates, quibus aliquid molestiæ admistum est: vt ea ipsa quam tum sentiebat Socrates: & plæræque eorum, quæ ad corpus pertinent: quæ propterea puræ ac liquidæ esse non possunt; vt sapientissime disputatur ab Aristotele, libro decimo Ethicorum. Et vt in tepido, remissi caloris, ac frigoris quidam quasi cinnus est: ita multæ sunt voluptatis ac doloris permistiones, vt cum alibi, tum in amatoria leuitate. Propterea enim Musæus Grammaticus stimulum amoris vocauit γλυκύπικρον. Et Catullus a Venere *dulcem amaritiem curis miscere* ait. Neque vero aut detracta molestia, necessario in locum illius subit voluptas, aut detractam voluptatem statim consequitur dolor. Media enim inter vtrumque indolentia est: etsi eam Epicurus non voluptatem modo, sed summam voluptatem esse dicebat. Multum tamen inter voluptatem, & doloris vacuitatem interesse, & Cicero multis locis docet, & multis ante eum sæculis in Phileto docuerat Plato.

Animalia in igne degentia. Plinius corrigitur.

CAPVT II.

CVm varia animalium genera cœlo, terra, marique, vt poetæ loqui solent, nascantur, solus ignis nullum ex se animal procreare dicitur: ideoque veteres cum Vestæ nomine ignem intelligerent, & ipsam virginem fecerunt, & ei virgines consecrarũt. Ouidius.

Nec tu aliud Vestam quam puram intellige flammam
Nataque de flamma corpora nulla vides.

Aristoteles tamen libro quinto de historia animalium, in Cypro, vbi lapis chalcites excoquitur, in medio igne bestiolas quasdam alatas nasci ait, quæ per ignem saliant, atque ambulent, moriantur que simul atque ab igne abscesserint. Ad eas respexit Seneca libro quinto naturalium Quæstionum, ita scribens. *Ignis qui omnia consumit, quædam etiam creat: &, quod videri non potest simile veri, sed tamen verum est, animalia igne generantur.* Plinius autem libro vndecimo, Aristotelis verba prope ipsa interpretatus est, hoc modo. *GIGNIT aliqua & contrarium natura elementum. Siquidem in Cypri ærariis fornacibus ex medio igni maiores muscæ magnitudinis volat pennatum quadrupes: appellatur pyrales, a quibusdam pyrausta. Quamdiu est in igne, viuit: cum euasit longiore paulo volatu, moritur.* Plinii verba leuiter deprauata esse constat: legendumque aut, *maioris muscæ magnitudinis*, aut *maioris muscæ magnitudine* Aristoteles enim ait,

θηρία τῶν μεγάλων μυιῶν μικρῷ τι μείζονα.

Terentii Adelphis locus aliquot castigantur.

CAPVT III.

Repuerascere me cogit amor in meos. Itaque qui iampridem & Comœdias, & cetera ludicra posueram, vt grauiora, & huic ætati conuenientiora curarem, nunc vt consulam studiis M. Antonii, qui natura fratris mei filius est, caritate, & beneuolentia meus, Terentium, amores olim ac delicias meas, sumo interdum in manus, eiusque fabulas, cum optimæ spei puerulo, magna cum animi mei voluptate percurro. Reperio autem ad oras librorum meorum notata nonnulla, quæ fortasse non iniucunda fuerint illius poetæ amatoribus. Quædam igitur, vt fors ferat, ex illis in hos libros referam, si cui forte, aut vsui, aut oblectamento esse possint. Ac alia quidem aliis: nunc ex Adelphis hæc pauca, quæ ad manum sunt. Demea cum audisset ex Hegione de Pamphila grauida, conturbatus, neque habens quid aliud responderet:

fratrem, inquit, conueniam Hegio.
Is quod mihi de hac re dederit consilium,
id sequar.

Sed quomodo ait secuturum se id consilium, quod super ea re frater dederit? An nesciebat quicquid libidinose & intemperanter faceret Æschinus, de Mitionis, si non consilio, at certe permissu illius ac voluntate fieri? Deinde diceret potius, se auctorem ac suasorem fratri fore, quid ipsum e re nata facere oporteret: non secuturum, quod ille suasisset. Neque enim Demeæ, sed Mitioni de illo negotio statuendi potestas erat. Neque is qui negotii alicuius præcipuus est arbiter, solet aliis consilium dare, quod sequantur: sed ipse potius aliorum sententias exquirere, & quod optimum factu visum fuerit, sequi. Quæ cum ita sint, non dubito, quin totus ille versus, Is quod mihi, ex hoc loco expungendus sit: vt tota responsio Demeæ contineatur his verbis,

—— fratrem conueniam Hegio.

Vt sententia sit. Ergo tibi hic aliud nihil præstare possum Hegio, nisi vt cum fratre colloquar. Scis enim Æschinum non in mea potestate esse, sed in illius. Hoc & Donatus confirmat: cuius hæc verba sunt. *Vultuose pronuntiandum hoc quod addidit, HEGIO. quasi dicat, In manu fratris est constitutum, non mea.* Translatus autem huc est versus ille ex Phormione, vbi ita loquitur Demipho.

—— frater est exspectandus mihi.
Is, quod mihi de hac re dedit consilium,
id sequar.

Ita enim plane illic quoque legendum videtur. In illo autem, quod paulo post sequitur, Colloquio Ctesiphonis & Syri, vbi loquitur:

Nam

Nunc cum maxume operis aliquid facere credo.

Prorsus legendum est, NVNC CVM MAXVME. quo modo & Plautus, & Cicero, & Seneca, & Tacitus & alii optimæ notæ scriptores sæpe locuti sunt. Quod autem, cum adolescens patri, qui voluptates suas ab eo impediri nollet, triduanam perpetuam lassitudinem precatus esset, subiicit Syrus,

Ita fiat. & istoc si quid potis est rectius:

Tum Ctesipho.

Ita. nam hunc diem
Misere nimis perpetuum, vt cœpi, cupio in lætitia degere:

Videri in eo poterat poeta non satis diligens seruandi decori fuisse, qui improbo seruo, non lassitudinem, sed mortem Demeæ precanti, ingenuum adolescentem assentientem fecisset. Sed totum huius loci artificium subtilissime aperuit elegantissimus Grammaticorum Donatus: qui verba hęc duobus modis accipi posse ostendit: quorum vtrouis posito, id quod alioqui poetæ obijci poterat, diluatur. Aut enim negabimus mortem a Syro intelligi: neque illum quidquam aliud precari dicemus, nisi vt ad illum triduum aliquid præterea addatur, fitque aliquanto longior lassitudo: aut, si mortem significare voluit, quod mihi quidem in seruo, & in tali seruo, verisimilius videtur, dicemus eum, cum illa diceret, ET ISTOC, SI QVID POTIS EST RECTIVS, auertisse se a Ctesiphone, ita vt ab eo non audiretur. Prior illa expositio si cui magis probabitur, ISTOC, non sextus casus erit, sed aduerbium antiquum, pro, ISTVC. Et hæc quidem ex Donato hausta sunt: sed intelligi ex eo non queunt, nisi verba ipsius prius emendata fuerint. Legenda igitur sunt ad hunc modum.

ET ISTOC SI QVID POTIS EST RECTIVS.) Deest, *addi.* nam si mortem significaret, non conueniret, adolescentem, ITA, dicere. Videtur ergo plus temporis optasse languori. Vel ET ISTOC SI QVID POTIS EST RECTIVS) vt moriatur scilicet. Et hoc auersus seruus debet dicere: ne indecorum adolescentis personæ sit, ITA, dixisse. quamuis eiusmodi adolescentes inducant Comici. Vt Næuius in Tribasilo,

Deos quæso, vt adimant & patrem & matrem meos.

Haud magni pretii hæc esse, dicat aliquis? licet. ego ea nunquam pro pretiosis vendicabo: vt ne illud quidem, quod illius versiculi, qui non ita multo post legitur,

Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestaui meis.

Tanta est similitudo cum illo Euripidis ex Cyclope,

Ὃ, ἐξέστρεψα πούδ᾽ ἐγὼ πετ᾽ ἀγκάλαις,

Vt si illa Euripidis Satyra periisset: & hic vnus versus non expresso auctoris nomine, citatus ab aliquo vetere Grammatico reperiretur, facile suspicaturus fuerit aliquis, eam esse ex Adelphis Menandri. Tale enim quiddam in aliis euenisse scimus.

Hippolyti Card. Estensis prudens de seueritate sermo.

CAPVT IV.

SÆpe mihi obuersatur ante oculos Hippolytus Cardinalis Ferrariensis; sæpe de illo vigilans, sæpe etiam dormiens cogito; & magna caussa est, cur id facere debeam. Primus ille fortunarum mearum, quantulæ illæ tandem cumque sunt, auctor atque inceptor fuit. Quindecim annos, & eo amplius cum eo familiarissime vixi: cum optimus & humanissimus Princeps, sua mecum grauissimis de rebus consilia sæpenumero communicaret: nonnumquam etiam eodem plane modo quo magistri discipulorum ingenia interrogando experiri solent, meam super eis sententiam exquireret: a se interdum dissentientem æquissimo animo ferret: errantem amantissime redargueret, multarumque rerum ad vitam pertinentium, pro singulari prudentia, qua præditus erat, admoneret. Præcipue autem cum Tibur secesseramus, vbi ille quotannis æstiuos menses transigere solebat, nullus fere abibat dies, quin, per studiorum speciem, aliis omnibus exclusis, horas aliquot vna iucundissimis sermonibus consumeremus. Vtinamque eorum, quæ quotidie ab illo audiebam, commentarios & confecissem diligentius, & studiosius conseruassem. Sed hominum incogitantium more, qui, quorum in præsens copia est, ea sibi perpetuo parata fore confidunt, & e plurimis paucissima seligebam, quæ memoriæ caussa, consignarem literis, & eas ipsas scidas in quas illa conieceram, postea ita negligenter habui, vt earum bona, magnaque pars perierit. Incido autem nonnumquam in earum nonnullas, quæ me acriore reliquarum desiderio incendunt. Vt hæc est, quæ nunc aliud agenti venit in manus. Habitus erat in prandio sermo de summo quodam, & potentissimo Principe, qui cum in omnibus ætatis partibus admirabilem quandam integritatem, & innocentiam præstitisset, iam senex ad imperium euectus, peccata hominum ferre non poterat; eaq; durioribus, ac seuerioribus legibus, quam iniquitas sæculi licentia postulare videretur, coercebat. Multi ac varii sermones fuerant, aliis, vt fit, rigidam illam & præfractam seueritatem commendantibus, neque aliter vitia resecari posse dicenti-

bus

bus: quibusdam modice culpantibus, cum dicerent ab illis repentiuis mutationibus naturam quoque ipsam abborrere, quæ nos non statim ab hyeme ad æstatem, aut ab æstate ad hyemem, sed interiecto inter illas vere, autumnoque perduceret. Abscessus quoque & vomicas in corporibus nostris a medicis, lenibus primo fomentis ac cataplasmatis molliri solere, neque prius incidi, quam suppurauerint. Cardinalis cum & blande omnes ad dicendum inuitaret, neque patienter modo, sed & libenter audiret, dicebat, in iis reprehendi posse seueritatem, qui ad formulam suam non viuerent, sed alia facerent ipsi, alia publice facienda præscriberent: in eo non posse qui nullam aliis legem poneret, quam non ipse sibi multo ante posuisset. His alisque in eandem sententiam sermonibus super mensam habitis, Hippolytus dimissis ceteris, ex more, me in cubiculum ad se vocari iubet. Ibi cum alia multa sapientissime dixit, quibus ne sibi quidem illam tantam seueritatem prorsus probari ostenderet, quam tamen certo sciret ab optima mente proficisci: Tum has, quas subiiciam sententias, aspersit orationi suæ: quas ego, quod & graues, & eleganter expressæ viderentur, vt primum ab eo discessi in libello, quem tum forte in sinu gestabam, annotaui *Nihil prohibet, esse aliquem & optimum virum, & non optimum Principem. Optandus est medicus, qui aliquando ægrotarit. Non satis aptus est ad regendos homines, qui ab hominibus ea, quæ sunt supra hominem, exigit. Miseros homines, si sola innocentia tutos facit. Cogitet, qui imperat, quomodo sibi olim alios imperare voluisset.* Deinde, quasi cum ipsum de quo sermo erat, alloqueretur. *Quod tu*, inquit, *alios præstare non posse miraris, id te alii præstare posse mirantur. Si quid tu quoque olim tale fecisti, ignosce & aliis, vt ignotum est tibi: sin nihil: cogita, non eandem a Deo datam esse omnibus animi firmitatem. Qui ad minora peccata interdum conniuere non vult, sæpe ad maiora homines cogit. Aliud vltio est, aliud correctio. Qui vlcisci vult, iratus est, qui corrigere, amicus. Ille eum qui peccauit, non amplius esse vult: hic esse quidem, sed non amplius talem esse. Non sunt ferenda vitia. sed qui nullum vitium fert, nullum hominem feret.* Hæc optimus, & longo rerum vsu exercitatissimus senex: quæ tanquam oracula quædam fuisse euentus ipse postea docuit.

Vnus pro millibus, a Democrito primum dictum videri.

CAPVT V.

NOn numerandas, sed ponderandas esse sententias, sæpe a sapientibus dictum est: plurisque faciendum esse vnius grauis, & cordati viri iudicium, quam imperitam multitudinem, cui probari ac placere, olim a peritis Musicis argumentum habitum est κακοτεχνίας. Ex quo proditum etiam est literis, Periclem

li quando plaudentem sibi coronam videret, metuere solitum, ne quid peccasset, neu quid plus minusue dixisset, quam oportebat. Et laudatur Antimachus, qui cum grande illud suum poema recitans, ab omnibus, præterquam à Platone relictus esset: *Legam*, inquit, *nihilominus. Plato enim mihi vnus instar est multorum millium.* Neque non illud Epicuri generosum ac magnificum est: qui ad Metrodorum scribens, & parui cum sibi, tum illi, facienda esse vulgi iudicia, differens, *Satis magnum*, inquit, *alter alteri theatrum sumus.* Sic Cicero dum Catoni probaretur, aliorum iudicia non extimescebat, *Cato ille noster*, inquit, *qui mihi vnus est pro centum millibus.* Et alibi de Peduceo, *Tu vero*, inquit, *leges Sexto: eiusq; iudicium mihi perscribes.*

εἷς ἐμοὶ μύριοι.

Cum autem Græca illa verba alicuius veterum esse constet: neque quisquam adhuc, quod sciam, cuius sint, prodiderit: non alienum putaui testari, quid de illis opiner. Suspicor igitur Democriti esse: cuius hoc dictum refertur a Seneca: *Vnus mihi pro populo est: & populus pro vno.*

Serui ad pedes cenantibus stabant. Magdalenam pedes Domini stando vnxisse.

CAPVT VI.

DIscumbentibus olim cenandi caussa serui retro ad pedes stare consueuerant, qui Dominorum iussa exciperent. Quod vel ob eam caussam obseruatione dignum putaui, vt magis intelligeretur quod in sacrosancto Euangelio scriptum est, Magdalenam, cum in domo Pharisæi cenanti communi omnium domino, ingressa esset, retro ad pedes ipsius stetisse. Neque enim adueniens, vlla ratione maiorem animi summissionem significare poterat, quam cum eum sibi nobilissima mulier locum delegit, qui seruis propriè erat attributus, *Stans retro*, ait S. Lucas, *ad pedes eius, lacrimis cœpit rigare pedes eius.* Seneca libro tertio de Beneficiis *Vt primum diluxit, seruus, qui cenanti ad pedes steterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixisset.* Martialis,

Omnia cum retro pueris obsonia tradas
Cur non mensa tibi ponitur a pedibus?

Aridæus & Apollodorus tyranni. Seneca emendatus.

CAPVT VII.

QVæsiit ex me per epistolam homo eruditus, qui, me auctore, Senecam studiose legere cœperat, cum ab eo prius, more multorum, abhorruisset, qui fuisset rex Arrhideus, & Apollodorus, qui ab eo inter feros, & crudeles nominarentur. Respondi de Arrhideo quidem ut dubitaret, factum esse culpa librariorum, qui *Arrhidæum* pro *Aridæo* scripsissent. Hunc

natum Aridæum Alexandri Magni fratrem, ex ignobili muliere ortum: cuius meminisset & Plutarchus ad finem Alexandri. Sed & in commentario, *Num seniori gerenda sit respublica* ita legi. Καὶ γὰρ καὶ Ἀῤῥιδαῖος ἦν νέος, γέρων δὲ Ἀντίγονος. ἀλλ' ὁ μὲν ἅπασαν ὀλίγου δεῖν κατεκτήσατο τὴν Ἀσίαν, ὁ δὲ ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς δορυφόρημα, κωφὸν ἦν ὄνομα βασιλείας καὶ πρόσωπον ὑπὸ τῶν ἀεὶ κρατούντων περιελκόμενον. Philinnam Saltatriculam Aridæi matrem fuisse legimus apud Athenæum libro tertiodecimo, Apollodori autem tyranni mentionem esse, & apud eundem Plutarchum, libro, quo disputat, *Philosopho cum iis, qui rerum potiuntur, vel maxime sermonem conferendum esse*, & apud Suidam in voce Ἱερώνυμος Hæc quanquam recondita non sunt, quod illi tamen scrupulum iniecerant, putaui, euenire posse, vt aliis quoque molesta essent.

Tria Liuii loca numerorum notis deprauata.

CAPVT VIII.

DEprauata multa in optimis quibusque scriptoribus, cum librarii eas literas quibus numerus indicabatur coniungerent, atque ex eis vocem aliquam conficerent, sæpe iudicaui. Nũc proponam quosdam e Liuii annalibus locos, in quibus eius generis maculam tamdiu hæsisse mirum est Eorum vnus ex libro 23. vbi agitur de auxiliis, quæ Karthaginenses miserunt ad Hannibalem, cum, male pugnato a Romanis ad Cannas, spes esset, bellum breui tempore perpetratum iri. *Itaque*, inquit Liuius, *fit Senatusconsultum, vt Hannibali XL. Numidarum millia in supplemẽtum mitterentur, & XL. elephanti, & argenti multa talenta.* Sed quis non miretur, cum & militum, & elephantorum numerus senatusconsulto definitus ac certo comprehensus fuerit, de pecunia ita ἀορίστως decretum esse? Non immorabor in re perspicua longius. Fuit hæc paulo supra nostram ætatem ab hominibus ineruditis inuecta scribendi ratio, vt cum quingẽta significare vellent, ita scriberent Vcta. Erat igitur scriptum in vetere Liuiano libro M. Vcta, id est, *mille quingenta*. Quod qui non intellexerũt, inepte scripserunt MVLTA. Contrario vitio laborat hic locus e libro 26. Eodem tempore septem *tabernæ, quæ postea quinque, & argentariæ, quæ nunc nouæ appellantur adferre*. Numeri notam putarunt esse, quæ nõ erat. Habebat enim antiquus liber. SEPTEM TABERNÆ QVÆ POSTEA VET. ET ARGENTARIÆ, QVÆ NVNC NOVÆ APPELLANTVR. Nam, vt nouæ ita veteres tabernæ in foro erant. Vnde locorum nomina, *sub veteribus*, & *sub nouis*. At illi, deletis duabus literis, quas frustra geminatas putarent, illud V notam esse quinarii numeri iudicarunt. Addam & tertium qui tamen quoto ex libro sit, nũc quidem recordari non queo. Sed alicubi exstare tam certo scio, quam me viuere. Exposito prælio quodam, Liuius, vt plerumque solet, subiiciens numerum eorum, qui vtrinque cecide-

rant, ita scribit, vt vulgo quidem legitur. E ROMANIS CECIDERE VICTORES. In veteribus erat VICTI. Sed qui Romanos ex eo prœlio viderent superiores discessisse, ex *victu* fecere *victores*. Erat autem scribendum Victi, id est, sexcenti. Sexcenta adhuc huius generis in scriptis veterum latent: quæ aut a me aliquando, aut ab aliis detegentur.

Si forte. Ciceronis in Miloniana locus interpunctione sanatus.

CAPVT IX.

Apud Ciceronem in Miloniana ita legitur. *Hiccine vir patria natus, vsquam, nisi in patria morietur, aut si forte pro patria, huius vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini?* Sed vitiosa interpunctio vim omnẽ illius eneruat, pulcritudinem delet, sententiam obscurat. Atque equidem putabam id ita perspicuũ esse, vt superuacaneum esset monere. Sed cum videam id mendum hærere etiam in iis libris, qui iure an iniuria, videbimus, sed certe vulgo ceteris emendatiores putantur, praetereaque animaduertam hominibus ceteroqui non ineruditis in explicanda eius sententia oculos cæcutire, potius huius opellæ iacturam faciam, quam eos diutius errare patiar. Est igitur ita legendum. *Hiccine vir patria natus, vsquam, nisi in patria morietur, aut, si forte, pro patria?* Atque hic subsistendum: vt quod sequitur, sit nouæ periodi principium. Hoc enim significat, indignum esse, talem virum vsquam nisi in patria mori, nisi forte casus aliquis ita tulerit, vt in aliquo externo bello, mortem, pro patria dimicans, oppetat. Est genus loquendi Græcum, *si forte, εἰ τύχοι.* Sic libro primo Epistolarum ad Q. fratrem. *Intelliges, nihil esse a me, nisi orationis acerbitatem, & iracundiam, &, si forte, raro literarum missarum indiligentiam reprehensam.* Et libro tertio de oratore. *Ex quo vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis imitatus, & aliquem, si forte, motum.* Sed & Ouidius in primo Metamorphoseon.

Figitur in viridi, si fors tulit, anchora prato.

εἰ οὕτως ἔτυχε; cuius ignoratione vulgo fecerunt, *sic fors tulit.*

Suetonii de claris Rhetoribus libellus emendatur.

CAPVT X.

IN his libris conscribendis imitari mihi videor eorum consuetudinem, qui tesseris ludunt. Vt enim illi, quod temere iecerunt, eo vtuntur: sic ego pomeridianis horis, dum se calor frangat, in bibliothecam meam ingressus, qui primus libet in manus venit, eum arripio, & si quid olim a me in eo notatum sit, inspiciens, vnum aut alterum horum capitum concinno. Nunc igitur, cum sese obtulerit libellus sane elegãs Suetonii *de claris Rhetoribus*, tentabo, num ex iis, quæ pridem in eo notaui, passim quasi corol-

& corollam aliquam texere. *Rhetorica quoque, inquit, apud nos, perinde atque Grammatica fere recepta est.* Ego pro, FERE, non dubito quin legendum sit SERO. Sequitur paulo post, *Quod ne cui dubium sit, vetus item Censorium edictum subiiciam.* Lego *vetus S. C. & Censorium edictum subiiciam.* Addo & prænomen prioris consulis. vt sit, C. FANNIO. STRABONE. M. VALERIO. MESSALLA. COS. Ac paulo post. VT I. E I. non, vt vulgo editum est, VT. SI. E I. Notum autem est & Senaticõsultum hoc, & Edictum totidem verbis apud Agellium extare. Quod autem aliquanto post legitur, *DVM vtilia & necessaria, dum perniciosa & superuacanea ostenderet:* si locus vitio vacat, illud DVM geminatum, valet, ὅτι μὲν, ὅτι δὲ. Ad ipsum autem procemii finem, cum ita legatur, *PETITVR puer, quod domini voluntate fuerit liber, in libertate:* legendum est, in libertatem. Hoc enim dicit, eum puerum peti *in libertatem,* id est, liberali caussa manu asseri, quod domini portitores fraudare cupientis, voluntate liber habitus sit: Vbi autem de L. Plotio Gallo differens ita scribit. *HVNC eundem (nam diutissime vixit) M. Cœlius in oratione, quã pro se de vi habuit, significabat* (malim legere, *significat*) *dictasse a Cratino accusatori suo actionem.* Ibi ergo pro A CRATINO, legendum esse ATRATINO constat ex oratione Ciceronis pro Cœlio. Neque negligendum est, quod ait *L. Otacilium cum esset ostiarius, vetere more, in catena fuisse.* Eius enim moris mentio & apud alios, & apud Ouidium in illo versu,

Ianitor indigne dura religate catena.

Quem autem Epidium Nuncionum vocat, *Nursinum* fortassis vocare melius fuerit. Et, vt hæc leuiora sint, hoc certe quod subiiciam, conciliare aliquam huic capiti gratiam, vel apud fastidiosos æstimatores potest. SEX. inquit, *Clodius e Sicilia Latina simul Græcaque eloquentia professor, male oculatus, & dicax par oculorum. In amicitia M. Antonii Triumuiri exstitisse se aiebat.* Ita vulgo legitur. Sed aquam quis citius e pumice, quam vllam ex his verbis idoneam sententiam expresserit. Emendentur igitur ad hunc modum. SEX. *Clodius e Sicilia Latina simul Græcaque eloquentia professor, male oculatus & dicax: pari oculorum amicitiam M. Antonii Triumuiri stetisse sibi dicebat.* Cum enim M. Antonius & plurimum biberet ipse, & eos, qui idem facerent, amaret, vt ex historia notissimum est; Clodius, qui, vt M. Antonio obsequeretur, dies noctesque cum eo perpotabat, oculis sibi cõstitisse illius amicitiam dictitabat, eos enim potando corruperat. Itaque in compotorum illius numero a Cicerone censetur. *Compotorum* enim legendum plane est, non, *Competitorum.* & alia quoque in verbis Ciceronis, quæ hic referuntur, ex Cicerone ipso emendanda. Hic aliquis ex istis nouis Astydamantibus *ἀγχίνοιαν* suam admiraretur, & Musarum fidem imploraret, & sibi

inauratam statuam ipse decerneret. Sed ego istam nouã eloquentiam nondum didici: & senex sum. Satius fuerit, his nugis omissis, alias nugas (quid enim aliud hæc nostra sunt?) huc congerere, & quandam in vltimam eiusdem libelli partem notare. In iis igitur, quæ de C. Albutio narrantur, ita legenda sunt hæc, RECEPTVSQ. *in Planci oratoris contubernium, cui declamaturo mos erat prius aliquem, qui ante diceret, excitare, suscepit eas partes, atque ita impleuit, vt Planco silentium imponeret, non audenti in comparationem se dimittere.* Et mox, vbi legitur, SOLITVS *proposita controuersia sedens in opere*, legendum INCIPERE. Ac statim pro, DECLAMARE AVT GEMERE VARIO, lego *declamare aut ẽgenere vario.* Et paulo post, vbi vulgo, TANTVMMODO *triuialibus verbis*, legendum, *tantum non, vel non-nunquã.* Mox, DVM *amplissimã quamq; sectatur*, non, vt vulgo, *nunquam.* Tum paucculis versibus interiectis, ET RVRSVS *cum in cognitione cædis Mediolani a L. P. P. d v. c. c. l. n. l. v. ita excanduit, vt deplorato Italiæ statu:* & quæ sequuntur. De illa autem M. Bruti statua, quæ Mediolani visceretur, iucundum cognitu quiddam est apud Plutarchum in Bruto, in extremo. Tantulus libellus vnam prope mihi horam abstulit.

Notatis in transcursu errores aliquot cuiusdam, qui libellum illum Suetonij Commentario explanauit.

CAPVT XI.

CVm superiora scripsissem, venit ad me amœnissimi homo ingenii Alexander Riparius, qui, cum ea, pro nostra arctissima familiaritate, legisset: Vereor, inquit, ne tota tibi hæc opella perierit. Leuis inquam, fuerit iactura. Sed cur id, quæso, vereris? An tu, inquit, nescis a vetere illo amico tuo, & hunc libellum, & aliũ argumenti quidem consimilis, eiusdem autem auctoris iampridem emendatos prodiisse? Quem tu, inquam, amicum mihi veterem nominas? quæso te, etiam ne is in hũc librum aliquid scripsit? Imo vero, inquit, domi, vt puto, commentarium ipsius habeo, quanquam fortassis aliqua iam parte lacerum. mitte, quæso, qui afferat. Ille puerum confestim ire ac redire iussit. It, redit, affert tres aut quatuor conscissas chartas. Itaque mittendum ad librarios fuit. Apud quos vix tandem repertum commentarium, quanquam nõ valde metuebam ne quidquam eorum, quæ a me notata erant, occupasset, excutere tamen libuit. Eorum pauca quædam notare placuit: neque enim vacabit omnia, in quibus ab illo dissentio. Primum igitur illa C. FANNIO, STRABONE. M. VALERIO. MESSALLA. COS. notat esse initium edicti: neque videt esse principium Senatusconsulti. & ambigit, scribendum ne sit CONS. an potius CENS. cum tamen censorum nominibus nunquam tempora notari soleant:

hæ

nos autem *Consules*, non *Censores* fuisse, etiam pueri sciant. Addit, multa edicta & Senatusconsulta apud Ciceronem, & apud Agellium, & apud Frontinum legi, quasi dubium sit, aut non apud alios quoq; æque multa legantur: neque tamen videt illud ipsum S. C. & illud ipsum Edictum, de quibus hic agitur, apud Agellium exstare. Sequitur. VTI. ROMÆ. NE. ESSENT. *Ne*, pro, *non*, inquit, antiquo more. Imo vero, qui dicat, VTI ROMÆ NON ESSENT, non Latine loquetur. DE IISDEM. in V. imp. *de iisdem*. in veteribus monumentis semper *isdem*. Hæc lenia sunt. AD QVOS IVVENTVS. Magis, opinor, e veterum consuetudine in V. impresso, IVVENTVS AD QVOS. Hic recta deprauat. EOS SIBI NOMEN IMPOSVISSE LATINOS RHETORAS. In V. imp. EOS *sibi nomen imposuisse Latine scilicet Rhetorus*. Lego ego, *haud Latine scilicet Rhetoras*. vel potius, *haud Latine*, tantum. ne in eo. ...verbum *rhetoras* fuisse intelligamus. Mirabar, si tibi quidquam potius videretur, quod non omnium deterrimum esset. Neque vero ignotum est, veteres sedulo cauisse, ne peregrinas voces Edictis aut Senatusconsultis admiscerent: quod tamen non ita superstitiose vitabant, vt piaculum ducerent, si quid secus factum esset: sed hoc loco id ipsum ad inuidiam in illos dicendi magistros conflandam pertinebat, quod hoi Græcum vocabulum imponerent, cum ante id tempus nunquam Rhetorum Latinorum nomen auditum esset, totumque illud artificium Senatui displiceret. Mitto multa. neque enim tanti est. Hoc tamen omittere non possum. Suetonii verba sunt. *NAM ET dicta præclare per omnes figuras, per casus & apologos aliter, atque aliter exponere, & narrationes tum breuiter & presse, tum latius & vberius explicare consueuerant.* Vbi *dicta præclare* vocat, quæ Græco vocabulo dicuntur *Chriæ*. de quibus Quintilianus libr. 1. Aphthonius in Progymnasmatis, & alii. Ad eas per casus variandas assuefiebant pueri in scholis, hoc modo: *Socrates dicebat. Socratis dictum est. Socrati placuit. Socratem dixisse aiunt. O Socrates præclare a te dictum est. A Socrate dici solitum accepimus.* & hoc aperte constat cum ex aliis, tum ex Diomede, libro primo. Ad hæc, quæ vel pueris nota esse oportebat, mox ita scripsit. *PER CASVS. euentus. Vt quid quoque casu dicendum. Vel, casus intelligit, de quo Quintilianus in V. Casus autem, inquit, qui & ipse præstat argumentis locum, sine dubio est ex inst. mentibus.* Sed quid ego plura persequar?

Plinii minoris Epistola contra interpretis eruditi sententiam explicata.

CAPVT XII.

VT epistolas Plinius accuratissime scripsit, ita interpretem nactus est accuratissimum, Io. Mariam Catanceum, hominem, patrum nostrorum memoria, exquisitæ doctrinæ, diligentiæ singularis

gularis. Qui tamen interdum, vt homines omnes sumus, hallucinatur.
dit. Sed bene agitur cum iis, quorum errata, in opere praeclaro tam
longo, numerari queunt. Atque ita mihi omnia quae opto, eue-
niant, vt ego, cum magnorum, ac praestantium virorum errata
quaedam detego, nihil minus propositum habeo; quam vt quid-
quam de illorum existimatione, ac gloria deterā, quibus me nul-
lo modo parem esse, sentio, & profiteor: sed quo maior est eorum
auctoritas, eo maius periculum est, ne alios secum in eundem er-
rorem trahant: quae mihi vna caussa est ea interdum, in quibus i-
psi αὐτοματίσαν ἢ ἐπταίσαν, indicandi. Plinius igitur libro quarto ad
Paternum scribens, & ad eum suos quosdam hendecasyllabos
mittens, de quibus iudicium ipsius cognoscere cupiebat, ita epi-
stolam claudit. *A SIMPLICITATE tua peto; vt quod de li-
bello meo dicturus es aliis, mihi dicas. Neque est difficile, quod postu-
lo. Nam si hoc opusculum nostrum aut potissimum esset, aut solum:
fortasse posset durum videri dicere, Quaere quod agas. molle & huma-
num est, Habes quod agas* Quae ita declarantur a Cataneo. *QVAE-
RE QVOD AGAS iocando monet, quid iudicandū sit. MOL-
LE ET HVMANVM. respexit ad genus carminis, quod lepi-
dum, & urbanum est. QVOD AGAS. quomodo indices.* Equidem
suspicor hominem eruditum, studēdo defessum, dormitasse cum
haec scriberet, ita longe praeter consuetudinem suam, a sententia
Plinii aberrauit. Videtur autem errorem illi obiecisse, quod li-
brarii OPVSCVLVM scripserant, cum OPVS tantum scri-
bendum foret: vt magis intelligamus, nullum esse tam pusillum men-
dum, quod non e bonis scriptoribus tolli expediat. Hoc enim di-
cit Plinius, nihil esse caussae, cur vereatur Paternus libere aperire
sententiam suam: etiam si forte hendecasyllabos illos non satis
probet: NAM SI HOC, inquit, OPVS NOSTRVM AVT
POTISSIMVM ESSET AVT SOLVM, id est, si poetae
praecipue nomine censeri vellem, eiusq; facultatis mea praecipua
professio esset, aut etiam sola, ita vt nusquā alio animū, quam ad
faciendos versus, applicarem; FORTASSE POSSET DV-
RVM VIDERI DICERE QVAERE QVOD A-
GAS: quaere aliud studium, in quo te exerceas. nam ad hoc, quod
delegisti, parū aptus es. MOLLE ET HVMANVM EST,
cum aliud studium mihi praecipuū habeam, nempe studium elo-
quētiae: HABES QVOD AGAS: poeticā laudem aliis relin-
que, & vrge id studiū cui te dedisti. Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει.

Plauti Curculio locis aliquot castigatur.

CAPVT XIII.

QVod oculorum visus natura nobis carissimus est, ea de caussa
Plautus occasionem fingendi noui vocabuli, vt *oculissimum*
ocellum diceret, quod carissimum significare vellet. Sed hoc ei
non placuit, qui Plautum Commentario onustum emisit, pluri-
bus

bus locis emendatum, non facile dixerim. Is cum recte legeretur in Curculione,

Huic proximum illud ostium est oculissimum.

nactus libros a quibus verbum EST aberat, & veterum librorũ, & Sex. Pompeii auctoritate contempta, addidit vnam literã, fecitq; OCVLEISSIMVM: idq; & rationem Latini sermonis, & legem carminis postulare dixit. Inepte vtrumque. Non enim a nomine OCVLEVS, quod Plauti quidem est, sed nihil huc pertinet: sed a nomine OCVLVS, factum est OCVLISSIMVS: vt si oculus carus est, quod carissimum est, oculissimum vocetur. De lege autem carminis, non est mihi valde laborandum, vt eum in illa parum exercitatum fuisse demonstrem. Sed & proximum verbum ita corrupit.

Salue. valuistin' ostium oculeissimum.

cum legendum sit ex vetere libro, qui penes me est,

Salue. valuistin' vsq; ostium oculissimum.

Et certe erat hæc cõsuetudo interrogandi eos, quos ex interuallo videbant, nõ vt ita simpliciter dicerẽt Valuisti ne? Sed hoc modo, *Valuistin' vsq;?* aut, *Perpetuo'ne valuisti?* Sic in Epidico.

Quid agis? perpetuon' valuisti?

& in Bacchidibus senex ita de filio interrogat.

Bene ne vsque valuit?

& in Mostellaria.

Here salue. saluum te aduenire gaudeo.
Vsque'ne valuisti?

Non abutar otio in similibus colligendis. Sequitur apud Plautum.

Caruit ne febris here te, vel nudiustertius?
Et here cenasti ne?

Quæ ita explicat noster interpres. *Significat seruus, absurda interrogando, herum suum absurde quærere ab ostio, valuerit nec ne. Dicimus enim aliquẽ febri carere, non febrem aliquo homine carere: Vel dic, non eo esse ineptam vel absurdam interrogationem, quod ita quærat ex Phædromo CARVIT NE TE FEBRIS? sed quod, caruit ne te febris heri, vel nudiustertius? nam debet quisq; scire, valuerit heri & nudiustertius, nec ne.* Hæc ille. Ego sat habeo dicere, illa omnia, quæ huc ab eo allata sunt, esse ἀπροσδιόνυσα. Quoniã enim homines ex febre, aut ex lõgo ieiunio delirare interdu, & mentis errore affici solent, idcirco interrogat herum seruus, caruerit ne febre proximũ biduũ, & num vespere cenauerit. Videbatur enim ei delirare, qui talibus verbis ostio blandiretur. Itaq; tantundem tribus verbis dicere poterat. *Satin' sanus es?* Vbi autem vulgo legitur, NEC ME ILLE SINIT IVPPITER, legendum est, SIRIT, ita postulante & lege carminis & ratione Latini sermonis. Mox autem duo quidem libri mei veteres habent,

Ita tuum conferto amorem semper, si sapis.

non, quod ille maluit, amare. Tum quod ille ita legit,

PH. Quid istuc est verbi? PA. caute ut incedas via.

eorum alter multo, ut videtur melius.

PH. Quid istuc verbi est? PA. tuta ut incedas via. & versu proxime sequenti.

NEMO hinc prohibet, nec vetat,

Quin quod palam est venale, si argentum est, emas.

Nemo, inquit, prohibet te amare hinc, id est, a lenone: nec vetat, quin emas, quod palam venale est. Mox versus ille ita legendus est.

PH. Lenonis hae sunt aedes. PA. male istis eveniat.

non, ut vulgo, *eveniat*. Deinde interiectis paucis,

Ita ut occepi dicere, ei ancillula est.

PA. Nempe huic Lenoni, qui hic habitat. PH. recte tenes.

PA. Nimis formido, ne excellat.

In quibus explicandis miror qui libuerit interpreti. tam multa, tam foeda tam flagitiosa congerere. Satis superq; cum vult, spurcus, & obscoenus est Plautus: & quod olim dixit Varro, *Musas, si Latine loqui vellent non alio, quam Plautino sermone, usuras esse:* nae illae saepe si Plautino more loquerentur, meretricio magis, quam virginali more loquerentur. Sed ubi nihil obscoenitatis est, velle in ea reperienda ingeniosum videri, & implere totas paginas eiusmodi rebus, quae etiam si vere dici possent, reticeri tamen debuerant: certe non erat hominis [illegible], sexagenarii, quique, cum ea scriberet, uxorem ac liberos haberet. Quid, quod omnia, & inepta prorsus, & aliena sunt? locus enim totus consistit in verbo EST. Nam cum dixisset adolescens,

ei ancillula est.

cavillans servus, quasi verbum EST, non a verbo SVM, sed ab EDO ductum esset: id est, quasi non [illegible] significaret, sed [illegible]; metuere se ait, ne non edat tantum, sed etiam exedat. Moneo etiam versum hunc prope in extremo ita legendum esse:

Vin tu ne olivas? pulpamentum? capparim?

Est enim senarius: quem corrumpunt, qui alia interserciunt.

Plauti Scena, Curculione, suis numeris reddita.

CAPVT XIV.

QVoniam Plautus in manibus est; faciam, quod iam in his libris aliquoties feci, ut integram scenam, cuius versus prope omnes perturbati sunt, ita proponam, ut, partim coniectura, partim veteribus libris fretus, legendam puto. Est autem ea, quae proxime sequitur illam, quam modo emendare conatus sum. Meminisse autem oportet eos, qui Plautinos versus dimetiuntur, crebras esse apud eum crases, & synaereses: neque semper elidi oblitteram M, ultimas syllabas vocum in literam M desinentium:

tium: vt ne ipsas quidem vocales vltimas earum vocum, quæ alias item a vocali incipientes antecedunt. Item vltimas syllabas verborum, quæ imperandi vim habent, etiam si primi secundive ordinis sint, ab eo, cum libet, corripi: VT AMA. VIDE. TACE. CAVE. & talia. Hæc enim, & eiusdem generis alia, qui minus cogitet, in versuum dimensione frequenter hærebit. Sed quoniam hæc contrita, vt puto, iam sunt, agedum, præstemus quod polliciti sumus.

PHÆDROMVS. PALINVRVS.

LE. Flos veteris vini meis naribus obiectus est.
Eius amor cupidam me huc per tenebras prolicit.
Vbi vbi est, prope me est. Euax habeo. Salue anime mi,
Liberi lepos. vt veteris vetusti cupida sum,
Nam præ tuo, vnguentorum omnium odos nautea est.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa,
Tu crocum, & cassia es, tu bdellium. nam vbi
Tu profusus, ibi ego me sepultam peruelim.
Sed quum adhuc naso est obsecutus odos meo,
Da nunc vicissim gutturi meo gaudium.
Nihil ago tecum? vbi ipsus est? ipsum expeto
Tangere, & inuergere liquores in me tuos
Sino ductim. sed hac abiit. hac persequar.
PH. Sitit hæc anus. PA. Quantulum sitit? Modice sitit.
Capit quadrantal. PA. pol quidem, vt tu prædicas
Vindemia hæc huic anui non soli sat est.
Canem quidem esse hanc par magis fuit. sagax
Nasum habet. LE. Amabo, quoia vox sonat procul?
PH. Anum appellandam hanc censeo. Adibo. redi,
Et respice ad me huc. LE. quis imperator est?
PA. Vini pollens lepidus Liber,
Tibi qui siccæ, semisomnæ,
Screanti, potum affert, & sedatum it sitim.

Elegantissime autem fecit, vt, quasi Liberi patris sacra ferret sonantis interieceriт duos versus eius generis, quo in eius choris vtebantur.

LE. Quam longe abest, quæso, a me? PH. lumen hoc vide.
Fac grandiorem ergo, obsecro, huc ad me gradum.
Salue. LE. Egone salua sim, quæ sicca sum siti?
PH. At iam bibes. LE. diu fit. PH. En tibi lepida.
LE. Salue oculissime homo. PA. Age, agesis, effunde hoc cito
In barathrum. propere prolue cloacam. PH. tace.
Nolo huic maledici. PA. Faciam igitur male potius.
LE. Venus de paulo paululum hoc tibi dabo haud

Eeee

Lubenter. namq; amantes potantes, tibi
Vinum propinant semper omnes. at mihi heu
Saepe huc veniunt hereditates. PA. hoc vide, ut
Ingurgitat impura in se auariter merum,
Faucibus plenis. PH. perii hercle, huic iam nescio,
Quid primum dicam. PA. Em istuc, quod mihi dixti.
PH. quid est?
PA. Perisse ut te dicas. PH. Di male faciant tibi.
PA. Dic. isti. LE. ah. PA. quid est? ecquid bibere lubet?
LE. lubet.
PA. Etiam mihi quoq; stimulo fodere te lubet.
PH. Tace nolo. PA. taceo. ecce autem bibit arcus. pluet.
Credo hercle hodie. PH. iam dico? PA. Quid dicturus es?
PH. Me perisse. PA. age dice. PH. anus audi. hoc volo
Te scire. perditus sum miser. LE. At pol ego oppido
Seruata. sed quid est quod perditum lubet
Te dicere esse? PH. quia id quod amo careo miser.
LE. Ne plora Phaedrome mi. curato tu, amabo, me,
Ne sitiam; ego quod amas, iam huc adducam tibi.
PH. Tibin' ego? quin si mecum seruas fidem,
Vineam tibi pro aurea statua statuam, quae tuo
Monumentum gutturi sit. Quis me in terra erit
Aeque fortunatus, si illa ad me bitet,
Palinure? PA. edepol qui amat, misera afficitur, si eget,
Aerumna. PH. non ita est, nam confido ego,
Parasitum hodie huc cum argento aduenturum meum.
PA. Magnum inceptas, id si exspectas, nusquam quod est.
PH. Quid si ad fores adeam, atque occentem? PA. si lubet.
Neq; veto, neq; iubeo: quando video ego te
Immutatum moribus here esse, atq; ingenio.
PH. Pessuli, heus pessuli, vos saluto libens.
Vos amo, vos volo, vos peto atq; obsecro.

Sunt autẽ hi duo versus e quaternis creticis. quibus vsus est, quoniam is numerus ad saltationem est accommodatus. Itaque eo vtebantur in Pyrrhicha.

Amanti mihi morem gerite amoenissimi.

Redit iterum ad creticos.

Fite caussa mea Ludii barbari,
Subsilite, obsecro, & mittite istanc foras.
Quae misero amanti sanguinem ebibit mihi.

Rursum ad creticos.

Hoc vide ut dormiant pessuli pessimi,
Nec mea gratia commouent se ocyus.

Prosi-

Perspicio nihili meam vos facere gratiam.
St. tace. PA. taceo hercle. quid est? PH. St. sonitum sentio.
Tandem edepol morigeri fiunt pessuli.

Ita puto scenam illam restitui oportere. Sed varietatem consectanti, omittendus in præsens Plautus est.

De misera rerum humanarum conditione e Seneca Tragico, aliisque scriptoribus disputatum.

CAPVT XV.

EX omnibus Senecæ Tragœdiis plurimum mihi semper placuerunt *Troades*, quarum etiam olim magnam partem, animi caussa, Græcis versibus expresseram. Nunc quoque earum principium agitanti multa in mentem veniunt, quæ committam huic chartæ, si quid forte in eis inerit, quod aliquis non inuitus legat. Versus hi sunt:

Quicunque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leues timuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit,
Me videat & te Troia.

Quid autem est in rebus humanis, cui fidere, quoque niti aliquis possit, si ne regno quidem satis tuto fiditur? Et tamen ne potentissimorũ quidem regũ stabilis & fixa fortuna est. Quis enim rex Priamo potentior, aut perdiu fortunatior fuerat? At ætate cõfectus in eas incidit calamitates, quæ & perpetuam, quasique restibilem poetarum ingeniis scribendi segetem, ac materiam subministrarunt, & ab Aristotele prope in Proverbii loco nominantur. Recte igitur & sapienter Solon in illo nobili sermone, quem cum Crœso habuisse dicitur, neminem beatum vocari debere censuit, quandiu viueret: & quod in longitudine temporis, *πολλὰ μὲν ἔστι ἰδέσθαι τὰ μή τις ἐθέλει, πολλὰ δὲ καὶ παθέειν.* Multis enim, vt in eodem illo sermone est, magnas opes ad tempus concessit Deus, quos postea radicitus exstirpauit. Idque Crœsus quoque ipse expertus est: qui e summis opibus summaque potentia eo tandẽ perductus est, vt captus a Cyro, parum afuerit, quin viuus cremaretur. Sapienter etiam Herodotus. *ἡ ἀνθρωπηίη εὐδαιμονίη οὐδαμὰ ἐν τ' αὐτῷ μένει.* Et ob id Plato homines esse dicebat *θεῶν ἀθύρματα.* Ex quo Plautus,

Enimuero di nos homines vt pilas habent.
Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει.
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει καὶ ἄδηλον ἀέξει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

tit Hesiodus. ex quo Horatius;

——— insignem attenuat Deus
Obscura promens. hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto

Sustulit, hic posuisse gaudet.

& alibi ait eam esse potentem:

—— vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Æsopum etiam Phrygem interrogatum; quid ageret Iuppiter; respondisse aiunt, τὰ μὲν οἰκοδομεῖ, τὰ δὲ καταβάλλει. Et Euripides præclare,

Θνητῶν δὲ θνητὸς ὄλβος.

& nisi me memoria fallit, Menander,

Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ζῶντα, τοῦτ' οὐ πείσομαι.

Omnia enim vt sperare, ita & metuere homines possunt. Merito que Apelles, cur, præter ceterorum pictorum consuetudinem, Fortunam sedentem pinxisset, interrogatus. *Quoniam*, inquit, *stare non potest.* Imo vero cum maxime arridet, tum maxime metuenda est. Vt enim ait Hippocrates αἱ εὐεξίαι, cum ad summum peruenerint, periculosissimas esse: ita periculosissima est eorum condicio, quibus fortuna immodice fauet. Recteque Bias. *Fortuna vitrea est. cum splendet, frangitur.* Quod vel maxime intelligi potest ex iis, quæ de Amasi rege Ægypti, & Samiorum tyranno Polycrate apud Herodotum leguntur. Hanc humanarum rerum infirmitatem ac fragilitatem iampridem indicauerat Homerus illo versu.

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.

& illo Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.

& Pindarus his verbis. Τί δέ τις, τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. Sed & eadem de re pulcerrimus locus est apud Sophoclem Aiace Mastigophoro: vbi Minerua cum ostendisset Vlyssi Aiacem Telamonis filium, qui maximo inter Græcos in pretio fuerat, furore diuinitus immisso percitum, &. dum Græcos vlcisci se putat, in pecudes sæuientem: ita Vlixem ipsum alloquitur.

Ὁρᾷς Ὀδυσσεῦ τὴν θεῶν ἰσχὺν ὅση;
Τούτου τίς ἄν σοι τἀνδρὸς ἢ προνούστερος,
Ἢ δρᾶν ἀμείνων ηὑρέθη τὰ καίρια;
Vides Vlixe, qua potestas sit Deum?
Quis hoc viro prudentior antehac fuit,
Aut ad gerenda, quæ opus erant, præstantior?

Tum Vlixes, cum respondisset, eum plane & prudentissimum & fortissimum fuisse: seque eius in tantam infelicitatem collapsi misericordia commoueri, etiam si eum sibi infensum esse sciret: addit commoueri se non tantum eius caussa, sed etiam sua. Videre enim se, quantum hominum viueret, nihil aliud esse, quam vanas imagines, & inanem vmbram. Tum Minerua præceptum sapientissimum subiicit, & nunquam ex hominum animis deiiciendum: vt talia intuens, nihil vnquam in eos superbe loquatur: neque se

Digitized by Google

que se extollat, siue robore, siue opibus aliũ superet. Vnum enim diem satis esse ad omnia humana & deprimenda, & rursum erigenda. moderatos autem homines dijs caros esse; inuisos, improbos. Sed & illud eleganter a Seneca dictum, *Nec leues metuit Deos.* mutari enim Deos dicebant, cum condicio hominum mutaretur. Horatius,

Mutatosq; Deos flebit, & aspera
Nigris aequora ventis
Emirabitur insolens.

His autem paucis verbis, *me videat & te Troia*, plus dixit, quam si plura dixisset. Videat me ex regina captiuam, ex tot liberum matre orbam, ex felicissima etiam hostibus miserabilem. Videat Troiam ex vrbe omnium pulcerrima, & opulentissima, eo redactam, vt vix illius vestigium supersit. Hæc cum viderit, eat & fidat rebus humanis.

Auidia, pro auiditate. Sallust.i locus coniectura correctus.

CAPVT XVI.

ETsi vitium omne natura fœdum, & homine indignum est: quædam tamen vitia sunt, quæ minus auerseris; quædam cõtra ita turpia; vt stomachum omnibus ac nauseam moueant. Et vt herbæ quædam noxiæ, quibus tamen in locis sponte proueniunt, bonitatem soli, si cultus accedat, indicant: ita e quibusdam vitiis excelsus tamen, & erectus animus intelligitur, quique, si excolatur, egregii aliquid præstare possit: cum contra alia quædam vitia sint, quæ degenerem, & abiectum ac seruilem animum manifesto arguant. Huic rei argumento esse possunt *auaritia, & ambitio:* quarum illa sordida, & humilis est: hæc magnis ac generosis animis plerumque comes addita. Illa nihil magnum ac sublime cogitat, semper auida, semper hians, semper querula, infuscatis ærugine manibus, quod recondat quærit, non quo fruatur, parata amicos, cognatos, parentes patriam, numinis, si res ferat, addicere. Hæc saltem aliquid petit, quod & magni ac fortes viri petunt: neque aliud fere interest, quã quod vir bonus honestatem ipsam sequitur, gloriam, quasi accessionem aliquam, & publicum virtutis suæ testimonium non recusat: ambitiosus gloriam sibi præcipue proponit: ea quasi mercede detracta; ne virtutem quidem ipsam amaturus. Sed tamen contemtus pecuniæ semper laudi: contemtus gloriæ interdum vitio datur. Itaque Alexandrum Macedonem, C Cæsarem, & tales viros ab auaritia alienissimos fuisse legimus, ab ambitione non item. Nota est Alexandri quidem illa vox: *Interfecissem; si quis me tertium nominasset.*: Cæsaris autem illa, cum ignobile oppidulum præteriret, *Malle se illic primum esse, quam Romæ secundum.* Tantum erat in vtroque τὸ φιλότιμον. Fere igitur si alterutrum necesse sit; ambi-

tionem facilius ac libentius homines, quam auaritiā agnoſcunt. Vt Salluſtius (eius enim cauſſa ſermo hic a me ſuſceptus eſt) in prooemio libri de coniuratione, de ſe fatetur. *Ac me, inquit, cū ab reliquis malis moribus diſſentirē; nihilominus honoris cupido eadem, quæ cæteros, fama, atque inuidia vexabat.* Sed cum ſententiam nobiliſſimi ſcriptoris videre difficile non ſit, in verbis tamen deprauatum aliquid videtur. Idque mihi aſſenſuros eſſe omnes arbitror, qui atte..te ac diligenter ea conſiderarint. Ego cum ſæpe ac diu de illo Salluſtii loco & cogitarim, & quæſierim ex aliis, & vetuſtos libros conſuluerim; tandem in eam ſententiam veni, vt pro certo arbitrer ita legendum eſſe. *Ac me, cum ab reliquis malis moribus diſſentirem, nihilominus honoris cupido eadem, quæ cæteros, fameque auidia vexabat.* Vt *honoris cupidinem, & auidiam famæ* dixerit φιλοτιμίαν καὶ φιλοδοξίαν. *Auidiam* autem, pro auiditate, dixiſſe Salluſtium nemo mirabitur; qui cum iam tum, vt immodicum antiquarum, & inſolentium vocum affectatorem notatum eſſe meminit. Iam vero vt a *perfido perfidiam, ab inuido inuidiam, ſic ab auido auidiam dici*, analogia quidem facile patitur. Et veteres quidem multa hoc modo formarunt: *deſidiam, ferociam, ignauiam, diuidiam, inaniam, imbelliam*; quorum pleraque in vſu eſſe poſtea deſierunt. *Indoloriam* etiam, ſi Sidonio credimus; Cicero dixit. Hanc opinionē meam mihi quidem, communi fortaſſe vitio, valde probari fateor: aliorum tamen ſententiæ non præiudico.

M. Tullii Philippica decima locus explicatur.

CAPVT XVII.

GRaui admodum ſententia vſus eſt Cicero libro decimo Philippicarum, cum recuperandæ libertatis cauſſa nullum detrectandum eſſe periculum diceret. Vitam enim, quæ omnino ſemel relinquenda ſit, nuſquam glorioſius, quam in libertate defendenda poſſe deponi. Atque etiam ſi, vitato aliquo eiuſmodi periculo, immortalitas viro forti proponeretur, ita vt perpetuo in ſeruitute victurus eſſet; tanto debere eum alacrius mortem oppetere: ne, morte vitata, incideret in illam perpetuam ſeruitutem. Mala enim omnia eo magis fugienda ſunt; quo ea diuturniora fore proſpicimus. Hoc ita diuinus orator expreſſit. *Ita præclara eſt recuperatio libertatis; vt ne mors quidem ſit in repetenda libertate fugienda. Quod ſi immortalitas conſequeretur præſentis periculi fugam: tamen eo magis fugienda videretur; quo diuturnior eſſet ſeruitus.* Conſtat autem Homericam quidem eſſe ſententiam, ſed finem illius ſummo artificio ab eloquentiſſimo viro immutatum, & in contrariam partem inflexum ... Ac Ciceronis corrector hoc quoque loco diligens eſſe voluit. iudicauitque legendum, *Eo magis ea non fugienda videretur.* Et addidit delarationem correctione dignam, vt operculum patellæ.

In illa,

In illis, inquit, *verbis Ciceronis, Ea non fugienda videretur, subaudiendum est, mors. Nam si sine negatione legas, vt in vulgatis, subintelligetur, immortalitas* Hominem admiror, qui non viderit, de *seruitute*, non de *morte*, aut de *immortalitate* Ciceronem loqui.

In Muraniana Cicero, & in Odis Horatius, Græcorum scriptis illustrati.

CAPVT XVIII.

INter commoda rusticorum, hoc quoq; ponit Horatius, quod dormientes non excitantur tubæ sono, vt milites. id enim significatur illo versu.

Nec excitatur classico miles truci.

Neque id Cicero prætermisit: sed id inter iurisperitos & militares viros etiam interesse dixit. Sulpicium enim cum Muræna cōparans, *Te*, inquit, *gallorum: illum buccinarum cantus exuscitat.* Sed & ante eos quidam vetus poeta Græcus id dixerat, eos qui in pace dormirent, non tubarum clangore, sed gallinaceorum cantu a somno excitari. Eius verba hæc leguntur apud Plutarchum in Nicia. Τοὺς ἐν εἰρήνῃ καθεύδοντας οὐ σάλπιγγες, ἀλλ' ἀλεκτρυόνες ἀφυπνίζουσι. Non aranearum telæ hac obseruatione tenuiores sunt: sed habent hæc quoque λεπτολογήματα interdum aliquid voluptatis. Subtexam & alia eiusdem generis. Quod cornicem libro tertio Odarum eleganti admodum epitheto aquæ augurem vocat, ab Euphorione, vt mea fert opinio, sumsit. Eius enim citantur hæc,

ὑετήμαντις ὅτε κρώζει κορώνη.

Sed nunquid parum prudenter fecisse videri potest, qui libro secundo, cum Pompeium Varum, cuius insperato reditu exultabat, aduenticia cena excepturus esset, etiam ex apio properari sibi coronas iusserit? ita enim canit,

——— quis vdo
Deproperare apio coronas,
Curat ve myrto?

Aliis quoque locis *coronas ex apio* in conuiuiis adhibet.

Neu desint epulis rosæ
Neu viuax apium.

Et alibi,

Est in horto
Phylli nectendis apium coronis.

At apium apud veteres ferale & ominosum habebatur, quod eo tumuli coronari solerent: & quibus ægrotis mortem imminere significarent, eos apio indigere dicebant. Certe Timoleontis milites, cum in colle quodam superando in mulos apio onustos incidissent, ita omen illud exhorruisse memorantur; vt prope concidissent animis, nisi eos fortissimus imperator docuisset, vi-

ctoriam potius portendi: cum in Isthmiis victores illis temporibus apio coronari solerent. Itaque ab hominibus eruditissimis proditum est, ex omnibus passim herbis ac floribus in conuiuiis hilarioribus solitas necti corollas, præterquam ex apio. Absit tamen a nobis hæc audacia, vt elegantissimum & eruditissimum poetam, in eo peccasse dicamus. Habet enim ille hyperaspisten, in his rebus sane valentem, ac strenuum, &, si amare ac potare sapientia est, quouis Thalete sapientiorem, Anacreontem, cuius hæc sunt:

> *Ἐπὶ δ' ὀφρύσι σελίνων στεφανίσκους*
> *Θέμενοι θάλειαν ἑορτὴν ἀγάγωμεν Διονύσῳ.*

Hæc igitur corona huic capiti coronis esto.

Ciceronis Quintiana, locis aliquot perpurgata.

CAPVT XIX.

LOcos quosdam ex oratione Ciceronis pro Quintio hic subnotare animus est, quos aliter, quam ceteri, aut intelligo, aut lego. Primus hic erit. *Tum Naeuius ipse pueros circum amicos dimittit, ipse suos necessarios ab atriis Liciniis, & a faucibus macelli corrogat.* Vbi homo eruditus. Ex *atriis*, inquit, *Liciniis auctionarios præcones, ex faucibus macelli nobiles homines otio affluentes, qui cupediis inhiabant, aut otio ibi suo fruebantur.* Non equidem negarim gulæ proceres in macellum nonnunquam ventitasse. Notanda sunt illa Iuuenalis,

> *Multos porro vides, quos sæpe elusum ad ipsum*
> *Creditor introitum solet exspectare macelli.*

Sed tamen obsonatorum opera sæpius vtebantur: neque est verisimile nobiles homines in turpi, ac prope infami loco sedere solitos, tanquam publice profitentes, se ventri ac gulæ deditos esse: & habebant alia honestiora loca, in quibus otium suum oblectarent: Neque hæc conueniunt, & nobiles fuisse, & præconis Næuii necessarios. Ex vtroque igitur loco corrogatos accipio homines abiectos, ignobiles, Næuii amicitia dignos. Sed fefellit interpretem, quod statim subiicitur. *Tabulæ maxime signis hominum nobilium consignantur:* quod cum illudens Cicero dixisset, ipse, vt vere ac serio dictum, accepit. Nam quod opinionis suæ confirmandæ caussa citat locum ex libro tertio Accusationis, vbi ita legitur; *Albam Æmilium sedentem in faucibus macelli loqui palam, vicisse Verrem:* miror si eum, quod Æmilius vocaretur, aliquem esse e numero nobilium existimauit: cum paulo post ita de eo loquatur Cicero. *Albam habebo iudicem istum hominem, qui se ipse scurram improbissimum existimari vult, qui a scurris potius semper gladiator, quam scurra appellatus sit* Sponsionem autem illam de qua Cicero, vt noua & iniqua conqueritur, ita fuisse conceptam puto: *Ni bona sua ex edicto possessa non essent:* quomodo & Budæus legit, hoc modo: *Si bona sua ex edicto possessa essent.*

Digitized by Google

essent. nam ex hac posteriore formula, necesse habuisset Næuius probare, bona Quinctii ex edicto possessa esse: at ex illa onus probandi tralatum est in Quinctium. ideoque priore loco eum dicere oportuit: de quo non iniuria Cicero conqueri videtur. Quod autem citat interpres locum quendam e libro vltimo in Verrem, vbi de sponsione Seruilii agitur, alio loco docebo, quam longe ab illius sententia aberrarit. Ex eadem oratione. *Quum in altera re caussa nihil esset, quin secum iudicaret ipse de se.* Liber vetus. *sequitur:* cui voci librarii videantur aliquando inimici fuisse: ita pertinaciter coniurarant ad eam ex omnibus libris obliterandam. Ex eadem. *Ita ne est? quod viri optimi faciunt, si qui suos propinquos,* & cetera. At in eodem vetere libro multo melius. *Ita ne? Quod viri optimi faciunt, is qui suos propinquos ac necessarios claros & honestos esse atque haberi volunt, id Sex. Nauius non faceret?* Quomodo si legas, tollitur omnis illa, in qua interpres frustra luctatur, difficultas. Ex eadem. *Si debuisset Sexto, petisses statim; si non statim, paulo quidem post: si non paulo, at aliquando.* Aliquanto melius est, quod in eodem libro legitur, *Aliquanto.* Multa prætereo, quod iam ab aliis notata sunt. Ex eadem. *Ego pro te nunc hoc consulo, post tempus, in aliena re, quod tu in tua re, cum tempus erat, consulere oblitus es.* Lego, *Hos*, & *quos*, & ita legendum manifesto ostendunt ea, quæ statim sequuntur. Sed interiungamus ipsi, vt & qui hæc legent, interquiescant.

Elegans Ciceronis, Tusculana secunda, locus illustratus.

CAPVT XX.

Cicero libro secundo Tusculanarum, cum multis verisq; laudibus Philosophiam ornasset, acerbeque exagitasset Philosophos quosdam, qui cum optima instituendæ vitæ præcepta aliis traderent, ipsi tamen turpissime ac flagitiosissime viuebant: cum quicum loquitur, facit hoc ipso quasi argumento vtentem aduersus Philosophiam, vt ostendat eam non tantas vtilitates adferre, quantas diceretur. Cui respondens ipse, ait id hominum vitio euenire. vt enim quamuis bona semina non in omnibus agris idem efficiunt; ita neque præcepta, quamlibet bona, in quibuslibet animis. Hoc autem ita explicat. *Nam vt agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur: falsumque illud Acci improbe,*

Et si in segetem sunt deteriorem data
Fruges, tamen ipsa suapte natura enitent:
Sic animi non omnes culti fructum ferunt.

Sed latere hic aliquid vitii, primum ostendit prior versus, qui vix satis numeris suis constat: nisi aut vltima vocalis in Etsi non elidatur: aut ita legamus,

Et si segetem sunt in deteriorem data:

Quomodo olim, auctore me, edidit Manutius, & post eum alii. Sed postea ipsi mihi diligentius cogitanti, visa est mutatio illa vitium occultasse potius quam sustulisse. Neque enim satis cohærent hæc, *Falsum & improbe.* Itaque alii ediderunt, *Falsoque illud & improbe.* Ego autem falsam quidem esse sententiam illam video, improbitatis nullam in ea significationem reperire possum. In vetere libro, quem habeo ita legitur, *Falsumque illud at impro-ba.* ex qua deprauata scriptura coniecturam feci, ita legendum esse: *Falsumque illud Attii,*

Proba & si in segetem sunt deteriorem data

Fruges, tamen ipsa suapte natura enitent.

Vt Cicero & poetam nominauerit, quid dixerat? & præcepta Philosophiæ, non simpliciter cum seminibus, sed cum probis & lectis seminibus comparar it:

M. ANTONII MVRETI

VARIARVM LECTIONVM Liber Decimusseptimus.

Ratio inscripti libri M. Tullii de Finibus bonorum & malorum disputatum.

CAPVT I.

QVæsitum est, cur Cicero pulcerrimos libros, in quibus varias veterum Philosophorum de summo bono sententias excutit, inscripsisset *De finibus bonorum & malorum.* Ac facile quidem illos absoluimus, qui Cælii Calcagnini errorem secuti, melius eos *De fine*, quam *De finibus* inscribi potuisse censebant. Cum enim variæ Philosophorum disciplinæ, varios fines facerent, & de iis ipse disputare instituisset, recte libros suos *de finibus*, potius quam *De fine* nominauit. In illo plusculum laboris fuit, cur non solum *bonorum fines* dixisset, sed etiam *malorum.* Nam nomen quidem ipsum *finis* sumserunt Philosophi ab illo omnis elegantioris doctrinæ fonte Homero.

Οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι·

Sed tamen nunquam dixerunt τέλος κακῶν: Ac ne videtur quidem dici posse. Etenim τὸ τέλος τέλειον. Malum autem non perficit. Itaque mors vocatur τέλος, κατὰ μεταφοράν. & cum furem, aut sycophantam τέλειον dicimus, improprie loquimur; nõ secus quam cum bonum furem, aut bonum sycophantam dicimus. Auctor & fundus huius rei Aristoteles lib. quarto τῶν μετὰ τὰ φυσικά, qui etiam secundo Physicorum irridet poetam quendam, quia ita dixerat,

F 2 6

Digitized by Google

Ἔσχε τελευτὴν, οὗπερ ἕνεκ' ἐγένετο.

Non enim quodlibet extremum *finis* vocatur, sed quod optimũ. quod ille ita exprimit βούλεται γὰρ οὐ πᾶν εἶναι τὸ ἔσχατον, τέλος, ἀλλὰ τὸ βέλτιστον. Quæ verba ideo referre & interpretari placuit, quod a quibusdam interpretibus pessime accepta sunt. Item τέλος, & τὸ οὗ ἕνεκα, idem sunt. At *malum* nullo modo potest, vt finis, cuiquam propositum esse. *Bonum* enim expetunt omnia. Neque vllus, quamuis malus, quidquam ipsius mali caussa facit. Voluntas enim numquam fertur ad malum, quatenus malum est. At fortasse dicat aliquis, *finem malorum* dici, non quem spectent, & quo referantur mala omnia, sed id quo nihil peius sit. Quid quod ne id quidem fieri potest? Quodcumq; enim malum proposueris, id addito alio, peius & deterius fiet: neq; quisquam vnquam malum vltimum tantum nominabit, (de iis malis loquor, quæ homini in vita accidere possunt) vt non eo peius aliud reperiatur. Et recte Pythagorici dicebant, bonum finitum esse, malum infinitum. Recto nihil rectius, at peruerso & deprauato, semper aliquid contortius reperiri potest. Nisi forte malum vnum tantum dixeris: vt Stoici, cum solum vitium in malis habendum docerent: qui & vitia ipsa, & peccata paria esse dicebant. Sed tunc inepte dixeris *summum malum, aut maximum malum, aut finem malorum*. Nam hæc, nisi in comparatione, non dicuntur. Comparatio autem non nisi inter plura. Et inter paria nihil summum, aut maximum est. An vt felicitas bonorum omnium cumulus, ita *finis malorum* erit omnium malorum cumulata complexio? At nõ potest. Nam bona quidem conspirare possunt, mala non possunt. Quia bonum σωστικὸν est & sui, & eius in quo est. Malum φθαρτικὸν & aliorum & sui. Itaque omnes virtutes in vno aliquo esse, nihil prohibet. Imo vero qui perfecte habet vnam, omnes habeat necesse est. Neq; ceteræ sine prudentia sunt: neque absoluta prudentia sine ceteris. Longe aliud in vitiis, quibus maior inter se, quam cum virtute pugna est. His adductus facile in eam sententiam prolaberer, vt dicerem, inscriptionem librorum esse *De finibus*, aut certe *De finibus bonorum*, nisi me Ciceronis ipsius reuocaret auctoritas: cuius hæc verba sunt, ex libro secundo de Diuinatione. *Cumque fundamentum esset Philosophiæ positum in finibus bonorum & malorum, perpurgatus est is locus a nobis, quinque libris: vt quid a quoque, & quid contra quemq; philosophum diceretur, intelligi posset.* Positum sit igitur, veram esse inscriptionem, *De finibus bonorum & malorum*: Finem autem malorum dici, id quod tale est, vt χεῖρον deterius sit alio quolibet per se sumto: aut etiam aliis omnibus coaceruatis: dummodo hoc vnum non sit in illo aceruo. Aliter accipi posse, nullo prorsus modo existimo.

Epithetorum in poetica vsus. Mater Leonum Africa. Horatius illustratus.

CAPVT II.

Omnia ornamenta, omnemque quasi mundum Latinæ poeseos a Græcis acceptum esse, nemo iam nescit, nisi qui ea quoque, quæ nota sunt omnibus, nescit. Cum autem vt cœlum stellis, ita poesis concinnis præcipue & suo loco positis epithetis illuminetur; multa, quibus Horatius vtitur, vnde petita essent, alias indicaui. Nunc vnum etiam indicabo in Ode ad Aristium Fuscum; vbi de lupo, qui sibi in sylua Sabina occurrerat, ita canit:

Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit æsculetis,
Nec Iubæ tellus generat, Leonum
Arida nutrix.

Quod enim Mauritaniam *nutricem Leonum* vocat, Homericum est: qui poeta sæpe vocat Idam μητέρα θηρῶν id est, *matrem Leonum*. Θηρὸς enim nomen, quamquam aliarum quoque ferarum commune est, proprie tamen de *Leone* dici, notat Galenus. Vt mirum non sit, cum Ida tam multos Leones habeat, cur eis potissimũ ad cursum Phrygia mater vtatur. Sic idem poeta Thracen vocat μητέρα μήλων, id est, *pecudum matrem*. Sic alias docui a Tibullo noctem *matrem syderum* dici quæ ab Euripide, *syderum nutrix* diceretur. Sic Olympiam Pindarus, *matrem certaminum*, in quibus victores aureis coronis donarentur; Sic Syracusas *equorum bellicorum nutrices* vocauit. Neque pigebit appingere locum illum ex ode prima libri quarti,

——— Lyraq; & Berecynthia
Delectabere tibia
Mistis carminibus, non sine fistula.

Imitatum esse ex tertia Ode Olympiorum, vnde hæc sunt:

Φόρμιγγά τε ποικιλόγηρυν
Καὶ βοὰν αὐλῶν, ἐπέων τε θέσιν.
Αἰνησιδάμου
Παιδὶ συμμῖξαι πρεπόντως.

Atque id genus symphoniæ, quo hodie quoque sæpe vtimur σύμψαλμα Græco vocabulo nuncupatur. Vereor ne dicar nimis dissimilia copulare; sed tamen quando de epithetis e Græco fonte ductis agere cœperam, dicam quod nunc in mentem venit epithetum quo summus Latinorum poetarum afficit vndam inferorum, cum eam *irremeabilem* vocauit, ipsum quoque a Græcis fluxisse. Sic enim & Theocritus.

Ἀδελφεὸς ἐμοί τις ἀνέξοδον εἰς Ἀχέροντα.

Et hanc vnam vocem Catullus versu integro expressit,

Illuc, vnde negant redire quemquam.

Auaritia, & ambitio rerumpubl. pestes. Sallustii super eare locus Catilinarii castigatus.

Digitized by Google

CAPVT III.

Sapienter Sallustius malorum omnium, quibus Resp. Romana conflictata est, duos quasi fontes fuisse scribit, ambitionem, & auaritiam. Sunt enim duæ illæ ciuitatum præcipuæ pestes: cum ciues inter se committant, tollantque concordiam, qua ciuitatum salus continetur. Idem autem ante illum dixerat grauissimus scriptor Thucydides his verbis πάντων δὲ αὐτῶν ἡ ἀρχὴ διὰ πλεονεξίαν ἢ φιλοτιμίαν. Aristoteles quoque in Politicis, maximas & perniciosissimas contentiones ex honoris, aut pecuniæ studio, ait existere, Διὰ κέρδος inquit, καὶ διὰ τιμὴν παροξύνονται πρὸς ἀλλήλους. Citatur & versiculus a Græcis, Theognidis an Solonis, qui eandem sententiam complectitur, qua ibi vtitur Sallustius, cum ait auaritiam omnia venalia habere. Est autem hic,

Πλεονεξίη δ' ὁ κακὸς πάντα πρὸς ἀργύριον.

Sapiens autem ille Hebræus ait auaro etiam animam ipsam esse venalem. φιλαργύρου inquit, οὐδὲν ἀνομώτερον. οὗτος γὰρ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἔκπρακτον ποιεῖ. Sed antequam manum de tabula tollam libet considerare locum ex illa scelerata ac pestifera oratione, qua Catilina suos ad coniurandum cohortatur, in quo latere mendi aliquid sentio. Verba illius hæc sunt: *Nam postquam resp. in paucorum potentium ius atque ditionem concessit, semper illis reges, tetrarchæ vectigales esse: populi nationes stipendia pendere: ceteri omnes strenui, boni, nobiles atque ignobiles vulgus fuimus.* Non probo illud *nobiles atque ignobiles.* Ornare enim suos volebat, non deprimere. & hoc ipsum illos vrebat, quod homines noui & ignobiles ad gubernacula ciuitatis admoti essent: cum ipsi qui maxima ex parte nobiles erant, iacerent. Proponam scripturam vetusti libri, quem habeo, quam plane veram esse existimo. *Nam postquam resp. in paucorum potentium, ius, dominationemque concessit, semper illis reges, tetrarchæ vectigales esse: populi, nationes stipendia pendere: ceteri omnes strenui, boni factiosi, gnobiles, vulgus fuimus.* Factiosos olim dictos esse, impigros & aptos ad res gerendas quos Græci δραστηρίους vocant, notum est. Itaque opponuntur *inertibus.* Plautus. *Lingua factiosi, inertes opera.* *Gnobiles* autem pro *nobilibus* antiquo more dixit Sallustius. Sic *gnarigare* dicebant, pro *narrare*: sic *gnatus, gnauos, gnaros, gnotos,* & similia. Sic in XII. tabulis: *Ante meridiem caussam gnoscito.*

Plenus auferendi casui sæpe Cicero adiunxit, contra atque Victorio placuit.

CAPVT IV.

Quiddam valde minutum, ac pusillum notauit Victorius, capite XVII. Libri XXVI. variarum lectionum: Ciceronem semper, cum potest, coniungere nomen *Plenus* cum patrio generandique casu: hæc enim ipsius verba sunt, numquam autem cum

sexto, nisi necessitate quadam coactum: cum tamen hac altera constructione, & Varro, & Cæsar vtantur. Profert autem locum vnum ex Accusatione, vbi Cicero ab illa sua consuetudine recessit, ita scribens. *Verres ornamentorum fanorum, atque oppidorum habebat plenam domum.* Sed cum excusat, quod insuauis futura erat oratio, si dixisset *ornamentorum*, propter duas contiguas voces eodem modo desinentes. Ego aliam caussam adfero, quod si dixisset *ornamentorum*, videri poterat dicere, tribus generibus rerum plenam esse Verris domum, ornamentis, fanis, & oppidis. Nam si nihil aliud obstabat Ciceroni, quam quod ait Victorius, ne illam consuetudinem suam retineret, poterat pro *plenam* dicere *refertam*. Sed non solent politi, & eruditi scriptores ea nomina quorum vnum ex alio pendet, vno & eodem casu genere ac numero ponere: quod ea res ambiguam, obscuram, insuauem orationem facit. Itaque *ornamenta fanorum* recte dixeris: sin cum illud dicere velles, magnam fuisse multitudinem eorum illorum, qui fanorum ornamenta exspectarent, dixeris, magnam fuisse multitudinem spectatorum ornamentorum fanorum: nescire te loqui etiam pueri dicent. Atque hoc est, quod rhetores monent, casibus, generibus, & numeris, distingui debere orationem. Quod vt magis intelligatur, remoueamus alteram ex illis duabus vocibus: vt sit *ornamentorum fanorum plenam domum*; æque inepta erit oratio. Non igitur quod tres voces eodem modo terminarentur, eo ita loqui Cicero noluit: sed propter eam, quam modo exposui, caussam. ea enim sublata; coniunctio non trium modo, sed & plurium similiter desinentium vocum, vitii nihil habitura est. Cicero in Miloniana. *Scutorum, gladiorum, frenorum, sparorum: pilorumque etiam multitudo deprehendi posse indicabatur.* Vides, quam illa similiter desinentia non fugiat? Addit homo eruditissimus sed certe interdum minus accuratus, quam par erat, inuenisse se etiam alterum locum in Ciceronis scriptis, in quo ille a cõsuetudine suâ discesserit, neq; se tantæ consilii mutationis caussam adferre posse, nisi aliquis putet id natum ab animi perturbatione magna quâ tunc premebatur. Esse enim in tertio libro Epistolarum ad Atticum, quas scripsit, cum patria expulsus foret: Illic igitur ita scripsisse. *Ex tuis literis plenus sum exspectatione de Pompeio, quidnam de nobis velit, aut ostendat.* Quid non in animi: hominum efficit doloris acerbitas? Ita perturbatus erat Cicero, quod patriæ, quod vxoris, quod liberorum aspectu careret; vt, cum consilium cepisset nominis plenus numquam nisi vrgente necessitate, cum sexto casu coniungendi, in tanta re imprudens consilium mutauerit, & nõ *exspectationis* sed *exspectatione plenum* esse se scripserit. Sed tamen hoc patrono effugiet quoquo modo inconstantiæ notam. At hoc quo modo excusabimus, quod scriptum est in oratione pro Sextio? *O vestra vita, conferta & plena voluptatibus.* Quod hoc ex libro

libro tertio de Finibus? *Eo beatior quisque quo sit corporis aut externis bonis plenior.* Quid alia eiusdem generis multa? Cogitationem hanc suscipiat alius. Nam mihi quidem nihil occurrit, quo tantam consilii mutationem excusare posse videar.

Ciceronis pro Rabirio Posthumo oratio, ex veteribus libris duobus, locis aliquot emendata.

CAPVT V.

PErcurram, animi caussa, orationem Ciceronis pro C. Rabirio Curiano Posthumo, in qua multa notaueram abhinc annos prope viginti, ex duobus veteribus libris; quorum vnum mihi cõmodato dederat Alexander Gloriçrius, tunc auditor meus nunc vir clarissimus, quiq; sibi, vniuersa ciuitate plaudente, ad altiores dignitatis gradus viam virtute quotidie munit; alterum donauerat homo eruditus, itemque antiquæ probitatis ac fidei Hercules Ciofanus. Sed cum eorum pleraque postea etiam Lambinus notauerit, inspiciam eodem tempore notas ipsius. & quæ ab eo animaduersa erunt prætermittens, si quid aut ipsius diligentiam fugerit, aut aliter in illis, quos dixi, libris scriptum fuerit, adnotabo. Statim igitur in ipso principio ita vulgo legitur, *Si quis est iudices, qui C. Rabirium quod suæ fortunæ fundatæ præsertim, atque optime constitutæ opes potestati regiæ libidinique commiserit, reprehendendum putet.* At in eorum librorum vtroque. *Quod suas fortunas; fundatas præsertim atque optime constitutas potestati regiæ*, & cetera. Neque mihi dubium est, quin hæc scriptura verior sit. Certe enim, *Opes fortunæ suæ* Latine dici non puto. Quod autem *Curtius* fuisse dicitur huius Rabirii pater, recte in veteribus libris legitur *Curius*: quod cum a Lambino quoque ita emendatum sit, prætermisissem, nisi eum, incogitantia quadam in eundem errorem denuo prouolutum viderem. Nam qui recte aliquot locis Curium scripsisset, immemor sui, in extremo, vbi rectissime legitur, *Tune es Curii filius*, mutat, neque precario, sed plane directis verbis imperat, vt legatur *Curtii.* Vix illud notandum puto, quod in illo, *Quamuis patrem suum numquã viderat* ab vtroq; libro abest vox *Suũ.* Sed certe multo melius in Glorieriano *Multas partes habuit publicorum,* quam vt vulgo *publicanorum.* In eodem etiam corrupte *Cutius reditum consulicum datum*: vnde conicio legendum, *Consuli commendatum.* In libro autem Ciofani illud præclare: *Sunt lites æstimatæ A. Gabinio. nec prædes dati: nec ex eius bonis quanta summa litium fuit, seruari potest.* quæ plane incorrupta est illius loci scriptura. Illud quoque in vtroq; recte legitur quod in omnibus diuulgatis deprauatum est *Si est hoc nouum in lege Iulia, sicuti multa sunt seuerius scripta quã in antiquis legibus, & sanctius, inducatur sane etiam consuetudo huius generis iudiciorũ noua.* Quæ autem subiiciam, & in vulgatis libris, & in veterib. corrupta

sunt. Vtrorumque scripturam proponam: tum, quid mihi videatur, aperiam. Lambinus igitur ita edidit. *Illo, inquit, capite quod erat in Posthumum, quod in Gabinium iudex esses, nihil Gabinio datum, cum in eum lites æstimarentur.* Quibus ex verbis non meliorem sententiam extruderit quisquam quam ex febricitantium somniis. Libri veteres hoc modo, *Illo, inquit, capite, quod in posterum.* Puto verba illa, QVOD IN POSTERVM, esse principium eius capitis ex lege Iulia, quo accusator Posthumum teneri dicebat: & propterea grandiusculis, vt fit, literis scribi oportere. Sequitur in eisdem libris *Quom in Gabinium iudex esses, nihil Rabirio autum nihilque ei lites æstimarentur.* Puto legendum. *Quom in Gabinium iudex esses, nihil de Rabirio auditum: nihil quom ei lites æstimarentur.* Et spero, assensuros mihi eos, qui totum locum attente considerarint. Omitto quædam pusilla: cuius generis hoc est, quod in eis ita legas. *Neque solum hoc genus pecuniæ capiundæ turpe, sed etiam nefarium esse arbitrabantur: ac tamen,* & cetera. At non illud omittendum, quod in eorum vno legitur. *Quare aut iudici mihi non esse liceat, aut legem Senatoriam non timere.* Prorsus enim absurdum videtur, quod in vulgatis omnibus legitur, *Aut legem lege Senatoria non timere.* Est & hoc ita perscriptum in veteribus. *Non patitur mea met iam fides.* vnde deleo literam T: vt sit, *Non patitur mea me iam fides.* Equidem, vt verum fatear, muscas mihi captare videor, cum hæc tam minuta consector. Sed tamen cum semel cœperim, persequar vsque ad extremum. quamquam enim genus hoc scriptionis, & scribenti molestum est, &, vt opinor, legenti: scio tamen in purgandis veterum scriptis operam bene & vtiliter collocari. Alias igitur oblectationis aliquid dabimus. Nunc vincat vtilitas. Haud ita multo post, in vno ex eis libris ita legitur. *Quid vociferabere? Decem millia talentum Gabinio esse permissa, Hic videlicet puer blandus reperiendus fuit, qui hominem, vt tu vis, auarissimum exoraret, HS bis millies, & quadringenties ne magnopere contemneret.* Hoc ego, ne quid dissimulem, verius & syncerius puto. vt & hoc, quod sequitur. *Et quidem in custodia fuit etiam regia: & vita ei ablata pæne est.* Et statim. *Quæ necessitas coegit perferre: pertulit.* Aliquanto autem inferius. *Nec vero id homini tum quisquam, sed tempori adsignandum putamit.* Et paulo post. *Nam & ventum est Alexandream iudices, hæc vna ratio,* & quæ sequuntur. Sunt & aliæ quædam in iis, quæ sequuntur, varietates, sed non magni momenti. Cetera prorsus cum Lambini editione consentiunt.

Lycurgi orationis locus emendatus & auctus.

CAPVT VI.

VT Euripides interesse ait, non tantum quid dicatur, sed etiam a quo dicatur: quod a persona dicentis multum iis, quæ

dicuntur:

dicuntur vel accedit auctoritatis, vel decedit: ita non tantum quid dicatur, refert, verum etiam quo modo dicatur. Eadem enim sententia alio, atque alio verborum genere elata, modo iacet ac languet, modo attollitur, & audientium mentes admiratione percutit. Declarant id vel maxime Poetę, qui cum interdum vulgares, & e medio petitas sententias proferant, quia tamen eas & numeris vinciunt, & figuris illuminant, seque ab vsitata loquendi consuetudine abducunt; quia grandius & sublimius efferunt; grandiora etiam, & sublimiora dicere existimantur. Non aliter in vestitu ac cultu corporis accidere videmus, vt principibus, ac magistratibus ex eo dignitatis aliquid accedere videatur. Neque non quod dixi poetis euenire, idem etiam oratoribus euenit, vt si quis eorum verba immutet, quamuis eandem sententiam retineat, multum tamen eis & dignitatis, & vehementiæ detrahat. Vt contigit acri sane & pleno spirituum oratori Lycurgo, qui cum in pulcerrima oratione aduersus Leocratem multa de virorum fortium, qui mortem pro patria oppetierant, laude dicturus esset, ne nimis a re proposita digredi videretur, ita sibi viam ad eam disputationem præmunit, vt diceret, duabus de caussis libenter audiendam esse virorum fortium commendationem. Nam & ex contentione, inquit, magis intelligitur eorum, qui ab illis degenerant, ignauia: & iustum est, laudem, quæ sola viris fortibus præmium periculorum est, eis non denegari, qui animas ipsi suas in publicis certaminibus ciuitatis, pro salute communi, profuderunt. Verba autem, quibus hanc sententiam complectitur, hæc sunt: *εἰ γὰρ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁ λόγος τὸν ἔλεγχον σαφῆ κατὰ τῶν τἀναντία ἐπιτηδευόντων ποιεῖν.* Sed a libris excusis abest vox *ἀνδρῶν*, quæ tamen & sonum & granditatem addit orationi. At hoc leue est, præut quod sequitur. *ἔτι δὲ καὶ δίκαιον, τὸν ἔπαινον, ὃς μόνος ἆθλον τῶν κινδύνων τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἐστί, τοῦτον, ἐπειδὴ κἀκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀνήλωσαν, ἐν τοῖς δημοσίοις καὶ κοινοῖς ἀγῶσι πόλεως, μὴ παραλιπεῖν.* In libris, qui vsque in hunc diem editi sunt omnibus, ita legitur, *ἐπειδὴ κἀκεῖνοι εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν τῆς πόλεως ἐπεδώκασι.* quo modo sententiam quidem eandem manere, sed de pulcritudine ac vehementia orationis plurimū detrahi; nemo non videt.

Antiphontis Rhamnusii oratio correcta.

CAPVT VII.

Antiquissimi Rhetoris Antiphontis Rhamnusii quo Thucydides magistro vsus dicitur, quique ob insignem suauiloquentiam Nestor vocitatus est, oratiunculæ aliquot extant lectu iucundæ, vt in quibus primos rudis adhuc, & incoatæ eloquentiæ conatus licet agnoscere. In omni autem re iucundissimum est principia ipsa, & progressus videre. Nam & qui herbarum, ac stirpium naturas curiose inquirunt, satis se studio suo fecisse non pu-

tant, nisi eas & ex terræ gremio primulum erumpētes & pubescentes, ac succrescentes, & florentes denique ac vigentes, postremò etiam arescentes ac decidentes contemplati fuerint. Quod si quis tam perspicacibus oculis vteretur, vt ipsius naturæ vnumquidque producentis, & ad iustam magnitudinem paulatim perducentis artificium spectare posset, ac tum quomodo quidque mutaretur, tum quantum quoque momento accresceret, intueri, nemo reperiretur, qui non illius spectaculi suauitati vel immori vellet. Sed vt ad Antiphontem, cuius caussa hic sermo institutus est, redeam, in perpetua oratione, qua homo adolescens, qui senem in certatione pugno interfecisse arguebatur, crimen illud a se repellens inducitur, duæ maculæ hæserunt, quas tollere haud ab re fuerit. Primum ergo vbi legitur: ἀλλ' ὁ νόμος εἴργων μήτε ἀδίκως ἀποκτείνειν, ἔνοχον τοῦ φόνου τοῖς ἐπιτιμίοις ἀποφαίνει σε: manifesto constat duas voces omissas: legendumque, μήτε δικαίως, μήτε ἀδίκως ἀποκτείνειν. Paulo autem infra eum locum, hoc quoque ita emendandum est. εἰ μὲν γὰρ ὑπὸ τῆς πληγῆς ὁ ἀνὴρ παραχρῆμα ἀπέθανεν, ὑπ' ἐμοῦ μὲν, δικαίως δ' ἂν ἐτεθνήκει. νῦν δὲ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον: & quæ sequuntur. Illa autem omnia, οὐ γὰρ τοῦτο, ἀλλὰ μείζονα καὶ πλείονα δίκαιοι οἱ ἄρχοντες αὐτῷ παρέχειν εἰσίν, ex hoc quidem loco delēda sunt: quæ cum paulo superius recte ac loco suo posita essent, vt tam exiguo interuallo denuo hic legantur, librariorū stupor effecit. Hæc non adnotarem, nisi eos quoq; libros, qui merito omnium emendatissimi habentur, eodem ad ceteros modo deprauatos viderem.

Peregrinatio sit ne vtilis quæsitum: & liceat ne laudare aliud, aliud sequi.

CAPVT XIII.

Peregrinatio ad tempus, homini præsertim adolescenti, neque iniucunda, neque inutilis est. nam & nouitas, ac varietas mirificam oblectationem habet: & qui mores multarum gentium nouit, magnum sibi ad prudentiam instrumentum comparauit. Sed plærique iuuenum hodie, qui longinqua itinera suscipiunt, multasque regiones perlustrant, id sibi fere vnum studio habent, vt quo quæque vrbs loco sita sit, cuius generis ædificia habeat, quæ in quaque sit mercium, ceterarumque rerum ad explendas cupiditates accommodatarum copia, cum domum redierint, narrare æqualibus possint: quibus legibus, atque institutis temperata sit, quibus magistratibus vtatur, quomodo ea quæ ad se conseruandam vtilia sunt, persequatur, declinetq; contraria; horū omnium ne cogitationem quidem suscipiunt vllam. Et tamē nihil prodest, multa loca vidisse, nisi harum rerum notitiam adiunxeris. Præclareque de Vlysse Homerus.

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Vrbes, inquit, *multorum hominum vidit virgentia naturasque cognouit.*

uit. Quæ re ipsa distincta sunt, ea distinxit etiam verbis. Negligentius Horatius.

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

Vrbes etiam a prætereunte videri possunt: mores cognosci, nisi adhibita cura & studio, non possunt. Solon, Pythagoras, Plato, aliiq; olim magni ac præstantes viri, eo consilio peregrinati sunt, vt quam maximam sibi talium rerum supellectilem compararent. Quanquam enim vt in aliena domo, sic in aliena rep. negant curiosum esse oportere; hæc tamen, quam dico, curiositas & priuatim semper, & publice vtilis fuit. Aliam quandam rationem secutus est Plato, qui huius generis peregrinationes, neque, nisi magistratus permissu, neque, nisi a quinquagesimo vsque ad sexagesimum ætatis annum suscipi voluit: quod probarem & ipse, si qua vsquam ciuitas, qualem ipse describit, reperiretur. Nam quod ille verebatur, ne alienigenarum hominum multitudine in prouinciam aliquam confluente ibique sedes figente, & adolescentibus, quorum improuida ætas ad libidinem plærumque quam ad virtutem pronior est, extra patrios fines vagantibus, externa potius vitia importarentur, quam domestica tollerentur: hunc metum ipsius non vanum fuisse, satis declarant eæ gentes, quæ, cum multa secula floruissent, nunc in exitium suum versæ, peregrinis potius moribus laborant, quam suis. Sed, vt me ad propositum referam, cum & vtilis & iucunda sit bene instituta peregrinatio: tranquillam tamen & quietam vitam amantibus, domi viuere iucundissimum est. οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, dixisse ait senectudinem Æsopus. Quid senex ille, an corporis oculis captus, nescio, mentis certe oculo Lynceus?

Οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφι.

Vbique enim vt vafer quidem & improbus, sed politus & vrbanus scriptor ait Lucianus, [illegible] πρᾶγμα ὁ ξένος. Itaq; in illa aurea ætate, si qua poetis fides, nemo peregrinabatur,

Nullaque mortales præter sua littora norant.

Equidem afficior intimis sensibus, cum illud Claudiani poematium lego, quo Senex ille Veronensis describitur, qui numquam e patriis finibus excesserat: de quo vere & eleganter idem poeta:

Erret & extremos alter scrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ: plus habet ille viæ.

Præclareque Horatius:

Romæ laudetur Chios, & Samos, & Rhodos absens.

Sed, vt aliud ex alio; quid est, quod longinquas siue vrbes, siue insulas, laudari iubet, adire vetat? Certe enim hoc dicit: Laudato peregrinationes: sed ipse te domi contineto. An aliud laudare, aliud sequi? at aliud in ore, aliud in pectore habere turpissimum est. Et tamē multa alia sunt, poetarum: vt illud Hesiodi, laudandam esse paruam nauim: sed merces in magnam imponendas. & hoc Virgilii,

——— *Laudato ingentia rura:*

Exiguum colito.

Et hodie in Italia vsitatum est simile prouerbium agricolarum: Laudandos montes: sed a planitie non recedendum. Capitale in eodem genere illud Sophoclis: laudandam iustitiam: sed hęrendū lucro:

τὸ μὲν

Αἴνει [illegible] τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου.

A quo præcepto etiam improbissimi, verbo, re & factis, ne ii quidem, qui boni viri habentur, omnes abhorrent. Numquid igitur, vt aliam vestem domesticam habemus, aliam forensem: ita alia aliis laudabimus, alia ipsi consectabimur? An hoc potius significant vetera illa poetica prouerbia: cum sæpe variæ, ac multiplices sint hominum sententiæ, ita vt eadem alii laudent, alii vituperēt, grauesq; interdum inimicitiæ ex eiusmodi dissensionibus oriantur: debere nos sinere vnumquemque iudicio suo vti: & potius quam vllam dimicationem aut contentionem suscipiamus, laudare iudicium ipsius: sed tamen id quod optimum est, sequi? Ita mihi quidem videtur. Et cetera quidem hoc sensu accipi queunt: Sophocleum illud non potest: neq; alia ratione summum poetam defendi posse arbitror, quam vt dicamus eum habuisse rationem decori, & sententiam protulisse conuenientem eius personæ, quæ tum loquens indicaretur.

Ciceronis Diuinationis in Verrem locutio contra Asconii Pædiani sententiam defenditur.

CAPVT IX.

PRincipium diuinationis in Verrem hodie in omnibus vulgatis libris deprauate legitur hoc, *Si quis vestrum iudices, aut eorum qui adsunt, forte miratur, me, qui tot annos in caussis iudiciisque publicis ita sum versatus, vt defenderim multos, læserim neminem, subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere: is si mei consilii caussam rationemque cognouerit, vna & id quod facio probabit, & in hac caussa profecto neminem mihi esse præponendum actorem putabit.* Manauit autem error ab Asconio Pædiano, qui, cum in veteribus libris legeretur *Descenderim*, putauit, speciem esse solœcismi, nisi aut aliquid adderetur, aut pro *Descenderim Descendere* legeretur: quomodo & quosdam legere affirmat. Sed hoc ab Asconio (quæ enim inuidia est vera proloqui?) incogitantius dictum est. Nulla enim hic neque vmbra neque species soloecismi est. Fefellit eum, quod putauit verbum *Miratur* absolute positum esse: & illud *Me* coniungendum cum iis, quæ sequuntur. quod si esset, omnino legendum esset, *Descendere*. Sed non ita est: imo vero illud *Me*, coniungendum est cum verbo *Miratur*: quod si feceris, omnis illa falsa species [illegible] in morem euanescet. Ita enim locutus est Cicero, ac si quis diceret, *A[illegible]*

aliis in rebus tam accuratus fuerit, in hac tam pueriliter errauerit. Miror te, qui heri tantum biberis, hodie tam mane surrexeris. Miror te, qui semper ante bacchibus praeclare moderatus sis, hodie continere te non potueris. Miror Ciceronem, qui semper vsque huc defenderit, nunc subito mutata voluntate ad accusandum descenderit. Hoc ego non aliam ob caussam notandum putaui, quam quod tam multos Asconii auctoritate in eundem errorem pertractos esse mirabar.

Ciceronis e Lucullo lectio defensa, de Herculis sagittis ex Euripide.

CAPVT X.

NOn absimili modo conatus est homo eruditus, & hac aetate τῶν ἀγχινοωτάτων, locum Ciceronis e Lucullo mutare, qui tamen mutationis illius nihil indigebat, recteque & emendate scriptus omnibus in libris circumferebatur hoc modo. *Quid apud Euripidem Hercules, quum, vt Eurysthei filios, ita suos configebat sagittis, quum vxorem interimebat, quum conabatur etiam patrem?* Hinc enim censuit is quem dico, tollendam esse particulam *Ita*, motus ea ratione, quod Hercules apud Euripidem in ea fabula nusquam Eurysthei filios confixisse dicatur, sed suos: quos insania correptus putabat esse Eurysthei filios: quod vt probet, quasi valde dubium, adducit etiam Euripidis versus. Atqui ὦ γαθὲ quod tu dicis, id ipsum Cicero dicit: tuque dum, vt corruptum, ita integrum & vitio carentem locum emendare conaris, ostendis te aliud egisse, cum illa scriberes. Non enim hoc significatur, confixos esse ab Hercule vt Eurysthei filios, ita etiam suos: sed ita confixos suos, vt si Eurysthei, quod ille insaniens putabat, filii fuissent. Equidem si quis hoc modo loquatur: Socrates capitis damnatus, vt mulsum, ita hilaris obduxit venenum: non ita accipiam, vt & mulsum & venenum a Socrate epotum putem: sed eadem hilaritate obductum ab eo venenum, ac si mulsum fuisset. Sed ne optimi quidem iaculatores semper collimant.

Lysis laudatio eorum qui Corinthiis opem ferentes occubuerunt, locus aliquot emendatur.

CAPVT XI.

SI putarem fore vt optimi scriptores, Graeci praesertim, qui ab optimis & accuratissimis typographis editi iam sunt, viuo adhuc & spirante me, denuo ederentur: nihil fortassis necesse haberem, quae in eis deprauata video, quomodo emendanda putem, in hos libros referre: satisque haberem ea nouas editiones adornantibus indicare. Sed cum & aetas me iam id sperare prohibeat; & literarum Graecarum studia, saltem in Italia: nam de aliis gentibus nihil affirmare possum: ita quotidie refrigescere videam, vt existimem a noua praestantium librorum editione librarios emtorum raritate deterritum iri: non puto me perperam facere si optimam quamque editionem cum iis libris, quibus adolescens vtebar,

conferens, vbi quid a me notatum video quod & alienius notari, & ab eis tamen omissum sit, communicandum id cum studiosis putem. Neq; me illud mouet, quod prospicio fore, vt huius generis scripta sordeant ac negligantur, simul ac quis e singulis capitibus pauca quædam, quæ in hoc, aut illo nobili scriptore emendātur excerpserit. non enim gloriæ ac nomini meo, sed studiosorum vtilitatibus seruio: quib. cum hi qualescumq; libri mei vtiles esse deberent, vt, dum semel profuerint, quo minus in perpetuum abijciantur, non recuso. Interea cu veteres illos & sapientiæ, & eloquentiæ laude ita floruisse videā, vt neq; a me neq; a quoq̃ eorū, qui nūc sunt, a me quidem certe minime omnium, quidquam scribatur quod vel κατ' ἄκρας ad illorum præstantiam accedat, malo ceteris, quoad possum, viam ad eos facilius intelligendos sternere, quam scribere quæ parum cauti, nouitatis studio allecti, illis omissis, legant. Vt enim dictum est a nobili poeta, *moribus ac viris antiquis rem Romanam stare*, ita libris & scriptoribus antiquis veram ac solidam eruditionem stare dicamus licet.

Vino qui vtuntur vetere, ait quidam, *sapientes puto.*
Et qui veteres spectant libenter fabulas.
Nam nunc noua quæ prodeunt Comœdiæ,
Multo sunt nequiores, quam nummi noui.

Id leuiter inflexum ad omne prope genus librorum accommodari potest. Et tamen, quod mihi interdum risum, interdum stomachum mouet, obscuri homunciones reperiuntur, qui nobilissimos quosque scriptores, quosque tamquam in cœlo, vt ita dicam, merita collocarunt, in ordinem cogere, & de eis aduersus tot sæculorum sententiam iudicare audeant. Alius Homerum damnat, alius in Virgilio multa reprehendit, alius præcepta Horatii de arte poetica irridet, alius Ouidium nescisse ait Latine loqui: quasi nos hodie, quid sit Latine loqui sciamus: alius alia, quorum me pudet, pigetque. Miseri, quanto melius facerent, si ad eos intelligendos & ad virtutes eorum penitus cognoscendas, &, quantum cuiusque vires ferunt, imitandas studium conferrent, quam nunc cum, canum Lunam allatrantium more, ad quos aspirare non possunt, eorum famam lacerare contendunt. Neque negauerim, esse & in veteribus, quæ culpari possint: homines enim fuerunt: sed vt in formosis corporibus næuos notamus, non propterea totam formam despicimus: sic & in illis, si qua non placent modeste notanda, non ipsos tribu mouendos censeo. Modesta iudicia fero: impudentiam & arrogantiam non fero. sed sentio me longius prouectum, quam proposueram. Ac vereor interdum, ne nostra hæc dicaci cuipiam videantur esse ex genere Macrocephalorum, quibus caput toto reliquo corpore longius esse dicitur: sic enim & nobis prooemium sæpe longius est, quam [illegible]. Sed suum cuique vitium. Senes interdum natura loquaciores sumus.

In

In hanc, qua modo vsus sum, φλυαρίαν nescio quo modo, incidi, cum constituissem emendare locos aliquot ex pulcerrima & ornatissima oratione Lysiæ, qua eos laudauit, qui Corinthiis opem ferentes occubuerant. quam quidem orationem, vt & ceteras, ἀρχαῖός τις παραγράφων ita emendatam edidit, vt tamen aliorum industriæ aliquid reliqui fecerit. Sub principium igitur, vbi ita scriptum est, ἱκανὰ δὲ καὶ τοῖς ἐπιγιγνομένοις ἐξῆν εἰπεῖν, pro ἐξῆν legendum ἐξείη. mox, ἐν τοῖς τεθνεώτων ἔργοις, adde articulum, vt sit, ἐν τοῖς τῶν τεθνεώτων ἔργοις. deinde Ἀμαζόνες μὲν γάρ. Dele illud μὲν & statim μόναι δὲ ὡπλισμέναι, scribe, μόναι μὲν. Paulo post. καὶ ἔργῳ μὲν τοὺς περὶ αὐτοὺς καταδεδουλωμέναι lege περὶ αὐτάς. vt referatur ad illud quod antecessit, πολλῶν ἐθνῶν. Sed & vbi est ἕως ἐπὶ τῷ πολέμου τύχας, libri veteres habent, ἐν τῷ πολέμῳ. Sed hæc leuia. illud grauius, quod, vbi est, ἀλλ' ἐκείνοις μὲν αὐτὶ τῆς δυσσεβείας τὴν αὑτῶν ἀρετὴν ἐπεδείξαντο, legendum est, τῆς ἀσεβείας. Illam autem impietatem dicit, qua Thebani impedire volebant, ne interemtorum corpora sepelirentur. Paulo infra legendum ἐκείνοις δὲ οὐκ εἰδότες & de liberis Herculis, Τοσοῦτον δυστυχέστεροι παῖδες ὄντες ἐγένοντο τοῦ πατρός expuncta particula δὲ: est enim ἐπιφώνημα, vt

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Et simile aliud hac ipsa in oratione legitur. At vbi est μόνοι γὰρ ὑπὲρ ἁπάσης τῆς Ἑλλάδος πρὸς πολλὰς μυριάδας τῶν βαρβάρων διεκινδύνευσαν alii libri pro, μόνοι, habent μύριοι. & vtraque scriptura defendi potest. Nam & decem millia Atheniensium fuisse constat: & solos dimicasse, quamquam mille Platæenses adfuerunt, etiam Demosthenes in epitaphio dicit. ἐκεῖναι τὸν ἐξ ἁπάσης τῆς Ἀσίας στόλον ἐλθόντα μόνοι δὶς ἠμύναντο καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν. Quo fit vt apud Lysiam quoque libentius legam μόνοι, & δὶς ἐκινδύνευσαν quam διεκινδύνευσαν: Locus autem qui sequitur, in omnibus editis libris & mutilus & corruptus est hoc modo. ἄνδρες δ' ἀγαθοὶ γενόμενοι, καὶ τῶν μὲν σωμάτων ἀφειδήσαντες, ὑπὲρ δὲ τῆς ἀρετῆς φιλοψυχήσαντες, καὶ μᾶλλον τοὺς παρ' αὐτοῖς νόμους αἰσχυνόμενοι, ἔστησαν μὲν τρόπαια ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος τῶν βαρβάρων ἐν τῇ αὑτῶν, ὑπὲρ χρημάτων εἰς τὴν ἀλλοτρίαν ἐμβαλόντων παρὰ τοὺς ὅρους τῆς χώρας. Multa hic & grauia peccata sunt: quæ tollentur omnia, si veteres membranas secutus, ita legas. ἄνδρες δ' ἀγαθοὶ γενόμενοι, καὶ τῶν μὲν σωμάτων ἀφειδήσαντες ὑπὲρ δὲ τῆς ἀρετῆς οὐ φιλοψυχήσαντες, καὶ μᾶλλον τοὺς παρ' αὐτοῖς νόμους αἰσχυνόμενοι ἢ τὸν πρὸς τοὺς πολεμίους κίνδυνον φοβούμενοι, ἔστησαν μὲν τρόπαιον ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος τῶν βαρβάρων ἐν τῇ αὑτῶν χώρᾳ ὑπὲρ χρημάτων εἰς τὴν ἀλλοτρίαν ἐμβαλόντων παρὰ τοὺς ὅρους Οὕτω δὴ ἀξίως, & quæ sequuntur. In sequentibus pauca sunt, neque magni momenti quę omittam. In iis autem quæ expolui, nullam mihi ingenii aut εὐστοχίας laudem appeto: sunt enim omnia e duobus veteribus libris, altero Veneto, altero Vaticano.

Roma cur, & a quo orbis compendium dictum. Gregorii XIII. Pont. Laus.

CAPVT XII.

IN excerptis e primo libro Deipnosophistarum Athenæi legimus non aberraturum, si quis vrbem Romam epitomen totius orbis vocauerit: quod & Romam ex omnibus terrarum partibus longe plurimi cõfluunt, & quicquid vsquam visendum, ac spectabile est, Romæ spectari potest. quam laudem etiam hodie post tot Barbarorum insultus, tot strages, tot direptiones, *æterna vrbs*, vt eam veteres vocarunt, magna ex parte retinet. vt nunc quoq; cum Propertio vere dicere liceat:

Omnia sunt pariter rerum miracula Romæ,
Natura hic posuit, quicquid vbique fuit.

Atque haud scio an vnquam eam epitomen orbis, aut communem patriam verius vocare licuerit, quam hoc tempore, cum Gregorius XIII. Pontifex Maximus incredibili animi magnitudine & deprædicanda omnibus sæculis in vniuersum hominum genus caritate, Hebræorum Christianam religionem suscipere volentium, Græcorum, Armeniorum, Germanorum, Britannorum collegia instituit, magnifica eis, vbi habitent, ædificia exstruxit, reditus, quibus alantur, attribuit, templa ingentia posuit: vt, singulari temporum nostrorum felicitate. sacrosanctum Christi nomen ac numen omnium populorum linguis, ac ritibus vna in vrbe celebretur. Cuius Pontificis inexhausta, & indefessa liberalitas orbis nostri finibus non contenta penetrauit etiam ad gentes veteribus incognitas, & nostro primum sæculo repertas, constitutis quaternis nummorum aureorum millibus, quæ quotannis vsque in Iapponem ad sustentandos eos, qui cœlesti doctrina populos illos imbuerent, mitterentur. Hoc est vere communem omnium pastorum, vere Christi vicarium esse. Sed ad laudes illius pleniore ore celebrandas alius mihi, si Deus volet, constitutus est locus. Nunc quod dicere cœperam, cum Athenæus non indicarit, quis e veteribus *Romam epitomen τῆς οἰκουμένης* vocasset, visum est monere, eius appellationis auctorem fuisse oratorem Polemonem, vt testatur Galenus commentario primo in Hippocratem de *articulis*.

Neq; viuum neq; mortuum sum: a pluribus vsurpatum esse.

CAPVT XIII.

QVod apud Euripedem in Supplicibus, mulier nobilis, sortem suam deplorans, ait, se iam *neque in viuis, neque in mortuis posse numerari*, id a Dante poeta Etrusco in magni tumoris significatione positum esse, dicit Victorius cap. XXI. libri XXXI. variarum lectionum. Quamquam autem, quod tantum acumen in eo dicto sit, cur vt id tantopere admirari debeamus, non video: sæpe enim & homines, neque ingeniosos, neque eruditos, & mulierculas ita vulgo loquentes audiui: quia tamen vir eruditissimus

tanti esse duxit; notabo ego quoq; a Plauto in Curculione eodē modo loquentem virginem induci. versus Plautini hi sunt:

Ego pertimesco. tum ibi me nescio quis arripit
Timidam atq; pauidam, nec viuam, nec mortuam.
Nec qua me pacto abstulerit, possum dicere.

Hoc quoque, & si stipula leuius, notetur, in illis Euripidis versibus, non δυσγνόωτατος legendum, sed δυσγνοίᾳ τι. Sic enim paulo post, ὀριβμαρμένη & ἔχουσα.

In Plauti Pœnulo notata non pauca.

CAPVT XIV.

IN Pœnuli Plautinæ prologo quædam notare constitui. Statim autem in ipso limine duo vetera exemplaria, quæ habeo, variant. in vno est,

Achillem Aristarchi mihi imitari lubet.

in altero, vt in editis, *commentarii*: quod si retineamus, scribendum, vt puto, erit *Achilem* vnico l: vt versus constet. sic sæpe apud Græcos ἀχιλλεύς, & ὀδυσσεύς, quod si quis etiam Latine scribēs imitari audeat, equidem non reprehenderim. Secundum versum ita legendum arbitrar.

Inde mihi principium capiam ex Tragœdia.

Nam vt vulgo legitur, *ex ea Tragœdia*, non video, quomodo versus constare possit. Quod autem seruos vel sedere vetat, vel æs pro capite dare vult; eo pertinet, quod subsellia quædam erant, quæ ab ipsis histrionibus locabantur: pro quibus mercedula soluenda erat, si quis in eis sedere vellet. Quas autem *scribilitas* Plautus, eas Martialis συγκεκομμένως, *scriblitas* vocat.

Circumlata diu mensis scriblita secundis.

Sed quid est, quod ait, velle se ad argumētum remigrare, cum eius nullam prorsus partem attigisset? Nimirum *remigrare* hoc loco nihil aliud est, quam *migrare & transire*. Sic *reddere* interdum idem est quod *dare*. Celsus Iuriscōsultus. *Verbum reddendi*, inquit, *quanquam significatum habet retrodandi: recipit tamen & per se dandi significationem*. Plautus Pseudulo,

Hercle hunc te sinam emoriri, nisi mi argentum redditur.

Sic *reddere* dicitur *hæreditas*, quæ tum primum defertur. Terentius,

Ea ad hos redibat lege hæreditas.

Cato de re rustica *Nunc ad rem redeam, quod promisi, institutum principium hoc erit*. Sallustius de bello Iugurthino. *Verum ego liberius altiusque processi, dum me ciuitatis morum tadet pigetque. Nunc ad institutum redeo.* & tamen in id nondum ingressus erat. Sequitur.

Eius regiones, limites, confinia
Determinabo. ei ego tum factus finitor.

Vbi Ioachimus, & eum secutus Lambinus notant, *finitor*, legen-

dum esse penultima breui. quod certe non pro cetera earum rerũ sapientia sua dixerunt. Nam & *auditor* & *amator*, qui correpta penultima enuntiet, si cui risum debebat, illo se ære alieno exsoluerit. Quanto latius mutare ordinem vocum: vt sit,

——at ego finitor factus sum.

Paulo post autem suspicor legendum.

Latine Plauti Pœnulus pultiphagonida.

Se ipsum enim, non Pœnum illum pultiphagonidem vocat. Venustissime autem illud,

Vosmet nunc facite coniecturam cæterum,
Quid id sit hominis, cui Lyco nomen siet.

quasi ex cuiusque nomine de moribus coniectura fieri possit. Sic in Bacchidibus.

Adeon' me fuisse fungum, vt illi crederem?
Cum me ipsum nomen eius Archidemides
Clamaret, demturum esset si quid crederem.

Sic ex nomine *Verris* augurabantur homines fore, vt ab eo Sicilia verreretur. Quinetiam qui hodie criminalia iudicia exercent; in torquendis reis, interdum ex nomine ipso coniecturam capiunt.

Vbi quamque est in vrbem ingressus.

Melius videtur, quod in vno e meis est, *Vbi quamque in Vrbem ingressus.* Ille quoque versus,

Dat aurum. ducit, noctem rogat. post ibi:

Neque numeris suis constat, & absurdam sententiam continet. Quid enim opus est, vt qui aurum dedit, & duxit, noctem postea roget? At in meis rectissime hoc modo,

Dat aurum: ductat noctem: rogitat post ibi,
Vnde sit.

Hæc quanquam pauca, non vsquequaque tamen Plauti amatoribus ingrata erunt.

In eadem Comœdia difficilis nodus explicatus,
Sesamum & papauer.

CAPVT XV.

IN eadem fabula adolescens amore perditus, cum amicæ verba audiret, ac sibi, eis audiendis, mel, vt aiunt lingere videretur, *Obsecro*, inquit, *vt mulsa loquitur!* Tum vafer seruus dominum irridens,

Nihil, inquit, *nisi latercules,*
Sesamum, papaueremq., triticum, & frictas nuces.

Quæ verba ita exponit interpres. *Seruum Milphio ad spectatores conuersum, plane contraria Adelphasium loqui respondet, quam dicat herus eius Agorastocles, nempe dura, & iniucunda omnia. Laterculos, id est, paruos lateres.* Addit ex Dioscoride, *Sesami* esum nocere stomacho: & postremo ea omnia esse palato iniucunda.

Non

Non potuit, si maxime voluisset a Plauti sententia longius aberrare. *Laterculi*, placentulæ erant a figuræ vocatæ quibus sapa admiscebatur, vt ex Catone notum est. Sed hoc, vt opinor, faciebant parci & restricti patres familias: nam ab elegantioris palati hominibus melle condiebantur. Apuleius libro 10. *Panes, crustula, incunculos, hamos, laterculos plura ; cittamenta mellita.* Vulgo tamen male *lacertulos* legunt, literarum sede mutata. Sic alias quasdam ab *orbiculari figura globulos vocabant. Sesamum autem vel principem locum* obtinebat inter bellaria, vt ex Athenæo & Polluce notissimum est. Papauerem quoque ex eodem numero fuisse, vel ex Petronio discere poterat: cuius hæc verba sunt. *Mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaq; tanquam papauere & sampsucho sparsa.* Iam ex tritico multa placentarum genera, & olim fiebant & hodie fiunt: & vt amygdalæ, sic & nuces frictæ ex melle in secundis mensis apponebantur. Sic cicer frictum, sic fabam frictam ex melle edebant. Dulcia igitur enumerauit Seruus; non hero contraria locutus est.

Plautina formula, Haud vidi magis.

CAPVT XVI.

GEnus quoddam loquendi est ironicum, quo vtebantur cum ostendere volebant id quod dixisset alius sibi non probari: neque ita esse vt ille dixisset. Dicebant igitur, *Haud vidi magis.* Quare Milphio cum se pridie ab hero, qui tum sibi blandiretur, valde vapulasse dixisset: respondissetq; adolescẽs, quod per amorem fecisset, sibi ignosci æquũ esse: subiicit seruus, *Haud vidi magis.* quæ verba noster ita interpretatur. *Haud vidi quenquam qui magis amaret, quiq; magis amore incensus in seruos saeuiret.* At ego haud vidi quenquam, qui aut sæpius aut longius a Plauti sententia aberraret. Hic quidem perinde est, ac si diceret irridẽs seruus: *Nihil vidi vnquam æquius:* cum ex contrario intelligi velit, iniquissimum esse. Sic in Amphitruone.

Exspectatus ne aduenio?
SO. *haud vidi magis.*

Exspectatum. eum salutat magis haud quisquam, quam canem. & in Captiuis.

At etiam te sodalem suum esse aiebat.
TVND. *haud vidi magis.*

quos locos cum hic noster satis commode interpretatus esset, in hoc ad ingenium red it.

Pœnulus Plauti contra atque a Turnebo explicatur.

CAPVT XVII.

IAm Plautum e manibus posuerã, cum inspicere volui, vt plerunq; soleo, nũquid eorũ, q̃ a me notata erãt, alii occupassent. Sed ea mihi ipsa res plures ex pœnulo locos strictim attingendi

occasionem dedit: quos ab eruditissimo viro Turnebo ita explicatos reperi; vt facere nullo modo potuerim, quin testificarer, quantum ab eo dissentirem, iure an iniuria, lectorem iudicem facerem. Turnebi igitur verba sunt,

Scitum est per tempus, si obuiam est verbum vetus:

vel vt alii legunt, si ob viam it, quo sensu dictum est? opinor significari verba vetera, id est, prouerbia & sententias, scita esse, cum tempestiue vsurpantur. verbum autem vetus est, quod ante Agorasto-cles dixerat deberi ei libertatem & grates gratias. Si Turnebum igitur sequamur, illius versiculi sententia erit, prouerbia & sententias conciliare orationi gratiam, si tempestiue adhibeantur. Et ita Milphio, quasi quidam dicendi magister, herum suum docebit, scite & eleganter loqui, eique de prouerbiorum vsu praeceptum rhetoricum tradet. Bene sane Sed quodnam illud est prouerbium Turnebe? *Deberi*, inquit, *ei libertatem & grates gratias.* Ignosce quaeso, tarditati meae. nam neque hic prouerbium, neque sententiam vllam video. Sequar igitur interea veterem librum meum, in quo est:

Scitum est, per tempus si obuiam it: verbum est vetus.

quod ita interpretor. Tu mihi saepe blandiris, saepe gratiam deberi agnoscis, saepe libertatem daturum polliceris: sed istaec omnia verba sunt. nihil enim praestas praeter pugnos, quibus saepe mae pectis. atque hi quidem soluuntur praesenti pecunia in probo & aspero: illa autem blandidica dicta in diem differuntur. *Verbum autem vetus est, Scitum est, per tempus si obuiam it.* id est, Scitum atque elegans est, cum quid promisisti, ne exspectare quidem dum rogeris: sed suo tempore occurrere, atque obuiam ire & promissa patrare: quod tu non facis. Dixi quid mihi videatur. Nunc lectores in consilium mitto. Sequitur alius locus, de quo Turnebus.

Prima vt inferremus ignem in aram.

In membranis peruetustis reperi

Prima cum vt inferremus.

vt sit, *prima cum*, pro, cum prima luce, quod genus loquendi apud Nonium in quodam auctore me legisse recordor.

Sint illae membranae per me vel Ogygiae. nunquam propter eas adducar, vt versum corrumpam: qui, si eas sequare, corruit. Est enim Trochaicus, vt ceteri. Retinebo igitur vulgatam scripturam. quae ipsa quoque cariosas & edentulas chartas auctores habet Nunc ad alia.

In iisdem, ait Turnebus *membranis erat*,

Ego saxo si non irata es, ninnium pro te dabit.

Sat scio, ninnium equuleum interdum Graece significare: sed puto tamen scribendum esse, nummulum pro te dabit, id est, te pecunia sua liberabit.

Ego vero hic neq; ninnium, (quid enim huc equuleus pertinet?) neque nummulum lego. Si nummulo vno liberari potuisset Adelphasium, non diu seruiisset. Dixerat paulo ante Agorastocles sibi domi esse sexcentos nummos Philippos. Retineo igitur hic quoq; vulgatam scripturam, quæ ne ipsa quidem fugientium & exoleticeorum librorum testimonio destituta est.

AD. Ego faxo. siue MIL. irata es nimium. argentum pro te dabit.

Minatur enim puella amatori suo. Ego, inquit, faxo, vt eum pœniteat, quod mihi verba tandiu dederit sine modo. Tum ei Milphio, vt iussus erat, subblanditur. *Argentum* autem *dare pro aliquo, aut pro capite alicuius*, vnde ἀργυρώνητοι ita est in frequenti vsu apud comicos, vt putidum sit exempla congerere. Ait Turnebus Lego etiam

Qui bene volunt, bene vis item,

non, vt vulgo, bene visitent. Ego vero hic in parte popularis sum, & vulgus sequor. Hoc enim quasi prouerbiũ est *Qui bene volunt, bene visitant*: id est, ita visitant quos amant, vt eis boni aliquid faciant, non, vt eos verbis inanibus pascant: quod tu facis. Hæc quoque ita lego, longe aliter, quam Turnebus.

Atq; hic ne me verberet. (illud faciet, nisi te propitio)
Male formido.

Nam quod ille secundarum partium in his omnibus Turnebo accinit, non huius facio. Turnebum miror: Ceritos miror quidquam vnquam pro sano loqui.

Duorum rursum in Pœnulo locorum, explanatio, & accessio.

CAPVT XVIII.

PAene me iam Pœnulus delassauit, sed satius est semel defungi, quam quidquam reliquiarum facere. Adolescens impatiens moræ, aduocatorum, quos secum ducebat, tarditatem accusans, ita loquitur.

Ne quidquam hos procos mi elegi, loripedes, tardissimos.

Quod Turnebus ita accipit vt subsit irrisio: quod senes sint, nec ea ætate qua procos quis suis filiabus deligere debeat. Ego vero contra sentio: & procorum nomine intelligo adolescentes, ea ætate, vt de vxore ducenda cogitare possint. Adolescens enim, qui properaret, senes sibi aduocatos noluerat: adolescentes sumserat: sed id sibi nihil profuisse dicit: cum præ mollitia & deliciis, ob id eos [illegible] *procos* vocat, nihilo celerius incederent, quam senes. Idque ipse ita perspicue dicere videtur, vt mirer, non dico Turnebum, hominem perspicacissimum, & eruditissimum, sed quemquam omnino fuisse, qui aliter accipere potuerit. Versus hi sunt.

Atq; equidem hercle dedita opera amicos fugitaui senes,

Scibam ætate tardiores. metuo meo amori moram.

Nequicquam hos procos mi elegi, loripedes, tardissimos.

At id per se videre quilibet duntaxat non tardissimus potuit. Hoc quod subiungam, nō item, vbi enim & in Iocahimi, & in Dionysii libris ita legitur:

Potare, amare volt, ne qui sciant,

Deesse aliquid ad versum, nemo est, quin sentiat. Sed vnam modo aliquam vocem deesse facile quis crediderit: cum tamen duo propemodum versus desiderentur. Ita enim est in veteribus meis.

Potare amare volt. LY. locum lepidum dabo.

AD. At enim hic clam furtimque esse volt, ne qui sciant.

Verbum, *volt*, non longo interuallo bis positum, errori occasionem obtulit. Sunt & alia multa in hac ipsa fabula, quæ corrigendo deteriora facta sunt. Sed ego mihi iam vno in diuersorio nimis diu videor commoratus.

Seneca emendatur. Suetonius in Caligula ex Homero illustratur.

CAPVT XIX.

Rectissime & verissime iudicarunt duo singulares viri Victorius & Turnebus, apud Suetonium in Caligula legendum esse.

Ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σε.

eodemque modo apud Senecam, sub finem libri primi de ira. Sed quia is Senecæ locus nondum plane perpurgatus est; subiiciam eum, & paulum quiddam, quod in eo adhuc residet & obscuritatis & vitii, si potero, tollam. C. *Cæsar*, inquit. *iratus cælo, quod obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosius, quam spectabat: quodque comissatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis, ad pugnam vocauit Iouem, & quidem sine intermissione, Homericum illum exclamans versum,*

Ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σε.

Parum certa vocat *fulmina*, iocans, quemodo *parum certas sagittas* dicimus, quæ non attingunt scopum. Ouidius.

Certa quidem nostra est: nostra tamen vna sagitta

Certior, in vacuo quæ vulnera pectore fecit.

Parum certa igitur fulmina, quæ ipsum Caligulæ caput non tangerent, quod vnum petere debere videbantur. *At aliud sine intermissione* plane deprauatum est: neque dubium quin legendum sit *sine missione*. Vocabant autem *pugnam sine missione*, cum gladiatores ea lege descendebant in arenam, vt neutri fas esset petere missionem, sed necesse haberent, vsque eo dimicare, dum alter caderet. quod optime verius Homerico congruit. Sic apud eruditum in primis & venustum scriptorem Appuleium: *Proeliare*, inquit, *& fortiter prœliare*. Et paucis interiectis, *Grassare*

fare gnauiter, & occide moriturus. hodierna pugna non habet missionem.

Xenophontis libri primi Anabaseos locus non satis fideliter ab erudito interprete redditus.

CAPVT XX.

NOn fraudabo gloriola sua scito & eleganti præditum ingenio puerum M. Antonium fratris mei filium, qui hodie iussus a me Xenophontis primum anabaseos conferre cum interpretatione Romuli, cum alia satis multa notauit ab interprete partim omissa partim negligentius reddita, tum hoc, quod mihi animaduersione dignum visum est, cum & insigne sit, neque ab optimo typographo, qui tamen in notandis Romuli erratis satis alioqui diligens fuit, animaduersum. Xenophon enim, cum, exposita Cyri morte, de moribus & ingenio ipsius, vt solet, dissereret, multaque argumēta colligeret, quibus ostenderet eum multitudini eximie carum fuisse, hoc quoq; inter cetera vtitur, quod quamuis ipse fratris seruus foret, nemo tamē, desertis ipsius partibus, ad fratrem transfugerit: cum multi contra quotidie a Xerse deficerent, seque in Cyri castra cōferrent. Vnum excipit Orontem, qui conatus sit a Cyro transfugere, sed conatum illum infaustum ei atque infelicem fuisse. Καὶ οὗτος δὲ, inquit, ὃν ᾤετο πιστὸν οἱ εἶναι, ταχὺ αὐτὸν ηὗρε Κύρῳ φιλαίτερον, ἢ ἑαυτῷ. quæ verba ita interpretatur Romulus. *Quem tamen Rex, dum sibi fidelem putat, Cyro pene quam sibi amiciorem inuenit.* Atqui nihil minus dicit Xenophon, quam quod eum Romulus dicentem facit. Neque de rege loquitur: sed eum cui vni ex omnibus plurimum fidei Orontas habebat, repertum esse dicit Cyro, quam Orontæ amiciorem. Literas enim quas ad regem de proditione ferre iussus erat ad Cyrum attulit: atque ita proditione detecta, Orontas capite pœnas luit. Hoc, cum & ad historiæ veritatē vel maxime pertineret, &, mirante me, a puero nondū duodecim annos nato sagacissime animaduersum esset, dignum, quod adscriberem, iudicaui.

M. ANTONII MVRETI.

VARIARVM LECTIONVM Liber Decimus octauus.

De vocalibus eleganter disputatum; ex Platone & Plutarcho; de E, & O. Athenæum lib. 10. castigatus.

CAPVT I.

ARe tenui huius libri principium ducam: sed quæ cognita & voluptatis, & vtilitatis aliquid habitura est. Aliud esse literarū nomina, aliud cuiusq; literæ vim ac potestatē omnes, opinor,

sciunt. Et omnes quidem consonantes nomina habeant, necesse est. Vis enim & potestas ipsarum, nisi aliqua vocali addita, neque plane exprimi, neque percipi potest. Itaque apud Latinos earum nomina sunt Be, Ce, De, Ef, & similia. Vocalium apud Latinos quidem nomina nulla sunt, sed mera ac nuda ipsarum potestas eis pro nomine est. Merito. Possunt enim per se, &, vt ita dicam, ἄζυγες pronunciari. Græci tamen etiam vocalibus quibusdam nomina indiderunt, aliis breuiora, aliis longiora: duabus tantum vim ac potestatem suam nominis loco esse voluerunt. Nam *Alpha* quidem, & *Iota*, & *Eta* manifesto literarum nomina sunt. Duæ quoque vocales naturâ breues, cum per se nimis exiles viderentur, & plusculum temporis in eis appellandis ponẽdum esset, sortitæ sunt, non nomina quidem proprie, sed tamen quædam quasi nomina, neque ea, quibus hodie Grammatici vtuntur, qui Epsilon & Omicron vocant: sed alia. Nam E quidem EI, O autem OY veteres nominabant. Sed & e consonantibus *San* vocabant, quæ hodie *Sigma* dicitur. Vetustissimi autem neque Eta, neque eam quæ hodie *Omega* dicitur in vsu habebant. sed aut ipsis breuibus earum loco vtebantur, aut breuibus geminatis, lõgitudinem indicabant. quod & figuræ ipsarũ demonstrant. nam si duo E aduersis frontibus scribas, eaque inter se cõiungas hoc modo Ɛɜ, deletis postea transuersis lineolis quarũ altera in summo altera in imo est, habebis H. Sed & O productum ita scribebant oo vnde effectum est ad scribendi celeritatem illud quo hodie vtimur ω. Y autem & Ω non, vt hodie, Ypsilon & Omega, sed simpliciter Y & O nominabant. Plato in Cratylo. τῶν στοιχείων, οἶσθα, ὅτι ὀνόματα λέγομεν. ἀλλ' οὐκ αὐτὰ τὰ στοιχεῖα πλὴν τεττάρων, τοῦ ε, καὶ τοῦ υ, καὶ τοῦ ο, καὶ τοῦ ω. τοῖς δ' ἄλλοις φωνήεσί τε καὶ ἀφώνοις, οἶσθα ὅτι περιτιθέντες ἄλλα γράμματα λέγομεν, ὀνόματα ποιοῦντες. Longum esset totũ locum adscribere. plura qui volent, ab ipso petant. In eodem dialogo ait, quosdam e veteribus dixisse ἱμέραν, quæ postea ἡμέρα vocata sit. "Ερος quoque fuit, qui postea Ἔρως. τὸ γὰρ ο, inquit, οὐ τὸ ω ἐχρώμεθα. Et in eodẽ ἐγὼ γὰρ ἐχρώμεθα, ἀλλὰ τὸ παλαιόν. Sed & ante repertum ω, scribebant τοῖ λαοῖ, pro τῷ λαῷ, τοῖ λόγοι pro τῷ λόγῳ, & cetera eodẽ modo. Vnde apud Euripide in Phœnissis σοῖ ἐν ἐκγόνοι pro σῷ ἐκγόνῳ quod qui nõ intelligebant, fecerunt σοῖσιν ἐκγόνοις. Cum aute quod nunc Epsilon dicitur, id veteres vt dixi, EI nominarent: factũ est, vt litera illa in templo Apollinis Delphici consecrata, multis eruditorum hominum disputationibus celebrata sit: quæ cognosci possunt ex Plutarchi libro περὶ τοῦ ΕΙ τοῦ ἐν Δελφοῖς: vnam enim literam fuisse, & apertissime ex eo ipso libro intelligitur: & e quodam eiusdem scriptoris loco in libro περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, vbi ita legitur: [illegible]

τοῦ ε

ἢ Ε καθαρῶς τὴν δίφθογγον. Cumque item quod nunc vocamus Omicron, ipsi vocarent OY, ea fuit vna litera, qua Lacedæmonii Philippo regi responderunt: οὐ, vt quidam inepte somniant: quæ nota nuper inuenta, non litera est, sed O, cuius nomen negandi vim habebat. Et ita intelligendus Ausonius.

Vna fuit tantum, qua respondere negantes,
Litera, & irato regi placuere negantes,

Et rectissime in diuina Apocalypsi, Ego sum Alpha, & O. nam paruum quidem o vocabant OY, vltimæ autem literæ idem nomen & potestas erat. Itaque nihil necesse est Latine loquentibus addere illud, *mega*. Libet hic adscribere verba Eustathii e principio Commentarii in quintum Iliados, quibus hæc confirmantur. Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ Ε στοιχεῖον ΕΙ ἔλεγον οἱ παλαιοί προσθέντες τὸ ι, ἵνα τῇ διφθόγγῳ ἐκφωνῆται, δισύλλαβον) ὥσπερ ἂν καὶ αὐτὸ καθὰ καὶ τἄλλα στοιχεῖα. τὸ δὲ νῦν ψιλὸν καὶ τὸ ὂ μικρὸν ὀ. καὶ ἐκεῖνο γὰρ διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν οὐ λέγουσι. His de rebus exstant versus Calliæ apud Athenæum libro decimo, sed mirabiliter deprauati; quos vt partim ex veteri codice, partim etiam coniectura ductus legendos putem, exponam, si prius breuiter eorum sententiam exposuero. Inducitur mulier alias mulieres Grammaticam docens, quæ primum quidem eas monet primam vocalem vocandam esse *Alpha*: secundam autem EI tantum, at tertiam non simpliciter vocandam E sed Eta. Tum interrogat eam vna ex discipularum numero, num quarta quoque vocalis ita simpliciter vocanda sit vt sonat. cui respondet magistra, non suo tantum sono vocandam, sed *Iota*. Interrogata rursus de quinta, respondet eam vocandam esse OY at sextam vocari tantum V: & vltimam Ω & sic esse septem vocales, sed in metris tantum. nam ι & η, ο & ω tempore tantum differunt, ceteroqui sunt eædem. Addit denique, eam, cum hæc semel dixit, denuo repetere, vt magis in animis discipularum infigantur. Versus hi sunt.

ΑΛΦΑ πρῶτον ὦ γυναῖκες, ΕΙ τὸ δεύτερον μόνον
Χρὴ λέγειν. Τρίτον δὲ μόνον οὐ χρὴ λέγειν, ἀλλ' ΗΤ' ἐρεῖς.
Ἆρα φράσω καὶ τὸ τέταρτον αὖ μόνον; Οὐκ ΙΩΤΑ γοῦν.
Τί δὲ τὸ πέμπτον, Πέμπτον, ΟΥ. τὸ δ' ἕκτον Υ μόνον λέγε.
Λοίσθιον Ω τῶν ἑπτὰ φωνῶν ἑπτὰ δ' ἐν μέτροις μόνον.
Καὶ τοῦτο λέξασ', εἶτα δὶς ταυτὶ λαλεῖ

Quinque versus sunt trochaici, quibus vnus senarius iambicus subiungitur.

Loci duo Athenæi integritati restituti.

CAPVT II.

Libet & alios quosdam emendare: ac primum eum, qui haud longe a principio huius sermonis de griphis legitur, quo mulier quædam apud Comicum Alexin somnum obscure describens inducitur.

Οὐ θνητὸς, οὐδ' ἀθάνατος ἀλλ' ἔχων τινὰ
Σύγκρασιν. ὥστε μήτ' ἐν ἀνθρώπου μέρει
Μήτ' ἐν θεοῦ ζῆν ἀλλὰ φύεσθαί τ' ἀεὶ
Καινῶς φθίνειν τε τὴν παρουσίαν πάλιν
Ἀόρατος ὄψει, γνώριμος δ' ἅπασιν ὤν.

Hi duo postremi versus in omnibus Athenæi editionibus desiderantur: qui tamē sunt in veteribus libris: & leguntur apud Eustathium. Est & valde corruptum distichon, quo Apollo ipse, vbi & qua matrē genitus sit, exponit. Legendum autem hoc modo,

Ἐν φανερῷ γενόμην. πάτρην δέ μοι ἁλμυρὸν ὕδωρ
Ἀμφὶς ἔχει· μήτηρ δ' ἐστ' ἀριθμοῖο πάϊς.

In eodem libro, in extremo, exagitat Athenæus turpe quoddam & flagitiosum genus quæstionum, quæ sua tempestate in conuiuiis proponi solebant, indicatque alias elegantiores, & liberaliter educatis hominibus digniores, ex quibus & voluptas percipi, & simul quam diligenter quisque in studiis versatus sit, intelligi possit. Sed similitudo duarum vocum, παιδιὰν & παιδείαν, induxit librarios, effecitque vt in vulgatis libris locus hic ita decurtatus legatur· ὥστε τὴν παιδείαν ἐκκεκόφθαι. cum legendum sit: ὥστε τὴν παιδιὰν μὴ ὥσπερ ἤδη μόνον ἡμῖν γίγνεσθαι τῆς ἑκάστου ἕξεως· παιδείαν ἐκκεκόφθαι. Huius generis multa admodū in Athenæi libris emendata iampridem habeo. Diligenter enim Venetiis primum, deinde Romæ totum illum scriptorem cum libris veteribus contuli. Sed in eis proferendis ero parcior: quod & a diligentissimo typographo nouam Athenæi Græcam editionem adornari audio: & scio esse in Belgis hominem eruditissimum, qui studium in eo emendando posuerit, eumq; a se Latine incredibili felicitate redditum breui editurus sit. Illorum igitur industriæ plæraq; omnia integra seruare malo.

Elegans Horatii locus de Ira, ex vetere libro restitutus.

CAPVT III.

QVi irati sunt, eos apud se non esse, & exisse ex potestate dicimus, & a furiosis atque amentibus tempore tantum differre. Itaque cum ad se redierunt, pœnitet plærunque illos earum, quæ per iram fecerunt: eaque, si possent, infecta redderent. Hoc ita expressit Horatius in Epistola ad Lollium.

——Qui non moderabitur iræ;
Infectum volet esse, dolor quod suaserit, & mens.
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.

Sed ille συνδυασμὸς doloris & mentis mihi semper visus est ἀναπόδεικτος: neque vnquam satis intelligere potui, quomodo quæ facta essent per iram, ea mens suasisse diceretur: cum, vt furiosi, sic irati mente minime omnium vtantur. Neque tamen quidquam

[illegible]

mutare audebam, donec in vetustissimo libro Vaticano aperte, & sine vllo lituræ vestigio ita scriptum reperi.

Infectum volet esse, dolor quod suaserit amens.

Amens profecto sit, qui hanc scripturā vulgatæ non anteponat.

Dolus alius bonus, malus alius apud Iurisconsultos.

CAPVT IV.

QVod iuris studiosi notant, alium *bonum dolum* esse, & alium *malum*; idem Græci quoque Grammatici docent ad illū Homeri e secundo Iliados locum, vbi Agamemnon se a summo Ioue dolo malo in fraudem inductum conqueritur.

Ζεύς με μέγα Κρονίδης ἄτῃ ἐνέδησε βαρείῃ,
Σχέτλιος, ὃς πρὶν μέν μοι ὑπέσχετο καὶ κατένευσεν
Ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι
Νῦν δὲ κακὴν ἀπάτην βουλεύσατο.

Bonus autem dolus est, qui prodest ei ipsi qui decipitur: vt ille, quo medicos absinthia pueris propinantes vti ait Lucretius, & a tali dolo ne Deum quidem abhorrere Æschylus dixit.

Ἀπάτης δικαίας οὐκ ἀποστατεῖ θεός.

Et ita accipiendum illud Herodoti. ἔνθα χρή τι ψεῦδος λέγεσθαι, λεγέσθω. Plato quoque ita distinguit mendacia, vt quædam vtilia esse fateatur: & iis quidem qui præsunt, licere putat in tempore aduersus eos, quibus præsunt, mendacio vti: cum tamen idem iis, qui alieno imperio subsunt, aduersus eos quibus parent, licere nō debeat. Sed & in bello laudantur, qui hostem circumueniunt, dū ne qua aduersus fidem interposita fiat: & illa sunt quæ vocantur *στρατηγήματα*. Et quod Homerus *dolosum* Vlixem vocat, ad commendationem ipsius pertinet, quod multa solerter & ingeniose aduersus Troianos machinaretur.

Aristotelis locus 1. Physicorum ex Galeno emendatus, & auctus.

CAPVT V.

NObilis est, & celebratus Aristotelis locus e libro primo de Principiis, vbi ait, sibi si summo iure agere velit, nihil caussæ esse, cur aduersus Parmenidem & Melissum disputet: sibi enim institutam esse disputationem de principiis: at ab eis principia ipsa tolli. Nam cum eorum vterque vnum modo esse ens diceret, quamuis ipso nomine principium intelligeret, hoc ipso tamen vim ipsam & notionem principii funditus euertebat. Vt enim pater intelligi nō potest sine filio: vt nugatur, si quis caussam aliquā esse dicat, quæ tamen nullius rei caussa sit: ita ridiculus est, qui dicit principium quidē esse, sed præter ipsum principiū, nihil. Certe enim si principiū est alicuius, aut aliquorū principium sit, necesse est: quo posito sequitur, vt plura sint. Qui ergo dicit vnū esse principium, & præter illud, nihil esse, cōpingit, quasi, cum nihil [illegible], & id ipsum

quod ponere vult, eadem oratione labefactat. Omni autẽ disputationi propositum esse debet aliquid de quo disputetur: idq; oportet constare esse: quonam modo enim de eo quisquã disputet quid sit, aut quale sit, quod sit nec ne sit, ambigatur? Sed & cũ id ipsum quæritur, sit ne aliquid, an ne sit; conuenire & constare oportet inter eos, qui disputant, cuius vel rei, vel speciei temere efficte vox illa, qua id appellatur, symbolum sit. Vt, si quæramus, sit omnino Satyrus an non sit, explicari aliter disputatio non poterit; quam si ponatur, siue hoc animal, siue hanc inani opinione conceptam animalis imaginem esse, quam Satyrum vocent. Ita quod sit nec ne sit, ambigimus; id ipsum, cum de eo disputatur, esse quodammodo ponimus. Formarum enim inanium & commenticiarũ, καὶ πάντων τῶν οὐκ ὄντων ὄντων αὐτὸ τὸ εἶναι, vt somniorum, nihil aliud est, quam ita in mente informari, ac cõcipi. Vtitur autem Aristoteles, ad id quod agitur illustrandũ, comparatione quadam Geometræ cum Physico. Nã Geometres, si quis neget vera esse ea quæ principio tanquam certa ab eo & explorata ponuntur, vt communes sententias, postulata, finitiones, a quibus omnes Geometricæ demonstrationes, tanquam a quibusdam fontibus manant: hærebit, siquidem artis suæ finibus continere se voluerit: neq; enim poterit ea demonstrare, vt Geometres, quæ in Geometria omnium prima sunt. Vt igitur Geometres aduersum illum, qui tollit principia, nõ disputabit, ita nec Physicus. Quod igitur aduersum eum, qui artis alicuius principia tollere conatur, perfugium est? Si qua sit ars superior, cui hæc quæ ita vexatur, proprie subsit, & ex qua pendeat; ab ea auxilium petimus. Exempli caussa, cum medicinæ præcepta ita ex physicis apta sint, vt vbi desinit physicus, incipiat medicus, sintq; principia medicinæ ea ipsa, quæ conclusa sunt a Physico: si medicinæ principia negentur; a Physicis petenda erit eorum confirmatio. Sic si negentur principia optices, ad Geometriã: si Musices, ad Arithmeticen recurremus. Sin eiusmodi nulla succurret; ea imploranda erit, quæ omnium suprema est, quam Plato *Dialecticam*, Aristoteles *primam philosophiam* vocat. Neque inutilis ad hanc rem futura est, ea quoque quam Aristoteles *Dialecticam* nominat: quamque octo Topicorum libris complexus est: nam & ipsa de aliarum artium principiis disputat, sed molliore, vt dicitur, brachio, quippe quę probabilitatem tantum consectetur: cum illa altera ad veritatem ipsam dirigatur. Et hanc quidem fere Aristotelis esse sententiam constat. Sed verba ipsius non omnes eodem modo legunt. Etenim in omnibus, quos ego quidem viderim, Aristotelis libris ita scriptum videas: ὥσπερ γὰρ καὶ τῷ γεωμέτρῃ οὐκέτι λόγος ἐστὶ πρὸς τὸν ἀναιροῦντα τὰς ἀρχάς, ἀλλ' ἤτοι ἑτέρας ἐπιστήμης ἢ πασῶν κοινῆς, οὕτως οὐδὲ τῷ περὶ ἀρχῶν, &c. quę aliter legit tum ille Latinus interpres, qui ita vertit: Sicut enim Geometræ non amplius ratio est, ad destruentem principia; sed aut

aut alterius scientiæ, aut omnibus communis, sic neque alicui de principiis. At apud Galenum libro primo de Elementis hoc modo: διαφέρει γὰρ τῷ γεωμετρικῷ ὥσπερ λόγος ἐστὶ περὶ τῆς ἀναιρούσης τὰς ἀρχάς, ἀλλ' ἢ ἔτι ἑτέρας ἐπιστήμης, ἢ κοινῇ πασῶν, ὥσπερ οὐδὲ τῇ φυσικῇ. Est autem non leue discrimen inter hæc duo, πασῶν κοινῆς, & κοινῇ πασῶν: Illo enim significatur ars aliqua, quæ ad alias omnes permanet ac pertineat. At Galenus ad illam quidem communem artem refert id quod antecessit, ἑτέρας ἐπιστήμης: hoc autem κοινῇ πασῶν ita accipit: omnes homines, cuiuscunq; artis scientiam profiteantur, quasi coniuratione facta, concurrere debere ad oppugnandum eum, qui principia euertit, vt qui ipsam vitam euertere videatur. Idq; aperte constat ex verbis ipsius, quæ subiiciam: τὸν γὰρ ἀναιροῦντα τὰς ἐναργῶς φαινομένας, ἢ κοινῇ πάντας ἀνθρώπους μέμφεσθαι προσήκει, ὡς ἀνατρέποντα τὸν βίον, ἢ τέχνην τινὰ ὑπὲρ τῶν ἀρχῶν ἀγωνιζομένην προσήκει-θαι παρὰ ταύτης κατὰ μέρος ἀπαιτεῖς. De his varietatibus ita censeo, ἀναιροῦντα melius legi quam ἀφελόντα, siue πασῶν κοινῆς, siue κοινῇ πασῶν quis legat, magnos habiturū sententiæ suæ adstipulatores: omnino autem melius legi, οὐδὲ τῇ φυσικῇ, quam οὐδ' ἔστι περὶ ἀρχῶν.

De Ciceronis e Philippica secunda loco diligenter quæsitum.

CAPVT VI.

APud Ciceronem, libro secūdo Philippicarum locus est tentatus a multis eruditis, & ingeniosis hominibus, sed a nullo tamen vsque adhuc integritati suæ restitutus. Legitur autem in vulgatis libris hoc modo: *Venisti e Gallia ad Quæsturam petendam. Aude dicere, te prius ad patrem tuum venisse, quam ad me.* Atque ego ante hos viginti annos cum Lutetiæ libros illos a me purgatos edidi, secutus sum vulgatam scripturam: quamuis in optimo libro, quo vsus eram scriptum reperissem, *Ad parentem tuum:* quod illud *parentem*, eo quidem loco, ingenue vt loquar, mihi subineptum videretur: neq; tamen celaui lectores, quid in optimo libro scriptum extaret. Faernus qui paulo post, ipse quoque eodem libro vsus, easdem orationes hic Romæ edidit, veterem scripturam hoc quidem loco cum fide repræsentauit. Extitit postea homo ingeniosissimus & eruditissimus, qui de eo loco satis copiose scripsit, necessariisque rationibus peruicit, neq; *patrem*, neque *parentem* legi posse: quod neque de patre Antonii, neque de vitrico, neque de patruo, neque de quoquam ex fratribus dictum hoc intelligere liceret. Statuit igitur, legendum esse *ad matrem tuam:* idque ab aliis magno consensu probatum est. Magis autem confirmatus esset in illa sententia, si veterem librū vidisset, quem ego postea nactus sum, in quo legitur quidem *ad patrem tuū:* sed ita vt manifesto ex litura appareat, scriptum prius fuisse *ad matrem tuam*, deinde erasa litera M, substitutam in locum illius literam P, ab aliquo videlicet, qui tam apertum

solœcismum ferre non posset. Ego autem non dubito, quin duæ potius literæ adiungendæ fuerint, scribendumque ad amatorem tuum: vt intelligamus Curionem, cuius impuræ libidini pro scorto tunc erat Antonius. Atque hoc ita mihi perspicue verum videtur, vt ne confirmandum quidem pluribus verbis putem. Certe Carolus Sigonius, cum sententiam super eo loco meam decem abhinc annos per literas exquisiisset, ita eam probauit, vt ad me postea scripserit, nihil sibi videri potuisse rectius aut verius cogitari.

Alia item ex eadem oratione menda sublata.

CAPVT VII.

SVnt in Philippicis adhuc quædam, quæ & meam & Faerni diligentiam fugerunt: quæ, vt quodque occurrerit, notabo. Tale est illud e libro secundo. *Licinium Denticulam de alea condemnatum, collusorem suum, restituit: quasi vero ludere cum condemnato non liceret: sed vt quod in alea perdiderat, beneficio legis dissolueret.* Vbi ita legendum est, *Licinium Denticulam de alea condemnatum collusorem suum restituit: non quasi ludere cũ condemnato non liceret, &c.* At Lambinus quam multa de suo addidit; neque mirũ, non enim librariorum errata tollebat, sed Ciceronem ipsum, si quando nõ satis commode locutus videretur, corrigebat. *Volumnia* autẽ *mima*, de qua illic tam multa dicuntur, filia erat *Volumnii mimi*, quẽ secum in castris Antonius habebat, vt cognoscitur ex Plutarcho in Bruto: & nisi me fallunt omnia, is ipse est Volumnius, ad quem Cicero iocose & familiariter scribit libro septimo Epistolarum, quæ *Familiares* dicuntur, in extremo. At quod in eadem oratione legitur, *postea cultus sum a te: tu a me obseruatus in petitione Quæsturæ*; semper mihi, vt iam tum testatus sum, suspectum fuit. Vix enim est vt cum a se Cicero obseruatum dicat, a quo ipse coleretur: neque videtur par esse vt adolescentulum Quæsturæ candidatum Consularis senex, ea gloria, iisque rebus gestis obseruasse dicatur. Cum igitur in optimo quidem libro legatur *ornatus*, in altero autem meo deterioris notæ, *beatus*, verebar ne legendum esset *subleuatus*. Ita certe loquitur Cæsar libro primo, de bello ciuili. *Quod in petitione Consulatus ab eo erat subleuatus.* Sed hoc meum quoddam somnium est, de quo verator, aut coniector aliquis iudicabit. *Charybdin* quandam in eodem libro esse Antonium dicit: aut certe cum Charybdi eum comparat. *Quæ Charybdis*, inquit, *tam vorax?* Et fieri quidem potest, vt neminem in eo imitatus sit. Sed tamen qui putet eum hoc ab Aristophane sumsisse, non multum, vt opinor, errauerit. Sic enim & ille in Cleonem.

Παῖε, παῖε τὸν πανοῦργον καὶ ταραξιππόστρατον,
Καὶ τελώνην καὶ φάραγγα, καὶ χάρυβδιν ἁρπαγῆς.

Elegans

Elegans Platonis librorum de Rep. initium Lysiæ stilus. Fabius Quintilianus correctus.

CAPVT VIII.

IN scriptoribus poëtendæ ac comendæ orationis studiosis, ea ipsa nonnunquam, quæ sponte fusa omnibus viderentur, summo studio elaborata & expolita sunt. Quod ego mihi sæpe in Lysia obseruasse videor: vt cum verbis plærunque quotidianis vtatur, structura tamē & collocatio eorū nullo modo mutari queat, quin aliquid de gratia & suauitate orationis deteratur. Tantum apud peritos artifices in ipso singularum vocum ordine, & coniunctione momenti est. Audiui a maximis viris, quique id facillime nosse poterant, Ludouicum Ariostum, nobilissimum nobilissimæ domus præconem, in duobus primis grandioris illius poematis sui versibus plus quam credi potest laborasse, neque sibi prius animum explere potuisse, quam cum illos in omnem partē diu multumque versasset. Idem accidit & nobilissimo Etruscorū poetarum Francisco Petrarchæ: cuius ex autographo, quod habuit vir præstantissimus Petrus Bembus, facile cernitur, cum in limando secundo item poematum suorum versu sæpe sudasse. Sed hoc in poetis fortasse minus mirum est, qui verba dimetiuntur, omnesque lepores ac festiuitates dicendi aucupantur, voluptatique Lectorum se vel maxime seruire profitentur. Iustius id aliquis in Platone miretur, cuius post mortem repertas fuisse tabulas dicunt, in quibus principium librorum de Republica, quo nihil videtur esse simplicius, iisdem vocibus, sed alio atque alio ordine collocatis, sæpius ab eo variatum visceretur. Auctor huius rei Dionysius Halicarnasseus, cuius verba subiiciam. Ὁ δὲ Πλάτων τοὺς ἑαυτοῦ διαλόγους κτενίζων καὶ βοστρυχίζων, καὶ πάντα τρόπον ἀναπλέκων οὐ διέλιπεν ὀγδοήκοντα γεγονὼς ἔτη. πᾶσι γὰρ δήπου τοῖς φιλολόγοις γνώριμα τὰ περὶ τῆς φιλοπονίας τ' ἀνδρὸς ἱστορούμενα, τά τε ἄλλα καὶ δὴ, καὶ τὰ περὶ τὴν δέλτον, ἣν τελευτήσαντος αὐτοῦ λέγουσιν εὑρεθῆναι ποικίλως μετακειμένην τὴν ἀρχὴν τῆς πολιτείας ἔχουσαν τήνδε. Κατέβην χθὲς εἰς πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος. Narrat idem & M. Fabius libro octauo Institutionum, his verbis *In ceris Platonis inuenta sunt quatuor illa verba, quibus in illo pulcerrimo operum in Piraum se descendisse significat, plurimis modis scripta.* Scio Fabii verba aliter in vulgatis libris legi: sed ego meum secutus sum, qui, vt cariosus mucidusq; non sit, est tamen

Iam senior: sed cruda libro viridisq; senectus.

Plautus Mercatore, locis aliquot restitutus & auctus. Mora maiorum, contra Alciati sententiam. Tuis ingratiis.

CAPVT IX.

ITerum mihi Plautus vocandus ad partes, & magna quidē gratia iis, qui eum tam multis corruperunt. nam, absque illis esset,

sæpe hæc opera nostra hæreret. Nunc vt boni patresfamilias succidiam domi paratam & suspēsam habent, ex qua cenam petāt, si quando ex macello non licet: sic & nos, cum aliud deest, a Plauto petimus, quo has epulas instruamus. Hic igitur missus e Mercatoris prologo apparabitur. In quo hoc primum ferre non possum, quod is ipse adolescens, cuius primæ partes in ea fabula sunt, fabulam esse eam confitetur, & tum Græci, tum Latini poetæ nomen eloquitur: & attentionem a spectatoribus postulat: quod & si aliis quoque locis factum a Plauto est, ex arte tamen nō esse constat: neque cuiquam vnquam excusationi fuit, quod alias etiam sæpe peccasset. Eodem iure in Cistellaria tum demum πρόλογος, cum iam inter se multa locutæ mulieres essent. Miror, posteaquam semel omnia audere cœperat, non exspectasse aliquando, dum aulæa tollerentur: vt epilogus esset, non prologus. Si quis eorum, qui hodie comœdias scribunt, talia faceret, (de iis loquor, qui in eo poematis genere cum laude versantur) sibilis subsellia omnia circumsonarent. Sed Plautus, dū diceret aliquid quod risum moueret; quid ex arte, quid minus esset, nō nimium laborabat. Multo nitidior Terentius, multo accuratior. Neque immerito fabulæ ipsius a Lælio ac Scipione scribi putabantur. Tertius versus in vno ex meis ita legitur.

Non ego item facio, vt alios in comœdiis

Vidi facere amatores

neque tamen nego idem vt in aliis, legi posse. Sed certe hunc ita legendum arbitror:

Græce hac Philemonis vocatur Emporos.

ne hic vnus versus inter tot rectos claudicet. in meis autem corrupte legitur, *matii*, pro quo legendum *M. Attii*, & nomen illud per T, non per C literam scribi oportet. Iam duo illi versus,

Et hoc parum esse more maiorum instieti

Per me percontatus, sumque index illico:

ita vt eos scripsi, in meis libris leguntur. Sed aut mirabiliter corrupti sunt, aut quod mihi verisimilius videtur, aliunde huc inuecti. Nulla certe sententia, quæ quidem huic loco conueniat, ex eis excudi potest. At noster, Alciatum secutus, ita legit.

Neque hac peruasse more maiorum instieti

Per me percontatus sum, sineque indice aliquo,

& ita interpretatur. *Non cœpi hac peruasse more maiorum, id est, indicibus auditis, seu per indices. Per me, hoc est, solus, ea perquisiui, sine vllo indice.* Hic Alciatus quidem *apud Plautum*, inquit, *instituere more maiorum cognoscere, est, indicibus prius auditis, more capitali cognoscere. nec enim prius nomen cuiusquam inter reos recipiebatur, quam indicium factum esset.* Quæ per Deum immortalem res capitalis hic agitur? quod iudicium exercetur? Quid hic ad mos maiorum pertinet? quid vllis indicibus opus est?

Incu-

Incautus adolescens se cum Rhodum venisset, in mulierculæ amore captum confitetur. Et ait, si Alciatum auctorem sequare, se aduersus morem maiorum fecisse, qui per se hæc percontatus sit, siue indice aliquo. Videlicet is mos maiorum fuit, vt adolescētes quos amor meretricis alicuius cepisset, nō per se illi percontarentur, sed expectarent indicem aliquem, antequam ipsis de ea re cognoscere liceret. Quæ isthæc deliria sunt? quæ febricitantium somnia? En cuius responsa pro oraculis habere debeamus. Venio ad alia. In veteribus libris est, recte, vt puto,

Ineptia, stultitiaq; adeo & temeritas.

Neque metuendum est versui. nam duæ consonantes a quib. vox sequens incipit, producunt vocalem, quæ antecessit vt ἔπεα πτε-ρόεν &c. & in illo Ennii,

Cæsa accidisset ad terram abiegna trabes.

Sic enim plane veteres libri: & in illo Catulli

Et inde tot per impotentia freta.

Et sæpe alibi. Grammaticos autem non habeo nauci, qui inepte ineptiam dici vetant, ineptias iubent: Magis me Terentius monet:

Ita me di ament, vt video ego tuam ineptiam.

Facturum credo, vt habeas quicum cantites.

In illo Plautino versu,

Principio atque animus ephebis ætate exiit.

Voces illæ *atque animus*, delendæ sunt: vt quæ huc e principio versus sequentis irrepserint. Nam Lambinus, qui pro eis substituit, *vt animus*, occultauit vitium, non sustulit. Et ridiculum est dicere, animum exisse ex ephebis: quasi animi quoque pubescant, vt corpora. Legendum autem,

Principio vt ex ephebis ætate exii.

Et vbi vulgo, *Summo hac clamore, interdum mihi se colloqui*, reponendum, e sanctuariis, ait Turnebus, bibliothecarum:

Summo hac clamore, mussans interdum loqui,

Et paulo post, *Omnes tenerent mutuitanti credere.* Sed & illud in veteribus hoc modo,

Omnes labores inuenisset perferens:

Vt rectissime Scaliger ita legendum coniecerit. Nunc quod subiiciam tale est, vt non videar iniquus fore, si dicam, aliquid mihi pro eo a Plauti amatoribus debitum iri. Nam & versum vnum in integrum restituam, & alterum, qui iam pridem ab omnibus editis libris exsulat, Plauto ipsi reddam ac restituam. In libris Ioachimi ita legimus.

Conuitium tot me annos iam si pasceret.

Quod nisi puderet, ne luberet viuere.

Lambinus emendat,

Conuitium tot me annos iam sic pascere

& ita exponit. *Se tot iam annos se pascere me, per appositionem conuicium suum, hoc est, turpitudinem suam, & dedecus suum.* Deinde mutat, & fingit nobis nouã vocem *commulcium*: quam ait esse non omnibus auditam aut cognitam. quod ego non tantum fateor: sed illud etiam addo, eam ne ipsi quidem auditam aut cognitam fuisse, antequam eam cuderet. Ait autem ea significari vibicem. In quo pugnare nolim. Nihil enim æquius, quam, vt patres quæ volunt filiis nomina imponunt, ita eum, qui vocem aliquam gignit, ipsum edicere, quid ea significari velit. Sed cum *commulcii* nomen eadem forma percussum sit, qua verbum *excolubrandi*, vtrumque auctori suo diligentius excolubrandum relinquamus, censeo. Interea melius credemus veteribus membranis, quæ sic habent.

Conuicium tot se annos iam mihi phascere.

nisi quod corrigemus ridiculum errorem librarii, qui scripsit *Phascere*, cum scribendum esset, *Facere*. At alii, dilita aspirationis nota, fecerunt *Pascere*. Statim autem post illum versum, hic sequitur.

Suisque ingratiis me vitam agere perperam
Quod nisi puderet, ne luberet viuere.

Præclare omnino. est enim, *suis ingratiis*, se inuito ac renitente. Sic hac ipsa fabula.

nimis multum scis. Tuis ingratiis.

& in Casina amborum ingratiis. Iam in illo versu,

Ibi multo primum se familiarium,

& lex carminis, & vetus liber docet, pro, *primum* legendum, *plurimum*. & in illo,

Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.

multo melius, quod in vetere est, *metes*, & illud,

Adeo dum, quæ tum haberet, peperisset bona.

Vbi male vulgo, *quæstum* Sed iam caput hoc nimis exercuit.

In Nonio Marcello emendati scriptores, Plautus, Varro, Cicero, Turpilius, Lucilius, & Afranius.

CAPVT X.

MVlta pridem notaui in Nonio: sed pleraque ita mihi leuia videntur, vt pigeat edere. Quia tamen multos eruditos homines his quoque leuiculis delectari video, vnum aut alterum apponam. In verbo *obuiatim*, citatur Varro *de re publ. ea* libro primo: cum legendum sit *de re rustica*. Ibi autem, vt sæpe, ineptus est in referendis Varronis verbis Nonius, qui quædam quæ ad mala Punica pertinent, ita coniungit cum iis quæ ad oleas, vt ea ipsa quæ citat, ab eo intellecta esse non putem. Ac putarem librariorũ culpa id contigisse, nisi id ipsi Nonio non inusitatum esse scirem. In verbo *cursim*, Plautinos versus ita lego:

Pol ad cubituram, mater, magis sum exercita

A te, quam ad eum ſ...ram. eo ſum tardiuſcula.

In verbo *lanitium*, Labertanos hoc modo:

Nihil refert, e lanitia mollem Attica,
An ex hircorum pecore veſtitum geras.

In voce *mercatus*, verba Varronis, hoc modo. *Vbi tum comitia habebant, ibi nunc ſit mercatus.* Verſus Turpilii hoc modo:

Conſilium hoc cepi: literas miſi ad ſenem
Noſtrum proceſſe nobis ex ſententia
Mercaturam.

In verbo *capi*, non video quo colore defendere negligentiam ſuam poſſint, qui ſe Nonii emendatores profeſſi, paſſi ſunt, verba Ciceronis ita legi: *Non poſſum adduci & ſuſcipere pecunia captum.* cum vel cæco perſpicuum ſit, legendum: *Non poſſum adduci vt ſuſpicer te pecunia captum.*

In verbo *elidere*, lego, Lucilius Satyr. lib. II.

impuratum hunc
In fauces inuaſſe, animamque eliſiſſe illi.

Sed & illud nimis craſſæ ac ſupinæ negligentiæ eſt, quod in verbo *offendere*, Plautinum verſum ita deprauatum reliquerunt.

Eo more expergefactum aduenieus tenebroſum offendi dominum.

cum in omnibus exemplaribus Plautinis recte legatur,

Eo more expertem te factam aduenieus offendi domum.

In voce *ſpurcum*, verſus Afranii ita legendos ſuſpicor:

O dignum facinus adoleſcentes, qui optimas,
Bene conuenientes concordeſque cum viris,
Repente viduas faciat ſpurcitia & probris.

Et mox in verbis Varronis *Lictorem*, non *Lectorem*. Piget plura addere. Ita mihi quo plura ſunt, eo minoris videntur.

Principem legibus ſolutum quomodo intelligendum ſit ex Platone diſputatum, qui & corrigitur.

CAPVT XI.

Improba olim & perniciosa plurimorum animos occuparat opinio, id demum ius eſſe, quod vtile foret potentiori: eaque diſerte ac copioſe a Thraſymacho apud Platonem defenſa, quamquam a Socrate poſtea refutata diuinitus, ita firmiter tamen hæſit in potentiorum animis; vt propagata quaſi; per manus tradita, & ſummo ſtudio retenta, ne nunc quidẽ eis facile detrahi poſſe videatur. Ac ſi quidẽ recte vt par eſt, intelligerentur, veriſſima & honeſtatis pleniſſima eſſet. Eadẽ enim prorſus eſt imperantiũ, & eorum quib. imperatur vtilitas: neq; poteſt quidquam a cõmuni vtilitate ſeiunctum, principi, qui modo nomen illud tueri velit, vtile videri. Cum igitur quæ iuſta ſunt, ex publica potiſſimum vtilitate ſpectẽtur: vere Flaccus vtilitatẽ *quaſi matrẽ quandã iuſti & æqui eſſe dixerit*, ſi hoc primũ ponatur, nihil principi vtile eſſe, niſi

quod publice vtile sit; recte ex eo, non aliud esse ius, quam quod principi vtile sit, consequetur. Sed plærique potentium, quibus ab aliis occupationibus tantum otii non est, vt vacet ista tam tenuiter acuteque rimari; in scholis ista inter pueros, & inter homines a rerum agendarum studio remotissimos iactari sinunt: ipsi crassius & simplicius philosophantur: neque quod iustum est, id sibi vtile esse: sed quod sibi vtile putant, idem iustum etiam esse concludunt. Vtilitatem autem suam opum & potentiæ magnitudine & nullis infrenata legibus explendarum cupiditatum licentia metiuntur. Neque vllam cantilenam aut vllum acroama libentius audiunt, quam leges ipsas dicere, principem legibus solutum esse, & valere iussis interpretibus quibusdam nimio acumine molestis, qui dictum illud non tam late patere, sed de certo quodam duntaxat legum genere accipi volunt, ipsi, vt leges condere, ita leges interpretari suum esse dicentes, omnibus se & humanis & diuinis legibus soluunt. Atque vt Homerus aliis vocabulis *vis homines aut, aliis deos: ita isti humanas leues*, alio iure alios vti iubent, alio vtuntur ipsi. Nec eadem sunt earundem rerum vocabula. Quę vulgo *spoliationes, adulteria, rapina, cædes nominari solent*: eadem a quibusdam *admissa, ludos, amores, delicias, & a magno* ac contumeliarum insolenti animo profectas, *vlsiones* vocari videas. Silent inter ista miseræ leges: &, si malo cauere velint, ipsæ quoque tantum non aut mussare aut adulari iubentur. Nam vt ad Olympi cacumen venti, sic ad excelsa & in sublimi posita leges non perueniunt. Neque tamen negauerim, si princeps sit, qualis esse debet, nullis eum legibus teneri. Oportet enim principem omni virtute longe ac multum supra vsitatam consuetudinem excellere: vt quantum inter pastorem & pecudes interest; tantundem, si fieri potest, inter pastorem populi & populum intersit. Qui si contigerit; Aristoteles quoque ipse non diffitetur, vtilius esse tali principi parere, quam legibus omni humano consilio adhibito positis gubernari. Leges enim vna voce perpetuo loquuntur: at bonus princeps sese ad varietatem casuum, vt vsus poscit, accommodat. Lege itaque nihil indiget: cum ipse viua spirausque lex sit: *& iusto legem positam non esse*, etiam libri illi a quibus omnis mendacii suspicio remotissima est, docent. At improbo & tyrannico nihil minus expedit, quam legibus solutum esse. Vt enim furiosis vtile est alligari, & in manicis ac compedibus haberi, non vt resipiscant, sed vt minus sibi, minus aliis noceant: ita tyranno ipsi vtile est legum vinculis adstrictum teneri ac coercere, non quo bonus fiat, neque enim potest: sed vt illis quasi cancellis ac repagulis conclusus, rabiem suam minore damno & aliorum & suo exerceat. Hæc disputantem Platonem Dionysius iniquo animo tulit. Nec mirum. Vt enim pudicæ mulieres quamlibet multa aduersus impudicitiam dici æquo animo ferunt: impudicæ, quidquid

quidquid de toto genere dixeris, ad suam proprie contumeliam pertinere arbitrantur: ita boni principes æquis auribus, quæ in malos dicuntur, accipiunt: quos scelerum suorum conscientia stimulat, quamquam vniuerse loquaris, neminem nominatim perstringas, sua quisq; hulcera illo sale defricari putant. Sed quod de Platone dixi, iam enim satis ἐφλυάρηται, id cum apud Laertium ita legatur, vt etiam in optimis & a principe typographorum emendatis libris deprauatum sit; ita subiiciam, vt vulgo legitur: deinde vt mihi partim coniectura, partim veterum membranarum auctoritate freto, legendum videtur. Librorum igitur editorum scriptura hæc est, ὁ δὲ διαλεγόμενος περὶ τυραννίδος, καὶ ὡς ἄνθρωποι ὡς οὐκ ἔστι τοῦτο κρεῖττον, ὁ συμφέρον αὐτῷ μόνον, εἰ μὴ καὶ ἀρετῇ διαφέροι, παροξυνθεὶς αὐτῷ. In his nihil mutauit ὁ Στέφανος, nisi quod pro συμφέρον, scripsit συμφέρει. At in veteribus hoc modo. ὡς δὲ ἔστι τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον, αὐτὸ μόνον εἶναι, εἰ μὴ καὶ ἀρετῇ διαφέροι. Ego ex duabus vocibus αὐτὸ μόνον, traiectis literis, vnam facio, αὐτόνομον. In ceteris veterem librum sequor.

Thetica, & Paradoxa an eadem sint. Cicero contra Turnebi sententiam explicatur.

CAPVT XII.

SÆpe audiui quæri, quæ dicerentur à Cicerone θετικὰ in præfatione paradoxorum. Et Turnebus quidem interpretatur ea, quæ de toto aliquo genere disserantur, nullis circumscriptis personis, locis, temporibus. Notum est enim theseon nomine quæstiones infinitas, hypotheseon, definitas in scholis rhetorum intelligi. Mihi tamen hoc quidem loco semper probabilius visum est, thetica & paradoxa eadem esse: vt hoc Cicero dicat, se ea ipsa quæ vix in scholis audiri solent, ita abhorrent ab opinione communi tentasse numquid dicendo posset efficere, vt in forenses ac senatorias orationes includerentur, & illic etiam ineruditis hominibus probarentur. Thesis enim vocatur magni alicuius viri a communi hominum sententia discrepans opinio: Aristoteles primo topicorum. Θέσις ἐστὶν ὑπόληψις παράδοξος τῶν γνωρίμων τινὸς κατὰ φιλοσοφίαν, οἷον ὅτι οὐκ ἔστιν ἀντιλέγειν, καθάπερ ἔφη Ἀντισθένης. ἢ ὅτι πάντα κινεῖται καθ' Ἡράκλειτον, ἢ ὅτι ἓν τὸ ὄν, καθάπερ Μέλισσος φησιν. Idem I. Physicorum, ὅμοιον δὴ τὸ σκοπεῖν εἰ οὕτως ἕν, καὶ πρὸς ἄλλην θέσιν ὁποιανοῦν διαλέγεσθαι τῶν λόγου ἕνεκα λεγομένων. Ita tamen meam sententiam propono, vt eam Turnebi sententiæ non anteponam.

T. Lucretii locus de noctibus serenis; alter item Plinii. Lucubrare quando optimum. Kalendis Ianuarii quid fieri solitum. Marcelli Ceruini, & Gul. Sirleti Cardinalium laus.

CAPVT XIII.

LVcretius libro primo cum ostendisset summam difficultatem

esse in philosophia Latino sermone explicanda, vt studiũ suũ Memmio magis commendaret, adiecit:

Sed tua me virtus tamen, & sperata voluptas
Suauis amicitiæ, quemuis efferre laborem
Suadet, & inducit noctes vigilare serenas.

Quibus in versibus non iniuria quæri potest, cur *serenas* potissimũ *noctes vigilare* se dicat. Neque enim perpetuum illud epitheton est: neque maius negotium videtur, vigilare noctes serenas, quam obscuras, & caliginosas. Sed certe, hyeme vt quasdam noctes serenas esse fateamur,

——— positas cum glaciat niues
Puro lumine Iuppiter.

Pleræque tamen nimbosæ ac ventosæ, & nubidæ sunt. At æstate prope omnes serenæ, & breues, & multa luce suffusæ. Cum igitur hyeme, propter longitudinem noctium, homines studiis dediti & vesperi lucubrare, & mane, multo ante auroram, librorum gradentium indicem, librum cum lumine poscere soleant: æstate tamen non multi reperiuntur, qui non illas breues ac contractas noctes integras dormiant. Idem veteres videlicet factitabant: neque antelucanam lucubrationem fere incipiebant nisi sub finem Autumni. Iuuenalis.

——————— at nunc
Post finem autumni, media de nocte supinum
Clamosus iuuenem pater excitat. Accipe ceras,
Scribe puer.

Erat quidem in consuetudine positum, vt de mense Augusto, Vulcanalibus lucubrare inciperent: sed id tantũ ἀφοσιώσεως χάριν plerique faciebant: eodem plane modo, quo Kalendis Ianuarii suas quisque artes modice attingebant, auspicandi caussa.

Ouidius,

Quisq; suas artes ob idem delibat agendo:
Nec plus quam solitum testificatur opus.

Ita Plinius iunior illum parcissimum temporis dispensatorem, auidissimum librorum helluonem, auunculum suum, qui mihi videtur prope tot horas legisse aut scripsisse, quod vixit: cum igitur laudans: *lucubrare*, inquit, *a Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi caussa, sed studendi.* Negat eum ita fecisse, vt ceteri solebant, qui tunc dicis tantum caussa, incipiebant lucubrare: ac deinde id differebant ad finem autumni cum

Iam Phœbus breuiore via contraxerat ortum
Lucis, & obscuris crescebant tempora somni.

At illum vero ac serio a Vulcanalibus incipere solitum. Lucretius igitur se dum manu illud suum Memmio concinnat, ait vigilare, & lucubrare non in hyeme tantum, quod omnes faciunt, sed etiam quod paucissimi, æstate, cum serenæ plerumque sunt noctes. Eodem

dem prope modo commendat Cicero Bruto libellum paradoxorum: *Accipies igitur*, inquit, *hoc paruum opusculum elucubratum his iam contractioribus noctibus.* Hoc ego, quod mihi sane acute atque ingeniose animaduersum videtur, non vt meum profero: sed vt acceptum ab illo viuo ac spirante musęo Gulielmo Sirleto Cardinali, ὧ καὶ ἀπὸ γλώττης non mel le tantum, sed ambrosia dulcior manat oratio. Atque is hoc se olim audiuisse dicit ab eo quem ipse præcipue colebat, cuique merito carissimus erat, Marcello Ceruino Pontifice Maximo, cuius sanctissimi & eruditissimi viri longiore pontificatu, Deus vitiis nostris offensus, indignos esse nos iudicauit.

Virgilium, quod neque Homeri, neque Ciceronis meminerit, ingratum videri.

CAPVT XIV.

Καὶ τόδε Φωκυλίδου: id est, eiusdem illius Sirleti, a quo discere potest quisque & quantum cupit, & quantum capit. Ita sacrum illud os vberem perpetuo rerum scitu dignissimarum copiam fundit. Præstantissimus Latinorum poetarum Virgilius videri non immerito potest duorum summorum virorum gloriæ inuidisse, Ciceronis, & Homeri. Nam cum tres poetas sibi præcipue proposuisset ad imitandum, Theocritum in Bucolicis, Hesiodum in Georgicis, Homerum in Æneide, duorum quidem priorū mentionem vtcuq; fecit. Nam & *Sicelidas musas* inuocauit, & illo versu aperte significauit Theocritum:

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra nec erubuit syluas habitare Thalia.

Hesiodum autem illo loco,

Hos tibi dant calamos en accipe, Musæ,
Ascræo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.

& rursus illo,

Ascræumq; cano Romana per oppida carmen.

At Homeri, cui tam multa debebat, quem prope totum compilarat, nulla vsquam mentio. Quin etiam cum odoratum illud Lauri nemus describeret, in quo felices agebant pii vates *& Phœbo digna locuti* Musæum ante omnes collocat, Homerum ne nominat quidem. Neque in Ciceronem æquior.

Excudent, inquit, *alii spirantia mollius æra,*
Orabunt caussas melius.

Cum tamen Cicero hanc gloriam Græcis præripuisse crederetur. Apertius autem libro octauo, cum Catilinam appellasset,

——— *& te Catilina minaci*
Pendentem scopulo furiarumq; ora trementem:

cuius inuidiæ fuit, statim ad Catonem transire: de Cicerone cuius virtute peius illa patriæ oppressa erat, verbum nullum facere?

Cuius ornandi nulla certe iustior esse potuit occasio. His argumentis, fateor vix videre me, quid pro Virgilio responderi queat.

Xenophontis e tertio anabaseos locus correctus & explicatus.

CAPVT XV.

LVculenta est Xenophontis oratio, qua libro tertio anabaseos milites cohortatur, ne concidant animis, etiam si multis magnisque difficultatibus conflictentur: eas enim omnes posse animi præsentia, & virtute superari. Summo autem artificio facit, vt eas singulas proponat ac refutet, quæ vniuersæ debilitare atque infringere illorum animos poterant: singulæ faciliores ad superandum videntur. Atq; a diis quidem exorditur eosque ait, suis quidem, qui iurisiurandi fidem seruarint, æquos ac propitios: barbaris autem, qui eam pro nihilo putarint, sæuos & infensos fore. Deinde autem proponit eis maiorum exempla, qui parua manu magnas sępe barbarorum copias fuderant. Addit ne ipsos quidem parum dignos esse maioribus, cum superioribus diebus, congressi cũ ingenti eorundem barbarorum multitudine, nullo eos negotio profligarint. Quod cum fecissent pro Cyri imperio ac potentia dimicantes, multo alacrius idem facere oportere, cum vita & salus ipsorum agatur: cumque præterea experimento cognouerint ignauiam barbarorum, cuius antea periculum non fecerant. Neque quod a quibusdam deserti essent, quibus sociis & adiutoribus Cyro viuente vtebantur, idcirco eis pertimescendum: quod illi etiam in victoria, fugæ auctores ac principes fuissent: cuiusmodi homines in hostium castris, quam in suis videre præstet. Nam quod ipsi equitatu careant, quo hostes abundent: equos nihil aliud hostibus præstituros, quam faciliorem ac celeriorẽ fugam. Neque equos pugnare sed homines: eosq; ipsos terræ solo, quam equi dorso firmius & tutius niti. Iam si dimicandum quidem, prompto & alacri, inquit, animo estis: sed illud vos angit, quod neque Tissaphernem amplius itineris ducem habebimus, neque is a nobis vendi amplius iubebit ea, quæ ad victum necessaria sunt, cogitate quanto meliores itineris duces futuri sint captiui quam Tissaphernes: & vtrum optabilius sit, magna vi pecuniæ, qua plærique nostrum tenuiter instructi sunt, paucos cibos mercari, an arbitratu suo pinguem, & rebus omnibus abundantem hostilem agrum diripere ac deprędari. Quod si hęc quidem meliora esse sentitis, sed flumina ne vobis obsint veremini, scitote ea, quo quis propius ad eorum fontes & capita accesserit, eo facilius posse transiri. Hæc omnia breuiter proposui, vt ex ipsa orationis serie magis intelligatur id quod sequitur deprauatum esse. Legitur autem etiam in optimis libris hoc modo. *Εἰ δὲ μηδ᾽ οἱ ποταμοὶ διάπορον, ἡμῖν μηδ᾽ εἰς φαίνονται, οὐδ᾽ ὡς ἡμῖν γε ἀθυμητέον.* Quę ita vertit Romulus.

lus. *Sed esto, obstent nobis flumina: neque duces nanciscamur. non tamen idcirco animum despondere debemus.* Ego vero, quid verba illa significent μήθ' οἱ ποταμοὶ διάπορου, non video: non significare id quod Romulus putauit, plane video. Ac ne longum faciam, ita apud Xenophontem legendum censeo: εἰ δὲ μήθ' οἱ ποταμοὶ διέξουσιν, ἡγεμὼν δὲ μηδεὶς φανεῖται οὐδ' ὡς ἡμῖν γε ἀθυμητέον. vt sit sententia. Quod si videtis fore, vt ne flumina quidem itineri nostro obstatura sint: sed illud veremini, ne dux itineris nullus exsistat: ne sic quidem animis concidere debemus. Cur autem sic quoque bene sperare debeant, statim subiicit. Sed ita legendum, vt dixi, constare opinor ex iis quæ antecesserunt. Sunt enim illa plane his gemina. εἰ δὲ πάντα μὲν γιγνώσκετε ὅτι οὕτω κρεῖττον, τοὺς δὲ ποταμοὺς ἄπορον νομίζετε εἶναι. & paulo supra, εἰ δὲ δή τις μὲν μάχας θαρρεῖται, ὅτι δ' οὐκ ἔτι ἡμῖν Τισσαφέρνης ἡγήσεται, οὐ δὲ βασιλεὺς ἀγορὰν παρέξει τοῦτο ἄχθεσθε. Quæ qui diligenter inter se contulerit, spero fore, vt mihi assentiatur.

Gregorii Nazianzeni loci duo, partim e Luciano, partim ex Aristophane expressi.

CAPVT XVI.

Scitum est notare & animaduertere, quomodo prisci illi ecclesiæ Patres, quorum & pietas ac sanctimonia, & eruditio atque eloquentia admirabilis fuit, e profanis scriptoribus accepta multa in meliores vsus conuerterint: vt nos quoque ad illorum exemplum studia nostra dirigere ac conformare conemur. Quapropter proponam duos locos, in quibus Gregorius Nazianzenus, de cuius laudibus mihi tacendum puto: tum quia notissimæ sunt: tum quia nullum tam sublime verborum genus reperire possum, quod non longe infra ipsius dignitatem iaceat: is igitur in oratione & eo qui laudat, & eo qui laudatur dignissima, qua Magni Basilii laudes deprædicat, duos impuros quidem, sed disertos scriptores imitatus videtur. Principium enim diuinæ illius orationis hoc est. ἔμελλεν ἄρα πολλὰς ἡμῖν ὑποθέσεις τῶν λόγων ἀεὶ παρασχὼν ὁ μέγας Βασίλειος, & quæ sequuntur. Eodem autem modo exorsus in Demonacte laudando Lucianus. ἔμελλεν ἄρα μηδὲ ὁ καθ' ἡμᾶς βίος τὸ παντάπασιν ἄμοιρος ἔσεσθαι ἀνδρῶν λόγου καὶ μνήμης ἀξίων. vt fortasse non longe a vero aberraturus sit, si quis sanctissimum eundemque eloquentissimum virum a summe impio, sed culto tamen ac polito scriptore aliquid sumsisse credat. Alter quidem locus quem ex eadem oratione subiiciam, ex Aristophane manifesto expressus est. Nam cum inueheretur Gregorius in prauam quandam consuetudinem, quæ iam tum in ecclesiam irrepserat, vtinamq; ad ætatem nostram non peruenisset, vt homines in ecclesiasticis muneribus numquam exercitati, quiq; nullum in inferioribus ordinibus sui periculum fecissent, primo statim pedatu, per gratiam & malas artes, ad summum in ecclesia episcoporum munus promouerentur: probari sibi ait nauticam legem, quæ gubernatores futuros,

prius diu remigare, ac deinde proretas esse iubet, quam eis in puppi sedere & clauum tenere permittat. Ἐπαινῶ, inquit, τὸν ναύτην νόμον ὃς τὴν κώπην πρότερον ἐγχειρήσας τῷ νῦν κυβερνήτῃ, κἀκεῖθεν ἐπὶ τὴν πρῷραν ἀναγαγὼν, καὶ πιστώσας τὰ ἐμπνεύματα, οὕτως ἐπὶ τῶν οἰάκων καθίζει μετὰ τὴν πολλὴν τυφθεῖσαν θάλασσαν, καὶ τὴν τῶν ἀνέμων διασκέψαι. Aristophanis autem sunt hæc ex Equitibus.

> Ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν.
> Κᾆτ' ἐντεῦθεν πρῳρατεῦσαι, καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι,
> Κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ.

Notat autem & Theon in scholiis ad eum Aristophanis locum, et eo illa Gregorium, quem tamen nominatim non appellat, hausisse. Videlicet vt apes etiam ex amaris herbis ac floribus educunt aliquid, quo ad mel conficiendum vtantur: sic & talia ingenia etiam ex improbissimis scriptoribus aliquid quod prosit, excerpunt.

Virgilii IV. Æneidos locus non recte a Seruio explicatus.

CAPVT XVII.

Mirificus homo interdum est Seruius in sensis Virgilii explicandis: & quamuis inter Grammaticos, merito semper habitus est primæ classis: est tamen, vbi de tuenda illa opinione non nimis sollicitus videtur. Vel hos ex quarto Æneidos versus, quibus Dido verens, ne soror sua ex illo immoderato retinendi Æneæ studio, suspicaretur fore id, quod euenit, vt ipsa eius abitum ferre non posset, ita eam affatur:

> *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,*
> *Et perferre soror potero:*

Eos igitur versus quam absurde interpretatur? Hanc enim sententiam illorum esse dicit. *Si scissem abiturum Æneam, non tantum diligerem. Si non dilexissem, minus dolerem. Si potui*, *autem, pro, si potuissem.* & sic est dictum, vt

> *Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.*
> *Ac si diceret, nihil mihi nouum contingeret.*

Hæc Seruius: quibus vix a sententia Virgilii excogitari posse quicquam alienius puto. Ego hoc Didonem sentire existimo. Non est, quod metuas, soror, ne ego hunc etsi acerbissimum dolorem, si se obduret Æneas, perferre non possim. Cum enim eum dolorem sperare, id est exspectare potuerim, neque me ipsa illius iam iamque imminentis exspectatio ad quidquam in me durius consulendum adegerit: quam acerbitatem forti animo exspectare potui, eandem magno ac forti animo, si necesse fuerit, perferam. Sed tamen ne vllam eius retinendi rationem intentatam relinquam; tribue hoc mihi, vt ad eum adeas, eique, si potes, persuadeas, vt discessum suum vsque eo saltem differat, dum tempestas commodior sit ad nauigandum. Neque vero leue argumentum est quo vtitur Dido, vt offer dat se dolori perferendo fore, quod

eius

tius exspectationem tulerit. Metus enim imminentium acerbitatum vehementius interdum homines afficit, quam ea ipsa quę timentur, vbi postea contigerunt. Pueros videmus in verberum metu nusquam quiescere, nusquam consistere, velle patriam & parentes relinquere, qui tamen postea verberati conquiescunt. Vidi ego patrem, qui, cum ægrotantis filii prope deploratam salutem esse, a medicis audiisset, alligandus fuit, ne sibi manus adferret. Idem hodie multos iam annos filio superstes & viuit, & hilarè viuit. Ita plærumque, quæ ne eueniant, horrescimus, ea cum euenerunt, acquiescimus. Qua de re elegantissima disputatio est apud Xenophontem libro tertio de institutione Cyri. Qui igitur imminentis mali exspectationem fortiter tulit, is id quoq; ipsum quod metuitur, fortiter laturus videtur. Et hoc argumento vtitur Dido.

Hecyra Terentii locus exponitur, Donati hiatus expletur.

CAPVT XVIII.

Terentianus Laches, cum præsentiam vxoris, & suam, filio, & nurui odiosam esse credens, rus cum ea migrare statuisset, *odiosa*, inquit, *hac est ætas adolescentulis,*

E medio æquum est excedere. postremo iam nos fabula
Sumus, Pamphile, senex atque anus.

Vbi vere, & recte Donatus ait, eum allusisse ad principium fabularum, quæ puerulis narrari solent: quarum pleræque ita incipiunt. Animaduerti autem tale quiddam exstare & apud Aristophanem, μῦς καὶ γαλῆ. Vbi etiam Theon notat plerisque fabulis earum quæ domi narrari solerent, hoc esse principium: Γέρων καὶ γραῦς & tale esse illud Platonis in Phædro. *Fuit olim quidam formosus puer.* Neq; ab his abludit illud ex Andria,

Atticus quidam olim naui fracta.

Itaque Simo, qui omnia illa ficta esse autumaret, *Fabulam*, inquit, *inceptat.* Sed & nisi me valde fallit animus, apud Donatum hoc loco ea ipsa Græca verba legerentur, nisi librariorum inscitia obstitisset. Nunc enim ita legitur. *Hæc duo nomina—— —— capus indicat: & inceptionem huiusmodi fabularum.* At in quibusdam veteribus hoc modo. *Hæc duo nomina—— ——GAPVS indicant inceptionem huiusmodi fabularum.* Ego in illa lacuna puto fuisse ΓΕΡΩΝ ΚΑΙ ΓΡΑΥΣ. Cum autem P, Latinum eandem formam habeat quam Græcorum *rho*, si quis duarum tantum literarum ordinem mutet, ex illo GAPVS faciet ΓΡΑΥΣ. Ita omnia perspicua erunt. At illi fecerunt ex GAPVS, primum CAPVS, deinde CAPVT. Nos vero hic concludamus hoc caput.

Si triuin manu fugit, e XII. Tabulis, ab Homero desumptum, vt & Philosophia definitio. Hadriani Turnebi lapsus.

CAPVT XIX.

SI telum manu fugit. His verbis in lege XII. emissi teli significata erat imprudentia: vt in tertio de Oratore scriptum est. quæ tralatio, cum a Crasso tantopere commendetur: egoq; eam a patre eloquentiæ Homero fluxisse animaduerterim: facturus operæ pretium videor, si id indicarim. Ille igitur libro Iliados quinto Diomedis cum Phegeo Daretis filio pugnam describens, cū priorem ictum Phegei irritum fuisse dixisset; subiicit, non idem Diomedi euenisse, neque ei irritum telum manu fugisse, sed defixum esse in pectore Phegei.

Τοῦ δ' οὐχ ἅλιον βέλος ἔκφυγε χειρός.
Ἀλλ' ἔβαλε στῆθος μεταμάζιον.

Sic & Iliados octauo dicit habenas fugisse e manu Nestoris:

Νέστορα δ' ἐκ χειρῶν φύγον ἡνία σιγαλόεντα.

Quod ita reddidit vetus poeta Liuius.

Mea puera, quid verbi ore profugit tuo?

Attexam huic obseruationi aliam valde dissimilem: quid ni enim mihi quoque Τυρνεβίζειν aliquando liceat? vtinam quidem vere ac serio possem. Sed vt qui diuinas Aristotelis ac Platonis virtutes imitari non poterant, huius gibbum, illius quoddam oris in loquendo vitium imitabantur, vt aliqua saltem in re tantorum virorum similes essent: ita ego, quando ad illam infinitam multiplicis doctrinæ copiam quæ in Turnebo fuit, aspirare non ausim, licentiam quandam illius in dissimilibus rebus coniungendis hoc loco imitabor. Veteres igitur Critici, quia omnia quæ a Philosophis dicerentur ab Homero manasse contenderent: ipsam Philosophiæ finitionem, quæ a nōnullis eorum tradita est, Homericam esse dicebant. Diomedē enim ἀλληγορικῶς Philosophum intelligi, cui Minerua omnem caliginem, quæ mortales hebetat visus, ex oculis aufert, vt & deos & homines noscat.

Ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, ἣ πρὶν ἐπῆεν,
Ὄφρ' εὖ γινώσκῃς ἠμὲν θεὸν, ἠδὲ καὶ ἄνδρα.

Ex quo igitur loco sumsisse illos, quod dicerent, *Philosophiam & diuinarum & humanarum rerum scientiam esse.*

Scriptores veteres non recentes publice explicandos & sequendos.
Quinctiliani præfatio libri sexti emendatur.

CAPVT XX.

ME puero magna cum cura exponebantur in scholis Institutiones oratoriæ M. Fabii Quinctiliani, accurati admodum & exquisiti Rhetoris, neque quisquam satis bonus dicendi magister habebatur, qui non in illis vel præcipue auditores suos exercere solitus esset. Mutata postea ratio est: cumq; annosis illis, & ipsa vetustate venerandis arboribus neglectis, succreuissent inutiles rami: iuuentusque laboris fugitans, insulsos quosdam libellos, & omnium prope liberalium artium, & omnium philosophiæ dispendiola

pendiosa partium compendia, pro pinguibus illis veterum latifundiis adamare cœpisset, ex illo vidimus omnia

In peius ruere & retro sublapsa referri.

Neque vllum lapsis prope rebus certius remedium est, quam vt vetus illa consuetudo reuocetur, &, expulsis istis nouitiis indoctæ arrogantiæ magistris, ac priscis illis, quos *endo calo*, vt ita dicam, merita locarunt vera & solida eruditio repetatur. Quod etsi, vt ætatis meæ tempus est, viuo me euenturum, sperare non audeo, posteris tamen, si quid mei ad posteros perueniet, contestatam opinionem meam relinquam: neque committam, vt ego quoque vnus ex eo numero, qui vetustatem contemnunt, videri queā. Nunc eius quem nominaui Rhetoris præfationem in librum sextum, a quibusdam inueteratis librariorum erroribus vindicare conabor. Deplorat autem in ea homo disertissimus sane dolenter ac copiose vxoris & duorum filiorum mortem: ex qua tantum hauserit doloris, vt se, nedum instituta studia persequi, etiam eis superstitem esse posse miretur. Sed de vxore hęc ipsius verba sunt. *Quæ nondum expleto ætatis vndeuigesimo anno duos enixa filios, quamuis acerbissimis rapta fatis, felix decessit. Ego vel hoc vno malo sic eram afflictus, vt me iam nulla fortuna posset efficere fœlicē.* Paulo post autem de filiis. *Liberis tamen superstitibus oblectabar: &, quod nefas erat, sed optabat ipsa, me saluo, maximos cruciatus præcipiti via effugit.* Quæ nullo modo inter se cohærere, vel cæcus aliquis viderit. Sed tota huius periodi posterior pars loco suo mota est: ad vxorem enim pertinet: legendumque hoc modo. *Fœlix decessit, &, quod nefas erat sed optabat ipsa, me saluo, maximos cruciatus præcipiti via effugit. Ego vel hoc vno malo,* & cetera. Deinde, *Liberis tamen superstitibus oblectabar Mihi filius minor quintum egressus annum, vt in malis agerem, prior alterum ex duobus eruit lumen.* Sed hic quoque mendum subest: neque dubium quin totum illud, *vt in malis agerē*, delendū sit. in meo vetere libro ita legitur. *Mihi filius minor q intum egressus annum in malis nec augere prior alterum e duobus eruit lumen* Ex quo liquido perspicitur errorem librarii: qui quatuor voces, *in malis nec augere*, huc transtulerit, e periodo quæ statim sequitur. *Non sum ambitiosus in malis, nec augere lacrimarum caussas volo* Paulo post, vbi vulgo est, *ostenderit*, liber meus habet *ostenderet*, haud dubie melius. Et, vt quædam leuiora omittam: hæc certe contemnenda non sunt. In vulgatis libris ita legimus *Nam quo ille animo, qua medicorum admiratione, mensium octo valetudinem tulit? vt me in supremis consolatus est? quam etiam deficiens, quamq; non tunc ipsum illum alienatæ mentis errorem circa solas literas habuit?* At in meo præclare. *Quam etiam deficiens, iamque non noster ipsum illum alienatæ mentis errorem circa solas literas habuit?* Nihil pote elegantius. Illud enim *non noster* significat eum iam in potestate mortis fuisse. Sequitur haud ita

multo post. *Te omnium spe Attica eloquentia candidatum superstes parens tantum ad pœnas amisi:* Quibus in verbis illud *Attica* plane redundat ac friget. Liber meus pro eo habet *Acutis:* voce non dubito: quin legendum sit, *Ac votis.* Supersunt adhuc quædam in quibus lima opus est. vt illud, *Tum si qua minus fuerint effecta in quibus vtius affectiones operamus, imperitia aut fortuna remittantur.* Illa *imperitia* huc ab imperito aliquo inuecta est. Legendum simpliciter, *Fortuna remittantur.* Paulo post. *Boni autem consulere nostrum laborem vel propter hoc certum est.* Liber vetus, *Cæcum est.* Ego lego, *Æcum est.* ita enim scribebant pro *Æquum:* vt *acam,* pro *aqua.* Ad ipsum finem ita legitur. *Nos miseri, sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus aliis paramus, aliis relinquemus.* Pro *Paramus,* lege, ex auctoritate libri veteris, *Præparabamus.*

M. ANTONII MVRETI VARIARVM LECTIONVM Liber Decimusnonus.

De Baccho bimatre Martialis versus reprehensus.

CAPVT I.

Mordacius fortasse, quam iustius irrisit Martialis poetam quendam, qui Iouem non patrem modo, sed & matrem Bacchi vocauerat: quod eadem ratione Semele quoq;, vt ipsi quidem videtur, pater Bacchi vocari queat.

> *Qui potuit,* inquit, *matrem Bacchi dixisse Tonantem,*
> *Ille potest Semelen dicere, Prisce, patrem.*

Neque enim eadem ratio est. Nam patris quidem proprium est, generare in alio, vt ex Aristotele didicimus: quod Semele neque fecerat, neque facere potuerat: matris autem, conclusum fœtum visceribus suis fouere, & suo tempore parere: quæ omnia, vt quidem se habet fabula, præstiterat Iuppiter. Itaque eleganter ingeniosissimus poeta Ouidius, inter cetera epitheta, quibus Bacchum ornat, cum etiam *bimatrem* vocat: quod duas matres habuerit, Semelen, & Iouem: vnde & Græci eum διμήτορα nominant. Extat & versiculus veteris cuiusdam poetæ Græci, qui ob id & masculum Iouis vterum, & ipsum Iouem Bacchi tum patrem, tum matrem fuisse ait.

> ἄρσενι γαστρὶ λόχευσε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.

Neq; alia ratione Heraclides Ponticus eundem Iouem Palladis & patrem, & matrem vocat. Sed sæpe Martialis, dum salse aliquid & aculeate diceret, quam id iuste ac merito faceret, non curauit.

In

In Quintiliano poetarum versus aliquot nitori suo redditi.

CAPVT II.

APud M. Fabium libro octauo citatur versus veteris poetæ, quo qui dem de Achillis morte ita quærens inducitur.

Ferro anne fato virtus Argiuum occidit?

Sed in antiquis quibusdam libris pro *virtus* legitur *metus*. in meo *mœcus*. Ego vna litera mutata, legēdum censeo, *mœrus*: vt expresserit Tragicus ille, quisquis est, illud Homericum ———
mœros enim dicebant pro *muris*: vt in illo Virgilii,

Diuidimus mœros, & mœnia pandimus vrbis

Sic *mœnire*, pro munire: *cœrare*, pro curare, in multis adhuc veteribus monumentis legitur. Emendabo de eodem oleo & opera locos quosdam eiusdem Rhetoris e capite tertio libri noni. in primisque versum veteris Tragici, qui hoc modo circumfertur,

Quam magis ærumna viget, tam magis ad maleficiandum vrget,

cum legendum sit e vetere libro,

Quam magis ærumna vrget, tam magis ad maleficiandum viget.

Est enim Trochaicus. Paulo autem inferius locus est mirabiliter deformatus, hoc modo, *Ex Græco vero translata vel Sallustii plurima: quale est, vulgus amat fieri: vel Horatii, Nam id maxime probat hoc Ciceronis. Et mutatio casus: vt, nec longe inuidit auena.* Hæc si quis, vt vulgo edita sunt, intelligere potuerit, idem bonus Sphyngi interpres fuerit. In vetere libro ita legi. *Vel Horatii, N. I. S. P. Ciceronis nec longa inuidit auena.* neque vlla dubitatio est, quin ita legi debeat,

——— nec illi

Sepositi ciceris, longæque inuidit auenæ.

Paulo post, vbi citatur versus Horatii,

Hunc & intonsis Curium capillis.

pro *intonsis* veteres libri habent, *incomtis*. in eodem illo capite, vbi vulgo ita scriptum est, *Hanc rerum coniunctam diuersitatem Cælius μεταβολὴν vocat*: non *Cælius* in veteribus, sed *Cæcilius* legitur. Recte est enim *Cæcilius Rhetor*, cuius & hic ipse, & Plutarchus sæpe meminit, & Dionysius Longinus principio elegantis illius Commentarioli περὶ ὕψους.

Athenæus libro octauo sæpius castigatus. Chrestomathia & Ecloga quid.

CAPVT III.

ET tam multa sunt in Athenæo, quæ elegātis ingenii homines ad ipsum legendū alliciant: & tam multa rursum q̄ eis, ne voluptate illa pura ac liquida frui possint, impedimentum obiiciāt; vt mihi gratiam ab eis initurus aliquam videar, si ex immensa

quadam copia eorum, quæ iampridem in eum notaui, nonnulla interdum his libris inspergam: interea dum ab aliis melior & integrior illius editio adornatur. Hodie igitur, cum mihi ex octauo ipsius libro quiddam petendum esset, neque id tam facile, quam putaram, reperire possem, satius putaui totum librum percurrere, & in transcursu colligere si qua essent, quæ illius studiosis iucunda fore arbitrarer. Primum igitur in historia, quæ ex Posidonio affertur, de Tryphonis militibus subito incursu maris absorptis, vbi Sarpedonis milites, re audita, accurisse dicuntur: cum vulgo ita legatur, Καὶ οἱ περὶ τὸν Σαρπηδόνα ἀκούσαντες τὴν συμφορὰν, ἐπελθόντες, τοῖς μὲν τῶν πολεμίων σώμασιν ἐφήσθησαν, ἰχθύων δὲ ἀφθονίαν ἀπήνεγκάν τε, καὶ ἔθυσαν Ποσειδῶνι τροπαῖον: in veteribus pro ἐφήσθησαν legitur ἐφείσησαν: quod verbum nihili est: & quod quidam ex eo facere voluerunt ἐφείσαντο, ideoque dixerunt illos hostium corporibus pepercisse: non dubito, quin animaduersuri sint lapsos esse se, si locum paulo diligentius inspiciant. Omnino autem vulgata scriptura hoc quidem loco verissima est, vt intelligamus eos ex hostium interfectorum spectaculo voluptatem cepisse: sitque ἐφήσθησαν a verbo ἐφήδομαι. Nam ἐφείσαντο si quis legat, neque veteres libros habebit auctores, & ne sic quidem emendata fuerit oratio. Paulo post autem in narratione Hegesandri de admirabili quadam copia piscium, quæ bis quotannis, ex Lacu Bolyce, statis temporibus in flumen Olynthiacum influere dicitur, voces aliquot in excusis libris desiderantur. Quare totum locum, vt in veteribus exstat, apponam. Κατὰ δὲ τὸν ἀνθεστηριῶνα, καὶ ἐλαφηβολιῶνα, λέγουσιν οἱ ἐπιχώριοι, διότι πέμπει ἡ Βολύη τὴν ἀπὸ πυελ. Ὀλυνθία κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον, ἀπέραντον πλῆθος ἰχθύων ἐκ τῆς λίμνης εἰς τὸν Ὀλυνθιακὸν ἀναβαίνειν ποταμόν. ἔστι δὲ βραχὺς, ὥστε μόλις κρύπτειν τὸ σφυρόν. ἀλλ' οὐδὲν ἧττον τοσοῦτον ἔρχεται πλῆθος ἰχθύων, ὥστε τοὺς περιοίκους, & cetera. Quam multa omiserint librarii, & quid eis errorem obiecerit, etiam tacente me, omnes vident. Sed & in iis quæ paulo infra citatur, e libro quinto Chrysippi *de voluptate*, omissæ sunt per incuriam voces duæ. Legendum enim καὶ δυνάμεις θεραπικάς, καὶ συνουσιαστικάς. In Sardanapali epitaphio, & si veteres quoque libri habent λέλειπται, malim tamen λέλεπται. Improbi autem versus, quibus Alexis homines ad intemperantiam cohortatur, Trochaici duo sunt ita legend, & ita distinguendi,

Πῖνε, παῖζε. θνητὸς ὁ βίος: ὀλίγος ὁ ἐπὶ γῆς χρόνος.
Ὁ θάνατος δ' ἀθάνατός ἐστιν, ἂν ἅπαξ τις ἀποθάνῃ.

Statim autem, Sotionis fide, citantur versus quidam eiusdem argumenti ex eiusdem poetæ Asoto didascalo: quam fabulam is qui loquens inducitur, negat se vnquam vidisse, quamuis mediæ comediæ dramata plus octingēta legerit eorumque eclogas fecerit. vbi *eclogas* vocat *excerpta* quædam ex eis fabulis, memoriæ caussa, quæ insigniora viderētur. Tales *eclogæ* hodieque ex amissis Polybii

& aliorum

& aliorum libris reperiuntur. Inde apud Ciceronem *eclogarii*. Easdem & χρηστομαθείας vocabant: quales hodie exstant ex Strabone. Et inde Cicero Tyrannium vocat hominē χρηστομαθῆ. Hoc nō notassem, nisi alios in eo lapsos esse vidissem. In eis autem ipsis versibus cum ita legatur,

Τύρβαζε μανλῶ. γαςρὸς ὐδὲν ἥδιον :

legendum puto,

φόρβαζε Μανή. γαςρὸς ὐδὲν ἥδιον.

Manes seruile nomen olim fuit. In eidē, vbi vulgo est ψύξει τε δαίμων: melius videtur quod in veteribus legitur ψύξει σ' ὁ δαίμων. Iā in illa parodia Chrysippi cum vulgo ita legatur, Καὶ γὰρ ἐγὼ κενὸς εἰμι, pro κενὸς, in vetere libro est κινὸς: Ego autem legendum puto κύνις. Multa leuiora omitto properandi studio, & laboris, vt verū fatear, vel odio vel tædio. Neque tamen illud omittam, quod in lepidissimis versibus, quibus parasitus, vt opinor, aliquis de diuitibus quibusdam cupediariis conqueritur, qui excandefaciebant annonam, & ita purgabant macellum; vt nullum lautius opsoniū aliis reliquum fieret, legendum est, ἅπαντας ἀναπίπτειν non, vt vulgo πάντας: ita enim metri ratio postulat. Id si cui leuius videbitur, quod ego quoque fateor, at hoc certe non omnino negligendum, postremi eorum versuum sententiam vulgo non satis intelligi. Nam illud, Γάμοι δ' ἐκεῖνοι καὶ πότοι νεανικοὶ ἦσαν: hoc significat, nuptialia conuiuia, & adolescentum compotationes desiisse celebrari: ex quo illi diuites omnia ad se trahere cœperant. Estque illud ἦσαν simile illi Catulliano. *Sed hæc prius fuere*: & illi Plautino, *Fuit Phronesiū*: & illi Virgiliano, *Fuit Ilium*: Et vt τὸ ἐν μέσῳ prætercam, in illo dicto Stratonici, ἀκούετε ναοί, iucunda allusio est ad illam vsitatam vocem, ἀκούετε λαοί: cuius lepos in Latino sermone sentiri nō potest. Illud quoque præteriens monebo, longe plurimos Machonis de Stratonici dictis versus male vulgo pro soluta oratione accipi. Subiiciam autem & quæ citantur e libro primo Chariclis περὶ τοῦ ἀςικοῦ ἀγῶνος, vt in veteribus libris leguntur: quoniam ea aliter ab aliis tentata video. Γυμνικοὺς δὲ ἀγῶνας, ἔφη, διατιθέντωσαν Ἠλεῖοι, Κορίνθιοι δὲ θυμελικούς, Ἀθηναῖοι δὲ σκηνικούς. εἰ δέ τις τούτων πλημμελοίη, μαστιγοῦσθαι τῶν Λακεδαιμόνιοι, ἐπισκώπτων τὰς παρ' αὐτοῖς ἀγομένας μαστιγώσεις. In illa longa historia Diphili de piscibus, vbi ad Bacchum piscem ventum est, ita est in libris vetustis. Βάκχος εὔχυλος, πολύχυλος, εὔτροφος. Τρίγλης ἐστὶν εὔχυλος. ἅπαντας βρωμώδης. At a vulgatis voces aliquot absunt. Sed & morosi illius senis, qui omnia sibi conformatis ad imminuendum nominibus appellari volebat, quod sibi eo modo minorem sumtum facere videretur, eius igitur verba ipsa quoque diminuta & decurtata vulgo leguntur. Legenda autem sunt hoc modo,

Επριάμην μὲν τοὺς μὲν ἰχθῦς μοι καλέ

Ἰχθύδι’. ὄψον δ’ ἐὰν λέγῃς ὅτι φέρει, χαίρει
Ὀψαρίῳ. ἥδιον γὰρ ἀπολαύομεν πολύ.

In verſibus autem, ques cantitabant, qui coronæ ſtipem colligebant, & alia multa deprauata ſunt, & hic verſus:

Θεοί, γένοιτο μεταπεπομμένος ἡ κόρη.

cum legendum ſit,

Θεοί, γένοιτο πάντ’ ἄμεμπτος ἡ κόρη.

vbi de verbo βαδίζειν queritur Vlpianus, qui verbum illud irridebat, ait emtum videri ἐκ γῆς συβώτιδος. Quod ſi interpretatus eſt, *Ex terra ſubulca*; equidem quid ſibi voluerit, neſcio. Illud ſcio, legendum eſſe, ἐκ τῆς Συβούρας. Cuiuſmodi autem mulieres in Subura olim habitauerint, & quæ illic tum vitæ, tum ſermonis elegantia fuerit; nemini ignotum eſt. Paulo poſt autem vna vocula corrupta, ne Trochaicus Epicharmi intelligatur, impedimento eſt. Ita enim habent libri editi:

Τὰ πρὸ τοῦ δύ’ ἄνδρες ἔλεγον, εἷς ἐγὼν ἀποχρέω.

cum legendum ſit,

Τὰ πρὸ τοῦ δύ’ ἄνδρες ἔλεγον, εἷς ἐγὼν ἀποχρέω.

Vnum ſi præterea addidero, finem faciam. Deſinere enim, quam deficere malo. In parodia ſane eleganti, quæ ad ipſum finem libri legitur, ita editum eſt.

κἀπειτά τις εἶπε
Τῶν ξυμπινόντων, ἤδη σὺ τί οὐχ ὑπολύσεις
Αὑτὸν, ὁ δ’ ἄχθεται αὐτὸς ὁ ξένος.

quod mutilum eſſe qui non ſentiat, nihil ſentiat. Legendum autem hoc modo,

κἀπειτά τις εἶπε
Τῶν ξυμπινόντων, ἤδη σὺ τί οὐχ ὑποπίνεις;
Οὐχ ὑπολύσεις σαυτόν, ὁ δ’ ἄχθεται αὐτὸς ὁ ξένος.

ὑπολύειν ἑαυτὸν, eſt excalceare ſe. Xenophon Anabaſeos libro 4. καὶ εἰ τὴν νύκτα ὑπολύοιτο. longe aberrauit a ſententia, qui ita vertit: *Hunc item cur a metu non liberas?* Neque tamen eum aut accuſo, aut inſector: cum alia tam multa egregie præſtiterit. Sed arduum ac difficile eſt, ſine veterum librorum ope Athenæum interpretari.

Recte ne Cicero Græcos reprehenderit, quod Laborem, & dolorem vna voce πόνον appellare dixerit.

CAPVT IV.

M. Tullius quamquam φιλέλλην & erat, & haberi volebat, Græcorum tamen nationi nonnunquã ſubiniquus videtur: non tantum, vbi cauſſæ ſeruiens eorum fidem in teſtimoniis eleuat, leuitatem inſectatur, inſtituta deridet: ſed etiam cum Romanam linguam verborũ copia non Græcæ parem modo, ſed etiam ſuperiorem facit: quod tam longe abeſt a vero; vt mihi ipſæ chartæ, in quibus id ſcriptum eſt, erubeſcere videantur. Quid libro

Digitized by Google

bro secundo Tusculanarum, cum Græcos negat sua lingua *laborem a dolore* distinguere, an non aperte calumniatur? Neque quidem λόπονι@ est doloris amans, sed laboris. At πόνον interdum etiam dolorem vocant, & *laborare* dicunt eas corporis partes, quæ dolēt. Non igitur idem & Latini faciunt? Vnde igitur sunt illa?

Laborat e dolore misera. &

Quæ laborantes vtero puellas.

& qui laborat podagra, certe non ita laborat, vt Marius cum æstu magno ducebat agmen. Sed cuius potius in hanc rem quam ipsius Ciceronis testimonio vtamur? Eius igitur verba sunt e secundo de finibus. *Quos, dii immortales, ille, cum omnes artus ardore viderentur, cruciatus perferebat? nec tamen miser esse, quia summum id malum non erat: tantummodo laboriosus videbatur.* Nonne eum, qui maximo dolore cruciatur, *laboriosum* vocat? Videat ergo, si hoc nomine in Græcos volet esse durior, ne caussæ suæ secum talis ac tantus patronus infligat. Facere in eo quoque mihi videtur iniuste, quod accubationem epularem melius a Latinis *conuiuium*, quam a Græcis σύνδειπνον, aut συμπόσιον nominari iudicat. Contra enim appellatio Latina habere quandam intemperantiæ significationem videtur: quasi tum demum viuant homines, cum cibum capiunt: neque sit inter eos, præterquam in epulis, vlla vitæ communio. At Græci *vna viuere* dicunt, eos etiam qui negotia sua inter se communicant, qui crebro vna sunt, qui vna militant, vna philosophantur: conuictum denique multis aliis in rebus, quam in vino & epulis intelligent: non vt Latini, qui conuiuere, vt hoc verbo vtar, eos demum dicunt, qui vna tanquam ad idem præsepe, pascuntur, quasi nihil sit aliud συζῆν, quam συγχορτάζεσθαι. Elegantius illi, qui aliud esse viderunt, vna bibere, aliud vna viuere. Itaque communionem epularum ab eo, vt Varro ait, coagulo, quo conuiuia continentur, nominarunt: vitæ coniunctionem ad alia grauiora, & magis seria reseruarunt. Hæc si cui confidentius dixisse aduersus Ciceronis sententiam videbor; cogitet, quam multa ab eo aduersus Platonem, Aristotelem, Theophrastum, aliosque veteres dicta sint. Nunquam hæc vel dissentiendi, vel ingenii exercendi libertas in literis vituperata est.

Xenophontis locus quarto Anabaseos emendatus.

CAPVT V.

APud Xenophontem libro quarto anabaseos, Græci quibus præerat ipse Xenophon, cũ in Armenia & multis aliis difficultatibus cõflictati essent, & pæne obriguissent ac cõglaciassent frigore, niuisque vi tantum non obruti ac sepulti forent; ignem tandem construxisse dicuntur: cumq; ad fouenda corpora oleum deesset, multis se ac variis chrismatis, quod ibi repererant, generi-

bus perunxisse. *Chrisma* autem illud fuisse ait Xenophon *σύειον, καὶ σησάμινον, καὶ ἀμυγδάλινον ἐκ τῶν πικρῶν, καὶ τερεβίνθινον*. At cetera quidem genera non ignota sunt: e sesamo, ex amygdalis amaris, ex terebintho, vnum quod primo loco ponitur, plane absurdum videtur, *σύειον*, quod Romulus vertit *suillum liquamen*, eumque secutus vnus ex eruditissimis huius ætatis, hoc vno, vt opinor, loco fretus, chrismatis nomine etiam animalium adipem significari tradidit. Quid autem quæso commune habet adeps suillus cum sesamino, amygdalino, aut terebinthino chrismate? Nam ocreas quidem suas, (si quas ex corio ocreas habebant) & calceamenta adipe suillo inungere ad ignem, vt ea mollirent, poterant: artus vero suos, cum suppeteret aliorum copia, tam tetro, & tam spurco vnguine illinere, cuius turpitudinis fuisset? Equidem affirmare ausim, locum deprauatum esse, & pro *σύειον*, legendum aut *σούσινον*, ita enim vocabant liquorem ex lilio expressum, quem & anthinon Galenus vocat: aut si cui libeat propius vulgatæ scripturæ vestigiis insistere vna litterula mutata, *θύϊνον*, a thyia arbore, quā, ob eximiam quandam odoris suauitatem, summe a veteribus cōmendari, notius est, quam vt confirmari debeat.

Quinctiliani libro sexto de Risu, loci plurimi & emendati & explicati.

CAPVT VI.

MAculosus est procul dubio Fabii locus e capite tertio libri sexti, vbi de dictis Ciceronis ita scribit. *Vtinam Quintus, & libertus eius Tiro, aut alius quisquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent.* Neq; dubium est, quin legendum sit, vt in veteribus, *Vtinamq; libertus eius Tiro.* Neque enim libros illos quisquam vnquam ad Q. Ciceronem retulit. Paulo infra eum locum hæc in veteribus libris ita legūtur. *Affert autem summam rei difficultatem, primum, quod ridiculum dictum plerunq; falsum est, semper humile, sæpe ex industria deprauatum.* *Falsum*, non, vt vulgo, *Salsum*: neque quidquam verius, quam illic *Falsum* legi oportere. vt & illud hoc modo. *Neq; hoc ab vllo satis explicari puto, licet multi tentauerint, vnde risus: qui non solum facto aliquod dictoue, sed interdum quod etiam corporis tactu arcessitur.* Hoc enim ipsum est, quod negat a quoquam satis explicatum, *Vnde risus*: id est, quæ sit risus origo. Sequitur paulo post. *Erumpit enim etiam inuitis sæpe, nec fultus ope, nec vultus modo ac vocis exprimit confessionem, sed totum corpus vi sua concutit.* Vbi tres illæ voces *Nec fultus ope*, redundant. Barbara quædam enunciatio effecerat, vt *nec fultus*, pro *nec vultus* scriberetur. Quę corrupta scriptura fulta est postea ope alicuius, qui de suo addidit illud ope. Sic sæpe *feritas* inualuit in locum *veritatis*: *fenus* in locum *Veneris*: aliaque ad eundem modum. Quod autem subiungit, ridiculo

diculo sæpe maximarum rerum momenta verti: concordat cum Horatio, cuius illud est:

——— ridiculum acri
Fortius ac melius magnas plerunq; secat res.

In eodem capite ita legendum est. Et Catullus cum dicit,

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

non hoc dicit, nihil in corpore eius esse ridiculum. Vulgo detracta negatio Fabium ipsum ridiculum facit. Et, vt nonnulla prætermittam, in quibus ipse mihi nondum satisfacio, hoc certe ita legi debet. *Ludere nunquam velimus: longeque absit propositum illud, potius amicum, quam dictum perdendi.* male enim vulgo, *perdidi.* Omittam satis multa: spicilegio enim loci esse aliquid volo: duo tantum ex eodem capite notabo, quæ mihi videntur minime negligenda. In editis libris legimus, *Emphasi Liuius dixit, ferro cotem Attium Nauium incidisse.* Et notum quidem est, historiam illam de cote a Nauio incisa extare apud Liuium libro primo. Sed quæro quam tandem hic Fabius Emphasim videat: aut quid omnino historia hæc ad id quod hic agitur pertineat. Neque puto id quenquam videre posse; nisi qui ita perspicax sit, vt id etiam quod nusquam est, videat. In veteribus membranis meis hoc modo. *Emphasis A. Villius dixit, ferrum in cotem incidisse.* Hoc nec verius nec melius quicquam. Subiungam vnum item locum: deinde iter hoc diuidam. Libri circumforanei ita habent. *Seu fictis notis versibus. Simile est, quod παρῳδία dicitur.* At meus recte & vere. *Seu ficti notis versibus similes: quod παρῳδία dicitur.* Hoc si quis forte non satis intelligit; consulat Athenæum.

Male ominatis verbis vti. Horatius, & Terentius illustrati. Versus Ennii numeris restituti.

CAPVT VII.

Dixi alias de consuetudine veterum addendi nonnunquam literam D ad voces quarum vltima litera vocalis esset, præsertim si sequeretur statim alia vox, quæ a vocali inciperet: legendumque ideo apud Horatium, *maled ominatis Parcite verbis,* Cum autem & alii vidisse se testati sint, & ipse viderim vetustos quosdam libros, in quibus est *malen ominatis*, visum est, vt monerem, non tamen propterea legendum, *male nominatis.* Certe enim *nominare verba* nemo dixit, qui recte emendateq; loqueretur: sed potius *malen ominatis.* Modo enim litera D, modo litera N ad vitandum hiatum vtebantur. Sic cum rectum sit *atqui & alioqui*, sequente tamen vocali *atquin, & alioquin,* apud veteres sæpe reperias. Et inde est illud Plauti:

O Callicles, o Callicles, o Callicles,
Qualin animo mea commendaui bona?

Et fuisse quandam earum literarum mutuam functionem ostēdit Donatus in illud ex Phormione,

Quia non rete accipitri tenditur, neq; miluio.

Legitur, inquit, & *Tennitur. habet enim N litera cum D communionem.* Et certe hodieq; vulgus Tiburtium, Interamnatium, & aliorum quorundam, pro ND, duplex N plerunque pronuntiat. Hoc igitur non indignum visum est obseruatione. Sed quoniam paulo infra eum locum citat Donatus, versus quosdam e sexto Satyrarum Ennii, quos prope integros in fabulam suam transtulerit Terentius: iiq; vulgo perturbati ac mendosi leguntur, describam eos ita, vt legendos puto. Sunt igitur hi.

Quippe sine cura, latus, lautus cum aduenis,
Exsertis malis, expedito brachio,
Celsus, alacer, lupino exspectans impetu,
Quam mox alterius obligurrias bona:
Quid censes domino esse animi pro diuum fidem.
Dum ille cibum tristis seruat, tu ridens voras.

Phormio Terentiana e Demosthene illustrata.

CAPVT VIII.

SI quis eadem de re iterum iudicio experiri velit; notū est, eum exceptione rei iudicatæ repelli: & inde ortum est illud,

Actum, aiunt, ne agas.

Recteque id Terentianus Phormio Demiphoni obiicit his verbis,

At tu, qui sapiens es, magistratus adi:
Iudicium de eadem caussa iterum vt reddant tibi.
Quandoquidem solus regnas: & soli licet.
Hic de eadem caussa bis iudicium adipiscier.

Eodē enim iure Athenienses vti solitos, vt plæraque in iure ciuili Romano ab eis sumta sunt, vel hic Demosthenis locus indicat ex oratione aduersus Leptinem, Οἱ νόμοι δ' οὐκ ἐῶσι δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν περὶ τῶν αὐτῶν οὔτε δίκας, οὔτ' εὐθύνας, οὔτε διαδικασίαν, οὔτ' ἄλλο τοιοῦτον οὐδὲν εἶναι, & Andocides in oratione aduersus Alcibiadē. ἄλλως τε καὶ τῶν νόμων ἀπαγορευόντων δὶς περὶ τῶν αὐτῶν πρὸς τὸν αὐτὸν μὴ ἐξεῖναι δικάζειν. Sed & quod subiicit Demipho nō necessario ducendam vrbam ei, qui genere proximus sit: sed licere ei per legē, si id malit, dotis datione defungi, eiusdem oratoris testimonio cōfirmatur: apud quem ea ipsa lex exstat in oratione aduersus Macartatum: Τὴν ἐπίκληρον τὸν ἐγγύτατα γένους ἐκδιδόναι, ἢ αὐτὸν ἔχειν. ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ ὁ ἐγγύτατα γένους, ἢ μὴ ἐκδῷ, ὁ ἄρχων ἐπαναγκαζέτω ἢ αὐτὸν ἔχειν, ἢ ἐκδοῦναι. Neque vero illud temere dictum est,

abduce hanc. minas quinque accipe.

Ea enim pecunia constituta erat legibus, quam darent egentibus puellis, quo facilius elocarentur, qui eis proximi erant, si nollent

eas

eas ducere, vt Harpocration ex Dinarcho docet. Puto autem hæc nonnihil ad Terentium illustrandum pertinere.

Plauti e Captiuis versus e Græco desumti.

CAPVT IX.

SAltare non hilaritatis modo est, sed immodicæ & profusæ cuiusdam hilaritatis. *Salire* autẽ ac *palpitare* videtur *cor*, in maximo ac vehementissimo metu. Itaque venuste Tyndarus apud Plautum in Captiuis, cum illum suum honestissimũ dolum, quo herum ex seruitute eduxerat, patefactum videret, iamq; sibi magnum malum imminere auguraretur: cor suum obiurgat, quod in tanto periculo saltitet. Verba autem illius hæc sunt, vt quidem in emendatis libris leguntur.

Quin quiescis dierectum cor meum? i ac suspende te.
Tu subsultas. ego miser vix adsto præ formidine.

Verisimile autem mihi fit, effictum esse illum Plauti locum e vetere Comico Anaxandride, cuius hi versus citantur apud Athenæum in illa pulcerrima parte libri 15. quam a me Lutetiæ acceptam Gulielmus Canterus, publicauit. Sed versus Anaxandridæ, de quibus dicere cœperam, hi sunt.

ὦ πονηρὰ καρδία.
Ἐπιχαιρέκακος ὡς εἶ μόνον τοῦ σώματος.
Ὀρχῇ γὰρ εὐθύς, ἣν ἴδῃς δεδοικότα.

O cor improbissimum,
Vt corpore ex toto vnicum gaudes malis.
Salis enim simul ac timentem videris.

Paulo autem ante eos versus inepte scriptum est: κατὰ γὰρ τὰς ἐν τοῖς ψήφοις γινομένας ἀγωνίας πάλλεσθαι τὴν καρδίαν ἐπιδηλότατα συμβαίνει: quæ vitiosa scriptura imposuit etiam homini eruditissimo, qui nuper Athenæum interpretatus est. Legendum autem, ἐν τοῖς φόβοις. Ac libet, antequam manum de tabula tollam emendare locum Xenophontis e Symposio, qui eodem in libro ab Athenæo citatur, sed neque in optimis Xenophontis exemplaribus, neque apud Athenæum emendate legitur: legendus autem est hoc modo. Αἵγε μὲν γυναῖκες, ἄλλως τε καὶ ὅσαι νύμφαι τύχωσιν οὖσαι, ὥσπερ ἡ Νικηράτου τε τούτου, καὶ ἡ Κριτοβούλου, μύρου μὲν τί καὶ προσδέοιντο. αὐταῖς γὰρ τοῦτο ὄζουσι.

Ciceronis epistola 1. ad Atticum locus contra Simeonis Bosii sententiam & emendatus, & explicatus.

CAPVT X.

QVi eo sibi placent, quod antiquiores & meliores libros nacti sint, in eoq; se iactant; ridicule mihi facere videntur. Neque enim magis ingenii aut eruditionis laus est, in bonum librũ incidere; quam prudentiæ, cum agrum fodias, reperire thesaurum. Et quãquam veteres libri multum opis afferunt ad optimos

Digitized by Google

scriptores purgandos, non tamen in eo posita sunt omnia. Nam cum eorum nullus prope ita emendate scriptus sit, vt non multis erroribus careat; sæpe euenit, vt quod verum ac rectum est, non ex vno describendum sit, sed multis inter se collatis, quasique mutuas operas tradentibus colligendum: in quo multos sæpe falli videmus. Id puto nonnunquam contigisse Simeoni Bosio, quanquam homini erudito, ingenioso, diligenti, cuius opera & studio nuper epistolæ Ciceronis ad Atticum multo, quam prius emendatiores prodierunt. In ipso enim operis vestibulo, id est, epistola prima libri primi, cum ad locum ab aliis frustra sæpe tentatum, iamque prope depositum ac desperatum venisset; plurimum ille quidem ad illius emendationem, & veteribus libris, & ingenio fretus contulit: neque tamen eum persanauit, & a vera illius sententia, nisi me vehementer fallit animus, aberrauit. Id num temere an secus iudicem; res ipsa indicium faciet. Dixerat Cicero, de iis qui tunc consulatum peterent, Cæsarem quidem certum putari; sed quis illius collega futurus esset, ambigi: Thermum enim cum Silano contendere: neque satis constare, vtrius futura esset victoria. Addit deinde, suis rationibus maxime conducere, vt Thermus fiat cum Cæsare: eum enim curatorem esse viæ Flaminiæ: quæ absoluta, magnam ei gratiam in vulgus conciliatura sit: ex quo consequitur, duras partes eius fore, qui cum ipso contendere voluerit. Quare sibi minime optandum esse, vt Thermus in annum suum recidat. Sed præstat Ciceronis verba recitare, ita vt a Bosio ingeniosissime emendata sunt: nam vt in libris antea editis leguntur, nimium quantum absunt a veritate. Totus igitur locus hic est. *Nostris rationibus maxime conducere videtur, Thermum fieri cum Cæsare. nemo est enim ex iis, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur: propterea quod curator est viæ Flaminiæ, quæ tum erit absoluta sane facile. tum libens Thermon Ciceri consul accuderim.* Hæc ita homo eruditissimus interpretatur. *Neminem putabat Cicero suo anno Thermo prælatum iri, in consulatus petitione: verebaturque ne is sibi consulatum præriperet. qua de caussa cum pro certo crederet eum consulem factum iri, optabat illum sibi socium adiungi, vt vterque consul fieret eodem anno. Thermum, inquit, si consul factus ero, libens mihi collegam adiungam: hoc est, non inique tulero, imo gaudebo Thermum consulem mecum fieri.* Hæc ille, quæ mihi (quod bona ipsius venia dictum sit) longissime abesse a Ciceronis sententia videntur. Primum enim dixerat Cicero suis rationibus maxime conducere, Thermum cum Cæsare fieri. Ergo nolebat eum recidere in annum suum. At collega Ciceronis esse non poterat, nisi cum eo vna peteret. Deinde, quid minus optabile erat petenti Consulatum, quam habere firmissimum competitorem? Nam vt quisque minime firmos competitores habet, ita

bet, ita facillima illi via ad consequẽdum honorem patet. Quid autem intererat Ciceronis, Thermũ potius quam alium quempiam sibi socium adiungi? Nam dum ipse anno suo fieret, quis secum fieret, non laborabat. Postremo verbum illud *Accuderim*, contentionem potius quandam in petendo honore, quam coniunctionem in gerendo significat. Hoc dicere videtur. Nõ libenter cum Thermo concurrerim, quasique açerauerim: ne ille forte sit firmior. Si enim cicer & lupinum in eodem mortario cudãtur ac tunduntur periculum fieri videtur, vtrum sit firmius. Eodemque modo, si duo iisdem comitiis petant, explorari videtur, vter sit firmior. Nunc dicam & quomodo in Cicerone legendum putem, & cur putem. Primum igitur ordo duarum vocum *Sane Facile* non idem est in omnibus libris. In plærisque enim est, *Facile sane*. Deinde vocem *Consul*, fatetur ipsemet integram in codice Tornesiano non legi, sed abesse ab eo duas vltimas literas Ego autem hoc amplius dico a plærisque vetustis libris tres vltimas literas abesse: & *Con* tantum legi. Vnde fit, vt, prima litera mutata, legendum arbitrer, *Non*. Quare totum locum hoc modo, & lego, & interpretor. *Nostris rationibus maxime conducere videtur, Thermum fieri cum Cæsare*: tunc enim mihi verendum non erit, ne cum eo petere necesse habeam: quod mihi difficile ac molestum foret. *Nemo est enim ex iis, qui nunc petunt, qui si in nostrũ annum reciderit*, (recidet autem si videlicet, qui hoc anno repulsam ferent) *Firmior candidatus fore videatur*. ita vt verendum sit, ne deiiciat eos, qui secum in petitionẽ concurrent. *Propterea quod curator est viæ Flaminiæ, quæ tum erat absoluta facile*. *Via* autem *Flaminia* in Vrbem ex Gallia venitur: & Gallia plurimum in comitiis potest. Quare homines ex Gallia venientes ad comitia, qui prius cum luto & salebris in via Flaminia luctari solebant, iis difficultatibus expediti, libenter eum qui illam muniuit, suffragiis suis adiuvabunt. ideoque *Sane tum libens Thermum Cudrinon accuderim*. id est, non libens cum eo contenderim ac concurrerim in Consulatus petitione. Hanc enim interpretationem probauit vir summa dignitate præditus Paulus Foxius, Archiepiscopus Tolosanus, qui nunc Regius in vrbe Legatus est, cuius iudicium, & auctoritas, quæ apud summos Principes in maximi momenti negotiis merito plurimum valet, non minus apud homines eruditos, propter multiplicem ipsius & exquisitam in omni genere laudandarum artium doctrinæ copiam, valere debet.

Sacrum pro populi salute in domo Consulis, fiebat quotannis, idque Atheniensium exemplo.

CAPVT XI.

Occultum quoddam sacrum antiquitus in Consulis domo quotannis ab ipsius Consulis vxore, pro salute populi, vnde

& *Damium* vocabatur, fieri solitum, in quod maribus ingredi ; liceret, omnes sciunt: cuius etiam violati tam sæpe Cicero Clodium accusat. Sed eius sacri originem Græcam esse, fortassis non æque multi sciunt. Monebo igitur, Athenis quoque in consuetudine positum fuisse, vt quotannis in domo eius, qui eo anno rex esset, eiusdem generis sacrum quoddam fieret ab vxore regis. In hac autem vrbe Consules ipsi quoque quasi annui quidam reges erant. Hoc quod dixi de Atheniensibus, si quis, vnde sit, quærat, reperiet apud Demosthenem in oratione aduersus Neæram.

Cicero accusationum in Verrem libro 1. emendatus, & contra eruditi sententiam interpretis explicatus.

CAPVT XII.

APud Ciceronem libro primo accusationis in Verrem, id est, eo, qui male vulgo numeratur tertius, haud longe a principio ita legitur. *Accessi enim ad inuidiam iudiciorum leuandam, vituperationemque tollendam: vt cum hæc res pro voluntate populi R. esset iudicata, aliqua ex parte, mea diligentia constituta auctoritas iudiciorum videretur. postremo, vt esset hoc iudicatum, vt finis aliquando iudiciariæ controuersiæ constitueretur.* Eum locum vir eruditus, cuius exstant Commentarii in primam partem orationum Ciceronis, aperte corruptum esse dicit: & postquam in omnem partem diu multumque versauit, postremo ita emendandum esse iudicauit. *Accessi enim ad inuidiam iudiciorum leuandam, vituperationemque tollendam: & cum hæc res pro voluntate populi R. esset iudicata, vt finis aliquando iudiciariæ controuersiæ constitueretur: postremo vt cum esset hoc iudicatum, aliqua ex parte, mea diligentia, constituta auctoritas iudiciorum videretur.* Quam ipsius, ne grauiore verbo vtar, minime necessariam mutationem, quidā secutus est, qui, vt quidque deterrimum erat, ita id facillime amplectebatur. Nihil autem opus fuit illa tanta ordinis inuersione. Nam si vbi est, *Vt esset hoc iudicatum*, pro *vt* legas *vtut*, locus integer futurus esset. Hoc enim dicit Cicero, si de Verre ex voluntate populi R. iudicatum fuerit, iudiciorum auctoritatem aliqua ex parte constitutū iri: quæ tum fluctuabat, propterea quod multa iudicia aperte pecunia corrumpebantur: & postremo, (vtut de Verre iudicatum sit) fore, vt finis iudiciariæ controuersiæ constituatur: siue enim damnetur, penes ordinem senatorium mansura iudicia: siue absoluatur, neminem honeste recusaturū, quo minus ad Equites transferantur. Quæ autem adferuntur ad illius mutationis necessitatem ostendendam piget refutare: ita leuia & nugatoria sunt.

Ciceronis in Verrinis locum e Græco scriptore desumtum videri.

CAPVT XIII.

PVlcerrime dixit Cicero in priore actione in Verrem arbitrari se, nisi iudicia repetundarum seuerius exercerentur, fore, vti nationes exteræ legatos ad populum R. mitterent, vt lex de pecuniis repetundis iudiciumq; tolleretur. *Si enim*, inquit, *iudicia nulla sint; tantum vnumquemq; ablaturum putant, quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitretur. Nunc quod eiusmodi iudicia sint, tantum vnumquemq; auferre, quantum sibi, patronis, aduocatis, prætoribus, iudicibus satis futurum sit.* Id autem etsi Ciceroni ipsi per se facile in mentem venire potuit: non arbitror tamē longe a vero aberraturum, si quis putet haustum esse e Demosthene, si modo eius est oratio aduersus Theocrinum, quod ego quidem nō puto. Sed eam orationem quicunque scripsit, ait eos qui accusandi prouinciam suscipiunt, deinde autem pecunia corrupti, institutam accusationem deserunt, vehementer nocere reipublicæ. Improbos enim homines qui alioqui tantum raperent, quantum sibi satis futurum esset, tanto plus rapere, cum intelligant, eius quod rapuerint, partem aliquam accusatoribus dandam. Verba diserti & copiosi oratoris, siue ille Demosthenes siue Dinarchus est, hæc sunt: *εἰδότες γὰρ οἱ βουλόμενοι κακόν τι πράττειν, ὅτι τούτοις ἐστὶν ἀπὸ τῶν λημμάτων τὸ μέρος δοτέον, ἐξ ἀνάγκης μείζω πειρῶνται παρὰ τῶν ἄλλων ἁρπάζειν, ἵνα μὴ μόνον αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ τούτοις [illegible] ἐξαρκεῖν.*

T. Liuius locos aliquot e M. Tullio expressit.

CAPVT XIV.

IMitatur interdum Ciceronem Liuius: & quidem ita manifesto, vt quilibet etiam mediocriter in Cicerone versatus, id perspicere facile possit. Sed tamen id plerunque tectius & occultius facit. Illius autem prioris generis exemplum luculentum est libro quadragesimo, vbi Perseus apud patrem queritur de insidiis, quibus vita ipsius a fratre Demetrio petebatur. Ciceronis hæc sunt e tertio libro Catilinariarum: *Ego sum ille consul P.C. cui non forum, in quo omnis æquitas continetur, nō campus consularibus auspiciis consecratus, non curia, summum auxilium omnium gentium, non domus, commune perfugium, non lectus ad quietem datus, non denique hæc sedes honoris, sella curulis, vnquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit.* Persei autem hæc. *Cui non sollemne lustrale exercitus mei, non decursus militum, non domus, non epulæ, non nox ad quietem data naturæ beneficio mortalibus, tuta est.* Quoniā autem eiusmodi locorum collationes, mihi olim adolescentulo, non voluptati modo, sed & vtilitati fuerunt: puto fieri posse, vt & aliis non displiceant. Qua spe fretus, alterum item subiiciam. Cicero in Diuinatione, cum Siculos a Verre quodammodo atheos factos esse diceret (ita enim certe vocari poterant, qui prope iam nullos amplius deos haberent) hoc ipsos ita querentes facit, *Sese iam ne deos quidem in suis vrbibus, ad quos confugerent,*

habere: quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset. Hoc ita imitantur legati Ambraciensiū de M. Fuluio conquerentes apud Liuium libr 38. *Templa tota vrbe spoliata ornamentis: simulacra deum, deos imo ipsos conuulsos ex sedibus suis ablatos esse: parietes postesq; nudatos. quos adorent, ad quos precentur & supplicent Ambracienses, non superesse.*

Eiusdem Liuii locus castigatus.

CAPVT XV.

VT sana & integra videntur sæpenumero in optimis quibusque scriptoribus, quæ vitiosa sunt, & ὕπουλα: ita non raro fit, vt quæ non intelliguntur, cum omni vitio careant, vitiosa tamen & corrupta videantur. Periculosum autem negotium sanis medicinam facere: multaque hoc modo a parum cautis corrumpuntur, specie corrigendi. Quale est quod nunc proferam ex libro Liuii 26. Vbi P. Scipio, capta Carthagine, cum virtutem militum collaudasset, addidit. *Quanquam omnibus omnia deberet, præcipuum tamen muralis coronæ decus eius esse, qui primus muros ascendisset. profiteretur, qui se dignum eo duceret dono.* Quæ verba vir eruditus, cum putaret vitii aliquid continere, ita scripsit in scholiis ad Liuium suis. *Mendum subesse puto in voce, Ascendisset, & legendū, Ascendisse se profiteretur. Nam subdit, Duo professi sunt.* Atqui, o bone, non eius voluerat esse eum honorem Scipio, qui primum ascendisse se diceret: hoc enim nemo erat in exercitu, quin posset, si satis erat ipsum dicere: sed eius qui primus ascendisset. Iubebat igitur profiteri eum, qui se dignum eo duceret dono: vt vere id, an falso profiteretur, militum testimonio planum fieret. Itaque veterem & receptam scripturam retinere satius fuit. Verum vbi plura nitent, non est quod quenquam paucæ offendant maculæ, *quas aut incuria fudit, Aut humana parum cauit natura.*

Condemnandi, & Iudicandi verbum, Græcorum more, in accusationibus etiam a Latinis adhiberi. Aduertere, quid sit. Liuius iterum purgatus.

CAPVT XVI.

COndemnandi verbum non de iudice modo, sed & de accusatore, qui reum peregit, dici, nemo est, opinor, quin sciat: idq; & post ab aliis, & iampridem ab eruditissimo Budęo notatum est. Sed *iudicare* quoque dici, non eum modo qui pronunciat, & sententiam fert, verum eum quoque qui accusat, & diem alicui dicit, id non ita vulgo notum esse arbitror. Indicabo igitur locum Liuii ex eodem libro 26. vbi *iudicare* dicitur accusator. Verba Liuii sunt, Tum Sempronius perduellionis se iudicare Cn. Fuluio dixit: diemq; comitiis ab C. Calpurnio prætore vrbano petit. Vtuntur auté & Græci, eodem sensu, verbo κρίνειν. Lycurgus in oratione

tione aduersus Leocratē εἰ μὴ εἰσηγγέλθαι λιποταξίου δίκας, καὶ κρίσιν προδεδωκότα αὐτὸν, καὶ τοὺς νεὼς καὶ τὰ ἕδη, καὶ τὰ τεμένη. Sed & paulo post, κρίσιν, accusationem vocat. Addam quasi porismatis loco, pauca quædam ex eodem libro Liuii, quæ melius in vetere libro meo, quā in vulgatis leguntur. *Multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte cieri solet, edidit clamorem, vt auerteret etiam pugnantium animos.* Legendum *Aduerteret.* & eo modo sæpe *aduertendi* verbo vtitur Tacitus. Mox: *Si Aetoli pacem cum Philippo facerent, fœderi adscriberent, ita ratam eorum pacem.* Melius in mea *Ita ratam fore pacem.* Hæc vt leuia esse fateor, præstat tamen emendare quam deprauare legi.

Liuius rursum emendatus locis aliquot e vetere libro.

CAPVT XVII.

Liuii verba hæc sunt ex ipso principio libri 21. *In parte operis mei licet mihi præfari quod in principio summæ totius professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime memorabile omniū quæ vnquam gesta sint, me scripturum.* Vbi an alios quoque scriptores intelligat, nescio: Thucydidem certe intelligit, qui principio operis sui, ait se sperare bellum id, quod scribere ingreditur, μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων. Et quod noster caussas affert, cur tale fuerit, ille quoque alter exponit, cur tale fore opinetur. Quod autem ait adeo variam belli fortunam, ancipitemque Martem fuisse, *vt propius periculo fuerint, qui vicere:* id Silius prope ad verbum in poema suum transtulit.

——— propiusque fuere periclo
Queis superare datum ———

Sed in meo vetere Liuio legitur, *Vt propius periculum fuerint.* idque fortasse rectum est. Liuius quidem sæpe hac constructione vtitur: vt libro 4, *Propius est fidem.* Et libro 25 *propiusque inopiam erant obsidentes, quam obsessi.* Et libro 28. *Vt propius fastidium esset sim, quam desiderium.* Et lib. 35. *Maior gloria Scipionis: & quo maior, eo propior inuidiam.* Et libro 44 *propiorque gladiatorium armorū vsum.* Notum est & alios primæ classis scriptores sæpenumero ita loqui. Talia enim sunt illa Ciceronis: *Proxime Pompeium sedebā.* &, *Proxime deos accessit Clodius.* Et illud Sallustii: *In dextro latere, quod proximum hostes erat.* Vbi tamen vulgo, aduersus veterum librorum fidem, legitur, *Proximum hostibus.* Sed apud Sallustium quidem huius generis exemplorum copia est. Quod autem paulo post in Liuio ita legitur, *Vt appareret omnibus, maius eum, quā quod gereret, agitare in animo bellum:* vox *omnibus* in eodem vetere libro non apparet. Quod *pueritiam Hannibalis* dicit: necesse est, Hannibalem, moriente patre, non minorem octodecim annis fuisse: vt merito credi possit calumniam esse, quod de ipsius impudicitia traditur. *Barchina* autem factioni libenter spiritum

cessaxerim, *Bareinamque* vocauerim, a *Barca*, quod *Amilcari* cognomen fuit. Sed & vbi vulgo *Auspicus Regulorum* legitur, sine controuersia melius est in veteribus, *Aucupsis*: vt intelligamus eum regulorum amicitias aucupari solitum esse. Elegantissima autem Hannibalis descriptio, olet aliquid ex descriptione Catilinæ Sallustiana. Hanc quidem Liuianam Silius carmine percleganter expressit. Hoc tamen, quod de Hannibale dixit Liuius, cum *princeps in prœlium ibat, vltimum conserto prœlio excedere solitũ*, Silius ad Taygum accommodauit, cui hoc tribuit, quod faceret,

Primus inire manu, postremus ponere bellum.

De Horatio Coclite Senecæ narratio, ab aliis prætermissa.

CAPVT XVIII.

Obseruatione dignũ arbitror, quod cum P. Horatius Cocles in ponte Sublicio solus impetum hostium excepisset, rescissoque ponte incolumis tranasset ad suos, gratus erga tantam virtutem populus Romanus fuit: & præter statuam ahæneam in Comitio positam, tantum ei agri, quantum uno die circumarasset, dedit: cum in modicis opibus necesse esset, modica esse magnarum virtutum præmia. Sed illud quoque memoratu dignum est, eum illud ipsum quantulumcunque præmium accipere noluisse: non quod aspernaretur, vt paruum: sed quod inutilem reip. ciuem esse duceret, qui ob operam publice nauatam opulentior esse aliis ciuibus vellet: ac non potius in ipsa recte facti conscientia, & in caritate ac beneuolentia ciuium suorũ satis sibi magnum præmium poneret. Hoc tamen neq; a Liuio, neque a Dionysio, neq; a Plutarcho ponitur: quin potius ii omnes ita loquuntur, vt ab eo acceptum fuisse præmium significent. Seneca tamen, alios videlicet auctores secutus, aliter narrat: cuius verba subiiciam e capite septimo, libri septimi de Beneficiis. *Illam alterã possessionem agnoscet: hanc nolet habere, etsi poterit. emittetq; illam vocem, quã Romanus imperator emisit, cũ illi ob virtutem & bene gestam remp. tantum agri decerneretur, quantum arando vno die circuire posset. Non est, inquit, vobis eo opus ciue, cui plus opus sit, quam vni ciui.* Hæc Seneca: qui quanquam Coclitem non nominat, & eum de quo loquitur, quod in Coclite mirum videri potest, Romanum imperatorem vocat, *Coclitem* tamen intelligere videtur. Sed & in veterum Galliæ regum Annalibus egregia facta perexiguis olim præmiis decorata legimus: non quod minoris fieret virtus: sed quod auidiores tunc homines gloriæ, minus auidi pecuniæ forent: gloriamq; suam contaminari ac pollui crederent, si quod aliud præmium acciperent, nisi tam leue: vt appareret eos non id quæsisse. Sic antiquis temporibus victores sacrorum certaminũ, non auro ac gemmis nitentem, sed pineam aut oleaginam coro-

nam

nam ferebant: quæ virtutis non præmium, sed indicium esset. Nostra ætas virtutem gratis colere desiit: versaque vice, exigua hodie lenonibus præmia videntur, quæ olim exercituum ductoribus nimis magna visa essent.

Adire manum alicui. Plautus locis aliquot explicatus.

CAPVT XIX.

VT alia permulta prouerbia male interpretatus erat is, qui tot eorum millia congesserat, ita hoc quoque, quo sæpe vtitur Plautus, cum *aditam manum* dicit ei, qui, cũ iam sibi quippiam accepturus videretur, postea frustra habitus ac delusus est. Idq; eo mirabilius est, quod diligẽter sub vno aspectu posuit, eos, vt opinor, omnes locos, in quibus eo prouerbio vsus erat Plautus: quæ vel vna res potuit eum ad veram illius intelligentiam manu ducere. Sed hoc condonari fortasse facile potest homini cetera polyhistori, & magis interdum laboranti vt multa scriberet, quã vt accurate scriberet. Is igitur eo inter cetera lapsus est, quod putauit legendum esse, *addere manum*, non *adire manum*. Cum vel vnus locus, quem ipse quoque citat, ex Pœnulo, facile eum admonere potuerit erroris sui.

Quo pacto pulcre auaræ Veneri adii manum.

Fallitur etiam in eo, quod putat Prouerbium ductum ab iis, qui in aliis irridendis, manu ad aurem admota, imitantur auriculas Asini. Cum enim constet, dici debere, *adire manum*, non *addere*: nemo non videt, eam, quam ille ratus est, Prouerbii originem esse non posse. Sed longe deterius nouus Plautinus interpres, qui ne vidit quidem, quid Prouerbio indicaretur. Cum enim venisset ad illum versum ex Aulularia,

Ita illis impuris omnibus adii manum.

his verbis eum interpretatus est. *Ita cum illis sceleratis congressus sum, & ita ab illis discessi scilicet, vel ita illos impure tractaui. Quid sit Adire manum alicui, ex aliis exemplis cognoscere licebit. Sic igitur idem Plautus in Casina.*

Quid nunc? satis lepide adita est vobis manus mea?

id est, Quid nunc? Satis ne lepide tractati a nobis estis? Idem in Pœnulo.

Eo pacto auaræ Veneri pulcre adii manum.

id est, Eo pacto auaram Venerem pulcre tentaui.

Οὕτω τῇ φιλαργύρῳ ἀφροδίτῃ καλῶς ὡμίλησα.

Οὕτω τῇ φιλαργύρῳ ἀφροδίτῃ καλῶς ἐχρησάμην.

Idem in Persa.

Vt me in tricas coniecisti? quomodo de Persa manus mihi addita est?

Quidam existimant, adire manum, esse supplicare apud Plautum. Sed hæc interpretatio non bene procedit in omnibus locis. Hactenus

ille. In quo præter cetera hoc miror, quod illam interpretationem, quam secundo loco ponit, dicat non bene procedere in omnibus locis. Videtur enim significare, eam alicubi saltem ferri posse, sed non semper. Ego autem dico, quocunque eam loco adhibueris, semper insulsam & ineptam fore. Sed neque quidquam excogitari potest, cur *adire manum alicui* sit χρῆσθαί τινι, aut ὁμιλῆσαί τινι. Quærendum igitur aliquid melius. Et mihi quidem ita videtur: *adire manum alicui*, dici eum, qui quod illi, tanquam in manum traditurus ostentet: cumque ille manum ad id capiendũ porrexerit, suam ipse manum retro trahat, eumque inanem atq; hiantem destituat. Nunc videamus, ecquid illa interpretatio in omnes Plauti locos conueniat. In Aulularia hoc dicit Euclio: Veneram in macellum, & multa licitatus eram: ita vt piscatores & lanii lucri se aliquid ex me corrasuros esse sperarent. At ego nihil emi: & sic eis adii manum. In Casina Cleostrata ita insultat & villico, & seni. Quid nunc? an non lapide ludibrio habiti estis, idque merito vestro, cum inhiaretis Casinam, eamque iam a vobis teneri putaretis? At ille noster eo quoque in loco. *Adire*, inquit, *manum alicui, proprie est, ad eum accedere, cum eo congredi & colloqui, cum eo agere.* Tacere præstabat, quam hæc tam aliena dicere. In Pœnulo autem leno. Venus, inquit, vt auara est, plures assidue a me hostias exspectabat: ideoque litare me nolebat. at ego ne prosecari quidem exta volui: eamque hiantem reliqui: & sic ei adii manum. In Persa itidem leno. Quomodo, cum ex illo assimulato Persa magnum lucrum sperarem, tu dolis tuis me in magnum infortunium coniecisti? Hæc, nisi valde fallor, multo accommodatiora sunt ad Plauti locos, quam quæ illi commenti sunt. Sed de hoc alii iudicabunt.

Cicero in Maniliana emendatus & illustratus.

CAPVT XX.

Vitiosus vt mea fert opinio, locus hic est e principio orationis pro lege Manilia. *Nunc cum & auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandum esse voluistis*, & quæ sequuntur. Cur adducar, vt ita existimem, hæc caussa est. *Mandare honores*, recte & vsitate dicitur: *mandare auctoritatem honoribus*, neque quisquam dixit, neque qui dicat, pro sano loquatur. Et tamen necesse est, hoc admittamus, si vulgatam scripturam retineamus. Non dubito igitur, quin legendum sit, *Quantum vos honoribus mandandis esse voluistis.* Auctoritatis enim tantum in se esse dicit, quantum populus esse voluit, cum ei honores illos mandauit, quibus auctoritas illa parta ac comparata erat. Nam illud quoque, *voluistis esse mandandum*, illepide & ineleganter diceretur. Erit igitur simile illi, quod est sub principium orationis pro Balbo: *Auctoritatis tanta, quantam vos in me esse voluistis.* Paulo post autem, vbi de Pompeii laudibus dicere ingreditur,

tur, *Huius*, inquit, *orationis difficilius est exitum quam principium inuenire.* quæ ſententia ſemper mihi viſa eſt efficta ex Lyſia: qui principio eius orationis, quam habuit aduerſus Eratoſthenē, qui vnus e triginta tyrannis fuerat, ita ſcribit. *οὐκ ἄρξασθαί μοι δοκεῖ ἄπορον εἶναι, ὦ ἄνδρες δικασταί, τῆς κατηγορίας, ἀλλὰ παύσασθαι λέγοντι.*

Xenophontis locum in Cyri Pædia imitatus Salluſtius.

CAPVT XXI.

Vtiliſſimum præceptum eſt adoleſcentibus, qui exercere ſe cum æqualibus ſuis volunt ad facultatem aliquam firmius comparandam, ne eos potiſſimum deligant, quibus ſe ſuperiores eſſe cognoſcunt. ſed quo quiſque maxime excellit, eo illum potiſſime prouocent: lucta, ſaltu, curſu, cum eis contendant, qui horum quodque optime facere putentur. Illud enim, oſtentare ſe cupientium eſt: hoc eorum, qui progredi quotidie longius, & ſemetipſis meliores fieri ſtudeant. Itaque Cyrus, vt eſt apud Xenophontem, cum inter Medos iam paulo grandior educaretur, non iis quæ apud Perſas didicerat, ſed iis quæ melius in Media diſcerentur, Medorum pueros prouocabat. Neque recuſabat, quo minus ad tempus ab eis vinceretur, eiſque ridiculo eſſet, dum eo paulatim perueniret, vt iis ipſis illos artibus quibus pollebant, aut adæquaret, aut etiam anteiret. Qua de re verba Xenophontis hæc ſunt. *Καὶ γὰρ ἅτε διαγωνιζόμενοι πολλάκις ἥλικες πρὸς ἀλλήλους, οὐχ ἃ κρείσσων ᾔδει ὢν ταῦτα προὐκαλεῖτο τοὺς ξυνόντας, ἀλλ' ἅπερ εὖ ᾔδει ἑαυτὸν ἥττονα ὄντα, ταῦτα ἐξῆρχε, φάσκων κάλλιον αὐτῶν ποιήσειν.* Hunc autem Xenophontis locum imitatus, vt videtur, erat Salluſtius in ornando celebrandoq; Pompeio quod e Vegetio cognouimus, cuius hæc ſunt e libro primo de re militari. *De exercitio Pompeii Magni Salluſtius hoc memorat. Cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat.* Hoc Salluſtianum prætermiſſum eſt ab iis qui fragmenta Salluſtii collegerunt. vt & hoc ex libro ſecundo hiſtoriarum, quod apud Agellium extat. *Sardinia in Africo mari, facie veſtigii humani, in orientem, quam in occidentem, latior prominet.*

Salluſtii in Catilinario locum e Sophocle expreſſum videri.

CAPVT XXII.

Qvod ait C. Cæſar apud Salluſtium in oratione, qua diſſuadet, ne coniurationis deprehenſi interficiantur, *in luctu atq; miſeriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum, eſſe*: idem prope dicit apud Sophoclem Antigona his verſibus

Ὅστις γὰρ ἐν πολλοῖσιν ὡς ἐγὼ κακοῖς
Ζῇ, πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει;

Vt forتassis illinc hausisse vel Cæsar, vel Sallustius videri queat. Recte ego Sophoclis versus ita Latine reddidi.

Nam quisquis, vt ego, in plurimis viuit malis,
Quid ni ille mortem esse in lucro putet sibi?

M. ANTONII MVRETI IVRISCONSVLTI ET CIVIS ROMANI

Obseruationum Iuris liber singularis.

Defuncto reo, soluta que pœna, quæ ad heredes non pertinet, quis de re pecuniaria iudex cognoscere debeat. Emendata in eam rem L. Defuncto eo. D. de pub. iud.

CAPVT I.

NOtum est quædam esse crimina, ob quę, pręter eam pœnam, quæ nisi ab ipso reo exigi non potest, cuiusmodi est relegatio, deportatio, damnatio in metallum, & similes: eripitur etiam conuicto & condemnato pecunia scelere parta: quam, eo mortuo, etiam heredes exigi solent, exempli caussa in crimine repetundarum non tantum infamia, exilium, pœna capitalis interdum reo irrogatur, sed & pecunia aufertur, quæ expilatis prouincialibus reddatur. illam igitur pœnam certum est perimi, defuncto reo, l. 3. D. de publ. iudic. quam enim pœnam exigas ab eo qui iam mortuus est? præter pauca quædam crimina, in quibus & accusatio mortuo iam reo institui potest, & a mortuo quantum natura patitur, exigitur pœna, vt cum cineres, & ossa eruuntur, ac proiiciuntur in mare, cum cadauer ipsum suspenditur, cum memoria damnatur, statuæ deiiciuntur, nomen e fastis eraditur, sed pecunia, accusato in reatu mortuo, exigi etiam ab heredibus solet. Quæritur ergo defuncto reo, exstinctaque ea pœna, quæ ad heredem deuenire nullo modo potest, apud quem iudicem de re pecuniaria agi debeat. Et vulgo putant, non apud eum qui cognoscere instituerat de crimine, sed apud eum cuius de caussis pecuniariis notio est, idque probari censent, l. defuncto eo. D. de publ. iudic quam etiam Græci eo modo interpretantur, sed mihi plane contra videtur. Constat enim, ab iisdem antiquitus æstimatam litem, qui de repetundarum crimine cognouerant. & vero quis, quanti sit æstimanda lis, cognoscere melius possit, quam is ipse qui totum crimen cognouit? Imo vero eam ipsam legem *Defuncto eo*, puto id dicere, si emendate legatur. Nam quomodo nűc legitur

gitur, nullam videtur idoneam sententiam continere. Censeo igitur legendum hoc modo. *Defuncto eo, qui reus fuit criminis & pœna extincta, quicumque in caussa criminis extincti debuit cognoscere, eum de pecuniaria re cognitio est.* Pro *in quacumque*, Lego, *quicumque in*, Pro *debet in*, lego *debuit*. Vbi legitur *Curiae*, lego *eum*. quæ mutationes neque contortæ ac violétæ sunt, & ad veram sententiam eliciendam necessariæ videntur.

Seruum nec relegari nec deportari: Emendata in eam rem lex.

CAPVT II.

QVemadmodum *exilii* nomen in libris nostris sæpenumero mitius accipitur, & relegationem tantum significat: vt quoties exilium temporarium dicunt: non enim si proprie loqui velimus, potest quisquam ad tempus exulare, neque omnino ad tempus capite minui: sic & nomen relegationis aliquando durius ac grauius accipiendum est: ita vt deportationem significet. Et ita intelligi debet in l. *Hos accusare.* §. *omnibus autem.* D. de accus. & inscript. quod & Accursius notauit. Alioqui ne ea quidem relegatio quæ in perpetuum est, inter capitales pœnas numeratur l. *Capitalium.* D. de pœnis. Quare inepto ad id quod agebatur exemplo iurisconsultus vsus esset. Deportatio igitur capitalis quidem pœna est, sed in seruos non conuenit. Nam quomodo eum capite minues, qui caput non habet? aut quomodo bona, ciuitatem, libertatem adimas ei, qui neque quicquam habet in bonis, neque ciuis, neque liber est? nihilo secius ne *relegatio* quidem proprie dicta seruile esse suppliciũ potest. Duriora enim & acerbiora supplicia in seruos constitui solent: non molliora, cuiusmodi relegatio est. Et cum relegatus retineat ciuitatem, potestatem patriam, bona, testamenti factionem; quis non videt hæc in seruum conuenire non posse? Quod etiam, si fingamus seruum relegari posse, id est, alio amandari, & vrbe prouinciaue prohiberi, beneficium istud fuerit, non pœna amouere eum ab oculis domini, eique fugiendi necessitatem imponere, quod serui sæpius quam domini voluissent suapte sponte faciebant: & pœnæ ioco eum genere quodam libertatis donare. Itaque si cui seruili admisso proposita fuisset relegatio, nihil arbitror cupidius facturos fuisse omnes seruos, quam vt in eam pœnam quamprimum inciderent. Neque opus fuisset accusatore, ipsi se vltro detulissent, atque indicassent, vehementerq; recusassent, si quis ipsos defendere, & tam optãdam condemnationẽ impedire voluisset. Aduersari tamen videtur huic sententiæ l. 2 D. Qui & a quib man. lib. non fiant. vbi ita legimus: *Seruo competere libertas non potest, si relegatus moratus sit in vrbe.* Quid enim apertius, quam ibi relegati serui mentionem fieri? Obstat & Lex 2. C. de sepul. violato. Cuius hæc verba sunt. *Si seruus in*

demoliendis sepulcris fuerit deprehensus: si id sine domini scientia faciat metallo abdicatur. Sin vero domini auctoritate vel iussione vrgetur, relegatione plectatur. Ad nodum hunc soluendum Accursius ea comminiscitur, quorum vel meminisse pigeat. Ego ad l. 2. Qui & a quibus, ita respondeo. Relegatis dies plærumque aliquot ad componendas res suas dabantur, præscribebaturque iis certus dies intra quem excedere deberent, quod si per contumaciam diutius mansissent, neque sententiæ paruissent, relegatio in deportationem mutabatur. l. 4 D. de pœnis. Deportatorũ autem bona fisco, vt notum est, applicabantur. Hoc igitur dicit Iurisconsultus, si quis relegatus, in vrbe per contumaciam moratus sit, ac deinde seruo suo libertatem dederit, eam dationem non valere neq; competere libertatem seruo, qui iam vna cum ceteris bonis fiscalis effectus est. Deportatus enim manumittere non potest L. 2. de interd & releg. & deport. Sed & ad illam constitutionem de sepulcro violato æque facilis responsio est. Non enim legendum est *si seruus*, vt vulgo, sed, *si quis*, vt in codice Theodosiano. Quod si quis dicat hac mutatione nihil effici: cum domini mentio quæ statim sequitur, aperte ostendat de seruo agi: respondeo, non eius qui sepulcrum demolitus est, dominum, sed dominum sepulcri accipi debere. Neque me mouet, quod Græci hoc aliter interpretantur: quos ipsos sæpe labi, & magno iudicio adhibito legendos scio. Hæc ego non tanti esse duxissem vt in hos libros referrem, nisi etiam Brissonium in libro singulari de adulteriis ad hũc scopulum impegisse vidissem.

Emendatur rescriptum M. Antonini, & L. Veri. In L. 1. D. de quæstionib. Accursii error.

CAPVT III.

IN L. 1. D De quæstionibus, vulgo ita legitur. *Diui fratres Laliano Langino rescripserunt de seruo heredum; non esse habendam quæstionem in res hereditarias: quamuis suspectum fuisset, quod imaginaria venditione dominium in eo quæsiuisse heres videretur.* Vbi Accursius comminiscitur, seruum illum ex alia caussa, quam hereditaria, heredum communem fuisse & venditionem exponit emtionem: quorum quidem mihi nihil probari potest. Neque dubito, quin locus corruptus sit, a quo, non dico, fortassis enim antiquior error est, quam vt librariis tribui debeat. Sed moueor primum, quod cum seruum heredum dixerit, mox vnius tantum heredis mentionem faciat. Deinde, quod in hunc aut in illum torqueri seruos quid sit, scio: at seruum torqueri in res hereditarias quid sit, plane non video. Nam si hoc quæreretur, vtrum, iacente adhuc hereditate, & mota aliqua controuersia super rebus hereditariis, seruus hereditarius ea de caussa in quemlibet eorum, qui instituti sunt heredes torqueri posset: sine vlla dubitatione responderem posse torqueri. l. Hoc quod placet. C. eodem tit. Neq; enim videre-

videretur torqueri in caput domini: Cum heres ante aditam hereditatē heres non sit. l. 2. D. eod. tit. l. liber homo. D. ad l. Aquil. Adde quod genus hoc loquendi, *suspectum fuisset quod videretur*, homini Latinæ linguæ intelligenti, non suspectum esse non potest. Venditionem denique pro emtione qui accipiat, etiam album pro nigro, accepturus videtur. Neque sum nescius, vbi venditio est necessario esse emtionem, & contra, esseque vnum & eundem cōtractum emtionis & venditionis, sed certe aliud est emere, & aliud vendere. Ne plura: multa hic esse, quæ emendatione indigeant, arbitror: & totum hunc locum ita legendum censeo. *Diui fratres Lælianо Longino rescripserunt de seruo hered. tacite non esse habendam quæstionem in emtorem hereditatis, quamuis suspectum quod imaginaria venditione dominium in eo quæsisse videretur.* Spero hanc mutationem eruditis & intelligentibus probatum iri; de ceteris non laboro.

Demonstratur incogitantia eorum qui libros pandectarum concinnarunt.

CAPVT IV.

MVlta insignia vestigia impressa sunt in libris pandectarum, eius incogitantiæ, qua vsi sunt ii quibus eos Iustinianus concinnandos mandauerat: & reperiuntur tamen, qui eos pertinaciter defendant, qualisque non ipsi modo cæci sint, sed & alios quoque eruere oculos velint, contendunt, nihil in eis libris repugnās, nihil frustra repetitum posse reperiri. Sed vtriusque generis tam multa notata sunt ab hominibus eruditissimis, vt non modo stulti, verum etiam impudentis iam sit, vlterius in illa iampridem labefactata & profligata opinione velle persistere. Ac quoniam eo plærumque decurrunt, cum idem sine caussa sæpius iudicatum ostenditur, vt dicant, vnam, eandemq; sententiam interdum ad diuersos iuris articulos pertinere, ideoque necessario sæpius repetendam fuisse: libet vnum eis obiicere, in quo certe hoc perfugio vti non queant. Nam si sub eodem titulo, eiusdem Iurisconsulti, eadem verba ex eodem libro sumta, bis posita esse ostēdas, valde duram frontem habeat oportet, si quis id quoque certo, & vero iudicio, non supina quadam negligentia factum esse contendat. Sub titulo igitur de re iudicata, legis sextæ principium hoc est. *Vlpianus libro sexagesimo sexto ad edictum. Miles qui sub armata militia stipendia meruit, condemnatus, eatenus qua facere potest, cogitur soluere.* Lex autem 18. sub eodem titulo hæc est, *Vlpianus libro LXVI. ad edictum. Miles qui sub armata militia stipendia meruit, condemnatus, eatenus, quatenus facere potest, cogitur soluere.* Concurrant hic omnes columnarii magistri, & capita inter se conferant, numquam, quamquam acuti sunt, vllam idoneam caussam, cur hæc tā exiguo interiecto spatio repetēda fuerint, cōminiscentur. Eodem modo peccatum est in l. si constant. §. si vir. & in l. quod

si vir. D. sol. matrim. simile quiddam meminisse videor notatum & ab Antonio Augustino, etsi id nunc reperire non possum. Nec non illud quoque magni stuporis indicium quod, quæ verba, sub tit. ad leg. Iul. de vi publica, ad finem. l. qui dolo malo, citauerant ex Vlpiano lib. LXVI. ad edictum eadem reperiunt sub illo titulo, qui proxime sequitur, & tribuunt Scæuolæ libro quarto regularum. Video tamen hoc posterius excusari aliquo modo posse.

Vnde ductum videatur dictum illud Vlpiani: Heri seruum, hodie liber.

CAPVT V.

FErendi non sunt, qui cum ab egestate ad pinguiorem fortunam repente peruenerunt, ita delicias faciunt, ac si a puero in magnis opibus educati forent. Cuiusmodi multos non semel vidimus, qui cum paucis ante diebus, panem cibarium & cæpas, cum sale, & allia in deliciis haberent, neque nisi festis diebus vinum, idque, aut acescens, aut mucidum, aut fugiens, biberent: confestim nullo suo merito diuites facti, omnia fastidiebant, ad omnia nauseabant: vt ego quidem videre mihi videor asinos, qui diu lapathis ac tribulis & verberibus pasti, repente immutati, coliculos parum duros, lactucas non satis teneras esse quererentur. Neq; vllos videas, qui sæpius in ore nobilitatem habeant, qui plebem, cuius ipsi nuper fæx erant, insolentius despiciant, qui magis indignentur, secum quemquam ex æquo loqui. Quia enim vt & vere, & vrbane scripsit Aristoteles, nondum didicerunt diuites esse, omnem diuitiarum, & illius subitæ nobilitatis fructum, in contumelia & superbiloquentia positum putant. Talium insolentiam cum coercendam ac comprimendam diceret Vlpianus in l. Prætor edixit. D. de iniuriis. *Neque enim ferre*, inquit, *debet Prætor heri seruum, hodie liberum, conquerentem, quod dominus ei conuicium dixerit, vel quod leuiter pulsauerit.* Vbi illud, *heri seruum, hodie liberum*, vrbanissime dictum est, & simile illi, quod Cicero in Philippicis citat, e vetere quopiam mimographo,

Modo egens, repente diues.

Vtrumque autem effictum videtur ex illo lepidissimi Poetæ Aristophanis:

Ὢ χθὲς μὲν ὢν πτωχὸς, νῦν δ' ὑπερπλουτῶν. [illegible]

Eodem respexit & Seneca declamator. lib. 3.

Cum prodiero repente diues: dicent omnes,
Quis est iste quem magna fortuna non decet?

Sed & hæc prope omnia, & aliquot eiusdem generis alia notauit doctissimus Cuiacius in nouellam VI. vt perparum afuerit, quin ego vbi primum id animaduerti, totum hoc caput deleuerim. Quia tamen iam pridem scripseram, perire nolui.

Gordiani rescriptum, vulgo male acceptum, explicatur.

CA-

CAPVT VI.

PEssime accipitur ab Accursio, & ab illa sordidorum Interpretum colluuie rescriptum Gordiani, quod legitur libro quinto Codicis suo tit. De pactis conuentis, tam super dote, quam super donatione ante nuptias, & paraphernio, in hæc verba: *Pactum dotale quo matrem conuenisse cum patre tuo proponis, vt si in matrimonio decessisset, tibi & fratribus tuis dos restitueretur, si stipulatio ex persona vestra, cum in potestate patris constituti non essetis, minus legitima intercessit: defuncta ea in matrimonio, actionem vobis quærere non potuit, sed si obligatione verborum, vtili intercedente, dotis petitionem habere potuisti, maxime si adhuc vinculis potestatis patriæ non attingeris, petitionem exsequi non prohiberis.* Fingunt enim dotem constante iam matrimonio datam; & eos filios, de quibus reddenda dote mater pacta dicitur, cum dos daretur iam emancipatos fuisse. Quę vtraque commenticia sunt & nugatoria. Si enim iam emancipati erant, cur illud in extremo ab Imperatore additur, *Maxime si adhuc vinculis potestatis patriæ non attingeris.* Nisi forte somniant, hunc, qui pridem emancipatus fuerat, postea casu aliquo recidisse in potestatem patris. Quod cum vix fieri posse constet: & absurdum sit talia comminisci: præstat veram facti speciem proponere, quæ omnem scrupulum eximat. Est autem hæc, Mulier cum ei nuptura esset, ex quo iam antea naturales liberos susceperat, in danda dote, pacta est, si in matrimonio decessisset, eam filiis communibus restitutum iri. Postea nupsit; atque eo modo liberi, qui prius in potestate patris non erant, in ea esse cœperunt. Moritur mater. Quæritur an filii actionem ad dotem repetendam aduersus patrem habeant? Et respondet Imperator, si minus intercesserit legitima stipulatio ex persona ipsorum, id est, nisi ipsimet stipulati sint a patre, dotem sibi eo casu restitutum iri: quod facere legitime poterant, cum in eius potestate non essent: ex materno pacto eos habituros non esse actionem. Sed si stipulatio ex parte ipsorum interposita est, maxime, id est, ita demum eos habere actionem aduersus patrem, si iam ex illius potestate exierint. Nam si adhuc in potestate sint, nemini dubiũ est, inter eos & patrem iudicium constare non posse. In eo igitur rescripto *si minus*, idem valet, quod, *nisi*, & *maxime*, idem quod, *vtique*: vt sæpe alias Neque reticendum est, vbi legitur *attingeris*, media litera detracta, legendum videri, *attineris*. Sic enim & apud Tacitum *vinculo seruitutis attinere*, & apud eundem *attinere custodia publica*.

Illudere, ludificari, ludibrio habere.

CAPVT VII.

ILludere, ludificari, ludibrio habere, sæpe apud antiquos turpitudinis & obscœnitatis significationem habent, vt apud Græcos ὑβρίζειν, ἐμπαίζειν, καταπαίζειν, Suetonius in Tiberio: *fœminarũ*

quoque, & quidem illustrium, capitibus quantopere solitus sit illudere. Tacitus, *tradunt plerique eorum temporum scriptores, crebris ante exitium diebus illusisse pueritiæ Britannici Neronem.* Sic in lib. Iudicum cap. 19. *Quod cernens homo, adduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam* καὶ ἔγνωσαν αὐτὴν, καὶ ἐνέπαιξαν αὐτῇ ὅλην τὴν νύκτα. Quod Latinus interpres modeste reddidit, tota nocte eos illa abusos fuisse, dicens. Terentius Eunucho. *Quæ nunc etiam insuper scelus postquam ludificatus est virginem.* Idem Hecyra.

> *Sed quam decrerim me non posse diutius*
> *Habere, eam ludibrio haberi Parmeno.*

Quem in locum Donatus. Honesto, inquit, verbo, & pleno pudoris vsus est, & noue pro vitiari. Ita hoc postremo vtuntur & iurisconsulti, vt Paulus in l. si quis seruum. D. de iniuriis. *Si quis, inquit, seruum meum, vel filium meum ludibrio habeat, licet consentientem, tamen ego iniuriam videor accipere.* Sed his verbis tum demum vtebantur, cum talia, non amoris caussa, sed contumeliæ faciebant. Nam quæ per amorem fiebant, mitius accipiebantur. Atque eo pertinet illa Terentiani adolescentis excusatio. Terent. Eunucho, act. 5.

> *vnum hoc scito non me contumeliæ*
> *Fecisse caussa, sed amoris.*

Emendatæ Institutiones Iustiniani.

CAPVT VIII.

IN Institutionibus Iustiniani, sub titulo de heredibus instituendis, ita legitur: *Est tamen casus, in quo nec cum libertate vtiliter seruus a domina heres instituitur, vt constitutione diuorum Seueri & Antonini cauetur. cuius hæc verba sunt. Seruum adulterio maculatum non iure testamento manumissum ante sententiam, ab ea muliere videri, quæ rea fuerat eiusdem criminis postulata, rationis est: Quare sequitur vt in eundem a domina collata heredis institutio, nullius momenti habeatur.* Eadem constitutio legitur in l. 48. D. de hered. instit. qua ex collatione discimus vocem *HEREDIS* redundare, quod & per se patere poterat: & in extremo legendum, *nihil momenti habeat.* quod cum librarius scripsisset per sigla, hoc modo. N. M. H. ita exposuerunt, *nullius momenti habeatur.* Sed Accursius ostendit se vnum Institutionum libro, in quo omnia ad verbum ita scripta essent, vt in Pandectis, nisi quod illic *accusatum*, legeret, non vt hic *maculatum.* Cetera ergo eodem modo vtrobique legenda sunt, sed hoc postremum dubitationis aliquid habet non tantum in verbis, verum etiam in sententia. Nam Accursius *maculatum* quidem legit: sed *accusatum*, interpretatur, neque dissimulat, esse alios libros in quibus legatur, *accusatum*, cuiusmodi ego quoque vnum habeo: &, ne dicam dolo, rectam ac veram esse eam scripturam puto. Eruditissimus tamen huius æui Iurisconsultus

illam

illam alteram tuetur fretus auctoritate Græcorum, qui ita interpretantur, ἐνοχον ὄντα τῇ μοιχείᾳ: & quod alioqui pugnaret hæc cõstitutio cum l. reos. C. ad legem Iuliam de adult. Sed mihi quidem mirum videtur, quomodo dici possit, manifesto teneri adulterii leratum pendente adhuc iudicio. An forte iam de flagitio ita constiterat, vt dubium non esset, quin mox damnandus foret, neque quicquam restabat aliud, nisi vt ferretur sententia? Imo vero euenire poterat, vt absolueretur: quo ipso casu non tamen cõualesceret institutio, quæ a principio inutilis fuisset. Nota est enim Catoniana regula. Quomodo autem absolui poterat, si iam flagitii compertus erat? nisi forte quomodo absolutus olim dicitur Clodius, cum Bonæ Deæ sacra violasset. Et tamen tum quoque res iudicata, pro veritate haberetur. At si legamus, Accusatum, dicat aliquis, certe pugnabit hæc constitutio cum l. reos. C ad l. Iul. de adult. Quomodo igitur efficiemus ne lex 48. D. de here. inst. cum eadem illa l. reus, manifesto pugnare dicatur? Sed verius est, nullam inter eas esse pugnam. Quamuis enim simul marem & fœminam eiusdem adulterii ab eodem reos fieri lex Iulia non sinit: a diuersis tamen eos eodem tempore postulari non vetat l. denunciatio. §. quæritur. D eodem tit. quare non dubito, quin, quomodo in pandectis legitur constitutio Seueri & Antonini, eodem plane modo; in institutionibus legenda sit.

Emendata lex. Prætor ait D de edendo.

CAPVT IX.

Deesse aliquid videtur in l. Prætor ait. D. de edendo. Vulgo enim ita legitur. *Prætor ait, argentariæ mensæ exercitores rationem quæ ad se pertinet edant adiecto die & consule. Huius edicti ratio æquissima est, nam cum singulorum rationes argẽtarii conficiant, æquum fuit, id quod mei caussa confecit, meum quodammodo instrumentum mihi edi.* Certe enim ratio, quæ subiicitur, non cohæret cum iis edicti verbis quæ antecesserunt. Sed vix quemquam dubitaturum arbitror, quin in edicto ita legi debeat: *Rationem cuique quæ ad se pertinet.* Ita enim pulcre cohærebunt omnia. Quod confirmare pluribus verbis, hominis esset otio & abundantis & abutentis.

Ostenditur vera lectio l. Iuris gentium. D. de pactis. Contra Accursium.

CAPVT X.

IN l. Iurisgentium §. dolo malo. D. de pactis, ita vulgo legitur. *Sine autem ab initio, dolo malo pactum factum est siue post pactum aliquid dolo malo factum est, nocebit exceptio propter hæc verba edicti, neque fiat.* Quærit autem Accursius, vbi sint verba illa edicti, & respondet ea non exstare. Ego autem existimo sigla, quibus singulæ voces significabantur, coaluisse in vnam vocem: & antiquitus scriptum fuisse. N. Q. F. C. B. Fiat, id est, *Neq; quo fraus eius eorum*

fiat, quæ verba edicti paulo supra recitata erant. Paulo autem infra eum locum, vbi legitur: *Et generaliter quotiens pactum a iure communi remotum est, seruari hoc non oportet, nec legari:* aberrare a re proposita Accursium vltimo, propter vitiosam scripturam, legendum enim non, *legari*, quis enim vnquam audiuit pacem legari? sed additis duabus literis *Allegari*.

Deprauatus locus in Institutionib. de nuptiis restituitur.

CAPVT XI.

IN elegantissimo libello Institutionum, sub titulo de nuptiis, vbi docemur, quomodo liberi, qui naturales tantum fuerant, legitimi effici possint, locus est iampridem corruptus, quem a nemine tot eruditissimorum hominum, qui tanto studio ad eos libros illustrandos incubuerunt, purgatum esse demiror. Vulgo autem legitur hoc modo. *Nec non is, qui a muliere libera procreatus, cuius matrimonium minime legibus interdictum fuerat sed ad quam pater consuetudinem habuerat, postea ex nostra constitutione, dotalibus instrumentis compositis in potestate patris efficitur. Quod & aliis liberis, qui ex eodem matrimonio postea fuerint procreati, similiter nostra constitutio prabuit.* Quid enim, quæso, est, quod Iustinianus, non ei modo, qui ante cõtractum matrimonium procreatus fuerat, sed iis quoque, qui post matrimonium suscepti essent, sua se constitutione tribuisse, vt legitimi fierent, gloriatur? An non hi sine vlla constitutione legitimi sunt? Quæ res ita commouit hominem sane eruditum, sed interdum ingenio suo præsidentem, vt in commentario suo ita ad eum locum scripserit. *Hoc ridiculum fuit adscribere, cum sua sponte satis intelligatur. Veteres libri, quod si alii qui ex eodem: vt casum significet, de quo in l. nuper, C. eodem titul. nimirum, vt quamuis liberi ex matrimonio contracto nulli suscepti sint, quod ex verbis superioris legis requiri fane videatur, nihilominus tamen filiorum familias ius adipiscantur.* Hæc ille, de cuius sententia & emendatione non agam pluribus: certe quidem, cum satis multos veteres institutionum libros viderim, nullum reperi, in quo ita legeretur, vt ipse legi ait. Neque tamen hac quidem in re fidem ipsius in dubium voco. Ego id tantum discriminis animaduerti, quod in eorum quibusdam vox *similiter*, alio loco posita est. Ita enim habẽt, *quod & similiter aliis*. quid hoc, dicet aliquis, interest? Permultum. Etenim si vnicam literulam mutaueris, loci vitium prorsus omne sustuleris. Legendu enim. *Quod et, similiter aliis & cetera.* Hoc autem dicit, se illi qui ante nuptias natus erat, sua constitutione tribuisse, vt æque legitimus esset, atque ii, qui postea ex eodem matrimonio procreati forẽt. Sed quia in Latino sermone Græcam dicendi formam adhibuerat, ea res nõ Latinis modo sed ipsi quoq. Theophilo errorem obiecit. Dictum est autem *similiter aliis*, vt Græci dicerent, *ὁμοίως τοῖς ἄλλοις*

id. P

to est, ex æquo cum aliis: eodem plane modo, quo qui postea geniti essent. Talia sunt apud Tacitum, *simul quinque viris*, ἅμα τοῖς πέντε: apud Horatium, *conuenienter naturæ*, ὁμολογουμένως τῇ φύσει, & eius generis alia. Sic in § ceterũ. de legit agnat. successi. in *Laudamus quidem Pretores sua humanitatis*, ἐπαινοῦμεν τοὺς στρατηγοὺς τῆς σφετέρας φιλανθρωπίας, simile illi ex sacrosancto Euangelio. *Laudauit Dominus villicum iniquitatis*, ἐπῄνεσεν ὁ Κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας.

Quomodo legenda videntur Lex XIII. D. de probationibus. Eademque illustrata.

CAPVT XII.

SEmper suspectam habui scripturam legis 13. D. de probationib. semper ita legendum existimaui, vt scribere ausus sim: idque eo magis, quod ipsa quoque cetera exemplaria variare animaduerti. Lego igitur eam hoc modo, Cum de statu hominis quæreretur, Cæsar noster in hæc verba rescripsit. *Et durum & iniquum est, cum de statu alicuius quæritur, & diuersæ professiones proferuntur, eas potissimum stare quæ nocet, sed caussa cognita, veritatem excuti oportet, & ex eo potissimum anno computari, ex quo præcipuam fidem, in ea re constare credibilius videtur.* Tria sunt hic, in quibus a peruolgatis libris discedo. Primum, quod lego, *cum de statu*, vbi vulgo, *cum de ætate*. Alterum, quod in rescripto Principis, lego, *quæritur*, non, *quæreretur*. Sed hoc quidem ipsa orationis ἀκολουθία exigit. Tertium, quod ad finem lego, *anno*, non, vt vulgo annos, vt *computari*, simpliciter dictum sit, pro eo quod est *rationem iniri*. Sententiam autem hanc esse arbitror. Mouebatur alicui quæstio status, id est, libertatis, aut ciuitatis, quo in genere quæstionis, libri censuales, & professiones maximam auctoritatem obtinebant: maiorem etiam, quam testes, *l. censu*, *D. hoc tit* In hoc igitur iudicio proferebantur diuersæ professiones. Actor quasdam proferebat, ex quibus constare videbatur reum professum non esse. Reus alias, in quibus scriptum erat, eum professum esse. Certe autem qui negligentia aut dolo malo professi non essent, ii sibi aut ciuitatem, aut libertatem abiudicasse videbantur. Vt enim si seruus volente domino census esset, hoc ipso fiebat liber: ita liber, qui dolo malo profiteri ac censeri noluisset, libertate mulctabatur. Itaque incensi olim publice vendi solebant. Res nota est ex Cicerone pro Cæcina, in Topicis, pro Archia. In hoc igitur, de quo dicere cœperam, iudicio dubitatur. Vtris potius tabulis standum esset. Et videri poterat eis standum, quæ reo nocerent: ne monumentorum publicorum subuerteretur auctoritas. Nam etiamsi apud aliquos censores professus esset, nihil hoc ei proderat, si apud alios idem facere neglexisset. Respondet tamen Imperator, nimis hoc durum & iniquum videri; veritatem igitur diligenter excutiendam: & ex eo potissimum anno computandum, ex

quo credibilius foret veritatem tabularum publicarum incorruptam manere. Multis enim modis interdum corrumpebantur: vt improbitate, aut negligentia vel magistratuum, vel ministeriorum; vt in bellis aut seditionibus, cum interdum ipsa ciuitatum archia & tabularia incenderentur. Insigne autem & luculentum exemplum, quoque maxime videtur hoc rescriptum illustrari, exstat apud Ciceronem, in ea quam modo citaui oratione, pro Archia Poeta.

Quod genus legati fuerit olim, Partitio.

CAPVT XIII.

ANtiquitus genus quoddam Legati erat, quod vocabatur *partitio*. Eius formula hæc fuit. *Mæuius heres meus, cum Titio herede ditatem meam partito, diuidito.* Et siquidem testator non adscripserat, ex quota parte, dimidia intelligebatur: sin certa pars adscripta erat, seruabatur, quod expressum erat. Vlpianus tit. 24. & l. nomen. §. partitionis. D. de verb. signif. Is qui hoc modo capiebat partem hereditatis, vocabatur legatarius partiarius. Tunc autem, ipso iure, heres integra hereditatis onera sustinebat: neque creditores hereditarii vllam actionem aduersus legatarium partiarium habebant, sed quia iniquum videbatur, grauari heredem in totum, cum re & effectu heres tantum esset ex parte, inter heredem & legatarium interponebantur stipulationes partis & pro parte, hoc modo Ex parte legatarii. Quanta pecunia ex illa ad te hereditate venerit, aut peruenerit, vel: Quantam pecuniam ex illa hereditate ceperis, eius totam partem me tibi daturum esse: spondes? Ex parte autem heredis hoc modo, Pro qua parte hereditatis legatum ceperis, pro ea æs alienum, & si quid æris alieni loco est, soluturum te spondes? §. post hoc Senatusconsultum. Institut. de fideicomm. hered. Vlpianus titul. 25. Itaque dabantur inuicem actiones ex stipulatu ad partem hereditatis obtinendam, & ad onera hereditaria communicanda. In illis autem stipulationibus verbum, *venire*, aut, *peruenire*, aut *capere*, intelligendum est cum effectu, id est, ære alieno deducto, l. nomen. cum l. sequent. De verbor. significat. Sed erant tamen certa quædam onera, quæ solus heres sustinebat, vt sumtus funeris, cuius nulla pars conferebatur a legatario partiario. Nam legatarius non aliter contribuit ad funus, quam si aliunde non sit, vnde testator funeretur. l. & si quis § 1. D. De relig. & sumt. fun. item si testator iusserat emi aliquos seruos ab herede & manumitti, pretia illorum non deducebantur. Et caussa est, quia illi ita liberati, non erant liberti eius, qui partem hereditatis legati nomine acceperat, sed solius heredis. Et vt commodum, quod iure patroni, ex eis consequebatur heres, non communicabatur cum legatario: ita ne onus quidem esse commune debebat. Cum secundum naturam sit, vt is onus sentiat qui sentit & commodum. Et ita rescripte

scripsit D. Adrianus, l. si quis seruum. §. vlt. De legat. 2. Aliud dicendum est, si cui legata sit pars bonorum. Ex eo enim legato, vt aliud æs alienum deducitur, l. subsignatum. §. bona. De verb. significat: ita & pretia eorũ, qui necessario emti ac manumissi sunt ab herede, l. cum autem D. de legat. secundo.

Ad l. primam. De operis noui nuntiatione.

CAPVT XIV.

REmissionem a prætore, sine vlla caussæ cognitione impetrat is, cui nouum opus nuntiatum est, siue iure siue iniuria nũtiatum sit, idque æquissimum est. Nam neque nuntiatori, neque ei qui nouum opus facit, vlla in eo fit iniuria. Huic iniuria fieret, si in vicini potestate esset, pro sua libidine eum, ne opus faceret impedire. Nuntiatori autem, si quid eius iuri remissio præiudicaret. Nunc nihil de eo diminuitur. Obtenta enim remissione potest vterque iusta sua apud prætorem exponere: & tenet nuntiatio, quatenus iuste nuntiatum est. Remissio autem vtilis est Reo, quoniam eatenus tantum cogetur opus restituere, quatenus ipsi non licuit. At si remissionem petere neglexisset & suo iure fretus, in opere faciundo perseuerasset: etiam si iniusta fuisset nuntiatio, non prius audiretur postea, quam restituisset, quicquid operis post nuntiationem factum esset. Neque enim debuit ipse quodammodo sibi ius dicere: sed aut pacisci cum aduersario, aut offerre satisdationem, aut prætoris opem implorare, quam sibi promtam ac paratam esse sciret. Est tamen, cum impune nuntiatio negligi potest, vt si nuntiet seruus, si pupillus, sine tutoris auctoritate. Et tunc quidem inutilis & superuacanea remissio est, potest enim nuntiatio insuper haberi, etiam non petita remissione. De fructuario quæsitum est, ecquid valeret nuntiatio ab eo facta: & num impune possit ei non pareri. Ac, siquidem procuratorio nomine nuntiet, quin valeat nuntiatio nemini vnquam dubium fuit. Sed quid si suo nomine, id est, tamquam fructuarius, nuntiet? Et distinguendum est. Aut enim eius ipsius prædii dominus, in quo vsus fructus constitutus est, nouum opus facere vult: & hoc casu fructuarius ei nouum quidem opus nuntiare, non potest, itaque si nuntiauerit, nihil necesse habebit dominus petere remissionem eius nuntiationis quæ ipso iure nulla est: quo sensu remissio inutilis fore dicitur: sed habet fructuarius aliud remedium iure proditum: vindicabit enim a domino proprietatis vsumfructum suum: aut vicinus aliquid facit in suo, quo minuatur ius eius prædii quo fructuarius fruitur: & hoc casu variatum est ab antiquis. Iulianus fructuario et vindicationem seruitutum dabat, cui cõsequens erat, vt daret & nuntiationem, & quidem suo nomine. Alii, qui ei vt prædii, sic & seruitutum vindicationem negarent, dicebant eum, nisi procuratorio nomine, nuntiare non posse: posse tamen ab hoc quoque vindicare vsumfructum suum. Iulia-

rū sententia simplicior erat & æquitate nitebatur. Contraria tamen est recepta est: vt quæ & melius apta esset ex principiis iuris ciuilis, & æque conseruet fructuario ius suum. Hæc mihi veniebant in mentem, conferenti legem primam, De operis noui nuntiatione, cum l. vnica de remissionibus: etsi sciebam, eius, cui plurimum tribuo, aliam esse sententiam. Cui si mea hæc non probentur, ego quoque παρωρακέναι me, non inuitus fatebor. Sed & in eadem illa l. vnica, vbi legitur, *detentionem*, putabam legi posse aut, *desensionem*, aut, *retentionem*, vt minus a vetere scriptura recederetur.

Emendatus Vlpian. l. si hereditas. de testam. tut.

CAPVT XV.

Verba sunt Vlpiani in l. si hereditas. De test. tut. *Qui filium & ex eo nepotem habebat, si nepoti tutorē dederit, habet disceptationem, an aliquo casu non sit vtilis datio.* Ita enim legitur in optimis libris: cum in peruulgatis legatur, *An aliquo casu sit vtilis datio.* Certe autem vulgata scriptura planior & apertior est, neque enim hoc dubitationem habet, num casu aliquo euenire possit, vt illa tutoris datio nō sit vtilis: cum vel cæco perspicuum sit, si nepos ille auo mortuo in potestatem patris recidat, inutilem fore: sed num aliquo casu possit esse vtilis. Elegantius tamen legi puto, vt Florentiæ est. hoc enim dicit, an non euenire possit aliquo casu, vt datio sit vtilis. Ponendum est autem, vtrumque fuisse in potestate: alioqui enim omnis dubitatio tolleretur. Deinde Vlpianus casum illum, de quo dubitari poterat, exponit his verbis. *Vt puta si proponas filium viuo patre decessisse, & nepotem ex eo successisse viuo auo.* Tum exponit suam super proposita quæstione sententiam: quam & Pomponio probari ait, his verbis, *Et fortius dicendum est, tutelam quoque lege Iunia Vellea confirmatam, nam & Pomponius libro sextodecimo ex Sabino scripsit valere tutoris dationem. Cum enim confirmatum sit testamentum, consequenter tutoris quoque datio valebit in eo testamento scripta, quod valet.* Accursius autem mirifice laborat, in concipienda specie facti. Magnas enim difficultates exoriri videt, siue vterque, siue alter tantum, siue neuter institutus esse dicatur. Diu autem luctatus, postremo eo deuenit, vt Azonem sequutus, dicat institutum esse filium, et autem substitutum nepotem quod vulgo sequuntur & alii quos ... quidem ex iis qui illos lectitant audio. Nam ego quidem ... que eos ... qui semel eos ex bibliotheca ... uerim, rursus in eorum lectionem, aut emendis, pecunias ... dis, tempore abuti velim. Sed mihi quidem Accursii sententia ... loco probari non potest. Nam testator qui filium suum heredem ... beret, nepotem impune præterire potuit, qui nondum ... res suus. Quod si eum tamen patri substitutum esse dicamus, eius substituti ... hæc videlicet sententia erit. Si filius meus me viuo

moritur,

morietur tum nepotem qui mihi ex eo est, instituo, eique, si mortis meæ adhuc non parte pupillari ætate erit, Mæuium tutorem do. Quo casu, neque de testamento neque de tutoris datione, quin per se valeant, dubitari potest. Et tamen casus aliquis poni potest, in quo vtrumque in dubium vocari potest: propter illa verba Iurisconsulti, *dationem confirmatam, & confirmatum testamentū*. Nam quod ita interpretantur, Confirmatum, id est, non ruptum, vel confirmatum, id est, constructum: mihi, quamuis magni auctores non probant. Confirmari dicuntur ea, quæ per se non valent: vt tutor datus a matre, vt datus a patre filio emancipato. Vt quæ rescissione egent, hoc ipso intelliguntur valere: ita quæ confirmatione egent, hoc ipso non valere. At illa substitutio, illaque tutoris datio, per se subsistebat. Ita igitur existimo. Testator, instituto filio, nepoti quem ex eo habebat, tutorem dat. Si filius patri superstes fit, valet testamentum: sed tutoris datio nulla est. Quo enim tutorem filiofamilias? Sed accidit vt præmoriatur filius. Videri potest vtrumque corruere Nam & nepos quasi adgnascendo rumpit id testamentum, in quo præteritus est: & rupto testamento, quicquid in eo scriptum est, irritum est Sed auxilio est lex Iulia Vellea, quæ vt multos alios rumpendi casus abstulit, ita hûc quoque. Voluit enim eos, qui viuo testatore, in locum suorum heredum ab eo institutorum succedunt, testamentum non rumpere, sed ex eo ipso testamento heredes esse. l. Gallus §. sequenti, de lib. & post. vbi ita lego. *Sequenti parte, succedentes in locum liberorum non vult lex rumpere testamentum*. Et ita interpretandum est, Vt si & filium, & nepotem, & pronepotem habeas, mortuis vtrisque, nepos instituti succedens in sui heredis locum non rumpat. Cur ita legendum putem, alio loco pluribus differam. Nunc persequar verba Vlpiani, in quibus vulgatam scripturam Florentinæ antepono: legoq; hoc modo: *Idē est vbi nepos vel heres institutus sit, vel nominatim ex heredibus*. Dicit enim hoc quoque casu, neque rumpi testamētum, & dationem valere.

HIERONYMI MAGII

MISCELLANEORVM, SEV VARIARVM LECTIONVM,

LIBER PRIMVS.

Tormenta bellica, quibus Bombardæ nomen est, non quo passim traditur tempore excogitata, aut in bellicos vsus adscita: auctores multi reprehensi.

CAPVT I.

MOrtalium genus, quo nihil præstantius a rerum omnium architecto atq; opifice summo in terris editum est, ad illum immortalium superorumque spirituum, atque adeo ad ipsius auctoris sui (si dicere fas sit) diuinitatem proxime accedere videtur, & merito cœlesti origine censetur: ea enim excogitauit, quæ non humana, sed supra hominis ingenium iure esse creduntur. Nam vt multa omittam, quæ in stuporem oculos mentemque omnium abducere possunt, equidem numquam satis miratus sum æneorum tormentorum, quibus Bombardis est nomen, inuentionem, eorumque horrificam vim, vnde vrbium euersiones, atque exercituum clades neutiquam vulgares emanarunt, indiesque emanant. Mouent humanas mentes tonitrua, fulminaque e nubibus extrusa perterrent, eadem arbores scindunt deiiciuntque, turres operosasque ædificia demoliuntur, nihilque non obuium perfodiunt: eadem plane, tormenta bellica tonitruis suis, tremendisque eiaculationibus præstare videmus. Quod si Archidamus Agesilai filius, cum Catapultæ iaculum (vt Plutarchus *in Apoph. Laconicis retulit*) tunc primum ex Sicilia aduectum vidisset, exclamauit, *O Hercules, virtus periit virorum*: quid superioribus sæculis, cum tormenta hæc omnium, quæ post hominum memoriam excogitata sunt, perniciosissima primum conspecta fuerunt homines dixisse arbitramur? Profecto non modo virorum virtutem opesque, sed validas quasque structuras, validosque vrbium arciumque muros, deiectum abolitumque iri, confestim exclamasse credendum est. Verum quis nam mortale hoc fulmen primo procudere ausus sit, nullius est, qui literarum monumentis liquido testatum reliquerit; quod optima ratione factum esse censent nonnulli, quandoquidem qui tot malorum, quot hodie videmus, viderunt superiora secula, omnisque visura est posteritas, caussam præbuit, & totius quasi Orbis necem accersiuit, indignus fuit, qui per hominum ora volitaret. Quidam Salmoneum Æoli filium quiddam bombardis simile, quo Iouis fulmen imitaretur, adinuenisse autumant, de quo Virgilius *Æneid. lib. VI.* sic cecinit.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi,
Quatuor hic inuectus equis, & lampada quassans,
Per Graium populos, mediaq; per Elidis vrbem
Ibat ouans, diuumque sibi poscebat honorem:
Demens qui nimbos & non imitabile fulmen
Ære, & cornipedum cursu simularat equorum.

Alii, vt Franciscus Petrarcha Robertusque Valturius testatum reliquere, Archimedem Syracusanum, qui mathematicas cogitationes ad machinarum vsum summa fœlicitate conuertit, æneum, quo de agimus, tormentum reperisse crediderunt; hoc (nisi fallor) argumento ducti, quod Plutarchus in Marcelli vita dicat,

eotem

eo tempore, quo Siracusas oppugnabat Marcellus, Archimedem machinas plures inuenisse, quæ immensæ magnitudinis saxa incredibili fragore accelerata, in Romanas copias eiaculabatur. Quorum sententia haudquaquam recipienda videtur. Si enim ita se haberet, Plutarchus, Liuiusque qui multi sunt in Archimedis miro ingenio explicando, deque machinis ipsius non siluerunt, & nihil, quod in obsidione Siracusanorum gestum sit, prætermiserant, longe (vt par est) maiora de machinis illis prædicassent, & tonitrui fulminisque imitationem, ignisque inter eiaculandum coruscationem. Eos idem profecto silentio non inuoluissent. At, inquies, incredibilis Plutarchum fragoris meminisse, idq; ad rem declarandam satis videri. Verum ego respondeo; nec quidem satis esse ad Bombardam appingendā videri, si instrumenta illa ab Archimede excogitata, saxa etiā fulminis more eiaculata esse, Plutarchus scriptum reliquisset: siquidem Vegetius *lib.4 cap.22.* Ballistas atque Onagros, quibus nullum tormentorum genus validius reperiretur, maiora saxa fulminis more cōtorquere ait, & *infra cap. 29.* more fulminis quicquid percussissent, aut dissoluere, aut irrumpere consueuisse: quas tamen machinas longe a Bombardis & forma, & vi abesse nemo est qui nesciat. Adde quod Romani ceteroqui non oscitantes, id genus tormenta Romam asportassent, imitati essent, & ad bellicos vsus traduxissent. Tradit Athenæus *lib.6 cap. 8* Romanos a Græcis machinas instrumentaque expugnandis vrbibus apta didicisse, eosq; ea in re superasse. Verum, si diis placet, Romanos Archimedis machinas despexisse dicamus: quid autem de Græcis ipsis existimandum est? nunquid & hi Archimedis mirum illud inuentum nihili olim fecisse videri possunt, cum apud eos tot tantique Mechanici reperirentur? An Heron, Pappus, Athenæus, Biton, atque alii huius farinæ auctores, qui mechanica conscripserunt, quorum libros manuscriptos legimus (nullibi enim ad hanc vsque diem cusi extant, quod mechanica, præsertim, quæ ad antiquitatē peruoscendam spectant, non sine magno sæculi nostri dedecore in toto Christiano Orbe, cunctasque apud nationes frigeant) negligentes adeo, parumque oculati fuisse videntur, vt mirum hoc instrumentum libris suis, quemadmodum cetera antiquorum, quæque eorum ætate in vsu erant, non apposuerint. Et nedum non appositum, sed nullam ab iis de eo factam mentionem videas. Heron tamen vasculi cuiusdam igniuomi meminit, quod etiam delineat, in vsum militū, qui scalis admotis vrbium muros conscendunt, ad terrendos scilicet propugnatores, quo minus illis scandentibus, impedimento sint: illudque appellat ἀγγεῖον πυρβόλον; quod tantum abest a Bombardæ vsu atque adeo tormenti, cui vulgo sclopeto, archibusioque nomen est, vt tubis igniuomis, quibus milites vtuntur, si ipsis infixas hastas demeris, ansamque prope calcem addideris,

per ſimile videri poſſit. Cornazzanus, qui de Re militari vernaculis carminibus opus ineleganţius, quam quod a noſtræ ætatis hominibus legendum videatur, olim edidit, *lib. 3. cap. 2.* Bombardam caſu a Colonienſi quodam Chimiſta adinuentam dicit. Hic enim, vt ille inquit, nitro, cinnabari, & alumine confectum in mortario aſſeruabat puluerem latere contectum, qui eo forte ſcintilla dilabente incenſus, ſuper impoſitum laterem, valide ſupra domus tabulata expulit. Qua ille re animaduerſa, cinnabaris aluminiſque loco, ſulphur, & contuſos carbones addidit, igneq; iniecto, validiorem multo eiaculationé fieri cognouit: quo experimento edoctus, bellicam mox machinam confecit. Vrbinas ille ἄῤῥητος, qui libros de Inuentoribus rerum conſcripſit, *lib. 2. cap. 11.* ſi non labitur memoria (ab hinc enim multos annos male feriatus curioſuluſq; opus non dum vetitum perlegi, nõnullaq; ex eo ſubnotaui) diuerſa, nulloque pacto credibilia de puluere illo viri Germani Chimicæ artis periti, literis prodidit. Ait enim puluerẽ fuiſſe ſulphureum, nullamq; nitri mentionem facit. Siquidem ſulphur dum flammam alit flatum, quod quidquã expellat, neutiquam emittit. Omnis vero tormentarii pulueris vis, ex factitio nitro, quod dum exuritur, in ſpiritus reſoluitur, prodit: ſulphur vero, & carbones, ad ignem accipiendum meliuſq; alendum adhiberi, tam apertum eſt, quam quod apertiſſimum. Res etiam experimento patere poteſt, ſi quis namque ſulphuri carbonibuſque in pulueris faciem contuſis ignem admoueat, nihil præter pinguem ac male olentem flammam inde prodire cognoſcet.

Verum quantum attinet ad tempus, quo id factum ſit primũque Bombardæ bello viſæ ſint, vſuiq; fuerint, non ſatis certo conſtat (quæ enim de Salmoneo & Archimede feruntur, fabulã ſubolere intelligis) quod qua ætate machina hæc inuenta ſit, literarum ſtudia, quæ a Gottica barbarie cladem acceperant, iacerent. Laurentius Valla *lib 2. cap. 34* ſuarum elegantiarum, quas ille anno a Chriſto nato milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octauo ſcribebat, vt ipſemet teſtatur *infra libro 3 cap. 14* non multum ante ſua tempora Bombardam in vſu eſſe cœpiſſe, his verbis fidẽ facit, *Nuper*, inquit, *inuenta eſt machina, quam Bombardam vocant, id eſt, non multo tempore abhinc. Iampridem Bombarda in vſu eſt &c.* Platina *in vita Vrbani VI.* huius nominis Pontificis ſummi, qui in pontificem lectus eſt anno humanæ ſalutis 1378. huius Pontificis tempore prælio, quod poſt captam Clodiam inter Venetos, & Genuenſes factum eſt, Bombardam primum inuentam, & in bellicos vſus conuectam, ſcriptum reliquit. Sic enim ait; *Hac etiam arte Barbadigica viſa eſt, inuenta tum primũ a quodam Theutonico Bombarda, quæ fuit a ſono, & tonitru ſic dicta. Nulla erat Scapha Venetorum, nullus Lembus, qui non duas Bombardas, & eo amplius haberet: quibus multi Genuenſes vt a re inſolita,*

nis

nec ad præcauendum scita opprimebantur. hæc ille. Raphael Vo-
laterranus *lib. 20. Commentariorum Vrbanorum,* eadem de re in
hæc verba loquitur, *Loco vero Onagri simul & Arcetti, grandia ma-
chinas, quas ex Ionica Bombardas vocant, ingentis ponderis saxa,
igne impulsa, excutientes habemus: quæ quidem machinamentum
a Germanis dono Venetis data, cum ii apud Clodiam fossam Genu-
enses obsiderent, &c.* Auctor ille Vrbinas, de quo supra, similiter
huius machinæ vsum primum Venetis ostensum fuisse ait eo bel-
lo, quod ad Fossam Clodiam gestum est, nempe anno humanæ
salutis 1380. Florentinæ olim historiæ vernaculus conditor, & suę
Reip. scriba *lib. 1.* eodem anno primum conspectas fuisse Bom-
bardas, memoriæ consignauit: eademq; produnt Blondus Foro-
liuiensis, omnesq; auctores, quos mihi legere contigerit, qui hac
de re loquuntur. Qui eo tempore primum visas Bombardas di-
xere, errant, vt patet ex his, quæ Petrarcha scripta reliquit *in lib.
De Remediis vtriusq; fortunæ, Dialogo 99.* sua enim ætate non solū
Ballistas aliasq; machinas vsurpatas demonstrat, sed & Bombar-
das ipsas, quarum tanquam notissimarum mentionem facit; &
satis constat ex Matthæi Palmerii Chronologia aliorumque au-
ctorum scriptis, Petrarcham anno a Christo nato 1374. obiisse.
Adde quod historia rerum gestarum Alphonsi XI Castellæ Regis,
edocet, Barbaros anno ab eiusdem Christi natalibus 1343. Bom-
bardas informes tamen (dolia namque ignivoma appellantur)
& multis antea seculis in bello vsurpasse, quod & Hispanus qui-
dam adnotauit. Ne autem nos mendacii insimules, adeas Petri
Sublanciæ Episcopi (Leonem hanc vrbem appellant) libros *de re-
bus gestis Alphonsi Regis,* qui Toletum expugnauit. Quanquam
autem Barbaros illos huiusmodi bellicis tormentis vsos esse, ne-
gare non est cuiquam integrum, nihilominus seculis illis, aliis
nationibus cognita fuisse, præsertim Christianis, haud quaquam
verisimile videtur: de his enim perpetuum ad Petrarchæ vsque
ætatem, si Petrum Sublacensem Episcopum exceperis, silentium
tum apud alios scriptores tum apud historicos, quos alioqui hu-
iusmodi tormentorum meminisse oportuit, videre poteris. Quin
Ægidius Columnius Romanus, qui olim Lutetiæ Parisiorū Phi-
lippi Pulcri Gallorum Regis ætate, sacras literas publice inter-
pretabatur (cœpit vero Philippus hic regnare, si Chronologiis cre-
dimus, anno ab Orbe redempto 1285) *lib. 3. De Regimine Principū,
parte 3. cap. 18.* vbi de Trabucchis aliisque tormentis bellicis agit,
nihil omnino de Bombardis loquitur; quæ profecto si tunc vspi-
am in vsu fuissent, silentio ab eo non inuoluerentur. Sunt autem
Trabucchi, machinæ lithobolæ (eiusdem generis fere sunt &
Briccolæ vocatæ) quibus auorum nostrorum memoria, vasti mo-
lares in hostes iaciebantur; quibus Turcarum Imperatorem dum
Euboeam expugnaret, vsum esse, atque his nedum saxa prægran-

dia, sed etiam equorum integra cadauera putrescentia, intra vrbē esse eiaculatum constat: quanquam & maximis ea in oppugnatione Bombardis muros quatiebat. Huiusmodi Trabucchos, seu Briccolas aliquot, se olim Alexandriæ in Ægypto conspexisse, mihi narrauit vir Clarissimus Thomas Contarenus, maritimarum terrestriumque copiarum Venetæ Reip. superioribus annis Imperator. Non enim harum vsum Bombardæ statim, atque omnino postea excusserunt, quod non solum propugnantibus, sed etiam oppugnantibus nullo plane præ Bombardis ipsis sumtu vtui essent: quas pene abolitas, quasi ab inferis reuocare, validioresq; atque vtiliores reddere, multis variisque additamentis nitimur in libris de Militaribus technis, quos manuscriptos, superioribus diebus Michaeli Medinæ Hispano, summo Philosopho, & Theologo dedimus, Consaluo Ferrando Cordubæ, Suessanorum Duci Illustrissimo, nostrique sæculi Heroi maximo, offerendos. Hic enim ob incomparabilem rei militaris scientiam, atque in bonarum literarum studiosos non medius fidius vulgarem amorem, amicis in consilium adhibitis, maxime dignus esse visus est, qui diuturnis nec infructuosis (nisi fallor) meis in bellicarum rerum studio laboribus potiretur. Antequam huic capiti coronidem appingamus, illud non est ignorandum, Briccolis ex editioribus locis turribusque ipsis saxa eiaculari consueuisse (missilia namque, teste Vegetio *lib 4. de Re militari cap. 29.* quanto de excelsiori loco exeunt, tanto longius penetrant) cuius rei nos admonet liber tertius iuris municipalis Florentinorum, in quo ciues priuatim in turribus briccolas habere, prohibentur.

Seruii error detegitur, ac Vergilii locus libro septimo Æneidos declaratur.

CAPVT II.

SErnium Vergilii enarratorem, virum fuisse doctissimum, nemo est qui nesciat; eius tamen lucubrationes, quæ ad ætatem nostram peruenerunt, insignibus scatent erroribus, quorum partem maximam audaculorum quorundam culpa, qui bonos auctores margineis additamentis polluunt, partim eius incuria vt fit, atque oscitatione, natam esse crediderim. Philippus Beroaldus, vir suæ ætatis in literarum mansuetioribus studiis maximus, iusto ferme opusculo, dum pene adhuc puer esset (vt Nicolaus Burtius *in libello, cui titulum indidit, Bononia illustrata,* attestatur) huius Vergiliani enarratoris errores prosecutus est. Sed hūc plures Seruii lapsus, quos lector non indoctus facile animaduertere potest, fugerunt. E quibus vnus est, quem pridem inter legendū obseruaui. Virgilii *libro 7. Æneidos* de Lauinia versus est,

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Inquit ad hunc locum Seruius, *Non est hic iteratio, sed secundū ista locutus est, in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ata-*

pro-

Digitized by Google

probatur. *Primum ergo ad habitum, secundum ad annos pertinet.* hæc ille. Nunc an iura nouerit Seruius, despiciamus. Iustinianus *Instit. De nuptiis* § 1. in hæc verba loquitur. *Iustas autem nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt, masculi quidem puberes, fœminæ autem viripotentes, &c.* Et intra sub titulo, *Quibus modis tutela finitur, Pubertatem autem, veteres quidem, non solum ex annis, sed etiam ex habitu corporis in masculis æstimari volebant. Nostra autem maiestas dignum esse castitate nostrorum temporum existimans, bene putauit, quod in fœminis etiam antiquis impudicum esse visum est, id est, inspectionem habitudinis corporis, hoc etiam in masculos extendere. Et ideo sancta constitutione promulgata, pubertatem in masculis post decimum quartum annum completum, illico initium accipere, disposuimus; antiquitatis normam in fœminis bene positam, in suo ordine relinquentes, vt post duodecimum annum completum, viri potentes esse credantur,* & quæ sequuntur. Ex his igitur liquido constat veteres, ac recentiores, in fœminis, quantum ad pubertatis argumentum attinet, annos spectasse, habitum vero corporis non item: quod habitum curiosius quærere (vt etiam Theophilus Antecessor existimat) indecorum esse putarent: tametsi Plato *Dialogo de legibus 11.* in hanc sententiam loquatur, *Conuenientis iam vero* (inquit) *ætatis ad nuptias, & e contra iudex nudos omnino mares, nudas quoque ad vmbilicum vsque fœminas conspiciens iudicet, &c.* Quod tamen ad Romanorum leges translatum fuisse, nullibi constat. Seruius vero de Romanorum iure, vt par est, sensit: alioqui ineptus fuisset omnino, si Vergilium secundum Platonicum ius loquutum esse censuisset, dum eum secundum ius loquutum esse scriberet. Non est tamen ignorandum, ad Vallem Ægeriæ, vt Blondus *in calce libri primi Romæ triumphantis* scriptum reliquit, ad sextumdecimum ab vrbe lapidem, prope oppidũ Cinthianum, templum fuisse Fortunæ virilis, ad quod virgines viripotentes à parentibus perductæ, conuenire solerent, quas templi illius sacerdos omnino nudatas vndique inspicere consueuisset, vt corporis vitia apparentia indicaret. Quæ res nihilo magis Seruio adstipulatur. Non igitur Virgilius secundum ius loquutus est, nec Romanorum iura, ex habitu corporis, fœminarum ætatem probari vnquam voluerunt. Quamobrem contra Seruii sententiam, Vergiliano versui iterationem inesse, existimandum est; quam adfabre æmulari, atque expressisse videtur Ouidius *libro 14. Metam.* de Canente Pici vxore sic inquiens,

> *Hæc vbi nubilibus primum maturuit annis,*
> *Præposito cunctis Laurenti tradita Pico est.*

Nec lõge ab ea abest Claudianus *lib. 1. de Raptu Proserpinæ*, sic scribens,

> *Iam vicina toro plenis adoleuerat annis*
> *Virginitas.*

Puellas hasce nubiles ac viripotentes, Græci βαθυζώνους appellant. Pindarus Olymp. *Ode 3* σὺν βαθυζώνοις διδύμοις παισὶ Λήδας. Cuius vocis illa ratio est, quod ante primũ concubitũ, zonę virginalis solutio fieret, de qua plura cũ alii tũ vero Antonius Iustus ciuis atque affinis meus, optimus Iurisconsultus, honestarũmq; omnium disciplinarum cultor haud inelegans, in Commentariis suis in Lodouici Ariosti Satyram, quæ est ad Annibalem Malegucium à doctissimo illo Poeta exarata.

De apum natura, ac multiplici genere, allata ratio, quare Iustinianus Imperator apes feras esse dixerit, cum Plinius, neque feri, neque mansueti generis eas esse scribat. Beroaldi conciliatio partim recepta, partim vero improbata: Pauli Iurisconsulti locus declaratus. De variis columbarum speciebus, & cur idem Iustinianus eas feras ut apes appellauerit.

CAPVT III.

APum feram esse naturam Caius. *l. 5. ff de Acquir. rer. dom.* & Iustinianus Imperator, siue Tribonianus potius, Theophilus, & Dorotheus sub Iustiniani persona loquentes, *Institutionibus de Rerum diuisione. §. Apum.* manifeste affirmant. Sed Plinius *lib. 7. cap. 56. Naturalis historiæ*, neque placidas, neque feras esse apes, sed media inter placiditatem, & feritatem natura præditas dicit. Huius verba sunt infra scripta; *Damæ, inquit, mansuescunt raro, nec tamen feræ iure dici non possint. Complura namque sunt neque placida nec fera, sed media inter utrumque natura, ut in volucribus hirundines, apes in campo, in mari delphini, &c.* Idem *libr. 11. cap. 5.* de apibus sic ait, *Præterea cum sint neque mansueti generis, neque feri &c.* & infra *cap 18.* apes & rusticas, & apum plura esse genera testatur. Varro autem in feras & cicures diuidit. Aristoteles quidem in hanc sententiam loquitur *lib 5. de Hist. animal. Genera apum plura: optimum, quæ breues, variæ, & in rotunditatem compactiles sunt. Secundum, quæ longæ, & vespis similes. Tertium, qui fur nuncupatur, grandis hic & aluo est ampliore. Quartum, fucus præcipua magnitudine, &c.* Et *libro 9. Genera, inquit, apum plura, ut dixi: duo principum, alterum rufum, quod præstantius est, alterum nigrum, magisque varium, duplo amplius ape vult. Tertium genus, quod optimum, breue hoc, & in rotunditatem compactile, & varium. At quartum longum, crabronibus simile. Præterea quod fur appellatur, nigrum hoc, aluoque ampliore est. Quin etiam fucus, qui omnium maximus est, sed sine aculeo, & ignauus. Differunt inter se apes parentibus nata urbanis, & quæ rustico montanoque victu educatis prodierint. Sunt enim hæ syluestres horridiores aspectu, & iracundiores, & minores, sed operis, & laboris præstantiores.* Hæc Aristoteles. De apum generibus eadem ex Aristotele Columella *cap. 3 libr. 10.* Varro vero *Rei rusticæ li-*

li-

bro 3. *Differunt*, inquit, *inter se quæ feræ & cicures sunt. nunc dico feras, quæ in syluestribus locis pascitant, cicures quæ in cultis. Syluestres minores sunt magnitudine, & pilosæ, horridæ, puluerulentæ.* Hæc Varro. Eandem apum sectionem approbasse videtur Paulus Iurisconsultus, cum inquit, *Si apes feræ, in arbore fundi tui, apes fecerint, &c.* quæ verba leguntur *in l. si apes ff. de Furtis*: feras namque ad differentiam cicurum, dixisse censeri potest. Quæ res me fluctuantem diutius exagitarunt ac torserunt. Demum volente Deo sum ad Beroaldi commentaria delatus *in Apuleii librum 8. de Asino aureo*, in quibus ille perfunctorie, qui hominis mos est, in prædictam litem delapsus, pacata omnia reddere conatur, & inquit, *Ceterum Plinius non tam Iurisconsultorum obseruationem spectans, quam mores apium, & ciuilitatem, quæ hominum caussa genita sunt, quarum mel, & cera vsibus humanis seruiunt, scite & eleganter dixit apes, neque placidas haberi neque feras, sed intermedias, atque meditullio placiditatis, & feritatis collocatas.* Hæc Beroaldus. Verum quis vnquam tam illiteratus fuerit, vt animalium naturam ad placiditatem aut feritatem quod attinet, ex ciuilitate, atque vtilitate diiudicari contendat? Quotus quisque est, qui Plinium ea de caussa apes mediæ esse inter placiditatem & feritatem naturæ, censuisse dicat, quod hominum caussa genitæ sint? nullus profecto. quandoquidem, si ad hanc regulam animalium naturas exigamus, vniuersa nec placida nec fera essent, quæ hominum caussa cum rebus omnibus, vt Chrysippus inquit, idemque Plinius *in Proœmio libri 7. item 20 & 22.* testatur, edita sunt a natura. Si ciuilitatem spectemus, vespæ etiam, formicæ, & grues, quas animantes ciuiles Aristoteles appellat *lib. 1. cap. 1. de Historia animalium*, nec placidæ nec feræ dicendæ erunt, sed in meditullio collocatæ. *Ciuiles*, inquit Aristoteles, *appello animantes, quæ labori communicant: idem quarum opus commune efficitur opera, munusque idem omni est, quod non omnibus gregalibus competit. Ciuilis generis est homo, apis, vespa, formica, grus: quarum alia sub duce degunt, vt grues, vt apes: alia nulli subdita imperio sunt, vt formica, & alia innumera pene genera, &c.* Præterea cum eadem de delphinis, hyrundinibusque, quas animantes apibus exæquat Plinius, dici non possint, nempe quod ciuiles non sint, & cera melleque vsibus humanis non seruiant; merito placida feraque simul animalia, delphini, hirundinesque, Beroaldi ratione non erunt. Illud recte habet apud Beroaldū, scilicet quod Plinius apum mores spectauerit, eorumque ratione nec feras nec placidas dixerit. Si quis enim earum naturam diligentius intueatur, ac perpendat, in Plinii sententiam haud ægre pedibus ibit. nam feræ illæ dici non possunt, quando hominis conspectum non refugiunt, sed placidorum in morem animalium inter homines degūt, præter-

tim quæ assiduo eorum interuentu, qui aluearia curant, definita fuerint: ac etiam si in agris vel sub saxis aut [illegible] arborum cauis [illegible] vetustate truncis mellificent, loca aut [illegible] & inaccessa, quasi nullo hominum timore per [illegible] vsum [illegible] ab homine mell [illegible] deserunt, aut alio transfe[illegible] humana arte inclusæ eodem loco persistant, ac m[illegible]. Columella *cap. 3 lib. 10. Nam quanto inquit grandior apis, [illegible] rotundior, tanto peior; si vero feruidior, maxime pessima. Sed tamen [illegible] nota melioris, facile delinitur assiduo interuentu eorum, qui curant aluearia. Nam cum sæpius tractantur, celerius mansuescunt, [illegible] que, si diligentior, &c.* Quam rectè inquit Porcius [illegible] *ad Glossam 6. § Pauonum sub tractatu titulo De rerum diuis [illegible]*, apum naturam non adeo esse feram quin mutari possit [illegible] cidæ etiam idem dici non possunt, quandoquidem facto examine aliquando abscedunt, aliòque commigrant, & aluueis inclusæ [illegible] tersum aufugiunt, læuiunt in homines aculeis, eorumque [illegible] refugiunt. Eadem fere de delphinorum hyrundinumque natura [illegible] ci possunt, cum & placiditatis & feritatis argumenta [illegible]. Plinius igitur quantum ad apum spectat naturam, recte [illegible] rus est, apes in vniuersum cum Caio, & Iust[illegible] [illegible] alioqui dicturus feras, sed potius cum Aristotele [illegible] vrbanas, alias vero rusticas (nam *cap 18 lib 9* apes etiam [illegible] vo[illegible]cat) aut cum Varrone feras, & cicures. Quam [illegible] lus Iurisconsultus. vti supra diximus, approbasse videtur [illegible] pes vocans, non quidem ratione iuris dispositionis, sed [illegible] de quo apum genere loqueretur, demonstraret; quasi [illegible] cat, si apes non vrbanæ mitesque iam factæ, sed agrestes, syluestres [illegible] que, & quæ hominum curam nunquam agnouerunt, in arbore fundi tui apes fecerint, &c. Atque hanc Pauli mentem [illegible] arbitror. Si enim secus sentiamus, cum Caio, [illegible] Iustinianoque [illegible] sari dicendum esset, cum apes feræ ad differentiam placidarum dici soleant. Verum Caius Iustinianusque, qui non vt Plinius atque Aristoteles naturalem historiam contexunt, sed iura [illegible] que [illegible] cant præscribuntque, apes omnes inter feras animantes retulerunt, quo scire posset cuiusnam essent vel in syluis agrisque repertæ, vel cum ex aluèis dilapsæ, in naturalem laxitatem se receperunt, alienisque arboribus insederint. Nam alioqui non adeo rudes erant, vt quæ Aristoteles, Varro, & Plinius scripta de apibus reliquerunt, ignorarent, aut tanquam absurda contemnerent. Qua ratione factum est vt columbarum etiam, quas partim feras [illegible] partim vero placidas esse constat, feram in vniuersum esse naturam Iustinianus § *mox sequenti*, decernat. Quod autem columbæ & placidæ & feræ reperiantur, testis omni exceptione maior [illegible] Aristoteles: *Problemate nam q, 44. sectione 10* in animalium genere, quæcunque domestica sunt, ea etiam fera reperiuntur, non autem

a con-

è conuerso. Lege quæ idem scripta reliquit de columbis, *cap. 13. libri 5. De natura animalium.* Athenæus *cap. 16. libri 9. Dipnosoph. Columbarum,* inquit, *unum est genus, & species quinque, columba, vinago, phaps, palumbes, turtur.* Varro *Rei rusticæ lib. 3. cap. 7.* duo columbarum genera constituit, vnum agreste, quod in turribus, & villæ culminibus, à quibus sunt columbæ appellatæ, degere propter timorem & nidificare solet: Alterum genus clementius, quod cibo domestico contentum, gallinarum more inter homines solet versari, nidosque passim construere. Ex his duabus stirpibus miscellum fieri genus tertium, fructus caussa. Clementiorum columbarum species præter eas, quas Thuscia habet, Venetiis plurimas peregrinas vidimus, vt quas Cyprias vocant, Thurcas, Monighidas, & alias. Omnes autem, seu placidas, seu agrestes quæsieris, sub vno ferarum nomine in iure comprehendere oportuit, quod, quamuis in turribus, peristerotrophiis, intraque domesticos parietes eas habeamus, tamen sæpe aufugere solebant apum more, nouasque sedes, & loca auia quærere, vnde lites poterant suboriri, quibus sanctione obuiam ire necesse fuit. Quanquam negocium aliquatenus nobis facessit, quod legitur *infra in eodem titulo, in. §. Gallinarum.* inquit enim Imperator, gallinarum, anserumque feram esse naturam, neutiquam censeri. nosque id ex eo posse intelligere, quia aliæ sunt gallinæ, aliique anseres, quos feros appellamus. Ad quam normam si rem exigamus, vides admitti dissidium, columbasq; ipsas, quas domi, aut etiam in peristeronibus alimus, pro feris non esse habendas, eo quod aliæ sint columbæ, quas feras vocamus. Verum dicendum est Iustinianum Iurisque consultos sequutos esse Varronem, qui loquens de columbis, præter prædictas, quas ob allatam rationem pro feris habere par est, nullas alias agnoscit. Nam licet inueniantur vinago, phaps, palumbes, & turtur, quæ Athenæo, atque aliis sub vno columbarum genere sunt, non tamen a Latinis auctoribus columbæ (si memoria fideli vtor) appellantur; ideoque nulla de ipsis ratio habita est. Vnde etiam dicendum est, ne nomothetas incuriæ atque oscitationis insimulare aliquis merito possit, rationem illam *in prænotato § Gallinarum.* positam, nō pro solida perpetuaque vt fieri solet, quasi ea tanquam Lydio lapide aurum, ita animantum placida natura deprehendatur; sed insimul gallinarum anserumque domesticorum placidam naturam, quæ in feram nunquam, vt omnibus in confesso est, degenerat, nomothetas illos eo impulisse, vt ipsas feras non esse, nec pro feris vnquam habendas, existimarent. Quæ ratio in columbis, apibusque minime viget, cum quamuis feræ columbæ, feræque apes, præter eas, quæ in hominum dominio sunt, reperiantur (quod verum esse supra grauissimorum testimonio scriptorum fuit demonstratum) tamen quæ placidæ habentur, maxima

immutabilique placiditate, qualem quantamque in gallinis anseribusque quotidie spectamus, præditæ non sint. Sed hac de re satis superque.

Multa, quæ de Gigantum proceritate, & magnitudine prodita sunt, vera esse, non solum ex grauissimorum auctorum testimonio, sed ex his, quæ nostra ætate visuntur, & miræ magnitudinis ossibus, quæ effossa sunt, demonstratur. Cur hodie nulli generentur Gigantes. Homerum super humanæ staturæ contractione perperam philosophari.

CAPVT IV.

ÆTernum, atque increatum esse mundum, haud ignobiles Philosophi memoriæ prodiderunt. Quorum opinio & si quibusdam rationi consentanea videtur, tamen quia fidei nostræ orthodoxæ aduersatur, abiicienda, prorsusque exturbanda est. Mundus enim præterquam quod a sacris scriptoribus, creatus a Deo Optimo Maximo, & demum interiturus, vel nouam a depuratione faciem accepturus, citra errorem creditur, etiam ipse suam necem sensim aduentantem, vel hoc maxime argumento demonstrat quod homines nunc breuiores statura educat, qui proceros dum esset & florente iuuenta, maximos & proceros protulit. Qua de re probe & lepide Esdras *lib. 4. cap. 5.* sic locutus est, *Et interrogaui & dixi, Cum iam indicaris mihi viam, loquar coram te: Numquid mater nostra, de qua dixisti mihi, adhuc iuuenis est, iam senectuti appropinquat? Et respondit ad me, & dixit, Interroga eam, quæ parit, & dicet tibi. Dices enim ei, Quare quos peperisti nunc, non sunt similes his, qui ante te, sed minores statura? Et dicet tibi & ipsa, Alii sunt, qui in iuuentute virtutis nati sunt, & alii, qui sub tempore senectutis, deficiente matrice, sunt nati. Considera ergo & tu, quoniam minori statura estis præ his, qui ante vos: & qui post vos, minori quam vos, quasi iam senescentes creatura, & fortitudinem iuuentutis prætereuntes.* hæc ille. Verum cum nonnulli staturæ corporum facta esse fierique indies decrementa negent, & aniles fa- & quæ de Gigantibus narrantur, commentitia esse, bulas putent; fuerit operæ pretium hic sub vno aspectu omnia ponere, quæ a nobis de Gigantibus sunt propere apud scriptores obseruata. Vt autem a sacris literis sumamus exordium, Moses *Genes. cap. 6.* ante cataclysmum Gigantes fuisse dicit, quorum ortum ita explicat, *Postquam enim,* inquit, *ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a seculo viri famosi.* Quæ verba multis errandi ansam præbuerunt, existimantibus Angelos mulieribus se miscuisse, indeque progenitos esse Gigantes. Lactantius Firmianus *lib. 2. de origine erroris,* ait, Angelis Deum permisisse, vt in terra commorarentur, hac tamen lege, ne terrestribus contaminarentur, alioqui fore vt cœlestia amitterent.

tent

rent: eos vero nihilominus paulatim a Diabolo ad mulierum congressus esse pellectos, atque ideo coinquinatos, in cœlum postea non esse receptos. Qua de re Hilarius *in Explicationibus suis ad Psalmum 132* cuiusdam exstitisse librum testatur; atque ait Angelos illos, filias hominum concupiscentes, cum de cœlo descenderent, in Phœniciæ maxime excelsum montem Harmon conuenisse, montisque nomen interpretatũ, Anathema, esse. Scriptum Simphorianus Campetius reliquit *Praxis lib. 2 cap 7.* multos affirmare, Dæmones in Succubi forma, virili semine accepto, eodemque sub imagine Incubi in sulcos muliebres eiaculato, Gigantes ipsos genuisse. Dæmones autem talia peragere, frequentes Theologi affirmant, quibus Diui Augustini testimoniũ *ex libro 15 de Ciuitate Dei* deesse non videtur. Iosephus quoq; illustris auctor *lib. 1 Antiq cap 5.* testatum reliquit, ex Dæmonum cum mulieribus concubitu procreatos fuisse Gigantes. Sed caussam hanc ortus Gigantum commentitiam esse, prænotatumque Mosis locum ægre Gigantum historiam astruere, nemo nõ videt. Vt enim rectius sentientium interpretum consensus est, filii Dei apud Mosem, pro Angelis accipi non debent: & per Gigantes ibi, non proceræ monstrosæq; magnitudinis homines, sed potius bellicosos præpotentesq; significare nobis voluisse, sanctitate atque antiquitate reuerendus auctor, videtur. Hunc locum quod altercationes admittat missum faciamus, & ad alia indubitata veniamus. *Capite 13. Num.* exploratores a Mose missi in terram Chanaan, *Terra*, inquiunt, *quam lustrauimus, deuorat habitatores suos. Populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est: ibi vidimus mõstra quædam filiorum Enach de genere Nephilim* [*alibi, giganteo*] *quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* hæc illi. Vt autem tradunt Hebræorum Rabbini, Enach, vel potius Anach, vir fuit Gigantea proceritate præditus, a quo omnes Gigantes Anachim dicuntur a quibus non abhorrent, quæ Theodoritus habet *Quæstione 26. ad lib. Num.* In hanc enim loquitur sententiam, *Quam dicit esse generationem Enach? Hic, vt verisimile est, propter magnitudinem corporis, famatissimus erat, & vulgatissimus, genere vero patrem omnino repræsentabat.* hæc Theod. Alii vero dicunt Gigantes Enachim dictos, ab Enochia ciuitate. Siquidem Berosus *libro citato* literis prodidit, fuisse circa Lybanum vrbem Enos dictam, Gigantum domicilium. Ex quo patet etiam post cataclysmum fuisse Gigantes; vnde & Noha filiosque eius, & vxores, a quibus prognati erant, Gigantes fuisse quidam autumant, quibus adstipulatur Berosus, aut quisquis ille fuit, qui libros Berosi titulo insignitos conscripsit, inquiens libro primo Noha Gigantem fuisse. Gigantes fuisse apertius probatur *cap 2. Deuteronomii*, sic enim ibi legitur, *Dixitque Dominus ad me, Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersus eos prælium, non enim*

dabo tibi quicquam de terra eorum. quia filiis Loth tradidi eam in
possessionem. Emim primi fuerunt habitatores eius, populus magnus,
& validus, & tam excelsus, vt de Enachim stirpe, quasi Gigantes
crederentur, & essent similes filiorum Enachim. Et infra, *Non enim*
dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in pos-
sessionem. Terra Gigantum reputata est, & in ipsa olim habitaue-
runt Gigantes, quos Ammonitæ vocant Zommim, populus magnus,
& multus, & procera longitudinis, sicut Enachim, quos deleuit
Dominus a facie eorum. Infra etiam *cap.* 9. fit mentio Enachim.
Iosue *cap.* 14. *Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Do-*
minus, te quoque audiente, in quo Enachim sunt, & vrbes magnæ
atque munitæ. Et paulo post, *Nomen Hebron antea vocabatur*
Cariatharbe: Adam maximus ibi inter Enachim situs est. Quo
loco, Hieronymus *in lib. De locis Hebraicis*, Adami sepulcrum de-
scribi existimat: vnde nonnulli magnitudinem ad corpus rete-
runt, quibus suffragari videtur Methodius Martyr, qui ait, Ada-
mum genuisse Seth Gigantem secundum similitudinem suam.
Cuius etiam loci adminiculo Thalmudistæ *in libro Cambearim*
in cap. huius initii, Ehacdynema deliramentum illud, sicut alia
multa, de Adami corpore protulerunt, nempe adeo procerum
fuisse, vt a terra ad cœlum vsque pertingeret. Vt tamen Epipha-
nius *lib. 1. contra Hæreses Tomo* 3. se legisse affirmat; aliique non
pauci, nec indocti testantur, Adam non in Hebron, sed prope
Hierusalem in Caluariæ loco, cui Hebraice Golgota nomen est,
tumulatus fuit. Quod si verum sit, non solum multorum Theo-
logorum, sed etiam Iuris nostri Pontificii auctorú interpretum-
que sententia improbanda esset, qui *in Decr. Caussa* 13. *Quæst.* 2.
cap. Hebron. Adami sepulcrum in Hebron fuisse censuerunt, vul-
gatam Bibliorum versionem, & Hieronymi auctoritatem sequu-
ti, nec animaduertentes vocem, Adam, Hebræis & Adamum Pro-
toplastum, & hominem significare: quibus etiam aduersantur
Hebræorum Rabbini (si modo horum nugamenta digna videri
possunt, quæ in testimonium proferantur) qui ita vertendum el-
se contendunt, *Nomen Hebron antea fuit Kiriath Arbam, homo*
maximus inter Anachim, &c. E quibus vnum memoria teneo
Rabbinum Solomonem, qui ad hunc locum, in hanc loquitur
sententiam; *Hoc nomen Arbam, nomen est Gigantis, qui est homo*
magnus in Gigantibus &c. Alii Kiriath Arbam, pro ciuitate qua-
tuor, accipiunt (Arbam enim quatuor significat) quod in ea qua-
tuor viri sepulti sint, scilicet Anach pater, & Achiman, Scilai, &
Thalmai, eius tres filii, quorum mentio habetur *in citato cap.* 13.
Num. his verbis, *Ascenderuntq; ad Meridiem, & venerunt in He-*
bron, vbi erant Achiman, & Sesai, & Thalmai filii Enach. vt ma-
le etiam *in citato cap. Hebron*, Hebron ciuitas trium virorum esse
dicatur. Sed hac de re Theologi nostri decernant. Deuteronomii

Digitized by Google

mii *cap. 3.* Og regem Basan, Gigantem fuisse legitur. hæc enim ibi de eo habentur, *Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe Gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus.* Præterea *lib. 1. Regum cap. 17.* literis est cõsignatum, fuisse spurium quendam in castris Philistinorum nomine Goliath e Geth, altitudinis sex cubitorum, & palmi. In Iudith etiam historia, Gigantum mentionem factã esse videmus. hæc enim in ea *cap. 16.* leguntur, *Non enim cecidit potens eorum a iuuenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi Gigantes opposuerunt se illi, sed Iudith, &c.* Diuus Augustinus *lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 9.* vastiora amplioraque priscorum hominum corpora quam sua essent ætate, attestatur, & inter cetera hæc quoque protulit, *Vidi*, inquit, *ipse non solus, sed aliqui mecum in Vticensi litore, molarem hominis dentem, tam ingentem, vt si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Sed illum Gigantis alicuius fuisse crediderimus. nam præter quod erant omnium multo maiora tunc corpora, Gigantes longe ceteris antecbant. Sicut aliæ, nostrisque deinde temporibus, rari quidem, sed nunquam ferme defuerunt, qui modum aliorum plurimum excederent, &c.* Idem inferius, *Verum*, vt dixi, *antiquorum magnitudinis corporum, inuenta plerumque ossa, quoniam diuturna sunt, etiam multo posterioribus sæculis produnt.* Idem *infra cap 23.* Romæ paucis ante annis quam ea vrbs à Gotthis vastaretur, fuisse fœminam dicit, corpore quodam modo Giganteo, quæ non ex maximis orta esset parentibus, ad quam visendam mirabiles fierent mortalium conuentus. Quod pertinet ad molarem illum hominis dentem, formæ similitudine deceptum esse Augustinum crediderim, (non enim centuplo corporibus nostris maiora Gigantum fuisse corpora, quod ex dente illo argui vides, est existimandum) molaremque illum Elephanti, aut marinæ beluæ fuisse. Nicephorus *lib. 12. Historia Ecclesiastica cap. 37* scriptum reliquit, natum Theodosio imperante, hominem quendam in Syria, forma Gigantea, proceritate cubitorum quinque, & vnius præterea palmi, Antonium nuncupatum; alterum vero in Ægypto hominem adeo paruum, vt perdici similis videretur. Sua quoque ætate se hominem vidisse Syro antedicto persimilem, quem breuis admodum staturæ mulier peperisset.

Sed iam ad Ethnicos scriptores veniamus. Herodotus *lib. 1.* auctor est, sub terra inuentum fuisse Orestis cadauer, longitudinis cubitorum septem. Plinius quoque *naturalis historia libr. 7. cap. 16* posteritati prodidit, in Creta, terræmotu abrupto monte, inuentum fuisse corpus hominis stans 46. cubitorum, quod alii Orionis, alii vero Etionis fuisse tradiderũt. Etionis loco, quidam

legunt, Oti. Idem testatum reliquit, sua ætate sub Imperatore Claudio, aduectum fuisse ex Arabia hominem nouem pedum longitudinis, nouemq; insuper vnciarum, id est, brachiorum quatuor, & $\frac{1}{8}$. Ad hæc corpora quædam in Sallustianis hortis, nō fuisse maiora brachiis quinque, & $\frac{1}{8}$. quæ eisdem plane verbis Solinus *cap* 5. retulit. Philostratus *lib*.5. hæc Apollonii Tyanæi verba retulit, quæ ad astruendam de Gigantibus fidem, non parum conducere videntur, *Ego inquit, Gigantes fuisse dico, multisque locis, diruptis tumulis, eiusmodi corpora ostendi: non tamen vt fertur, cum Diis pugnasse credo, sed forsan Deorum ædes, ac templa violasse, &c.* Non absimilia affert idem Solinus *cap*. 14. loquens de Phlegra his verbis, *Illic si quando, vt accidit, nimbis torrentes excitantur, & aucta aquarum pondera ruptis obicibus, valentius se in campos ruunt, eluuione ossa etiamnum feruntur detegi, quæ ad instar sunt corporis humani, sed modo grandiori, quæ ob enormem magnitudinem, monstruosi exercitus iactant exstitisse, &c.* Pausanias quoque, vasta fuisse antiquorum corpora demonstrat, licet a fabulis, & mendaciis parum distare, quæ scribit, mihi videantur. Eam enim tali ex Aiacis cadauere, fuisse magnitudinem refert, vt si quis secundum symmetriam, & naturalem partium humani corporis inter se competentiam ratiocinetur, incredibili proceritate corporis præditum fuisse Aiacem, cum vitam inter homines viueret, necessario colligat. Sed Pausaniam Calderini opera Latine loquentem audias, *De illius corporis magnitudine* (inquit Pausanias) *Mysius quidam ita mihi referebat. aiebat enim mare ad eam tumuli partem, quæ litus respicit, inundasse, aditumque ad monumentum parasse non difficilem; cadaueris quoque magnitudinem, vel ex hoc me aduertere iubebat. quod ipse pedis illius talo pro disco vteretur, ac præcipue genuum ossibus, quæ medici molas vocant, &c.* Idem inferius refert in Asterii insula, ante Milesiorum vrbem sita, cadauer Asterii iacuisse (fuisse vero hunc Anactis, qui ex terra natus sit, filium existimatum) quod nihilo decem cubitis breuius esset. Hic vero Anac fortasse ille est, cuius in sacris literis, vt supra vidimus, mentio habetur. Multa enim Græci ex Hebræorum fontibus hauserunt, suisque ad fabulas [illegible] Gelius *lib*.3. *Noctium Atticarum cap*.10. Varronis ex Hebdomadibus sententiam sequutus, an vltra septem pedes humana excrescere possint corpora, ambigere videtur. Sic enim loquitur, *Præter hæc modum esse dicit summum adolescendi humani corporis, septem pedes: quod esse magis verum arbitramur; quam quod Herodotus homo fabulator, in primo historiarum, inuentum esse sub terra scripsit Orestis corpus, cubita longitudinis habens [illegible] quæ faciunt pedes duodecim, & quadrantem, nisi si (vt Homerus arbitratus est) vastiora, prolixioraque fuerint corpora hominum antiquorum, & nunc, quasi iam mundo senescente, rerum atque hominum*

rum decrementa sunt. Hæc Gellius. Plutarchus *in Theseo*, ipsius Thesei corpus magnum fuisse sic demonstrat, loquens in hanc sententiam, Locum effodit, quo facto apparuit magni corporis sepulcrum, & iuxta pilum, atque ensis. Loquitur autem de eius sepulcro. Sed nec minus vetusta desunt effossorum ingentium cadauerum exempla. Literarum namq; monimentis proditum est, Clementis pontificis Maximi, & Henrici III. ætate, anno humanæ salutis MD. Romæ adinuentum fuisse Pallantis corpus, tantæ proceritatis, vt murorum vrbis pinnas erectum, vertice pertingere posset. Galeoti Martii *ex cap. 36.* de doctrina promiscua, verba retulisse sit satis, *Nam Gigantes* (inquit) *fuisse, sacra narrat historia, & Romæ tempore Henrici III. inuentum est cadauer Pallantis, quem Turnus occidit, tantæ magnitudinis, vt longitudine sui, Romanos muros æquaret, &c.* Nec vero, si huius magnitudinis cadauer effossum credamus, Pallantis id fuisse minus fuerit existimandum, quod Virgilius *libros Æneidos 11.* eius corpus exustum fuisse arguat,

Arsurasq; comas obnubit amictu.

cum satis constare possit, illud de Pallantis concrematione κατὰ πρόληψιν moris fuisse a Poeta prolatum. Præterea Ioannes Boccatius *lib. 4. Geneal.* vt Gigantes fuisse, creditu facile sit, hanc de Gigantis maximi cadauere narrat historiam, mihi quidem fabulosam. Inquit enim sua ætate, rusticos quosdam in Sicilia nō procul a Drepano fodientes, maximum adinuenisse antrum, in quo sedēs esset Gigantis cadauer, qꝫ leua contum cuiusuis nauis malo maiorē teneret. Quo in cineres, vt vetustissimis cadauer:bus vsu venit, statim soluto, plumbū, quod conto inerat, plusquam mille, & quingentas libras excessisse; dentes libras nouenas, cranii vero partem multa frumenti modia excepisse. Aitq; Boccacius idem, facta supputatione, Gigantis illius proceritatem vltra ducentos cubitos processisse, vnde Polyphemum fuisse creditum sit. Melchior Guilandinus Borussus, amicus meus, vir præter omnium disciplinarum absolutam cognitionem, in plantarum fossiliumque omnium, cæterorumque, quæ ad rem medicam pertinent doctrina, primi nostra ætate nominis, superioribus diebus, cum variis de rebus mecum commentaretur, e re nata, facta Gigantū mentione, mihi narrauit, se, cum anno a Christo nato 1559 in Africam captiuus esset perductus, Iuliæ Cæsareæ caluariam Gigantis miræ magnitudinis vidisse, quam Hispani duo identidem captiui, dum aratro terram proscinderēt, exarassent, & ad Regem Assanum Hariadeni Ænobarbi filium miraculi, & adipiscendæ libertatis ergo, magno mortalium concursu conueherent: quos tamē spes fefellit, cum Rex Barbarus, & qui omnino ἄμουσος nulla re minus, quam antiquitatis studio, atque admiratione afficeretur, pro libertate quinos ipsis Venetos aureos persolui iusserit.

buldam, non autem vniuersam, nec eodem tempore, senescere, & rursus iuuentutem adipisci scribit cuius iuuentus senectusque, animalium plantarumque iuuentuti, & senectuti minime sit comparanda. Quem sequutus auctor libri *De Mundo ad Alexandrum*, siue Theophrastus, siue alius eius sæculi Philosophus fuerit (*Aristotelis* certe opus non esse, liquido constat) ait terram, naturam nihil vetustescentem æque custodire, licet terræ motionibus concutiatur, profluuie obruatur, & per partes exuratur. Mundi igitur vel vniuersi, vel huius inferioris senectus, aduentansque exustio, ex qua siccitas inuehitur, seminumque vbertas, atque innata vis calorque insumitur, decrementi caussam afferunt. Quæ res Empedoclem impulit, vt sui æui homines, præ illis primis, instar obtinere infantium, vt Plutarchus *lib. 5. cap. 27. De Placitis Philosophorum* scriptum reliquit, affirmare nõ sit veritus. Homerus quoque, quem Iustinianus noster *in Pandectarum Proœmio*, omnis virtutis parentem appellat, humana indies decrescere corpora, *Iliad. lib. 5.* vbi de Ænea a Diomede vulnerato loquitur, *&* *libro 12.* vbi de Aiace, itemque Hectore, haud obscure demonstrat; sic enim inquit, vt vnum duntaxat locum adducamus.

Ἕκτωρ δ' ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, ὅς ῥα πυλάων
ἑστήκει προπάροιθε, πρυμνὸς παχύς· αὐτὰρ ὕπερθεν
ὀξὺς ἔην· τὸν δ' οὔ κε δύ' ἀνέρε δήμου ἀρίστω
ῥηϊδίως ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος ὀχλίσσειαν
οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. &c.

Id est:

Hector autem rapiens lapidem portabat, qui portas
Stetit ante, deorsum crassus, sed superne
Acutus erat, hunc neque duo viri ex populo optimi
Facile in plaustrum a terra prouoluerent,
Quales nunc homines sunt.

Quæ Homeri loca Plinius, Gellius, ipseque Iuuenalis obseruarũt, sic namque hic loquitur *Satyra 15.*

Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero,
Terra malos homines nunc educat atque pusillos.

Homerum æmulatus Virgilius, sic inquit *libro Æneidos 12* de Turno loquens,

Saxum antiquum ingens, campo qui forte iacebat
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis:
Vix illum lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum valida torquebat in hostem.

Fuitque tanta Virgilii auctoritas, vt Augustinus *lib. 15 de Ciuitate Dei cap. 9.* ad adstruendam de priscorum hominum statura fidem, hos versus adduxerit. Idem Virgilius *Georgicorum libro 1.* quod ad rem attinet sic cecinit,

Ergo inter sese paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.
Nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
Æmathiam, & lates Æmi pinguescere campos.
Scilicet & tempus ven et cum finibus illis
Agricola incuruo terram molitus aratro,
Exesa inueniet scabra rubigine pila,
Aut grauibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris.

Lucretius ante Virgilium eamdem rem his est versibus prosecutus *libro 2.*

Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
Expugnata dabunt labem putresq; ruinas
Omnia; debet enim cibus integrare nouando,
Et fulcire cibus, at omnia sustentare:
Nequicquam quoniam nec vena perpetiuntur
Quod satis est, neq; quantum opus est natura ministrat.
Iamq; adeo effœta est ætas, effœtaq; tellus.
Vix animalia parua creat, quæ cuncta creauit
Secla, deditq; ferarum ingentia corpora partu.

Verum quod spectat ad Homerum, dicendum videtur, eum aut male esse philosophatum, dum a Troiano bello ad suam ætatem luculentum decrementum hominis staturam passam esse demonstrat (& si non me latet, eum hyperbole, quæ Virgiliana etiam minor sit, vsum fuisse, aut numerosis prope seculis ætate a Troiano bello abfuisse. Quod si verum sit, quotquot de Homeri ætate loquuntur scriptores, prorsus errarent; siquidem non multos admodum annos inter Troianum bellum, & Homeri tempora enumerant. Herodotus centum septuaginta octo annos post Ilii expugnationem natum esse Homerum, memoriæ consignauit, τῶν δὲ, inquit, τρωϊκῶν ὕστερον γέγονεν ὅμηρος ἔτεσιν ἑκατὸν ἑξήκοντα ὀκτώ. Cassius, vt Gellius refert *lib. 17. Noctium Atticarum, cap. 21.* memoriæ in Annalibus mandauit, Homerum vixisse post Troianum bellum annis centum, & quadraginta. Cornelius vero Nepos eodem Gellio ibidem referente, dicit ante Romam conditam annis circiter centum & sexaginta. Solinus *cap 53.* humanis rebus excessisse post Ilium captum anno 272. Archilochus vero in libello de Temporibus, Homerum Meonium (multi siquidem fuerunt Homeri) a Troiano excidio anno 500 floruisse dicit.

Plutarchus, qui omnium sententias diligenter est perscrutatus, in eiusdem Homeri vita, quosdam dixisse ait, natum fuisse Homerum Troiani belli tempore, eiusdemque spectatorem fuisse: Alios vero, centum annis post, alios centum quadraginta. Quosdam non integros octoginta annos inter Troiani belli tempora.

tempora, & Homeri genesin enumerasse, plures vero in hanc conuenisse sententiam, annis centum post bellum Troianum, esse natum. Sed omnes falsa prodidisse dicere, temeratii hominis, rerumque omnium prorsus ignari fuerit. Vnde reliquum est, male philosophari Homerum, qui centum annorum aut paulo maiore curriculo, hominum proceritatis decessionē minime obscuram factam existimauit. Equidem cum adhuc scholasticus essem miroq; antiquitatum studio tenerer multa antiquorum sepulcrorum solia cum Pisis, tum in aliis Italiae vrbibus obseruaui, sumque permensus, quae tamen parum aut nihil, & si ante mille aut etiam amplius annos facta erant, longitudine a nostri seculi solius arcuuq; sepulcralibus aberant. Superioribus annis vidi ego Pisauri vna cū Ioanne Ricciardesco Iurisconsulto integerrimo, ac ciue meo, tūc vrbis illius Praetore, in praeclarissimo Vrbinatum Ducis armamētario aereas galeas, in agris Metauro adiacentibus, vbi Asdrubal cum exercitu cladem accepit, effossas, quae ab iis, quas modo milites nostri gestare solent, ad magnitudinem quod attinet, non discrepabant. Et nihilominus, vti omnes certo sciunt, tempus illud, quo prospere a Romanis ad Metaurum cum Asdrubale pugnatum est, ab aetate nostra longo seculorum agmine dissitum esse constat. Quo fit, vt dicere par sit, innumerabilia prope secula, non breuia annorum interualla, in humanis corporibus luculēta, vel saltem sensilia decrementa parere. Si quis ergo humanę staturae seram, obscuramque contractionem diligentius spectet, haud profecto rationi consentaneum esse dixerit, in tam breui tēporis spatio, humanae proceritati, sensile quicquam, exustionis vel temporis iniuria potuisse decedere.

Hippocratis loca duo pugnantia conciliantur, & cur in miram proceritatem amplitudinemq; corpora excrescant, declaratur.

CAPVT V.

SVperiora me admonent, vt hic quaedam, de caussa incrementi corporum afferam. Auicenna *Tractatu 2. partis prioris Canticorum, Caussa*, inquit, *magnitudinis membrorum sunt, fortitudo, & potentia formatiua, & etiam nutriens.* Aristoteles etiam incrementum corporum a forma fieri, non a materia, contra Empedoclem probat: quod & eruditissimus Varchius meus aliquando adnotauit. Crescere namque perfectio est, & perfectiones in composito, a forma sunt, imperfectiones vero a materia. Idem *lib. 3. de Part. anim. capit. 6.* calorem esse ait, qui augendi vim obtineat. Medicorum princeps Hippocrates *in libro de Aere, aquis & locis*, incrementum a temporum anni temperata mistura, aerisque clementia proficisci ait; in hanc enim loquitur sententiam. *Longe enim pulchriora, & maiora omnia nascuntur in Asia, estque regio ipsa hac nostra multo mansuetior: sunt mores hominum benigniores,*

& cultiores. Caussa vero horum est, temporum anni temperata mistura, siquidem in medio solis ex ortu, sita est ad Auroram, a frigidi ac te ac caliditate omni remotior. Incrementum autem & benignitatem unde proficisci, omnibus in confesso est, cum nihil sit praecellens & cogens violenter, sed per omnia aequalitas vigeat, &c. Infra vero in Asia homines esse ait magnitudinis eximiæ, quibus tamen virilitas, audacia laborisque tolerantia non insint, huiusque rei caussam præbere tempora ipsa anni, quæ non magnas mutationes faciant neque caloris neque frigoris. sed semper æqualia permaneant, cum regio proxime accedat ad temperaturam optimæ constitutionis. Infra vero sibi ipsi aduersari videtur, sic inquiens, *Quicumque regionem montanam asperam, nudam, & non aquosam incolunt, his mutationes temporum contingunt magna, & diuersa, unde & hominum formas magnas progigni conuenit, qui & ad laborem, & ad viriliter agendum a natura praestent, quibusque feritas & immanitas non mediocriter a natura sint congesta.* Hæc ille. Vides vbi mutationes magnæ, & diuersæ sint, corpora gigni magna, cum contra idem Hippocrates supra, temporum anni temperatam misturam, & æqualitatem, cum non magnæ mutationes fiant, incremento corporum caussam suppeditare, manifeste dicat. Quin tantum abest vt mutationes temporum ad hominum proceritatem conducere videantur, vt morbos potius, eodem Hippocrate attestante *Aphorismorum part. 3. Aphorismo 1. & in lib. de Humoribus*, pariant: mutatio namque, vt Galenus ait *in libr. Artis med.* naturæ est inimica. Existimaui aliquando Hippocratem cum de montanis hominibus loqueretur, magnitudinem accipere quantum spectat ad latitudinem, & profunditatem, non quantum ad proceritatem (& horum etiam ratione magnitudinem dici, fidem facit Galenus *in explicationibus suis in Aphorismum 54. particula 2*) cum illud subdat, scilicet homines illos alpinos ad laborem, & viriliter agendum a natura præstare. nouimus enim huiusmodi corpora, non solum in hominibus, sed etiam in iugalibus maiore prædita esse robore, neruosiusque in labores conati; cum contra procera, cito flaccescant, ac labore conficiantur, suaque mole etiam feriata plane corruant. Verum postea animaduertens Gallos Germanosque, qui huiusmodi regiones incolunt, proceris & ad laborem ferendum viriliterque agendum aptissimis præditos esse corporibus hanc abieci sententiam, censuique non vnam esse altius excrescendi caussam, ideoque pugnantiam Hippocratis verbis inesse nullam. Alpinorum vero hominum corpora, immodica esse proceritate, frigoris mutationisque & humoris ratione. Etenim haud obscurum est propter *ἀντιπερίστασιν* frigoris, adaugeri corporis calorem, vnde ventres hyeme natura sunt calidissimi, fameque eo tempore maxime vrgemur. Calorem vero in huiusmodi locorum incolis, propter mutationes augeri, idem

dem Hippocrates *in eodem libro* testatur. Mutationes vero morbos ipsis non cōciliant tum propter robur duritiemque corporū, tum propter assuetudinem. Vitruuius *libr. 6. cap. 1.* Septentrionibus subiectos, sanguine abundare ait. Alexander Aphrod. *Probl. 2. libri 2.* Scythis calorem interiora tenere, partibusq; insidere principibus testatur. Cum ergo calor ad interiora propter frigoris cōtraobsistentiam se colligat, roboteturque, ac adaugeatur; caloreque, Aristotele *libro 3. de Part anim. cap. 6* attestante, augendi vim obtineat. merito ad proceritatem editiora illa loca, de quib. Hippocrates loquitur, conducere videntur, quod propius ad mediam aëris regionem frigidissimam accedentia, ventisque afflata, frigida sint. Adhæc sperma ipsum eadem ratione & spirituosius, & calidius harum regionum hominibus inest. Cum autem, vt Physicorum omnium consensus est, spermatis calor spiritusque, fundendi ampliandiq; vim obtineat, merito a primis fœtus rudimentis embryonē illius, fundendo, alimoniam attrahendo, digerendoque, plurimum ad magnitudinem adipiscendam conducet. Aristoteles *Problemate 8. sectionis 14* nobis maxime adstipulatur dum in hanc loquitur sententiam, *Fit igitur vt qui loca inhabitant calida refrigerentur, qui frigida concalescant. Vtrobique tamen corpora magna adolescant, eo quod, qui frigida colunt, insito calore abundant qui calida, calore loci refouentur: quippe cum in calidu & a calore incrementum sequatur, frigus autem vim astringendi constipandique habeat. Cum igitur alteri principium intra se vehemens augendi obtineant, alteri nullo extremo frigore impediantur, merito vtrique augeri possint plenius, &c.* Quem partim sequutus Plinius *lib. 2. Natur. hist. cap. 78* in Æthiopia propter ignium nisum, in aduersa vero glaciali mundi plaga propter humoris alimentum, corpora esse procera testatur. Ac profecto humorem, incrementi maximi non solum in animalibus, sed etiam in plantis caussam præbere, in cōfesso est. Vnde altissimorum montium arbores, quarum humor a Sole non exhauritur, quarumque insitus calor ex dicta iam caussa roboratur, in miram assurgunt proceritatem. Vitruuius *lib. 2. cap. 10.* scriptum reliquit, quod & nos sæpe vidimus, arbores in ea Apennini parte, quæ Septentrionem spectat, ex humore nimio, Solisque defectu, crassiores fieri: & infra *lib. 6. cap 1* refrigeratas regiones, quod absint a Meridie, ipsisque humor non exhauriatur a caloribus, quin eo affluant, homines alere ait corporibus præditos amplioribus, ideoque sub Septentrionibus gentes esse immanibus corporibus. Plinius vero *lib. 7. capit. 2* *Maxima*, inquit, *in India gignuntur animalia. Indicio sunt canes grandiores ceteris. Arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, vt sagittis superari nequeant. Hæc facit vbertas soli, temperies cœli, aquarum abundantia.* Hæc ille. Humorem autem proceritati caussam præbere, ipsemet

Hippocrates in eodem libro affirmat, dum in hanc loquitur sententiam, *Atque itidem hic multum aer ab aquis regionem occupet ob ... ipsam caussam, quod ad formam & corporum speciem attinet, Phasiani sunt a reliquis hominibus longe diuersi: sunt enim magnitudine ingenti. Et hoc quia vtitur aere maxime humectato, & quod apud ipsos anni tempora non varias habent neque ad aestum, neque ad frigus permutationes, &c.* Ex qua ratione fit vt longe maiora animalia in mari, quam in terris vitantur, quod Aristoteles *Problemate 34 sect. 10* obseruauit. Plinius quoque *lib. 9. cap. 2.* magnitudinis immanis marinarum beluarum, caussam euidentem esse ait, humoris luxuriam. Terra, Plinio eodem auctore, nullum animal Elephanto maius habet. Elephas vero, teste Aristotele, quadruplo maior est boue. At quanto maiora Oceanus alit monstra? Horum nonnulla ad tam excrescunt magnitudinem, vt nisi ossa templorum parietibus miraculi gratia, affixa conspiceremus, quae de ipsis narrantur, fide prorsus indigna videantur. Vnde non immerito, monstrosa Neptuno tribuit antiquitas, & Orion Neptuni de stirpe, Gigas fuisse fertur: quod & Martius *De Doctrina promiscua cap. 1. 56.* obseruauit. Latiorem locum praeterea, amplumque alimentum, non modicum facere ad magnitudinem corporis, affirmat Aristoteles *Problemate 14 sectionis 10* Quamobrē aluo ampliore praeditae mulieres quamquam humiles, foetus edunt maximos procerosque. Huius etiam rei parentum proceritas, non modica habet momenta, magnos enim foetus, a magnis prodire parentibus cōspicimus. Numerosae igitur adipiscendae proceritatis sunt caussae, hae nimirum, vt ex supra relatis est manifestum. Fortitudo & potestas formatiuae virtutis, seu calor spiritusque, qui in spermate continetur amplissimus; amplissima alimonia: temporum anni temperata mistura, aerisq; clementia, fortes aeris mutationes frigus: aeris calor, igniumque nisus: humoris luxuries non solum in aere, sed etiam in alimentis: alui amplitudo. Harum caussarum si multae coierint, gignentur Gigantes, non quidem eius magnitudinis, cuius, recens creato mundo, gignebantur, sed talis procerirtatis homines, quales nostra aetas vidit, habereque dicitur Gigantum vocata insula, ab Americo Vespucio primum lustrata. Verum antequam caput hoc reprimo, illud etiam afferre libet, quod Aristoteles *in lib. De generatione animalium* scriptum reliquit, scilicet perficiendi cuiusque animalis certam esse magnitudinem tum ad maius tum ad minus, quem terminum non supergrediuntur, vt vel maiora vel minora euadant (Seneca in *Quaestionibus naturalibus*, crescendi legem appellat) atque vt idem lib. 2. *de Anima* literis prodidit, omnes res naturales habere tam in qualitate, quam in quantitate quendam terminum, quandamque [illegible] tam in paruo quam in multo, [illegible] aliqua corpora [illegible]

com-

communem excedent magnitudinem, atque ex letatem, id non in immensum neque ad minimam paruitatem fiet. Neque etiam hic illud silentio inuoluendum esse videtur, fieri aliquando in iumentis monstrosas magnitudines. Eam ob rem legere est apud Liuium *libro 1. Dec. 1* bouem olim in Sabinis cuidam patri familiæ mirâda magnitudine ac specie esse natam, cui monumentum miraculo, fuerint Romæ in vestibulo templi Dianæ fixa per multas ætates cornua.

Naues Onerarias remis etiam agi olim consueuisse. Lazarus Baysius reprehensus.

CAPVT VI.

LAzarus Baysius, vir non contemnendæ eruditionis, quin de literis benemeritus *in libro de Re naual.* sic inquit, *De longis abunde diximus, de Onerariis, paucis differendum. Quæ Oneraria dicta, quod essent oneri ferendo idonea, & ea ratione φορτηγοὶ dicuntur a Græcis.* Polybius in primo ἔχων ἑκατὸν ἑξηκοντα σκάφη καὶ τινὰ ἀγοραῖον πλῆθος ἐν ὀκτακοσίαις ναυσὶ φορτηγοῖς. *Liuius Dec. 3. lib. 7. Naues, quas Liuius tuendis commeatibus habuerat, partim machinationibus onerat, apparatuque mœnium oppugnandorum; partim tormentis, & saxis, omnique telorum missilium genere instruit. Onerarias quoque, non eas solum, quæ remis agerentur. Quibus verbis declaratur, Onerarias non solere remis agi.* Hæc Baysius: qui omnem antiquitatem obseruasse atque excussisse hoc loco minime videtur, quandoquidem non solum velis, verum etiam remis, Onerariæ, φορτηγίδα Græcis vocitatæ (Thucydides, vt Pollux adnotauit *lib. 1. c. 9.* portatorium, Onerariam vocat, & Plautus in Mercatore, Gerariam) cursum conficiebant. Quod verum esse, dubio procul demonstrat Homerus Odys. *lib. 9* sub Vlyssis persona, sic canens,

κύκλωπος γὰρ ἔκειτο μέγα ῥόπαλον παρὰ σηκῷ,
χλωρὸν ἐλαΐνεον, τὸ μὲν ἔκταμεν ὄφρα φοροίη
αὐανθὲν. τὸ μὲν ἄμμες ἐίσκομεν εἰσορόωντες
ὅσσον θ' ἱστὸν νηὸς ἐεικοσόροιο μελαίνης,
φορτίδος εὐρείης, ἥ τ' ἐκπεράᾳ μέγα λαῖτμα,
τόσσον ἔην μῆκος, τόσσον πάχος εἰσοράασθαι.

Id est, si verbum verbo reddas,

Cyclopis enim iacebat magnus contus iuxta caulam
Viridis, oleaginus, quem quidem inciderat vt portaret
Exsiccatum: hunc quidem nos comparauimus inspicientes,
Quantus malus nauis viginti remorum nigra
Oneraria, lata, quæ transit magnam vndam,
Tanta erat longitudo, tanta crassitudo ex visu coniiciendo;

Vides quam valide hic Homeri locus cõtra Baysii obseruationem pugnet. Vt ergo omnis error absit, dicendum est, Onerarias maximas, quæ nulla nisi ventorum vi impelli possent, vt etiam hodie fit, remis agi non consueuisse (nunc tamen triremium for-

forma Onerariæ naues ædificantur, quas vernaculo sermone Galeas grossas vocant, quæ remis etiam aguntur, quamuis mole Onerariis non sint inferiores) minores vero vt hæ, quæ viginti remorum essent, & remis, & velis, & vt nauigandi ratio atq; [illegible] exigebat, maria sulcasse.

Gulielmi Budæi errata duo demonstrantur, & quid Ciceroni atque aliis auctoribus equum admittere, significet. locum quendam Pandectarum mutilum, lacunosumque, vt Budæus existimauit, non videri.

CAPVT VII.

GVlielmus Budæus homo doctus & diligens, qui Pandectarum libris situ & tenebris obsitis, non paruin lucis attulit, quo nomine Iurisconsulti omnes illi maxime debemus; in suis annotationibus quodam loco sic inquit, *Admittere equum, interdum pro conscendere accipitur, vt apud Ciceronem in secundo de Finibus. Nam etiam cum P. Decius se deuoueret. & equo admisso in mediam aciem Latinorum irrueret, &c.* Cum adolescẽs adhuc e Grammaticorum scholis non essem egressus, atq; in hunc Budæi locum incidissem, statim eum lapsum esse animaduerti. eo namque loco, *equum admissum*, non pro conscenso, sed pro concitato & celeri accipi debere latis demonstrat Valerius Maximus sic vocem interpretatus *lib. 5 capit. 6.* de eodem P. Decio scribens, *Caput, inquit, suum pro Resp. salute deuouit, ac protinus concitato equo, in hostium agmen, patriæ salutem sibi mortem quærens, irrupit.* Concitato equo, vt vides, dixit, pro eo, quod Cicero habet, Admisso. Quin ipsemet Cicero rem totam aperit, dum *lib. 3. De natura Deorum* loquitur in hæc verba, *Rebantur enim fore vt exercitus Imperatorem equo incitato se in hostem immittentem persequeretur, id quod euenit &c.* Idem *lib. 1. de Diuinat.* D. P. Decio, *Post triennium autem cum consul esset, deuouit se, & in aciem Latinorum irrupit armatus. Quo eius facto superati sunt & deleti Latini.* Vbi vides verbum Irrupit, equi cõcitationem admittere. Cæsar quoque *lib 1. Belli Gallici* eodem significatu verbo ipso, quo de agitur, vsus est, *Considius, inquit, equo admisso, ad eum accurrit, dicit montem, quem a Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri, &c* Penelope Ouidiana.

Hic Lacer admissos terruit Hector equos.

Magno Francisci Philelphi errore, qui *lib. 36. suarum epistolarum,* Amissos legit, qui alios etiam, neque infimi ordinis scriptores asseclas habet, præter Egnatium non obscuræ hominem famæ, qui *in obseruationibus in Ouidii Heroid.* admissos in eodem versu legendum esse contendit. Prædictis, Ouidii eiusdem luculentius testimonium accedat ex *lib. 1 Metamor.* vbi sic ait,

vtque monebat
Ipse amor, admisso sequitur vestigia passu.

Admissum

Admissum passum pro celeri, quasi se ipsum Apollo ad cursum acrius concitasset, dictum esse perspicis. Abhinc multos annos cum hac de re ad Franciscum Robortellum, virum de Græcis Latinisque literis, deque morali Philosophia bene meritum, retulissem, illeque vt amantissimum præceptorem decuit, ingenium meum esset exosculatus, ac laudibus etiam, vt me ardentiorem in literarum studia redderet, esset prosecutus; nescio quo fato postea factū est, vt in eius amici libris, Francisci Floridi quædam de re, longa admodum præcedente præfatione, scripta sint. Idem Budæus *in annotatione ad hac verba legis 2. De Origine iuris, Populi consensu partim in carcere necati. Ita rursus respub. suum statum recepit.* sic scriptum reliquit, *Desunt hic haud dubie quatuor verba. Addo igitur, Partim in exilium acti. numquam enim hæc particula partim, non geminata reperitur* hæc ibi. Ac cum Ciceronis auctoritatibus particulæ geminationem ostendit, rem ex Liuio intelligi posse dicit, qui refert ex Decemuiris, de quibus Pomponius Iurisconsultus loquitur, Appium, & Oppium in vincula coniectos, spontaneā morte iudicium præuenisse, eorum vero collegas exsilii caussa solum vertisse. Cui & auctoris innominati *ex cap. 21 libri De Viris illustribus*, quem quidam Plinio Cæcilio, quidam Cornelio Nepoti, quidam vero nouissime Probo adscribunt, testimonium addo, qui ait in Decemuiros illos omnes aut morte, aut exsilio fuisse animaduersum. Verum quamquam Budæi additamentum satis probabile videtur, inuenio tamen calamo exarata & membranacea exemplaria quædam, quæ refragantur, cum verba a Budæo addita minime habeant, nec alia præterea, quæ in olim vulgata editione habebantur: deinde quia Lucretium video *lib. 5. & 6.* hanc particulam, *partim*, citra geminationem vsurpasse, apud quem deprauatum esse contextum, cum ratio carminum obsistat, dicere cuiquam non fuerit integrum. Priore loco sic inquit Lucretius,

Et partim mutant cum tempestatibus vna
Raucisonos cantus cornicum sæcla vetusta,
Coruorumque greges, vbi aquam dicuntur, & imbres
Poscere, & interdum ventos, aurasque vocare,

Posteriore vero,

Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri
Sole putant subter terras feruescere partim,
Nox vbi terribili terras caligine texit,
Quod nimis a vera longe est ratione remotum.

Cicero *lib. 2. de Diuinat. A nobilissimis, inquit, ciuibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus iaceret:* Idem de Amicitia, *Sed nihil est quod illi non persequantur his argumentis, partim fugiendas esse nimias amicitias, neque necesse sit vnum sollicitum esse pro pluribus.* Valerius Maximus *lib. 2. de Institutis, Pars capitali iudicio damnata.* nec alia simili postea voce respondet, quod idem est ac si,

partim, dixisset. Permultas, quas habeo auctoritates, missas facio, ne testibus vti non necessariis videar.

Legem XII. Tabularum de addictis, non fuisse ex Solonis aut vllius Graeci nomotheta legibus depromtam. De lege Σεισάχθεια. Quibus ex ex locis iuribus quae ius Decemuirale collectum sit. Diuus Augustinus, Seruius, & Accursius notati.

CAPVT VIII.

DEcemuiralibus legibus, quibus duodecim tabulis est nomẽ, cautum fuit, vt si quis ob pecuniam debitam, quam soluere non posset, adiudicatus, addictusque esset, eius corpus in partes secatum creditoribus distribueretur. de qua lege Cicero *in lib. de legibus*, & Gellius *lib. Noc. Att.* 20. *cap.* 1. Hanc cum acerba nimis sæuitiaque insignis sit (quamquam Sextus Cæcilius apud Gellium, eam, pœnæ huius sæuitia in terriculamentum, & ne ad eam perueniretur excogitata, sancitam esse contendit) & ab Romanorum ingeniis quodammodo aliena, longe ab humanitate abesse videretur, quidam Iuriſconsultus ἄμουσος omnino, non ex Decemuirorum penore vrbisue moribus depromtam mihi affirmabat, sed potius ex Solonis, Draconisue legibus (huius namq; leges sanguine scriptas ob sæuitiam, quosdam dixisse) deductam censebat. Eam ego ex Solonis Draconisue legibus minime fluxisse, sed ex vrbis potius manasse institutis, contra dissserebam. Satis enim constare ex Liuii *libr.* 2 multo ante, quam legati Romani in Græciam legum caussa mitterentur, consueuisse necti debitores, inque eos verberibus priuatim desæuiri. Adhæc nuspiam esse lectum, Draconem Solonemue huiusmodi legem sanxisse, quin tãtum abesse, vt Solon in obæratos sæuiendũ esse censuerit vt potius Σεισάχθειαν legem (hanc Legati illi Romam haudquaquam attulisse videntur) qua alieni æris onera subleuaret, & grauatos a vinculis tutos redderet, tulerit. Cum Diodorus Siculus *De antiquorũ gestis fabulosis lib* 2. scriptum reliquerit, Ægyptiorum legibus sancitũ fuisse, vt debitorum bona, non corpora essent creditoribus obligata, eãque legem videri Solonem ad Athenienses transtulisse, quam Σεισάχθειαν appellauerit, dum decerneret, ne ob vsuras (inquit Diodorus) ciuiũ corpora necterentur. De qua lege scribit etiam Plutarchus *in Solone, in lib. de Vitan. vsu. in Politicis, & in libello De Fortuna & virtute Alexandri.* Satis ergo constare non ex Solonis, aut Draconis legibus, eam de addictis sanctionẽ esse ductam, sed aliunde deriuatam. His ille tandem acquieuit. Quantum autem ad rem attinet, sciendum est ex legibus regiis & ex moribus populi Romani, vt ex Halicarnassei *l.* 2 & 10 cognoscimus, multa in 12. Tab translata fuisse; quin, vt Seruius literis prodidit, ex Faliscorũ legibus aliquid in easdem fuisse connectum; sic enim ait in explicatione ad hunc versiculum *lib* 7. *Æneid.*

Digitized by Google

Hi Fescenninas acies, æquosque Faliscos.

Romani missis Decemuiris, a Faliscis collegerunt iura fecialia, & nonnulla supplementa 12. Tabularum, quas habuerunt; nam ab Atheniensibus decem habuerunt tabulas. hæc ille. Præterea non est negandum, licet hic Seruius, Liuiusque *libro 3 Decadis primæ*, Atticarum duntaxat legum, ex quibus 10. Tabulæ Romæ descriptæ, & ad rumores hominum, propositæ, correctæ mox sint, faciant mentionem. (Sic enim ait Liuius. *Iam redierant legati cum Atticis legibus, eo intentius instabant Tribuni, &c.*) ex aliis quoque Græciæ vrbibus Decemuirale ius collectum videri. Cuius rei hæc habeo argumenta. Idem Liuius libro citato; *Missi*, inquit, *Legati Athenas Sp. Posthumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus: iussique inclytas leges Solonis describere, & aliarum Græciæ ciuitatum instituta, mores, iuraque noscere, &c.* Pomponius *in Pandectis sub titulo De origine iuris l. posteriore. §. Exactis*, sic ait, *Placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a Græcis ciuitatibus, &c.* At in hoc labitur Pomponius, quod contra historiarum fidem, decem fuisse a Romanis missos legatos dicit, cum tres solum fuerint. Gellius *lib. 20. capit. 1. de eisdem 12. Tab. Fas*, inquit, *Leges, cum Sextus Cæcilius, inquisitis, exploratisque multarum vrbium legibus, eleganti, atque absoluta breuitate verborum scriptas diceret, &c.* Iustinianus *Institut. De Iure nat. gentium, & ciuili. Et non ineleganter in duas species ius ciuile distributum esse videtur, Nam origo eius ab institutis duarum ciuitatum, Athenarum scilicet, & Lacedæmoniorum fluxisse videtur, &c.* Quæ cum non satis perspecta haberet Diuus Augustinus, aut fortasse (quod magis putandum est) memoriæ vitium pateretur, non sine errore *lib. 2 De ciuitate Dei, cap. 16.* Romanos a Lacedæmoniis iura accepisse negauit, Seruii, vt opinor, relata auctoritate ductus, & Liuii verbis illis, *Iam redierant Legati cum Atticis legibus.* Eruditissimi sanctique viri, qui his libris *De Ciuitate Dei* præter rem Ecclesiasticam, non modicum rem literariam promouit, verba hæc sunt, *Si autem a Diis suis Romani viuendi leges accipere potuissent; non aliquot annos post Romam conditam, ab Atheniensibus mutuarentur leges Solonis: quas tamen non vt acceperunt, tenuerunt, sed meliores, & emendatiores facere conati sunt, quamuis Lacedæmonius Lycurgus leges ex Apollinis auctoritate se instituisse confinxerit: quod prudentes Romani credere noluerunt, propterea non inde acceperunt.* Hæc Augustinus. Cui magis obstat Ammianus Marcellinus, qui *lib. 16. rerum gestarum* testatum reliquit, leges Sumptuarias ex Rhetoris Lycurgi, id est, Axonibus, Romã trãslatas, diu fuisse obseruatas, demumque senescentes a Iuliano Imperatore paulatim fuisse reparatas. Sane errat quoque Seruius, dum inquit 12. Tab decem Romanos ab Atheniensibus habuisse; hoc idem cum Seruio censuit etiam Accursius noster in *Glo. fin. ad prænotatum*

Institiani locum) cum nullus, quod equidem meminerim, auctor numerum legum Athenis allatarum protulerit, & Liuius harum mentione, tamquam ex principe Græciæ vrbe perlatarum, contentus, dicat, mox instituisse Tribunos, vt tandem scribendarum legum initium fieret, decemque postea fuisse conditas tabulas, propositasque publice, & ad rumores hominum de vnoquoque capite edito, fuisse correctas. Nisi si, scriptionem decem tabularum, solam e Græca lingua versionem, Liuio significare existimandū sit, cum Pomponius dicat *in pranotato. §. Exactis.* leges in tabulis Decem æreis, vel eboreis perscriptas, fuisse pro rostris propositas, vt possent apertius perspici. Nam si Græce scriptæ fuissent propositæ, a paucis legi potuissent, cum eo tempore Græcarum literarum non admodum periti essent Romani. Gellius *lib* 11. *cap.* 18 a Decemuiris duodecim tabulas scriptas fuisse dicit. Idemque *lib.* 17. *cap.* 21. ab iis primo decem fuisse tabulas cōscriptas, mox duas alias additas, testatur.

Ciceronis locus propter Lacunam, verborumque defectum antea obscurus, Plutarchi verborum adiumento, illustratus.

CAPVT IX.

IN libro Ciceronis *secundo de Legibus*, hæc verba leguntur, *Hoc vero nihil ad Pontificum ius, & e medio est iure ciuili, vt per as, & libram heredem testamenti soluant, & eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset. si is, cui legatum est, stipulatus est idipsum, quod legatum est, vt ea pecunia ex stipulatione debeatur: sitque ea* * *non doctum hominem sane, cuius fuit Accius perfamiliaris: sed mensem credo extremum anni, vt veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur.* Hæc Cicero. Quę ante asteriscum verba sunt, nullo pacto iis, quæ sequuntur cohærent. Priora namque de sacris perpetuis dicta sunt, posteriora vero ad ius Manium faciunt. Asteriscus ergo inter ea, quæ tractationis de sacris perpetuis calcem facerēt, & caput de Manium iure habebant, locatus est. Sed quemnam dicit Cicero sequutum fuisse Decembrem mensem, aut ad quid sequutum, & de quanam re hic & in verbis, quæ vetustate penitus obsoleuerunt amissaque sunt, loquutus est? Dicendum est de inferiis, parentalibus, & Decio Bruto: quod aperte satis, & luculenter demōstrat Plutarchus in Problematibus, dum Ciceronis dictum, ex hoc, vt in confesso est, loco citans, in hanc sententiam loquitur; *Quid est, quod cum cæteri Romani Februario mortuis inferias mittere, & parentare consueuissent, Decius Brutus, vt Cicero scribit, id Decembri faciebat?* & quæ sequuntur. Vides non parum lucis e Plutarchi verbis Ciceronis contextui alioqui obscurissimo accedere.

Emen-

Emendata Constitutio quadam in Lib. Legum nouellarum Diui Theodosi, apud Iulium Frontinum, & in Codice Iustiniano. De Nili alluuionibus, & aggeribus, ac Ægyptiorum fletu Nili irrigationem precantium. Illustrantur rubrica C. de Nili aggeribus non rumpendis & de Frumento Alexandrino, & quid Flumen sub titulo de Alexandria Primatibus in eodem C. significet, declaratur.

CAPVT X.

IN libro legum nouellarum Diui Theodosii, sub titulo, *De Alluuionibus & paludibus*, legitur Constitutio, quæ in sui media fere parte hæc habet verba, *Ideo suggestionem tui culminis admittentes, non Ægyptiis solis, nec de limi tantum alluuionibus loquimur; sed quod salubre est orbi terrarum, atque omnibus prouinciis promulgamus, &c.* Eadem in libro Iulii Frontini, *de Controuersiis limitum*, habetur, & hæc eadem verba continet, non sine mendo, quod etiam legitur in doctissimi viri, omnique encomio maioris, Pauli Manutii Additamentis ad Calepini Lexicon, quibus eiusdem cōstitutionis verba ex Frontino inserta sunt. Pro eo enim, quod est *Limi*, legendum est *Nili*, quod conicio *ex l. 3 C. de Alluuionibus & pal.* quæ ex eadem profluxit. Sic enim ibi scriptum cernere est,

Impp Theod. & Valen. A A. Cyro P. P.

Ea, quæ per alluuionem, siue in Ægypto per Nilum, siue in aliis prouinciis per diuersa flumina possessoribus acquiruntur: neq; ab erario vendi, neque a quolibet peti &c. huc etiam illa spectant, quæ *in l. præcedenti* leguntur.

Impp. Archad. & Honor. & Theod.
A A A. Cæsario P P.

Si quos inundatio Nili fluminis reddidit ditiores, &c. Vbi etiam illud est animaduertendum contextui prænotatæ legis tertiæ, mendum insedisse; quod fuit in caussa, vt Accursius nescio quid de vitio somniaret, & comminisceretur. Pars autem mendosa hæc est, *Ne vel alluuionum ignorare vitia, vel rem noxiam possessoribus videamur inducere, &c.* Cum potius, vt nos admonet idem liber legum Nouellarum Diui Theodosii, ita sit legendum, *Ne per alluuionum ignorantiam, vetitam rem, & maxime noxiam, possessoribus, videamur inducere* Accedit eo quod verba illa, *Sed quod salubre est orbi terrarum; atque omnibus prouinciis, promulgamus*, satis demonstrant, verba, quæ præcedunt, priuatim ad loci vel regionis vnius alluuionem spectare potuisse, ideo non esse, *limi*, legendum. Cum autem, si alibi vspiam, fiant maximæ iuxta Nilum alluuiones, terræq; immodica accrementa, merito, de huius fluminis alluuionibus verba facta esse potest intelligi. Quod autem maiores quam alibi, fiant circa Nilum alluuiones, testatur Aristoteles,

qui *libro primo Meteor.* ait, videri Ægypti regionem in dies singulos magis, magisque exaruisse, a Niloq; omnem adaggeratam adue̱ctamque esse. Quod ipsum & Seneca *Naturalium quæstionum lib.6 cap.25.* existimauit, quo loco etiam sic loquitur, *Tantum enim (si Homero fides est) aberat a continenti Pharos, quantum nauis diurno cursu metiri plenis lata velis potest: sed continenti admota est, &c.* Strabo *lib.1. Itaque Ægyptus vniuersa sub Herodoto, fluuii munus appellari iure potuit, & si non vniuersa, ea saltem, quæ sub agro est inferiore, qui Delta nuncupatur, &c.* Nilus enim (hunc Gellius *lib. 10. cap.7.* fluminum, quæ vltra imperium Romanum fluerent, primum esse magnitudine dixit) auctu magno quotannis, vt Herodot. *lib 2.* Diodorus *primo*, & alii testantur, per Ægyptum spatiatur, limum trahit, alluuionesque, vt par est, magnas, agrorum limites confundens, facit; vnde excogitatam primo ab Ægyptiis geometriam, cum apud Herodotum libro citato, tum apud Iamblichum, Strabonemque *libr. 17. Geograph.* legimus. Cicero *lib. 2. de Natura Deorum*, de eiusdem Nili alluuione, *Ægyptum*, inquit, *Nilus irrigat, & cum tota æstate obrutam oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitosq; & oblimatos agros ad serendum relinquit, &c.* Vlpianus quoque *l. 1. § Ripa. ff. De fluminibus*, Nilum incremento suo Ægyptum operire testatur. Ex alluuione flumen hoc nomen esse sortitum nonnulli dixere, vt Nilum antiqui quasi νέον ἰλὺν, hoc est nouum limum vocauerint, quod nouum lutum quotannis adueheret. Cum vero inundatio Nili, quædam sit stercoratio, præsertim cum amplissima est, merito Ægyptii Isidis sacra celebrantes, Nili irrigationem fletibus solebant implorare. Quo respexisse Statius videtur, cum inquit,

> *melius votis Mareotica fumat*
> *Coptos, & arisoni lugentia flumina Nili.*

Nisi potius, *lucentia*, legendum sit. Ad quem locum Lactantius, siue, vt alii malunt, Luctatius enarrator, sic inquit, *Coptos ciuitas Mareotica Ægypti, in qua lo versa in Isidem colitur, cuius sacris Sistro celebratis Nilus exæstuat.* Lugentia] *De sacris Isidis tractum, quia prouentum frugum quærunt, Ægyptii vsque ad veros planctus, nam irrigatio Nili, supra dictorum fletibus imploratur.* hæc ille. Ex incrementi autem mensura, Ægyptii frugum copiam, aut penuriam prætendunt: siquidem, vt Plinius *lib. 5 capit. 11* posteritati prodidit, cum Nilus ad duodecim cubitos intumuerit, prouincia famem sentit, in 13 etiam num esurit 14. cubiti hilaritatem afferunt: 15. securitatem: 16. delitias, & hoc iustum dictum esse ex obseruatione incrementum. Quæ res in Nili statua antiquitate visenda, quæ Romæ in Vaticano conspicitur puerulis sexdecim eam quasi scandentibus, sup[er]semoque copiæ cornu manu prætenente, significata est ab antiquis Plinius *lib.35. cap. 7. Inuenit eadem Ægyptus in Æthiopia, quem vocant Basaltem, ferrei coloris, atq; duritia, vnde & nomen*

& nomen ei dedit. Numquam hic marmor repertus est, quam in templo Pacis, ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatum. argumento Nili sexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis eius intelliguntur. hæc ille. Propter vim autem late se effundentium Nili aquarũ, magnis præmunire Ægyptum molibus, & exaggerationibus oportuit, quę *ff. de Extraordinariis criminibus. l. Saccularii.* chomata appellantur: idq; ideo vt terra seri posset. Iustinus *Lib 2.* sic inquit, *Ægyptum autem, qua tot Regum, tot seculorum cura, impensaq; munita sit, & aduersus vim decurrentium aquarum, tantis instructa molibus, tot fossis concisa, vt cum his arceantur, illis recipiantur aquæ, nihilominus coli, nisi excluso Nilo non potuerit: nec posse videri hominum vetustate vltimam. quæ siue exaggerationibus Regum, siue Nili trahentis limum, terrarum recentissima videatur, &c.* Legere ne pigeat, quę de aggere hirundinum miro opere constructo iuxta Copton oppidum, Plinius *lib.10* scripta reliquit: de quo & Becichemus *Epistolicarum quæstionum Centuri. prima cap.63. Aquæ Nili stagnantes, apertis admitti molibus, & fossis excludi consueuerant* Plinius *lib. 5. c. 9* *Cum sit terra aqua, apertis molibus admittuntur. Vt quæq; liberata est terra, seritur &c.* in quem vsum erant commata & diacopi, quo Nilus in cãpos commode admitteretur, aut intra alueum cõpesceretur, quarum vocum mentio est *in citata l Saccularii.* de quibus Budæus *in Annotationibus,* & Beroaldus ante ipsum *in Commentariis in Apuleium de Asino aureo,* e quibus multa desumsit Budęus. Earum fossarum meminit Suetonius *in Augusto cap.18* qui eas ait longa vetustate oblimatas, fuisse Augusti cura detersas, quo Ægyptus feracior, & vrbicæ annonæ habilior redderetur. Est a nõnullis memoriæ consignatum, Romanos rei frumentariæ gratia, fossas, alueosque a singulis regionib. Ægypti, ære publico in Nilum perfodiendos curauisse, quibus frumẽti vis ingens Alexandriam, ac demum Romam conueheretur, incredibiliq; sumtu alueorũ illorũ aggeres vt seruarentur curasse: quo spectasse existimant Impp. Honor. & Theodosium *C. de Nili aggeribus non rumpendis,* vbi lege lata decernunt absumendos esse flãmis, delicti patrati loco, qui aggeres, & valla fluentis Nili violauerint. Quamquã probabilius forrasse ob prædictos potius aggeres eã editam esse sanctionẽ, dici aliquis existimabit. Et scio frumentũ Alexandriam conuehi consueuisse, vnde in libro Codicis vndecimo titulus est, *De frumento Alexandrino*. Et in titulo mox sequenti, qui est, *De Alexandriæ Primatibus, Corporati ciuitatis Alexandrinæ, repugnandi fluminis onere liberantur.* quo in loco flumẽ pro fossis prædictis accipio quibus aqua excluderetur, vel admitteretur, aut etiam per quas in Nilum, & Alexandriam frumentum, & mox cum in alias regiones, tum Romam conueheretur. Suetonius enim huiusmodi fossas Augusti cura ad feracitatem regioni conciliandam, &

vrbicæ eam annonæ habiliorem reddendam, cum oblimatæ essent, detersas dicit, vt supra retulimus; a cuius detersionis, repurgationisque onere, Corporati Ciuitatis Alexandrinæ liberantur. Hegesippus *lib. 4. cap. 27.* in portum Alexandriæ maximum, quæ ad vsum totius Orbis proficerent, conuectari, necessarium fuisse ait; & regionem Ægypti feracem, totum orbem terrarum frumẽto alere atque instruere necessariis mercibus, scripsit.

Qua ratione ab Horatio dictum sit, lippis & crudis pila ludere, inimicum esse. Qua lippitudine hic Poeta laboraret, & cur aliquando, cum salubribus aquis careret, cœnare recusauerit.

CAPVT XI.

CVm Gregorio Angelerio Iurisconsulto eruditissimo, meique amãtissimo, animi gratia, Horatii hos versus *lib. 1. Sermonum Satyra 4.* legebam.

Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt:
Lusum it Mæcenas, dormitum ego Vergiliusque
Namq; pila lippis inimicum & ludere crudis.

Videbatur perspicacis ingenii viro, & a Musis haudquaquam alieno, non admodum esse recte ab Horatio dictum, crudis inimicum esse pila ludere, cum hoc ludi genere corpus plurimum, vt in confesso est, exerceatur, calorque naturalis, vt Galenus testatur *in Com. ad Aphor. 48. particula 2. Aphorismorum*, exercitij beneficio commoueatur, validæque fiant, quæ in membris sunt, virtutes naturales, animales, & vitales. Vnde tantum abesse vt ludere crudis sit inimicum ille dicebat, vt potius ad cibi concoctionem, cruditatesque abolendas egregie conducere videretur. Qua in re quid ego sentirem, vt audacter proferrem, deque Horatii lippitudine, si quid scitu dignum haberem, subticere nollem, amice rogauit. Cui me olim quædam ad eos versus spectantia subnotasse dixi, atque ex hypomnematis hæc retuli, quæ Miscellaneis nostris digna visa sunt. Neutiquam est ambigendum, crudis pilæ ludum exercitiumque, esse incommodum: cum Galenus *lib. 4. cap. 5. De Symptomatum caussis*, in hanc sententiam loquatur, *Sic etiam*, inquit, *ex iis, qui cruditatibus abundant, nouimus quosdam dum quiescerent, nihil perpeti; dum vero vel balneis, vel Soli, se exponerent, horrere; idque multo magis si exercitarentur. Nam & Sol & balneum, & exercitatio, ad motum excitant excrementa aliaque quiescentia, quemadmodum & ex animi affectibus ira. Porro a se ipsis ad motum insurgunt excrementa, si vel calefiant, vel extenuentur, vel in spiritum degenerent. Neque mirum videri debet, ea minime corpus infestare dum quiescunt: dum vero mouentur & plurimum lædere, & concutiendo, horrorem, rigorem, & febrim inducere. Etenim dura corpuscula, quæ oculis extrinsecus incidunt, si clausis genis particula quieuerit, aut parũ omnino, aut nihil molestiæ inferunt: si vero mouentur, intolera-*

intolerabili dolore cruciant, &c. Apud Celsum quoque *libro 1. cap. 2.* legimus, iis, qui crudis abundant, quietem somnumque cruditatis præsidia esse optima. siquidem, vt Galeni sententia est *lib. 4. de Sanitate tuenda, & Method. 7.* quiete crudi humores concoqui, non irritari solent. Crudis igitur, clarissimorum testimonio medicorum, ac non obscura ratione, pila ludere inimicum est, propter exercitationem ipsis incommodam; præsertim cum in hoc ludo corpus permoueatur atque agitetur. Paulus Ægineta *lib. 1. cap. 17.* loquens de exercitationum generibus, eam, quæ corico, & parua pila fit, celerem vocat. Galenus *in libro de parua pila exercitio*, ait, hoc ludo omnes ex æquo corporis partes exerceri, si quis velit; sin malimus vnam præ ceteris exercere, id etiam licere. Iulius Pollux *libr. 9. cap. 7.* quod est, *De Symposiorum ludis &c.* pilæ ludum laboriosum esse demonstrat. Eum adeas, nam ipsius verbis perlectis, ludum huiusmodi non solum crudis, sed lippis incommodum inimicumque esse, cognosces. Athenæus quoque *libro primo. Dipnos. cap. 8.* multa dicit intentione multoque labore opus esse ad ludum exercitationemque pilæ, & robore ad reuolutiones in caput. Nunc ad Horatium: crudus enim intelligitur Virgilius, cum Horatius supra, se lippum esse fateatur. Lippis quoque pilæ lusum inimicum esse eadem de caussa, scilicet propter humorum, qui oculos vexāt, agitationem, nemo ibit inficias. Adde quod Aristoteles *Problemate 11. Sectionis prima*, corpora, quæ vehementer incalescunt, ac humore priuantur, aridis lippitudinibus infestari ait. Talem vero fuisse Horatii lippitudinem crediderim, cum ipsemet non vno in loco se biliosum fuisse arguat. Biliosos autem ob carnis caliditatem, & siccitatem, siccas lippitudines inuadere testatur Hippocrates manifeste *in libro De aqua, locis, & aere.* Cui astipulatur Galenus *in explicationibus ad Aphorismum 13. particula 3.* dum in hanc sententiam loquitur, *In calidis vero naturaliter, & cholericis sicca opthalmia erit. Sicca dicitur, cum nihil ab oculis mittitur.* Et mox, *cholericis autē sicca ophthalmia euenit propter caliditatem capitis, & siccitatem sui.* hæc ille. Satis ergo patet, Horatium sicca laborasse lippitudine Lippitudinis ratione factum est (vt hic alter huius Poetæ locus *in eadem Satyra. 5.* declaretur) vt cœnare, cum aqua esset insalubris, noluerit sic enim ait:

> *Hic, ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri*
> *Indico bellum, cœnantes haud animo aquo*
> *Ex spectans comites. &c.*

Quam rem Iacobus Taurellus, vir doctissimus, olim in Perusino Gymnasio ad eius sobrietatem indicandam, dum publice Horatium interpretaretur, adnotandam esse censuit; & si alioqui de Lyricorum more, hic Poeta in vini potatione suadenda multus sit, seq; bibacem plane demonstret, quod antea ab Anacreonte in

eius, qui typis cusi sunt, versibus, & ab Alcæo Poeta Mitylenæo, apud Athenæum *lib. 1. Dipnos. cap. 17.* & ab aliis alibi tactum videmus. Quanquam non me latet Hippocratem, *Aphorismo 31. part. 6.* dixisse, meri potionem dolores oculorum soluere; & Galenum *in Com. ad eum Aphorismum* testari, se iuueni cuidam sicca lippitudine male affectum, cui oculi quasi sicci, venæ autem turgentes essent, vt balneo, & modica vini potione vteretur, præcepisse. Quod me tamen de mea non deiicit sententia, cum Hippocrates *in libro de Visu*, ad lippitudinem annuam & popularem, inter cetera, aquæ potum conducere dicat: idemque Galenus loco prænotato, dicat, sanguinem coagulatum, qui in oculis decumbit, potu vini, quod propriè coagulata dissoluit suumque ob motum citissimum a venis eiicitur, fundi ac depelli, si alia corporis plenitudo non adsit; a qua Horatium immunem, ob literarũ studia, desidemq; vitam, cum & biliosus esset, neutiquam fuisse credendum est, alioqui a mero saltem modico, quod citra abstinentiæ iacturam fieri eo casu poterat, non abstinuisset. Huc spectant hi eiusdem versus *ex Epistola ad Valam lib. 1.*

gelida cum perluet vnda
Per medium frigus.

Et infra:

Collectosne bibant imbres, puteosne perenneis
Iugis aqua: nam vina nihil moror illius oræ.

Iam igitur patet ex prędictis; qua lippitudine Horatius laborauerit, & cur lippis pilæ ludus sit inimicus. Quib⁹ etiam & hoc accedat, noxium esse id genus ludi lippitudinibus, propter oculorum exercitium, citumq; varias in partes deflexum, quibus rebus oculi vexantur. Hæc autem vsuuenire ludẽtibus, nemo est qui nesciat, & Galenus *in libro de Parua pila exercitio*, loquens in hãc sententiam, demonstrat, *Quod vero*, inquit, *etiam oculos exercere oporteat, hinc discere datur, si in memoriam reuocauerimus, quod nisi quis pilæ momentum, quo feratur, diligenter præuideat, necesse est vt ab eius prehensione aberret, &c.*

Quid Latinis Græcisque auctoribus, animæ amissio significet, & quid caussa sit, vt non potius corporis amissio dicatur, cum anima principem locum obtineat. Seruus cur corpora appellentur.

CAPVT XII.

P*Vblica autem iudicia hæc sunt, Lex Iulia maiestatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem vel Remp. aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit: cuius pœna, animæ amissionem sustinet, &c.* Verba hæc sunt Iustiniani Imperatoris *in Institutionibus sub Rubrica, De publicis iudiciis*, quæ cum pridem legerem, accipiebam *animam* cum Accursio nostrisq. Iureconsultis, pro *animato corpore*, quandoqui-

doquidem, vt ille ait, anima non in hominis, sed in Dei potestate consistit. Cui concinere videbatur hic Iuuenalis *ex Satyra 9.* versiculus,

Quorum animas hic farre suo custodit, & aere.

Id est, vt quibusdam placet, animata corpora. Verum cum postea animaduerterem Latinos auctores, qui elegantius loquuti sunt, Græcosq; simili loquendi modo vsos fuisse, vt Sallustiũ in Catilina, vbi inquit, *Quod si virtuti vestra fortuna inuiderit, cauete ne inulti animã amittatis.* Et Probum *in Epaminonda*, vbi de eius obitu loquitur; Homerum *Iliad. lib. 24* Musæum *in libello de Herone, & Leandro*, & alios; cœpi rem attentius pressiusque considerare, & *animã* pro *vita* accipiendam censui, eamq; rem cum aliis argumentis, tum his Sallustii eiusdem ex Catilina verbis demonstrari intellexi: sic enim inquit, *Nam fere quem quisq; viuus pugnando locum ceperat, eum amissa anima, corpore tegebat, &c.* Vnde morientes *animam efflare* dicuntur. Alioqui anima pro animato corpore sumitur. Lucretius *lib. 4.*

Nam certe ex viuo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniam talis natura animai.

Atque ita etiam pro homine apud Hebræos non semel hæc vox vsurpatur, *vt Numer. cap. 19. Act. Apost. cap. 27. & alibi.* Quam rem Chrysostomus *Homilia 49. in cap. 24. Matthæi*, Epiphanius *in libro, cui titulus est, ἀγκύρωτος*, aliique adnotarunt. Si Nonio Marcello credimus, *anima* etiam pro *corpore*, seu cadauere aliquando accipitur, vt apud Vergil. *Æneid 11.* vbi ait,

Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus.

Sed hæc satis aperta. Illud vero non modica difficultate obstructum videtur, morientem hominem, *animam* dici *amittere*, non e diuerso corpus. Cum enim anima in hominis compage principem locum obtineat, & a dissolutione supersit; potius dicendum videtur, hominẽ, qui morte corripiatur, corpus amittere, quam animam. Aristoteli namque *libr. 1. de Anima, tex. com 90* anima magis corpus cõtinere videtur, quam corpus animam. Ad quem locũ Auerrhoes inquit, animam magis esse dignam, quæ caussa sit copulationis corporis, quam e contra. Idemque Aristoteles *lib. primo De partibus animalium cap. vltimo*, corpus totum, animæ gratia conditum dicit. Quin quanquam homo ex anima & corpore constat, tamen animam ipsam non corpus, hominem esse, Cicero *in Somnio Scipionis* testatus est. *Tu vero* (inquit) *enitere, & sic habeto, te non esse mortalem, sed corpus hoc. Nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusq; is est quisque, non ea figura, quæ digito monstrari potest.* Hæc ille. Plotinus quoque *in libro, cui titulum indidit, Quid est animal, quid homo*, animam

ipsam, verum esse hominem censuit. in quorum sententiam discessit Macrobius *lib 2 cap. 12. Com. in Somnium praenotatum*. Quid ergo dicendum est? censuerim hunc loquendi modum vsurpari, quod tunc anima pro spiritu, & vita, nō autem pro ipsa anima rationali accipiatur, vel quia corpus solum in cernendi contrectādiq; sensum cadit, solumq; nostrum esse videtur. quam sententiam nobis suadet Seruius *in explicationibus ad ea verba Palinuri libro 6. Æneidos Verg.*

Nunc me fluctus habet, versantq; in litore venti.

Dum sic inquit, *Quia secundum Philosophos corpus solum nostrum est, quod nobiscum oritur, nobiscum perit. Anima enim generalitatis est, & adeo non est nostra, ut etiam in alia corpora plerūq; transeat. Ergo, Me, corpus meum. quod est hominis proprium. Est autem Homeri,* αὐτοὺς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσι. hæc Seruius. Qua fortasse ratione, serui, qui in nostro sunt dominio, corpora a Græcis appellantur. Athenæus *Dipnos. libr. 5. cap. 8.* ex Moschione, qui De naue Hieronis Syracusii commentaria scripsit, sic habet, Ἀρχιμήδης ὁ μηχανικὸς μόνος αὐτὸ κατήγαγε δι' ὀλίγων σωμάτων. κατασκευάσας γὰρ ἕλικα, τὸ τηλικοῦτον σκάφος εἰς τὴν θάλασσαν κατήγαγε. πρῶτος δ' Ἀρχιμήδης εὗρε τὴν τῆς ἕλικος κατασκευήν. Id est, *Archimedes Mechanicus solus paucorum corporum adiumento (is enim Helicem comparauit) tantam nauim in mare deduxit. Primus autem Archimedes Helicem vsum excogitauit.* Tametsi in Latina Athenæi versione, videamus vocem σωμάτων ad instrumenta referri. Quod a doctissimo interprete non sine aliqua ratione, aut auctoritate factum esse non est verisimile. At rem citra controuersiam manifestam ostendit Epiphanius *libro praenotato*, dum in hanc loquitur sententiam. *Et consuetudo,* inquit, *solet seruos, corpora vocare. Dominus, inquit, centum corporum: imò etiam animas habentium. Quandoquidem vero dominium hominum, corporibus dominatur, & non animabus, propterea seruos, merito corpora vocarunt, et cum animæ, ut corporis vsum ostenderent.* hactenus Epiphanius.

Auli Gellii locus emendatur, & quæ esset funebrium tubarum forma, a Casellio, Capitone, Gellio, Nonio, & ceteris ignorata, item tibiarum, & quem sonum Siticines inanierant declaratur. Quæ de eisdem tubis tibiisque a nonnullis prodita sunt, improbantur, & cur grauem sonum organa musica, quæ inflantur, emittant, demonstratur.

CAPVT XIII.

VT Aulus Gellius retulit *Noctium Atticarū lib. 20. cap. 2* Marcus Cato *in Oratione, quam inscripsit, Ne imperium sit veteri, ubi nouus venerit,* sic loquut' est, *Siticines, & liticines, & tubicines.*

Sed

Sed Casellius Vindex, inquit Gellius in Commentariis lectionũ antiquarum, *scire quidem se ait, Liticines lituo cantare, & tubicines tuba; quid isthuc autem sit, quod Siticines cantant, homo ingenua veritatis, scire se negat. Nos autem in Capitonis Attei Coniectaneis inuenimus, Siticines appellatos, qui apud sitos canere soliti essent, hoc est vita functos, & sepultos. Eosq; habuisse proprium genus tubæ, qua canerent, a ceterorum tubicinum proprietate differens, quos Sicinistas vulgus dicit, &c.* Eadem fere habet Nonius Marcellus. Sed in qua re proprium illud genus tubæ a reliquis tubis differret & quid diuersum Siticines a tubicinibus canerent, neuter, nec vllus alius scriptor explicat. Quæ res ne amplius in obscuro decumbat, aliqua a nobis afferenda sunt in medium, si tamen prius lectorem monuerimus, videri corruptum esse Gellii contextum eo loci, vbi inquit, *Quod Siticines cantant.* Non enim quod, sed, quo, est legendum, cum de instrumento, non de modo loquatur. Quã rem satis intelligimus ex eo, quod Gellius ex Capitone subiicit, scilicet, Siticines habuisse proprium genus tubæ qua canerent, a ceterorum tubicinum proprietate differens. Est igitur sciendum, tubas illas fuisse ceteris latiores, ac longiores, quales in antiquorum sepulcris aliquando exsculptas vidimus; ipsosq; Siticines graue canere consueuisse. Longitudinem quidem maiorẽ, quam in ceteris tubis esset, demonstrat Ouidius *libro 2. Amorum. Elegia 6.* vbi loquẽs de morte Psittaci, aliasq; aues, vt defuncti funus faciant, alloquens, sic canit,

Horrida pro mœstis lanietur pluma capillis,
Pro longa resonent carmina vestra tuba.

Vides tubæ longitudinem signari. Latiores vero ceteris eas fuisse, ostendit Galenus *lib. 3. De Symptomatum caussis*, eo loci vbi de flatibus loquitur, qui in ventre inferiore fieri solent, *Porro*, inquit, *sunt alii bombosi, bombis latissimarum tibiarum non absimiles. quales habere solent ii, qui Thymbaula, id est, Siticines nominantur: quæ ob materiam, ex qua constant, purum sonum reddere non possunt, & via qua spiritus transit, latitudo, sonum efficit grauiorem. Atqui huiusmodi flatus in crassis intestinis consistunt, vbi vacua fuerint ab excrementis. Quod si humor quispiam in his continetur, accedit hinc quoque bombo forma quædam; vocantque omnes eiusmodi sonum, vel potius murmur, Græce borborygmon, &c.* Licet vero de tibia loquatur, quia tamen & tubis Siticines vtebantur, nullo pacto ambigendum est, eos sicut tibias, ita etiam tubas latiores habere consueuisse: quo grauior, nempe lugubris, sonus emitteretur. Siticines autem grauiorem incinere sonum consueuisse, demonstrat etiam Aristoteles *libr. 5. de generatione animalium*, dum in hanc loquitur sententiam; *Spiritus enim calidus, crassitudine sua, grauitatem efficit vocis. Frigidus præ sua tenuitate contrarium facit, quod vel in tibiis patet. qui enim calido vtuntur spiritu, &*

talem emittunt qualem Siticines & lamentantes, grauiorem sonum inspirant tibiis, &c. Siticines vero lamentantesque ... ab Aristotele ibi nuncupantur, quos Apuleius *lib. 1. Floridorum*, Monumentarios dictos, fidem facit his verbis, *Is igitur Antigenidas cum esset in tibicinio adprime nobilis, nihil aque se laborare, & animo angi & mente dicebat, quam quod monumentarii Coraule, tibicines dicerentur, &c.* Quo loco ex itinere adnotandum est, non conuenire Dionem Chrysostomum in nomine. Huius enim sententiæ verba habet in 9. Oratione, *Dixit autem paulo ante has tempora Philosophorum quidam non malus, Ismenum ob hoc maxime indignari solitum, quod Siticines appellarentur tibicines. At nequaquam res est indignatione digna, vt mihi quidem videtur. nihil enim mortuis detrimenti afferunt Siticines, neque illis sunt molesti.* hæc Dio. Nunc ad rem. Verum & si in vniuersum grauis sonus feralis lugubrisque erat; Fuit nihilominus in vsu Lydia harmonia acuta stridulaque. Refert Plutarchus *in lib. De Musica*, Platonem Lydiam harmoniam deprecari, quod acuta, vehemens, & stridens sit, aptaque complorationibus. *Primaque*, inquit Plutarchus, *eius constitutio, lugubris quadam res traditur fuisse, ac primum Olympum funebre tibia carmen in funere Pythonis, Lydio ritu cecinisse, in primo Musica scripsit Aristoxenus, &c.* Idem Plutarchus *in Polit.* ex Platone eodem, modulationem, & cantum Lydium, luctuosum, conquestuosumque esse testatus est. Accedit eo Pollucis quoque testimonium, qui *libro* 4. loquens de tibiis, sic ait, si Latine eius verba exprimas, *Paratreta luctus conueniebant, acute & lente inflata, &c.* Ad tibias lugubres quod attinet, non est ignorandum, scriptum eodem libro reliquisse Pollucem, Phryges lugubrem tibiam inuenisse, qua ab ipsis accepta Cares vsi sint. Lactantius, siue Luctatius Grammaticus ait, Siticines vtos Phrygio modo, inuento a Pelope Phrygio, apto ad euocationem animarum. γίγγρας tibias, Phœnicum inuentum, lugubres fuisse, ostendit Iulius Pollux libro citato (de his & Athenæus *lib.* 4. *cap.* 24.) sic & Dydimus, dum ita scribit, οἱ ... τὸν αὐλὸν ... ναι, ὁ γὰρ αὐλὸς πένθιμος. Funebres tibias Flamini audire, illicitum fuisse Festus ait *lib.* 6. nihilominus ex Massurio Sabino apud Gellium *lib.* 10. *cap.* 15. patet, funus exsequi Flaminem, religione minime fuisse impeditum, in quo citra dubium hæ tibiæ audiebantur. Tales autem erant aduncæ, quod satis indicat Papinius *libro* 6. *Thebaidos*, dum sic canit,

> *Cum signum luctus cornu graue mugit adunco*
> *Tibia.*

Hæ tibiæ ex ebore fiebant, Propertius,

> *Tibia Mygdoniis luget eburna sonis.*

Quæret hic fortasse aliquis, cur Galenus, Aristotelesque Siticinum mentionem facientes, tibias duntaxat, nō tubas nominauerint

ne cu

(?) ...xur etiam Cicero *in Miloniana oratione* loquēs de funere Clodii, tibiarum non tubæ meminerit, vbi inquit, *Sine cantu, sine tibiis, &c.* & Alex. Aphrod. *Problem. 76. libri primi*, lugentibus tibiæ cur adhiberentur cum quærat, nullam tubæ mentionem faciat? Quantum spectat ad Aristotelem, Galenum, & Aphrodisçum, respondeo, eos tibiarum solum meminisse videri, quod hæ essent frequentiores, cum minoribus funeribus popularium, aut si libet etiam nobiliorum hominum, puerorumq. adhiberentur; tubæ contra rarius conspicerentur, quod in maioribus funeribus nobiliorum vsurparentur. Singulis hæc auctoritatibus probasse sit satis. Ouidius *Tristium lib. 5. Elegia prima*,

Interea nostri quid agant nisi triste libelli,
Tibia funeribus conuenit ista meis.

Suam enim extenuans fortunam Ouidius, tibiam sibi non tubam conuenire dixit. nam vt inquit Propertius,

Tibia funesta tristior illa tuba.

Et ipsemet *lib. 3. Fastorum*,

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Matthæus Euangelii *cap. 9.* *Cum*, inquit, *venisset Iesus in ædes primatis, vidissetq. Tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis, Secedite, non enim mortua est adolescentula.* Vides, licet puella primatis esset filia, tamen tibicines, non tubicines funeri fuisse adhibitos, nimirum, quantum coniectura assequi licet, ratione ætatis defunctæ. Persius *Satyra 3.* funus describens patricii viri, tubicinem non tibicinem facit adesse. Inquit enim,

Hinc tuba, candelæ, tandem beatulus alto
Compositus lecto, crassisq. lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit.

Quod pertinet ad Ciceronis locum, facere ille videri potest tibiarum, nō tubæ mentionem, vt Deorum ira Clodio etiam mortuo illatam infelicitatem augeat: quasi dicat, nec tibiæ quidem, quæ minoribus populariumq; hominum funeribus adhibentur, adfuerunt. Verum quanquam, quæ dicta sunt, vera esse in faciem, ac subsistere videntur, est nihilominus animaduertendum, nō solum maiorū natu populariumq; funeribus tibias esse adhibitas, sed etiam nobiliorum. Cicero enim *lib. 2. de legibus* sic inquit, *Honoratorum virorum laudes in concione memoranto, easque etiam ad cantus, ad tibicinem prosequuntor: cui nomen Nænia. quo vocabulo etiam Græci, cantus lugubres nominant.* Hæc ille. Testantur quoque Festus *lib. 12.* & Nonius vbi de Præficis, & Nænia (hic quidem verbis Varronis *ex libro 4. de Vita Pop. Rom.*) nænias in funere ad tibiam cani consueuisse. Communes autem funeribus omnibus nænias fuisse, est existimandum. Vnde in Miloniana oratione, quem cantum & quas tibias Cicero significare voluerit, iam manifeste intelligis. Putauerim itaque tibicines funeribus qui-

buſcunque adhibitos olim fuiſſe, eamque ob rem frequẽtem funebrium tibiarum inueniri mentionem, tubæ non item. Ex quibus patet Franciſcum Algerum Florentinum, Gregorium Giraldum Ferrarienſem, multoſque alios errare (horum opinionem refert eruditiſſimus Manutius *in lib. de Legibus Romanis*, nec improbat) qui aiunt tubicines adhiberi conſueuiſſe funeribus hominum ætatis prouectioris, puerorum vero tibicines; & eorum, quæ relata ſunt, nullam habent rationem. Verum quid de Atteio Capitone dicemus, qui de Siticinibus ſcribens, tubæ duntaxat facit mentionem? Putauerim id eum feciſſe, non quod frequentiores tubis tibias eſſe, Siticinéſque ipſis vti ignoraret; ſed quo diuerſitatem tubæ adnotaret; & ſi cum diuerſæ etiam horum a reliquis tibiæ eſſent, earum etiam meminiſſe debuit. His ſatis proque ingenii noſtri captu explicatis, reliquum eſſe videtur, vt aliquid de cauſſa grauitatis cantus tibiarum, tubarumque, breuiter tamen, dicamus. Ariſtoteles quidem, vt vides, craſſum inflantis aerem, eam eſſe affirmat: Galenus vero inſtrumenti latitudinem; qui etiam *Artis medicinalis cap. 69.* ſic inquit, *Eo modo, neq; acuta natura vox ſine anguſtia faucium; neque grauis ſine latitudine fieri poteſt.* Idem *Com. 23. in libr. 3. Hippocratis de Morbis vulgaribus; ad part. 32.* vocem ſonoram, & acutam, a ſiccitate effici organorum teſtatur: quæ res etiam cauſſam præbere mihi videtur acutæ echticorum voci, licet Ariſtoteles *Problemate 37. ſectionis 19.* paucitati aeris velociter lati id tribuat, qui fortaſſe & ſiccitatem tracheæ, talem vocem ſimul in echticis efficere non negaſſet. Sane grauitatem vocis ſonique, cum latitudine organi craſſus aer vna parere videtur. Cum vero arcta aer permeat via; tenuis prodit, quod perſpicere potes hyeme. Si enim aperto ore exſufflaueris, ſpiritum cernes in nebulæ aut fumi morem ſatis craſſum: ſi vero compreſſis labiis; adeo idem ſpiritus tenuis erit, vt oculorum ſenſum effugiat. Idémque vſuuenit in muſicis organis, quæ vel follibus, vel ore inflantur: nam ſi os, quod flatum primo accipit, nimis ſit contractum, acutum ſonant, tenui nimirum & cito aere, fractoque ingrediente. Si vero patens latumque ſit, grauem mittunt ſonum, ob craſſum, lenteque latum. Pariter cum eadem organa incaluerint inarueríntque, acutum ſonant. Sed hæc hactenus.

Librorum inſcriptiones, cur tituli appellentur. Boeichemi, Alciati, aliorumque ſententia reiecta. Vnde factum ſit, vt libri permulti nullos, vel adulterinos titulos habeant.

CAPVT XIV.

CVm olim Alciati commentaria legerem ad Titulum Pandectarum *De Rebus creditis ſi certum petatur*, animaduerti doctum cæteroqui hominem cenſere, Titulum inde dictum, quod factum

ſtitium nomẽ, & memoriam tueatur auctoris. Quam ille nominis notationem mutuatus eſt a Marino Becichemo Scodrenſi, qui *Epiſtolicarum quæſtionum Centuria prima, cap 49.* ſic inquit, *Titulus autem dictus eſt, quaſi tutulus, eo quod factum, nomen, & memoriam tueatur auctoris.* Sic Becichemus. Quæ ſententia paſſim recepta eſt, videturque his Varronis verbis *ex lib 6 de Lingua Latina*, poſſe comprobari. *Tutulati*, inquit, *dicti ſunt, qui in ſacris capitibus habere ſolent vt metam. Id tutulus appellatur, ab eo quod matres familias crines conuolutos, ad verticem capitis quos habent vti velatos, dicunt tutulos; ſiue ab eo quod tuendi cauſa capilli fiebat; ſiue ab eo quod altiſſimum in vrbe, quod eſt arx, ea res tutiſſima, tutulus vocatur.* Hæc Varro. Cui adſtipulatur Feſtus *lib. 18* qui titulos, milites eſſe dictos ſcriptum reliquit, quaſi tutuli eſſent, dum patriam tuerentur. Verum ego librorum inſcriptiones, titulos dictas exiſtimo, a Flaminicarum capitis ornameto, quod vitta purpurea innexa crinibus fiebat. Idem Feſtus *libr. 17. Tutulum vocari aiunt Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & exſtructum in altitudinem, &c.* Quãquam inuenio apud Iulium Pollucem *lib. 4* vbi loquitur de calceamentis veſtibuſque Tragicis, & Comicis, lenas etiam, meretricumque matres vittam quandam purpuream capiti inducere conſueuiſſe. Quia ergo inſcriptiones in librorum capitibus fiebant non ſine ornamentis & rubro colore dicta ſunt tituli, quaſi tutuli, a ſimilitudine videlicet ornamenti capitis Flaminicarum. Quod autem librorum tituli rubro colore ſcriberentur, ſatis eſt ex Martiale, & Ouidio manifeſtum. Ita enim hic ait *in principio lib. Triſtium,*

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Ille vero *Epigrammate 146 ad Lupercum de libro,*

Raſum pumice, purpuraq; cultum.

Legum quoq; tituli eodem exarabantur colore, &, vt quidam volunt, etiam earundem initia ſeu primæ literæ: quamobrem rubricæ dicti ſunt. Vnde Iuuenalis *Satyra. 14* maiorum leges rubras dixit, & Perſius *Satyra 5* Maſſurii rubricam. Non ſolum autem librorum legumq; tituli rubro ſcribebantur colore, ſed etiam ſepulcrorum. Plinius *lib. 33. Naturalis hiſtoria cap. 7.* ait, minium in voluminum ſcriptura vſurpatum, clarioreſq; literas vel in auro, vel in marmore, vel etiam in ſepulcris feciſſe. Quia vero librorum tituli minio conſcribebantur, plurimumque exornabantur antiquitus, dum ſcribæ librariique ſpatium & tituli & ornamenti ab iis, quos vulgo a minio, Miniatores appellamus, ſcribendi, relinquunt, factum eſt, vt antiquorum libri non pauci, ad noſtram ætatem, vel abſque titulis, vel cum ſpuriis inſcriptionibus, peruenerint. Multos ego manuſcriptos membranaceoſque libros, & reuerendæ vetuſtatis tales conſpexi, ſuperioribuſque annis Fer

Nnnn

rariæ apud Ioannem Bapt. Giraldum, virum eruditissimum & amicum meum, Heronis librum περὶ πολεμικῶν ὀργάνων, vllo absque titulo legi: cumque ille, cuius esset auctoris, se prorsus nescire diceret, ego qui eundem librum Bononiæ in Bibliotheca Diui Saluatoris vna cum Corrado meo & Ioanne Andrea Sartorio legissem, Heronis esse indicaui.

Cur dies ab antiquis in duodecim horas distributus sit, & Romani hereditatem omnem, ac pondera, mensurasq; plurimas in duodecim partes diuiserint, ex Galeno declaratum.

CAPVT XV.

SEmel tædium lectionis auctorum omnium ei, qui velit inter doctos haberi, deuorandum esse, non sine caussa eruditissimi viri censuerunt. multa enim, quæ aliquando vsui esse possunt, in iis libris delitescunt, quos a facultate, quam consectamur, longe videmus esse sepositos. Quod cum verum esse mihi compertum sit, legeremq; ideo Galeni lib. *De cuiusq; animi peccatorum notitia atq; medela*, in eum incidi locum, in quo scite atque eleganter, cur dies in duodecim horas ab antiquis, a Romanis vero hereditas (quam rem nemo iureconsultorum nostrorum obseruauit) cum pluribus & mensuris & ponderibus, in duodecim partes secentur, declarauit. Loquitur autem in hanc sententiam, agens de diei horarum numero duodenario; *Porro, inquit, numerũ hunc tanquam omnium vtilissimum delegerunt. dimidium enim cõtinet, & duplum, & quartum, & sextum, & duodecimum, qua nullus alius post ipsum numerus, vsq; ad vigesimum quartum, continere videtur. Hunc etenim tanquam longiorem repudiarunt, & duodenarium numerum veluti commoderatum iudicantes, in tot particulas totius diei tempus diuiserunt. Hanc autem partitionem ex vsu esse alii multi, & Romani ipsi experientia comprobantes, atque vtentes, ostendunt: siquidem hereditatem omnem, cum testamentum condunt, in duodecim portiones distribuunt, & ponderum, ac mensurarum, quibus in vita opus est, plurimas, in duodecim partes diuidunt.* Hæc Galenus. Vides quam bene rem auctor hic doctissimus explicet. Sane quod de mictu duodenario animalis cuiusdam in Ægypto Serapidi dicati, ab Hermete Trismegisto obseruato traditur, vnde dies in duodecim horas sit diuisa, horæque ab vrina sint dictæ, fabulam olet. Spectant ad ea, quæ de diuisione hereditatis dicta sunt, allata a Iustiniano *Inst. l. 2. de heredibus instituendis. § Hereditas & §. Et si plures.* cum his, quæ tum ab aliis interpretibus, tum a nobis in nostris Annotationibus scribuntur, quæ cum cuiuis obuia sint, consulto hic missa facimus.

Iustiniani leges in Institutionibus, Ciceronis verbis declaratus.

CAPVT XVI.

No

Digitized by Google

NOn exilem continere difficultatem videri potest Iustiniani locus *Instit. De iure naturali, gentium, & ciuili.* § *Sed ius quidem.* Verba Triboniani, Theophili, & Dorothei Græcorum Iureconsultorum, qui Institutiones hasce composuerunt, semperque sub Iustiniani persona loquuntur, hæc sunt, *Sed quoties non addimus nomen, cuius sit ciuitatis, nostrum ius significamus. Sicuti cum Poetam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Vergilius.* Nullo pacto hæc verba, Imperatoris personæ, aut etiam Græcis Iureconsultis, quadrare videtur: siquidem Græcus fuit Iustinianus, semperq; in Græcia vixit vt ab obscuris scriptorum monumentis est manifestum. Cur inquit, *Apud Græcos egregius Homerus, apud nos Vergilius?* At dices, ideo hæc verba proferri, quod Romanorum esset Imperator, vnde sui initium Procemii, seu potius Epistolæ, quæ eisdē Institutionibus præfixa est, se Principem Romanum, non autem Constantinopolitanū, aut Græcorum appellat. Quæ ratio & si plausibilis est, potest tamen & infrascriptis Ciceronis verbis, quæ mihi prima capessenti iuris elemēta & hoc loco hæsitanti, lectio obtulit, huiusmodi exturbari difficultas. Sic enim inquit *lib. 2 de natura Deorum*, Mutuemur hoc quoq; verbum, dicaturque tam æther Latine, quam dicitur aer: etsi interpretatur Pacuuius,

Hoc quod memoro, nostri cœlum, Grai perhibent æthera

Quasi vero non Graius hoc dicat. At Latine loquitur, siquidem nos non quasi Græce loquentē audiamus. Docet idem alio loco,

Graiugena de isto aperit ipsa oratio.

Hæc Cicero. Sic ergo hoc loco dicere possumus, Iustinianū quia Latine loquitur, quasi Latinum illis vti verbis, par esse.

Quem imitatus Vergilius, frigus penetrabile dixerit. Qua ratione frigus vrere dicatur. Aristotelis, Seruii & Galeoti Martii sententia reiecta.

CAPVT XVII.

VErgilius *libro primo Georgicorum*, docens, ad conciliandam terræ pinguedinem, quo pacto & cur steriles agros incendere prosit, inter cetera sic inquit,

Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, nouas veniat qua succus in herbas,
Seu durat magis, & venas astringit hiantes;
Ne tenues pluuiæ, rapidiue potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Cum, teste Aristotele *in Meteor.* & Galeno *lib. 3. de simplic. med. fac. cap. 5.* frigus densandi constipandique vim facultatemque habeat, videbitur fortasse semidocto alicui, male fuisse a Vergilio frigus dictum penetrabile, cum magis epithetum calori conuenire videatur, qui, eodem attestante Philosopho, aperiendi rarandiq; faciendi corpora, facultatem virtutemque continet. Verum non

ita rem habere, cum experimentũ, tum Lucretii versus (hunc imitatus esse Vergilius haud dubie videtur, cum frigus penetrabile dixit) satis demõstrant. Sic enim cecinit ostendere volens difficile admodum esse creditu, quidquam in rebus solidi reperiri:

Permanat calor argentum, penetraleq; frigus,
Quando vtrumq; manu retinentes pocula rite
Sensimus infuso lympharum rore superne.

Infra vero idem Philosophus (non enim est cur eum Poetam appellemus, quãdo nihil præter versus, poeticum habet) frigus manale appellat, ignem vero penetralem, vt perspicuum esse possit, pari penetrandi vi & frigus, & calorem pollere, recteque a Vergilio frigus dictum esse penetrabile. Illud vero non æque perspicuum est, cur frigus adurere Vergilius dicat, cũ nihil magis igni, cuius propriẽ munus exustio est, frigore sit inimicum? Nec vero solus hic Poeta huiusmodi vim frigori tribuit, sed etiam Lucanus, qui sic ait,

Vrebant montana niues.

Et Cornelius Tacitus *lib. 13. Ambusti multorum artus vi frigoris, & quidam inter excubias exanimati sunt, &c.* Multi etiam alii, quos breuitati consulens silentio inuoluo, talem in frigore vim agnoscunt. Ea qua ratione, si Pompeio *libr. 14* credimus, pruina nomen accepit, quod fructus scilicet ac virgulta perurat. Seruius quidem locum his verbis declarat, *Hoc ad solem, & ad frigus pertinet; nam vno sermone duo diuersa conclusit, quæ tamen vnum effectum habent. nam & frigoris finis, est caloris initium; & summus calor, frigoris est principium. vnde quasi vnus effectus est & frigoris & caloris.* hæc Seruius frigide nimis & insipide. Aristoteles vero *libro 4 Meteor.* ad rem quod attinet, in hanc loquitur sententiam, *At,* inquit, *frigus agens est. velut corrumpendi & labefaciandi vim obtinens, vel vt ex accidenti quippe tum molitur, quemadmodum supra docuimus. Siquidem frigus adurere & calefacere, & comminuere dicitur, non more quidem caloris, sed quod calor in vnum colligatur, aut certe aduerso teneatur conatu.* Hæc Aristoteles. Hunc sequutus Galeotus Martius, eius tamen suppresso nomine, sic loquitur sub finem *cap 3. lib. de Doctrina promiscua, Sed frigus nunquam vrit, licet vterq; Poeta* (loquitur autem de Vergilio, & Lucano) *dixerit: veruntamen caussam præbet incendii: nam adueniente frigore vehementi, ita calor, quod sparsim in foliis & herbis, & aliis huiusmodi, natura locauit, adueniente contrario colligitur in vnum, & fortius eum, qua prius fouebat, exurit. Exustio ergo a calore fit, caussam præbente frigore, &c.* Sed hi, vt Lucretii verbis vtar,

Magnopere a vera lapsi ratione videntur.

Non eo inficias, calore innato præditas esse plantas herbasque omnes, testantibus Aristotele ipso *lib. 2. de Part. animal. cap 3.* & Galeno *lib. 3 de Simplic. medic. facult. cap. 5.* & ratione ipsa suadente

te: siquidem alimentum e terra attrahunt, alterant, cõcoquuntque, crescunt germinant, fructusque generant, quæ munera caloris esse, nemo negat: sed tantum ipsis inesse, quãtus, si in vnum a frigore compellatur, ad exurendum satis sit, mihi non fieri vllo pacto verisimile, audacter affirmo. Minor enim hic est quam qui nedum exurere, sed & sensu percipi possit: siquidem plantæ non multo indigent calore ad alimentum cõficiendum, cũ, vt Aristoteles inquit *citato cap. 3* suis radicibus alimentum iam confectũ e terra hauriant, non ipsæ conficiant: quocirca excrementũ neutiquam contrahunt, cum terra caloreque eius perinde ac ventre vtantur. Modicus ergo ille calor omnino, quanquam per *ἀντιπερίστασιν* vnitus, exurendo est ineptus. Idque verum esse inde facile intelligitur, quod licet homo calore maxime affluat, quem tactu statim sentimus, cutimque frigori peruiam habeat, non tamen dum manus aut pedes frigore corripiuntur, calorem adaugeri sentit, aut exustionem se pati intelligit. Cum, si res, vt Aristoteles Martiusq; arbitrantur, haberet, & calorem intra manus pedesq; in algoribus adaugeri maxime, sensuque exustionem percipi oporteat. Adhæc in maximis caloribus, cum adeo Solis æstu syncalescunt herbæ arboresque, vt is sensu percipiatur, non tamen hæ exuruntur, si radicibus humoris copia suppetat. Est ergo dicẽdum, ob restinctum calorис innati in herbis plantisque, nullam amplius viuidi humoris fieri attractionem, humoremq; insitum a frigore depelli: vnde necessario euenit, vt hæ tanquam ignis calore adustæ inarescant, & ideo adustæ dicantur. Quod verum esse, hæc Ecclesiastici verba *cap. 43* fidem faciunt, eo loci, vbi de Aquilone sermo est, *Et deuorabit montes, & exuret desertum, & exstinguet herbam sicut ignis.* Ita enim legendum est, si Græci contextus fidem sequi velimus non autem, *Viride sicut ignem.* vt habet vulgata versio. Huc accedit Varro *lib. 4 de Lingua Latina*, qui sic ait, *Virgultum dicitur a viridi: id a vi quadam humoris, quæ si exaruit, moritur.* Quod autem frigefacta siccentur, inque pius ex quo frigefactis, calor, qui propriam rei naturam tuebatur, commoriatur, vnde corruptioni locus fit, est admodum manifestum, si quis Aristotelẽ *lib. 4 Meteor.* & Galenum *lib. 3. De Simplic. med. facul. cap. 13* legat. Huc etiam spectant e Democratis Clinico versus infrascripti, qui ab eodem Galeno *libr. 10 de Compositione phar. sec. loc. cap. 4* referuntur, de herba Iberide vocata, & Latine ita sonant,

Æstate tendens folia, donec multa hyems
Sarmentitiam reducat hæc ad imaginem, &
Deiecta, & exsiccata dependant gelu.

Cum igitur frigus calorẽ plantis innatum exstinguat, omnemq; enocet humorem, penitusq; inarescendi caussam præbeat (quod & calor efficere alia ratione solet) merito ex quadã similitudine,

comburere dicitur; non autem quod per ἀντιπερίστασιν a frigore calor insitus in vnum compulsus, adeo exardescat, vt partes, quibus obducitur, in ignis morem exurat.

Musæum Poetam antiquissimum, dum ventos ex diametro pugnantes induxit, parum Philosophorum regulas obseruasse videri.

CAPVT XVIII.

ANtiquissimus, pariter atque elegantissimus Poeta Musæus *in libello De Herone, & Leandro*, sic scriptum reliquit,

μαρναμένων ἀνέμων, ζεφύρῳ δ' ἀντίπνοος εὖρος
καὶ νότος εἰς βορέην μεγάλας ἐφίησιν ἀπειλάς.

Id est, *Pugnantibus ventis, Zephyro autem contra spirabat Eurus, Et Notus in Boream magnas immisit minas.*

Cum hi venti ex diametro inuicem opponantur, haud recte factũ a Musæo videtur, dũ eos vno eodemq; tempore vna flantes, quasi pugnam côserentes, magnamq; ideo cientes tempestatem, inducit. siquidẽ qui Philosophicas res diligentius pertractant, id fieri non posse affirmant; ipseque Philosophorum princeps Aristoteles *lib. 2. Meteor.* vbi late de ventis agit, huiusmodi inimul flatus fieri posse negat, dum in hanc loquitur sententiam, *Sic autem ordinatis ventis, manifestum est, quod simul flare contrarios quidẽ non est possibile: secundum enim diametrum. Alter igitur cessabit violentiam passus. Non sic autem positos ad inuicem nihil prohibet.* Hæc ille. Sed huiusmodi non pauca apud antiquos reperiuntur, temporum culpa. quibus omnes naturæ recessus non erant perlustrati. Huic Musæi errato simile & illud videri potest Alcæi Poetæ Mitylenæi, qui potum per asperã arteriam ferri, pulmonemq; eo perfundi existimauit. In hanc enim sententiam cecinit, vt legere est apud Athenæum *lib. 1. Dipnos cap. 17. & lib. 10. cap. 9.* ex Comitii versione,

Vino pulmonem irriga,
Flammata surgunt astra perfida Canis,
Sitiunt calore cuncta, tempus est graue.

Per asperã namq; arteriam non potus dilabitur, sed spiritus vltro citroq; commeat, vt ex humanorũ corporum dissectione tam apertũ est, quam quod apertissimum. οἰσοφάγος vero poculentis esculentisq; destinatur, quam gulam Latini appellãt. Verum, vt apud Gellium *libr. 17. cap. 11.* relatum legimus, non solum Alcæus, sed Plato, Hippocrates, Philistio Locrus, & Dioxippus Hippocraticus, commentum de potus in arteriam pulmonemque influxu crediderunt, ipseque Plutarchus, quamquam Erasistrato iure reclamante, in eorundem sententiam partim discessit.

Carnes assas elixis humidiores esse, an sit existimandum. Aristotelis. & Galeni sententia, quæ pugnantes videbantur, nullo negotio conciliata.

CAPVT XIX.

ARistoteles *Meteor. lib.* 4 de Hepsesi, id est, elixatione; ac optesi, id est assatione agēs, assas carnes elixis humidiores esse affirmat; quod nimirum quæ assantur crusta quadam obducantur, vnde meatus porique obstruuntur, insitusq; humor euocari nequit: cum contra in his, quæ elixantur, humor ab aquæ elixantis calore euocetur, & quasi exsugatur. Quod verum esse experimēta satis ostendere videatur. Si quis enim assas carnes, non tamen admodum excoctas, scindat, humorem quendam plane aqueum statim abunde effluere animaduertet; quod tamē elixis scindendis non vsuuenit, cum humor insitus in elixantem aquam, ac in ius abierit: cuius rei haud obscurum præbet argumentum ius ipsum, quod carnem sapit, idque magis vel minus, quo magis aut minus caro hepsesin fuerit passa. Verum quamquam citra controuersiam, Aristotelis sententia vera esse videtur, super ea tamen ambigere fluctuareque semidoctus fortasse lector cogetur, cum Galenum contrarium plane sentire viderit. In hanc enim loquitur sententiam *lib.3. de Alimētorum facultatibus, cap.1. Quæ namque*, inquit, *assantes, aut in sartagine frigentes mandunt, ea corpori siccius dant alimentum: quæ vero in aqua præcoquunt, humidius: quæ in patinis condiuntur, inter hæc media sunt, &c.* Sed dissidium aboleri posse videtur, si dicamus, Aristotelem de insito proprioque carnium coctarum humore esse loquutum, Galenum vero de adscititio, extrinsecusque illapso. Cum enim rem medicam pertractet, coctas ipsas carnes non absolute, quales ex se sint (qui Philosophorum mos esse consueuit) cōsiderat, sed duntaxat prout se habent ad corpus humanum, quod medico faciendum esse ipsemet demonstrat *De simplic. med facul. lib.1. cap. nouissimo; lib. 2. cap. 20. & lib. 3. cap. 4. & 5.* Adhæc dicendum etiam videtur, Galenum loqui de carnibus perfecte assatis, ac plane exsuccis (artem namque parandorum obsoniorum, quæ medico plurimum conuenit, & de qua nonnulli medicorum libros etiam antiquitus, vt apud Athenæum patet *libr. 12. cap. 4.* ediderunt, melius Galenus ipse callebat) quæ iucundiores & gratiores quam humidiores, ac aqua illa manantes, esse solent, quamquam non ita concoctioni expositæ. Illud vero prorsus indubitabile est, aquam dulcem potabilemque, non solum alimenta humidiora reddere; sed etiam vlcera squalida, & quæ supra modum inaruerint, emollire, vdaq; efficere, vt citato *lib.1. de simplic. med fac. cap. 7.* idem testatur: qui capite mox sequenti & hoc literis prodidit, ab aqua feruenti corporibus exustis, siccitatem vti iis, quæ ab igne sunt assa, neutiquam conciliari.

Quam vere Iustinianus Hippocentaurum esse non posse dixerit. De Centauris monstrorumq; ortu multa, nec passim obuia. Vlpiani sententia reiecta.

CAPVT XX.

CVm in villam agri Anglarensis, cui *Camparma* nomen est, montanã quidem, at aucupiis, venationibusq; & lucorũ umbra ingentium æstate gratissimam, concessissem; essetq; mecum Paulus Ligius, iuuenis legalis Philosophiæ studiosissimus, inclinato in postmeridianũ tempus die, vt obrepentem somnũ amoliretur depelleretque, anagnostis ille cœpit fungi munere Anglare namq; digrediẽs, muto: quosdam magistros in enchiridiorum formam contractos, sibi comites asciuerat, inter quos Iustiniani erant Institutiones. In his sub titulo *De inutilibus stipulationibus*, quæ adscribimus, tunc verba legebat, *At si quis rem, quæ in rerum natura non est aut esse non potest, stipulatus fuerit, veluti Stichum, qui mortuus sit, quem viuere credebat, aut Hippocentaurum, qui esse non possit, inutilis erit stipulatio.* Hic cœpit ille subdubitare & in eam facile adduci sententiam, vt Iustinianum, seu potius veteres harum institutionum auctores, lapsos crederet, dum ideo stipulationem subsistere negant, quod Hippocentaurus esse non possit. Cuiq; enim, qui literas nosset, satis constare Claudium Cæsarem, vt est a Plinio *lib. 7. Naturalis historiæ cap. 3.* relatum, scriptũ reliquisse, Hippocentaurũ olim in Thessalia esse natum, eodemque die interiisse: eundemq; Plinium, eius Principatu sibi ex Ægypto in melle allatum, se vidisse testari. Esse igitur posse Hippocentaurum, atque ideo stipulationis robori locum esse. discendi videri, ille discendi studio contendebat, & ecquid ego hac de re sentirem sciscitabatur. Respondi institutionum auctores receptam scriptorum multorum sentẽtiam sequutos, qui Hippocentauros seu Centauros confictas esse monstra, nunquãq; in rerum natura fuisse, censuerunt; eaq; etiam ratione non valere stipulationem, sciuisse, quia, & si huiusmodi monstra nascantur (similia namque aliquando monstra diuersique etiam generis fieri, illis minime obscurum fuisse, nemo negabit) nõ tamen vllo pacto viuere possunt; statim namque edita emoriuntur. Quã ratione verba hæc a Vergilio 6. *Æneidos* prolata Seruius affirmat,

Centauri in foribus stabulant, Scyllæq; biformes

Sic enim scriptum reliquit, *Bene in foribus, quia, & quæ contra naturam possunt creari, statim pereunt &c.* Verum quæ, ne memoriæ lapsu omisisse de Hippocentauris monstrisque, & ad hunc locum spectare videntur, referam. Lucretius *lib.* 4 commentitia monstra hæc esse affirmat, sic enim canit,

Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo
Esse queunt duplici natura, & corpore bino.
Ex alienigenis membris compacta potestas:
Hinc illinc par vis, vt non par esse potis sit,
Id licet hinc quamuis hebeti cognoscere corde.
Principio circum tribus actis impiger annis

Flore-

Floret equus: puer haud quaquam, sed sæpe etiam nunc
Vbera mammarum in somnis lactantia quærit.
Post vbi equum validæ vires ætate senecta
Membraque deficiunt fugiendi languida vita,
Tunc demum puer. is æuo florente iuuentus
Occipit, & molli vestit lanugine malas.
Ne forte ex homine, & veterino semine equarum
Confieri credas Centauros posse, nec esse
Aut canibus rapidis succinctas semimarinas
Corporibus Scyllas, & cetera de genere horum,
Inter se quorum discordia membra videmus.

Idem hoc ipsum citato libro affirmat, his verbis,

Omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
Partim sponte sua, quæ fiunt aere in ipso,
Partim quæ variis ab rebus cumque recedunt,
Et quæ conficiunt ex harum facta figuris,
Nam certe ex viuo Centauri non fit imago,
Nulla fuit quoniam talis natura animai,
Verum vbi equi atq; hominis casu conuenit imago
Hæresc it facile exemplo, quod diximus ante,
Propter subtilem naturam, & tenuia texta.

Cicero *lib. 1. Tusculanarum Quæst. Is plane* inquit, *perspiciet, inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit, & Regem Agamemnonem, nihil interesse, &c.* Idem *lib. 2. de Natura Deorum, Quis enim Hippocentaurum fuisse, aut Chimæram putat?* Sic Cicero. Cui adstipulatur Ouidius *lib. 4 Tristium, Elegia 7* sic canens,

Quod precor esse liquet: credam prius ora Medusæ
Gorgonis anguineis cincta fuisse comis.
Esse canes vtero sub virginis, esse Chimæram,
A truce quæ flammis separat angue Leam
Quadrupedesq; homines cum pectore pectora iunctos,
Tergeminumq; virum, tergeminumque canem.

Hammonius *in lib.* περὶ ἑρμηνείας. *Quod,* inquit, *possibile est, & contingit aliquando esse; ridiculum fuerit si quis dicat esse impossibile: repugnantia enim loquetur. Quod autem non possibile est esse, neque esse continget, vt non possibile est, neque continget Centauros esse, ergo impossibile est esse, &c.* Ioannes quoque Chrysostomus *Homil. 14 7. ad cap. 3. Epistolæ ad Colossenses*, Hippocentauros, monstra esse ficta testatur. Aristot. *lib. 2. Phys.* ait, quod quemadmodum non inuenitur planta, quæ ex vite & olea composita, vinum ac oleū producat, ita non inuenitur animal ex homine & tauro cōflatum. Palephatus *in lib. De non credendis Poetarum fabulis*, & Lucanus *in Phar.* pariter negant Centauros esse. Orosius *lib. 1 cap. 14* hæc quę ad rem nostram pertinent, scripta reliquit, *Sed,* inquit, *Thessalos Palephatus in libro primo incredibilium, prodit ipsos a Lapithis cre-*

dutos, dictosque fuisse Centauros, eo quod discurrentes in bello equites, veluti unum corpus equorum, & hominum viderentur, &c. De Centauris Diodorus Sic. *lib* 5. & Seruius *ad illum Georgicorum lib.* 3.

Frena Peletronii Lapithæ, gyrosq; dedere.

Plutarchus tamen *in lib. cui titulus Latinis verbis inditur, An brutis ratio insit*, existimare videtur, Minotauros, Ægipanes, Sphinges, Centaurosq; ex promiscuo hominum cum brutis coitu nasci. Thales etiam idem visuuenire demonstrauit; traditum namq; est, cum in Periandri armẽto monstrum ex equa natum, quod pectore tenus humana præditũ esset effigie, vidisset, subridẽtem monuisse, ne pastorib. quib. vxores deessent, vteretur. Rabbi Eleazer, vir impendio delicus, *in explicationibus suis ad cap.* 1. 2. *Genes.* ait ex promiscuo Protoplasti cum brutis, iumentisque omnibus coitu, monstrosos homines editos esse. quam rem retulisse, mihi erat religio, nisi prius ab Hispano quodam pio viro, ex Franciscanorum familia, *lib.* 3. *Fortilitii fidei* (hunc enim ille titulum operi suo adscripsit) relatam animaduertissem. Eadem obscœna & a piorum mentibus arcenda opinio, nugacibus quoque Thalmudistis insedit, vt ex his, quæ ipsi in libro Hyebamud, in citatum *cap.* 2. *Genes.* ad ea verba, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea* literis prodiderunt, perspicitur. Sed ad Centauros atque ad rem nostram redeo. Galenus *lib.* 3. *de Vsu partium corporis humani capit.* 1. optimis demonstrat argumentis, absurdam, atque impossibilem esse Centaurorum procreationem; cui illud in postremis non habetur, substantiam hominis, & equæ permisceri non posse. Eius prolixum nimis sermonem, breuitati studens omitto. Aristoteles *libro* 8. *de Historia animalium cap.* 28 ea animalia, quæ diuersi generis sunt, si coierint, tunc generare affirmat, cum eadem ferendi vteri tempora habuerint, & corporum magnitudinibus non multum discrepauerint. Atque idem testatur *lib.* 2. *de Gener. anim. c.* 5. illud etiam addens, prolificam fieri admissuram, si animalia natura non multum distant. Et infra *lib.* 4. *capit.* 3. ouem ex homine vel canem, & e conuerso, progigni posse negat, quod vteri gestationis tempora non congruunt. Quamquam autem monstra quasi ex homine, & bruto conflata visuntur aliquando, talem tamen affirmat vere non esse mistionem, *Iam*, inquit, *puerum capite arietis, aut bouis referunt, idemque in ceteris membrum nominant animalis diuersi, vitulum capite pueri, & ouem capite bouis natam asseuerant. Quæ omnia accidunt quidem caussis supradictis, sed nihil ex his, quæ nominant, est, quamuis similitudo quadam generetur, &c.* Cur mulieres nonnũquam bruta patiant, legere ne pigeat apud Thadæum Flor. *in explicat. in Ioannitii Isagogas ad cap.* 18. Verum tot non fictæ sed fictæ his, quæ relata sunt, maximopere aduersari videntur. Scriptum enim Volaterranus *in Commentariis vrbanis* reliquit, sub Pio huius nominis III. Pont. Maximo, in nostra

Hetrusc

Hethruria puellam quādam, quod cum cane adamato stupri consuetudinem habuisset, grauidam esse factam, ac semicaneum fętum edidisse, hoc est, pedibus manibus, ac auribus caninis, cetera vero hominem; hominem expiationis gratia ad Pontificem fuisse delatam. Memoriæ proditū est. Auenione anno salutis humanæ 1543. ex simili concubitu editum esse monstrum humano quidem capite pręditum, sed auriculis, collo, brachiis, manibus, ventro, partibusque aliis quibusdam caninis; puerperam vero fassam esse, se a cane initam, ideoque mox Pridie Cal. Aug iussu Francisci Gallorum Regis vna cum cane amasio, vindicibus flammis facinus expiasse. Multa etiam alia non absimilia feruntur. Ego vt monstra huiusmodi interdum enasci non nego, ita Aristotelis, Lucretii, Galenique sententiam non desero. Fieri autem talia, non ex bruti, sed hominis spermate, cum Accursio, doctisque viris existimo, caussam discordis formæ prębēre muliere, quæ dum initur, animal, cuius forma fœtu conciliata sit, cogitatione menteq; cōplectebatur. Vim autem fœtū intra vterū effigiandi, fœm næ concipientis cogitationi inesse, testatus est Hippocrates, qui vt Diuus Hieronymus *in Quæstionibus super Genesin* refert, mulierem adulterii suspicione laborātem, eo quod infantem enixa esset, qui nullo pacto eius virū facie referret, hac liberauit ratione, quia pictura infanti non absimilis eius cubiculo inesset. Quo argumento Quinctilianus, quod & ab Alciato obseruatum vidimus, matronam defendit, quæ Æthiopem enixa erat, cum eius coloris iconculam in thalamo haberet. Meminitq; Augustinus rei non dissimilis *lib. 10. de Ciuitate Dei*, vbi rem a Iacob excogitatam approbat, qui quemadmodum *Geneseos c.* 30. scriptū legimus, vt in grege vnicolore, fœtus versicolores ederentur, varii coloris virgas in canalib. ad quos potus gratia oues arietesque accedebant, ponebat, vt in ipso calore coitus & admissura, oues ex earum intuitu fœtibus, quos conciperent, diuersos colores conciliarent. Adde quod non sine ratione mulierum cogitationi adscribuntur pomorum nonnullorum, carnium quoque & vini formæ & colores, quibus infantum quorundam cutē respersam videmus. quo fit vt in eādem cogitationem humana monstra, brutorū mēbris prædita, reiicere possimus Ex vocata namque imaginatione. propter motū in spiritu naturali, & vitali, ac humoribus cōsequitur multifariam mutatio in humano corpore. Quin si Auicennæ *lib. 6. de Naturalib. part. 4 &* Algazeli credimus, humana anima nobilior, & semota a corporis passionibus, cogitationibus maximopere affixa, cum principiorum superiorum, quibus materiæ obtemperant inferiores, oleat naturam, quippe quæ ab illis ortum ducat, eo excellentię processit, vt ad eius nutum imperiumq; exterior etiam materia permutetur. Quam tamen vim in anima Peripateticos

n[illegible] agnoscere nouimus, quibus agentia & patientia communicare debent in materia; quod an in i[illegible] extra corpus exer[illegible]te, non viuuenit: vt etiam censuit Thomas Garbus *lib. 2. Summæ medic. secun. Tract. 4. Quæst. XI.* ne alios commemorem. Sane ipse Auicennas *lib. 18 de Animalibus*, ait mulieres, aliquando ex cælesti (vt voce protrita vtar) impressione, monstra gignere. Astrologi quoque monstrorum ortum astris tribuunt, præsertim iis, quæ Arietem constituunt. Domitius Vlpianus, vt cernere est *in l. Quæro: aliquis. ff. de Verborum significatione*, monstra Fato fieri opinatus est, vt mihi quidem videtur non sine errore: primum quia tali commentum iam multorum, nouissime vero Iulii Sirenii viri eruditissimi scriptis sublatum est: deinde quia Aristoteles *libro 2. Physicorum*, monstra casu fieri, explosa eorum sententia, qui a fortuna ea prouenire putabant, contendit. Quamquam, si proprie loquamur, nec casu quidem monstra fieri dicendum videtur: siquidem, vt Philosophorum consensus est, effectus a casu promanantis propriæ [illegible] caussa, exterius habetur, monstrorum vero interius cum [illegible] cogitationis, de qua supra loquebamur: caussam recte excipiamus, monstra fiant ex materiæ luxuriæ [illegible], vel (vt eorum, e quibus hæc delibamus, verbis vtamur) ex suis qualitatiuis, & quantitatiuis dispositionibus. Idem Aristoteles *libro posteriore de Ortu, & interitu cap. 6.* quæ nec semper, nec magna ex parte gignuntur, ea sponte & fortuito prodire ait. Quærunt Aristotelis interpretes *in explicationibus ad finem libri 2 Physicorum*, Vtrum monstra a natura, vel a casu profluant? Et nonnulli quidam monstrorum distinctionem afferunt: alia enim esse dicunt aggregata ex indiuiduo alicuius speciei & monstruositate: alia vere indiuidua, quibus illa euenit monstruositas. Posteriora a natura proficisci, priora non item. Nonnulli monstra quidem a natura particulari nuncupata edi; alii contra ab vniuersali. Peripatetici [illegible] in eam secedant sententiam, vt asserment, monstra a natura effici, enutriri, augmentumque accipere, verum non secundum naturam; latius namque patet verborum sententia cum dicimus, aliquid esse a natura, quam cum secundum naturam: siquidem non solum habitus, dispositiones, & [illegible] a natura dimanant, verum etiam priuationes, monstra & corruptiones, vt probe ac lepide a [illegible], & Simplicio *in [illegible] in [illegible] Physicorum librum*, est [illegible]. Auctores [illegible] alium naturæ modum appellat Monstrolos partus [illegible] in homine quam in animantibus, quæ vno nixu plures edunt [illegible], conspici ait Aristoteles *lib. 4. de Gener. anim. cap. 4* quia singulare, perfectumque fœtum edat: eamque ob rem in regionibus, quibus mulieres perfecundæ sunt, vt in Ægypto, plura edi monstra [illegible]. Illud hic non fuerit silentio inuoluendum, quod ad [illegible] locum prænotatum maxime pertine

tinet; e monstris ijs nonnulla viuere, nonnulla statim in lucem edita emori: quandoquidem, vt Aristoteles scriptum reliquit, si monstra parum a sua natura recesserint, viuere solent; alioquin intereunt, videlicet cum quid præter naturam, partibus viuendi principibus accidit. Id autem Hippocentauris euenire; supra ex Plinio & Seruio didicimus. Vnde merito hos esse in rerum natura non posse, dixit Iustinianus, & si quis Hippocentaurum dari stipuletur, stipulationem neutiquam subsistere affirmauit, cũ huiusmodi monstra vspiam vixisse, veris vllius sermonibus, aut scriptionibus compertum non sit, quin multi, vt supra ostendimus, gigni non posse contendant. Alexander Aphrod. l. *Probl.* 44. *lib* 2. ob inopiam vel exsuperantem materiæ modum, monstra viuere non posse scriptum reliquit.

Ciceronis locus illustratus. Animantium multiiugam esse distributionem.

CAPVT XXI.

Cicero *lib.* 2. *de Natura Deorum*, sic scriptum reliquit, *Cum igitur aliorum animantium ortus in terra sit, aliorum in aqua, in aere aliorum: absurdum esse Aristoteli videtur, in ea parte, quæ sit ad gignendum animalia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem æthereum locum obtinent, qui quoniam tenuissimus est, & semper agitatur, & viget, necesse est quod animal in eo gignatur, idem quoque sensu acerrimo, & mobilitate celerrima esse. Quare cum in æthere astra gignantur, consentaneum est in iis sensum inesse, & intelligentiam* Hæc Cicero. Quod hic de Aristotele dicitur, haudquaquam verum videtur: præter namque duo animalium genera duobus in elementis, terra scilicet & aqua, nullum aliud hic Philosophus vspiam agnoscere animal videtur. Quin Meteor. *lib.* 4. aperte inquit, in terra & aqua duntaxat animalia reperiri, in aere autem & igne non item. quod ipsum eius Paraphrastes (siue is Alexander Aphrodis. vt vulgo creditum est, fuerit; siue alius innominatus, vt Victorius censuit *lib.* 25. *Variarum lect capit.* 22.) arbitratus est. in hanc enim loquitur sententiam, *Quod autem volatilium in terra pasci, cognoscere non est difficile.* Sic Paraph. Quanquam sibi ipsi Aristoteles constare non videtur, qui *lib.* 3 *de Gener. anim. cap.* XI sic loquitur, si nostris vtatur verbis, *Plantas enim terra incolas quispiam esse statuerit, aqua aquatile animalium genus, aeris pedestre, &c.* Verum hac partitione non ex sua vsum esse sententia, in confesso est. Cum ergo ex Aristotele, eiusque enarratore pateat manifeste, animalia solum terræ, & aquæ vernacula reperiri; & præterea nuspiam, Ciceronem, qui talia de Aristotele proferat, quadriiugamque ei animalium sectionem tribuat, parum in Aristotelis librorum lectione versatum, aut memoria non admodum fideli vsum, suspicari aliquis posset. Verum ego dixerim Ciceronem, quæ attulit, hausisse ex eo Aristotelis [illegible],

cuius meminit Plutarchus *lib.5. de Placitis Philosophorum. cap. 20.* dum in hanc loquitur sententiam, *Est*, inquit, *Aristotelis Tractatus quidam, in quo animalium genera, quadripertita esse dicit, Terrestria, Aquatilia, Volatilia, Cœlestia. Etenim cœlestium quoq; orbium dicit animalia, nō secus atq; terra.* Hæc Plutarchus. Vides quam manifeste clareq; Plutarchus Ciceronis loco affulgeat, eumq; nota eximat. Hanc Aristotelis distributionem sequutus videtur Ouidius *lib 1 Metamor* cum sic caneret,

Neu regio foret vlla suis animalibus orba,
Astra tenent cœl. ste solum. formaq; Deorum;
Cesserunt nitidis habitanda piscibus vndas;
Terra feras cepit, volucres, agitabilis aer.

Tametsi Iacobus Cruceus Bononiēsis *in suis Annotationibus* velit Ouidium in his versibus,

Quæsitisque diu terris vbi sistere posset,
In mare lassatis volucris vaga decidit alis,

innuere, aues terrestria potiùs, quam aerea esse animalia, id suadente Apuleie, qui in hæc verba loquitur, *Imo si sedulo animaduertas, ipsa quoque aues terrestre animal non aerium rectius perhibeantur. Semper enim illis victus omnis in terra, ibidem pabulum, ibidem cubile: tantumque aera proximum terra volando transuerterāt. Ceterum cum illis fessa sunt remigia pennarum, terra eis portus est.* Varro *lib.4. de Lingua Latina*, triplicem animalium facit diuisionem, ea locans in aere, aqua & terra. Cui Moses, atque Euangelistæ adstipulantur, dum aues cœlo, id est, aeri tribuunt. Ex cuius etiam partitionis ratione Iustinianus (cum Iustinianum laudo auctorem, veros Institutionum scriptores mente complector) *Institutionibus sub Titulo De Iure naturali gent. & ciu. §.1. & infra De Rerum diuisione. §. Feræ.* aues in cœlo nasci dixit, cum tamen Iureconsulti in Pandectis vbi similia proferunt, pro, *Nascuntur*, habeant, *Capiuntur*, vt *l.1. De Acquir. rer. dom & in l. Si apes. sub Titulo de Furtis*, perspicitur. Quod consultius ab his factum videtur, dum multas aues, ac fortasse maiorem earum partem in terra nidificare animaduerterent; quarum nullam habuit rationem Iustinianus, vt cognoscere etiam licet *ex § Apum. eodem Titulo de Rerum diuisione*, in quo sic ait, *Itaque apes, quæ in arbore tua consederint, antequam a te alueo includantur, non magis tuæ intelliguntur esse, quam volucres, quæ in arbore tua nidum fecerint, &c.* Sane Platonici, siue etiam Socratici, aeri tribuunt dæmones, animalia corpore aerea, animo passiua. a quorum sententia non longe abest Martianus Capella, qui a medio aeris limite ad montium vsque terræque confinia, Hemitheos, Heroes, Manesque, quos Agatos & Cacodæmonas vocat Graia discretio, versari scriptum reliquit. Sed Diuus Thomas *Maiori 16. de Malo. Quæstione 1.* nullum aerium animatum esse contendit, cum corpus organicum esse neque

aliud

at, nisi terminum, figuramq; adipisci possit, quod in aere fieri non videmus; ex quo fit, vt Dęmones natura nullo præditos esse corpore dicendum sit. Verum hæc alterius loci sunt.

HIERONYMI MAGII

MISCELLANEORVM, SEV VARIARUM Lectionum,

LIBER SECVNDVS.

Qua de caussa vis quadam famis non tolerabilis, quam Graci βούλιμον καὶ βούπειναν dicunt, in diebus frigidissimis multo facilius, quam tum mite est cœlum, ventriculum obsidere consueuerit. Erasistrati, & Gellii incuria, atque oscitatio demonstratur. Vocis ἀνδία, qua sit significatio. Gellii versio resecta, Manardus reprehensus, & Hippocratis locus illustratus.

CAPVT I.

ERasistratus medicus apud antiquos non incelebris, *libro διαιρέσεων primo*, vim quandam famis, quam Græci βούλιμον καὶ βούπειναν appellant, in diebus frigidissimis facilius multo, quam lenibus mitibusque fieri, memoriæ prodidit: atque eius rei caussas, cur is morbus eo plerumque tempore corpora inuadat, nondum sibi cognitas esse fassus est. Erasistrati autem verba ab Aulo Gellio *Noctium Atticarum lib. 16. cap. 3.* relata, super hac re sunt infrascripta, ἄπορον δὲ καὶ δεόμενον ἐπισκέψεως, καὶ ἐπὶ τούτου, καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν βουλιμιώντων, διὰ τί ἐν τοῖς ψύχεσι μᾶλλον τὸ σύμπτωμα τοῦτο γίνεται, ἢ ἐν ταῖς εὐδίαις. Id est, *Dubium est, indigensque considerationis, tum in hoc, tum in ceteris famelicis, quare in frigoribus magis huiuscemodi casus accedat, quam serenis temporibus.* Sic enim Erasistrati verba interpretatur Gaza, qui, vt Iacobus Constantius, & Andreas Alciatus testantur, Græca omnia, quæ apud Gellium leguntur, Latinitate donauit. Licet autem caussas non afferat Erasistratus, nec Gellius in hac re suum exacuere voluit ingenium; vt qui non admodum esset eruditus, &, si nonnullis credimus, Grammaticum non excesserit. Poterat tamen vterq; hac de re aliquid apud Aristotelem cognoscere, qui *Problemate 4 sectionis* 8. in hanc loquitur sententiam, *Cur tempore*, inquit, *frigido maxime vis illa famis intolerabilis incidat, qui caninus appetitus vocatus est, & hyberno potius quam æstiuo? An quod vitium hoc ob inopiam sicci alimenti solet accidere? Tempore autem frigido, & hyberno, cum calor in angusta se contrahit, ocyus interdum deficit alimentum, quod cum defuerit, vitium id esuriendi accidere*

consentaneum est. At si in ea cibi vitiosa cupiditate resolutio imbecillitasque secuta est, materia statim interna corporis a collecto calore colliquescit: quasi ad locum cibo a natura destinatum influxerit, pro cibo seipsam corpori applicabit. Hæc ille. Qui locus licet omnino rem non aperiat, non sine tamen incuria atque oscitationis nota cum ab Erasistrato, cum ab A. Gellio fuit omissus. Nos autem licet rem medicam non profiteamur, aliqua afferre conabimur, quibus res ipsa penitus explicetur. Primum igitur de cibi appetentia nonnulla præscribenda sunt. Natura, vt Galenus *lib. 4. de Vsu partium corporis humani, cap.* 7. scriptum reliquit, omnibus aliis animalis particulis, ventriculo excepto, nullum eorum, quæ desunt, sensum largita est, sed eas in plantarum morem, dum assidue ex venis alimoniam sibi desumerent, nutriri voluit. Soli vero ventriculo, præsertim eius partibus, quæ ad orificium pertinent, sensum indigentiæ ad cibum animal excitantem, conciliauit. Quod non sine ratione fuit comparatum. Siquidem cum, eodem Galeno attestante, totius corporis particulæ, nutrimentum ex venis a caua prognatis trahant, ipsa autem rursus caua, ex venis epatis; hæ rursus ex his, quæ sursum ad portas feruntur, illæ rursum ex ventriculo & intestinis; cum autem nulla iam amplius particula supersit, a qua ventriculum capere oporteat, hunc ipsum extrinsecus desumta alimonia replere, fuit animali necessarium. Quamobrem cibi facta est appetentia animalis; in aliis vero partibus id est, venis, suctio, & quæ naturalis nuncupatur appetentia; quæ haud aliter, vt Galenus auctor est *li. 3. de Symptomatum caussis, c.* 7. quam in plantis perficitur. Quæ res maxime fuit necessaria. Cum enim, teste eodem, *loco citato, & in libro de Dissolutione continua sub principium; ac in libro de Marasmo siue de tabe*, a quolibet animali melior, & tenuior pars per cutem effluat, atque in aerem abeat, cogente ad id innati in nobis caloris perpetua in humorem actione, quo fit, vt corporis substantia, partesque inaniantur atque imminuantur: ex qua sane inanitione imminutioneque, ad mortem citra dubium via sterneretur: idcirco nutrimenta a partibus, venisque, & a ventriculo, qui circa os (vt idem Galenus ait *prænotato capit.* 7. *& lib.* 4. *& item* 6. *&* 9. *de Vsu par. corp. hum.*) abundantiori præ ceteris partibus, ob neruos eo a cerebro pertingentes, sensu præditus est, maximopere exiguntur. Quinque igitur motibus cibi naturalis fit appetentia, Aetio *Serm.* 9. *cap.* 20. & Galeno *eodem cap.* 7. auctoribus, qui se inuicem comitantur, scilicet primum inanitione, inanitarum partium naturali appetentia, ventriculi suctione, suctionis sensu, demum omnium nouissime animali appetentia. Atq; hæc quidem ex naturæ præscripto.

Deprauata vero appetentia fit, si vehementiæ modus excedatur, ac tunc, vt Galenus ait, a nonnullis canina appetentia vocatur, cum vel ob acidi humoris vitium ventriculus mordicus inflatur

ſtatur, vel vbi totum corpus immodice diſſipatum, aſſidua indiget nutricatione. Quippe frigidi humoris vitium roſionem, quæ ſuctioni proportione reſpondeat, inducit: ac appetentiam haud aliter quam naturale pathema excitat; atq; cibi magis quam potionis deſiderium affert, idque propter refrigerationem. Quo fit vt ad famem excitandam frigus in ventriculo non parum conferat, nam & vacua reddit corpora, ac ipſorum tunicas cogens, conſtringensq; famem ſuſcitat. At inter potiſſimas contine. reſque cauſſas, quibus fames impeditur, calor numeratur. quippe ſolidiora corpora laxando diſſoluit, atque ad attractionis functionem reddit imbecilliora: humida vero fundendo, ſupra modum extendit. Igitur caninæ appetentiæ cauſſa vna eſt acidorum humorum vitium. altera vero, vt dictum eſt, plurima per totum corpus inanitio. Hæc Galenus, qui *Com. 21. ſect. 2. Aphor.* caninæ famis cauſſam dicit eſſe, ventriculi intemperiem frigidam, & acidos humores, os ipſius irritantes, cui Aetius concinit *Serm. 9. capit. 21.*

Fit præterea in ventriculo *βούλιμος*, id eſt ingens fames, de qua Galenus *citato cap. 7. lib. 3. de Sympt. cauſſis*, in hanc loquitur ſententiam. *Accidit adhuc βούλιμος, id eſt vehemens fames; ita enim vocant; eſtque huius particulæ ſymptoma, cum ſimul & penuria, imbecillitate, & refrigeratione afficitur, &c.* Loquitur autem de ventriculi ore, cui Aetius probe aſtipulatur *Sermone prænotato, capit. 16.* inquiens *βούλιμον* ex ventriculi frigiditate oriri, indigentia, ac virium imbecillitate, huiuſque ſymptomatis ſæpenumero cauſſam præbere longas per niues peregrinationes, totum corpus ventriculumque luculenter refrigerantes. Idem Galenus *Com. 21. in lib 2. Aphor.* bulimi meminit, inquiens; *ſi Latino ſermone vtatur, Paſſio βούλιμος nominata, eſt caſus potentiæ ex frigiditate exteriore, quæ a fame quidem incoauit, ſed non habet eam amplius adiunctam, &c.* Eadem fere habet Auicenna *lib 1. Fen 1. Doct. 3. cap. 3. & lib. 3. Fen. 13. Tract. 1. cap. 19. & Tract. 2 cap. 12.* Quamobrem Franciſcus Valeriola Phyſicus eruditiſſimus, & Galeni nobilis explanator, miratur, quid Alexandrum Trallianum impulerit, vt diceret *lib. 2. cap. 23. βούλιμον* a nimio calore naſci, cum reliqui omnes & Arabes & Græci, a frigiditate proficiſci, quod & res ipſa docet, affirmauerint. Minime autem eſt ignorandum, *βούλιμον* a Canina appetentia differre; quod perpetuo in canina appetentia fames vrgeat, in bulimo non item; quamquam a fame incoauit, ſed proſtrata tandem ventriculi facultate perit, a frigiditate exteriore, deleta ſentiendi poteſtate; tum etiam quod illa ab acidis ſuccis ortu ducit, hæc ſine his conſiſtere poteſt, vt Galenus *citato Com. 21. in 2. Aphoriſm.* teſtatum reliquit. Eſt igitur ſatis manifeſtum *βούλιμον*, de quo Eraſiſtratus agebat, a frigore proficiſci. vnde non mirum ſi in diebus frigidis hoc ſymptomata multo facilius acci-

dat, quam cum mite, clemens tepidumque est cœlum. Tametsi & calorem etiam huic symptomati, hoc est propter frigoris ἀντιπερίστασιν, caussam parte aliqua præbere dicendum est, cum Galenus, & Aetius, vt supra perspicere licet, ventriculi etiam inopiæ βούλιμον ascribant, quæ non nisi a nimio calore, vt prænotato Aristotelis loco, exque Galeni ipsius dictis de animali appetentia, & ex his, quæ scripta reliquit Meletius *in libro de Natura hominis*, satis liquet, efficitur. Quam rem & Auicenna suadet, sic inquiens *lib. 3. Fen. 13. Tract. 2. cap. 12. Fames autem secundum plurimum est a superfluitate caloris in corpore toto, & in extremitatibus eius.... Calidus autem cum dominatur corpori, resoluit, & cogit venas vti suctione, post suctionem donec perueniat ad os stomachi capiendo quod aggregatum est, &c.* Qua ratione crediderim Alexandrum Trallianum adductum, vt βούλιμον a calore nimio ortum habere diceret, præsertim cum hoc eodem loco Auicenna, in caussa canini appetitus, agnoscat calorem superfluum in ore ventriculi resoluentem, & instaurationem exposcentem. Verum idem Trallianus sentit, βούλιμον a calore quidem nimio ex frigoris antiperistasi adducto, ortum ducere, perfici autem mox a nimio frigore ventriculum obsidente, sentiendique potestatem abolente. Quod si verum sit, quantum ad ortum spectat, calorem communem habebit βούλιμος cum canina appetentia (& si ab acidis etiam succis hæc enascitur), nec mihi mirum videbitur Valeriola.

Non est ergo in obscuro bulimi caussa, nec res consideratione multa indiget, vt Erasistratus censuit.

His pro ingenii nostri captu explicatis proximum videtur, vt aliquid de voce εὐδία, qua vsus est Erasistratus, scribamus. Gaza, vt vides, verba Erasistrati, ἢ ἐν ταῖς εὐδίαις, vertit, *Quam in serenis temporibus*, qui tamen apud Hippocratem *Aphorism. 12. par. 3.* vocem εὔδιος, ad teporem in sua versione retulit. Gellius ipse in vocis eiusdem interpretatione, serenitatem placiditati iunxit, inquiens, *Quam cum placidum serenumque est*. sed male vterque, vt mihi videtur: siquidem nullam habuit Erasistratus rationem serenitatis, quia opposuit verba ἐν ταῖς εὐδίαις, verbis illis ἐν τοῖς ψύχεσι, quorum significatio est, *In frigoribus*. Frigora autem, vt neminem latet, serenitatem sæpius non excludunt, & caloribus teporibusque opponuntur. Sane Aristoteles *Lib. 2. Meteor.* Aparctiam frigidissimum nimbosumque, serenum esse dicit, serenos etiam esse affirmans Thraciam & Argestem ventos, vt quotidie experimur, neutiquam tepidos, & qui locum inter Septentrionarium, Zephyrumque medium occupant. Sunt autem illi decepti a vocis etymo. Cum enim ex εὖ, quod est bonum, & διος, id est louis, hoc est, aeris conflетur, serenitasque ipsa, & placiditas bonum aerem efficiant, ideo serenitatem placiditatemque significari crediderunt. [illegible] in Comm. 4 [illegible]

[illegible]

rē rem quod attinet, in hanc sententiam loquitur, *Respondet igitur proportioni* εὔδι@, *id est meridianus*, ἀπὸ εὐδί@, *id est*, διὰ χειρ@ *[hoc est, boni aeris] cuius fœmininū* εὐδία, *id est*, εὐαερία, *id est bona aeris constitutio.* Idem in 16. *Iliad.* εὐδίαν, & αἴθριαν, id est serenitatem idem significare ait. Cum igitur vox bonum aerem significet & non simplici de caussa aerem bonum appellemus, factum est, vt vna eademque vox εὔδι@, & εὐδία, varie ac multipliciter ab auctoribus vsurpetur, vt pro bona die, pro serenitate nonnunquam, aliquando pro tranquillitate, & aeris malacia, ventorumque carentia: interdum pro tepore: item pro miti, lenique aere: præterea pro tempore lento, vt est a quibusdam non indoctè obseruatum. Hippocrates loco superius citato hac voce teporem significauit, cum inquit ἢν δὲ νότι@ ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος, καὶ εὔδι@ γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες, &c. hoc est, *Si vero hyems Austrina, pluuiosa, & tepida fuerit; ver autem siccum, & Aquilonium, mulieres quidem, &c.* De qua voce notum satis est, quanta exorta fuerit lis & digladiatio inter Manardum & Leonicenum, existimante Manardo eam ex Aphorismo expūgendam cū aliis de caussis, quamquam non satis vrgentibus, cum quia Galenus ipse in Com. vocem non agnoscat. Sed fallitur Manardus, vir alioqui eruditissimus, & qui rectam quādam medēdi artem multa cum elegantia primus ostendisse videtur; nam vt cetera eius argumenta nulla faciam, ad Galenum quod attinet, non satis oculatus videtur, siquidem in eius Comm. tepiditatis seu caloris fit mentio, & vox εὔδι@ agnoscitur. Sic enim ait, γενὴ δὲ ὅτι τοῦ χειμῶν@ μὲν ὑγροῦ, καὶ θερμοῦ γενομένου, τοῦ δ' ἦρος ξηροῦ, καὶ ψυχροῦ, τοιαῦτα ἀναγκαῖον εἰς τοὺς ἀνθρώπους, ἐν αὐτῷ τῷ ἦρι συμπίπτειν.

Et infra.

Ὑγρὰ γὰρ τὰ σώματα καὶ μαλακά, καὶ ῥοώδη γεγονότα, κατὰ τὸ εὔδιον χειμῶνα, ῥᾳδίως εἰς τὸ βάθ@ αὐτὴν διαδέδωκε τὴν ἐκ τοῦ ἀέρ@ ψύξιν.

Præter autem Galenum, ratio ipsa suadet, vocem hoc significatu esse accipiendam; quia hæc verba ἢν δὲ ἔαρ νότι@, ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος, καὶ εὔδι@ γένηται, opponuntur illis, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον. sunt enim contrariæ aeris constitutiones, hyemis quidem tepens, & humida; veris autem frigida, & sicca. Aquilo enim, qui & Boreas dicitur, frigidus est, vt testatur Galenus *in Com. in primum Epidem.* Vnde iure optimo Ouidius *lib. 1. Metam.* horriferum vocauit, sic enim canit,

> *Scythiam septemque triones*
> *Horrifer inuasit Boreas, contraria tellus*
> *Nubibus assiduis, pluuioque madescit ab Austro.*

Auster autem calidus est vt idem Galenus ait, nisi si quando, raro valde in veris initio frigidus, aut alia hora exiguo tempore similis spirauerit. Eam ob rem Ouidius *infra lib. 7.* inquit.

Lethiferis calidi spirarunt flatibus Austri.

Idem *lib. 4. de Ponto, El. 9. 10.* eundem ventum tepidum vocat. At qui res non eget testimonijs, sensu enim ventos hosce tales esse deprehendimus. Sed dices, si Auster calidus est, cur addita est vox νότιος? superfluere enim videtur, cum Hippocrates hyemem Austrinam dicens, calidam (vt etiam Thadæus Florentinus in Com. suo scriptum reliquit) dicat, seu intelligat. Respondeo factum id esse ab Hippocrate, ne quis procellosam hyemem intelligeret: haud enim obscurum est, Austrum esse procellosum aliquando, attestantibus Aristotele *libro 2. Meteor.* & Galeno *in com. ad part. 3. lib. 3. de Morbis vulg.* qualem non vult appingere nobis Hippocrates (solet enim hic esse siccus, vt ibidem Galenus affirmat) sed lenem alium & clementem, pluuium tamen. Siquidem ver duntaxat tempestosum intelligit, vt ipsemet sui ipsius interpres demonstrat *in libro de Aere, aquis & locis*, de eisdem constitutionibus in hanc sententiam scribens, *Si vero hyems Australis fiat, & pluuiosa & clemens; ver autem Boreale & siccum & tempestuosum [sive hyemale] premunt quidem meliores, quæ vterum gestant, &c.* Eius autē verba hęc sunt εἰ δὲ ὁ μὲν χειμὼν νότιος γένηται, & ἐπομβρος καὶ εὔδιος: τὸ δὲ ἦρ βορειόν τε, καὶ αὐχμηρὸν, καὶ χειμέριον, τὰς μὲν γυναῖκας, ὁκόσαι τύχωσιν ἐν γαστρὶ ἔχουσαι, &c. Ex quo loco etiam patet Manardi sententiam erroris neutiquam esse exsortem, dum vocem νότιος ex Aphorismo delendam putat: nam hic vbi eadem repetuntur ab Hippocrate, posita est.

Quæ fuerint apud antiquos Diuisiones: quibus, & quando dari consueuerint. Declarata hæc vox in Pandectis, Accursij, Bartoli, Romani, & Tiraquelli error demonstratus.

CAPVT II.

Marcelli Iurisconsulti doctissimi, hæc verba *in Pandectis, sub Rubrica de Annuis legatis, & fideicommissis leguntur, Cum quidam Decurionibus diuisiones dari voluisset die natalis sui: Diui Verus, & Antonius rescripserunt, non esse verisimile testatorem de vno anno sensisse, sed de perpetuo legato.*] Quid per *Diuisiones* sit à Marcello significatum, nullus ad hanc vsque diem explicauit, vox enim Latinis auctoribus est insolens, vsque adeo vt obscura omnino sit. Vnde non mirum esse debet, si Budæus, Alciatus, aliique ex Iureconsultis nostris non pauci, nec indocti, qui Pandectarum libros librariorum culpa deprauatos, tenebrisque oblitos repurgarunt, scriptisque & annotationibus illustrare contendunt, eam taciti, vt alias voces prætervolarunt. Equidem dum olim Perusiæ, mox Pisis, ac demum Bononiæ agerem, & inter doctos homines communium studiorum gratia versarer, ad eos, qui ex his nomine erant non obscuro, de re & vocis significatione retuli, ac nemi-

nem

gem inueni, qui quidquam, quod verum, aut saltem verisimile videretur, afferret. Cumque ex diutina sententiarum exquisitione iam essem defatigatus, viresque ingenii omnino considerent, & flaccescerent, re penitus deplorata, forte euenit, vt in quædam adnersaria mea inciderem, quibus elogia epitaphiaque, quæ in antiquis lapidibus passim in Italia, & prouinciis leguntur, subnotaram. Harum inscriptionum tribus perlectis, quæ fuerint apud antiquos Diuisiones, & quo tempore, ac quibus dari consueuissent, plane intellexi. Inscriptiones sunt quæ apponuntur. Comi hæc visitur seculorum iniuria mutilata detritaque.

——*DIVID. OLEVM, & propin.* ƎC DCCL. *prabeant. Item lectisternium tempore parentaliorum ex* ƎC. CC. *memoriis eiusdem Valeriana, & Appi Valeriæ fil. eius per offic. Tessarior. quod annis ponatur, & parentetur. Item corona myrt. terna & tempore rosa Iul. terna eis ponantur micata desiliis ex* ƎC. L. *profundantur. Item Appius Eutychianus maritus eiusdem Valeriana schola Vexillariorum largitus est H-S. XXX. N. L. cuius summa reditu quodannis die SS. natalis eius ante statuam lecti ex* ƎC. CCL *ponant. Sport.* ƎC. CCL. *inter present. sibi diu. d. oleum & propin. per rosam PRÆBEANT.*

Quæ sequitur, Rauennæ legitur, & a Volaterranno etiam lib. 16. Com. Vrbanorum, à Blondo Forol. *libro* 2. Romæ triumphantis, & ab aliis refertur, sed non admodum emendate.

D. M.

FLAVIÆ Q. F. Saluti coniugi carissima L. Publicius Italicus Dec. orn. & sibi V. Posuit. Hic Coll. Fabr. M̄ R̄ *H S. XXX. VIV. ded. Ex quo redditu quotannis Dec. Coll. Fabr.* M̄ R̄ *in ade Nep. quam ipse exstruxit die Neptunaliorum præsentibus Spor.* > | <. *bini diuiderentur. Et Dec. XXVIII. siue centeni quinqua-* > | < .*geni quotannis darentur. Vt ex ea summa sicut soliti arcam Publiciorum Flauiani, & Italici filiorum, & arcam in qua posita est Flauia Salutaris vxor eius, rosis exornent de* > | <. *sacrificentque ex XXII. & de reliquo ibi epulentur. Ob quam liberalitatem Col. Fabr.* M̄. R̄ .*inter benemeritos quotannis rosas Publicius supra se & Flauia Salut. vxore eius mittendas ex* > | <. *XXXV. sacrificiumque faciundum de XX. H-S. per MAGISTROS DECREVIT.*

Tertia Reate conspicitur, estque in hæc verba.

T. FVNDILIO Geminio VI. vir. Aug. Mag. Iun. Augustales patrono & Quinq. perpetuo optime merito. Hic arca Augustalium se vino H-S. XX. dedit, vt ex redditu eius summa die natali suo IV. K. Febr. præsentes vescerentur. Et ob dedicationem statue Decurionibus & Seniris & Iunenibus Sportulas, & populo epulum & oleum eadem DIE DEDIT.

Vides quam bene ex harum inscriptionum tamquam commentariorum quorundam lectione, Iureconsulti verba explicentur, &

Diuisionum significatio, & consuetudo sub obrutum pon
Fuerunt igitur hæ Diuisiones, scilicet sportulæ, pecunia, ol
crustum, vinũ, aliaque id genus nec absimilia, quæ testatores
legiis, & sodalitatibus, militibusque negotiatorum & ar
tem Decurionibus, populoque interdum, die natalis, c
tibus fuerat celeberrima atque honorata, parentaliorumq
pore singulis annis dari testamẽto cauebant. Harum Diuis
meminit etiam Paulus Iurisconsultus in eisdem Pandectis
tulo De Legatis, his verbis, Ciuitatibus legari potest, e. an
ad honorem ornatumque ciuitatis pertinet. Ad ornatum
quod ad instruendum forum, Theatrum, stadium legatum
Ad honorem puta, quod ad munus edendum, venationem,
dos Scænicos, ludos Circenses relictum fuerit: aut quod ad
sionem singulorum ciuium vel epulum relictum fuerit, &
iusmodi Diuisiones a viuentibus etiam lætitiæ gratia dari
nosse, non est ambigendum. Dabant antiqui Diuisiones
Decurionibus, vt cognoscitur ex pridẽ relata inscriptione,
iam eorum liberis. Inter cetera Diuisiones panis & vini
in lapide peruetusto in hortis Alexandri Elmi sic legitur,

—— *P A T R O N O Ciuit. Foro Flam. Fulginia. locum a*
nerum splendidissimus ordo Floro Flami Cuius dedicat. D
bus, & liberis eorum panem & vinum, & ᵹᶜ ᵹᶜ. XX N̄. li
mcipibus ᵹᶜ ᵹᶜ. IIII. N̄ DEDIT.

Qui integram inscriptionem legere auet, eam perquirat in
dationibus, suspicionibusque Malaspinæ in Epistolas Ci
ad Atticum. Perusiæ in templo Diui Angeli in peruetusto
qui aræ adstructus est, huiusmodi legimus inscriptionem,

C. VIBIO C. F. L. N̄. TRO. GALLO. PROCV
NO PATRONO PERVSINORVM. PATR
ET CVRATORI RP. VETTONENSIVM
CI. DEV. DEC. ÆDILI. PATRONO COL
CENTON. VIBIVS VEL DVMNIANVS AV
RISSIMO. OB CVIVS DEDICATIONEM
DECVRIONIBVS. V̲ I L PLEBI V̲ I.

Λ Λ
D. D. D. D.

Inuenio aliquando, lætitiæ gratia datas ab Imperatore R
Diuisiones Senatui Equitibus & plebi, vt apud Suetonium
in Domitiano, Senatui quidem & Equiti distributa est:
Sportellas vero cum obsonio plebi. Adhæc apud eundem
nium in Nerone Claudio, & apud Tacitum *lib.* 14. in ded.
Thermarum & Gymnasii, ab Imperatore præbitum
Senatui & Equitibus. Multiplices igitur erant diuisiones
timque & publice, & non vna de caussa, vt ex his, quæ
perspicere licet, dabantur. Quod spectat ad Decuriones,

in Comm. ad l. Pupillus. ff. de verb. signif. solum obseruauit, eos, viritim binos denarios vel huiusmodi certam quantitatem ab iis, qui in ordinem cooptarentur, recipere consueuisse: item quoties aliqua statua ædiculaue dedicaretur, aliquid eo nomine ipsis dari, fuisse in more positum; quæ pecunia Sportula quoque appellari soleret, *vt in l. Spurii ff. de Decurionibus.* Idem Dispunctionum *lib. 3. cap. 17.* sic inquit. *Ceterum cum aliquis magistratum nouum inibat, vel alicuius lætitiæ caussa, per liberalitatem pecunias Decurionibus distribuebat; quod singulis dabat, sportula dici cœptum est.* Sic Alciatus Sed aliæ etiam res, vt ex supra relatis patet, Decurionibus dabantur, quod non fuit ab Alciato animaduersum. Sanæ aliæ sunt Sportulæ, aliæq; Diuisiones, quarum meminit Diuus Cyprianus *lib. 3. Epistolarum Epistola 5.* ex harum tamen, vt opinor, similitudine quadam dictę. Eius verba sunt hæc, Ceterum Presbyteri honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis iidē cū p̄sbyteris honorētur, & diuisiones mēsuræ æquatis quantitatib. partiantur, &c. Reliqua, quæ de Sportulis ab Alciato locis citatis, a Ferrario in *Annot. ad §. Sportularum. sub Rubr. de Actionibus in Instit. ab Augustino Dacho lib. 2. Epistolarum in Epistola ad Franciscum Cardinalem Senensem, & ab aliis scribuntur*, notiora sunt quam quæ hic referri debeant. Quod pertinet ad superius relata Marcelli verba, Accursius & post Accursium Bartolus, ita contextum accipiunt, vt Iureconsultus loquatur de quodam, qui suo testamento Decurionibus Diuisiones (quæ essent hæ non declarant) dari iussisset die natalis sui, id est mortis die, quasi tunc natus ille esset ad gloriam vt fit inquit Accursius, de natiuitate Sanctorum. Quod glossema, tametsi nihil eo sit insulsius, commendat non sine manifesto errore Romanus Sing. 33 cuius hoc est initium, *Quia certus est festum*, retuiitque aliquando & secutus est eruditissimus Andreas Tiraquellus. Diem vero natalis pro die mortis nō esse apud Marcellum sumendum, aperte demōstrant inscriptiones supra relatæ. prima scilicet & tertia. Defunctorum natales apud Græcos etiam celebrari, honorarique consueuisse demonstrat Lucianus in Demosthenis encomio. Adde quod nullibi reperies apud auctores, si excipias Christianos, de quibus non loquitur Marcellus, diē mortis, diem natalis appellari. Diem autem natalem celebrem apud antiquos fuisse, magnaque hilaritate agi cōsueuisse. neminem latet, & cognoscere licet apud Ouidium *lib. 4 Tristium Elegia 13. & lib. 3. Eleg. 5.* Item ex illo Vergilii versiculo

Phyllida mitte mihi, meus est natalis Iolla,

Aliis testimoniis in re satis manifesta supersedeo,

Inter catamitos meritoriosq; pueros ponendum esse discrimen. Mēdum, quod Valla libris insederat, demitur, & etymologia huius vocis, Catamitus, passim recepta, reiicitur, ac cur pueri concubini, Catamiti sint dicti, demonstratur.

CAPUT III.

LAurentius Valla homo doctus, qui Latini sermonis elegantiam a barbarie, in qua plane obruta iacebat, magno labore vindicauit, *libro 4. suarum Elegantiarum capit. 90.* ita habet, *Scorta mascula, pueri meritorii vocantur.* quidam aiunt, hos pueros dici Catamitos, quod mihi non videtur, sed potius concubinos, meritorii namq; vt meretrices pretio merent. Cicero in Ant. *Ingenui pueri cum meritoriis, scorta cum matribus familias versabantur.* Hæc Valla. Voluit autem reprehendere Seruium Vergilii enarratorem, qui in Com. *in Eclogam 8.* sic ait, *Modo tamen ideo ait, Sparge marite nuces, vt eum culparet infamia. Nam meritorii pueri, id est, Catamiti, quibus licenter abutebantur antiqui, recedentes a turpi seruitio, nuces spargebant, id est, ludum puerilem, vt significarent se pueritiæ cuncta iam spernere.* Hactenus Seruius. Negat Valla pueros meritorios, Catamitos posse appellari, & concubinos potius dicendos esse existimat, quod meritorii in meretricum morem prostarent, corpusq; pretii gratia inuulgarent. Sed animaduertere potuit Valla, Catamitum, concubinum significare. Festus *libr. 3. Catamitum,* inquit, *pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus.* Quamobrem adducor vt credam, corruptum esse Vallæ contextum, atque ideo ita esse legendum, Quidam aiunt hos pueros dici Catamitos, seu potius concubinos; quod mihi non videtur, &c. Et eo facilius, quia ipse inter meritorios pueros, & concubinos (de his autem loquutus est Seruius, vt indicant illa eius verba, *Recedentes a turpi seruitio)* ponit discrimen, vt velit, meritorios esse, qui meretricum instar, sui passim mercedis gratia, copiam omnibus facerent; concubinos vero, qui pro concubinis haberentur. Contra quam differentiam esset itum, si meritorios pueros, concubinos appellandos esse diceret. quod de docto viro arbitrari, non est rationi consentaneum. Sane quantum spectat ad vocem, Scortum fortasse citra errorem dici possit, hanc concubinum puerum etiam significare. Liuius Dec. 4. li. 9. *Inter cetera,* inquit, *Caso obiecit et Philippum Pœnum carum ac nobile scortum, ab Roma in Galliam prouinciam spe ingentium donorum perductum.* Tranquillus quoque in Vitellio, Tiberii Catamitos, scorta appellat, *Pueritiamque, ait, primamque adolescentiam Capreis egit inter Tiberiana scorta, & ipse perpetuo Spintriæ cognomine notatus, existimatusq; corporis gratia, initium & caussa incrementorum patri fuisse.* Hæc ille. Tiberius enim, *vt idem Suetonius in eius vita testatur,* conquisiuit Capreis in secessu illo, puellarum, & exoletorum greges, & monstrosi concubitus repertores, quos Spintrias appellabat. Catamitos, pueros esse meritorios, & hinc dictos, quasi κατὰ μισθὸν, id est, pro pretio, cum Græci μισθὸν mercedem vocent, passim creditum est. Hunc errorem non solum in Calepini Lexico a doctissimis viris emendato magnaque accessione locupletato, sed etiam in Scoppæ Grammatici non contemnendi

Spici-

Spicilegio, atque apud alios inuenies. Fuit aliquando cum a voce μίξις, quæ concubitum coitumque significat, & κατὰ, dictos auguriter; quasi quis dicat, pro concubitu. Deinde a verbo κατημύω, quod est, inclino & incuruo, pueros muliebria patientes, *Catamitos* nuncupatos putabam, vt cum litera, Ypsilon in tertia non per, I, vox scribenda esset. Satis enim constare apud Latinos videbam, verbum Inclino, & Incuruo, obscœnitatem, quæ in huiusmodi pueris peragitur, significare, Martialis,

Incuruabat Hylam posito Tyrinthius arcu,
Tu Megaram putas non habuisse nates?

Iuuenalis Satyra decima,

——— quos discipulos inclinet Amillus.

Antiqui de his *Ocquiniscere* dicebant, Nonius, *Ocquiniscere, inquit, est proprie inclinare*, Pomponius Prostibulo, *Vt nullum ciuem padicaui per dolum, nisi ipsum orans vltro qui ocquiniscerer.* Demũ vero Festi librum primum, tertiumque legens, omnia hæc nugas esse intellexi; cum ex iis, quæ ille scripta reliquit, facile cognoscatur, *Catamitos*, quasi Ganymedes nuncupatos, vt hac voce, solum concubini, non reliqui muliebria patientes, significentur, quod Ganymedem ab antiquis *Catamitum* dictum, referant. hic enim priscorum fabulis, Iouis cõcubinus dicitur, Vnde Martialis,

Dixit idem quoties lasciuo Iuno Tonanti,
Ille tamen gracili cum Ganymede iacet.

Festi libro primo verba hæc sunt, *Alcedo*, inquit, *dicebatur ab antiquis pro Halcyone, vt pro Ganymede Catamitus, pro Nilo, Melo. & infra, Alumento pro Laumedonte a veteribus Romanis, nec dum assueta Græca lingua, dictum est.* Sic Melo pro Nilo, Catamitus pro Ganymede, Alphius pro Alpheo dicebatur. Libro vero 3. Catamitũ pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus. Quæ verba supra etiam citauimus. Hoc nomine Ganymedem appellauit antiquorum more Plautus, quem non adeo antiqui auctores sequuti sunt. Macrobius enim *libro 5. Saturn. cap. 16* mentionem faciens de Ganymedis raptu, *Catamiti* pellicatum dixit. Ausonius autem Gallus,

Aut Iouis Elysii qui Catamitus erit.

Spinthria, vnde sic dicti, Pii Bononiensis, & Sabellici sententia improbata, emendataq; hac vox in Tranquilli, & Lampridii codicibus.

CAPVT IV.

PRæcedentis capitis nonnullis necessario referendis cum semel erubuerimus, antequam rubor depellitur, de Spinthriis, quorum Tranquillus in Tiberio, & Lampridius in Heliogabalo meminerunt, nonnulla, quantum ad vocem pertinet, scribenda

videntur. Quæsiuerũt eruditi viri, vnde nam a Tiberio monstruosi concubitus repertores, qui triplici serie connexi, *vt ait Tranquillus*, inuicem incestarẽt se coram ipso, Spinthriæ sint appellati. Sabellicus in explicationibus suis in Tranquillum, a fauillis dictos arbitratur; Pius vero Bononiẽsis a Spynthurnice. sic enim inquit cap. 16. suarum Annotationum. *Est & auis inauspicata, quam nostri Incendiariam. Græci Spynthurnicem dicunt. Plautus per diminutionẽ Spynthurnicium, de qua Plinius, & Aristoteles meminerunt: a qua dira & inauspicatá, id est, exsecranda libidinis inuentores, & artifices, vocati sunt Spynthriæ, non autem a fauillis, vt quidam coniectant.* Hæc Pius. Sed quid monstrosi concubitus architectis cum fauillis? Non sunt etiam ab aue illa inauspicata Spynthriæ nuncupati, siquidem non alii hoc nomen nequissimis illis exoletis indiderunt, sed, *vt Tranquillus* ait, Tiberius ipse, qui eos in deliciis habebat, eorumq; aspectu deficientes libidines excitabat, sic eos appellare solebat. Est vero maxime absurdum putare, hũc ab aue inauspicata infamiq; eos nominasse, alioqui suas delitias libidinesque, quãquam immanes, quibus mirum in modum delectabatur, suosq; mores, exsecratus videri potest, seq; obscœnitatis reũ plane agere. Censui aliquando sic dictos a Græca voce Σφιγκτὴρ, quæ ani (honor sit auribus) musculũ significat. Galenus in libello De Vteri dissectione, *Podicem autem*, inquit, *dico totũ rectum intestinum: laxiorem vero podicis partem infernam, recti intestini partem, vbi etiam maxime dilatatum est, & ad extremum, nam astrictior podicis pars Σφιγκτὴρ a Græcis appellata, existit, &c.* Idem lib. 4 de Vsu partium corporis humani. *Recti vero intestini oræq; inferior a musculis in orbem circumfusis σφιγκτῆρας, id est, constringitur: quapropter nomen eis σφιγκτῆρος, id est, compressorem, puto quempiam imposuisse.* Hæc Galenus. Cui probe concinit Meletius in libro *De Natura hominis*, vbi de eodem musculo agit. Cum autem Venus illa in hac corporis parte exerceretur, merito eos Tiberius *Sphinctrios*, appellasse videtur, vel potius *Sphincteras*, quasi *Compressores*, a comprimendis natibus, ex qua ratione a Lucillio Poeta antiquissimo, *pædicones. pulli premones* dicti sunt, a premendis, id est, comprimendis, & subagitandis pullis, id est, pueris adamatis, secundum priscam vocem. Ausonius Gallus in Epig. ad Pythagoram de Marco, qui dicebatur Pullaria,

Quid Marcus felix nisi vt Pullaria dictus,
Corrupit totum qui puerile decus?
Peruersæ Veneris postico vulnere fossor,
Lucilli vatis subulo, pullopremon.

Matthæus Dectorius vir Græce & Latine bene doctus, diuinique & humanæ iuris apprime consultus vt hæc non improbabat, cum eadem de re cum eo, vt fit inter amicos eisdem studiis addictos dissererẽ, ita etiam suspicabatur dictos Sphyncteros, a Græcis da-

Digitized by Google

sta appellatione, apud quos, *teste Suida*, molles, & huiusmodi obscœnitate infames Sphinctæ (quod & Rhodiginus *lib. 8. cap. 8.* attestatur) nuncupantur: ibatq; in eius sententiam Guido Morgalantus Philosophus & Medicus eruditissimus, & a studiis humaniorum literarum non abhorrens. Verum mox ego rem mecum permolens, verbaq; illa Tranquilli, *Triplici serie connexi inuicem vicestarent si*] anxie considerans, arbitror Tiberium eos monstrosi concubitus inuentores, *Spinthrias* appellasse ab armillarũ genere. quod spinther dicebatur, quo, vt *Pompeius lib. 17. testatur*, mulieres vtebãtur summo brachio sinistro; quæ armillæ annulis quibusdam inter se connexis, vt in peruetustis statuis non semel vidimus, constabant. Vnde cum illi connexi triplici serie hærere cõsueuissent, ex quadam similitudine sunt *Spinthria*, id est, armillæ dicti. Quo fit, vt apud Tranquillum Lampridiumq; non *Spintrias*, vel *Spynthrias*, sed *Spinthrias* sine litera, y, sit legendum. Legere etiam possemus *Sphincteros*, ab eodem armillæ genere, vt illud non *Spinther*, vt ab omnibus scribitur (σπινθὴρ namq; Græce cum θ, notatur) sed *Sphincter*, a constringendo brachio dicatur. Quod tamen sine auctore, aut reuerendæ vetustatis codicum fide affirmare non ausim.

Francisci Connani, & Ioannis Ferrarii nõ leue erratum demonstratur. Cur Spadones adoptare posse Iustinianus voluerit, castratos non item, quodq; sit horum spadonum impedimentum, explicatur, & nonnulla de Eunuchis afferuntur.

CAPVT V.

HVmaniorum literarum studium Iureconsultis, si intra certos fines cohibeatur, vtilitatis nonnihil, atq; ornamẽti plurimum afferre; sin immodicum tanquam Sirenarum cantus sensus, mentemque oblectet, diutiusq; detineat, damnis eos non leuibus, & quibusdã veluti ingenii cladibus afficere, facile ex his, quæ indies vsuueniunt, intelligi potest, egoq; aliquando læsus didici. Quod nisi mature Græcis Latinisque Sirenis, Budæisque etiam & Alciatis, huiusq; farinæ auctoribus, quos in deliciis ab ineunte adolescentia habere cœperam, longum valere renuntiassem, meque ad bonam frugem, ad eos nimirũ legum interpretes, quos nostræ ætatis nonnulli tanquam ἀμούσους Barbarosque, nõ sine damno auersantur, recepissem, vix me Iureconsulti nomine dignum existimarem. Dictu enim incredibile est quantum bonarum initiorumque literarum cultu, iuris prudentiæ campi syluescant, filicibus tribulisque obsideantur, & sterilescant. Cuius rei tunc admonemur, cum vel Aduocati militauerimus, vel ad rerum notiones, iudicandumque & ad respondendum de iure, accesserimus. Tunc enim aliorum omnium præsidio destituti, Barbaros duntaxat nobis vsui adiumẽtoque esse, Barbaros nos communire; Barbaros solida prudentia nobis præsto esse, manusque

labantibus admouere cognoſcimus. Amuſsis politioreque diſciplina omnino fuit Bartolus alienus, infans & incultus Alexander; arcem illi tamen iuriſprudentiæ tenent, nemoque ad eorum eruditionem ſeculo hoc noſtro vndequaq; expolito, adhuc propius acceſſit. In maximos hi Iureconſultos euaſerunt, quod vna ſemper re diſtinebantur, in vnam neruos omnes intendebant, atque toti incumbebant, nec multiplicibus ſtudiis huc atque illuc diſtrahebantur.

Verum non eo hæc dicta eſſe volumus, vt cuiuſquam exiſtimationi, & famæ quicquam deteratur, aut quod omnem a Iureconſultis noſtris ablegandam eſſe elegantiam cenſeamus, vnde ad auitam barbariem deuoluamur; ſed vt modus adhibeatur, maltique non inhumaniorum literarum, ſed iuriſprudentiæ ſtudiiſimus; alioqui oleum & operam perdemus, ac fœde, vt aliquando Ioanni Ferrario, & Franciſco Connano doctis alioqui Iureconſultis, in vna eademque re vſuvenit, labemur, inque manifeſtos ſcopulos impingemus. Cum enim hi Iuſtiniani verba in Inſcripta. Inſtitutionibus ſub titulo de *Adoptionibus* legiſſent, rem plane obuiam ignorantes, futiles omnino diſcriminis rationes attulerunt. Sed & illud, inquit Iuſtinianus, *vtriuſque adoptionis commune eſt, quod & ii, qui generare non poſſunt, quales ſunt ſpadones, adoptare poſſunt, caſtrati autem nō poſſunt.* Ferrarius ad hunc locum ſic in Annotationibus ſcriptum reliquit, *Cæterum ſpadonibus, quia humano inuento impotentes mulierum ſunt facti, & fortaſſis progenerare olim, atq; prolem adſequi potuere, permiſſum eſt vtraque adoptione vti. Eſt etiam in l. 2 § Illud. & l. Adrogato §. Spado. ff. eodem titulo.* Hæc ille. Connanus vero lib. 2. Commentariorū iuris ciuilis cap. 15. *Rationem*, inquit, *huius diſtinctionis inuenire difficile eſt, quod nulla cauſſa eſſe videatur, cur in ſpadonibus aliud, quam in caſtratis ſtatuatur.* Et mox, *Itaq; ſpado, cui ſolum teſtes deſunt, aut auulſi ipſi, aut attriti, uxorem ducere, heredem ſcribere, vel adoptare poteſt. Caſtratis autem nihil horum permittitur. Nam ſpado non omnino ineptus eſt ad res Venereas, quibus operam dare poteſt, ſed nulla ſobolis ſpe, &c.* Profecto ſi ſatis hi perpendiſſent in Pandectis. *l. ſi quis poſthumos. De liberis & poſthumis. l. ſi ſerua §. Spadonis. De iure dotium. & l. ſi quis ita ſpado. De Ædilitio edicto;* aut ſaltem legiſſent commentaria Socini *ad l. Sed eſt quæſitum. De liberis & poſthumis.* rem omni prorſus carere dubio animaduertiſſent germanamque ad Iuſtiniani locum explicationem attuliſſent. Eſt igitur ſciendum, vt ex his legibus colligitur, ſpadonum alios nunquam generare poſſe: alios vero & ſi in præſentia generare non poſſunt, ſpem tamen haud dubiam corporis habitu præbere, ſi impedimenta, quæ eos nō ſinunt eſſe parentes, abſcedunt ſeipſos ad conſerendos ſeminatū agros nō fore ineptos. Atque ideo ob acceſſuram generandi poteſtatem, his poſterioribus

bus

Digitized by Google

bus adoptionem permitti, prioribus ob contrarias caussas, non item. Spadones igitur, quibus adoptio permittitur, temporali laborant sterilitate, vel propter frigiditatem, *vt Theophilus censuit*, vel quia vias seminis obstructas habent; tales namque inueniri Spadones demonstrat Aristoteles *Problemate 27. Sectionis 4.* sic inquiens, si Latino ore loquatur, *Quibus itaque meatus habitu suo naturali triuantur, vel quia obcæcati sunt, qui ad penem tendũt, quod Spadonibus, hisq; similibus euenit, vel etiam aliis de caussis, his talis humor in sedem confluit, &c.* Si his igitur aut similibus vitiis, quæ depelli possint, spadones laborent, adoptare poterunt. Plura de spadonibus adduci possent ex Iureconsulto *in l. Spadonum. ff. de verb. sign.* cui primus affulsit Beroaldus *in cõmentariis in Tranquillum, & in Apuleium:* Item ex Theophilo, ex Suida, Luciano, Paulo Ægineta, Matthæo Euang. *cap. 19. & aliis*; sed quia illa sunt protrita, & si alicubi implexa, a me omittuntur. Illud tamen nequaquam omittendum duximus, antiquos nedum eunuchos facere consueuisse, sed & eunuchas. Vt enim Xantus Lydus Rerum Lydarum *lib. 2.* scriptum reliquit (quod est ab Athenæo *lib. 12 Dipnos. cap. quarto* relatum) Andramites Lydorum Rex, primus Eunuchas mulieres fecit, hisque loco virorum Eunuchorum vsus est. Quis vsus esset apud antiquos Eunuchorum, optime declarat Gregorius Nazianzenus *in Monodia in Basilii vitam*, loquens in hanc sententiam, *Interdum Eunuchos suos ad leniendum misit. Hi cubicularii ipsius erant, genus admodum molle, tamen impietate aduersus Deum fortes, dum sectam & ipsi Arianam tuentur. Viri namq; sunt inter mulieres, ad eas custodiendas oblectandasque; mulieres vero inter viros ad omnia obscœna patienda. Quamobrem quando genitalibus stuprum admittere nequeunt, lingua fornicaria, & adultera vtuntur.* Hæc Nazianzenus. Eunuchorum naturam optime appinxit Polemon Atheniensis in definitionibus humanarum effigierum, inquiens ipsos maiori ex parte immiti esse ingenio, dolosos, facinorosos, multisque in sceleribus se exercere consueuisse.

Statua porphyretica, quæ angulo cuidam templi Diui Marci affixa visuntur Venetiis, quibus dicata fuerint ex coniecturis non leuibus indicatum.

CAPVT VI.

CVm Tridento Venetias visendæ Inclytæ vrbis gratia aduenisset Michael Iterus Nauarrus, nostræ ætatis Iureconsultorum Coryphæus merito a doctis adnumeratus, mihiq; amicitiæ, communiumque studiorum iure coniunctissimus, memorabilia cuncta in priuatis publicisque locis, atque admiratione digna vna lustrabamus. me enim ille tanquam mystagogo vtebatur; quod multa antea præclara obseruassem, ac a patritiis viris percunctationibus edidicissem. Cum quadam die prope ad portam

quæ e platea aduenientibus in Palatii atriũ patet, accederemus, obtulerunt se nobis leua in angulo templi Diui Marci, e porphyretico marmore statuæ quatuor, hęrentes binæ. Tunc iterus quorum nam essent illæ, & cur angulo illi ab antiquis, qui ædē construxerunt, affixæ essent, vt solebat, percunctari cœpit. Dixi tem antiquarius omnibus, Venetisq; eruditis viris esse penitus obscuram, solumq; e Græcia statuas hasce esse aduectas constare, & nihil præterea. Me vero, si coniecturis locus sit, suspicari, statuas illas Harmodii esse & Aristogitonis, qui Atheniensium Tyrannũ Hipparchum peremerunt; quorum historia ex his, quæ Thucydides libro 6 scripsit, satis est nota, & cuius meminerunt Plato in *Symposio*, Aristoteles *lib 2 Rhetoricorum*, Athenæus *lib 15 cap. 7.* & alii. Cum enim ob patriam a tyrannide liberatam magnis honoribus hos prosecuti fuerint Athenienses, statuis etiam vt fieri solebat eos honorasse constat. Sic enim inquit Demosthenes in oratione πρὸς Λεπτίνην de Conone loquens, Διόπερ οὐ μόνον αὐτῷ τὴν ἀτέλειαν ἔδοσαν οἱ τότε, ἀλλὰ καὶ χαλκῆν εἰκόνα μετὰ τὸ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονα ἔστησαν πρώτῳ. ἡγοῦντο γὰρ οὐ μικρὰν τυραννίδα τὴν Λακεδαιμονίων ἀρχὴν καταλελυκέναι. Id est, *Quapropter illi* (scilicet Cononi) *tum non tantum immunitas decreta est, sed pri-mus fuit, cui quemadmodum Harmodio, & Aristogitoni ænea statua decerneretur. Putabant enim eum, qui Lacedæmoniorum imperium euertisset, non paruam tyrannidem destruxisse.* Quamquam enim eas horum statuas Demosthenes fuisse demonstrat. Dio Chrysostomus Oratione XI. cui titulus est, *Troia.* sic inquit, si Latinis vtamur verbis, *Harmodium autem, & Aristogitonem præ omnibus maxime Athenienses honorant, vt qui ciuitatem in libertatem asseruerint, tyrannumq; interfecerint.* Hæc ille. Pollux quoque, & si temporis iniuria lacunosus, idem demonstrat *lib. 8* loquens de Imperatore Atheniensium in hæc verba, *Ordinat quoque certamen funebre eorum, qui bello ceciderunt, & Harmodio * sacrumque parentalia celebrat &c.* Ora quoque opinionem meam adiuuare; vtroque enim pari alterum barbatum esse, scilicet *Aristogitonem*; alterum vero, nempe Harmodium, imberbem. Cultum corporis armaque a Græcorum ritu non abhorrere. Vtriusque vero vtrique complexum eorum amori fideique, & coniurationi maxime congruere. Eo vero in angulo has statuas esse locatas, vt Veneti qui quotidie in atrium palatiumque conuenientes, tyrannidem esse abolendam, tyrannorumq; interfectores honorandos esse, admonerent. Hæc cum eruditissimo viro arriderent, digna esse putaui, quæ Miscellaneis nostris adscriberentur.

Hians Laurentii Vallæ contextus, verbo, quod scribarum typographorumq; culpa deerat, restituto, expletur, & clypeus, quo ille contra nonnullas calumnias tegi possit, demonstratur.

CA-

CAPVT VII.

DE Gerundiis scribens Laurētius Valla, sic loquitur *lib. 1. cap. 29. Soluendo non sum, nunquam patitur secum substantiuum, ideo dubitari potest, datiuus sit, an ablatiuus.* Significat autem satisfacere pro eo, quo obligatus sum, siue pecunia, siue remuneratione: vt Quintilianus. *Placeamus licet nobis fortuna nostra pater, pauperi soluendo non sumus.* Vult autem semper post se datiuum, licet non semper apponatur, interdum etiam alium casum. Apud eundem, *Maximinum virorum, & quibus artis sua soluendo non sit humanitas.* Sic Valla. Cum hæc olim legeremus, duplici hic auctor implicitus errore videbatur, altero quod non recte verborū sententiam explicaret, altero, quod perperam de constructionē pronuntiaret. Quod spectat ad priorem errorem, hunc esse lapsum demonstrari satis censebam his Iureconsulti verbis, quæ leguntur *in l. soluendo . ff. de Verborum significatione, Soluendo esse,* inquit Iabolenus, *dicitur is tantummodo, qui solidum potest soluere.* Vides soluendi potestatem non autem actum, *vt Valla visum est,* significari. Quantum vero pertinet ad posteriorem, pariter hallucinari ille videbatur inquiens, verba hæc, *Soluendo esse, nunquā pati secum substantiuum, ideoq; ambigi posse vtrum soluendo, in datiuo esset, an in ablatiuo:* quandoquidem nō obscuri nominis scriptorū auctoritatibus. & non absimilibus loquendi formulis obsisti posset. Sunt autem illæ infra relatæ. Liuius, *Si Resp soluendo aeri alieno esset* Iureconsultus. ff. de Pollicitationibus, *Si bona liberalitatis soluendo non fuerint.* Licet Budæus, *soluenda* legat. Idem Liuius (quod ad similitudinem locutionis facit) alibi sic inquit, *Talia quærentes, aqua orare, seq; ea relaturos ad Scipionem Tribuni responderunt; & P Scipion. in Deum benignitate, & Remp. esse gratia referendæ, &c.* Idem alio in loco, *Vt ciuitates conferrent, qui oneri ferendo essent, &c.* Ouidius lib. 15. Metamor. de Phœnice aue loquens,

Cum dedit huic ætas vires onerique ferendo est.

Cicero in Oratione pro L. Flacco, *Illud,* inquit, *quære, Sunt ne ista prædia cen sui censendo? &c.*

VERVM nulla erroris nota Vallæ inurenda est. Nam quod pertinet ad gerundii huius significationem, non adeo literarum ille videri possit ignarus, & eorum, quæ legerat immemor, vt eo soluendi actum significari existimaret, & Iaboleni declarationis non meminisset, vel eam abiiciendam putaret. Eamq; ob rem dixerim contextum mancum esse, verbumque deesse, quo potestas significetur, vt sic legamus, *Significat autem satis facere posse ei, cui obligatus sum.* Qua recepta lectione, optime Valla significationem appingit. Quantum autem attinet ad alterum erratum, notæ identidem eit eximendus: quia licet vnam atq; alteram inueniamus reclamantem obnitentemque auctoritatem, non ideo

improbanda Vallæ est obseruatio, qui elegantias scribit, vt titulus, quem ille operi præfixit, pollicetur, & de vsu, non autem de abusu loquitur, vt ipsemet testatur in calce capitis primi *lib. 1.* quem clypeum, qui virum hunc de literis benemeritum tueri student, Vallæ hostibus literatoribus quibusdam obiicere poterunt.

Quo pacto depuretur ferrum, acriusq; ad incidendum fodiendumq; reddatur. Stomoma, quod vulgo aciarium dicitur, qua arte efficiatur. Videri chalybem, non stomoma, sed ferrum, tanquam genericam vocem, significare, Latinosque vocabulo, quo stomoma significent, carere, Hebræos non item. De multis stomomatis generibus a Daimacho enumeratis.

CAPVT VIII.

MEmini me olim apud Diodorum Siculum legere, Hispanos, ferri laminas terra operire consueuisse, quo illæ ferruginem rubiginemque contraherent, & purgarentur, indeque ex his gladios atque arma procudere. Huius autem rei rationem ferrique alias purgationes, item temperamenta tunc perquirenti mihi, hæc comperta sunt. Ferri substantia cum impura fœculentaque sit, ac habeat terræ indigestam portionem non modicam, humo quodammodo macerata, marcescentia excrementa exudat, indeque rubigine tanquam scabie quadam obducitur. Quo fit vt ferrum rubigine obsessum, purum redditum esse dicendum sit. Quamobrem videmus enses peruetustos rubigine scabros, cum expoliti fuerint, miram cum in incidendo tum in fodiendo vim obtinere; quanquam sunt qui id temperamento tribuunt. Rubiginem ferro ex prædicta caussa innasci, fidem facit Plato in Timæo, in hanc scribens sententiam cum æris meminisset, *At quando terrena pars huic immista, propter vetustatem a ceteris partibus eius secernitur, ad extrariamq; emissa superficiem per se ipsa ... patet, rubigo iam nascitur.* Hæc Plato. Consueuerunt nostra ætate ferrarii fabri, gladios, forfices, aliaque instrumenta incisoria, fimo equino operire; cum vero iam satis rubiginis contraxerint, expolire, & cote subigere atque exacuere; & hac ratione ipsis robur, vimque acrem conciliari testantur. Alius depurandi modus legitur in Volaterrani Paralipom. ad Comment. Vrbana: Eius verba hæc sunt, *Rursus stannum, æs, ferrum hoc modo purgabis. Sumito salis alcali, cineris, cathmiæ (id genus est pompholicis) aquas partes, & ex aceto vehementi supra marmor diligenter mollito; deinde acetum colato, & in hoc postea stannum quinquies fusum lauato, æris autem, aut ferri laminas ignitas exstinguito; optime purgabuntur.* Hæc ille. Est & tertia purgandi ratio, si vera sunt, quæ ex aliarum quorundam Turcarumque sermonibus percepimus. Stomoma fabri ferrarii limis atterunt, & in scobem penitus ac pul-

bere

uerem redigunt; mox puluerem illum farinæ admiſcent & aqua emolliunt, indeq; turundas atq; offas ducunt, quas anſeribus vorandas præbent. Poſtea ex earum fimo ſcobē ſecernunt, eamque fornacibus liqueſcere faciunt, quoad in maſſam rurſus coeat; atque hoc eſſe omnium purgatiſſimū ſtomoma dicunt, ex quo ducunt nonnulli gladios enſeſque, quibus ferrum non ſecus ac lignum perſecēt, qualem eſſe Georgii Caſtriotæ enſem, quem nos ſuperioribus annis Piſauri in Vrbinatum Ducis armamētario vidimus, memoriæ proditum eſt. Alio pacto non ſtomoma, ſed ferrum purgatur, ſcilicet cum in laminas iam ductum malleis, iterum fornacibus redditur, ac quoad fluat excoquitur. Idq; ſæpius fit quo maior ſcoriæ copia ſubſidat, atque ita ferrum quaſi purū putum efficiatur, quod Græci στόμωμα vocant (quamquā & temperamentum vox ſignificat, στομόω enim idem eſt quod tempero, induro, & exacuo) nos vero quaſi proprio nomine carentes, ferri nucleum. Stomomatis non abſimilem confectionem edocet Ariſtoteles lib. 4 Meteor. his verbis Τήκεται δὲ καὶ ὁ εἰργασμένος σίδηρος, ὥστε ὑγρὸς γίγνεσθαι, καὶ πάλιν πήγνυσθαι, καὶ τὰ στομώματα ποιοῦσιν οὕτως, ὑφίσταται γὰρ, καὶ ἀποκαθαίρεται κάτω ἡ σκωρία. ὅταν δὲ πολλάκις πάθῃ, καὶ καθαρὸς γένηται, τοῦτο στόμωμα γίγνεται. οὐ ποιοῦσι δὲ πολλάκις αὐτὸ, διὰ τὸ ἀπουσίαν γίγνεσθαι πολλὴν, καὶ τὸν σταθμὸν ἐλάττω ἀποκαθαιρομένου. ἔστι δὲ ἀμείνων σίδηρος ὁ ἐλάττω ἔχων ἀποκάθαρσιν. Id eſt, *Ferrum arte domitum, ita liqueſcit, vt liquidum reddatur, & iterum denſatur. atque in hunc ſane modum illud defœcatum reddunt. excrementum enim ſidit & in imum ſecernitur. Quæ quidem res poſtquam frequenter acta eſt, & purum euaſit, defæcatum redditur. Nec vero artifices, eodem modo illud frequenter præparant, quod attenuetur, & imminuatur, quodque ita repurgatum, pondere minus ſit. Illud etiam magis laudatur, quod minus excrementi agit.* Vides quam belle Philoſophus doceat ferri purgationem, & ſtomomatis elaborationem. Quibus etiam verbis ſatis demonſtratur, vt ab aliis quoque fuit obſeruatum, στόμωμα longe diuerſum eſſe ab ære, & non eſſe genus ſquamæ æris, vt falſo cenſuit Plinius Naturalis *hiſtoriæ lib. 34. cap. 11.* Quod vero ſupra diximus, videri nos propria voce carere, qua στόμωμα ſignificemus, ſuadent hæc Plinii eiuſdem verba *libro prænotato. cap. 14. Et fornacium,* inquit, *maxima differentia eſt. in iis quidem nucleus ferri excoquitur ad indurandam aciem, &c.* Vides, verborum ambitu magis illum vti voluiſſe, quam voce hac, *calybs*, quod forte ea non ferri ſpeciem, ſed genus ſignificet, & ſi ſupra *libr. 22. cap 22.* contrarium innuere videatur his verbis, *Si enim calgaris clauus, ſi ferri, vel calybis aliqua rubigo, &c.* Calybs vero ferrum ſignificat, propter Calybi finitimos populos, quos ferri gloria, præ ceteris, qui ferri metallis inſignes habebantur, nobilitauit. quamobrem Vergilius *lib. 1. Georgicorum* inquit,

At Calybes nudi ferrum, virosaque Pontus
Castorea; Eliadum palmas Epirus equarum.

Iustinus *lib.* 43. de Gallecię portione, *Pracipua his quidē ferri materia. sed aqua ipsa ferro violentior: quippe temperamento eius ferrum acrius redditur, nec vllum apud eos telum probatur, quod non aut Bilbili fluuio, aut Calybe tingatur. Vnde etiam Calybes, fluuii huius finitimi appellati, ferroq; ceteris prastare dicuntur, &c.* Stomomatis apud antiquos plura fuisse genera, quæ variis vsibus deseruirent, testatur Daimachus in Commentariis obsidionalibus, quæ nos manuscripta ex Creta Venetias aduecta vidimus, ex quibus hæc apud Eustathium leguntur *in comment in libr. 2. Iliad. in Catalogum.* τῶν γὰρ, inquit ille, στομωμάτων φασὶ, τὸ μὲν, χαλυβδικὸν. τὸ δὲ σινωπικὸν τὸ δὲ λύδιον. τὸ δὲ, λακωνικὸν καὶ σινωπικὸν μὲν καὶ χαλυβδικὸν, χρήσιμον εἰς τὰ τεκτονικά. λακωνικὸν δὲ εἰς ῥίνας, καὶ τρύπανα, καὶ χαρακτῆρας, καὶ λιθουργικά. τὸ δὲ λύδιον, εἰς ῥίνας καὶ αὐτὸ, καὶ μαχαίρας, καὶ ξύελα ξυστῆρας. οὕτω Δαΐμαχος ἐν πολιορκητικοῖς ὑπομνήμασι κατὰ τὸν τὰ ἐθνικὰ γράψαντα. Id est, *Stomomatum autem, aiunt Calybdicum quidem aliud, aliud autem Sinopicum, Lydium aliud, Laconicum aliud. Et Sinopicum quidem, & Calybdicum vtile ad fabrilia, Laconicum vero ad limas, & terebra, quibus ferrum perforatur, & ad characteres, & lapidicinariam. Lydium autē & ipsum ad limas, & ad macheras, & ad nouaculas. Sic Daimachus in obsidionalibus commentariis, secundum eum, qui scripsit gentilia.* Hebræis στόμωμα dicitur חלמיש *chalamisc*, vt fuit pridem adnotatum a Francisco Forterio Vlyssiponensi Theologo præclarissimo, in doctissimis suis Commentariis in Iesaiam ad cap. 50. Cuius vocis etymum esse dicit a verbo חלש chalasc inserta litera מ Mem, id est, *domuit*, cum omnia domet sua duritie. Quamquam video Hebræos quadratum nomen esse dixisse, cuius radix sit חלמיש *chalamasc*. Hoc idem ferri genus propter insignem duritiem, adamantem Græci nonnunquam appellarunt, vt apud Isacium Tzetzam Lycophronis Com. apudque alios obseruauit eruditissimus vir, & antiquitatum omnium diligentissimus obseruator Quinctinus Acanthius Spoletinus, quē ob pietatem in Deum non mediocrem, & quod in amicos, præsertim vero erga me semper fuerit officiosus, non vulgari amore prosequor, & plurimi facio. Stomomati autem præter depurationem, robur etiam maximum aquæ vis quædam arcana, vt de Calybis Bilbilisque aqua ex Iustino didicimus, conciliat. tametsi in vniuersum aquæ frigori, quo temperando, obduratur accedens robur fabri Ferrarii acceptum ferant. Fit enim eo quasi antiperistasis, ex qua candentis ferri calor introrsum compulsus, fortiorque redditus, humorem absumit, qua re illud duritiem adipiscitur. Quidam tamen peculiarem habent, medicatis aquis, non nullis quibusdam rebus duritiem temperaturamque ferendi.

acriter reddi. Alii enim salita aqua, alii aceto permista, alii oleo, vrina nonnulli, quidam diuersis herbarum succis vtuntur. Albertus cognomento Magnus, *lib. 2 de Lapidibus Tract 3.* auctor est, ex ferri nucleo sæpius colliquato perpurgatoque, adeo vt ad argenti albedinem quasi accedat, ductis instrumentis inde fortiis, temperamento succi ex raphano lumbricisq; expressi, tantā conciliari duritiem, vt ipsis ferrum non secus ac plumbum perscetur. Seq; id verum esse, experimento didicisse testatur. Sane Homeri ætate sola frigida aqua vt posterioribus seculis factum esse credimus, incisoria ferramenta obdurari consueuisse, manifeste ostenditur his verbis lib. 9. Odyss.

ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκεὺς πέλεκυν μέγαν ἠὲ σκέπαρνον
εἰν ὕδατι ψυχρῷ βάπτῃ μεγάλα ἰάχοντα
φαρμάσσων· τὸ γὰρ αὖτε σιδήρου γε κράτος ἐστίν.

Id est: *Sicut autem quando faber ferrarius securim magnam vel asciam*
In aquam frigidam demergit valde resonantem,
Obdurans, hoc enim ferri robur est.

Sed de his hæc dixisse sufficiat.

Quid sit garum, & qui sint Lacerti apud Iureconsultum in l. Qui penum. ff. de Penu leg. Accursius reprehensus, & eiusdem legis contextus emendatus.

CAPVT IX.

SEd *Aristo notat etiam quæ esui potuiq; non sunt, contineri legato: vt puta ea, in quibus esse solemus, vtcumque forte, garum, amurcā, mel, ceteraq; similia.* Hæc sunt Vlpiani verba in *l. Qui penum ff de Penu legata.* in quorum explicatione Accursius sic inquit, *Garum genera salsamenti, &c.* Sed tu dicas, garum esse liquamen illud salitum, quod olim ex pisce garo conficiebatur; de quo sic scribit Plinius *lib 31. Natur. hist. cap. 7.* Aliud etiam nunc liquoris exquisiti genus, quod Garum vocauere, intestinis piscium, ceterisque, quæ abiicienda essent, sale maceratis, vt sit illa putrescentium sanies. Hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Græci γάρον vocabant. Et libro eodem, capite sequenti, de garo loquēs, Nunc, inquit, e Scombro pisce laudatissimum in finibus Carthaginis Spartariæ, & cetariis; Sociorum appellatur, &c. Idem *libr. 9. cap. 17.* de piscibus loquens, *M. Apicius ad omnem luxum ingenio mirus, in Sociorum garo (nam ea quoque res cognomen inuenit) necari eos præcellens putauit.* Hæc Plinius. De garo ex Scombro pisce, mentionem facit & Strabo *libr. 3.* Enumerat Athenæus *libro 2 Dipnos. cap. 20* antiquos qui gari meminerunt. Testatur Iulius Pollux *libro 6.* antiquos aceti speciem quandam, garum appellasse: quod fortasse factum est ob gari præstantiam, a quo cetera condimenta liquida sic dicerentur. Acetum autem inter condimenta referebatur, vt etiam hodie referuntur,

quia vt citato capite scriptum Athenæus reliquit, Attici acetum solum condimentum appellabant. Lucianus garo atque oleo pisces perfundi consueuisse demonstrat. Pædacius Dioscorides *libro 2. cap. 31.* de gari medicinis scribit, appellatque garum, salsum liquamen tàm ex piscibus, quam ex omnium animalium carnibus effluens, quod quidem Salamuriam Anglarenses nostri vernacula voce dicunt. Gari sic meminit Horatius Serm. *lib. 2. Satyr. 8.*

His mistum ius est oleo, quod prima Venafri
Pressit cella garo de succis piscis Iberi.

Martialis vero,

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe Fastorum munera chara garum.

Idem oua garo condiri consueuisse demonstrat inquiens,

Candida si croceos circumfluit unda vitellos,
Hesperius scombri temperet oua liquor.

Garum efficacius Græci αἱμάτιον dicunt, id est, sanguiculum: nam ex sanguine scombri, vt ex supra relatis patet, conficiebatur; de quo Constantinus Cæsar *lib. vltimo de Agricultura, capite vltimo.* Patet igitur quid sit garum, quibus rebus, & in quos vsus conficeretur. In eadem lege hæc quoq; verba leguntur, *LACERTOS quoque cum muria sua continere, nisi Labeo negat.*] Accursius ad hunc locum perperam & barbare, inquit, *Lacertas, id est, brisca mellis, intelligens pro brisca fauos.* Tu vero dicas *Lacertos* ibi significare pisces sic vocatos, e quibus, teste Celso atque aliis, salsamenta conficiebantur; quorum Plinius lib. 32 capite nouissimo his verbis meminit, *Coliæ, siue Parianæ siue Sexitanæ a patria Bæthica, Lacertorum minimæ, & c.* [illegible] hic piscis nuncupatur ab Aristotele apud quem Theodorus Gaza vir alioqui eruditissimus male monedulam vertit. Lacerti piscis mentio est apud Athenæum *Dipn. lib. 7. cap. 23.* legiturque infra apud eundem *cap. 33.* lacerti condimentum non iniucundum ex Alexide. De Lacerto Martialis,

Cum Sexitani fertur tibi cauda lacerti.

Licet deprauate apud eum, *Saxetani,* legatur. Iuuenalis vero Satyra 14 de eodem sic inquit,

[illegible] est nec cum parte Lacerti.

Vbi partē pro cauda accipe, monente Martiale: sola enim in pretio fuisse videtur. In horum fortasse effigiem, vel magis terrestrium lacertorum, formatos dulciarios panes, *lacertulos* vocat Apuleius *lib. 10. de Asino aureo,* sic inquiens, *Crustula, lunculos, hamos, lacertulos, plura iectamenta mellita, &c.* Muria, cuius meminit Iurisconsultus in relatis verbis (ex hac voce discere poterat Accursius, ab eo piscium genus, non fauos significari) liquamen erat quoddam salsum [illegible], quod ex piscibus sale maceratis effluebat, palato nec in-

In

ingratum, de quo Plinius *Natur. hist. lib. 31. cap. 8. & lib. 32. cap. 12.* Non me latet apud Columellam pro sale durato, siccatoq; poni, quod neoterici, vt Aqueus ait, pro sale & aqua accipiunt, ac pro liquamento, quod e suillis carnibus sale aspersis defluit. Veteribus duplex muria fuit, altera, qua in condimentis vini vtebantur, cuius confectionem, vsumq; edocet Columella *lib. 12. cap. 16.* Altera vero, quæ dura dicebatur, cuius vsum idem auctor demonstrat libro eodem, *cap. 6. & 7.* de qua quibusdam locutus videtur Plinius *lib 14. Nat. hist cap. 19.*

ANTE quam huic capiti coronidem appingamus, illud non videtur silentio inuoluendum, in relatis Iureconsulti verbis corrupte in multis exemplaribus etiam vetustioribus, amurcam pro muria, vel murina legi. Amurcam enim, siue olei fæcem & sedimentum, quod Græci ἀμόργην vocant, ciborũ condimentis nunquam legi adhibitum fuisse (quamquam obseruaui apud Athenæum *lib. 4. Dipnos. cap. 3.* in Nicandri verbis ex libro eius Georgicorum secundo, aceti fæcem pro condimentis raparum ad nõ lautas mensas fuisse vsurpatam) Iulius Pollux *lib. 6* condimenta ciborum enumerans, inter ea non recenset amurcam: & Antiphanes apud Athenæum *Dipn. lib. 2. cap 3* in multis, quæ affert condimentis amurcam non agnoscit. Amurca tamen propter medicas vires, quibus prædita est, medicamentis admisceri consueuit; præterque medicamenta pluribus rebus vsui est, *vt ex Catone, Varrone, Columella, Palladio, & aliis cognoscitur.* Quod ad murinam attinet, eam inter dulcia numerat Plautus in Pseudolo sic inquiens,

> *Quid si opus sit vt dulce promat indidem, ecquid habet?*
> *Rogast murinam, passum, defrutum, melinam.*

Legere igitur debemus, muriam, vel murinam.

Quanam illa fuerit machina, qua Archimedes memorabilem Hieronis nauem in mare deduxit, & quid sit ἕλιξ apud Athenæum.

CAPVT X.

ATHenæi Dipnosophistarum libros a doctissimo viro Natale Comitio amico meo, quẽ Mediolano anno salutis 1550. in patriam reuersum primum allocutus sum, Latinitate donatos, pomeridianis horis cum legerẽ, incidi in caput 8. libri quinti, vbi ille ex Moschione de Hieronis celebri naue loquitur: quo loco sic habet Latinus contextus. *Sed cum quo pacto in mare trahenda esset, magno studio quæreretur, solus Archimedes mechanicus ipsam paucis instrumentis deduxit. nam primus Archimedes vitis vsum reperit, quâ cum fecisset, tantam nauim traxit in mare.* Quibus lectis quamquam cochleæ perpetuę vocatæ, maximarum inter tractoria organa virium haud essem ignarus, vt qui eam etiam libris meis de Militaribus technis appinxeram; tamen quia eius

auctorem fuisse Archimedem, me legisse non meminissem, deque deducta sua naui, Archimedis inuento, loquentem Plutarchum in Marcelli vita, animaduerterem, machinam, qua ille vsus est, *Polyspastum* appellare, quasi tu dicas *multitrabam*; suspicatus aliquando ipsum esse eruditissimũ interpretem, dum fortasse codicis manuscripti fidem sequeretur. Mox vero cum Græcum Athenæi exemplar vulgatum cõsuluissem, sic scriptum, quantum ad rem attinet, inueni. *Ἀρχιμήδης ὁ μηχανικὸς μόνος αὐτὸ κατήγαγε δι' ὀλίγων σωμάτων· κατασκευάσας γὰρ ἕλικα τὸ τηλικοῦτον σκάφος εἰς τὴν θάλατταν κατήγαγε· πρῶτος δὲ Ἀρχιμήδης εὗρε τὴν τῆς ἕλικος κατασκευήν.* Quorum verborum hæc est sententia, Archimedes mechanicus solus paucorum corporum adiumento ipsam deduxit. Is enim Helicem comparans, tantam nauem in mare traxit. Primus autem Archimedes Helicis vsum excogitauit. Vt autem Plutarchus ait, Archimedes nauim ex regiis onerariam vnam mercatus est, in quam *ἐμβαλὼν ἀνθρώπους τε πολλοὺς καὶ τὸν συνήθη φόρτον, αὐτὸς ἄποθεν καθήμενος, οὐ μετὰ σπουδῆς, ἀλλ' ἠρέμα τῇ χειρὶ σείων, ἀρχήν τινα πολυσπάστου, προσηγάγετο λείως καὶ ἀπταίστως, καὶ ὥσπερ διὰ θαλάσσης ἐπιθέουσαν.* Id est, *Impositis multis hominibus, & solito onere, ipse impellebat assidens, non cum festinatione, sed sensim manu pellens, principium quoddam induxebat machinamenti polyspasti, leniter, & sine offensione, tanquam perlabentem per mare, &c.*

VIDES pro Helice, *Polyspastum* dici. Adde quod Oribasius Græcus auctor *in libro de Machinamentis, cap. 6* quod est de Machinamentis ex Galeno, ad Archimedem Polyspasti inuentum fuisse relatum demonstrat, dum in hanc loquitur sententiam, *Si quis autem velit aliis quoque uti, est Polyspaston, ita appellatum, quoniam multis orbiculorum circuitionibus facilitatem præstat, quod iter facientibus maxime idoneum est. refertur autem ad Archimedem auctorem, &c.* Infra vero *cap. 24.* rem melius aperit, eandem machinam speciei voce *Trispastum* nuncupatam describens, delinians que, ac illi non cochleam, quam vitem vulgo dicimus, tribuens, sed orbiculos quatuor siue rotas. Quin & ad deducendas naues ab Archimede siue Apellide Trispastum fuisse excogitatum, testatur his verbis, *Vidio eruditissimo viro interprete, Illud in primis scire conuenit, quod neque Apellides, neque Archimedes medici fuerunt, sed architecti, qui machinamentum hoc excogitarunt (quemadmodum nos accepimus de historia) ad naues deducendas fabricatum, non per manus, sed per Ergatam attractu, &c.* Huius generis machinamentum Vitruuio *lib. 10 cap. 2.* est artemon, id est, trochlea, quam Græci ἐπάγοντα vocant. Diciturq; eodem teste *Polyspaston*, *Hoc*, inquit, *genus machinæ Polyspaston appellatur, quod multis orbiculorum circuitionibus & facilitatem summam præstat, & celeritatem, &c.* Quo in loco obiter adnotandum

dum est, videri ex Vitruuio petitũ fuisse etymon Polyspasti, quod Oribasii prænotato *cap 6* legitur: quamquam in Trispasti notatione Oribasius *cap. 4. & 24.* discrepat, inquiens, *Trispastum a tribus funibus, qui circumuoluunt, agunt que, esse dictum, e quibus unus extra duceretur, duo vero includerentur.* Idem in orbiculorum numero non conuenit, quatuor adscribens, cum Vitruuius loco citato, & *cap 3* tres duntaxat in Trispasto agnoscat. Plutarchi senior interpres *Polyspastum* male vertit, *machinam multifidam*, cum potius *multitraham* (si Latine diceretur) vox sonare videatur. σπάω enim Græcis, nobis est *auello*, & *traho*. Vnde & *Neurospasta*, quorum meminit Gellius *libr 14. cap. 1.* & de quibus Cœlius Rhodig *lib 4. cap. 6.* ac eruditissimus elegantissimusque vir Muretus in *Annot. in Horatium*. Quæ tamen ludicra orbiculis carere videmus. Iam igitur patet, Helicem apud Athenæum non cochleam vitemve vernaculo sermone dictam significare, sed *Polyspastum*, peculiari voce *Trispastum* nuncupatum. ἕλιξ autem a circumuolutione orbiculorum quorundam, qui ipsi machinæ, vt supra cognoscitur, indebantur, dicta est, vel a verbo ἑλκω, id est, *traho* Phauorinus de Helice ab Archimede excogitata, λέγεται, inquit, δὲ ἕλιξ καὶ τι μηχανῆς εἶδος ὁ πρῶτος εὑρὼν Ἀρχιμήδης εὐδοκίμησε φασὶ διὰ αὐτόν. id est, *Dicitur autem Helix & quoddam machinamenti genus, quod primus inueniens Archimedes, praclarus habitus est, vt aiunt, propter ipsum.* Diligens lector dispiciat, an Helicis voce, significetur cochlea lentis speciem referens, qualis in Nymphodori organo quadrato tractorio, cui Glossocomo nomen est, visitur (nostris Mechanicis hæc est perpetua cochlea) de qua idem Oribasius *cap 4. item 5. & 22.* Ab hoc enim auctore, cochleæ huiusmodi, & quadratæ, atque etiam fœminæ cochleæ, quod & ab aliis quibusdam Græcis auctoribus, qui de machinis scripserunt, factum videmus. ἕλικες, id est, capreoli tribuuntur, qui clauicularum vitium, speciem referunt. Quod tamen quantum ad Comitii nostri versionem astruendam faciat, nescio, cum de hac cochlea loquens Oribasius, qui machinamentorum inuentores haudquaquam silentio inuoluit, nihil de Archimede dicat.

De argentea vrna, qua Æmilii Pauli Papiniani cineres continebantur, inscriptione, quam Bartholomæus Socinus mendosam, quasi leguleius fucum facere vellet, in suis commentariis posuit. Et de honore, quo Romani Impp. eundem Papinianum prosequuntur.

CAPVT XI.

EReuerendæ vetustatis monumentorum lectione promanantem voluptatem, tota interdum mente contrectare soleo, eamq; ob rẽ nõ minus anxie antiquas veneror inscriptiones, q̃ le-

gulcorum nostrorum ignarum & audax vulgus lites & diuitias. Quoties vero in doctorũ virorum sepulcra, vrnas & elogia incedo, incredibili voluptate afficior, & tanquam lapides ἰλιγγιᾶν quiddam (quod de mulieribus Varro apud Nonium inquit) habeãt, mecũ præclare agi puto, si a lectione obtutuque, a sociis aut a negotiis nõ abducar. Videor enim quodã mẽtis abscessu videre priscos illos mortales, eosq; loquentes audire. Quod mihi pridẽ vsuuenit cum legerem inscriptionem vrnæ argenteæ, in qua Æmilii Pauli Papiniani Iurisprudentis præclarissimi cineres conditos fuisse multi dicunt. Ea est huiusmodi,

ÆMILIO PAVLO PAPINIANO PRÆFECTO PRÆTORIO IVRISCONSVLTO. QVI VIXIT ANNOS XXXVI. DIES X. MEN. III.
PAPINIANVS HOSTILIVS EVGENIA GRACILII TVRBATO ORDINE IN SENIO, HEV PARENTES FECERVNT.

Bartholomæus Socinus eruditissimus quidẽ Iurisconsultus, sed infans & semibarbarus, quasi literarũ ignaro, rudiq; lectori fucũ facere vellet, quandam aliã confarcinauit inscriptionem, proq; vera genuinaq; obtrusit in Commentarus suis *in l. Cum aum. ff. de Condition bus, & demõstrationibus.* Sic enim de eiusdem Papiniani vrna loquens, scriptum reliquit, *Cuius vrna tempore genitoris mei, vt ipse referebat, argentea Roma reperta a quodam rustico fuit, in qua erant verba infrascripta, ÆMILII Papiniani Iurisconsulti, & Præfecti Prætorio requiescunt hic ossa. Cui infelix pater & mater sacrum fecerunt mortuo anno ÆT. XXXVIII. Referebat etiam maledictum rusticum dixisse, se tanti viri reliquias in Tyberim proiecisse.* Sic Socinus. Quam hæc inscriptio mendosa & adulterina sit, nemo non videre potest. Sed non est mirum, hominem ab elegantia sermonisq; cultu omnino alienũ, vel ex suo vel ex patris penore talia protulisse. Quod ad Papinianũ attinet, cum non vulgari honore prosequitur Iustinianus Imperator: siquidem *in Digestorum Proœmio. §. Vobis autem.* eum pulcerrimũ, maximum, & subtilissimum virum appellat, & iuris studiosos, tertio anno a Papiniano Papinianistas vocari vult, & festum diem peragere, quem etiam antea statim atque Papiniani leges accipiebant, honoratum habere, & celebrare consueuissent. Maximum etiam appellat *in Auth. de Fideiussoribus* §. 1. In Institutionibus vero sub *titulo de Fideicom. hered.* § *Sed quia.* excelsi ingenii hominem vocat. sic etiam appellatur *C. de Inst. & subst. in l. Cum acutissimi C. de Fideic.* acutissimi ingenii vir, & merito ante alios excellẽs. In lege vero priore § *Omnibus. C. de Veteri iure enucleando,* splendidissimus, & summi ingenii vir. In C. Theodosiano sub titulo *de Respõsis pruden tũ* ab Impp. Theodosio, & Valentiniano excellẽtis ingenii vir dicitur, & parib. Iurisprudẽtũ hinc inde numero

mero partibus exsistentibus, eam auctoritatis nomine præponderare decernitur, in qua Papinianus emineat. De huius viri nece perlepide Ælius Spartianus in Ant. Caracalla.

Cur Horatius, & Cicero Ianum medium vocent, declaratur, & Chiliadum auctoris sententia reiicitur.

CAPVT XII.

APud Horatium Sermonum *libr. 2. Satyra 6.* Damasippus factus ex negotiatore Philosophus Stoicus, sic loquitur,

——— postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis, &c.

Cicero quoque in 6. Anton. *Itane,* inquit, *Ianus medius in L. Antonij clientela est? quis vnquam in illo Iano inuentus est, qui L. Antonio mille nummum ferret expensum?* Libro vero 2. de Officiis *Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de vtenda, commodius a quibusdam optimis viris ad medium Ianum sedentibus, quam ab vllis Philosophis in vlla schola disputatur.* Hæc Cicero. Quæsitum est a doctis cur Ianus, *medius* sit nuncupatus. Quibusdam placet Acronis Horatiani interpretis sententia, scilicet, Ianum dici medium, quod tres essent Iani statuæ, ad quarum mediam solerent fœneratores, & creditores conuenire. Porphyrio eos ad Ianum in Basilica stetisse dicit. Chiliadum auctor *in suis annotationibus in libros Ciceronis de Officiis,* tres illas Iani statuas, vel etiam, vt Landinus ex quorundam sententia dicebat, tria Iani in Foro templa, commenta esse suspicatur; probabiliusque esse ait, *medium Ianum* vocari, quod in medio Foro basilicam haberet, nihilque ad hanc opinionem astruendam allegat. Ego a Procopio *lib. 1. de Bello Gotth.* scriptum quidem inuenio, *Iani sacellum areum, ex quo belli pacisque argumenta peterentur, in Fori medio fuisse, e regione capitolij, paululum supra eum locum, quem Romani sua ætate, Tres Parcas nuncuparent: tantaque fuisse amplitudine, quanta ad Iani æreum idolum longum pedes quinque, excipiendum satis esset.* Liuius *lib. 1. Dec. 1.* ad infimum Argiletum locat: sic enim ait loquens de Numa, *Ianum ad infimum Argiletum, indicem pacis, belli que fecit: apertus, vt in armis esse ciuitatem, clausus, pacatos circa omnes populos significaret, &c.* M. Varro literis consignauit, duodecim Aras Iano fuisse in Vrbe dicatas, vt singulas singulæ haberent regiones, duas vero præ ceteris cultas, alteram in foro boario, in Romano foro, alteram ad arcum Fabianum. Liuius *lib. 1 Dec. 5.* trium meminit Ianorum, *Et Forum,* inquit, *porticibus, tabernisque claudendum, & Ianos tris faciendos, &c.* Ego in tanta vetustatis caligine, censuerim Ianum ab Horatio, & Cicerone *medium* dici, quod inter duo fora sacratus staret, ad quem tamquam celebriorem, ac loci ratione commodiorem, & fœneratores & mercatores conue-

nire solerent. Ad quod existimandum me impellunt subiecti ex libro primo Fastorum Ouidii versus de Iano,

Cum tot sint Iani, cur stas sacratus in vno
Hic vbi iuncta foris templa duobus habes?

Est autem credendum circa Iani templum illud, & etiam circa forum porticus, tabernasque fuisse, in quibus illi degerent, locoque videtur nomen fuisse, *Sub veteribus.* sic dicente Plauto,

Sub veteribus ibi sunt qui dant, quiq; accipiunt fœnore.

Alioqui. si Chiliadum auctorem audiamus, quo pacto circa paruulam Iani ædiculam in medio Fori locatam, maximæ vrbis mercatorum fœnatorumque, & aliorum ciuium vis ingens, commode citraque cœli iniuria in hyeme atque æstate conuenire, excipique sedilibus potuit? Sedilia etiam & tabernas ad medium Ianum in huiusmodi hominum vsum fuisse, demonstrat Cicero inquiēs, *A quibusdam optimis viris ad medium Ianum sedentibus.* Ac profecto neutiquam dicendum videtur, ędiculam illam belli pacisque, portis binis nunc adapertis, nunc clausis indicem, tabernis, porticibusque, vnde ciuibus prospectus adimeretur, Forumque ædificiis medium occuparetur, fuisse obseptam. Quin eam paruulam, qualem Procopius delineat, nō alia ratione extructam existimo, quam vt Fori portio minor occuparetur, & si materiæ etiam grana, talem factam videri posse, non eo inficias.

Iudices qua ratione olim, leuato velo caussas cognoscere dicerentur.

CAPVT XIII.

HOnorius & Theodosius Imperatores *C. lib. XI. sub titul. De Naufragiis*, sic loquuntur, *De submersis nauibus decernimus, vt leuato velo ista caussa cognoscantur, &c.* Horum verborum sensum nostri Iureconsulti satis assecuti videntur, quando ea & in prouerbium traxerunt, vt *Alciatus lib 4. De verborum significatione* annotauit. Sed qua ratione leuato velo caussæ cognosci dicantur, nemo, quod equidem sciam, ad hanc vsque diem declarauit. Ego arbitror ab eo, quod a iudicibus in caussarum cognitionibus fieri soleret, hunc loquendi morem profluxisse. Vt enim apud Ecclesiasticos scriptores a me fuit obseruatum, cum res altiore indagine, & examine indigeret, iudices velum quoddam tribunali prætendere solebant, quæ res, non liquere, iustamque caussæ cognitionem adhibendam, quæstionemue, si iudicium criminale instet, per plures dies exercendam esse, argumento erat. Ex his scriptoribus, Clementis Romani solius, quem pre manibus habemus cum alii memoria exciderint, testimonium adduxisse in præsentia sufficiat. Eius li 2. Apostolicarum constitutionum Cap. 50. verba sunt hęc, *διακούσθω δὲ καὶ τὰ χρηματικὰ δικαστήρια, ὥστε τῇ ἐξουσίᾳ σου ἀνδροφόνους, φονεῖς, μοιχούς, φαρμακούς, τυμβωρύχους, λῃστάς. καὶ τὰς αἰτί-*

ας

νεμέσεις αὐτῶν λαβόντες οἱ ἡγούμενοι ὑπὸ τ. προστάγματων, λέγουσι τῷ κεκλημένῳ . εἰ ταῦτα οὕτως ἔχει κἀκείνου συγκατατιθεμένου . οὐκ εὐθέως ἐπὶ τὴν κόλασιν αὐτὸν ἐκπέμπουσιν, ἀλλὰ πλείοσιν ἡμέραις ποιοῦσιν αὐτοῦ τὴν ἐξέτασιν μετὰ συμβουλίου πολλοῦ καὶ παραπετάσματος μέσου, &c.

Id est, vt Bouius interpretatus est,

Aspicite mundani iudicia, quorum potestati videmus tradi homicidas, adulteros, veneficos, sepulcrorum perfossores, latrones. De quibus cum quaesierunt praefecti iussi eo ab iis, qui illos in iudicium adduxerunt, demum interrogant reos, An illa ita se habeant? Quibus affirmantibus, non continuo eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quaestiones exercent cum multo consilio, & velo interiecto. Hactenus Clemens. Verum cum leuior esset caussa, & quae imagine huiusmodique notione minime indigeret, tunc eo amoto velo negotii notio habebatur, sententiaque ferebatur. Ex hac igitur consuetudine iam tum tempore Clementis Romani, qui Apostolorum aetate vixit, recepta, Honorius & Theodosius imperatores, leuiores caussas leuato velo cognosci scriptum in praenotata lege reliquerunt. Hac de re plura fortasse leges in scholiis ad hunc locum, pii & eruditissimi Theologi Francisci Turriani, qui nullis laboribus, nullis sumtibus parcens, Clementis libros cum blattis luctantes, ab interitu vindicauit, primusque Graecos Iordano Zileto Bibliopolae solerti inuulgandos dedit, mox & Latinos ac cum scholiis multis, vt mihi dixit, editurus.

An antiqui, & quo tempore stapiis sint vsi: Galeoti Martii error impostura que demonstratur, & Tortellius defenditur.

CAPVT XIV.

IOannes Tortellius Aretinus, vir non indoctus, qui Laurentii Vallae coaetanei, amicique sui exemplo permotus, pro viribus cum barbarie manus conseruit, remque literariam, cum qua male agebatur, promouere lexico, ac aliis scriptionibus conatus est, stapias apud antiquos non fuisse in vsu, literis prodidit. Eius sententia eruditorum omnium calculis, si Galeotum Martium Narniensem excipias, comprobata fuit, atque hodie comprobatur. Hic enim in libro de *Doctrina promiscua capit.* 28. eum male eo nomine alibiq; de caussis accipit, quantum ad rem nostram spectat his verbis, *Sed miser Tortellius mox vt recitator, nihil considerans, quae non aduertit, putauit nusquam exstare: id quae enim visa sunt, quae ibi recitat. Negat namque clostellum, quo equum ascendimus, Latinos habuisse. Lucretius quinto.*

Et prius est armatum in equo conscendere clostris.

Klostra enim scala est, & id, quod ab ephippiis ad ventrem vsque equorum pendet, ascensui o in equum, vt scala facilitatem praebeat. Haec

ille. Sed dicat Martius, quonam Lucretii codice, *clostris*, legerit, & apud quem auctorem *Klostam*, scalam significare inuenerit. Iam manuscripta enim, quæ viderim, exemplaria, quam typis repræsentata, *costas*, habent; & Græcis non *Klosta*, sed κλίμαξ, vt omnes norunt, *scalam* significat. Mira est hoc loco (quod cum multo eius honore dictum sit) impostura, qui vt Tortelium coarguat, nec a contextuum deprauatione abstineat, quasi inyopibus lo sciolisque fucum facere velit. Nam quotus quisque vel semidoctus literator fuerit, qui non videat Lucretium equestris artis incrementa afferentem, & a simplici equorum vsu exorsum, non potuisse statim stapiarum meminisse? Poetæ verba, ne quis me Tortellii caussam mendaciis agere suspicetur, adscribam,

Et prius est armatum in equi conscendere costas,
Et moderarier hunc frenis, dextraque ciere,
Quam biiugo curru belli tentare pericla;
Et biiugo prius est, quam bis coniungere binos,
Et quam falciferos inuentum ascendere currus.

Stapiarum vsum apud antiquos nullum fuisse, præter equestres antiquorum statuas, prætereque vetusta numismata, & in antiquis marmoribus a sculptoribus equites equis vehentes expressos, hæc etiam manifeste demonstrant. Xenophon *in lib. de Arte equestri*, dum quo pacto equus conscendi debeat, edocere nititur, stapiarum vsum non agnoscit. Hippocrates quoque in libro de *Aere, aquis & locis*, loquens de Scythis, innuere videtur, sua ętate nec Scythis, nec aliis nationibus cognitas fuisse stapias. In hanc enim loquitur sententiam, *Ab equitatione ipsa diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirum propendentibus semper ex equis eorum cruribus. Deinde claudi fiunt contrahunturque coxendices cum ingrauerit morbus, &c.* Et post multa, *Simili autem modo & reliquis hominibus euenit. Vbi enim frequenter, & continue homines equitant, ibi plurimi a diuturnis doloribus, articulorum coxendicumque maxime, & pedum corripiuntur, ad coitumque fiunt impotentes, quæ omnia mala Scytharum genti adsunt.* Hæc ille. Vt minus idem nobis aduersetur, dum Nomades (sunt hi Scythæ) inter equitandum, quomodocumq; equis insideant, non adhibere animum dicit, quando & quæ Scythis equitatio ipsa conciliabat mala, reliquis etiam, equis inuehentibus, eandem ob caussam, conciliari consueuisse scribit. Huc accedit Suetonius in Caligulæ vita (vt quæ de aliis nationibus fateri cogimur, de Latinis quoque vera esse, nemini negare sit integrum) qui equitum crura, nullibi conquiescentib. pedibus, propendere consueuisse demonstrat, dum Germanicum, Caligulæ patrem, ad crurum gracilitatem, quæ formæ minus cōgruebat, replendam, assidua ab equi vectatione post cibum, adiumenta petiisse dicit. Nouimus enim statim pransorum crura, si assidue equis stapiis carentibus illi vehant, quod propendeant, atque

huc &

huc & illud agantur, ſanguine plurimo atque humoribus in ea decumbentibus, inſignem adipiſci craſſitiem. Præterea Iulius Pollux *libro 10. cap. 10. & 12.* in quibus agit de vehiculis eorumq; partibus, ac de equeſtribus inſtrumentis, & alibi reliqua omnia exſecutus, ſtapiæ, aut inſtrumenti ſimilis nullam habet mentionem. Quamquam autem verũ eſt, antiquos ſtapias nullas habuiſſe, non eſt tamen negandum, adeo non vetuſtis, nec etiam nobis vicinis temporibus, harum vſum agnoſci. Memini enim, me in Diui Hieronymi epiſtolis non ſtapiæ, ſed biſtapiæ inuenire mentionem. Inquit enim, *ſi memoria non labat, ſi cum quaſdam accepit literas iumentum conſcenſurum, iam pedem habuiſſe in biſtapia.* Romæ quoq; in vetuſto lapide, ſtapiæ haud dubie mentio fit. Ita enim habet inſcriptio,

D. M.

QVISQVIS LECTVRVS ACCEDIS CAVE SI AMAS. AT SI NON AMAS PENSICVLA MISER QVI SINE AMORE VIVIT DVLCE EXIT NIHIL. AST EGO TAM DVLCE ANHELANS ME INCAVTE PERDIDI ET AMOR FVIT.

EQVO DVM ASPECTVI FORMOSISS. DVRMIONIÆ PVELLÆ VIRGVNCVLÆ SVMMA POLVORIA PLACERE CVPEREM CASV DESILIENS PES HÆSIT STAPIÆ TRACTVS INTERII.

IN REM TVAM MATVRE PROPERA

VALE.

Inſcriptionem autem monumentumq; hominis non fuiſſe Chriſtiani, ex interpunctis literis D. M. cognoſcitur, quæ vt neminem antiquitatum peritum latet, *Diis Manibus defunctis*, ſepulcrum eſſe dicatum ſignificant (tametſi multi noſtra hac ætate ad inferorum Deos, vt ad Plutonem Proſerpinamque, non ſine manifeſto errore, in vniuerſum referunt) vt ex his Gellii verbis *l.b. 10. cap.* 18. ſatis liquet; *Id*, inquit, *monumentum Artemiſia cum Diis Manibus ſacru Mauſoli dicaret, ἀγῶνα, id eſt, certamen, laudibus eius dicundis facit, &c.* Vt alia ad hanc rem ſpectantia nunc mittam, quæ in libris de Sepulcris & ſepeliendi ritu ſunt a me collecta argumenta. Hanc ego inſcriptionem paululum ſupra Diui Hieronymi ætatem, factam eſſe exiſtimo.

Foro Cornelii (ſi quæ mihi narrantur vera ſunt) abhinc non multos annos, tumulo quodam peruetuſto collabente, qui ante annos octingentos fuerat, vt ex epitaphii notis numeralibus deprehendebatur, cõſtructus, equitis inuenta ſunt oſſa vetuſtate exeſa, cum equi marcido ephippio, cui ſtapiæ iis, quibus hodie vtimur, non abſimiles inerant. Vides ergo ſtapiæ inuentum nec peruetuſtum nec recens eſſe. Sed hæc hactenus, breui enim Robor-

tellum meum, virum eruditissimum deq; rep literaria optime meritum, huiusmodi antiquitatem in Com. suis in libros, quos iam de *Vita & victu Pop. Romani* edidit, illustraturum spero.

Discrepare auctores in primi diuortii, quod Romæ factum est, anni assignando. Gellii locum non esse vt quidam volunt, emendandum. Plutarchi Tertullianique in hac re auctoritas eleuatur, & Gellii sententia comprobatur. a Caio Iurisconsulto diuortii allata etymologia reiicitur. De Viriplaca Deæ sacello, & magistratu, qui de repudiis ius dicebat. Quæ verba in repudiis diuortiisque solemnia antiquis vsurparentur.

CAPVT XV.

SVper anno, quo primum Romæ diuortium factum est, non consentitur. Aulus Gellius *lib.* 17. *Noctium Atticarum cap. vltimo*, Sp. Caruilium Rugam, primum Romæ de amicorum sententia diuortium cum vxore fecisse dicit, anno post Roman. conditam quingentesimo vndeuicesimo. Supra vero *lib.* 4. *capit.* 3. factum hoc fuisse dicit M. Attilio, & P. Valerio Coss. anno ab vrbe condita quingentesimo vigesimo tertio. Quo loco cum annorum numerus notis scribatur, non verbis, vt prænotato *capit. vltimo*, contextum deprauatum maculosumque esse, ne sibi ipsi contraria prodere auctor videatur, affirmauerim. Procliuiores autem esse librarios, scribasque ad errorem, numerorum notis, quam integris vocibus describendis, cum Eusebii aliorumque Chronica passim mendosa, tum quæ quotidie vsu veniunt satis demonstrant. Quod etiam ex Galeno cognoscimus, qui *lib.* 1. *de Antidotis* sic ex interprete loquitur, *Quoniam vero, vt dixi, multa exemplaria medicinarum pondus mendosum habent, idcirco ipsum non notis, sed integris vocabulis primum appositi, Menecratem quidem in hac parte sequutus, &c.* Plutarchus in Numæ, & Lycurgi comparatione, Romanos dicit memoriæ tradidisse, primum Sp. Caruilium extitisse, qui ab vrbe condita anno ducentesimo & trigesimo, cum vxore diuortium fecerit. Qui mendose in Latina versione pro Caruilio Coruinum habet, sicuti supra in Romuli vita Seruilium. Dionysius Halicarnassæus *lib.* 2. literis prodidit, id factum esse Olympiade 137. M. Pomponio, C. Papyrio Coss. id est, vrbis conditæ anno 523 cuius auctoritatem sequutus est Lomeius in sua Temporum supputatione, quam in omnem Romanam historiam edidit. Tertullianus vero de Monogamia, & in Apologetico, diuertisse ait ab vxore Caruilium sexcentesimo prope anno ab vrbe condita. Auctor librorum, qui *De Inuentoribus rerum* inscribuntur, Lomeio astipulatur, nullamque Gellii mentionem facit. Qui in ad probandum consulatum, & annum, præter Dionysium, Plutarchum duntaxat laudat auctorem in Romuli [illegible]

Vita, vbi nihil de Consulibus & anno, quibus Caruilianum diuortium factum est, scriptum inuenias; nec ex Numæ, & Lycurgi collatione petit testimonium. Iacobus Cuiacius vir supra veri fidem doctus, quique ad leges bonasq; literas illustrandas quodam Prouidentiæ dono nostræ ætati datus videtur, Obseruationum suarum *lib.1.cap.39.* ex his, quæ Tertullianus dicit, & ex annorum ratione, Gellii locum citato capit. *nouissimo*, mendosum esse existimat, & ideo non *quingentesimo undeuicesimo*. legendum esse, sed *sexcentesimo* fere. A quo nec cusorum codicum, nec calamo exaratorum fidem vnquam stare vidimus. Quin Valerius Maximus homo Romanus, vno solum dissidens anno, Gellii lectionem confirmat, quod quemquam animaduertisse non video; Li.enim 2.*cap.1.* loquitur in hæc verba, *Repudium*, inquit, *inter vxorem, & virum, a condita vrbe, vsque ad vicesimum, & quingentesimum annum, nullum intercessit. Primus autem Spurius Caruilius vxorem sterilitatis causa dimisit, &c.* Quamobrem, si quis me arbitro vtatur, dixerim, Gellio magis, quam Tertulliano, aut Plutarcho fidem esse adhibendam, tum quia concinat illi alter Latinus auctor, & (quod magis est) homo Romanus, & vetustioris grauiorisque q̃ Tertullianus, aut Plutarchus auctoritatis; tum quia Dionysii supputatio, si ei quatuor annos exemeris, Gellianę maxime congruat. Verum nec si Dionysius Plutarchusque cum Tertulliano facerēt, Gellii & Valerii quicquam auctoritati demeretur, cum in Latinorum rebus, magis Latinis auctoribus, quam Græcis fidendum sit, Græcosque in huiusmodi rebus maxime hallucinatos esse videamus. E quibus, vt de Plutarcho & aliis minime in pręsentia loquamur, vnum profero Epiphanium, Christianum doctumq; auctorem, qui in libris, quos contra hæreses conscripsit, & ad hæresin ex eius ordine 50 Consules permultos post Octauiani Augusti, & M. Plautii Syluani Consulatum recensens, & nominibus, & annis adeo a nostrorum historiis & Chronologiis (si modo mendis vacat eius contextus) discrepat, vt nihil minus temporum illorum supputationi, atque historiæ conueniat. Atque hæc quidem de tempore, quo ab vxore diuertit Caruilius. Quod spectat ad diuortii etymologiam, non minor videtur esse inter auctores dissensio, existimante Paulo Iurisconsulto *in l. Inter diuortium ff. de Verborum significatione*, dictum ideo, quod in diuersas partes eant, qui discedunt; Caio *in l. 2. ff. de Diuortiis.* a diuersitate mentium; aliis a diuertendo; quibusdam vero per translationem a diuortio aquarum, rerumque similium, cum propria voce rem hanc exprimente careamus. quæ fuit Ciceronis sententia *lib.3. de Oratore*, qui cū sit testis omni exceptione maior, vt alios referam, me maxime cogit, præsertim Caium, cum diuortio non admodum structura & sono diuersitas affinis sit, & longius quam par sit etymon petatur. Idem Cicero libro citato, *doctrinarum diuortia dixit*; in Epistolis

vero ad Atticum, *aquarum diuortia*. Iul. Frontinus *in cap. de Qualitate agrorum, aquarum diuergia*. Virgilius similiter *aquarum diuortia, & viarum*, Lucanus *fluminum, & maris*; Gratius vero Poeta in libello de Venatione, *morborũ in canibus diuortia*. Vnde non immerito *Nonius, diuortiũ, rerũ omnium separationem* dixisse videri possit. Hebræi, penes quos vetustissima diuortium habet initia, *vt Deuteronomii ca. 24.* perspicitur, nomen *Diuortii* a verbo, quod *scindere* sonat, deducunt; libellumque abscissionis dicunt (Marcus Euang. cap. 10. βιβλίον ἀποστασίου, Matthæi vero interpres ἀποστάσιον quasi *abscissionale*, nuncupant) quod viri, & vxoris nexum coniugationemque in perpetuum abscindat, ac dirimat. Plato Dialogo XI. de *Legibus*, diuortium permittit, si Latino ore loquatur, his verbis, *Si vir*, inquit, *& vxor propter morum acerbitatem inuicem non conueniant, decem viri de legum custodibus, qui medii sint, & decem mulieres de curatricibus connubiorum, præsint ac. Quorum sententia si ita conciliati fuerint, valida & stabilis habeatur. Sin autem illorum animi vehementius etiam iracundia fluctuent, facto diuortio, illos pro viribus quærant, qui vtrisque conueniant.* Hæc Plato. Quantum vero spectat ad viri & vxoris conciliationem, haudquaquam est ignorandum, quod Valerius Maximus *lib. 2. cap. 1.* scriptum reliquit, *Romæ olim fuisse sacellum Deæ Viriplacæ, in quod vir, & vxor, quoties aliquid intercesserat iurgii, & simultatis, veniebant, atque ibi verbis, quæ voluerant, vltro citroque habitis, animorum contentione hac ratione sedata, depositaque, domum concordes remigrabant.* Athenis quoque, vt Plutarchus in Alcibiade testatur, magistratus erat, qui de repudiis diuortiisque huiusmodi ius diceret, & contentionibus discordiisque sublatis, vxorem viro, publica adhibita auctoritate, & virum vxori conciliaret. Illud quoque hic reticendum non videtur, in diuortiis solemnia fuisse verba, quibus antiqui vterentur Caius, l. 2. ff. de Diuor. *In repudiis autem, id est renuntiatione, comprobata sunt hæc verba*, *TVAS RES TIBI HABETO* *Item hæc, TVAS RES TIBI AGITO. In sponsalibus quoque discutiendis, placuit renuntiationem interuenire oportere, in qua re hæc verba probata sunt*, *CONDITIONE TVA NON VTAR* Hæc Caius Quo in loco legendum est prima illa renuntiationis verba, fuisse magis in vsu, cum Cicero, Plautus, Martialis, atque Apuleius in eadem formula verbum habendi, non autem agendi ponant. Cicero Philipp. 2. *Mimam illam suam, suas res sibi habere iussit ex duodecim Tabulis.* Apud Plautum matrona a marito diuertens ait, *Tibi habeto res tuas*, Martialis,

> *Mense nono Iani veterem Proculeia maritum*
> *Deseris atq; iubes res sibi habere suas.*

Apuleius lib. 5. de Asino aureo, *Confestim*, inquit, *thoro meo diuorte, tibiq; res tuas habeto, &c.*

Claudii

Claudii Quadrigarii, Taciti, & Liuii loca, quæ pugnare videbantur, conciliata. Ant. Iulianus reprehensus.

CAPVT XVI.

EX vndeuicesimo Annali Q. Claudii Quadrigarii apud Gellium *lib. 9. cap. 1. Noctium Atticarum*, hæc verba referuntur. *Sagittarius cum funditore vtrimque summo studio spargunt fortissime. Sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest. Nam neutrum potest deorsum versum recte mitti, sed sursum vtrumque optime. Quare milites Metelli sauciabantur multo minus, &, quod maxime opus erat, a pinnis hostes defendebant facillime.* Hæc Quadrigarius; Quod autem de sagitta & lapide est ab eo scriptum, hoc de omni fere missili telo dici posse, Antonius Iulianus rhetor Gellio olim affirmauit. Sed Cornelius Tacitus *lib. 17* loquens de Placentia a Vitellianis oppugnata, ab Othonianis vero defensa, contrarium viuaciter demonstrauit his verbis, *Ingerunt*, inquit; *desuper Othoniani pila, librato magis ac certo ictu, aduersus temere subeuntes, &c.* Liuius quoque aliquo pacto aduersari videtur inquiens *libro 7, Dec. 1. Præter virtutem, locus quoque superior adiuuit, vt pila omnia hastæque, non tanquam ex æquo missa vana, quod plerumque fit, caderent, sed omnia librata ponderibus figerentur.* Et lib. 10. Dec. 3. *Pœni vana pleraque, vtpote supino iactu, tela in locum superiorem mittebant. Grauior, ac pondere libratior superne ex contrariis ictus erat, &c.* Vides inter hos auctores non leuem suborni simultatem. Verum non adeo incaluerunt, vt sedari ea paruo negotio non possit. Non est igitur ignorandum, quod de sagittæ, & lapidis iactu a Quadrigario dicitur, non ad pila hastasque, quæ citra arcum aut balistam fundamque iaciuntur, esse, vt Iulianus facere videtur, trahendum; siquidem, vt experimento docemur; si quis ex inferiore loco certum superiorem saxo citra machinæ aut fundæ adiumentum, petere ac ferire, aut in eundem hastam torquere velit, segnius telum ferri, a scopo multum aberrare, vanumque decidere animaduertet, quod humani corporis tormentique non eadem sit ratio. Tormenta enim quo magis eleuantur, dummodo lineam 44. aut 45. gradus Quadrantis non supergrediantur, super grauiores, longiores, directiores, certioresque emissiones atque ictus habent: quod non fieri animaduertes, si ex supernis in inferna sit eiaculatio, nimirum quia teli in præceps tendentis, atque ad centrum sedemq; suam properantis pondus, impedimento sit. Verum cum manu quis lapidem aut hastam ex muro aliove edito loco demittit, si scopus, quem ferire velit, nō longe a perpendiculi linea absit, quamquam moderatio, atque ratio mittentis, teli pondere aboletur, nihilominus, quia breuis est eius procursus, faciliorque iactus, raro rarius a scopo aberratur. Et de hac iactus specie intellexisse Tacitum existimo; milites enim temere muris succedentes, non eos, qui longius aberant, pilis, qui-

bus Romanos iaculorum vice vsos esse constat, non ballistis aut scorpionibus arcubusue missis telis, librato magis, & certo ictu confixos dicit Liuius quoque de pilis hastisque duntaxat, vt vides loquitur, in quorum telorum iactu, quod hi dixerunt, vsuuenit, & si Liuius non de ictu directiore, sed grauiore librattoreque ex supernis locis in ima; ex imis vero in superna, aut in æqua, magis urito citraque offensam, loquitur. Alioqui minimè inter hos conueniret.

Ioannem Bapt. Pium Bononiensem male interpretari quosdam Tibulli, & Vergilii versiculos, magnoque errore tumulos passim apio coronari solitos, scriptum reliquisse. De variis coronarum sepulcralium generibus.

CAPVT XVII.

IN Antiquitatibus exquirendis, pernoscendisque, & bonis auctoribus illustrandis, neutiquam sua ætate postremus fuit Ioannes Baptista Pius Bononiensis. Is inter cetera ingenii sui monumenta Adnotationes in varios auctores non plane infrugiferas, posteritati legendas reliquit, quarum *cap. 15.* ait, *se, cum olim esset eloquentiæ candidatus, existimasse, ab antiquis omnibus promiscue floribus, violis & liliis & huiusmodi aliis, exornari tumulos consueuisse*, eamque ob rem in hoc Albii Tibulli versiculo lib. 2.

Annua constructo serta dabit tumulo

Serta annua pro *coronis florum variorum* accepisse. Ceterum cum Plutarchi Timoleonem legisse, sententiam immutasse, quod ille tumulos apio coronari scribat, & presertim, quia Plinius *li. 20. Nat. hist. cap. 11.* testetur, apium defunctorum epulis feralibus esse dicatum: atque ideo non solum apud Tibullum loco citato, sed etiam apud Vergilium in Copa, vbi inquit,

Quid cineri ingrato seruas bene olentia serta
An ne coronato vis lapide ista tegi?

Sepulcrorum serta, pro sertis duntaxat ex apio textis, esse accipienda. Quæ cum ego legerem, luculento non carere errore intellexi Primum enim quãtum spectat ad Plutarchi locum, videre nescio quo pacto hic auctor. Pium in huiusmodi deliramẽtũ protraxerit: hæc enim est verborum, quæ ad rem facere vnquam potuerunt, sententia, *Ceteros milites postquam Timoleo persuasionibus exhortationibusq. firmiter ad prælium induxit, ad Crimesium fluuium, quo Carthaginenses venturos audiuerat, adduxit. Qui cum castra superarent, vnde inimicorum castra videndi potestas erat, mulis apiũ ferentibus obuiauit: quod infaustum milites augurium putauere, quoniam apii coronas, sepulcris imponere, vsurpatum est. Vnde prouerbium hoc natum est, Apio egere, qui periculose ægrotat.* Hæc Plutarchus Nunc quis dixerit, modo mentis compos sit, quoniam scribat Plutarchus, apud Græcos consueuisse coronas ex apio sepulcris

cris imponi, idem de Latinis esse affirmandum, quin ex aliis floribus texta serta, sepulcris non fuisse imposita, demonstrari? Polyænus *lib.5* apud Timoleonis milites coronandorum apio sepulcrorum morem fuisse ait. Diodorus in Philippo, ad exstruendos thoros, eadem loquens de re, visai fuisse dicit. tametsi Cicero in epistola ad Cœlium, inquiens, *Togam prætextam texi apio*] Latinis etiam ferale fuisse apium, innuere videatur. Quis nunquam contendet Græcorum moribus, institutisque, Latinorum scriptorum mentes exquirendas introspiciendasq; esse? Quod vero ad Plinii locum attinet, quotus quisque erit, qui Plinium ex auctoribus non Latinis illud de defunctorum epulis feralibus referentem, sepulcrales coronas ex apio fieri, demonstrasse suspicetur? Atqui tantum abest vt Plinii locus prænotatus Pii fulciat opinionem, vt eam potius demoliri videatur: quãdoquidem si apio ad coronanda sepulcra vsi fuissent Latini, Plinius, qui in historia vsus rerum non reticet, & qui *lib. 21. capit. 3.* coronarum sepulcralium meminit, hunc eius herbæ vsum silentio non inuoluisset. Verum, si Diis placet, hæc a Pio stare concedamus: sed quanam ratione huius viri sententiam tuebimur, qua coronarum reliquarum, & florum vsus excluditur atque ablegatur? In vetustis inscriptionibus, quas supra hoc eodem *libro, capit. 2.* retulimus, rosis exornari consueuisse sepulcra aperte liquet, nec solum rosis, sed & myrteis coronis, vt in ea, quæ Comi visitur. Torcelli quoque ita in vetusto lapide scriptum legitur.

LONGIVS PATROCLVS SECVTVS PIETATEM COL. CENT. HORTOS CVM ÆDIFICIO HVIC SEPVLT. IVNCTO VIVVS DONAVIT. VT EX REDDITV EORVM ROSÆ ET ESTÆ PATRONO SVO. ET QVANDOQ. SIBI PONERENTVR.

Et si Plinius *l.21.cap 4.* rosæ in coronis vsum prope minimum esse dicit. apud Græcos quoq; sepulcra rosis decorari consueuisse, subinnuit Anacreon in Ode *εἰς ῥόδον*, id est, *in rosam*, his versiculis,

Τόδε καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ,
Τόδε καὶ νεκροῖς ἀμύνει.

Id est,

Quid dicam, & illa multis,
Medicina certa malis,
Nec inutilis sepultis.

Quid? nonne apud Vergilium *Æneid. lib.5* vbi Æneam purpureis floribus patris tumulum aspergentem, & *lib.6* dum Octau. Augusto, & eius sorori Marcello adulatus, lilia & purpureos flores, quibus pueri manes honoret, poscentem eundem facit, animaduertere potuit Pius flores a parentationibus tumulorumq; ornamentis non esse excludendos. Erroris eundem commonere certe potuit Varro *libro 6. de Lingua Latina* eo loco, vbi sic scriptum

legimus, *Insulas dictas apparet, quod velamenta hostiis e lana, quæ adduntur, vicuntur insulæ: inter hostiarum cornua velamenta erat. Itaque nunc cum ad sepulcrum ferunt frondes, ac flores, addunt lanas.* hæc ille. Adhæc Plinius ipse *lib* 10. *cap.* 43. corui funus, quod innumeris exsequiis tamquam mortui hominis, Romæ celebratum fuit, coronis omnium generum honoratum dum dicit, cum labentem subleuasset. Illud hic non est omittendum, myrteas coronas non solum a Latinis, sed etiam a Græcis, sepulcris imponi solitas, vt apud Euripidem in Electra manifeste perspicitur. Plutarchus quoque in Aristide, myrtum a Græcis, funeribus olim esse adhibitam, docere nos potest. Theophrastus *lib.* 6. *de Historia plātarum* Pothi floris specie altera, quæ de color, subalbidaq; est. (Plinius *lib.* 21. *capit.* 11. florem hunc tumulis ait innasci) sepulcra exornari sua ætate fuisse in more positum, testatur. Philostratus quoque in eam rem amaranthum vsurpatum scribit, orto a Thessalis initio, qui Achillis sepulcrum huiusmodi coronis redimirent. Sed omnibus quotquot sunt floribus etiam coronari consueuisse tumulos, ostendit Sophocles in Electra sic scribens,

Χρυ. καὶ δὴ λέγω σοι πᾶν, ὅσον κατειδόμην.
ἐπεὶ γὰρ ἦλθον πατρὸς ἀρχαῖον τάφον,
ὁρῶ κολώνης ἐξ ἄκρας νεορρύτους
πηγὰς γάλακτος, καὶ περιστεφῆ κύκλῳ
πάντων ὅσ' ἐστὶν ἀνθέων θήκην πατρός.

Id est, si verbum verbo reddas,

Chry. *Et iam dico tibi omne, quodcumque conspexi.*
Postquam enim veni patris ad antiquum sepulcrum,
Video iugo ex alto nuper fusos
Fontes lactis, & circumcoronatum circulo.
Omnium quotquot sunt florum tumulum patris.

Sed hac de re plura in libris nostris *de Sepulcris, & sepeliendi ritu*, quos cum otium, quod adeos elambendum, satis sit, nacti erimus, sumus cum aliis multis edituri. Ideo finem facio, si tamen prius dixero, apud Latinos serta teniis olim laneis coloratiis adornari consueuisse, quas in sertis vrnarum sepulcrorumque antiquorum insculptas videmus. quæ teniæ ob id lanisci, vt reor, appellatæ sunt. Festus *libro* 10. *Lanisci* [sic enim apud Festum, & apud Plin. *libr.* 21. *capit.* 3. vbi teniarum huiusmodi mentio habetur, legendum, non *Lemnisci*] id est, *fasceolæ coloriæ dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum.* Sic Festus. vt hos *laniscos* significare Varro loco supra citato, lanarum voce voluisse videatur, & Cæcilius apud eundem Festum *lib.* 18. teniis, quibus sepulcrum plenum dixit. Plinius laniscos aureos factos postea dicit, eosque diu puros fuisse, demum & cælatos [illegible]. Nos in sepulcrorum sertis stratos vidimus. Idem *libro* 18. *capit. secundo.* vitta alba antiquitus ab Acca Laurentia

Digitized by Google

sia spiceam coronam fuisse colligatam, auctor est. Plutarc. in Philopœmene tenuis, defunctorum vrnas redimiri consueuisse demonstrat.

De more Pythagorico in condendis sepulcro cadaueribus seruato. Locus in Plinii Naturali historia emendatur.

CAPVT XVIII.

PYthagoricum dogma, superstitionibus multis non solum in his, quæ ad vitam pertinebant, sed & in his, quæ in funere seruanda essent, scatebat; e quibus illam præ ceteris insignem legimus, qua defunctos in myrti, oleæ, & populi nigræ foliis sepeliendos esse præcipiebatur. Pythagoricum morem hunc, Marcũ Varronem secutum esse, Plinius Naturalis historiæ *lib. 35. capit 12.* testatur his verbis, *Quin & defunctos sese multi fictilibus doliis condi maluere, sicut M. Varro Pythagorico modo, in myrti, & oleæ, atque populi nigræ foliis, &c.* Sic legitur in vulgatis multis Plinii codicibus, atque adeo in eo quem Gelenius a mendis se repurgasse dicit. Cum mihi absurdum, minimeque rationi consentaneum videretur, dicere, quosdam doliis, quæ vino continendo asseruandoque, & liquidis huiusmodi rebus dicarentur, & in quibus, vt in sepulcris, corpora porrecta iacere non possent, condi voluisse, manuscripta, & multos ab hinc annos excusa consului exemplaria, & non doliis, sed soliis scriptum inueni, atq; ita etiam Blondum Forol. atque alios legere, postea animaduerti. Quo fit, vt soliis, reponendum esse affirmem. Solium enim pro sepulcro accipi, minime est apud auctores insolens. vnum atque alterum exemplum in tenuioris literaturæ hominum gratiam, adduxisse sit satis. Florus lib. 4. de Cleopatra *Incautiorem nacta custodem, in Mausoleum se (sepulcra Regum sic vocant) recepit: vbi maxime, vt solebat, induta cultu, in differto odoribus solio, iuxta suum se collocauit Antonium, admotisque ad venas serpentibus, sic morte, quasi somnio soluta est.* Tranquillus in Nerone Claudio, *In eo monumento solium porphyretici marmoris, superstante Lunensi ara, circũseptum est lapide Thasio.* Quod pertinet ad oliuæ fol a, Plutarchus in Institutis Laconicis. & in Lycurgo auctor est, ex Lycurgi quoque sanctione Spartæ cadauera in oliuæ foliis fuisse condita, in hanc enim de Lycurgo loquitur sententiam, *Sed piacula quoque sustulit, ac ne quid vna cum cadaueribus sepelirent, mandauit, præter puniceam vestem, & oliuæ folia, in quibus aque omnes cadauera componerent, &c.* Hinc partim Pythagoricæ sepulturæ morem fluxisse siquis dicat, non errabit. constat enim Pythagoram Lacedæmonem concessisse, vt Lycurgi leges agnosceret.

Lactantii Firmiani locus quidam in disquisitionem vocatur, eiusque caussa agitur. De pietate in defunctos, & cœmiteriis quæ inopum funeribus destinabantur.

CAPVT XIX.

Diuinarum Institutionum *lib. 6. cap. 12.* Lactantius Firmianus pietate, atque eloquentia vir sane non obscura, ita scriptum reliquit, *Vltimum illud, & maximum pietatis officium est, peregrinorum, & pauperum sepultura, quod illi virtutis, iustitiaque doctores prorsus non attigerunt. Nec enim poterant id videre, qui vtilitate omnia officia sua metiebantur, &c.* Dum hæc olim legeremus, parum abfuit, quin Lactantio erroris notam inureremus. Nam tametsi Cicero in libris de Officiis aliique nonnulli nihil omnino de pauperum peregrinorumque sepultura præceperunt: tamen quidam apud Ethnicos, qui eã pietatis speciem neutiquam posthabuerint, fuisse videntur. Seruius enim in explicationibus suis in librum Æneid. 6. sic ait, *Qui enim de pietatis generibus scripserunt, primum locum in sepultura esse voluerunt. Vnde cum Pontificibus, nefas esset cadauer videre, magis tamen nefas fuerat, si visum insepultum relinquerent* hæc ille. Plato quoque de iustitiæ generibus agens, quod ad defunctos pertinet, non omisit, quin Dialogo 5. *de Rep.* virorum, qui præcipua probitate pollere fuerint iudicati, cadauera condi, & honorari præcipit. Adhæc Aristoteles in libro de Virtutibus (si modo hic Aristotelis est fœtus) postremam iustitiæ speciem in defunctos agnoscit: dicit enim *Primam iustitiam esse, qua Deo, proximam, qua dæmonibus, tertiam deinde, qua patriæ, parentibusque; postremam, qua vita iam functis, debitum, suumque officium præstamus.* Idem *problemate 9. Sectio. 30.* defunctis opitulari, magis iustum esse dicit, quam viuis hominibus, *Cur*, inquit, *iustius habitum est, hominibus vita functis opem ferre, quam viuis? an quia viui præsidio esse possunt; illi defuncti nihil præterea possunt.* Sic Aristoteles. Cicero in Top. æquitatem, id est, pietatem, tripartitam esse dicit, vnam ad superos deos, alteram ad manes, (in his defunctorum animas comprehendi puto) tertiam ad homines pertinentem. Quia vero pietate vti erga defunctos, vnum etiam Ethnicis erat iustitiæ genus, &, vt ex Seruio, & posteriore Aristotelis loco cognoscitur, præcellens, factum est vt parentalia, sacrificia, & funerandi solemnitas, quæ in defunctorum honorem fiebant, *Iusta* dicerentur. Vnde *iusta facere, iusta soluere, iusta peragere.*

Huc accedit, quod Vergilius Æneam pium virum appingens, etiam circa sepulturam sordida officia nõ aspernari facit, quod & Seruius adnotauit. Plutarchus in Numa, apud Romanos cultam dicit Libitinam Deam, quæ inspectrix esset eorum, quæ mortuis iusta præstabantur. Hinc quia in defunctos etiam pauperes, antiqui pietatem colerent, ipsorum funeribus loca destinauerunt, quibus Puticulis nomen erat, de quibus Pompeius *lib. 14.* & Varro de Lingua Latina *lib. 14* Horatius Ser. lib 1. Saty 8.

Hic misera plebi stabat commune sepulcrum.

Pantola-

Pantolabo scurra, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat; heredes monumentum ne sequerentur.

Loca non absimilia Aggenus Vrbicus in Commeatario in Iulium Frontinum, *Culinas* dicta testatur, his verbis, *Sunt*, inquit, *in suburbanis loca publice inopū destinata funeribus, qua loca Culinas appellant.* Sic Vrbicus

Quamquam Festus *lib 3 sub finem ait, Culinam dictum fuisse locum, in quo epula in funere comburerentur.* Quæ loca hodie nos Christiani cœmeteria, id est dormitoria appellamus, quasi mors nostra somnus quidam sit, a quo nouissima simus die excitandi. vt maxime errent Iuris nostri Pontificii interpretes Geminianus, Abbas, & alii, qui inde sic dicta existimant, quod cinis in eis mortuorum tegatur. Sed redeo ad rem. Adde quod milites, quibus Lucanus nullam inesse pietatem dicit, & quos Chrysostomus *Homil. 19. ad Matthai capit.* 18. pessimos hominum esse testatur, sepulturæ contubernalium curam atque hoc pietatis genus non abiciebant; quod verum esse demonstrat Vegetius *lib. 2. de Re militari Cap.* 20 loquens de parte dimidia donatiui a militibus apud signa sequestrandi, his verbis, *Addebatur etiam saccus vndecimus, in quem tota Legio particulam aliquam conferebat, sepultura scilicet caussa, vt si quis ex contubernalibus defecisset, de illo vndecimo sacco, ad sepulturam ipsius promeretur expensa.* Hæc ille. Præterea apud Athenienses capitis pœna ducibus infligebatur, qui milites in pręlio cæsos non humassent: eamque ob rem, *vt Valerius Maximus lib. 9. cap. 8. in fine memoria prodidit*, decem olim Imperatores a pulcerrima redeuntes victoria, capitali iudicio exceptos necauerunt, quod militū corpora, maris sæuitia interpellante, sepulturę mandare non potuissent. Quid ergo ait Lactantius? An Plato, Aristoteles, Cicero, & alii, quorum meminit Seruius, pietatem in defunctos non attigerunt? An cum ab Ethnicis prædicta sint facta, nulla apud ipsos iustitiæ erga defunctos pauperes præcepta, quæ ad sepulturam etiam pertinerent, exstitisse putandum est? An ab iis, quibus Manium iura ad Duodecim etiam Tabularum præscriptum, sancta erant, lethoque dati pro Diuis habebantur, de humatione pauperum peregrinorumque, a quibus nihil capi posset vtilitatis, nihil præceptum fuisse affirmabimus? Profecto hæc non parum Lactantii dictis infensa esse videntur. Sed ne indefensum doctissimū auctorem, qui mortuus sibi superesse nequit, relinquamus, ita eū tueri posse videmur. Qui de pietatis generibus scripserūt, nihil præter ea, quæ a Platone, Aristot. & Cicerone primariis doctorib. scripta legimus, attulisse videntur. At hi tametsi iustitiæ in defunctos meminerunt, non tamen pauperes, peregrinosq; humandos esse præceperunt; quin Cicero ipse agens de officiis, hac de re ne verbū quidē protulit De parentib cognatisq; tumulandis, & extremo honore prosequēdis, magis q̃ de pauperum

sepultura sensisse illi videntur. Parentum enim, & cognatorum
manes, non pauperum, & peregrinorum, pro deis coluerunt anti-
qui. Pauperes nullo sunt honore prosequuti; nam & si loca eorum
funeribus necessitate compulsi (amouenda enim erat ex vrbibus,
viis, & domiciliis cadauerum fœditas) destinauerunt, non tamen
vt in reliquis fiebat, exurenda, & iustis honoranda curauerunt.
Cuius rei illud est argumentum, quod in communibus illis sepul-
cris cadauera computrescerent, vnde puticulorum nomen acce-
ptum esse, non obscuri nominis auctores Pompeius *lib.* 14 & Var-
ro *de Lingua Latina* scriptum reliquerunt. Plato de Rep. bello be-
nemeritorum, eorumque, qui præcipua probitate pollere fuerint
iudicati, cadauera & condi, & iustis funeribusque iubet honorari,
minimum vt & mortuis gratia a ciuibus referatur: at non ideo his
pauperes peregrinosque afficiendos esse præcipit, aut præcepisse
potest intelligi. Aristoteles defunctis, quam viuis opem ferre ma-
gis iustum habitum esse, at non præcepto declaratum dicit. Pa-
rentibus igitur, ac iure sanguinis coniunctis, adde etiam & de
Rep. bene meritis (his enim & publico sumtu funus factum esse,
cum pauperes essent, legimus) proque ea militantibus, illa tam-
quam commeritis, & ex beneficii memoria præstabantur, non
miseræ plebi, non pauperibus, non peregrinis, quorum nulla ex-
stabant in Remp. beneficia ac merita, vnde iure quodam suo ta-
lia expostere, atq; exigere posse viderentur. Pontificum aliorum-
que, qui iacens cadauer offendissent, quæ nam erat pietas? Tobi-
amne illi, qui passim iacentia cadauera, furtim etiam, & non sine
vitæ suæ discrimine sepeliebat, imitabantur? Sepultura nihil aliud
erat, quam pulueris iniectio, quod & Seruius ipse dicit. sic enim
scriptum reliquit loco superius citato, Genus autem fuerat sepul-
turæ, iniectio pulueris. vnde,

Aut tu mihi terram iniice

Horat.

Non est mora longa, licebit,
Iniecto ter puluere curras.

Hæc Seruius. Qua de re latius in libris nostris de *Sepulcris, & se-
peliendi ritu*. Leuior hæc erat in defunctos pietas, quam cuius ra-
tio habenda sit. Sed si contra disserenti demus, non sine ingenti
pietate cadauera pauperum, & peregrinorum, ab Ethnicis esse tu-
mulata; non tamen inde Lactantium lapsum esse iure colligi po-
terit, nam non negat huiusmodi hominum cadauera non fuisse
ab Ethnicis sepulta, sed duntaxat apud virtutis, & iustitiæ do-
ctores illos, vlla exstare præcepta, aut eos hanc, quæ ex caritate, huma-
næque sortis commiseratione profluit, pietatem agnouisse. Quibus
hæc plausibilia non sunt, aliam illi ineant defendendi Lactantii
viam. Nos, quæ tumultuaria opera potuimus, sedulo præstitimus,
& in Christiani ac beneuoli lectoris gratiam attulimus.

Capiti

Capiti non parcere, quid apud eundem Lactantium significet, & quæ sit apud obscœni carminis auctorem tertia pœna, declaratur.

CAPVT XX.

ANtequam Lactantium dimittimus, declarare libet eius locum *lib. 6. Diuin. Instit. cap 23.* non difficilem illum quidem ad intelligendum, eiusmodi tamen, qui imperito negotium lectori facessere possit, & quem Augustanum interpretem, hominẽ doctum inenarratum reliquisse audio. Habet quidem ille hæc verba. *De istis loquor, quorum teterrima libido, & execrabilis furor, ne capiti quidem parcit. Quibus hoc verbis, & qua indignatione tãtum nefas prosequar? vicit officium linguæ, sceleris magnitudo, &c.* Quod nefas hic Lactantius significare voluerit, tenuioris literaturæ homines ignorant, quemadmodum & apud obscœni carminis auctorem quæ sit tertia pœna, in hoc versiculo,

Barbatum furem tertia pœna manet.

Sunt hæc quidem relatu turpia, &, vt Plinii verbo vtar, præfanda, id est, non sine præfatione honoris aurium lectoris proferenda; sed, si a lectore non intelligantur, turpitudinem etiam afferunt. Est igitur sciendum vtrobiq; turpitudinem, quę per os peragitur, significari, quod Galenus in exordio *libri 11. Simplicium medicamentorum.* Lesbiari dixit. nimirum a Lesbiis, apud quas primum obscœnitas illa exorta traditur. Quia vero in ore hæc exercetur immanitas, merito, capiti non parci, dixit Lactantius. At, inquiens, cur non magis ori? Respondeo receptam antiquiorum auctorum loquendi consuetudinem eum eleganter esse sequutum, qui scelus hoc significare volẽtes, capitis, nõ oris meminerũt. Suetonius in Tiberio Cæsare. *Fœminarũ quoq; & quidẽ illustriũ capitibus quantopere solitus sit illudere, euidentissime apparuit, Mallonia cuiusdam exitu, &c.* Auctor obscœni carminis prænotatus,

Præbeat hic nates, præbeat ille caput.

Id est, os ad irrumationem, non autem caput falce, aut securi amputandum, vt quendam olim literatorem interpretari audiui. Epigrammatum non tam elegans, quam inhonestus scriptor,

Corue salutator, quare fellator haberis,
Cum caput intrarit mentula nulla tuum?

Coruos enim ore coire, non sine errore, cuius nos & Aristoteles, & Plinius admonent, fuit olim existimatum. Qui irrumanti patent, eamque ferunt obscœnitatem, ore morigerari dicũtur. Suetonius de eodem Tiberio, *Pueros,* inquit, *instituit, quos quasi infantes firmiores, nec dum tamen lacte depulsos, inguini, ceu papillæ admoueret: pronior sane ad id genus libidinis, & natura, & ætate. Quare Parrhasii quoq; tabulam, in qua Meleagro Atalanta morigerabatur, in cubiculo dedicauit.* Hæc ille.

Videri scriptores aliquot, Tragicos Poetas imitari, dum morituros, vt honeste caderent, curauisse dicunt. De propriis corporis post mortem, etiam vbi nullus sit sensus, hominibus insito pudore atque amore.

CAPVT XXI.

TRagicos Poetas imitati videntur scriptores, qui & mulieres & viros insignes, cum moriendum esset, vt honeste caderent studuisse, literarũ monimentis prodiderunt. Trogus Pompeius, vt ex *Iustini lib. 14 cognoscitur*, Olympiadem Alexandri matrẽ, cum Cassandri iussu interficeretur, morientẽ, ne quid posset in corpore eius indecorum videri, capillis & veste crura contexisse retulit. Plutarchus in Cleomene, vxorẽ Panthei, iuuenis Cleomeni gratissimi, nõ solum se ipsam, quo mori volebat habitu, cõposuisse, sed etiam ne quædã mulieres trucidatæ turpiter iacerent, cõpositis circa corpus vestibus, curasse ait. Idem *in libro de Claris mulieribus cap. 15.* Niciam Aristodemi Eleorum Tyranni filiam laudat, quæ moritura, Megasthenẽ orauit, vt se mortuam, proiici nudã, non ferret. Et in Lysandro Philoclẽ refert Atheniensem, lotum, & splendida sumta læna se iugulãdum præbuisse. Florus *lib. 4* auctor est, Cleopatram, cum sibi mortem cõscire vellet, maximo, vt solebat, indutam cultu, in differto odoribus solio se iuxta Antonium collocasse, mox vero serpentibus venis admotis, sic morte quasi somno solutam. Galenus vero in libro *de Theriaca ad Pisonem*, de eiusdem Cleopatræ morte, Etenim aiunt, *ipsam manu dextra capitis admota, & diadema sicut est consentaneum tenente, fuisse inuentam, vt vel eo vsq; spectatoribus regina esse videretur. quẽadmodum & Thragicus Poeta describit nobis Polyxenam & ipsam morientem, qua tamen accurate operam dedit, vt cum decoro caderet.* Hæc Galenus. Suetonius quoque Iulium Cæsarem, dum iam occisores imminerẽt, vt honeste caderet quæsiuisse, his verbis testatur, *Vtque animaduertit undique se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluit; simul sinistra manu sinum ad ima crura deduxit, quo honestius caderet, etiam inferiore corporis parte velata.* Ouidius lib. 2 Fastorum de Lucretia loquens,

> *Tunc quoq; iam moriens, ne non procumbat honeste*
> *Respicit, hæc etiam cura cadentis erat.*

Cum hæc de morientibus audire, ad ciendam commiserationem maxime spectet, Tragici Poetæ, quibus lectorum animos permouere, ad misericordiam deflectere consilium studiumque est, a morientibus fœminis facta esse dimiserunt. Euripides in Hecuba loquens de Polyxena,

> ἡ δὲ καὶ θνήσκουσ' ὅμως
> πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν.

Id est:
> *Ast illa iam moriens tamen*
> *Sollicita multum est condecenter vt cadat.*

Quem

Quem locum Ouidius libro 13. Metamor de eadem loquens, sic expressit,

Tunc quoq; cura fuit partes velare pudendas
Cum caderet, castiq; decus seruare pudoris.

Cuius Tragicæ sententiæ mentionem habent Plinius *libr. 4. epistolarum, in epistola ad Minutianum*, Lucianus in *Demosthenis encom.* & Clemens Alexan. *lib. secundo Strom.* Tragicos igitur Poetas hac in re æmulari videntur scriptores; aut fortasse facta esse a morientibus, quæ illi produnt, est existimandum, cum corporis nostri amore, etiam tum cum illud sensu destitutum iri intelligimus, amore teneamur. Hinc illa multis amplissimi funeris, sepulcriq; cura nimis anxia, & in cadauere futuræ dilacerationis timor, quem Lucretius ille impius, qui nihil hominis a morte superesse putaret, sic libro tertio irridet,

Proinde vbi se videas hominem indignarier ipsum.
Post mortem fore vt, aut putrescat corpore posto.
Aut flammis interfiat, malisve ferarum:
Scire licet non sincerum sonare, atq; subesse
Cæcum aliquem cordi stimulum quamuis neget
ipse
Credere se quenquam sibi sensum in morte futurum.
Non vt opinor enim dat, quod promittit abunde,
Nec radicitus e vita se tollit, & icit,
Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
Viuus enim sibi cum proponit quisq; futurum
Corpus vti volucres lacerent in morte feraq;,
Ipse sui miseret, neq; enim se diuidit hilum,
Nec remouet satis a proiecto corpore & illum
Se fingit, sensuq; suo contaminat astans.
Hinc indignatur se mortalem esse creatum,
Nec videt in vera nullum fore morte alium se,
Qui possit viuus sibi se lugere peremtum,

Et quæ sequuntur. Hoc corporis sui amore impulsus Nero Claudius, vt est a Suetonio scriptum, cum mortẽ sibi instare animaduerteret, nihil prius ac magis a comitibus exegit, quã ne potestas cuiquã capitis sui fieret. Othonem etiam Tacitus *lib 17* ambitiosis precibus petiuisse dicit, ne caput sibi mortuo amputaretur, ludibrio futurum. Vnde sapienter, vt multa, Homerus Hectorem ab Achille prostratum atque confodiendum, inducit precibus maximis contendentem, ne ille se mortuum, canibus Achiuorum deuorandum relinquat, sed vt corpus parentibus auro atque ære redemtum det. Aiax quoque Sophoclis gladio incubiturus, Iouem deprecatur, ne corpus suum canibus auibusque lacerandum exponi patiatur. Plinius Naturalis hist. *libr 36. cap. 15.* literis consignauit, Romanam plebem sub Tarquinio Prisco

tædium laboris cloacarum vt deuitaret, sibi passim necem consciscentem. fuisse nouo & antea, posteaque inexcogitato remedio seruatam, cum omnium ita defunctorum corpora crucibus, spectanda ciuibus, simul & feris volucribusque laceranda figerentur. Quamobrem, inquit, *pudor Romani nominis proprius, qui sæpe res perditas seruauit in prœliis, tunc quoque subuenit: sed illo tempore imposuit, tum erubescens cum puderet viuos, tanquam puditurum esset exstinctos.* Hæc ille. Sed non solum pudore, verum etiam proprii corporis amore coerciti videntur. Plutarchus libro περὶ ψυχῆς primo (*vt Gellius refert lib. 15. Noct. Attic. cap. 10.*) *& in libro de Claris mulieribus cap. 11.* Milesias virgines, quæ vesania quadam correptæ, seu magis a dæmone malo impulsæ, repentinæ mortis libidine mira per strangulationem incessebantur, nec vlla ratione ab ea sæuitia poterant abstrahi; pudore identidem seruatas ait incolumes. Spectatæ namque prudentiæ viri cuiusdam ad Populum rogatione perlata decretum fuisse, vt virginum, quæ sibi ipsis mortem consciissent, per medium forum nuda cadauera efferrentur. Quo turpitudinis atque ignominiæ metu illas deterritas, a vesania abstinuisse dicit. Sed quantum ad honestum morientium habitum pertinet, nec quæ memoria nostra facta sunt, videntur transmittenda silentio. Romæ cum Curtius Palonus securi esset percutiendus, quia carceris situ obsideretur, tonsorem accersiri iussit, caputque & barbam totumque corpus abluendum curauit, sericeisque se vestibus splendidis induit, non quidem vt moriturus, sed quasi ad nuptias aut ad triumphum deducendus. quod non alia, quam vt honestius caderet, ratione, factum est. Florentiæ post Montemurlensem victoriam, cum capitali pœna in captiuos patricios viros animaduerteretur, ferunt quendam promissa ac pulcerrima barba præditum, cum ceruicem intrepidus ferro supponeret, carnificem orasse vt barbam a gula abduceret, ne ea abscissa, vultus a ciuibus spectandus deformaretur. Nouissime Carolus Caraffus Cardinalis Pauli IV. Pontificis summi nepos, cum sibi intra horæ curriculum, Pio IV. Pontifice Max. iubente, a satellitum vrbis Præfecto moriendum esse nuntiaretur, purpureum capitium, cardineique ordinis insignia poposcit, quæ tamen, quod iam exauguratum Præfectus diceret, non impetrauit.

Miscellaneorum libri secundi Finis.

HIERO-

Digitized by Google

HIERONYMI MAGII

MISCELLANEORVM, SEV VARIArum Lectionum,

LIBER TERTIVS.

M. Varronis epigramma obscurissimum Homeri imagini ab eo appositum, quod apud Gellium deprauate legitur, a mendo purgatur, & genuina explicatione illustratur.

CAPVT I.

MVltis obductum tenebris, longeque difficilimum illud est epigramma, quod M. Varro libro de Imaginibus primo Homeri imagini apposuit. Hoc Gellius *lib. 3. Noct. Attic. cap. 11.* dum super Homeri patria dissensum esse demonstrat, retulit. sic enim ille habet, *De patria quoque Homeri multo maxime dissensum est: alii Colophonium, alii Smirnaeum, sunt qui Atheniensem, sunt qui Ægyptium dicant fuisse. Aristoteles tradit ex insula Io natum. M. Varro libro de Imaginibus primo Homeri imagini hoc epigramma apposuit,*

Capella Homeri candida, hoc tumulum indicat,
Quod ariete mortuo faciunt sacra.
Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου,
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν, χίος, ἄργος, ἀθῆναι.

Hæc Gellius. Diu multumque insudaui, meque ipsum torsi quærendo, quo nam pacto ad Homeri patriam indicãdam, Varronis distichon faceret. non enim temere a Gellio loco vbi de ea agitur, adscriptum videbatur. Demum in magna Cymmeriarum tenebrarum obscuritate suspicari cœpi, ideo dictum esse, mortuo ariete fieri Homeri manibus sacrum, vt vaga Homeri natura, & patriæ ipsius obscuritas ac incertitudo indicaretur, quod hoc animal rei plurimum cõgruere videretur. Siquidem Arie, seu stellæ in Zodiaco Arietem constituentes atque efformantes, vt Mathematicorum, Astrologorumque sentẽtia est, & Galeotus Martius *in libro de Doctrina promiscua, cap. 35.* scriptum reliquit, inter cetera, quæ efficere creduntur, reddunt hominem vagum, mobilem, & nunquam diutius aliquo in loco permanẽtem, prout fert Arietis natura est enim vagum animal & errans. Argumento sit, quod Hermippus tradit, legiturque apud Higinum: olim enim, cum Liber Africã oppugnaret, in eum peruenit locum, qui Hammodes a puluere est nuncupatus. Et cum aquarum penuria exercitus laboraret, atque ideo defectionem moliretur, aries quidam

errans ad milites deuenit; quos statim atque vidit, ad fugam cõuersus est: quem illi prædæ gratia insequuti, aquam ex insperato nacti sunt. Hæc seu non absimilia apud Hyginum leguntur. Cum aries hac sit præditus natura, optima ratione Poetæ finxisse videntur, Phrixum & Hellem in exsilium eiectos, vt vagarentur, à Nephele eorum matre fuisse arieti impositos. Ouidius lib. 3 Fastorum,

Vtq; fugam capiant, aries nitidissimus auro.
Traditur, ille vehit per freta longa duos.

Adhæc Arietis signum obscurum esse traditur, ex qua ratione Aratus inquit, Cicerone interprete,

Quæ comes est Aries obscuro lumine labens.

Eamque ob rem, vt Hyginus refert, dicitur Mercurius Deltotum sidus deltæ literæ trianguliq; forma præditum, supra caput Arietis posuisse, vt huius splendore, quo loco esset Aries, non admodũ conspicuus, significaretur. Vagum autem & peregrinum fuisse Homerum, ex vitæ eius lectione satis est manifestum. Pausanias quoque in Atticis talem fuisse Homeri naturam demonstrat, dũ in hanc sententiam loquitur, *Homerum vero, Hesiodumque video, vel Regum consuetudinem nactos non esse, vel certo consilio eam contemsisse; alterum ingenti rusticitate, ac errorum tædio; alterum quoniam quam longissime peregrinari voluit, plurisque fecit nominis sui apud multos existimationem, quam potentum pecuniam.* Hæc Pausanias. Hac autem de caussa euatam esse patriæ Homeri incertitudinem, testatur Epiphanius Episcopus Constantiæ *lib. 1. contra hæreses To. 2.* his verbis ex interprete, de Homeri variis patriis loquutus, *Verum, inquit, propterea quod in multis fuerat vrbibus, & patriis, ideo multos ad diuersam narrationem impulit.* Sic Epiphanius. Præter autem patriam, eius quoque parentes, vt testatur Lucianus in Demosthenis encomio, ignorauit antiquitas, cuius rei caussam præbuisse paupertatem crediderim, iuxta illud Terentianum,

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur ipsa.

Tanta autem fuit rei obscuritas, vt Appion Grammaticus Manes euocauerit, ad percontandum Homerum, qua patria, quibusq; parentibus genitus esset. Qui nihilominus, vt Plinius *Nat. hist. lib. 30. cap. 2.* scriptum reliquit, non est ausus profiteri quid sibi respondisse diceret. Quamquam enim viuens Homerus & patriam, & parentes ignorauit, vnde Apollinis Oraculum ea de re consuluisse dicitur; mortui tamen manes diuinitatem, vt antiqui credebant, adepti (pro diis enim defunctorum manes habiti sunt) nullo pacto ignorasse credebantur. Illudque accedit, quod Homerus pro Deo est habitus, cui & templa dicata sunt a quibusdam, *vt apud Strabonem legitur libro 14.* Non solum autem & er-

toris, & obscuritatis ratione sacro, quod Homero fiebat quadrare aries videbatur, sed etiam principis loci, quem inter signa reliqua obtinet cœlestis Aries, vel terrestris in grege. Quamobrem Columella in libro de Hortis, de Ariete,

Signorum, & pecorum princeps caput efferet undis.

Princeps enim Poetarum habitus semper est Homerus, quæ res ariete fortasse a Varrone non de patria loquente, significari, dici potest. Quod si affirmet quis, Varronis distichō post Græcos versiculos nouissimo loco apud Gellium adscribēdum videtur. Principatus autem apud Romanos ariete significabatur, Varrone eodem attestante, qui *libro 5 de Lingua Latina* loquitur in hæc verba, *Dies Agonales, per quos Rex in regia arietem immolat; dicti ab Agon', eo quod interrogatur a Principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur.* Hæc ille. Ex qua fortasse ratione Vergilius in Bucolicis sibi placens, se cum Arii vim euasit, sub ariete significauit, inquiens,

Aries sua vellera siccat.

Plutarchus in decem Rhetorum vitis, supremum locum ariete significari innuit, inquiens, *Isocratis sepulcro insculptum fuisse arietem cubitorum triginta, in quo esset Siren cubitorum septem, ratione symbolica.* Non solum autem apud Latinos Græcosque hoc significatu aries accipitur, sed & apud Hebræos. Hilarius enim in explicationibus suis in Psalmum *64. & 65.* apud Dauidem, Arietes exponit & intelligit pro Sacerdotibus, Martyribus, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, qui tamquam gregis sancti principes, & duces sint. Quod vero spectat ad Capellam, candidam appellari existimabam, quia marmorea fingatur; & tumulo insculptam tamquam rei occultæ indicem. Quod autem pro indice capra acciperetur, fidem facit Ouidius, dum animalia, quæ in Iunonis festo in pompam ducerentur enumerans, de capro sic canit,

Duxque gregis cornu per tempora dura recuruo,
Inuisa est domina sola capella Deæ:
Illius indicio syluis inuenta sub altis
Dicitur inceptam continuisse fugam.
Nunc quoque per pueros iaculis incessitur index,
Et pretium auctoris vulneris ipsa datur.

Vt etiam Diodorus scriptum reliquit, capra Delphici oraculi locum, cui tripos mox fuit impositus, inuenit. Caranus etiam, siue, vt Eusebius habet, Cranaüs, iussus Oraculi responso, ducibus capris, imperium quærere, gregem caprarum imbrem fugientium magna Græcorū manu sequutus, vrbem Edyssam, vt Iustinus *lib. 7.* testatur, occupauit, quam Ægæam ἀπὸ τῶν αἰγῶν, id est a capris, appellauit. Sunt capræ solertes, vt eo exemplo, quod ex Muciano Plinius *Natur. hist. lib. 8. cap. 50.* refert, satis docemur. Aliquando in eam sum adductus sententiam, vt capra, Homeri patriam

optime demõstrari censerem. Homerum enim Syrum a quibusdam creditum esse refert Athenæus *Dipn. libr. 4 cap. 18.* & Syrias capras præcellentes, ac in pretio habitas, apud eundem *lib. 1. cap. 25. & lib. 12. cap. 9.* legimus. Syrium autem fuisse, illud esse argumento, Meleagrũ Gadaræum, idem auctor scripsisse refert, quod pro patriæ suæ consuetudine, omnes antiquos a piscibus abstinere fecerit, cum eorum vis ingens esset circa Hellespontum. Syrios ob patrias leges a piscibus abstinuisse, idem testatur *libr. 4. cap. 6.* cui Porphyrius Philosophus in libris De abstinendo ab animantibus, adstipulatur. Quod spectat ad relatum Meleagri argumẽtum, illud obiter est obseruandum, aliam longeq; plausibiliorem a nonnullis afferri rationem. Dio enim Chrysostomus *Oratione 2.* quæ de Regno inscribitur, ait, hoc esse ab Homero factum fortitudinis caussa, quæ ex bubularum carnium, quibus vescentes Heroas inducit, conciliari soleat, quam rem & a Platone adnotatam cõmemorat L. Christophorus Bœthicus, Antoni: Nebrissensis non indoctus auditor, idem Varronis epigramma longa commentatione, quæ cum eiusdem Nebrissensis libris excusa legitur, quamque Franciscus Luisinus vir eruditissimus *lib. 2. Parergωn cap. 17.* magni facit, explicare apertumque reddere conatur. Ea est huiusmodi, a me quibus oportuit locis, partim contracta, partim vero aucta, & roborata, vt ex collatione deprehendes. Vt Firmicus in Mathes, & Cleonides in signorum momentis auctores sunt, Aries inter signa cœcus est, tametsi signorum omnium sit directissimus dux. Vnde Aratus,

Quis comes est Aries obscuro lumine labens.

Et Auienus in Phœnomene de Ariete loquẽs, *Semper*, inquit, *propriis caret ignibus.* Germanicus etiam in Fragmentis.

Clara vero non illi est facies, &c.

Cur Arieti simillimus fuit Homerus cœcus & ipse, vt Plutarchus, Martianus, & prius Halicarnasseus, literarum monimentis prodiderunt. Vnde nomen adstructum illi fuit. nam Cumani, & Iones etiam, vt Plutarchus vult, τοὺς τυφλοὺς (inquit Halicarn.) ὁμήρους λέγουσι. *CAPELLA.*] Cleonides, & Firmicus locant Capellam in trigesimo Arietis gradu, montalibus influentem mentis concussionem, animique vertiginem. Quo fit vt quos horoscopo inuadit, rerum ii facile satagant, & machinando sollicitentur, vexenturque. Id quod Homero vsuuenit. nam proposito sibi a piscatoribus, vel piscatorum ministris ænigmate, quod in hæc verba fuit, ὅσσ' ἕλομεν λιπόμεσθα, ὅσ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα. cogitãdo exanimatus est. Et si Halicarnasseus de Homeri morte aliter sentit. sic enim inquit, ἐκ δὲ τῆς ἀθυμίας ταύτης συνέβη τὸν Ὅμηρον τελευτῆσαι ἐν Ἴῳ, οὐ παρὰ τὸ μὴ γνῶναι τὸ παρὰ τῶν παίδων ῥηθέν, ὡς οἴονταί τινες, ἀλλὰ τῇ μαλακίᾳ. Metasthene præterea auctore & Pædiano, suum quemque Deum sacrificium oblectabat, vel cõsentaneum, vel

vel infestum. Hinc Baccho caprum, & Dianæ canem immolabãt antiqui. Faciũt igitur Homero sacra apud tumulum siue re congrua, & simili, vt Ariete cœco, siue *re infesta*, vt Capella, cuius vertigine, vt plerisque placet, periit Homerus. Construe ergo, *Hoc indicat tumulum Homeri, quod faciunt sacra capella candida, ariete mortuo, id est, mactato.* Est autem dialecton figura, & oratio coniunctione destituta. Sed quorsum hi versus, & quo modo ad rerum seriem spectant, quæ de Homeri solo natali aliquid vt afferatur requirit? Berosus *lib. 8. Antiquitatum*, vni cadaueri, vno holocausto sacrificasse antiquos testatur. modo vero rei dubiæ, hoc est, Homero, cuius stirps dubia est, vel natale solum ignoratur. Varro dicit fieri sacrificium re dubia, id est, capella & ariete, & sic particula *Quod*, pro *Quia*, accipitur; vt sensus sit, *Hoc indicat tumulum esse Homeri, cuius est stirps dubia, quia faciunt ei sacra sacrificio ancipiti.* Atque hæc quidem ex Christophoro illo Bæthico. Cùm de huius epigrammatis interpretatione pridem dissererem cum eruditissimo viro Quinctino Acanthio, cœpit ille contendere, corruptum esse posteriorem versiculum; ac pro ariete, legendum esse *Ieta*. satis enim cõstare, in Io insula obiisse Homerum, Iensesq; illi tumulum cõstruxisse. Qua ille emendatione, maxime loco illuxit, meq; in suam facile sentẽtiam protraxit. Sed corruptum esse versiculum, illud me paululum suspicari faciebat, quod verbum *Faciunt*, sibi aliquos, qui facerent sacra, deposcere videretur, nec essent, aut intelligi possent in epigrammate quinam id, quod fieri diceretur, efficerent. In Io autem obiisse Homerum, & sepultum esse, Halicarnassei, Strabonis, Plutarchi, & Suidæ testimonio cognoscitur. Quin Suidas ipse epigramma etiam, quod tumulo inscriptum fuit, apposuit: sic enim inquit; ἐπιγέγραπται δὲ ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ τόδε τὸ ἐλεγεῖον, ὃ ὑπὸ τῶν Ἰητῶν ἐποιήθη χρόνῳ.

ἐνθάδε τὴν ἱερὰν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον ὅμηρον.

Id est, *Inscriptum est autem eius sepulcro huiusmodi elegeum, quod postea ab Iensibus factum est,*

Hic terra sacrum caput abscondit,
Homerum diuinum laudatorum virorum Heroum.

Si ratio carminis constet, possemus sic legere in Varronis inscriptione, *Ara Ieta*. vt decliuior fuerit librariis lapsus ad errorẽ extrita diphthongo priore, *a*, & posteriore in, *e*, mutata. Aras autem prope sepulcra, & in ipsis aliquando sepulcris construi consueuisse, in quibus sacra fierent, res non est inuentu apud auctores difficilis. & nos; cùm antiquis inscriptionibus, tum veterũ testimoniis satis probauimus in libris nostris de Sepulcris & sepeliendi ritu. Hac recepta vera lectione, ad Homeri tumulum capella alba fieri sacrum ab Ietis vel Iensibus, quantum coniectura asse-

quor, dixit Varro, tanquam Poetæ Apollini Musisque gratissimo. etenim Apollinis capris albis amaris facrum fieri Græco ritu consueuisse, demonstrat Liuius libro 5 Dec. 4. Quanquam capræ etiam Ioui immolabantur, vt Aristoteles lib. 3. Ethicorum, & Herodotus in Euterpe testantur. Aut fortasse capra, lacta heu dicit Varro. tanquam animante manibus Homeri perpetua, cum Syrius esset & Syrios præcellentes capræ, quibus abundabant, nobiles reddidissent. Licet & ortus ratione Ienses lib. Homerum vendicent, attestantibus Aristotele, & Antipatro in Epigrammate, quod legitur in quarto libro Epigrammatum Græcorum. Quæ res pridem a Christophoro Roto, iuuene supra ætatis captum Græcarum, Latinarumque literarum, & honestarum disciplinarum cognitione absolutissima prædito, in Antexegematis suis fuit adnotata; vt erret Iacobus Cruceus Bononiensis, qui in annot. suis, in Græco Epigrammate apud Gellium non ἴος, vt vetusta habent exemplaria, & Gaza in sua versione, sed χίος legendum esse contendit, quanquam Lucianus in Demosthenis encomio, & alii, Chium quoque dictum fuisse Homerum retulerunt. Videtur vero Varronis hoc Epigrāma a Gellio loco huic adscriptum, ad astruendum Aristotelis testimonium, qui ex insula Io natum Homerum tradidit, vt Ienses Homero tanquam vati, & ciui suo parentasse, & iusta fecisse, Varronis testimonio demonstret.

Obseruatum quibus in locis hastas reconderent antiqui. Vergilii locus declaratur. Milites in armis dormientes terra hastas infixas, non iacentes, habere consueuisse, atque eam consuetudinem non solum apud Illyrios, sed etiam apud Hebræos esse seruatam. In vocis σαυρωτὴρ, explicatione discrepasse ab Eustathio Pellucem.

CAPVT II.

CVm Homerum aliquando animi gratia legerem, obseruaui antiquos, hastas non vt nunc fit iacentes, aut pendulas, sed intra ligneam columnam reconditas, asseruare consueuisse. Sic enim inquit Homerus Odyss. lib. 1.

Ὣς εἰπὼν ἡγεῖθ', ἡ δ' ἕσπετο Παλλὰς Ἀθήνη.
οἱ δ' ὅτε δή ῥ' ἔντοσθεν ἔσαν δόμου ὑψηλοῖο,
ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρὴν
δουροδόκης ἔντοσθεν ἐϋξόου, ἔνθα περ ἄλλα
ἔγχε' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἵστατο πολλά.

Id est:

Sic locutus præibat, & sequebatur Pallas Minerua.
Hi autem cum iam intra erant domum altam,
Hastam quidem ferens posuit ad columnam longam
Intra hastarium bene politum, vbi alia
Hastæ Vlyssis in malis constantis stabant multa.

Idem

Idem Homerus infra libro decimo septimo.

αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἵκανε δόμους εὖ ναιετάοντας,
ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρήν,
αὐτὸς δ' εἴσω ἴεν, καὶ ὑπέρβη λάϊνον οὐδόν.

Hoc est: *Sic postquam peruenit domos bene habitatas,*
Lanceam quidem posuit portans ad columnam longam:
Ipse autem introiuit, & transiuit lapideum limen.

Ad quam fortasse consuetudinem allusit Vergilius lib. Æneidos 12. dum inquit,

Exin quæ mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus astabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem.

Quem locum Enarratores, ex Homericorum versuum ignoratione, non recte exponunt, & profecto mihi non arridet, quod de columnæ adminiculis dicit Donatus. Non tamen me præterit, antiquos talem seruasse in ædificando rationem, vt in medio columnam ædes haberent, quod indicat Iulius Poll lib 7. cap. 27 loquens in hanc sententiam: Continetur & hic columna domus media. Idem Homerus Iliad. lib. 10. in bello a militibus in armis dormientis, hastas terræ infigi consueuisse demonstrat: dum enim describit Diomedem cum sociis in armis dormientes, dicit eos hastas ita habuisse collocatas, vt rectæ starent ἐπὶ σαυρωτῆρος. Vt aute Eustathius Homeri interpres auctor est, σαυρωτὴρ a Græcis dicitur, ferramentum quoddam, in quo humi defixo, collocabantur hastarum calces. In qua re tamen discrepat a Polluce, qui lib 1. cap 10 numero 6. sic loquitur ex interprete. *Theca vero hastæ δορυθήκη. Partes vero, extremum quidem σαυρωτήρ, iaculi inuolucrum, medium vero ἀγκύλη. &c.* Et lib. 10. cap 31. *Hastaque pars inferior σαυρωτήρ, styrax, styracium: receptaculum vero hastæ theca.* Hæc Pollux. Σαῦρος lacertam Græcis significat, cuius fortasse formam ferramentum illud σαυρωτὴρ referebat, vt offi, hastæ extremitas videretur, cauda terræ infixa. aut vox est deprauata, & non σαυρωτήρ, sed σταυρωτὴρ est scribendum quod hoc ferramentum σταυρὸν, id est, lignum illud duplex, quod curru subiiciebatur, & Latini *furcam* appellant, forma referret, vt binas hastas humi defixum, non absimile candelabris binarum capacium candelarum, contineret. Lignum autem illud σταυρὸν a Græcis dici, commemorat Plutarchus *problemate 69.* Cur autem hastæ ita haberi consueuissent, declarat Dio Chrysost. Orat. 2. de Regno, loquens in hanc sententiam, *Diomedem vero valde dure reclinatum super tergore bouis agrestis, hastas in terram habentem, non ornatus gratia, sed vt parata ad acris tendum essent.* Hæc Dio. Hanc defigendarum hastarum consuetudinem obseruauit Aristoteles, qui in Poet. inquit, sua etiam ætate apud Illyrios fuisse seruatam. Illyriis autem imperauit Diomedes, & Dio-

nedeç insulæ e regione sunt Illyriorum Quidam eruditissimi viri hanc consuetudinem apud Illyrios duntaxat fuisse, scriptum reliquerunt: verum ego & apud Hebræos eandem fuisse, demonstrari arbitror Samuelis *lib. 1. cap 26.* Sic enim in eo legitur, *Venerunt ergo Dauid & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terram ad caput eius, &c.*

Quæ fuerint apud antiquos fasciæ crurales, & pedules; quibusque illi vsi sint calceis. Crepida vnde dicta. Feminalia tibialiaque priscis nulla fuisse.

CAPVT III.

QVærebat a me Bartholomæus Magius frater meus, bonarũ literarum studiosissimus, quæ nam essent fasciæ crinales & pedules, quarum Vlpianus *l. Argumento ff. de Auro & argento, &c. legatis*, meminit. Respondi minime syinceram esse in ea lege verborum Vlpiani lectionem, tametsi Beroaldus in Commentarijs suis in Apuleij Asinum synceram putauerit, & Marinus Becichemus *cap. 78. Quæstionum Epistolicarum* legat, *Crinales pedulesque*, cum legendum sit *Crurules*, vel, vt habet Florentinum exemplar reuerendæ vetustatis, *Crurales*. nullo discrimine. Quam lectionem Alciato *libr. 1.* Præter probatam, præter antiquorum codicum fidem, ratio subiectæ materiæ etiam tuetur, quia Iureconsultus subdat pedulium mentionem, & eo loci de muliebribus ornamentis non loquatur, ad quæ fasciæ crinales spectant. Hac in re cum ille mihi assentiretur, hæc fere tunc in medium adduxi. Crinales quidem fasciæ siue vittæ, vsui erat vt hodie, mulieribus ad capillos colligandos compescendosque. Varro *lib. 4. de Lingua Latina*, loquens de muliebribus ornamentis, sic inquit, *Tæsta fasciola, qua capillum in capite colligarent, &c.* Mulieres autem capillos ita colligantes, eos in orbem voluebant: quamobrem Iuuenalis Satyra 6.

——— altera læuum
Extendit, pectitque comas, & voluit in orbem.

Quam rem etiam num antiquæ nobis statuæ ostendunt. Non solum autem crinales fascias mulieres vsurpabant, sed & mamillares Pollux lib 7. cap. 14. *Porro mammillarum muliebrium cingulum, fasciam, vel fasciolam vocarunt, &c.* Nunc quod attinet ad fascias crurules, dico has fuisse longas quasdam vittas laneas aut etiam lineas, quibus antiqui ad contegenda conuestiendaque crura, vtebantur, eas complicando volumine rotundo & simplici intextoque nonnunquam, & alterno, quod expressum conspexi in statua, quamquã non admodum vetusta, in quodã angulo Palatij Diui Marci Venetiis: vel etiam quibus tibialia laxiora socculosque comprimerent, retinerentque ne diffluerent ac dilaberentur. quæ figura visuntur in antiquis statuis, leoninis quibusdam capitibus

ad cru-

Digitized by Google

ad cruris mediũ fere, quousq; pertinebant tibialia, insignita. Huiusmodi fasciarum mentionem non solum apud Vlpianum, sed apud Valerium Maximum, Quintilianum, Ciceronem, & alios auctores reperies. Cicero de Aruspicum responsis, *Muliebres*, inquit, *solea, purpureaq; fasceola*. Et ad Atticum, *Etenim mihi eius caliga, vt fascea cretata, non placebant*. Fascias non absimiles auro redimitas vsurpasse sponsas, demonstrat Seneca in Hippolyto, de sponsa loquens his verbis,

> *Crura distincto religauit auro,*
> *Luteo plantas cohibente socco.*

Quo loco illud ἐν παρέργῳ est adnotandũ, luteum colorem nouis nuptis fuisse in vsu. Quamobrẽ Plin. *lib 21. Nat hist. cap. 8.* inquit, *Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis, totum fœminis cõcessum, &c.* Fascias in calceatu vsurpasse priscos, scribit Varro. Plinius *lib. 8. cap. 57.* mures ait Carboni Imperatori fascias, quibus in calceatu vtebatur, arrosisse, quæ res exitiũ portenderit. Apuleius *linteorum calceorũ* meminit: hos *pedulia* appellatos esse, do et Cornelius Fronto his verbis, *Pedale*, inquit *mensura est pedis, pedule vero sub pedibus præstat vtilitatem*. Quo fit vt suspicer apud Vlpianũ legendum esse *Pedulia*, pro eo q́ habet *Pedules*: & si pedales etiam fascias habuerunt antiqui, quarũ etiam meminit Iulius Pollux *lib 7 cap. 22.* loquens de calceorum speciebus. Tibialibus & femoralibus nullis prisci vtebantur, vt apud Homerum, Virgilium, & Ouidium fuit a me obseruatum. Homerus enim Iliad. *lib 2.* sic ait, loquens de Agamemnone.

> ἕζετο δ' ὀρθωθείς. μαλακὸν δ' ἔνδυνε χιτῶνα,
> καλὸν, νηγάτεον, περὶ δ' αὖ μέγα βάλλετο φᾶρος.
> ποσσὶ δ' ὑπαὶ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.
> ἀμφὶ δ' ἄρ ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον.

Id est.

> *Sedit autem erectus. mollem autem induit tunicam,*
> *Pulcram, nouam, circa autem magnum iecit pallium:*
> *Pedibus autem sub teneris ligauit pulcra calceamenta,*
> *Circum autem posuit ensem argenteis clauis.*

Et Odyss. lib. 2 in principio.

> ὤρνυτ' ἄρ' ἐξ εὐνῆφιν ὀδυσσῆος φίλος υἱὸς,
> εἵματα ἑσσάμενος. περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ,
> ποσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.

Hoc est.

> *Surrexit ex lecto Vlyssis dilectus filius*
> *Vestem indutus, ensem autem acutum circumposuit humero,*
> *Sub pedibus vero robustis ligauit pulcra calceamenta.*

Vides nullam femoraliũ, tibialiumq; fieri mentionem. Vergilius quoq. Homerũ, vt opinor, imitatus, Æneidos lib. 8. sic cecinit,

Euandrum interea lecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus,
Consurgit senior, tunicaq; induitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis:
Tum lateri, atque humeris, &c.

Nihil Vergilius etiam, vt vides, de femoralibus, & tibialibus. Erant tamen apud antiquos in vsu tibialia siue ocreæ ad munimé. Homerus lib. 18. Iliad. loquens de Achillis armis,

τεῦξε δέ οἱ κνημῖδας ἑανοῦ κασσιτέροιο. Id est,
Fecit et ocreas tenui stanno,

Obseruare hic libet ἐν παρόδῳ, quod licet hæc vox κασσίτερος stannum proprie significet, Aristoteles tamen in Poet. pro ferro accepit sed male, vt mihi videtur: arma enim antiquitus non fiebant ferrea, sed ærea, aut etiam stannea propter ferri penuriam. Vt maxime errat Ioannes Tzetzas in Cōmentariis in Hesiodi librum, qui inscribitur ἔργα καὶ ἡμέραι, existimans ferrum priscis fuisse in vsu, χάλκεον autem dictum adiectiue παρὰ τὸ [illegible] τὴν ἀλκὴν, id est, a tuendenda fortitudine, eorum scilicet qui eo fuerint confossi: quamquam Hesiodo & aliis reclamantibus cecidendum esse non negat. Alcæus Poeta æreorum tibialium & ensium meminit in illis versibus, qui apud Athenæum leguntur lib. 14. Dipn cap 11 & Hesiodus libro citato sic ait loquens de hominibus æreæ ætatis,

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι.
Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο. μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

Id est:

Iis autem erant ærea quidem arma, ereaq; domus.
Aere operabantur: nigrum enim non erat ferrum.

Verum nemo miretur ex molli metallo præ ipso ferro, rustica instrumenta, & arma facta esse, siquidem temperatura quadam: vt Proclus & post Proclum Zetzes Hesiodi interpretes testantur, æs ipsum [illegible], qua per fabrorum ferrariorum incuriam [illegible] [illegible] ferri [illegible] καὶ τῷ χαλκῷ inquit Proclus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Id est, [illegible] (id est, ad arma) ære vtebantur, tamquam ferro ad [illegible] [illegible] quod [illegible] natura [illegible] [illegible] temperatione [illa], ad vsum [illegible] [illegible] Antiquum a more consuetudine & Virgilius [illegible] [illegible] [illegible] apingens Ar[illegible] [illegible] cognoscimus [illegible] [illegible] Regum lib 1 cap 17 Goliath [illegible] [illegible] habuisse, [illegible], ocreas & clypeum. Nunc ad [illegible] Homerus [illegible] Achiuos bene ocreatos vocat,

ἐϋκνή-

ἀτρεῖδαί τε, καὶ ἄλλοι ἐϋκνήμιδες ἀχαιοί. Id est,

Atridaque, & alii bene ocreati Achiui.

Sed non nimis vetustis temporibus inuenio. Romanos vsos esse tibialibus. Iulius Pollux *libro 7. cap 13.* tibialium & subligaculorum meminit. Cicero quoque in libris de Officiis, *in scenam sine subligaculo neminem,* ait *prodiisse*. Suetonius auctor est, Augustum hyeme vsum esse fœminalibus & tibialibus; idemque ait eundem solitum esse sibi crura ardenti nuce suburere, quo mollior pilus exsurgeret. qua re subindicatur aliis temporibus, nudis hũc prodire cruribus consueuisse, nullisque vsum tibialibus. Fœminalia non fuisse in vsu idem demonstrat in Iulio Cæsare, inquiens Cæsarem vt animaduertit vndiq; se strictis pugionibus peti, toga caput obuoluisse, simulq; sinistra manu sinum ad ima crura deduxisse, quo honestius caderet. Hæc autem vsurpabant Scythæ, ob magnam vim frigoris ingruentẽ Dio Chrysostomus *Oratione 36.* Callistratũ Borysthenitem fœminalia habuisse dicit, reliquumq; vestitum Scythicum. Virgilii ætate rustici ocreis, siue tibialibus & peronibus vtebantur, quod ille in Moreto demonstrat, dum de Simulo rustico sic ait,

Ambit crura ocreis paribus, tectusq; galero

Sub iuga patentes cogit lorata iuuencos.

Persius *Satyra 7.* aratorem peronatũ appellat. M. Cato, antiquitus perones a ciuibus Romanis vsurpatos testatur, his verbis lib. 7. Originum, *Qui magistratũ curulem cœpisset, calceos mulleos aluitatos, cæteri perones.* Quod pertinet ad calceos, Seruius ad eum Vergilii versum,

Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Sic ait, Tyrrhena vincula, Tusca calceamenta. & dicit crepidas, quas primo habuere Senatores, post Equites Romani, nunc milites. Ioannes Sarius Zamoscius, iuuenis eruditissimus, & amicus meus, in libr. *de Senatu Romano*, quos pridem edidit, nugari hic Seruium dicit Mihi quidem non fit verisimile Seruium, quæ de calceis dixit, commentum esse. & scimus diuersis temporibus diuersa in vsu fuisse. Sane Pollux inter Græcanicos calceos crepidas refert, dicitque esse militare gestamen. Romæ etiam statuæ aliquæ, quæ Senatoriæ, & antiquæ creduntur, crepidas habent, quales apud Gellium *lib. 13 cap 20.* depictas videmus, licet Gellii ætate Senatoribus essent indecoræ. Gellii autem verba hæc sunt, *Omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cetera prope nuda, & teretibus habenis vincta sunt, soleas dixerunt: nonnunquam voce Græca crepidulas* Sed, vt dixi, crepidas, & crepidulas prima syllaba correpta, id genus calceamentũ appellarunt, quod Græci κρηπῖδας vocant, &c. Supra vero Pop. Romani Senatores soleatos per vrbis vias ingredi, nequaquam sua ætate decorum fuisse refert. Quales ergo essent crepidæ, satis

apparet. Hoc vero calceorum genus vinculorum nomine significatur, quod multis habenis & corrigiis inflexis vinciretur, adeo vt plantarum calcibus tantum infime tectis, vincula solum loraque apparerent. Ouidius Fastorum *lib.* 2. muliebres calceos vincula appellat, loquens de Hercule,

Fregerat armillas non illa ad brachia factas.
Scindebant magni vincula parua pedes.

Viriles etiam infra *libro* 3. vincula appellat inquiens,

Iam memor veterum ritus, timidusq; Deorum,
Surgit, habent geminis vincula nulla pedes.

Vnde apud Dionem Chrysostomum *Oratione* 6 quæ Diogenes, vel de Tyranno, inscribitur, pedes obligati, pro *calceatis*, dicuntur. Huc fortasse spectat, quod Zonaras Græcus auctor, quamquam nō admodum antiquus, ait Patricios in vrbe gestasse calceos adornatos corrigiarum inflexione, & forma literæ C. Videtur enim ea corrigiarum inflexio ad vincula prænotata pertinere. Præterea cum Plutarchus *Problemata* 75. de lunatis his calceis agens eos patriciis in vsu fuisse dicat, *Arcadibus id genus calceorum lunatorum præcipuum fuisse affirmans.* Sed de calceis hæc dixisse sufficiat. qui plura legere auet, hic Pollucem adeat, & Volaterranum in *Philologia lib.* 27. Ad crepidæ etymon quod attinet, errant, vt etiam Aldus olim adnotauit, in Horat. qui crepidam a crepitu dictam censent, cum, vt est manifestum, & Gellius testatur, vox sit Græca, & ex voce κρηπὶς, quæ Oribasio *in libro de Machinamentis cap.* 25. basis est, quasi crepida basis sit pedis. Inquit autem Oribasius ex interprete, Fabri organum ad hūc modum fit. *Super basim, quæ κρηπὶς nominatur, pro organo dimensam, statuuntur crura duo, &c.* Magis enim emendate legi posse videtur κρηπὶς, quæ vox basin & calceamenti genus significat teste Phauorino & aliis, quam κρηπῖς, vt in vulgatis habetur exemplaribus.

De quibusdam, qui prima concubitus nocte, a domus lapsu perierunt, & de Dæmonum amoribus.

CAPVT IV.

MEmoriæ proditum est, Eupolim Niciæ Atheniensis filium, prima nuptiarum nocte, thalami ruina, vna cum vxore oppressum exstinctumq; fuisse: qua de re exstat Græcum epigramma. & Ouidius in opusculo Dirarum, & imprecationum in Ibin sic ait,

Sit tibi coniugii nox prima nouissima vitæ
Eupolis vt periit, & noua nupta modo.

Olim etiam Romæ Q. Sertullius prima nuptiarum nocte ex ruina domus maritalis lapsu vna cum vxore suffocatus est: vtriusque adhuc horum sepulcro insculptum epitaphium, quod in lectoris gratiam referre libuit. est autem huiusmodi,

ASPI.

ASPICE VIATOR Q. SERTVLLII ET DVLCICVLÆ SPON. ME Q. RANCILIÆ VIRG. AC POST INDE QVID FACIAT LICENTIOSA SORS LEGITO. IN IPSA FLORIDA ÆTATE CVM ACRIOR VIS AMORIS INGRVER. MVTVO CAPT. TAND. SOCERO ET M. SOCR. ANNVENTIB. SOLEMN. HYMEN. NVPT. COPVLAMVR. SED O FATVM INFELIX NOCTE PRIMA CVM IMPORT. VOLVPTATIS EX LL FAC. EXSTINGVERE ET D. M. V. VOTA COGEREMVR REDDITIS HEV IPSO IN ACTV DOM. MARITALIS CORRVENS AMBOS IAM EXTRE. CVM DVLCITVDINE LETISS. COMPLICATOS OPPRESSIT FVNESTAS. SOROR NEC NOVI QVID FECISS. PVTA. NON ERAT IN FATIS TVM NOSTRA LONGIOR HORA. CARI PARENTES LVCTV NEC LACRYMIS MISERÁ AC LARVATA NOSTRA DEFLEATIS FVNERA NE REDDATIS INFELICIORA. AT VOS NOSTROS DIVTVRNIORES VIVITE ANNOS. OPTIME LECTOR AC VIVE TVOS.

D. M.

Abhinc tres annos mulio quidam Subianensis, Cornix nomine, qui literas etiam, quas ad me Bononia dederat Paulus Ligius meus, perferebat, cum in agrum Oppidi Diui Ioannis, Vallis Arni aduenisset, subito coortum imbrem fugiens, diuertit ad mulierculam quandam, quam cum noctu cognosceret, domus lapsu cum ea est exanimatus. Superioribus annis Neapoli, sponsus quidam cum virginem sponsam, mulierem reddere conaretur, ligneo orbe, a quo conopeum pendebat, in caput eius delapso, occubuit. Dum olim Patauium obsideretur, cum tormento, quod *mortarium* vocant, saxeæ pilæ tricenarum librarum e Maximiliani exercitu in altum proiicerentur, ita tormenti commoderata inclinatione, vt in propugnatorum domicilia deciderent, miles quidam Marci Manini Anglarensis, qui rem mihi narrauit, contubernalis, vna cum scorto sibi substrato, pila impetu incredibili eo prolabente, extritus est. In libro Tobiæ legimus, *Dæmonem nomine Asmodeum, septem viros Sara Raguelis filia sponsos, simulatque ii sise miscere voluissent, enecasse.* Hæc nonnulli non tam casu, quam ex Dæmonum Zelotyporum ira, euenire contendunt. Eos enim esse animalia aerea, animo passiua, vnde & etiam amare. Quin apud Philostratum *lib. 3. de vita Apollonii Tyanei*, literis proditum esse, Dæmonem pueri cuiusdam amore captum fuisse. Noui Anglare Amerinum cucullatum ex Eremitarum Diui Augustini famil a

spiritum satis est. sed vtraque concurrit. Cum enim occisor furore actus hominem aggreditur, cuncti spiritus, qui sui sunt, opus iuuantes, in occidendum conuolant, sicuti de more eorum est; iidem qui hominis trucidandi in occisorem tendunt, quo ira corporis sui prosiliit, vt in occisorem volent, vbique viuant. Cum ille occisus est, sanguis iam frigefactus fluere desiit: sed comparente occisore spiritus vtriusque inuerso motu agitantur; quilibet suum corpus repetens, motum faciunt, vnde & hominis occisi spiritus redeuntes, sedemque suam repetentes, & occisoris recedentes, vt ad corpus redeant, faciunt motum eius rei, quam habitant, habitant autem sanguinem. Et hoc pacto sanguis iam frigidior, & ad fluxum ineptus, ab occisoris, & occisi spiritibus, vt multiplicata agitatus, rursus fluitat. Estque illis tantus proprii corporis affectus, vt plerumque latitantem hominem, sed proxime exsistentem, intra tempus quod assignauimus (tot enim horis viuunt) recognouerint, ac repetiuerint. Hoc autem non in omnibus occisis, sed in plerisque euenit: quoniam quorundam natura, ita debilis est, vt eorum spiritus vno momento conflaccescant. Necesse ergo est corpora vbi hæc fieri debent, sint calidiora, quoniam calore, spiritus conseruantur Hactenus Martius, qui hæc se plerumque oculis vidisse, & Græciam de Patroclo hoc idem affirmare ait, *Hectore homicida comparente*: volens (vt opinor) significare præuotatum Homeri locum. In qua re memoriæ vitio laborauit, nam Homerus non de Patrocli, sed Euphorbi corpore loquitur. Sed dicat Martius, quando aliquis inermis ex insidiis subito confossus trucidatur, qui non tam ferro, quam timore prosternitur, quo hic pacto spiritus suos in trucidantem, in quo viui asseruentur, possit eiaculari; idemque illi viuuenire queat. qui aduersus, vel etiam somno demersus, gladio transfoditur; quos tamen præsente homicida, sanguine manare compertum est. Præterea, si Martium audiamus, esset dicendum, eum, qui graue vulnus noctu vel etiam interdiu ab ignoto hoste accepit, nec occubuit, cum fluere desiit sanguis, mox præsente eo, qui vulnus intulit, & si dormiat vulneratus, vnde mortuo quodammodo exæquatur, spiritibus hinc inde proprias in sedes commigrantibus, sanguinem vulnere emissurum. quod tamen non videmus vsu venire. Adde quod tauri in harena & publicis spectaculis sæpe inter iras ab iis, qui sua funera vendere solent, petiti, & tandem trucidati, postquam sanguis refrixit, propius accedente confectore, sanguine manarent, cum & bruta, pro eiusdem Martii in citato capite sententia, spiritus suos habeant. Mihi certe hæc spirituum hinc inde, vel vt Thaddæus aliique sentiunt, ex occisore solum in occisum conuolatio, nullo pacto fit verisimilis. Verum si eorum fluxum demus, statim e corpore egressi euanescent, vel aeris aut etiam cadaueris frigore abolebuntur, siquidem a calore, vt etiam Martius fassus est, conseruantur. Huc accedat, quod Physicorum plerique, spiritus hos

natur

naturales, qui ab epate ortum ducentes, venas pulsu carentes, & sanguinem incolant, minime agnoscunt. Duplicem namque spiritum esse dicunt, alterum vitalem, qui a corde per arterias fertur; animalem alterum, qui a cerebro per neruos commeat. Tametsi seniores Galeni Hippocratis, & Auicennæ interpretes, triplicem spiritum ponant. Atqui si & naturalibus spiritibus locum concedamus, erunt hi segniores (non enim vt vitales mouentur) crassioresque, quam qui munia, quæ Martius, atque alii comminiscuntur, obire possint. Aliorum sententia, cuius Pomponatius meminit habet, hunc sanguinis fluxum inde prouenire, quod anima occisi interfectori indignetur infensaque sit. Sane Plato *Dialogo 9. de Legibus*, in hanc loquitur sententiam, *Fertur enim interfectum vi hominem, qui libere vixit, interfectori proximo statim post mortem tempore irasci, ac propter violentam mortem terrore, turbationeque plenum, maxime si viderit interfectorem inter suos more solito viuere, interfectorem ipsum, eiusque actiones, vim adhoc suppeditante memoria, cunctis viribus terrere atque turbare, &c.* Hinc Ouidius lib. 5. Fastorum, Remi a Celere occisi, vmbram sic dicentem inducit,

Sæue Celer crudelem animam per vulnera reddas,
Vtq; ego sub terras sanguinolentus eas.

Et Virgilius Deiphobum apud inferos, necis suæ vindictam precantem facit,

——Dii talia Graiis
Instaurate, pio si pœnas ore reposco.

Suetonius, Neronem sæpe confessum ait, exagitari se matris suæ, quam occidendam curauerat, specie, & verberibus furiarum ac tedis ardentibus, eamque ob rem facto per magos sacro, euocare maternos manes, eosque exorare tentasse. Liuius lib 3. Dec 1. *Virginiæ manes per domos ad petendas pœnas vagatos scribit.* Marianorum animas Syllam solicitasse legimus. Tragœdiæ Orestem a matris vmbra & furiis agitatum agunt. Plutarchus in libro de *Sera numinis vindicta*, & in Cimone, Cleonices a Pausania trucidatæ phasma, Pausaniam assiduis terroribus perturbasse, ac vexasse, memoriæ consignauit. Adnotat eruditione summa ac probitate inclytus præceptor meus Franciscus Robortellus, *lib. 8. de Vita & victu Populi Rom.* sub Imperatoribus Cæsaribus Aug. creditos olim manes cæsorum; pauorem inücere noctu peremtoribus, si per vim, & insidias peremti essent; ideo piacula ad placandos manes adhiberi solita; qua de re nos nonnulla in libris de Sepulcris & sepeliendi ritu. Hæc autem sunt ab antiquis credita, quia corporeis affectibus animas a corpore seiunctas, penitus destitui non putabant, quamobrem Vergil. *lib. 6. Æneid.* inquit,

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes

errans ad milites deuenit; quos statim atque vidit, ad fugam cōuersus est: quem illi prædæ gratia insequuti, aquam ex insperato nacti sunt. Hæc seu non absimilia apud Higinum leguntur. Cum aries hac sit præditus natura, optima ratione Poetæ finxisse videntur, Phrixum & Hellem in exsilium eiectos, vt vagarentur, a Nephele eorum matre fuisse arieti impositos. Ouidius lib. 3 Fastorum,

Vtq; fugam capiant, aries nitidissimus auro.
Traditur, ille vehit per freta longa duos.

Adhæc Arietis signum obscurum esse traditur, ex qua ratione Aratus inquit, Cicerone interprete,

Quis comes est Aries obscuro lumine labens.

Eamque ob rem, vt Higinus refert, dicitur Mercurius Deltotum sidus delta literæ trianguliq; forma præditum, supra caput Arietis posuisse, vt huius splendore, quo loco esset Aries, non admodū conspicuus, significaretur. Vagum autem & peregrinum fuisse Homerum, ex vitæ eius lectione satis est manifestum. Pausanias quoque in Atticis talem fuisse Homeri naturam demonstrat, dū in hanc sententiam loquitur, *Homerum vero, Hesiodumque video, vel Regum consuetudinem nactos non esse, vel certo consilio eam contempsisse; alterum ingenii rusticitate, ac erroris tædio; alterum quoniam quam longissime peregrinari voluit, pluris que fecit nominis sui apud multos existimationem, quam potentum pecuniam.* Hæc Pausanias. Hac autem de caussa euatam esse patriæ Homeri incertitudinem, testatur Epiphanius Episcopus Constantiæ *lib. 1. contra hæreses To. 2.* his verbis ex interprete, de Homeri variis patriis loquutus, *Verum, inquit, propterea quod in multis fuerat vrbibus, & patriis, ideo multos ad diuersam narrationem impulit.* Sic Epiphanius. Præter autem patriam, eius quoque parentes, vt testatur Lucianus in Demosthenis encomio, ignorauit antiquitas, cuius rei caussam præbuisse paupertatem crediderim, iuxta illud Terentianum,

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur ipsa.

Tanta autem fuit rei obscuritas, vt Appion Grammaticus Manes euocauerit, ad percontandum Homerum, qua patria, quibusq; parentibus genitus esset. Qui nihilominus, vt Plinius *Nat. hist. lib. 30. cap. 2.* scriptum reliquit, non est ausus profiteri quid sibi respondisse diceret. Quamquam enim viuens Homerus & patriam, & parentes ignorauit, vnde Apollinis Oraculum ea de re consuluisse dicitur; mortui tamen manes diuinitatem, vt antiqui censebant, adepti (pro diis enim defunctorum manes habiti sunt) nullo pacto ignorasse credebantur. Illudque accedit, quod Homerus pro Deo est habitus, cui & templa dicata sunt a quibusdam, *vt apud Strabonem legitur libro 14.* Non solum autem & er-

rauit,

ebris, & obscuritatis ratione sacro, quod Homero fiebat quadrare aries videbatur, sed etiam principis loci, quem inter signa reliqua obtinet cœlestis Aries, vel terrestris in grege. Quamobrem Columella in libro de Hortis, de Ariete,

Signorum, & pecorum princeps caput efferet undis.

Princeps enim Poetarum habitus semper est Homerus, quæ res ariete fortasse a Varrone non de patria loquente significari, dici potest. Quod si affirmet quis, Varronis distichō post Græcos versiculos nouissimo loco apud Gellium adscribēdum videtur. Principatus autem apud Romanos ariete significabatur, Varrone eodem attestante, qui *libro 5. de Lingua Latina* loquitur in hæc verba, *Dies Agonales, per quos Rex in regia arietem immolat; dicti ab Agon', eo quod interrogatur a Principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur.* Hæc ille Ex qua fortasse ratione Vergilius in Bucolicis sibi placens, se cum Arii vim euasit, sub ariete significauit, inquiens,

Aries sua vellera siccat.

Plutarchus in decem Rhetorum vitis, supremum locum ariete significari innuit, inquiens, *Isocratis sepulcro insculptum fuisse arietem cubitorum triginta, in quo esset Siren cubitorum septem, ratione symbolica.* Non solum autem apud Latinos Græcosque hoc significatu aries accipitur, sed & apud Hebræos. Hilarius enim in explicationibus suis in Psalmum *64. & 65.* apud Dauidem, Arietes exponit & intelligit pro Sacerdotibus, Martyribus, Patriarchis, Prophetis, & Apostolis, qui tamquam gregis sancti principes, & duces sint. Quod vero spectat ad Capellam, candidam appellari existimabam, quia marmorea fingatur; & tumulo insculptam tamquam rei occultæ indicem. Quod autem pro indice capra acciperetur, fidem facit Ouidius, dum animalia, quæ in Iunonis festo in pompam ducerentur enumerans, de capro sic canit,

Duxque gregis cornu per tempora dura recuruo,
Inuisa est dominæ sola capella Deæ:
Illius indicio sylvis inuenta sub altis
Dicitur inceptam constituisse fugam.
Nunc quoque per pueros iaculis incessitur index,
Et pretium auctoris vulneris ipsa datur.

Vt etiam Diodorus scriptum reliquit, capra Delphici oraculi locum, cui tripos mox fuit impositus, inuenit. Caranus etiam, siue, vt Eusebius habet, Cranaūs, iussus Oraculi responso, ducibus capris, imperium quærere, gregem caprarum imbrem fugientium magna Græcorū manu sequutus, vrbem Edyssam, vt Iustinus *lib. 7.* testatur, occupauit, quam Ægæam ἀπὸ τῶν αἰγῶν, id est a capris, appellauit. Sunt capræ solertes, vt eo exemplo, quod ex Muciano Plinius *Natur. hist. lib. 8. cap. 50.* refert, satis docemur. Aliquando in eam sum adductus sententiam, vt capra, Homeri patriam

optime demõstrari censerem. Homerum enim Syrum a quibusdam creditum esse refert Athenæus *Dipn. libr.4. cap. 18.* & Syrias capras præcellentes, ac in precio habitas, apud eundem *lib. 1. cap. 25. & lib.12.cap.9.* legimus. Syrium autem fuisse, illud esse argumento, Meleagrũ Gadaræum, idem auctor scripsisse refert, quod pro patriæ suæ consuetudine, omnes antiquos a piscibus abstinere fecerit, cum eorum vis ingens esset circa Hellespontum. Syrios ob patrias leges a piscibus abstinuisse, idem testatur *libr. 4. cap. 6.* cui Porphyrius Philosophus in libris De abstinendo ab animantibus, adstipulatur. Quod spectat ad relatum Meleagri argumẽtum, illud obiter est obseruandum, aliam longeq; plausibiliorem a nonnullis afferri rationem. Dio enim Chrysostomus *Oratione 2.* quæ de Regno inscribitur, ait, hoc esse ab Homero factum fortitudinis caussa, quæ ex bubularum carnium, quibus vescentes Heroas inducit, conciliari soleat, quam rem & a Platone adnotatam cõmemorat L. Christophorus Bœthicus, Antonii Nebrissensis non indoctus auditor, idem Varronis epigramma longa commentatione, quæ cum eiusdem Nebrissensis libris excusa legitur, quamque Franciscus Luisinus vir eruditissimus *lib. 2. Parergon cap. 17.* magni facit, explicare apertumque reddere conatur. Ea est huiusmodi, a me quibus oportuit locis, partim contracta, partim vero aucta, & roborata, vt ex collatione deprehendes. Vt Firmicus in Mathes, & Cleonides in signorum momentis auctores sunt, Aries inter signa cœcus est, tametsi signorum omnium sit directissimus dux. Vnde Aratus,

Quis comes est Aries obscuro lumine labens.

Et Auienus in Phœnomene de Ariete loquẽs, *Semper*, inquit, *propriis caret ignibus.* Germanicus etiam in Fragmentis.

Clara vero non illi est facies, &c.

Cur Arieti similimus fuit Homerus cœcus & ipse, vt Plutarchus, Martianus, & prius Halicarnasseus, literarum monimentis prodiderunt. Vnde nomen adstructum illi fuit. nam Cumani, & Iones etiam, vt Plutarchus vult, τοὺς τυφλοὺς (inquit Halicarn.) ὁμήρους λέγουσιν. *CAPELLA.*] Cleonides, & Firmicus locant Capellam in trigesimo Arietis gradu, montalibus influentem mentis concussionem, animique vertiginem. Quo fit vt quos horoscopo inuadit, rerum ii facile satagant, & machinando sollicitentur, vexenturque. Id quod Homero vsuuenit. nam proposito sibi a piscatoribus, vel piscatorum ministris ænigmate, quod in hæc verba fuit, ὅσσ' ἕλομεν λιπόμεσθα, ὅσσ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα. cogitãdo exanimatus est. Et si Halicarnasseus de Homeri morte aliter sentit. sic enim inquit, ἐκ δὲ τῆς ἀθυμίας ταύτης συνέβη τὸν Ὅμηρον τελευτῆσαι ἐν Ἴῳ, οὐ παρὰ τὸ μὴ γνῶναι τὸ παρὰ τῶν παίδων ῥηθὲν, ὡς οἴονταί τινες, ἀλλὰ τῇ μαλακίᾳ. Metasthene præterea auctore & Pædiano, suum quemque Deum sacrificium oblectabat, vel cõsentaneum; vel

vel infestum. Hinc Baccho caprum, & Dianæ canem immolabãt antiqui. Faciũt igitur Homero sacra apud tumulum siue re congrua, & simili, vt Ariete cæco, siue *re infesta*, vt Capella, cuius vertigine, vt plerisque placet, periit Homerus. Construe ergo, *Hoc indicat tumulum Homeri, quod faciunt sacra capella candida, ariete mortuo, id est, mactato.* Est autem dialecton figura, & oratio coniunctione destituta. Sed quorsum hi versus, & quo modo ad rerum seriem spectant, quæ de Homeri solo natali aliquid vt afferatur requirit? Berosus *lib 8. Antiquitatum*, vni cadaueri, vno holocausto sacrificasse antiquos testatur. modo vero rei dubiæ, hoc est, Homero, cuius stirps dubia est, vel natale solum ignoratur. Varro dicit fieri sacrificium re dubia, id est, capella & ariete, & sic particula *Quod*, pro *Quia*, accipitur; vt sensus sit, *Hoc indicat tumulum esse Homeri, cuius est stirps dubia, quia faciunt ei sacra sacrificio ancipiti.* Atque hæc quidem ex Christophoro illo Bæthico. Cum de huius epigrammatis interpretatione pridem disererem cum eruditissimo viro Quinctino Acanthio, cœpit ille contendere, corruptum esse posteriorem versiculum; ac pro ariete, legendum esse *leta*. satis enim cõstare, in Io insula obiisse Homerum, Iensesq; illi tumulum cõstruxisse. Qua ille emendatione, maxime loco illuxit, meq; in suam facile sententiam protraxit. Sed corruptum esse versiculum, illud me paululum suspicari faciebat, quod verbum *Faciunt*, sibi aliquos, qui facerent sacra, deposcere videretur, nec essent, aut intelligi possent in epigrammate quinam id, quod fieri diceretur, efficerent. In Io autem obiisse Homerum, & sepultum esse, Halicarnassei, Strabonis, Plutarchi, & Suidæ testimonio cognoscitur. Quin Suidas ipse epigramma etiam, quod tumulo inscriptum fuit, apposuit: sic enim inquit; ἐπιγέγραπται δὲ ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ τόδε τὸ ἐλεγεῖον, ὃ ὑπὸ τῶν Ἰητῶν ἐποιήθη χρόνῳ.

ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει,
ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον.

id est, *Inscriptum est autem eius sepulcro huiusmodi elegeium, quod postea ab Iensibus factum est,*

Hac terra sacrum caput abscondit,
Homerum diuinum laudatorum virorum Heroum.

Si ratio carminis constet, possemus sic legere in Varronis inscriptione, *Ara leta.* vt decliuior fuerit librariis lapsus ad errorẽ extrita diphthongo priore, *a*, & posteriore in, *e*, mutata. Aras autem prope sepulcra, & in ipsis aliquando sepulcris construi consueuit-le, in quibus sacra fierent, res non est inuentu apud auctores difficilis. & nos, cum antiquis inscriptionibus, tum veterũ testimoniis satis probauimus in libris nostris de Sepulcris & sepeliendi ritu. Hac recepta vera lectione, ad Homeri tumulum capella alba fieri sacrum ab letis vel Iensibus, quantum coniectura asse-

quor, dixit Varro, tanquam Poetæ Apollini Musisque gratissimo. etenim Apollini capris albis agnatis sacrum fieri Græce more consueuisse, demonstrat Liuius libro 5 Dec 3. Quinquam capræ etiam Ioui immolabantur, vt Aristoteles lib. [illegible] & Herodotus in Euterpe testantur. Aut fortasse capra, lacta beri dicit Varro, tanquam animante manibus Homeri pergrata, cum Syrius esset & Syrios præcellentes capræ, quibus abundabant, nobiles reddidissent. Licet & otius ratione Ienses sib. Homerum vendicent attestantibus Aristotele, & Antipatro in Epigrammate, quod legitur in quarto libro Epigrammatum Græcorum. Quæ res pridem a Christophoro Rufo, iuvene supra ætatis captum Græcarum, Latinarumque literarum, & honestarum disciplinarum cognitione absolutissima prædito, in Antiexegematis suis fuit adnotata; vt erret Iacobus Cruceus Bononiensis, qui in annot. suis, in Græco Epigrammate apud Gellium non ἴος, vt vetusta habent exemplaria, & Gaza in sua versione, sed χῖος legendum esse contendit, quanquam Lucianus in Demosthenis encomio, & alii, Chium quoque dictum fuisse Homerum retulerunt. Videtur vero Varronis hoc Epigramma a Gellio loco huic adscriptum, ad astruendum Aristotelis testimonium, qui ex insula Io natum Homerum tradidit, vt Ienses Homero tanquam vati, & ciui suo parentasse, & iusta fecisse, Varronis testimonio demonstret.

Obseruatum quibus in locis hastas reconderent antiqui. Vergilii locus declaratur. Milites in armis dormientes, terræ hastas infixas, non iacentes, habere consueuisse, atque eam consuetudinem non solum apud Illyrios, sed etiam apud Hebræos esse seruatam. In vocis σαυρωτὴρ, explicatione discrepasse ab Eustathio Pollucem.

CAPVT II.

CVm Homerum aliquando animi gratia legerem, obseruaui antiquos, hastas non vt nunc fit iacentes, aut pendulas, sed intra ligneam columnam reconditas, asseruare consueuisse. Sic enim inquit Homerus Odyss. lib. 1.

Ὣς εἰποῦσ' ἡγεῖθ', ἡ δ' ἕσπετο Παλλὰς Ἀθήνη.
οἱ δ' ὅτε δή ῥ' ἔντοσθεν ἔσαν δόμου ὑψηλοῖο,
ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρὴν
δουροδόκης ἔντοσθεν ἐυξόου, ἔνθα περ ἄλλα
ἔγχε' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἵστατο πολλά.

Id est:

Sic locuta præibat, & sequebatur Pallas Minerua.
Hi autem cum iam intra erant domum altam,
Hastam quidem ferens posuit ad columnam longam
Intra [illegible] ubi alia
Hastæ Vlyssis in [illegible] stabant multa.

Idem

Idem Homerus infra libro decimo septimo.

αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἵκανε δόμους εὖ ναιετάοντας
ἔγχος μέν ῥ' ἔστησε φέρων πρὸς κίονα μακρὴν,
αὐτὸς δ' εἴσω ἴεν, καὶ ὑπέρβη λάϊνον οὐδόν.

Hoc est: *Sic postquam peruenit domos bene habitantes,*
Lanceam quidem posuit portans ad columnam longam:
Ipse autem introiuit, & transiuit lapideum limen.

Ad quam fortasse consuetudinem allusit Vergilius lib. Æneidos 12. dum inquit,

Exin quæ mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus astabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem.

Quem locum Enarratores, ex Homericorum versuum ignoratione, non recte exponunt, & profecto mihi non arridet, quod de columnæ adminiculis dicit Donatus. Non tamen me præterit, antiquos talem seruasse in ædificando rationem, vt in medio columnam ædes haberent, quod indicat Iulius Poll. *lib. 7. cap. 27* loquens in hanc sententiam: Continetur & hic columna domus media. Idem Homerus Iliad. *lib.* 20. in bello a militibus in armis dormituris, hastas terræ infigi consueuisse demonstrat: dum enim describit Diomedem cum sociis in armis dormientes, dicit eos hastas ita habuisse collocatas, vt rectæ starent *ἐπὶ σαυρωτῆρος.* Vt autem Eustathius Homeri interpres auctor est, *σαυρωτὴρ* a Græcis dicitur ferramentum quoddam, in quo humi defixo, collocabantur hastarum calces. In qua re tamen discrepat a Polluce, qui *lib. 1. cap. 10 numero 6.* sic loquitur ex interprete. *Theca vero hastæ δουροθήκη. Partes vero, extremum quidem σαυρωτὴρ, iaculi manubrium, medium vero ἀγκύλη. &c. Et lib. 10. cap. 31. Hastaque pars inferior σαυρωτὴρ, styrax, styracium: receptaculum vero hastæ theca.* Hæc Pollux. Σαῦρος lacertam Græcis significat, cuius fortasse formam ferramentum illud *σαυρωτὴρ* referebat, vt cum hastæ extremitas videretur, cauda terræ infixa. aut vox est deprauata, & non *σαυρωτὴρ*, sed *σταυρωτὴρ* est scribendum quod hoc ferramentum *σταυρὸν*, id est, lignum illud duplex, quod currui subiiciebatur, & Latini *furcam* appellant, forma referret, vt binas hastas humi defixum, non absimile candelabris binarum capacium candelarum, contineret. Lignum autem illud *σταυρὸν* a Græcis dici, commemorat Plutarchus *problemate 6*. Cur autem hastæ ita haberi consueuissent, declarat Dio Chrysost. Orat. 2. *de Regno*, loquens in hanc sententiam, *Diomedem vero valde dure recubantem super tergore bouis agrestis, fixis in terra ... hastis, non ornatus gratia, sed vt parata ad aciem, tenuem esse ...* Hæc Dio. Hanc defigendarum hastarum consuetudinem obseruauit Aristoteles, qui in Poet. inquit, sua etiam ætate apud Illyrios fuisse seruatam. Illyriis autem imperauit Diomedes, & Dio-

nedeq; insulæ e regione sunt Illyriorum Quidam eruditissimi viri hanc consuetudinem apud Illyrios duntaxat fuisse, scriptum reliquerunt: verum ego & apud Hebræos eandem fuisse, demonstrari arbitror Samuelis *lib.1.cap 26.* Sic enim in eo legitur, *Venerunt ergo Dauid & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terram ad caput eius, &c.*

Quæ fuerint apud antiquos fasciæ crurales, & pedules; quibusq; illi vsi sint calceis. Crepida vnde dicta. Feminalia tibialiaq; priscis nulla fuisse.

CAPVT III.

QVærebat a me Bartholomæus Magius frater meus, bonarũ literarum studiosissimus, quæ nam essent fasciæ crinales & pedules, quarum Vlpianus *l. Argumento ff. de Auro & argento, &c. legatis*, meminit. Respondi minime synceram esse in ea lege verborum Vlpiani lectionem, tametsi Beroaldus in Commentariis suis in Apuleii Asinum synceram putauerit, & Marinus Becichemus *cap.78. Quæstionum Epistolicarum* legat, *Crinales pedulesque*, cum legendum sit *Crurules*, vel, vt habet Florentinum exemplar reuerendæ vetustatis, *Crurales*, nullo discrimine. Quam lectionem Alciato *libr.1.* Præter probatam, præter antiquorum codicum fidem, ratio subiectæ materiæ etiam tuetur, quia Iureconsultus subdat pedulium mentionem, & eo loci de muliebribus ornamentis non loquatur, ad quæ fasciæ crinales spectant. Hac in re cum ille mihi assentiretur, hæc fere tunc in medium adduxi. Crinales quidem fasciæ siue vittæ, vsui erat vt hodie, mulieribus ad capillos colligandos compescendosque. Varro *lib. 4. de Lingua Latina*, loquens de mulieribus ornamentis, sic inquit, *Tæsta fasciola, qua capillum in capite colligarent, &c.* Mulieres autem capillos ita colligantes, eos in orbem voluebant: quamobrem Iuuenalis Satyra 6.

——altera læuum

Extendit, pectitq; comas, & voluit in orbem.

Quam rem etiam num antiquæ nobis statuæ ostendunt. Non solum autem crinales fascias mulieres vsurpabant, sed & mammillares Pollux lib 7. cap.14. *Porro mammillarum muliebrium cingulum, fasciam, vel fasciolam vocarunt, &c.* Nunc quod attinet ad fascias crurules, dico has fuisse longas quasdam vittas laneas aut etiam lineas, quibus antiqui ad contegenda conuestiendaque crura, vtebantur, eas complicando volumine rotundo & simplici intextoq; nonnunquam, & alterno, quod expressum conspexi in statua, quamquã non admodum vetusta, in quodã angulo Palatii Diui Marci Venetiis: vel etiam quibus tibialia laxiora socculosque comprimerent, retinerentq; ne diffluerent ac dilaberentur. qua figura visuntur in antiquis statuis, leoninis quibusdam capitibus ad cru-

ad cruris mediũ fere, quousq; pertinebant tibialia, insignita. Huiusmodi fasciarum mentionem non solum apud Vlpianum, sed apud Valerium Maximum, Quintilianum, Ciceronem, & alios auctores reperies. Cicero de Aruspicum responsis, *Muliebres,* inquit, *soleæ, purpureaq; fasceolæ.* Et ad Atticum, *Etenim mihi eius caliga, vt fasceæ cretata, non placebant.* Fascias non absimiles auro redimitas vsurpasse sponsas, demonstrat Seneca in Hippolyto, de sponsa loquens his verbis,

Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco.

Quo loco illud ἐν παρέργῳ est adnotandũ, luteum colorem nouis nuptis fuisse in vsu. Quamobrẽ Plin. *lib 21. Nat hist. cap. 8.* inquit, *Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis, totum fœminis cõcessum, &c.* Fascias in calceatu vsurpasse priscos, scribit Varro. Plinius *l. b. 8. cap. 57.* mures ait Carboni Imperatori fascias, quibus in calceatu vtebatur, arrosisse, quæ res exitiũ portenderit. Apuleius *lintaeorum calceorũ* meminit: hos *pedulia* appellatos esse, docet Cornelius Fronto his verbis, *Pedale,* inquit *mensura est pedis, pedule vero sub pedibus præstat vtilitatem.* Quo fit vt suspicer apud Vlpianũ legendum esse *Pedulia,* pro eo quod habet *Pedules*: & si pedales etiam fascias habuerunt antiqui, quarũ etiam meminit Iulius Pollux *lib 7 cap. 22.* loquens de calceorum speciebus. Tibialibus & femoralibus nullis prisci vtebantur, vt apud Homerum, Virgilium, & Ouidium fuit a me obseruatum. Homerus enim Iliad. *lib 2.* sic ait, loquens de Agamemnone.

ἕζετο δ' ὀρθωθείς. μαλακὸν δ' ἔνδυνε χιτῶνα,
καλὸν, νηγάτεον, περὶ δ' αὖ μέγα βάλλετο φᾶρος.
ποσσὶ δ' ὑπαὶ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.
ἀμφὶ δ' ἄρ ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον.

Id est,

Sedit autem arrectus. mollem autem induit tunicam,
Pulcram, nouam, circa autem magnum iecit pallium:
Pedibus autem sub teneris ligauit pulcra calceamenta,
Circum autem posuit ensem argenteis clauis.

Et Odyss lib. 2 in principio.

ὤρνυτ' ἄρ ἐξ εὐνῆφιν Ὀδυσσῆος φίλος υἱὸς,
εἵματα ἑσσάμενος. περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ,
ποσσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.

Hoc est,

Surrexit ex lecto Vlyssis dilectus filius
Vestem induens, ensem autem acutum circumposuit humero,
Sub pedibus vero robustis ligauit pulcra calceamenta.

Vides nullam femoraliũ, tibialiumq; fieri mentionem. Vergilius quoq; Homerũ, vt opinor, imitatus, Æneidos lib. 8. sic cecinit,

Euandrum interea lecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus,
Consurgit senior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis:
Tum lateri, atque humeris, &c.

Nihil Vergilius etiam, vt vides, de femoralibus, & tibialibus. Erant tamen apud antiquos in vsu tibialia siue ocreæ ad munimē. Homerus *lib. 18.* Iliad. loquens de Achillis armis,

τεῦξε δέ οἱ κνημῖδα ἑανοῦ κασσιτέροιο. Id est,

Fecit ei ocreas tenui stanno,

Obseruare hic libet ἐν παρόδῳ, quod licet hæc vox κασσίτερος, stannum proprie significet, Aristoteles tamen in *Poet.* pro ferro accipit, sed male, vt mihi videtur: arma enim antiquitus non habant ferrea, sed ærea, aut etiam stannea propter ferri penuriam. Vt maxime erret Ioannes Tzetzas in Cōmentariis in Hesiodi librum, qui inscribitur ἔργα καὶ ἡμέραι, existimans ferrum priscis fuisse in vsu, χάλκεον autem dictum adiectiue παρὰ τὸ [illegible] τὴν ἀλκήν, id est, a tundenda fortitudine, eorum scilicet qui eo fecerint confossi: quamquam Hesiodo & aliis reclamantibus creddendum esse non negat. Alcæus Poeta æreorum tibialium & cassium meminit in illis versibus, qui apud Athenæum leguntur *lib. 14. Dipn. cap. 11.* & Hesiodus libro citato sic ait loquens de hominibus æreæ ætatis,

Τοῖς δ' ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι.
Χαλκῷ δ' εἰργάζοντο. μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

Id est:

Iis autem erant ærea quidem arma, æreæque domus.
Aere operabantur. nigrum autem non erat ferrum.

Verum nemo miretur ex molli metallo præ ipso ferro, rustica instrumenta, & arma facta esse, siquidem temperatura quadam, vt Proclus & post Proclum Zetzes Hesiodi interpretes testantur, æs ipsum densabant, quo per fabrorum ferrariorum incudum [illegible] [illegible] ferri inuentum sit καὶ τῷ χαλκῷ, inquit Proclus [illegible] [illegible] [illegible] φύσιν μαλακὸν, [illegible] [illegible] πολέμοις [illegible]. Id est, [illegible] (id est, ad [illegible] ferro ad [illegible] [illegible], quod [illegible] natura [illegible] [illegible]. Antiqu[illegible] a more [illegible] consuetudine & [illegible] [illegible] coruscantem appingens [illegible] [illegible] libris cognoscimus [illegible] [illegible] Regum *lib. 1. cap. 17.* Goliath [illegible] [illegible] habuisse, cassidem, ocreas & clypeum. Nunc ad rem [illegible] Homerus [illegible] Achiuos bene ocreatos vocat.

ἐϋκνή-

ἀτρείδαί τε, καὶ ἄλλοι ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοί. Id eſt,

Atridaque, & alii bene ocreati Achiui.

Sed non nimis vetuſtis temporibus, inuenio. Romanos vſos eſſe tibialibus. Iulius Pollux *libro 7. cap 13.* tibialium & ſubligaculorum meminit. Cicero quoque in libris de Officiis, *in ſcenam ſine ſubligaculo neminem*, ait *prodiiſſe*. Suetonius auctor eſt, Auguſtum hyeme vſum eſſe fœminalibus & tibialibus; idemque ait eundem ſolitum eſſe ſibi crura ardenti nuce ſuburere, quo mollior pilus exſurgeret. qua re ſubindicatur aliis temporibus, nudis hũc prodire cruribus conſueuiſſe, nulliſque vſum tibialibus. Fœminalia non fuiſſe in vſu idem demonſtrat in Iulio Cæſare, inquiens Cæſarem vt animaduertit vndiq; ſe ſtrictis pugionibus peti, toga caput obuoluiſſe, ſimulq; ſiniſtra manu ſinum ad ima crura deduxiſſe, quo honeſtius caderet. Hæc autem vſurpabant Scythæ, ob magnam vim frigoris ingruentẽ Dio Chryſoſtomus *Oratione 36.* Calliſtratũ Boryſthenitem fœminalia habuiſſe dicit, reliquumq; veſtitum Scythicum. Virgilii ætate ruſtici ocreis, ſiue tibialibus & peronibus vtebantur, quod ille in Moreto demonſtrat, dum de Simulo ruſtico ſic ait,

Ambit crura ocreis paribus, tectumq; galero
Sub iuga parentes cogit lorata iuuencos.

Perſius *Satyra 7.* aratorem peronatũ appellat. M. Cato, antiquitus perones a ciuibus Romanis vſurpatos teſtatur, his verbis lib. 7. Originum, *Qui magiſtratũ curulem cœpiſſent, calceos mulleos aluntatos, ceteri perones.* Quod pertinet ad calceos, Seruius ad eum Vergilii verſum,

Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Sic ait, Tyrrhena vincula, Tuſca calceamenta. & dicit crepidas, quas primo habuere Senatores, poſt Equites Romani, nunc milites. Ioannes Sarius Zamoiſcius. iuuenis eruditiſſimus, & amicus meus, in libr. *de Senatu Romano*, quos pridem edidit, nugari hic Seruium dicit Mihi quidem non ſit veriſimile Seruium, quæ de calceis dixit, commentum eſſe. & ſcimus diuerſis temporibus diuerſa in vſu fuiſſe. Sane Pollux inter Græcanicos calceos crepidas refert, dicitque eſſe militare geſtamen. Romæ etiam ſtatuæ aliquæ, quæ Senatoriæ, & antiquæ creduntur, crepidas habent, quales apud Gellium *lib. 13 cap 20.* depictas videmus, licet Gellii ætate Senatoribus eſſent indecoræ. Gellii autem verba hæc ſunt, *Omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cetera prope nuda, & tenuibus habenis uincta ſunt, ſoleas dixerunt: nonnunquam voce Græca crepidulas* Sed, vt dixi, crepidas, & crepidulas prima ſyllaba correpta, id genus calceamentũ appellarunt, quod Græci κρηπῖδας vocant, &c. Supra vero Pop. Romani Senatores ſoleatos per vrbis vias ingredi, nequaquam ſua ætate decorum fuiſſe refert. Quales ergo eſſent crepidæ, ſatis

apparet. Hoc vero calceorum genus vinculorum nomine significatur, quod multis habenis & corrigiis inflexis vinciretur, adeo vt plantarum calcibus tantum infime tectis, vincula solum loraque apparerent. Ouidius Fastorum *libr.* 2. muliebres calceos vincula appellat, loquens de Hercule,

Fregerat armillas non illa ad brachia factas.
Scindebant magni vincula parua pedes.

Viriles etiam infra *libro* 3. vincula appellat inquiens;

Ille memor veteris ritus, timidusq; Deorum,
Surgit, habent gemini vincula nulla pedes.

Vnde apud Dionem Chrysostomum *Oratione* 6 quæ Diogenes, vel de Tyranno, inscribitur, pedes obligati, pro *calceatis*, dicuntur. Huc fortasse spectat, quod Zonaras Græcus auctor, quanquam nõ admodum antiquus, ait Patricios in vrbe gestasse calceos adornatos corrigiarum inflexione, & forma litere C. Videtur enim ea corrigiarum inflexio ad vincula prænotata pertinere. Præterea cum Plutarchus *Problemata* 75. de lunatis his calceis agens eos patriciis in vsu fuisse dicat, *Arcadibus id genus calceorum lunatorum præcipuum fuisse affirmans.* Sed de calceis hæc dixisse sufficiat. qui plura legere auet, hic Pollucem adeat, & Volaterranum in *Philologia lib.* 27. Ad crepidæ etymon quod attinet, errant, vt etiam Aldus olim adnotauit, in Horat. qui crepidam a crepitu dictam censent, cum, vt est manifestum, & Gellius testatur, vox sit Græca, & ex voce κρηπὶς, quæ Oribasio *in libro de Machinamentis cap.* 25. basis est, quasi crepida basis sit pedis. Inquit autem Oribasius ex interprete. Fabri organum ad hunc modum sic. *Super basim, quæ κρηπὶς nominatur, pro organo dimensam, statuuntur crura duo. &c.* Magis enim emendate legi posse videtur κρηπὶς, quæ vox basin & calceamenti genus significat teste Phauorino & aliis, quam κρηπιδὶς, vt in vulgatis habetur exemplaribus.

De quibusdam, qui prima concubitus nocte, aedium lapsu perierunt, & de Dæmonum amoribus.

CAPVT IV.

Memoriæ proditum est, Eupolim Niciæ Atheniensis filium, prima nuptiarum nocte, thalami ruina, vna cum vxore oppressum exstinctumq. fuisse: qua de re exstat Græcum epigramma, & Ouidius in opusculo Dirarum, & imprecationum in Ibin sic ait,

Sit tibi coniugis nox prima nouissima vitæ
Eupolis vt periit, & noua nupta modo.

Olim etiam Romæ Q. Sertullius prima nuptiarum nocte ruina domus maritalis lapsu vna cum vxore suffocatus est: vitturque adhuc horum sepulcro insculptum epitaphium, quod in lectoris gratiam referre libuit. est autem huiusmodi,

ASPI-

Digitized by Google

ASPICE VIATOR Q. SERTVLLII ET DVLCICVLÆ SPON. ME Ↄ. RANCILIÆ VIRG. AC POST INDE QVID FACIAT LICENTIOSA SORS LEGITO. IN IPSA FLORIDA ÆTATE CVM ACRIOR VIS AMORIS INGRVER. MVTVO CAPT. TAND. SOCERO ET M. SOCR. ANNVENTIB. SOLEMN. HYMEN. NVPT. COPVLAMVR. SED O FATVM INFELIX NOCTE PRIMA CVM IMPORT. VOLVPTATIS EX LL FAC. EXSTINGVERE ET D. M. V. VOTA COGEREMVR REDDITIS HEV IPSO IN ACTV DOM. MARITALIS CORRVENS AMBOS IAM EXTRE. CVM DVLCITVDINE LETISS. COMPLICATOS OPPRESSIT FVNESTAS. SOROR NEC NOVI QVID FECISS. PVTA. NON ERAT IN FATIS TVM NOSTRA LONGIOR HORA. CARI PARENTES LVCTV NEC LACRYMIS MISERA AC LARVATA NOSTRA DEFLEATIS FVNERA NE REDDATIS INFELICIORA. AT VOS NOSTROS DIVTVRNIORES VIVITE ANNOS. OPTIME LECTOR AC VIVE TVOS.

D. M.

Abhinc tres annos mulio quidam Subianensis, Cornix nomine, qui literas etiam, quas ad me Bononia dederat Paulus Ligius meus, perferebat, cum in agrum Oppidi Diui Ioannis, Vallis Arni aduenisset, subito coortum imbrem fugiens, diuertit ad mulierculam quandam, quam cum noctu cognosceret, domus lapsu cum ea est exanimatus. Superioribus annis Neapoli, sponsus quidam cum virginem sponsam, mulierem reddere conaretur, ligneo orbe, a quo conopeum pendebat, in caput eius delapso, occubuit. Dum olim Patauium obsideretur, cum tormento, quod *mortarium* vocant, saxeæ pilæ tricenarum librarum e Maximiliani exercitu in altum proiicerentur, ita tormenti commoderata inclinatione, vt in propugnatorum domicilia deciderent, miles quidam Marci Manini Anglarensis, qui rem mihi narrauit, contubernalis, vna cum scorto sibi substrato, pila impetu incredibili eo prolabente, extritus est. In libro Tobiæ legimus, *Dæmonem nomine Asmodeum, septem viros Saræ Raguelis filiæ sponsos, simulatque ij si se miscere voluissent, enecasse.* Hæc nonnulli non tam casu, quam ex Dæmonum Zelotyporum ira, euenire contendunt. Eos enim esse animalia aerea, animo passiua, vnde & etiam amare. Quin apud Philostratum *lib. 3. de vita Apollonii Tyanei*, literis proditum esse, Dæmonem pueri cuiusdam amore captum fuisse. Noui Anglare Amerinum cucullatum ex Eremitarum Diui Augustini familia

qui se antequam ad sacros ordines promoueretur, a Dæmone ad-
amatum diceret, & sæpe osculis petitum, & ab eodem zelotypo a-
liquando male habitum. Statim vero atque [illegible] or-
dinibus, ait nullas eius se expertum amplius [illegible]. Sympho-
rianus Camperius Praxis lib. 2. capit. 7 de concubitu Dæmonum
cum mulieribus, aut etiam cum viris sub muliebri imagine, mul-
ta refert. Qua de re & Theologi quos Scholasticos appellamus, &
auctor *Fortalitii fidei lib. 5.* non pauca scripserunt, quæ hic referre
non videtur operæ precium. Ego & si Dæmones, qui, vt Augu-
stinus ait, *libro 15. de Ciuitate Dei*, improbi sæpe mulieribus calli-
[illegible]t sic feruntur, Succubosque etiam, qui virorum [illegible] cum falli-
liat, reperiri non negauerim (multis enim antiquus hostis vt ho-
mines decipiat, trahatque in ruinam, technis vafram [illegible] vti-
tur) vt alias testatus sum, ita cum Diuo Thoma *in Quæst. d. Ma-*
lo a 17. quæ est, de *Dæmonibus*, existimo nullum aereum posse
esse animatum, eamque ob rem Dæmones non habere corpora
naturaliter sibi vnita, eo quod corpus organi formam non queat
adipisci, nisi ea sit præditum natura, vt termini figuræque limiti-
bus possit circumscribi, quod, vt in confesso est, aeri non conuenit:
& vt Aristot. ait *lib. 2. de Animal.* nullum corpus animalis simplex
esse potest. Dæmones vero non amare, licet aliquando amari ze-
lotypique videri velint, sed vere μισανθρώπους, hominibus semper in-
fensos esse, atque eorundem animabus insidiari arbitror.

Sanguinem, qui in occiso homine infrixit, planeque fluere desiit, si intra aliquot horas occisor accedat, e vulneribus rursum manare. Qui huius rei caussas perquisiuerunt, vel rei meminerunt, auctores omnes demonstrantur, & Galeoti Martii ac aliorum quorundam sententia exploditur.

CAPVT V.

MVltorum non modo ex Iureconsultis nostris, sed Philoso-
phorum, Medicorum, aliorumque scriptis posteritati pro-
ditum est, occisi hominis corpus in quo sanguis [illegible] planeque
fluere desiit, si mox confector adsit, iterum sanguinem manare: quæ
res in multa hominum memoria obseruata, expertaque in cada-
ribus plerisque, maximo miraculo sit. Quo tamen pertinere non-
nulli censent hæc Lucretii carmina lib. 4.

—— *libido*

Incitat irritans loca turgida semine multo,
Idque petit corpus, mens vnde est saucia amore.
Namque omnes plerumque cadunt in vulnus, & illam
Emicat in partem sanguis, vnde icimur ictu,
Et si comminus est, hostem ruber occupat humor.

Eodem quoque pertinere volunt quod lib. 17 Iliad. dicit Homerus
de Euphorbi cadauere, homicida Menelao præsente,

in-

Ἕκτορα δ' αἰνὸν ἄχος πύκασε φρένας ἀμφὶ μελαίνας·
πάπτηνεν δ' ἄρ' ἔπειτα κατὰ στίχας, αὐτίκα δ' ἔγνω
τὸν μὲν ἀποαινύμενον κλυτὰ τεύχεα, τὸν δ' ἐπὶ γαίῃ
κείμενον· ἔρρει δ' αἷμα κατ' οὐταμένην ὠτειλήν. id est,
Hectorem autem grauis dolor cepit mentes circa nigras.
Circumspexit autem postea, statim autem cognouit.
Hunc quidem auferentem inclyta arma, hunc autem in terra
iacentem; fluebat autem sanguis in percusso vulnere.

Quo in loco loquitur de Menelao, qui Euphorbum trucidauerat, eique iacenti arma adimere volebat, quod Hectore Apollinis monitu, intercedente, quo minus faceret, impeditus est. Miraculi huius caussam perquirit Thadæus Florentinus *in Explicationibus suis in Isagog. Ioannitii*. Eandem pertractant Henricus Gandauensis in *suis appellatis Quodlibetis*. Ægidius Romanus *Quæst. 25. quinti Quodlibet*: Ioannes Maioris *in lib. 4. Sententiarum Dist. 15. Quæstio. 14.* Auctor libri peregrinarum *Quæst. Decade 3. Quæst. 6.* Ficinus *lib. 16. de Immortalitate animorum capit. 5.* Galeotus Martius *in libro de Doctrina promiscua capit. 22.* Auctor innominatus Problematum quorundam, quæ falso Aristoteli adscribuntur: Ioannes Langius *in volumine suo Epistolarum medicinalium Epistola 40.* & Leuinus Lemnius *lib. 2. de Occultis naturæ miraculis, capu. 7.* qui duo postremi hac de re scripserunt. Eiusdem rei meminerunt Gaudentius Merula *Rerum memorabilium lib. 4. capit. 18.* qui præsente occisore, sanguinem ex occisi hominis vulnere, intra curriculum duntaxat horarum septem, ab occisi nece, effundi testatur. Petrus Pomponatius *in libro de Animorum mortalitate ad mentem Aristot.* Paris Puteus *in tractatu De Syndicatu, in verbo Tortura*: dicens hoc fuisse Romæ obseruatum eo tempore, quo occisus fuit Cardinalis Sancti Marci: Hippolytus Marsilius, qui hoc pacto se homicidam aliquando deprehendisse affirmat, *in sua Praxi. §. Diligenter. numero 81.* Marcus Antonius Blancus in *Comment. in l. finalem numero 408. ff. de Quæstionibus*: Lodouicus Carerius *in Principio suæ praxis numero 140.* & Franciscus Casonus Opiterginus *in Tract. de Indiciis & tortura.* In quibus auctoribus perquirendis penitusque excutiendis, partim vsus sum opera clarissimi iureconsulti Ioannis Galli Tifernatis, amici mei, in quo incredibilem honestarum omnium disciplinarum cognitionem suspicio, & non vulgarem erga me amorem magnifacio. Quæ ab his afferuntur, referre omnia, & in disquisitionem vocare, quod huius loci spatiis iniquis excludat (iustum enim res ipsa sibi volumen deposceret) non est consilium. Dicam tamen nonnulla quam potero breuissime, quorundam opiniones eludendo. Martius miraculi huius caussas adducere satagens, sic inquit, *Nonnulli ex occisoris, & quidam ex occisi spiritibus hoc accidere arbitrantur; quod absonum est. nam ad sanguinis iam frigifacti motum, non vna pars*

spiritum satis est. sed vtraque concurrit. Cum enim occisor furore a-ctus hominem aggreditur, cuncti spiritus, qui sui sunt, opus iuuantes, in occidendum conuolant, sicuti de more eorum est; itidem qui hominis trucidandi in occisorem tendunt, quo ira corporis sui prosilit, ita vt in occisorem volent, vbique viuant. Cum ille occisus est, sanguis iam frigefactus fluere desiit: sed comparente occisore spiritus vtrinque di-uerso motu agitantur; quilibet suum corpus repetens, motum facit, vnde & hominis occisi spiritus redeuntes, sedemque suam repetentes, & occisoris recedentes, vt ad corpus redeant, faciunt motum eius rei, quam habitant, habitant autem sanguinem. Et hoc pacto sanguis iam frigidior, & ad fluxum ineptus, ab occisoris, & occisi spiritibus, vt multiplicata agitatus, rursus fluitat. Estque illis tantus proprii corporis affectus, vt plerumque latitantem hominem, sed proxime exsistentem, intra tempus quod assignauimus (tot enim horis vi-uunt) recognouerint, ac repetiuerint. Hoc autem non in omnibus oc-cisis, sed in plerisque euenit: quoniam quorundam natura, ita debi-lis est, vt eorum spiritus vno momento conflaccescant. Necesse ergo est corpora vbi hæc fieri debent, sint calidiora, quoniam calore, spiri-tus conseruantur. Hactenus Martius, qui hæc se plerumque oculis vidisse, & Græciam de Patroclo hoc idem affirmare ait, *Hectore homicida comparente*: volens (vt opinor) significare prænotatum Homeri locum. In qua re memoriæ vitio laborauit, nam Home-rus non de Patrocli, sed Euphorbi corpore loquitur. Sed dicat Martius, quando aliquis inermis ex insidiis subito confossus tru-cidatur, qui non tam ferro, quam timore prosternitur, quo hic pa-cto spiritus suos in trucidantem, in quo viui asseruentur, possit e-iaculari; idemque illi viuus venire queat. qui aduersus, vel etiam so-mno demersus, gladio transfoditur; quos tamen præsente homi-cida, sanguine manare compertum est. Præterea, si Martium au-diamus, esset dicendum, eum, qui graue vulnus noctu vel etiam interdiu ab ignoto hoste accepit, nec occubuit, cum fluere desiit sanguis, mox præsente eo, qui vulnus intulit, & si dormiat vulne-ratus, vnde mortuo quodammodo exæquatur, spiritibus hinc in-de proprias in sedes commigrantibus, sanguinem vulnere emissu-rum. quod tamen non videmus vsu venire. Adde quod tauri in harena & publicis spectaculis sæpe inter iras ab iis, qui sua funera vendere solent, petiti, & tandem trucidati, postquam sanguis refrixit, propius accedente confectore, sanguine manarent, cum & bruta, pro eiusdem Martii in citato capite sententia, spiritus suos habeant. Mihi certe hæc spirituum hinc inde. vel vt Thade-us aliique sentiunt, ex occisore solum in occisum conuolatio, nul-lo pacto fit verisimilis. Verum si eorum fluxum demus, statim e corpore egressi euanescent, vel aeris aut etiam cadaueris frigore abolebuntur, siquidem a calore, vt etiam Martius fassus est, con-seruantur. Huc accedas, quod Physicorum plerique, spiritus hos

natura

naturales, qui ab epate ortum ducentes, venas pulsu carentes, & sanguinem incolant, minime agnoscunt. Duplicem namque spiritum esse dicunt, alterum vitalem, qui a corde per arterias fertur; animalem alterum, qui a cerebro per neruos commeat. Tametsi seniores Galeni Hippocratis, & Auicennæ interpretes, triplicem spiritum ponant. Atqui si & naturalibus spiritibus locum concedamus, erunt hi segniores (non enim vt vitales mouentur) crassioresque, quam qui munia, quæ Martius, atque alii comminiscuntur, obire possint. Aliorum sententia, cuius Pomponatius meminit, habet, hunc sanguinis fluxum inde prouenire, quod anima occisi interfectori indignetur infensaque sit. Sane Plato *Dialogo 9. de Legibus*, in hanc loquitur sententiam, *Fertur enim interfectum vi hominem, qui libere vixit, interfectori proximo statim post mortem tempore irasci, ac propter violentam mortem terrore, turbationeque plenum, maxime si viderit interfectorem inter suos more solito viuere, interfectorem ipsum, eiusque actiones, vim adhuc suppeditante memoria, cunctis viribus terrere atque turbare, &c.* Hinc Ouidius lib. 5. Fastorum, Remi a Celere occisi, vmbram sic dicentem inducit,

Sane Celer crudelem animam per vulnera reddas,
Vtq; ego sub terras sanguinolentus eas.

Et Virgilius Deiphobum apud inferos, necis suæ vindictam precantem facit,

——Dii talia Graiis
Instaurate, pio si pœnas ore reposco.

Suetonius, Neronem sæpe confessum ait, exagitari se matris suæ, quam occidendam curauerat, specie, & verberibus furiarum ac tædis ardentibus, eamque ob rem facto per magos sacro, euocare maternos manes, eosque exorare tentasse. Liuius lib 3. Dec 1. *Virginiæ manes per domos ad petendas pœnas vagatos scribit.* Marianorum animas Syllam solicitasse legimus. Tragœdiæ Orestem a matris vmbra & furiis agitatum agunt. Plutarchus in libro de *Sera numinis vindicta*, & in Cimone, Cleonices a Pausania trucidatæ phasma, Pausaniam assiduis terroribus perturbasse, ac vexasse, memoriæ consignauit. Adnotat eruditione summa ac probitate inclytus præceptor meus Franciscus Robortellus, *lib. 8. de Vita & victu Populi Rom.* sub Imperatoribus Cæsaribus Aug. creditos olim manes cæsorum, pauorem inicere noctu peremtoribus, si per vim, & insidias peremti essent; ideo piacula ad placandos manes adhiberi solita; qua de re nos nonnulla in libris de Sepulcris & sepeliendi ritu. Hæc autem sunt ab antiquis credita, quia corporeis affectibus animas a corpore seiunctas, penitus destitui non putabant, quamobrem Vergil. *lib. 6. Æneid.* inquit,

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes

Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.

Et quæ sequuntur. Sed hæc quoque sententia est improbanda: nam, Theologi prodiderunt, & Scholasticorum antesignanus Thomas, *Quæst. 19. de Anima. & Quæst. 2. de Virtutibus, Quæst. 4.* atque alibi, existimat, post mortem anima a corpore seiuncta, potestates sensitiuas aboleri, superesse vero in anima duntaxat tanquam in principio, aut radice: essentiam namque animæ, potentiarum esse radicem: ideoque eam irasci, & concupiscere posse, si tenerum corpori indatur. Si ergo iam a corpore anima sit secreta, interfectori non succensebit, nec irascetur, quod corpore careat, corde, & sanguine, in quibus iræ est officina, cum ira, *teste Aristotele*, sit accensio, vel feruor sanguinis circa cor. Nisi velimus animam postliminii quodam iure in corpus redire, vt de Harmonini Clazomenii anima Plinius *Nat. hist. lib. 7. cap. 52.* se inter exempla reperisse dicit, quæ relicto corpore erraret, mox vero in corpus relaberetur. quæ res solo diuino miraculo fieri potest. Homerus quoque Iliad. *lib. 9.* animam postquam efflata est, redire non posse testatur, inquiens.

ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστή,
οὔθ᾽ ἑλετή, ἐπεὶ ἄρ κεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.

Id est,

Viri autem anima, rursum venire neque prædabilis,
Neque accipitur, postquam transiuit septum dentium.

Huc accedat quod idem Thomas *Quæst. 18. & 20.* de Anima, animam postquam a corpore semel digressa sit, in vniuersali (vt eius vtar verbis) omnia naturalia cognoscere posse censet, specialiter vero vnumquodque non item. Augustinus adstipulatur *in lib. de Spiritu, & anima, & de Cura pro mortuis agenda*, dum inquit: *mortuorum spiritus in eo loco esse, vbi quæ in hac vita aguntur, omnino quæ mortalibus contingunt videre vel audire non possunt.* Quo fit vt peremti animam peremptorem præsentem cadaueri, videre, aut cognoscere nequeat. At dices sanguine scatere vulnera, quod anima, quæ abesse creditur, penitus in præcordiis, quo sanguis se recepit, delitescat. Sed si abdita eo lateat loco, qua ratione corporis sensibus iam absolutis, præsentem esse homicidam intelligere potest? Cum hominem, qui bene habet, somnus complexus est, cur anima, hostium rerumque noxiarum in corpus ingruentium præsentiam non sentit? Cur etiam, eo vigilante, nisi sensuum corporis adminicula præsto sint, hostes, & quæ sint nocitura non videt? Profecto ea de anima asserere, non est rationi consentaneum. Arbitrabar aliquando, id miraculum, quo de agimus, accidere ex motrice quadam vi tanquam ex occultis animæ vel corpore procedente, quæ sympathiæ cæca vi sanguinem ciere posset: huius enim caussa multa etiam inanima trahi allicique, auctores grauissimi

affirmant. Quin non pauca, quæ a corpore nostro absunt, in nobis mutationes parere videmus, oscitationē alterius, nos ad oscitandum impellere, fascinantium oculos pueris, quin pecori (vt quidam contendunt) etiam obesse; luporum aspectum vel præsentiam raucos nos reddere, stridorem limæ ferrum terentis, acrimoniam cæparum, quas sodalis comedat, dentibus molestiæ nō modicum conciliare, rubrum colorem conspectum reuocare e naribus sanguinem; vulnerum ingentium aspectum oculis tenebras offundere, animique deliquium quoddam quibusdam parere, huiusque generis alia multa, quæ breuitatis gratia missa facio. Auicenna *Can. 1. cap. de* Animæ accidentibus, & *lib. 5. de Naturalib. part.* 4 pro robore imaginatiuæ virtutis multa, quæ supra veri fidem sunt, cōtingere ait, ideoque animam viui, alterius corpus transmutare aliquando, quod anima (vt etiam *Algazel* scriptum reliquit) constans ex nobilibus principiis, ditioni suæ subiectam habeat materiam. Sed hæc Auicennæ eiusque asseclarum opinio, a Peripateticis exploditur, quod anima viui nullam cum alieno corpore habeat communionem: ex communione autem materiæ actionem passionemque admitti. Lege quæ scripta reliquit insignis vir, at bene doctus Thomas Garbus *lib. 2. Summæ medicinalis, Tract. 4. Quæst. 11. & libr. 1 Tract. 5 Quæst.* 31. quæ enim & nobis in mentem venerunt, parum ad rem facere intelliges. Quamobrem nisi ad miracula confugiamus, certi quicquam quod afferam, me non habere ingenue fateor.

Aristotelem super Austri, qui ad nos peruenit, origine discrepare a cæteris omnibus auctoribus, quin etiam sibi ipsi parum constare.

CAPVT VI.

ARistoteles *libro secundo Meteor.* Austrum, qui nostras perflat regiones, a locis Antarctico polo subiectis flare negat; ventos enim, qui a regionibus illis oriuntur, nostra in loca penetrare non posse contendit. Contrarium tamen, quasi sibi ipsi parum constans, eodem libro (vt alii etiam animaduerterunt) demonstrat, & Problemate *decimo, vndecimo, duodecimo* 17. & 21. *sectione* 26. idem manifestius ostendit. Auctor quoque libri, qui de Mundo ad Alexandrum, inscribitur, Austrum ex occulto nobis vertice illatum, cum Septentrionali quasi colluctari ait. Indidem Austrum oriri vetustissima fuit Hippocratis sententia in libro de *Aere, aquis & locis, & libr. 2 de Diæta, siue victus ratione*; quem Macrobius *lib. 2. in somnium Scipionis cap. 3* & Gellius *lib. 2.* 21. *Noct. Atticarum cap.* 30. & alii sequuti sunt. Ab ea etiam non abest Ouidius *lib. 4. de Ponto Eleg.* 10 sic inquiens,

Hinc oritur Boreas, oraque domesticus huic est,

Et sumit vires a propiore loco.
At notus aduerso, tepidus qui spirat ab axe,
Est procul, & rarus, languidiorq; venit.

Quo nouissimo versiculo maxime Hippocrati astipulatur, qui ventos a calidis adspirantes regionibus, ad Riphæos montes, valde penetrare negat, nisi parumper, & debiles. Quamobrem videre nescio, quæ Aristotelem caussa impulerit, vt iam tum Hippocratis ætate receptam de primordiis Austri, qui aerem nostrum perflat, sententiam, abiiciendam putaret; nisi fortasse a montibus altissimis, qui mediam aeris regionem, ex qua venti spirare incipiunt, superare dicuntur, impedire existimauit. Libro namque primo Meteor. ventos non supergredi altos montes affirmat. Quod argumentum tanto Philosopho mihi indignum videtur, cum & si ipse, aliique auctores prodant, montes aliquot tam alte vertices extulisse, non ideo quominus venti qua pergebant, impetu magno procurrere possint, illi sint impedimento. Sunt enim montium illorum vertices instar arborum, aut scopulorum, qui fluminibus interiecti sint, qui tametsi aquas dum immoti persistunt; parumper abscindant, nullo tamen pacto earum defluxũ sistunt. Veterum opinionem maxime fulcit Solomon, qui Ecclesiastis *capit. 1.* ventos a diuersis mundi plagis surgentes meare, & in suos circulos reuerti dicit:

Pellium, quibus frigora propulsari solent, quis vsus, & quo tempore fuerit apud antiquos.

CAPVT VII.

PEllicearum vestium, quibus frigora arcentur, si seculum aureum excipiamus, plerique nullum fuisse vsum existimant, eo quod Plinius diligens homo, & doctus, qui, vt Raphael Volaterranus inquit, omnia exsequitur, atque alii, nullam prorsus de his mentionem faciant. Accedit eo, quod Suetonius literis prodidit; Augustum se præmunire solitum aduersus vim frigoris, tunicis quaternis, cum pingui toga, & subucula, thorace laneo fœminalibus & tibialibus. quod hic imperator neutiquam fecisset, si indumenta ex pellibus, quæ & melius, & commodius nos a frigore tuentur, fuissent in vsu apud nobiliores ac principes viros. Concinit quoque Martialis, his versiculis, loquens de diuite bene vestito;

Optat & obscuras luces, ventosque niuesque
Propter sexcentas Baccara gausapinas.

Et alibi,

Mense vel augusto sumere gausapinas.

Lucretius lib. 5. de priscis hominibus,

Tunc igitur pelles, nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam belloque fatigant:

Quam-

Quamquam Liuius *libr. 5. Dec. 1.* Romanos in Veiorum obsidione, pellibus tectos, hyemare cœpisse ait. Hi enim pellibus quibusdam rudioribus, priscorum, vel Getarum Sarmatarumque more vsi videntur, quas nulli in vrbe vsurparent. Vsum tamen pellium, in vestitum postea irrepsisse, satis liquet: siquidem Seneca in Epistolis, pelliculárum vulpium, muriumque (has *Zibellinos* atq; *Armellinos* vulgo nuncupant: & Volaterranus fuisse putat, & si *Zibellini* maiores sunt, quam quibus murium nomen conuenire potuisse videatur) quæ ad frigus arcendum compararentur, mentionem facit, Pelliculas, inquit, vulpium ac murium, frigoris causa, &c. Vlpianus quoque, & Paulus Iureconsulti, pellicearum vestium vsum agnoscunt. Vlpianus enim *l. Vestu. ff. de Auro, & argento leg.* de vestimentis agens, sic loquitur, *Familiaria sunt, quæ ad familiam vestiendam parata sunt, sicuti saga, tunica, penula, lintea vestimenta, stragula, & cetera similia: vestis ex pellibus constabit. item pelles caprina, & agnina vestis erunt.* Paulus vero in lege subiecta, *Cum, inquit, & tunicam, & stragulam, & pelliceam nonnulli habeant.* Hæc ille. Iulius Pollux *lib. 7. capit. 15* pellicearum vestium vsum demonstrat, dũ loquitur in hanc sententiam, *Erant*, inquit, *& vestes coriacea, & tunica ex pelle ——— Sysira autem tunica coriacea pilosa, manicata, & habitus Scythicus.* Hæc ille. Pellicearum autem vestium vsum non admodum frequentem fuisse arbitror, magisq; ad tenuis fortunæ homines, ad seruos & agricolas, quam ad patricios pertinuisse. Nullæ enim statuæ, quas ego vnquam viderim huiusmodi vestitum præ se ferunt, raraque eius apud auctores mentio visitur præter quam cum de priscis mortalibus, aut Scythis, reliquisque Septentrionalibus hominibus agunt, qui maxime frigoribus vrguntur: aut de his, qui agrestes mores penitus non abdicauerant. Talibus enim vestibus primi homines vti cœperunt, quod cuique essent obuię, & nulla arte nulloque labore pararentur. Scriptum Moses reliquit *Gen. cap. 3* Deum fecisse Adam, & vxori tunicas pelliceas. Quamquam Origenes; vt *Epiphanius in libro Ancyroto testatur*, allegoricos & non sine errore has tunicas pro Adam & Euæ carne accepit. Priscos huiuscemodi vsos vestibus, aiunt Lucretius *lib. citato*, & Iuuenalis *Satyr 6.* Pellitos fuisse Aquilonares, non semel testatur Ouidius. Vlpianus quoque *in l. argumento ff. de Auro & argento leg. Varro lib. 2. de Rerustica capit. XI. Virg. Georg. libro tertio, Iustinus histor. libr. 2 adstipulantur.* Iustinus quidem sic inquit de Scythis, *Et quamquam continuis frigoribus vruntur, pellibus tamen ferinis, aut murinis vestiuntur, &c.* Cæsar *libr. 6. de Bel Gal.* Germanos pellibus, aut paruis rhenonum tegumentis vsos, fidem facit. Varro Sardos quoque & Græcos antiquos, caprarum pellibus, Dio Chrysostomus in fabula Lybica, Lybissas rhenonibus integi, consueuisse, demonstrant. Miron Prieneus apud Athenæum *lib. 14 Dipnos.*

cap. 29. Helotas Lacedæmoniorum seruos caleos ex canina pelle gestare, & rhenonibus indui, per contumeliam fuisse coactos, prodidit. Clio & Beroe Nymphæ, pellibus incinctæ inducuntur a Virgilio Georg. *libro* 4. *Æneidos lib.* 1. Romulus lupæ pelle *lib.* 5. Acestes pelle Lybistidis vrsæ vestiuntur. idem *lib.* 8 Æneam strato locauit effultum pelle Lybistidis vrsæ; & antea in Herculis sacris, mensæ super leonis pelle (Hercules namque ex Leonina pelle vsus indumento dicitur, talisque fingitur, inquit Fest. *libr.* 14. vt homines cultus antiqui admoneantur) accubantem fecit. Pellem caprinam Iunonis amiculum dicit Festus *lib.* 6. *Plutarchus in Problem.* Lares, canum pellibus apud Romanos indutos testatur. Produnt Mauros Leonum Elephantum, vrsorumque pellibus se in bello præmunire solitos. Est quoque a me in antiquorum monumentis marmoreis, æreisque obseruatum, quod nonnulli nostræ ætatis scriptores, de rebus bellicis agentes non omiserunt quosdam in Romanorum exercitu milites, ferarum capitibus detractas pelles pro galeis ad terrorem hostibus incutiendum spectasse.

Pellium vsum in capitiis pileisque inuenio. Plato in Symposio agninas pelles pileis tribuit, cuius rei meminit Pollux *lib.* 7. vbi de pileifico agit. Athenæus quoque *libro* 6. *Dipnos. capit.* 8. mentionem facit pileorum villosorum ex ouium pellibus. Festus *libr.* 14. retulit capitia ex pellibus agninis facta, pelcia in Saliari carmine ab Ælio Stilone dicta esse, affirmari, quod Græci vocent pelles pesce neutro genere plurali. Vegetius *libr.* 1. *de Re militari capit.* 20. vsque ad suam prope ætatem consuetudinem permansisse ait, vt omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus vterentur: idque fuisse seruatum, ne grauis galea videretur homini in prælio, qui gestabat aliquid semper in capite. Fuerunt pelles & antiquis lugentibus in vsu, Festus libro prænotato, lugentes, diebus luctus in pellibus esse consueuisse scriptum reliquit. Pelles etiam sponsis, quas introducebant, sternere solebant Romani, *vt ait Plutarch. Problemat.* 29. Pellium vsum in rusticorum stratis, *vt Odyss. lib.* 14 non vno in loco, atque etiam in lectis ditiorum Homerus agnoscit, sic enim de Telemacho loquitur Odys. lib. 1.

ἔνθ' ὅγε παννύχιος κεκαλυμμένος οἰὸς ἀώτῳ,
βούλευε φρεσὶν ᾗσιν ὁδὸν, τὴν πέφραδ' Ἀθήνη.

Id est,

Tunc hic per totam noctem coopertus ouis pelle,
Voluebat animo iter, quod dixit Minerua.

Infra quoque *lib.* 4 & 7. & *Iliad lib. vltimo*, quamuis non modicum lectorum luxum appingat, pilosas tamen vestes inijci consueuisse lecto cubantibus demonstrat. Sedes etiam pellibus sterni solitas ostendit Odyss. 17. his verbis.

κῶεα καστορέσασα θρόνοις ἔνι δαιδαλέοισι.

Pelles

Pelles sternens sed. bus in varijs.

Et lib. 19.

——— καὶ ὑπὸ θρῆνυν ποσὶν ἧκε,
ἀτρεφὺς ἐξ αὐτῆς δ' ἐπὶ μέγα βάλλε τε κῶας,
ἔνθα καθέζετ' ἔπειτα περίφρων Πηνελόπεια.

Hoc est,

——— *& sub scabellum pedibus misit*
Aperum ex ipsa. vbi magnum iniecit pellem.
Illbic sedit postea prudens Penelope.

Et infra,

Εὐρυνόμη φέρε δὴ δίφρον, καὶ κῶας ἐφ' αὐτῷ
ὄφρα καθεζόμενος εἴπῃ ἔπος, ἠδ' ἐπακούσῃ
ὁ ξεῖνος ἐμέθεν.

Id est,

Eurynome porta iam sedem, & pellem in ipsa,
Vt sedens dicat verbum, & audiat
Hospes me.

Quamquam & tapetes iniici sedibus consueuisse, idem satis demonstrat infra *lib.* 20. dum procorum aduentui domus Penelopes paratur & instruitur.

Emaculata Constitutio in tribus posterioribus Codicis Iustiniani libris. Azonis error demonstratur. Declaratur quæ sint in eadem constitutione Deliciæ, & apud Catonem tegula Deliciares.

CAPVT VIII.

Libro vndecimo Codicis Iustiniani Imperatoris sub titulo de *Aquæductu*, legitur Constitutio Imperatorum Archadii & Honorii, his verbis, *Vsum aquæ veterem, longoque dominio constitutum, singulis ciuibus manere censemus, nec vlla nouatione turbari: ita tamen, vt quantitatem singuli, quam veteri licentia percipiunt, more vsque in præsentem diem perdurante, percipiant: manifesta pœna in eos, qui ad irrigationes agrorum, vel hortorum delicias, furtiuis aquarum meatibus abutuntur.* Huius constitutionis nouissimæ parti mendum insedit, scribarum incuria, deliciæ enim hortis maxime quadrare cum videantur, vocem ad hortorum irrigationes retulerunt, ac locum deprauarunt, quod ante Azonis ætatem factum esse constat, Ita enim ille non sine errore, mendosum sequutus codicem inquit in Summa, *Et sic habeant aquæ quantitatem, vt consuetudo fuit; non contra consuetudinem furtiuis aquæ meatibus abutendo.* Sic quidem Azo. Alciatus, qui alias Constitutiones sub eodem titulo in suis Annotationibus repurgat, atque non parum illustrat, de hac tamquam vitii exorte ne verbum quidem. Iacobus quoque Curacius omnium consensu Iurisconsultus maximus, cuius ego suspicio multa cum elegantia, honestarumq; disciplinarum scientia conuncta in iurisprudē-

tiam, eandem etiam corrupte habet in Com. suis ad tres posteriores notos C. nisi si typographi mendum sit. Sic & L. Russardus homo doctus & diligens in C. quem admodum emendate ab hinc biennium edidit. Ego vllo absque dubio, errore expuncto, ita legendum existimo, *Mansura pœna in eos, qui ad irrigationes agrorum, vel hortorum, deliciis furtiuis, aquarum meatibus abutuntur.* Innitor vero Theodosiani Codicis fide *lib.15.* vbi sub titulo de *Aquaductu*, eadem constitutio hanc habet lectionem, & ratione non leui. Siquidem, qui deducunt a publicis rubis aquam, non abutuntur furtiuis meatibus, cum Aquæductus, furtiui meatus a nemine appellentur, sed bene clandestinis, furtiuisq; deliciis, hoc est deriuationibus, vel sulcis aquariis, male & contra legum præscriptum vtuntur publicis aquarum meatibus. Iulius Frontinus *in li. de Aquaductibus*, senatusconsulto, quod Q. Ælio Tuberone & Q. Fabio Maximo Coss. editum fuit, aquam non nisi ex castello ducere licuisse scribit ea ratione, ne aut riui, aut fistulæ publicę frequenter perfoderentur. Idem ait lege cautum fuisse, *ne quis priuatus aliam duceret aquam, quam quæ ex lacu humum accederet*, id est, quæ ex lacu abundaret, quam, inquit, nos caducam vocamus. Agros vero, qui aqua publica fuissent contra legem irrigati, publicatos esse. Quod attinet ad vocem *Deliciis*, eam, quamquam insolens sit auctoribus, a verbo *Delicio* ductam arbitror, etymo tam hominum delitiis, quam huiusmodi deriuationibus cognomente, a quo verbo & *Deliciares tegulas* dictas puto, quarum sic meminit Cato in *libr. de Re rustica cap. decimo quarto.* Id tectum sic numerabitur, tegula, integra quæ erit: quæ non erit, vnde quarta pars aberit, duæ pro vna Deliciares quæ erunt, pro binis putabuntur. Deliciares enim tegulæ a Catone videntur appellari, tegulę quædam maiores in canaliculorum formam (has enim pro binis, ob magnitudinem æstimat) quæ in tectis, influentem aquam excipiunt, deorsumque iiciunt, & perducunt, eumque præstant deducendis pluuiis in tectis vsum, quem in agro elices, quos Columella *lib.2.* Collicias, vel vt alii legunt, *Colliquias* vocat; & maiores esse sulcos dicit, in quibus aqua, si redundat, excolatur. Has tegulas *Collicias* etiam dictas Festus testatur, & canaliculorum formam habuisse, demonstrare videtur his verbis, *Collicię*, inquit, tegulæ, per quas aqua in vas defluere potest. Et si non me iater eundem Festum testari tegulas Deliciares, pro vt etiam tectum deliciarum dici a delicia tigno, quod a culmine ad tegulas angulares infimas versus fastigiatum collocatur, vnde coniecturæ locus detur, tegulas illas Deliciares Catonis, ideo maiores fuisse, atque ampliores duplo ceteris, quod ipsis Delicia tignum esse tegendum. In qua tamen re suum cuique iudicium liberum esto.

Tertium in Cap. ... an Tertio decimo; ... M. Varronis ... improbata.

CAPVT IX.

TErtiumne Consul, an tertio dici oporteat, quærit Gellius *lib. 10. Noct. Attic. cap. 1* sed fluctuat, & si M. Varronis sententiam approbare videtur. Varronis verba ex libro Disciplinarum quinto hæc sunt, *Aliud est Quarto Praetorem fieri, & Quartum: quod quarto, locum adsignificat, ac tres ante factos: Quartum tempus adsignificat, & ter ante factum. Igitur Ennius recte conscripsit,*

Quintus pater, quartum fit Consul.

Et Pompeius timide, quod in Theatro ne adscriberet, Consul tertium, aut tertio extremas literas non cōscripsit. Hæc Varro. Qua de re memini me aliquid legere apud Vallam *lib. 3. Elegan. cap. 58.* Sed mihi Varronis, eiusque assectarum sententia non vsquequaque vera videtur, quandoquidem antiquissima lapidis inscriptio, quæ Romę visitur, illi maxime obstat. Est enim in hæc verba,

P. DECIVS DECII F. PRIMO COS. DE SAMNITIBVS TRIVMPHANS SPOLIA EX HIS CERERI CONSPECTAVIT ITERVM ET TERTIO COS

Quem loquendi morem Romæ doctum quendam virum Cœlium, & Q. Claudium, Gellius sequutos refert. Hos vero leuibus ductos cōiecturis, mihi non fit verisimile. Adde quod tertium & tertio indifferenter. quemadmodum primum & primo, dici videntur. Terentius in Adel.

Na ego sum infelix, primum fratrem nusquam inuenio gentium.

In Phor. vero. *Cœpi aduersari primo, &c.*

Veteris fuisse instituti apud Romanos, cremare hominum cadauera: Plinius, qui hoc negat, reprehensus.

CAPVT X.

ESt a Plinio scriptum in septimo librorum, quos de *Naturali historia* posteris legendos reliquit, *cap. 54.* ipsum cremari non fuisse apud Romanos vetustiores in vsu, *Ipsum*, inquit, *cremari, apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum; & tamen multæ familiæ priscos seruauere ritus: sicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem tradi ur crematus; idque voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadauere.* Hæc Plinius. Idem de Sylla scriptum Cicero *in lib. 2. de Legibus* reliquit. Plinii sententiam nullus hodie fere est, qui non approbet. Ego lapsum esse Plinium existimo, primum quia Duodecim tabulæ cadauerum concremationis faciunt mentionem. Cicero libro prænotato, *Hominem mortuum*, inquit lex in *Duodecim tabulis, in vrbe ne sepelito, neue vrito. Credo vel propter ignis periculum. Quod autem addit, Neue vrito,*

iudicat non qui vratur sepeliri, sed qui humetur. Hæc Cicero. Constat autem Gellio attestante lib. 20. Noct. Attic. cap. 1. trecentesimo anno post Romam cōditam, Duodecim tabulas compositas, scriptasque esse. Quamobrem merito, comburendorum cadauerum consuetudinem, quæ ante Decemuirale ius extiterit, Plinio veteri non videri, miratur eruditissimus pariter atque elegantissimus vir Paulus Manutius in libro de Legibus Romanis. Præterea quia Plutarchus in Numæ vita demonstrat, antiquissimis temporibus Romæ fuisse in more positum vt corpora flammis abiumerentur, ait enim cauisse Numam, ne corpus suum exureretur, Atqui, inquit, cadauer igni haud dedere, quoniam is cauisset, vt dicitur: sed duabus arcis lapideis factis, eum sub Ianiculo condiderunt, quarum altera habebat corpus, altera libros sacros, quos ipse scripserat &c. Fuit namq; Numa secūdus Romanorum Rex, & cum ab vrbe condita anno trigesimonono regnare cœpisset, regni sui anno 43. obiit. Quamquam non me latet Ciceronem libro citato, ad priscum sepeliendi morem demonstrandum (quæ me res in admirationem abducit) Numæ sepulturam allegare. Huc accedat quod suo se Plinius gladio iugulat, Posthumiam nāque Numæ legem, vino rogum aspergi vetuisse dicit. eius libr. 14. cap. 12. hæc sunt verba, *Numæ Regis posthumia lex est, VINO ROGVM NE ASPERGITO. quod sanxisse illum propter inopiam rei nemo dubitet, &c.* vt credi etiam fortasse possit, Romuli quoq; temporibus, aut etiam vetustioribus, cremandorum cadauerum ritum in Italia fuisse, quem Virgilius lib. XI. Æneidos, & Ouidius Fastorum lib. 4 agnoscant. Sic enim cecinit Ouidius de Remi nece & funere loquens,

Dat tamen exsequias, nec iam suspendere fletum,
Sustinet, & pietas dissimulata patet.
Osculaque applicuit posito suprema feretro,
Atque ait, Inuito frater adempte vale.
Arsurosq; artus vnxit; fecere quod ille
Faustulus, & mœstas Acca soluta comas.
Tunc iuuenes nondum facti fleuere Quirites,
Vltima plorato subdita flamma rogo est.

Nisi fortasse quis dicat, hoc κατὰ πρόληψιν moris ab Ouidio, & ea etiam, quæ de concrematione Virgilius dixit, esse prolata. cuius rei illud sit argumentum, quod Ouidius dicat vnctum fuisse Remi cadauer, cum tamen nullus tunc penes homines postea Romanos nuncupatos, vnguentorum vsus fuerit cognitus, præsertim ad vnguenda cadauera. Quandoquidem Plinius libr. 13. cap. 1. sic scribit, *Primum, quod equidem inueniam, castris Darii Regis expugnatis, in reliquo eius apparatu Alexander cepit scrinium vnguentorū. Postea voluptas eius a nostris quoq; inter laudatissima, atq; etiam honestissima vitæ bona admissa est. Honosq; is & ad defunctos pertinere*

pertinere cœpit, &c. Vnde & illud Ennianum κατ᾽ ἀνάληψιν moris dictum videtur existimandum, cum inquit,

Tarquinii corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Blondus Forol. *lib. 2. Roma triumph.* ex Vergilii auctoritate libro citato & Terentii in Andria, consuetudinem concremandi cadauera adstruit nec anticipationis aut regionum diuersitatis habet rationem. idemque quod est a Plinio de hac re scriptum, verum fuisse in Patriciis contendit.

Dissidium quod inter Tacitum, & sacras literas esse videbatur, sublatum.

CAPVT XI.

SVperiora me admonent, vt pugnantiam quandam, quæ inter Tacitum, & sacras literas super cadauerum concrematione esse videtur, componam. Inquit Tacitus *lib. 21* de Iudæis loquēs, *Corpora condire, quam cremare, more Ægyptio, &c.* Sed video apud Hebræos quoq; cadauera fuisse combusta. hęc n. verba leguntur Ieremiæ capit. 34. *Attamen audi verbum Domini, Sedecia Rex Iuda, Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustiones patrum tuorum Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te, & Va domine, plangent te, quia verbum hoc ego locutus sum, dicit Dominus.* Regum vero lib. 1. cap. 31. proditum est, *Saul, & filiorum eius cadauera exusta fuisse. Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorum eius de muro Bethsan, veneruntque viri Iabesgalaad, & combusserunt ea ibi igni, & tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.* Hæc ibi. Vides sacras literas Tacito aduersari. Cum hæc aliquid mihi negocii facesserent, consului *cap. 16. lib 2. Paralip.* in quo nescio quid hac de re me legisse memineram, si forte ex locorum, vt fit collatione, quid esset existimandum, intelligerem, sic autem in capitis calce de Asa Rege scriptum inueni, Et sepelierunt eum in sepulcro suo quod foderat sibi in ciuitate Dauid: posueruntque eum super lectum suum plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia. Quibus ego verbis in eam statim sum adductus sententiam, vt existimarem, exustionem Sedecię, cuius meminit Ieremias, non huic absimilem fuisse, scilicet citra cadaueris concremationem. Hebręorumq; Rabinos consentire animaduerti. Siquidem Rabi Dauid Chimchi ad prænotatum *cap. 31.* refert Rabinus prodere, consueuisse exuri lectos, vestes, aliaque vtensilia Regum. quo suspicatur respexisse Rabinum Ionadan, dū ait, super Saulis cadauere eam factam esse exustionem, quæ super aliis regibus fieri consueuerat. idemq; Chimchi ad citatum *cap. 34* Ieremię in hanc loquitur sententiam *Cōburent te, scilicet vt comburebantur*

super lectis Regum ipsorum aromata, & unguenta aromatibus mista, vt dictum est in Rege Asa: nostrique Rabini *declarant, haec res super ipsis fuisse exustas, scilicet lectos, vestimenta, aliaque vtensilia.* Hæc ille. Idem interpres ad cap. 16. lib. 2. Paralip. supra citatum, sic ait, *Combusserunt super ipso aromata in cinere bona, eumque cinerem super ipsum sparserunt.* Ibidem ait, *præter aromata, comburi etiam solita super Regibus supellectilia.* Id ea de caussa, quantum ad lectos supellectiliaque attinet, fieri consueuit, *vt ait Isaac Abarbanellus in Com. in cap. 15. libri 1. Regum,* ne in vsum cuiusquam, qui ex regia prosapia non esset, adsumerentur; atque hanc exustionem in omnium Regum funere factam esse. Sed mihi præter quam in Regibus, qui ex stirpe erant Dauidica, id factum esse, non constat. Vides de cadauerum exustione nihil omnino dici. Quod autem spectat ad Saulis eiusque filiorum cadauera, idem Rabi Dauid Chimchi *in Com. in idem cap. 31. lib. 1. Regum,* literis consignauit, cadauera illa fuisse cremata, quod iam computruissent, vermibusque scaterent, essetque indecorum ea ita visu & odore fœda, sepulcro inferre; ideo ossa carnibus exuta, fuisse condita sepulcro. Iam igitur patet nullum inter sacras literas & Tacitũ hac in re esse dissidium.

Caussæ scriptores, ne Gallos, frugum vinique dulcedine captos, alpes superasse, seque Italiæ superfudisse affirmarent. Valerius Probus reprehenditur, & constitutio quædam Valent. & Grat. Impp. illustratur.

CAPVT XII.

GAllos gentem fuisse olim, esseque etiam hodie bellicosissimam honorisque appetentissimam, tum grauissimorum auctorum testimonia, tum eorum res gestæ præclarissimæ declarant. Hos vini frugumque delitiis, & dulcedine pellectos, alpium impedita asperaque iuga superasse, seque in Italiam effudisse, fama olim increbuerat. Verũ cũ hęc belli illati caussa indignior esse videretur, quæ ad eam suscipiendam prouinciam populos nobilissimos ac bellica virtute florẽtes impelleret, religiose scriptores vitauerunt, ne id affirmarent: eamque ob rem in famam, quæ mendacio carere non solet, historiam retulerunt. Liuius lib. 5. Decadis 1. *Eam* inquit *gentem traditur fama dulcedine frugum, maximeque vini noua tum voluptate captam, alpes transisse, agrosque ab Hetruscis ante cultos possedisse: & inuexisse in Galliam vinum illiciendæ gentis caussa, Aruntem Clusinum, &c.* Vt miret doctissimos viros Liuio, nihil præterea affirmanti, hoc nomine iniqui, & exulcerati animi notam inurere. Plutarchus in Camilli vita de Gallis loquens ita ex interprete inquit, *Tunc, vt fama est, primum gustantes vinum ex Italia delatum, sic illius admiratione ac nouitate suauitatis amantes facti sunt omnes, vt collectis armis, sumtisque*

plu-

Digitized by Google

stiis, ad alpes concesserint, quæsierintq; eam terram, in qua huiusmodi fructus oriretur: aliam autem infructuosam, atq; immitem arbitrabantur. Primum, qui ad illos vinum detulit, ac in Italiam eos accersiuit, Aruntem Tyrrhenum fuisse ferunt, virum & splendore, & natura præstantem. Hæc Plutarchus. Plinius *Nat. hist. lib 12. cap. 1. Produnt,* inquit, *alpibus coercitas & tum inexsuperabili munimēto Gallias, hanc primum habuisse caussam superfundendi se Italiæ, quod Elico ex Heluetiis ciuis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccam, & uuam, oleiq; ac vini præmissa, remeans secū tulisset. Quapropter hæc vel bello quæsisse venia sit.* Hæc Plinius. Vides nullum affirmare quicquam, sed duntaxat, quæ ferebātur, retulisse. Ludouicus quoque Ariostus, qui inter vernaculos Poetas, seu potius Cantores merito primas obtinet, in Rolando suo furenti, de vino loquens, hoc imitatus sic cecinit,

L' almo liquor che a' meditori suoi
Fece Icaro gustar con suo gran danno,
Et che si dice che gia Celti, e Boi
Fe passar l' alpe, & non sentir l' affanno. &c.

Nisi forte exemplo plane Poetico, quod incredibile videbatur, fama comprobare voluerunt. Aristoteles enim in libro de Poetica, quod fieri non posse videtur, apud Poetas tribus modis, quorum vnus fama est, defendi dicit, ὅλως δ' (inquit) τὸ ἀδύνατον μὲν ἢ πρὸς τὴν ποίησιν, ἢ πρὸς τὸ βέλτιον, ἢ πρὸς τὴν δόξαν δεῖ ἀνάγειν. hoc est, *In summa, quod fieri nequit, vel ad ipsam poesin, vel ad meliorem eius modum, siue etiam ad famam referendum est.* Quamobrem Vergilius, quæ magna admirabiliaq; sunt, & fidē excedere videntur, famæ adscribit. Vnde illud,

Quam Iuno fertur, terris magis omnibus vnam.
Item, *Fama est Enceladi, &c.*
Præterea, Dædalus vt fama est.
Adhæc,
Namque ferunt fama Hippolytum.

Vt erret Valerius Probus antiquus, & non indoctus Vergilii explanator, qui in Com. in *Eclogam. 6* id proprium, & peculiare in Vergilio esse affirmauerit, cum omnibus Poetis sit commune. Quia prædicta de Gallis, quamquam ex famæ solum auctoritate, tradebātur, videri possunt Imperatores Valentinianus, & Gratianus (quod & Alciatus existimat Dispunctionum *lib. 4. cap 11.*) constitutionem infrascriptam promulgasse, ne Barbari, gustu vini, olei, & liquaminis admoniti, Romani Imperii regiones, hostiliter inuaderent. Hæc legitur C *sub titulo, Quæ res exportari non debeant.* Estque in hæc verba, Ad Barbaricum transferendi vini, olei, & liquaminis nullam quisquam habeat facultatem, nec gustus quidem caussa, aut commerciorum. Etsi hæc etiam constitutionis caussa fuisse videri potest (Alciato licet reclamante) ne

gustus aut commerciorũ prætextu, vel quantitate etiam non magna admodum sæpius ad Barbaros conuectanda, fraus legi fieret: aut illi gustu admoniti vitibus oleisque agros, si regio ferre posset, consererent, atque his liquoribus, qui plurimum vsui atque adiumento sunt mortalibus, aucti ac robustiores redditi, velardentius in limitaneos milites, id est in eos, qui in Imperii limitibus iugiter excubabant, irruerent, vel dum Romani eorum se regionibus superfunderent, eosq; debellare niterentur, acrius resisterent. Vox autem Barbaricum, in hac constitutione pro Barbarorum regione vel loco ponitur, ex Græcorũ imitatione, Βαρβαρικὸν enim, *vt Ammonius ait*, locum vel rem Barbarorum significat. Aut fortasse dicitur Barbaricum, quemadmodum, & hosticum. *Liuius lib. 6. Decadis 1.* Romano contra in hostico commorandi caussa erat vt hostem ad certamen eliceret &c. Vox eadem in Florentinis Pandectis legitur, quamquam corrupte, pro hostico enim, codex ille vetustissimus hosticolo habet.

De Vrbis a Romulo ædificata forma, M. Varronis contextus corruptissimus emendatur, & declaratur. De Pomœrio multa, in quibus complurium auctorum errores demonstrantur.

CAPVT XIII.

ROmulum vrbem Romam quadratã designasse, atque ædificasse, grauissimi auctores testantur. Fabius Pictor scriptor antiquissimus, *lib. 2.* de Romulo loquens, *Adscito enim ex Hetruria vate atq; sacerdote, olympum facit, pomœriumq; sacrauit, & aratro ab olympo in vico Tusco, per Palatium circumducens, ab imo colle ad verticem, quadratam vrbem signauit.* Sic Pictor. De quo futuræ vrbis quasi lineamento hæc habet Tacitus *lib. 12.* Igitur, inquit, *a foro Boario, vbi æreum tauri simulacrum aspicimus, quia id genus animalium aratro subditur, sulcus designandi oppidi cœptus, vt magnam Herculis aram amplecteretur. Inde certis spatiis interiecti lapides per ima montis Palatini, ad aram Consi; mox curias veteres: tum ad sacellum Larium, forumq; Romanum. & Capitolium non a Romulo, sed a T. Tatio additũ vrbi credidere. Mox pro fortuna pomœrium auctum, &c.* Cato in fragmentis Originum, *Romulus*, ait, *cum Palatio, in quo quadratam Romam condidit, &c.* Pompeius lib 15. *Quadrata*, inquit, *Roma in Palatio ante templũ Apollinis, dicitur locus, vbi reposita sunt, quæ solent boni ominis gratia in vrbe condenda adhiberi, quod saxo munitus est initio in speciem quadratam.* Eius loci Ennius meminit cum ait,

Et quis extiterat Roma regnare quadratæ?

Romæ in Palatio: cõditæ ex Antigono Italicæ historiæ scriptore, idem Pompeius *infra lib. 16.* meminit: sic etiam Varro *libro 5. de Lingua Latina.* Plutarchus in Romulo *ῥώμην τετράγωνον* vocauit, id est, quadrangulam, qualem Crinitus *lib. 4. de Honesta disciplina cap.*

cap. 9. a Iulio Solino significatam existimat, dum ille ad æquilibrium eam factam fuisse scriptum reliquit. Cum ex his meridiana luce clarius constet, Romam fuisse a Romulo quadrata forma designatam & cõstructam, & cognoscamus prædictorum auctorum testimoniis Romulum Hethrusco ritu condidisse Romam, dignum maxima est admiratione, quod apud Varronem *libro 4. de Lingua Latina* legitur, scilicet oppida Hethruscorum ritu in orbem describi consueuisse antequam conderentur, & ab orbe illo vrbes dicta fuisse. Quare existimauerim aut corruptum esse Varronis contextum, aut eum esse (quod creditu difficile est) hallucinatũ, & in cognoscẽda antiquitate cæcutire. Eius verba qualia leguntur in vulgatis exẽplaribus, & in manuscriptis, quæ mihi legere contigit, apponam. *Oppida, inquit, in Latio condebant Hethrusco ritu multa, id est, iunctis bobus, tauro & vacca interiore, aratro circumagebant sulcum. Hoc faciebant religionis caussa, die auspicato, vt fossa & muro essent munita. Terram vnde exsculpserant, fossam vocabant, & introrsum factum murum. Quodq́; postea fiebat orbis, & vrbis principium. Quod erat post murum Pomœrium dictũ, eiusq́; auspicia vrbana finiuntur. Cippi Pomœrii stant, & circum ariciam, & circum Romam. Quare & oppida, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & vruo, Vrbes. Et ideo coloniæ nostræ omnes in literis antiquis scribuntur vrbes, quod item condita vt Roma. Et ideo coloniæ, & vrbes conduntur, quod intra Pomœrium ponuntur.* Hæc Varro. His verbis plures insidere labes video, quas Michael Bentinus, & alii, qui post eum Varronis corruptissimos libros a mendis repurgare nixi sunt, haudquaquam animaduerterunt. Eas, vetustorum ac spectatæ fidei exemplarium ope destitutus, omnes me eluere non posse doleo, quod tamen coniectura possum præstabo. Inquit Varro, *Quodq́; postea fiebat orbis, & vrbis principium.*] Affert auctor eorum, quæ fiebant, nomina, quę sunt, *Fossa, Murus, Vrbs, Pomœrium.* Hic sine dubio, vrbis nomen cum suo etymo. Sic ergo est legendum, *Quodq́; propterea fiebat orbis principium, est vrbs.* Orbis autem, de quo loquitur Varro, est fossa illa in gyrum excauata. quæ Olympus dicebatur. & ante omnia fiebat, & a qua sulci initium ducebatur. ideo hic orbis, appellatur ab eo principium. Pictor citato *lib. 2* Item, inquit, *Herculis ara, vbi Olympus, & initium sacri aratri. Ab hac fossa sulcum duci consueuisse,* testatur etiam Ouidius Fastorum libro 4 qui ritum condendarum vrbium optime appingit, inquiens,

Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro,
Sacra Palis suberant, inde mouetur opus.
Fossa fit ad solidum, fruges iaciuntur in ima,
Et de vicino terra petita solo.
Fossa repletur humo, plenaq́; imponitur ara,
Et nouus accenso funditur igne focus.

Inde premens stiuam designat mœnia sulco,
Alba iugum niueo cum boue vacca tulit.

De eadem fossa Plutarchus quoq; in Romulo sic ait ex interprete, *Accersitis ex Hethruria viris, qui sacris quibusdam ritibus, & literis singula edocerent, atque exponerent, quemadmodum in mysteriis, fossam rotundam effodit in loco, cui nunc Comitio nomen est, primitiasq; omnium, quibus lege quidem vt honestis, natura autem vt necessariis vtebantur, in eam deposuerunt. Et ad postremum ex qua quisq; profectus erat terra, particulam quandam ferens, eodem coniicientes, commiscuerunt. Vocant autem fossam ipsam eodem, quo Olympum nomine, Mundum. Deinde &c.* De eadem fossa Xenophon Græcus auctor *in libro Æquiuocorum, A Barbaris vero,* inquit, *omne spatium circulare vltimum, lympus dictus est, & cum interiori area Olympus, a quo Astrolabium Olympus, & sacrum pomœrium Olympus est.* Hæc ille. Ioannes Annius Viterbiensis, fossam illam rotundam Hethruscos Mundum appellasse dicit, Græcos vero Olympum, scilicet veteri vocabulo Barbaro, Græcis vsitato. Verum ego apud Varronē *lib. 6. de Lingua Latina* inuenio, *Olympum Græcam esse vocem, Cælum, inquit, dicunt Græci Olympum: montem in Macedonia omnes, a quo potius puto dictas Musas Olympiadas.* Sic Varro. Cœlum autem ab Hetruscis nostris non Mūdum antiquitus dictum inuenio, sed Phalandum, Pompeius *lib 6. Phala,* inquit, *dicta sunt ab altitudine, a Phalando, quod apud Hethruscos significat cœlum.* Cum ergo Barbaros dicit Xenophon, Latinos in vniuersum significat, qui lymbi voce & olympi in ea significatione vtebantur. Siquidem Varro in Dolio Satyra, vt ex eius versibus a Valerio Probo in Commen. in Vergilium relatis, est manifestum, Zodiacum lymbum appellat, qua de re Crinitus *lib. 3. de Honesta disciplina cap 11.* Eademque voce vsus est Plinius. Apud eundem Varronem Cossinius sic ait, *Capellarum dentes inimici sationis, quas etiam Astrologi ita receperunt in cœlum, vt extra lymbum duodecim signorum excluserint.* Hæc ille. Barbaros autem Latinos appellat Xenophon Græcorum more, qui omnes nationes præter Græcas, *Barbaras* vocant, Ammonius in de Simil. & differentibus dictionibus. βάρβαρα γὰρ μὲν τὸ ἐστὶν ὄνομα τι οὐχ ἑλληνικόν. De qua voce nos ex Strabonis auctoritate *lib. 14. Geog. & aliorum, multa in Annot. nostris in Procem. Instit. Iustiniani.* Sed redeo ad rem. Fossam prænotatæ persimilem Olympum quoque dictā, facere & sacrare etiam in templorum dedicatione consueuerant, quod verum esse demonstrat Cato in Originum fragmentis, inquiens de Iano, *A Vagiano progressum in tractum Vmbriæ, fundasse regiam, & fani olympum, fossamq; sacrasse, & Augustalem Thurrenam non longe a regia dedicasse, &c.* Iam igitur quis sit orbis, cuius meminit Varro, & quomodo locus sit restituendus, intelligis. Eundem intelligit orbem infra cum inquit, *Ab orbe, aut*

vno

Digitized by Google

vrue vrbes.] Est enim *Aut*, non *Et*, legendum, eo quod duas ponat Varro etymologias, quarum posteriorem elegit Pomponius Iurisconsultus, vt cernere est *in l. Pupillus ff. de Verborum significatione*.

NVNC ad Pomœrium veniamus. Quod erat *post murum*, Pomœrium dictum, vt vides, testatur Varro. Iulius Pollux *libr. 9.* intra muros solum Pomœrium locat, inquiens ex interprete, *Ingressis vero omne illud dicitur Pomœrium, intra muros, intra mœnia. Interius autem platea, &c.* Plutarchus etiam in Romulo, quod intra lineam murum diffinientem relinquitur, Pomœrium esse dictum, ait, detractis per syncopam e medio literis, quasi pone murum. Aggenus Vrbicus *in Com. in Iulium Frontinum*, in vniuersum Pomœrium extra muros vrbes habuisse dicit, aliquas vero intra. *Pomœrium autem*, inquit, *vrbis est, quod ante muros spatium sub certa mensura dimissum est. Sed & aliquibus vrbibus & intra muros simili modo est statutum, propter custodiam fundamentorum, quod a priuatis operibus obtineri non oportebit. Hic locus est, qui a publico nullo iure poterit amoueri, &c.* Liuius *libr. 1. Dec. 1.* & intra, & extra vrbes Pomœrium agnoscit, deque ipso ita commemorat, *Pomœrium*, inquit, *verbi vim solam intuentes, post mœnia interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus, quem in condendis vrbibus, quondam Hethrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurate consecrabant, vt neq; interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam coniunguntur; & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, Pomœrium Romani appellarunt: & in vrbis incremento, semper quantum mœnia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur.* Hæc Liuius. Gellius autem *libr. 13. cap. 14.* ex libris Augurum Populi Rom. Pomœrium esse dicit, locum intra agrum effatum per totius vrbis circuitum pone muros, regionibus certis determinatum, qui faciebat finem vrbani auspicii. Antiquum autem Pomœrium, quod a Romulo institutum fuit, Palatini montis radices terminum habuisse. Cui adstipulatur Tacitus inquiens, *certis spatiis a Romulo intersectos fuisse lapides per ima montis Palatini, &c.* scilicet ad significandos Pomœrii terminos, quos Varro cippos appellat, aras quasdam etiam his terminis addens. Terminorum intra muros nulla fit mentio, ea, vt opinor de caussa, quod non sit relictum intra muros Pomœrium. Quamquam apud eundem Gellium *lib. 15. cap. 27.* ex verbis Lælii Felicis infrascriptis, contrarium suspicari quis possit. *Centuriata autem comitia*, inquit Lælius, *intra Pomœrium fieri nefas esse, quia exercitum extra vrbem imperari oporteat, intra vrbem imperari ius non sit, &c.* Quæ tamen nihil me mouent, cum Pomœrium vrbis appellatione, tametsi extra

vrbem sit, comprehēdatur. Equidem Libris Augurum, Varroni, & Tacito (vt de Vrbico Christiano homine nec adeo antiquo auctore nihil loquar) magis quam Liuio, Plutarcho, & Polluci crediderim, ideoq; arbitror vnum duntaxat apud priscos fuisse Pomœrium, idq; post muros id est, extra muros. Eamq; ob rem Plutar. qui de antiquo Pomœrio loquatur, errare, item Pollucem, qui exterius Pomœriū non agnoscat: postea vero & intra muros relinqui consueuisse. Quod spectat ad Pomœrii etymologiam Varro quasi post murum dictum significare videtur, inquiens, *Quod erat post murum Pomœrium dictum, eiusq; [terminis] auspicia vrbana finiuntur, &c.* Cuius loci lacunam expleo voce, terminis, vt pro viribus opem auctori feram. Liuius quosdam quasi post mœnium (significat autem, vt opinor, *Varronem*) interpretari testatur, quasi post mœnia, id est, post murum sit Pomœrium, ipse non magis quod post murum esset, quam quod murus post id. Sed male vt mihi videtur: siquidem cum primum hæc vox exorta inditaque loco est vnum duntaxat, idque extra muros erat in via Pomœrium. Verum nec Varronem primi nominis in etymologiarum indagine auctorem, Pomœrium, quasi postmœnium, dictum sensisse reor, sed magis quasi postmœrium. Muri enim antiqua voce Latina, qua Lucretius vsus est, mœri dicebantur. Ita namque hic inquit *lib 7.*

Frigus vt a fluuiis, calor a Sole, æstus ab vndis
Æquoris exesor mœrorum litora propter.

Vt etiam refellēda mihi videatur & quæ a Pompeio affertur etymologia *lib. 14.* in his verbis, *Prosmurium, pontificale Pomœrium, vbi Pontifices auspicabantur. Dictum autem Pomœrium, quasi promurum, id est, proximum muro.* Hæc ille. Primus autem qui Pomœria docuerit, Ianus fuit, si Fabio Pictori credimus, qui libro priore sic habet, de Iano loquens, *Primus enim aras, & pomœria, & sacra docuit, & ad pudorem, & sanctimoniam d. . . . . valuas, & sacras claues excogitauit, & inuenit, & ab eo . . . .* Hactenus Pictor. De pomœrii productione Tacitus *lib 12* & Gellius *lib. 13 cap 14.* Ex quibus a Ser. Tullio, a Sylla, Augusto, & D. Claudio eam factam didicimus. Sane productionis a Claudio factæ, testis præterea exstat etiam num Romæ in peruetusto lapide inscriptio huiusmodi,

T. CLAVDIVS DRVSI F. CAISAR AVG. GERMANICVS PONT. MAX. TRIB. POT. IX. IMP. XVI. COS. IV. CENSOR. PP. AVCTIS POPVLI ROMANI FINIBVS POMOERIVM AMPLIAVIT TERMINAVITQ.

De Pomœrio illud quoque, antequā finem facio, non est prætermittendum. Theodosium Imperatorem, vt Zonaras memoriæ consignauit, cura Cyri Præfecti Prætorio Orientis, Constantinopoleos

poleos protulisse pomœrium. Adhæc vt testatur Pompeius *lib. 16.* fuisse olim Hethruscorum libros Rituales dictos, in quibus perscriptum esset, quo ritu conderentur vrbes, aræ, ædesq; sacrarentur, qua sanctitate muri, quo iure portæ, quomodo tribus, curiæ, centuriæ distribuendæ essent, exercitus constituerentur, ordinarentur, ceteraq; eiusmodi ad bellum, & pacem pertinentia.

Quibus olim vestibus in luctu mulieres vterentur: Blondi Forolimiensis, Vrbinatis viri non indocti, & aliorum sententia improbatur.

CAPVT XIV.

QVærit in problematibus Plutarchus quid caussæ esset, vt mulieres in luctu albis vestibus induerentur, & huius instituti non vnam affert caussam. Quo, vt arbitror, loco permoti, Blondus Forolimiensis, *lib. 2 Romæ triumphantis*, Vrbinas ille, qui libros de Inuentoribus rerum conscripsit, & alii non indocti viri, nulla temporū distinctione adhibita, in luctu antiquas mulieres albas semper vestes vsurpasse existimant. Quibus Herodianus adstipulari videtur, qui in Romanorū Imperatorum apotheosi, funere magnifico, matronas albis indutas adfuisse cōmemorat. Sed errant hi, vt non vna auctoritate veterum demonstro. Varro de Vita patrum, vt apud Nonium legitur, de muliere, Amiculo, inquit, nigello, capillo dimisso sequeretur luctum. Idem, Vt dum supra terram essent, riciniis lugerent, funere ipso pullis pallis amictæ. Erat autem ricinium *vt Nonius ait*, quod sua ætate masurtiū dicebatur, palliolum fœmineum breue. Cuius formam appingit ipsemet Varro *lib 4 de lingua Latina.* Apuleius *lib. 2. de Asino aureo, Vmbrosum*, inquit, *demonstrat cubiculum matronam flebilem, fusca veste contectam.* Hæc ille. Eadem quoque apud Græcos consuetudo fuisse videtur, siquidem Iphigenia Euripidis, Clytemnestræ matri iniungit, ne suā ob mortem comā laniet, idemq; vt suis renuntiet sororibus, scilicet ne quando nigris vestibus membra contegant. Vnde & Homerus *Iliad. lib. 24* Thetim, futuram filii necem deflentē, velo nigro tectam Iouem adire facit. Niger enim color mortalis est, vt inquit Hippocrates, in libro de Morbo sacro, siue quisquis ille fuit, qui librum eum conscripsit, nam Galenus Hippocratis esse negat. Theocritus in Epitaphio Adonidis, Venerē cyanea stola indutam, ad lugendum Adonidis mortem inuitat, sic enim ait,

Αἰάζω τ' Ἄδωνιν. ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις.
ὤλετο καλὸς Ἄδωνις. ἐπαιάζουσιν ἔρωτες
μηκέτι πορφυρέοις ἐνὶ φάρεσι κύπρι καθεῦδε.
ἔγρεο δειλαία κυανόστολε καὶ πλατάγησον
στήθεα, καὶ λέγε πᾶσιν, ἀπώλετο καλὸς Ἄδωνις.

Id est:

Defleo Adonem, periit pulcer Adonis

Periit pulcer Adonis. plorant insuper Amores.
Non amplius purpureis in vestimentis o Venus dormi.
Excitare misera cyanea veste induta, & plange
Pectora, & dic omnibus, Periit pulcer Adonis.

Cyaneus enim color & cœruleus puerorum adolescentium qui funeribus conueniebat. Quamobrem & Vergilius *lib. 3. Æneid.* in funere, quod Polydoro instaurabatur, tenias cœruleas aris apposuit,

——— stant manibus aræ
Cæruleis mœsta vittis, atraq; cupresso.

Nigrarum vestium mos apud mulieres Romanas mox obsoleuit, vt Plutarchi testimonio intelligitur. Demum moribus deprauatis & viros albas vestes in luctu vsurpasse, suspicari possumus ex his Iulii Pauli verbis *lib. 1. Sententiarum, sub titulo de Sepulcris, & lugendis. Qui luget*, inquit, *abstinere debet a conuiuiis, ornamentis, & alba veste*. Hæc ille. Floruit vero Iulius Paulus longo annorum spatio post Plutarchum: nam ex Lampridio constat, eum Papiniani, L. Septimii Seueri affinis ac amici, discipulum fuisse: Plutarchum vero Traiani præceptorem exstitisse. Traianus autem anno a CHRISTO nato 100. Septimius vero Seuerus 196. regnare cœpere.

Quæ fuerit antiquorum de aquarum ortu sententia. Aristotelem contradicendi studio immodico, Platonis dicta quadam luxare, atq; in absurda sensa detorquere.

CAPVT XV.

Constans priscorum sententia habet, aquarum omnium e penitissimis terræ partibus originem esse, quas Abyssum Sacræ literæ, Socrates vero Tartarum, appellant. Adeas Molem Geneseos *cap. 8* Isaiam 44. Auctorem *Iob* 38. Dauidem Hymno *33. &* 77. Ezechielem *31.* Esdram *lib. 4. cap. 4* Abyssum hanc vasto hiatu comprehensam aquarum salsarum cumulatis æquoribus, dicit Clemens Romanus *lib. 8. Constitutionum. Apo. cap. 16.* Eandem significauit Dauid Hymmo 17. cum inquit, *Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum.* vt non immerito idem infra *Hymno 23. & 130.* terram fundatã super aquis dixerit, quamquam & aliis sensibus peruia sunt vtrobique Prophetæ verba. Ex loco autem profundissimo ortum aquis sacras literas tribuere, manifestius demonstrat Esdras, qui eas diligenter scrutatus: sic enim ait cap. citato, *Et dixit ad me, Si essem te interrogans te dicens, Quanta habitationes sunt in corde maris, aut quantæ venæ sunt in principio Abyssi, aut quantæ venæ sunt super Firmamentum, aut qui sint exitus paradisi:* diceres mihi fortassis, *in Abyssum non descendi, neq; in infernum adhuc, neq; in cælum vnquam ascendi.* Strabus Theologus eruditissimus, exponens verba illa, *Fiat*

firmamentum in medio aquarum. scriptum reliquit, partem aquarum quæ firmamento subiecta sit, in matricem aquarum esse redactam, id est, incauata antrosaque terræ loca, vbi est aquarum matrix, a qua vltro citroque commeent aquæ. Licet Basilius in *Hexam. Homilia 4. iuxta Solomonis Ecclesiastes cap. 1.* sermonem, contendat, fontem omnis humoris circa terrã esse mare, a quo profluant & in quod relabantur aquæ. quæ & Lucretii *lib 6.* sententia fuit. Sic enim ait Solomon, Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant. Hæc enim verba ita accipienda videntur, vt reliquis sacræ Scripturæ locis non aduersentur, scilicet, vt ille sensit, Abyssum vnde aquæ ortum habeãt, mari, vt Clemens capite prænotato demonstrat, esse subiectam. Sacræ Scripturæ auctorum sententiam secutus Socrates (Ethnicis enim hos fuisse antiquiores, cum alii, tum Iosephus contra Apionem, & Lactantius Firmianus *lib 4. Diuin. instit. cap 5. demonstrant*) apud Platonem in Phœdone testatur, Tartarum circa centrum, aquarum fluuiorumque omnium esse principium. Cuius sententiam tanquam præceptoris sui, elidit Aristoteles Meteorol. lib 2. scribens in hanc sententiam. *Quod vero apud Phædonem de fluminibus, & de mari scriptum reperitur, nullo certe modo esse potest: siquidem affirmatur aquas omnes subterraneis foraminibus inter se concurrere, & coire. Tartarum vero fontem originemque aquarum esse omnium, quæ eadem vis est aquarum medio circumfusarum, a quo omnes, quæ fluunt, quæque stabiles sunt, emanent. Singulis autem riuis affluentem parere copiam; quod primaria aqua, & origo semper agitetur. Nam stabili certaque sede non vtitur, sed perpetua circum terram volubilitate fertur. Per motum etiam vltro citroque actum, riuis affluentem parere copiam, multisque locis restagnare; cuiusmodi apud nos mare est: omnesque aquas in orbem initium repetere, vnde emanare cœperint, multasque etiam esse, quæ per eundem ferantur locum. Alias item haberi, quæ per aduersum quasi alueum dimanent, vt superiore de loco influant, si ex inferiore affluxerint: & vsque ad medium delapsam vbertatem exæstuare: atque posthac aquis omnibus concedi ad editiora perlabi, &c.* Hæc ex Platone Aristoteles. Postea hæc improbat pluribus rationibus; quarum prima & secunda calumniam olent. Inquit namque, *secundum rationem Platonicam vsuuenire, vt amnes non ad eundem semper locum fluant; & futurum, quia ad medium, hoc est centrum, labuntur, a quo mox effluunt, vt quocunque tenderit fluctuans Tartarus, eo & illi per cuniculos meatusque impellantur, & nihil magis subtus quam desuper elabantur, vnde quiddam eorum, quæ fieri non possunt, colligatur, scilicet quod adagio vsurpatur, Fontes in supremam fluminum partem profundi.* Secundo loco oppugnat Aristoteles Socratis Platonisque sententiam, inquiens, *Quin etiam aqua, quæ tum*

oritur, tum iterum tollitur, vnde prodierit? Illorum enim ratio hoc totum necessario frangit, & debilitat: cum præsertim contendant, eandem inclumen semper circumlatê, quod quantum effluat, tantundem ad originem principemque locum affluat. Quod attinet ad prius obiectum, respondeo, Platonem non negare, quæ sub principium obiicit Aristoteles, quandoquidem de fluuiis ait, *Aliqui contrariam partem elabuntur, quam elapsi fuerint, alii vero per partem eandem, &c.* Sed licet hoc dicat, Tartarumque affirmet eleuari, sursumq; ac deorsum redundare, eaque ad loca, ad quæ redundat, aquas elidere, vnde per terræ cuniculos in lucem prodeant, tamen non ideo sensit, Tartari motum vltra medium recta progredi (probe enim nouit diuinus Philosophus, terram esse sphæricam, & quaq; versum aquis scatere) sed sursum, & deorsum dicit, ratione loci, in quo consistebat. Intelligit autem Tartarum in orbem cieri ac ferri, quod ipsum & Aristoteles fatetur inquiens, *Nam stabili certaq; sede nō vtitur, sed perpetua circum terram volubilitate fertur, &c.* Nam alioqui sibi ipsi non constaret Plato, si Tartarum recta vltra medium ferri diceret, cum sic loquatur de fluuiis, *Licet autem vtrinq; ad medium vsque defluere: vltra vero nequaquā: vlterior enim prolapsus, vtrinq; ascensus foret, &c.* Quid apertius dici potuit? Num quidquam ἀδύνατον protulit Plato? Num flumina sursum procurrere, aut Tartarum medium pertransire vult? Inquit igitur *aquarum principium esse Tartarū, & aquas per terræ superficiem aliquandiu prolapsas, per cuniculos ad locum vnde effluxerant relabi, ad mediumq; deferri, a Tartaro vero circumfluente rapi, ceteris admisceri aquis, & mox circumactas per meatus superis restitui.* Quod ad posterius obiectum pertinet, Nonne & hæc altera, & longe maxima calumnia est? nam quando vnquam dixit Plato, æqualem aquæ adseruari portionem, dum aquæ ad Tartarum remeant? Tantum vero abest vt id senserit, vt contrarium potius testatus videatur: dum enim in Timæo de elementorum mistione ageret, hæc protulit. *Principio id corpus, quod modo aquam nominauimus, quando in solidam concrescit materiam, lapis & terra fieri videtur: quando vero liquescit, & diffluit, spiritus atq; aer. Item aer exustus, ignis efficitur: ignis exstinctus, & corpulentior factus aerem creat. Rursus crassior factus aer, in nebulas, nubesq; concrescit. Hæ etiam magis compressæ, pluuias defluūt. Ex aqua rursus terra, lapidesq; gignuntur.* Hactenus Plato. Qui ortum & mistionem elementorum quo ad partes docet, quo pacto, aquarum, quæ per terram labuntur, æqualem semper asseruari portionem consueuisse, dici potest? Aquas enim tam labentes quam stagnantes euaporare, & modo minui squaloribus, modo pluuiis augeri nouerat Plato, qui hæc sensu deprehendebat oculorum & quæ sub obtutum non cadunt, multa, ingenii acumine peruadebat. De reliquis Aristotelis contra Platonem

tiem verbis, hic loqui non est consilium, cum hanc de Tartaro opinionem multæ circumueniant difficultates & susceptæ prouinciæ ratio longas non ferat dissertationes. Aquarum penitus intra terram, conditam esse o iginem, Ægyptii quoque opinabantur, e quorum monumentis hæc Vergilii *Georg. lib.* 4. expressa esse, Seruius censuit,

Iamq; domum mirans genitricis, & humida regna,
Speluncisq; lacus clausos, lucosq; sonantes
Ibat, & ingenti motu stupefactus aquarum,
Omnia sub magna labentia flumina terra
Spectabat: diuersa locis, Phasimq; Lycumq;.

Seruius, *Nili, inquit, pueri, de sacris parentibus nati, a sacerdotibus Nymphis dabantur, qui cum adoleuissent, redibant, narrabant. lucos esse sub terra, & immensam aquam omnia continentem, ex qua cuncta procreantur, &c.* De eadem fluuiorum origine & in 6 Æneid. Plutarchus *in Paulo Æmilio his*, quæ ab Aristotele de fluuiorum ortu traduntur, aduersari videtur, dum aquarum venas, animalium venis comparat, testimoniumque affert fluminum, quæ altius actis metallorum gratia cuniculis, sub terra reperiuntur, nō paulatim collecta, sed pleno gurgite fluentia. Seneca quoq; non pœnitendus inter Latinos Philosophus, *lib.* 6. *Quæstionum naturalium*, amnium principium intra terras esse ex collectione aquarum maxima, existimat.

Miscellaneorum libri tertii Finis.

HIERONYMI MAGII

MISCELLANEORVM, SEV VARIArum Lectionum,

LIBER QVARTVS.

Iuris quæ sit vera etymologia demonstratur, & quæ ab Vlpiano allata est, abiicitur.

CAPVT I.

CVm adhuc adolescens eloquentiæ candidatus, in scholis essem, præceptorem habebam Petrum Antonium Ghetiū Laterinensem, hominem mihi propter doctrinam minime vulgarem, eximiamq; probitatem longe carissimum. Is cum aliquādo iurisprudentiæ non pœnitendam operam nauasset, mihi aliisque compluscul is commilitonibus, Iustiniani Institutiones festis diebus interpretari cœperat, iamq; eo progressus erat, vt de iustitia, & iure non morosa, vt fit a Iureconsultis nostris perplexaq; dissertatione, sed leui, & vt hominem humanitatis addictum studiis

decuit, florida ageret. Iuris autem veriloquium cum afferret, Vlpiani Iurisconsulti sententiam, quæ legitur *in l. 1. ff. de Iustit. & iure*, calculo suo approbabat. Vlpiani autem verba hæc sunt. *Iuri operam daturum, prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat. Est autem ius a iustitia appellatum. Nam, ut eleganter Celsus definit, ius est ars boni & æqui, cuius merito quis nos sacerdotes appellet. Iustitiam namque colimus, boni & æqui notitiam profitemur.* Hactenus Vlpianus. Ego quia addiscentem credere oportet, & Vlpianū maxime suspicerem, ac postea omnes iuris interpretes in Vlpiani discedere sententiam viderem, eam semper retinui etymologiā. Nunc aūt rem permolens, facile a sentētia Vlpiani recedo, & ius non a iustitia, quæ vox non simplicior sit, sed denominatiua, sed a iubendo, dictum existimo. Ius enim siue pro iure naturæ, a quo tanquam fonte, iura alia promanarunt, accipiamus, siue pro iurisprudentia, & arte, iubet ac præcipit. Vt merito antiqui iura, quod Pompeius *libr. 9.* testatur, iussa appellauerint. Quamquam & Galeotus Martius in libro de *Doctrina promiscua cap. 18.* audiendus videtur, qui ius a iuuando dictum testatur: sic enim loquitur, *Ius, Iurisconsulti, a iustitia dici autumant: quod mihi risum mouet, nam quod Grammatici est, lex usurpat. Ius enim, si tantum iustitiæ opus indicaret, hæc derivatio posset tolerari; sed cum ius tam ad pulmentaria, quam ad leges referatur, unde Iuuenalis,*

——— & eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente.

& Cornelius Celsus iurulentam carnem *nominat: necesse est hoc vocabulum ab alio, quam a iustitia derivari. Et licet quædam sint, de quibus ratio reddi nón potest; tamen hoc habet derivationis certam figuram; a iuuando enim dicitur. Nam sicut corpus nostrum iure iuuatur, & nutritur, ita & ciuitates, quæ ut corpus coaluerunt, legibus tanquam iure quodam aluntur, & iuuantur: ita ut ius, corporis, cum de pulmentariis, & ciuitatum legibus dicitur, nutrimentum, iuuamentumque esse noscatur.* Hactenus Martius. Non est ergo ius dictum a Iustitia, quin e diuerso iustitia a iure potius, vel a iusto (Chrysippus enim, vt Plutarchus *in lib. de Virtute morum* retulit, a iusto iustitiam, vt a mansueto mansuetudinem, &c. esse dixit) est appellata. Productio enim illa, titia, vocem esse ab alia, nempe a iure aut iusto, inflexam ac deductam, arguit. Eadem ratione Cicero in Tusculanis, *de Natura Deorum*, & in Lælio, amicitiam ab amando, seu amore, dictam censet: & *in Catone maiore*, occationem a verbo, occo: & similiter in lib. *de Natura Deorum*, venustatem a Venere. Huic, nobisque adstipulatur Grammaticorum princeps Priscianus, qui *libr. 4.* sub finem loquitur hæc verba, *In S T V S, a nominibus, vel a verbis nascuntur, extremam partem conuertentibus in S T V S, e, vel, u, antecedentibus,*

Hon-

Honor Honestus, Mæror Mæstus, Modus Modestus. Scelus Scelestus, Robur Robustus, Augo Augustus, Augur Augustus. Præterea Venus Venustus, Ius Iustus, &c. Iustitia igitur a iure dicta est, sicut amicitia ab amore aut amando, occatio ab occando, & relata cetera; & vt etiam a malo malitia a nequam nequitia, a commento commentitium, a milite militia, & eiusmodi complura. Vt maxime fallatur idem Vlpianus *in l. 1. §. Miles ff de Militari testamento*, existimans, militem dictum esse a militia, id est, duritia, cum potius a numero millenario milites sint dicti, *vt Varro scriptum reliquit libro 4 de Lingua Latina*, & productio illa, tia, refragetur, qua denominatio & ab alia simpliciore deductio demonstratur. Vt non temere posthac & Vlpiano, & ceteris Iureconsultis in eiusmodi etymologiis credendum sit, cum aliud agentes has attulisse videantur, ac passim cæspitent. Possem multa huc afferre, quæ de iuris & iustitiæ etymo literis prodiderunt Alciatus *libr. 1. Parerg. cap. 29 & 30.* Franciscus Connanus Commentariorum *iuris ciuilis libr. 1. cap. 2.* & Antonius Vacca *in Comm. ad l. 1. ff de Iustitia, & iure*, sed cum illa eiusmodi sint, quæ Vlpianum tueri, & nos de prædicta deiicere sententia nequeant, eorum commemoratione studio breuitatis, supersedere volui. Illud neutiquam fuerit silentio inuoluendum, censuisse Isidorum *libro 5. Etymologiarum* (hunc non sine errore sequuntur Iuris Pontificii auctores Distinctione *1. cap. Ius.*) dictum esse ius, quia iustum sit, & iustitiam, quod in ea ius stet, quo nihil potest esse insulsius.

Bartolum iuris interpretum coryphæum, in opusculis tribus, quæ sunt Tyberias, de Insula, & de Alueo fluminis, falsa, & legibus rationique minime consentanea scripsisse. Flumina cur taurinis prædita vultibus, & cornuta fingerentur. Festus reprehensus.

CAPVT II.

QVemadmodum probi parentes nescio quo cæco vitio malos aliquando, ac degeneres filios gignunt, vt de Cicerone, Chabria, multisque aliis legimus; ita nonnunquam nobilissimi scriptores, leues quasdam, ac indignas scriptiones, tanquam ab aliud agentibus confectas, emittũt. Quod Bartolo, quem inter iuris interpretes maxime suspicimus, vsuuenit, dum ipsi Tyberias, de Insula, & Alueo fluminis libelli exciderunt. Nisi si (quod aliqui suspicantur) hi non ex Bartoli, sed alterius Iureconsulti officina prodierunt, Bartoloque, vt vendibiliores essent (quæ bibliopolarũ quorundã impostura esse solet) adscripti sunt. Nos vulgatas editiones sequuti, tanquam Bartoli fœtus, legimus, & modo improbamus.

Diuisionis alluuionum, insularum in fluminibus enascenti-

um, & alueorum, quos flumina ex altero latere prorumpentia & aliorsum diuertentia, siccos destituunt, Bartolus hanc existimat ineundam esse rationem, vt ab agrorum, qui ripis adiacent, modo, hoc est mensura, & longitudine (ita dicam) frontali, binæ lineæ sint hoc pacto instruendæ, vt super ea, si recta existat, ita decumbant, vt hinc inde angulos inuicem æquales & rectos, qui catheti nuncupantur, efforment; & in rem diuidendam recta procurrant. Ac tunc, quæ lineis hisce terræ portio comprehensa fuerit, domino fundi, a quo lineæ protrahebantur, debeat assignari. Si vero non recta fundi sit frons, sed sinuosa, ac semicirculum interiorum tendentem efficiat, ouali, vt vocant, figura, aliisve modis huius semicirculi centrum est perquirendum. Quo adinuento, quicquid lineis a semicirculo ductis, & in centro concurrentibus centrumq; referentibus, intercipietur, fundi illius sinuosi domino accedet. Varias vero pro vario riparum lineari termino, insularumque, alueorum, & alluuionum natura, figuras, vt certas regiones cõstituat deliniat, quæ nihil faciunt ad rem. Sed priora sunt prosequenda. Verum ante omnia, quibus fundamentis suam Bartolus superstruxerit sententiam, dispiciamus. Et nulla alia esse constat, quam quæ subiiciuntur. Inquit iurisconsultus *in l. Adeo. ff. de Acquirendo rerum dominio.* loquens de insula alluuionum adaggeratione in medio flumine enata. Communis fit eorum, qui ab vtraque parte fluminis, prope ripam prædia possident, pro modo latitudinis cuiusque prædii, quæ latitudo prope ripam sit, &c. Quod de Alueo a flumine derelicto etiam dicitur, scilicet vt inter ripæ vicinos, pro latitudinibus, quas agrorum frontes sortitæ sunt, sit diuidendus. Eadem quoque leguntur Institutionibus Iustiniani, sub rubrica, *de Rerum diuis. §. Insula, & sequenti.* Præterea Iurisconsultus. *ff. sub eodem titulo de Acquirendo rerum dominio. l. Inter eos.* loquitur in hæc verba, *Inter eos, qui secundum vnam ripam prædia habent, insula in flumine nata non pro indiuiso communis fit, sed regionibus quoque diuisis. Quantum enim ante cuiusque eorum iuxta ripam est, tantum veluti linea in directum per insulam transducta, quisque eorum in ea habebit certis regionibus.* Hactenus Iurisconsultus. Modo si quis relata verba diligentius perpendat, atque introspiciat, profecto Bartoli inania esse fundamenta intelliget; nec ipsum absque legis ratione atque adminiculo, quod neutiquam est faciendum, esse loquutum. Quandoquidem Iurisprudentes, vt in confesso est, loquuntur de fluuiorum ripis minime sinuosis, & de prædiis non arctatis, sed integris frontibus ripas pertingentibus. Quanquam ea est fluuiorum natura, vt angues lapsu imitentur, obliquasq; reddant ripas. Quemadmodum egregie, vt plane omnia, Ouidius lib. 1. Metamor. canit,

Fluminaq; obliquis cinxit decliuia ripis.

Vndo

Vnde qui præesse fluminibus existimati sunt Dii, cornuti fingebantur, propter riparum alueorumque curuitates, flexusque ad cornuum taurorum boumque similitudinem. Eamque ob rem Eridano Vergilius lib. 4. Georgicorum cornua, & taurinum vultum tribuit,

Et gemina auratus taurino cornua vultu
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit vndis.

Ad quem locũ Probus inquit, *Padus*] *Et ideo taurino vultu, quod eius sonus vt tauri mugitus, & ripa flexuosa sunt vt cornu.* Sic ille. Vnde figmentum de Acheloi cornu ab Hercule auulso Et Horatius lib. 2. Carminum in Ode ad Augustũ, Aufidum fluuium tauriformem vocat, inquiens,

Sic tauriformis voluitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli
Cum sæuit.

Vt maxime hallucinatus sit Festus, qui lib. 18. scriptum reliquit, taurorum specie simulacra fluminum formari, quod sint flumina vt tauri atrocia. Aut si Iureconsultos dicimus intelligere ripas pro earum natura esse exesas, parumque ad rigorem accedere, nõ tamen censendum est eos existimasse eadem forma prædiorum esse frontes: siquidem ripa a prædio separatur, quod ex his Pauli verbis. *l. penultima. ff. de Fluminibus*, cognoscitur, *Ripa*, inquit, *ea putatur esse, quæ plenissimum flumen continet. Secundum ripas fluminum, loca non omnia publica sunt, cum ripa cedant, ex quo primum a plano vergere incipiunt, vsque ad aquam.* Hæc Paulus. Vlpianus quoque eodem titulo. *l. prima. §. Ripa, de ripa* sic inquit, *Ripa autem eius ita recte definitur, id, quod flumen continet, naturalem rigorem cursus sui tenens, &c.* Adde, quod multis locis secus ripas fiebant aggeres ad coercendum flumen, cum imbribus immodicis intumuisset, & viæ etiam relinquebantur in publicos & priuatos vsus, quibus a ripa discriminantur agri. Et si non me latet quibusdam locis flumina præruptis compesci ripis, quas nõ facile illa licet imbribus hybernis adaucta, supergrediantur (de quibus ripis minime locutus est Paulus) vt passim prope Tyberim videmus. Quod fuit in caussa vt Bartolus huiusmodi ripatũ, non etiam quarum meminit Paulus, habens rationem, laberetur. Quas tamen culturis adiacentium agrorum pertingi consueuisse, non putauerim, cum in publicos priuatosque vsus iter agentium, piscatorum, vicinorumque inculti aliquid, vt etiam hodie fit, relinqueretur soli. Quo fit vt quamuis sinuosas esse ripas intellexerint Iurisprudentes, ac Nomothetæ, non tamen tales prædiorum esse frontes censuerint, aut si a consimili forma non abesse putauerũt, tamen, rectis tensis lineis in frõtibus illis, ad rigorem esse reducendas senserint. Nam alioqui lineæ ab his fronti-

bus in insulas locaque diuidenda, in directum *vt Paulus vult*, nō transducerentur, sed sæpius in obliquum, vt a Bartolo non sine errore passim fit. Si enim ripæ agrorumque frontes semicirculum, aut semicirculo figuram minorem, maioremve imitentur (*vt de angulosis nihil dicamus*) non transducuntur Bartolo lineæ, sed ad sinus centrum protrahūtur, eoque loci terminum accipiunt, vt ex decima octaua, & decima nona ab ipso in Tyberiade delineatis figuris, & aliis eorum opusculorum locis facile cognoscitur. Quæ res lōge est absurdissima, & rationi naturali, ipsique legi minime cōsentanea. Cui namq; decessio obfuit accessio debet prodesse, & lineas directas ac parallelas in insulam diuidēdam lex duci iubet: nam inquit Iurisconsultus, *Quantum enim ante cuiusq; eorum iuxta ripam est, tantum veluti linea in directum per insulam transducta, quisq; eorum in ea habebit certis regionibus.* Habetur autem ratio latitudinis, quæ in fronte iuxta ripam sit, non quæ in agro, quia flumē quod abstulerat, reddidisse videtur, ac ne, si pro modo latitudinis fortasse in agro maioris aut minoris, diuiso fiat, vicinis maior, aut minor, quam par sit portio accedat. Adhæc, si ad Bartholi præscriptum diuisio fiat, illud vsu veniet, vt eam aluei, alluuionis, aut insulæ portionē, quæ e regione, & ante fundi mei frontem fuerit, quamque mihi Iurisconsultus in prænotata *l. Inter eos*, adiudicat, nō omnino cōsequar. Quod enim extra conum linearum, a sinu in rem dispertiendam ductarum, reliquum erit (siquidem conum quendam efformant lineæ a sinu, & circuli portione in centrum productæ) licet ante fundum meum exsistat, exclusum, vicinis hinc inde accedet: aut si vicinorum agrorū frontes, mei agri fronti persimiles erunt, vnde ex obliquis lineis coni alii fiant, nulli adscribetur. Adde quod is aliquando erit frontis flexus, vt si super eo ad circinum designato lineæ, quæ in centrum concurrant, instruantur, nihil insulæ quāuis vicinæ intercipiatur. Præterea cum ripæ frontesq; agrorū ripis adiacentium, nunquā ad circinum sinuosæ sint, quid causæ est, vt magis ad circinum earum flexus, aut ad angulum alicubi, vnde quę demonstrata sunt absurda sequātur, quam ad rigorē rectamque lineam, vt naturalis ratio, & lex iubēt, redigere velit? Huc accedat postremo, quod si ea diuisionis ratio & via, quam Bartolus tam artificiose, vt multis videtur, edocuit, tamquam ex legis mente ineunda esset, Geometricaq; schemata, linearumq; ductus res tam varios requireret, Iulius Frontinus, maximus Geometra, quique sub Diuo Nerua Imperatore, mensurarum rationem (*vt ipsemet in præfatione operis sui ad Celsum Penestum demonstrat*) ac opera exercebat, in libello de Iure, & controuersiis limitum, quæ ad hanc rem pertinebant, non omnino omisisset, præsertim cum de alluuione dicat fieri controuersiam, & de Alueo fluminis veteri, ac insula fluuiali aliquid scripserit. Quin Aggenus

Vrbi-

Digitized by Google

Vrbicus in Commentario in Iulii Frontini arcum, cum agat pluribus de Alluuione, eorum, quæ Bartolus comminiscitur, Iatem particulam (nam ad huiusmodi res ç eius etiam paululum geometriç initiato facilis datur aditus) attigisset, aut ad hasce dirimendas controuersias, Agrimensoris diligentiam accersendam esse censeret, quod aliquando in rebus aliis Frontini sententiam sequutus, faciendum esse testatur. Hæc eadem plane, quæ anno a CHRISTO nato 1552. literis consignaueram editurus, in mentem etiam venerunt eruditissimo, & multis nominibus clarissimo viro Ioanni Buteoni Delphinatico, qui libro De Fluuiaticis insulis secundum ius ciuile diuidendis, a Bertello 1554. primum Lugduni edito, in quo diligentissime hac de re agit, animaduertit. Mea autem hæc Miscellanea, in quibus hoc idem caput continebatur, legerunt Bononiæ anno 1553. quos aduoco testes omni exceptione maiores, præter illustrissimum Principem Iulium Vitellium, Sebastianus Regulus, qui adhuc in eius vrbis Gymnasio seniores literas docet, Albertus Floralius, Franciscus Spatarius, & Petrus Baccius, Iurisconsulti optimi, magnaque Arretinorum ornamenta: vt Pompeium Nutum, Ioannemque Nicolaum iustum eruditissimos iuuenes mittam, quorum hortatu hæc scripsi, quique hos libros sæpius antequam Bononiam proficiscerer, versarunt.

Quas res emendis vendendisque pecore, & iumentis stipularentur antiqui, & quas verborum formulas vsurparent. Varronis verba quædam declarata.

CAPVT III.

Animalium quoque venditor cauere debet, ea sana præstari. Et qui iumenta vendit, solet ita promittere, ESSE BIBERE VT OPORTET. Sunt hæc Domitii Vlpiani verba, quę leguntur *in l. Ex emtor. §. Redhibitionem ff. De Actionibus emt.* Quæ cum olim obseruasset Nicolaus Antonius Grauatius, doctissimus Iurisconsultus, quo cum Venetiis aliquamdiu coniunctissime, atque amantissime vixi, ex me percontabatur, an ego, qui non sine rei familiaris detrimento scriptores multos excussissem, præter hanc loquendi formulam, qua venditor dum emtori caueret, vteretur, in huiusmodi contractibus alia verba consueuisse vsurpari animaduertissem. Quem ego monui, *vt Varronem lib. 2. Rei rustica cap. 2.* consuleret, apud quem de re quædam leguntur, quæ cum a me in hypomnematis essent adnotata, memoriæ tunc minime adessent. Varronis autem verba, ad rem pertinentia sunt infrascripta, quæ in lectoris gratiam referre libuit, *in emtionibus iure vtimur eo, quod lex præscripsit.* In ea enim alii plura, alii pauciora excipiunt. Quidam enim pretio facto, in singulas oues, vt agni chordi duo pro vna oue adnumerentur, & si qui vetustate dentes absunt, item binæ pro singulis vt procedant. De reliquo anti-

qua fere formula vtuntur cum emtor dixit, *TANTI SVNT MI EMTÆ*, & ille respondet. *SVNT.* & promisit nummos. Emtor stipulatur prisca formula sic, *ILLASQVE OVES QVA de re agitur*, sanas recte esse, vt pecus ouillum, quod recte sanum est: extra luscam, surdam, minam, id est ventre glabro, neque de pecore morboso esse, habereque recte licere? *HÆC SIC RECTE FIERI SPONDES?* Nec cum id factum est, tamen grex dominum mutauit, nisi si est adnumeratum. Et eodem libro capit. quinto. Eos cum emimus domitos sic stipulamur. *ILLOSCE BOVES SANOS ESSE NOXISQ. PRÆSTARI?* Cum emimus indomitos sic, *ILLOSCE IVVENCOS SANOS RECTE, DEQ. SANO PECORE ESSE, NOXISQ. PRÆSTARI SPONDESNE?* Paulo verbosius hoc qui Manilii actiones sequuntur. Lanii, qui ad cultrum boues emunt, & qui ad altaria, hostiæ sanitatem non solent stipulari. Idem ab eodem Varrone *cap. 6. 7. & 8.* statuitur in emtionibus venditionibusq; asinorum, equorum, & hinnulorum. Verum ne omnino illibata verba hæc relinquamus, sciant semidocti, quantum attinet ad verba illa, *In emtionibus iure vtimur eo quod lex præscripsit.*] legem accipi non pro ciuili lege, sed pro mancipio, aut mancipii lege, quæ dici in venditionibus consueuerat Horatius *lib. 2. Epistolarum in Epistola* ad Iulium Florum.

Prudens emisti vitiosum, dicta tibi est lex.
Insequeris tamen, & lite moraris iniqua.

Cicero lib. 1. de Oratore, *Cum enim M. Marius Gratidianus ædes Auratæ vendidisset, neque seruire quandam earum ædium partem, in mancipii lege dixisset, defendebamus, quicquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset, &c.* Idem *lib. 3. de Officiis*, de earundem ædium venditione, *Hæ Sergio seruiebant, sed hoc in mancipio Marius non dixerat, &c.* Sequitur mox in contextu Varronis, *Et si qui vetustate dentes absunt, item bina pro singulis vt procedant.*] Annotandum est verbum *Procedant*, valere, *In vtilitatem cedant*. Idem namque quod prodesse, significare videtur. Cato *in libr. De Re rust. ca capit. 148. Quot*, inquit, *dies per dominum mora fuerit, quo minus vinum degustet, totidem dies emtori procedent, &c.* P. Scipio in Oratione, quam Censor de moribus ad populum habuit, lata apud Gellium *Noct. Attic. lib. 5. cap. 19.* inquit, *In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre. Filium adoptiuum tam procedere, quam si se natum habeat.* Atque ita interpretari videtur idem Gellius sic de eiusdem Scipionis relatis verbis loquens, *Id etiam eum culpauisse, quod filius adoptiuus, patri adoptatori, inter præmia patrum prodesset.* Ad ea vero verba, *Nec cum id factum est, tamen grex dominum mutauit, nisi si est adnumeratum.*] spectant quæ ex Caio Iurisconsulto leguntur *in l. Quod sæpe §. Si pro numero. ff. De Contrahenda emt.* sunt autem subiecta, Si inquit, *pro numero corporum*

Digitized by Google

rum pretium fuerit statutum, Sabinus, & Cassius tunc perfici emtionem existimant, cum adnumerata, admensa, appensaue sint: quia venditio quasi sub hac conditione videtur fieri, ut in singulas metretas, aut in singulos modios, quos quasque admensus eris, aut in singulas libras, quas appenderis, aut in singula corpora quæ adnumeraueris. Ergo & si grex venierit, siquidem uniuersaliter uno pretio, perfecta videtur, postquam de pretio conuenerit. Si vero in singula corpora certo pretio, eadem erunt, quæ proxime tractauimus. Hæc Caius.

Locus in eiusdem Varronis verbis perplexus declaratur, atque agitur de animalibus sacrificio ineptis. Cur homines corpore vitiati, a sacerdotio arceantur.

CAPVT IV.

NOn parum mihi negotii facessunt verba illa Varronis supra relata, *Lanii qui ad cultrum boues emunt, & qui ad altaria, hostiæ sanitatem non solent stipulari.*] Satis enim constat, animalium, quæ sana non sint, carnes corporibus humanis morbos perniciemq; conciliare; & Diis, mutilis & morbosis animalibus, fieri sacra non consueuisse. Vnde illud apud Aristophanem,

ἀλλ' οὐδὲ θύσιμος, ἐστιν, αὐτὴν κέρκον οὐκ ἔχων.

Id est,

Sed neq; sacrificio conuenit, ipsam caudam non habens.

Sanum enim, & perfectum esse debet quod Diis offertur. Suidas, Κόλουρα. τὰ μὴ ἔχοντα κέρκον ἢ τὰ κολοβὸν ἔχοντα οὐρὰν, ἅπερ ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται. καθόλου γὰρ εἰ μὴ τέλειον καὶ ὑγιὲς οὐκ ἐθύετο τοῖς θεοῖς Id est, *Colura, Non habentia caudam, vel habent. a mutilam caudam, quæ in sacrificiis non mactantur. Vniuersaliter enim nisi esset perfectum & sanum non sacrificabatur Deis.*

Hæc ille.

Quo pertinent illa Aristotelis apud Athenæum *libr. 15. Dipnos. Cap. 5.* Aristoteles (inquit ex interprete Athenæus) in Symposio narrat, *quod nihil mutilatum Deis offerre, sed omnia perfecta ac integra donare consueuimus. Plenum vero, & perfectum esse videtur corona.* Hæc ille. Iulius Pollux *lib. 1 cap. 1.* de adductis victimis; ostendit, delegi oportere victimas sanas, & rectis membris, ac non mutilis prædita. Plinius quoque *Natur. hist. lib. 8. c. 45.* demonstrat, in sacrificiis non quoduis animal citra delectum offerri altaribus, fuisse in more positum. sic namque ait de bobus, *Huic tantum animali omnium, quibus procerior cauda, non statim nato consummata ut ceteris mensura. Crescit usque donec ad vestigia ima perueniat. Quamobrem victimarum probatio in vitulo, ut articulum suffraginis contingat. breuiore non litant. Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare. sicut nec claudicante, &c.* Plutarchus *Problemate* 72. victimis non sanis sacrum fieri non consueuisse, nec auibus vlceratis auspicari solitum dicit. Hermippus verba faciens ad Dionysium Athenæi *Dipnos. libr. 12. Cap.* 29.

ad rem quod attinet in hanc loquitur sententiam, *Nunc pauperes iam tibi boues mutilos sacrificant, Leotrephide, ac Thumantidae graciliores.* Hæc ille, rem indignam, & sacrificandi legi minime consentaneam demonstrare volens. Non solum apud Ethnicos, sed etiam apud Hebræos hostiarum delectus habebatur, & mutila, ægrota, maculisque deturpata offerre non licebat, *ut Leuitici cap. 9 & 22 Deuteronomii 15. & 17. & Malachiae. aperte cognoscitur.* Cum igitur animalia, quæ non erant sana, item mutila, & indecora, sacrificiis essent inepta, & morbosa perniciem comedentibus afferrent, quid caussæ est, vt qui hostias ad altaria, & qui ad cultrum boues emebant, sanitatem non stipularentur? Quantum spectat ad hostias, stipulationem huiusmodi adhiberi non consueuisse arbitror, quia maximus haberi consueuisset delectus hostiarum, atque has prius diligentissime probare solerent, quod paululum indicat Plinius verbis superius relatis dum inquit, *Quamobrem victimarum probatio in vitulo ut articulum suffraginis contingat, breuiore non litant.* Hoc quoque notatum, vitulo ad aras humeris hominis allato non fere litare, sicut nec claudicante, &c. Vnde hostiæ eximiæ dictæ. Macrobius *Saturn. lib. 3. Cap. 5. Eximii quoque, inquit, in sacrificiis vocabulum, non Poeticum est, sed sacerdotale nomen est.* Veratius enim in Pontificalibus quæstionibus docet, eximias dictas hostias, quæ ad sacrificium destinatæ eximantur e grege; vel quod eximia specie, quasi offerendæ numinibus eligantur. Hinc ait,

Quatuor eximios præstanti corpore tauros

Vbi quod eximuntur, *Eximios*, quod eliguntur, *Præstanti corpore nominauit.* Hactenus Macrobius. Ex quo existimandum libris sacerdotalibus, iureque pontificio cautum fuisse, quales hostias eligere oporteret & quas reiicere. Liuius namque *lib. 5. Decad. 3. librorum*, in quibus apud Romanos sacrificandi ars concepta esset, facit mentionem. Est etiam a Cœlio Rhodigino relatum *Lectionum antiquarum lib. 7. Capit. 1.* Græci moris fuisse, tauros quidem explorare farina apposita, capras vero ciceribus. nam si gustasse abnuissent, ea re haud valere satis concipiebant. Capras autem etiam frigida aqua.

Quod pertinet ad lanios, qui ad cultrum boues citra sanitatis stipulationem emebant, quantum coniectura assequor, id factu dixerim, quia statim emtu animal essent occisuri, aut quia nullus bobus pecorique morbus inesse potest, ex quo carnes eius perniciosæ aut pestilentes sint, qui oculis, aut manibus non deprehendatur, quandoquidem laniorum solertiam tantam esse quotidie videmus, vt etiam morbos intestinos, & penitioribus pecoris partibus insidentes pluribus argumentis ex longa obseruatione cognoscant. Quamquam hac de re amplius quærendum esse videtur.

Verum

Verum nedum hostias Diis offerendas, sed etiam sacerdotes sanos, non mutilos, minimeque deformes esse, antiqui voluerunt. Nam, vt missa faciam, quæ leguntur Leuitici *cap.* 21 multisque locis in iure nostro Pontificio, Seneca *lib.* 4. *Decl.* lege fuisse cautum demõstrat, vt sacerdos corpore vitiato nec integro, a sacris remoueretur; quod tamquam res mali ominis homo huiusmodi esset deuitandus. Est etiam ab Aulo Gellio relatum *li.* 1. *cap.* 12 fas non fuisse capi virginem Vestalem, quæ lingua debili, sensuue aurium diminuta, aliaue quauis corporis labe insignita esset. Plutarchus *Problemate* 72. testatur, *Augures si vlcus habuissent, augurandi caussa sedere prohibitos.* Cuius rei caussã ille ita explicat, *An & hoc signum est non oportere qui morbum aliquem, aut vlcus, aut perturbationem in animo haberent, res diuinas tractare, sed tum Deorum mentem hominibus prodere, cum & liquido, & integro animo essent? An illud rationem habet: si neque victimam sanandi vlceris caussa quisquam adhiberet, nec auibus vlcerosis ad auspicandum vteretur, eo multo magis in se ipsis seruanda existimasse, vt ad ea, quæ a Diis significarentur, puri, & integri accederent? Vlcus enim mutilatio quædam, & corporis pollutio videtur.* Hæc ille. Adstipulantur Plutarcho non parum sacrarum literarum vetustate, & pietate in Deum insignes interpretes. Hieronymus siquidem Ad Fabiolam *De veste sacerdotali*, corporis vitia ad animum referri ait, ideoque talibus præditos corporibus ad rem diuinam faciendam, esse ineptos. Gregorius, vt etiam legitur *in Decr. cap.* Hinc etenim. *Dist.* 49 vitia, maculasque corporis, animi vitiis sociari scriptum reliquit. At optime Theodoricus *Quæst.* 30. in Leuiticum, qui corpore vitiatos a sacris arceri testatur, vt per affectiones non sponte susceptas, ea, quæ a voluntate proficisci solent, prohiberentur. *Verbigratia*, inquit, *oculorum excæcatio, inopiam cognitionis significat; auris amputatio, inobedientiam; naris autem ablatio facultatis discernendi priuationem; manus abscissio, in agendo socordiam; hocque modo reliqua sunt intelligenda. Iccirco victimas omnibus membris integras offerre, per ea, quæ offeruntur, instruens offerentes, vt habeant animæ synceras operationes, &c.* Idem Quæst. 14. ad cap. 15. Deuteron. ait *ideo præcipi, ne Deo offerantur primogenita ex armentis gregibusque maculosa, & vel claudicantia, vel cæca, aut aliqua corporis parte deformia infirmaque; vt admoneantur homines debere nos ad omne opus bonum consummata esse sapientia.*

Roma cur communis patria a Modestino sit appellata, alio pacto quam Alciatus fecerit declaratum. Romanum imperium, Orbem ex ea caussa, quam Hegesippus attulit, non esse dictum.

CAPVT V.

ROmam communem esse patriam, dixit Modestinus Iuriscõ-

fultus *l Rem. ff. Ad municipales.* id ei nominis tribuit etiam Cicero *Orat. I. contra Rullum,* quamquam fortasse, vt a Modestino factum suspicari licet, non omnium nationum ratione, cum viceque voce Nostra, vtatur. Cur autem hoc nomen Romæ tributum sit, admodum erudite explicat Alciatus *Dispunctionum lib 2 c. 20* nimirum quod omnes, qui Imperio Romano subditi essent, ciuitatis Romanæ ius haberent, iuxta illud Pauli sub titulo *De statu hominum ff. In Orbe Romano*, qui sunt, ciues Romani ex constitutione diui Antonini effecti sunt. Verùm etsi germana hæc videtur sententia, nihilominus cum ante constitutionem Antonini ac Roma sic nuncupata, ea etiam de caussa communis patria dicta videtur, quod totius quasi habitatæ esset terræ compendium, in qua omnes plane habitarent nationes. Quod verum esse ex Athenæo cognoscere licet, qui Dipnos. *libr. 1. cap. 15* sic loquitur, Comitio interprete, *Non longe,* inquit, *aberraret fortassis a scopo, quisquis totius habitatæ terræ compendium Romanorum ciuitatem appellauerit, in qua omnes ciuitates commorantes facile intueri licet, & particulatim & quamplurimas; vt Alexandrinorum auream, Antiochenorum pulcram; Nicomediensium ornatissimam, eminentem præterea splendidissimam quotquot Iupiter detegit Athenas. Deficeret non vnum dicam diem, ad connumerandas ciuitates, quæ in Cœlo Romano continentur, sed omnes vix per anni spatium ob multitudinem connumerarentur. Omnes namque ibi nationes habitant, Cappadoces, Scythæ, Pontici, & alii complures. Hi sunt enim tot urbi orbis habitatæ terræ compendium.* Hæc ille. Quia ergo totius habitatæ terræ compendium Roma videretur, quod eam omnes fere nationes incolebant, communis patria potuit eam appellari. Imperium autem Romanum, cur Orbis diceretur, scriptum Hegesippus reliquit *lib. 2. c. 9* in hanc sententiam loquens de Romanis. *in ipsorum quoq; nomen elementa transierunt, in quos etiam transiuit orbis terrarum, qui Romano imperio clauditur, & definitur. Denique a plerisque Orbis Romanus appellatur. Nam si verum quæramus, vt supra diximus, terra ipsa infra Romanum imperium est.* Hæc Hegesippus. Imperium autem Romanum, Orbem appellat, præter Spartianum, Lampridium, Marcellinumq; & alios eius ætatis scriptores, Optatus Afer *lib. 3. de Schismate Donatistarum, Non ergo,* inquit, *in summo montis Sion Ecclesia aspicit vallem, sed in montem Sion, qui est Ecclesiæ... per omnem orbem Romanum caput tollit sub toto cælo, &c.* Sed orbem pro ditione & imperio antiquioribus temporibus dictum inuenio Ouidius in Metamor. sub Minois persona,

Certe ego non patiar Iouis incunabula Creten,
Qui meus est orbis, tantum contingere monstrum.

Plinius quoque *lib 12 Nat. hist cap 12* pro regione vocem hanc accipit, inquiens, *In nostro orbe proxime laudatur Syriacum, &c.* Quo fit vt suspicer Hegesippum Latinæ linguæ non admodum

gnarum

gnarum, nec satis in Latinis versatum auctoribus, vnde imperium Romanum, *Orbis* nuncuparetur, non satis esse assequutum. Nam etsi ditionis Romanæ amplitudo id nominis exigere videtur, nihilominus cum & Cretam insulam præ Romano imperio exiguam, Minois orbem dici conspiciamus, vox huiusmodi ad imperium videtur aliquo pacto pertinuisse, quod ditio quatenus progrederetur limitibus, quasi in orbem circumscribi soleret. Sed intercedant eruditi, hæc namque non tam iudicandi gratia, quam admonendi excitandique ingenii lectorum, a nobis in medium adducuntur.

Auli Gellii locus expenditur, & Alciati, Ferrarii aliorumque Iureconsultorum error demonstratur.

CAPVT VI.

AVlus Gellius *lib. 5. Noct. Attic. cap. 19.* dum de Adoptione atque arrogatione ageret, arrogationem sua ætate per populum fieri consueuisse testatur, & arrogationis, quæ per Principem fieret, non meminit. Quæ res magna admiratione digna videtur, siquidem antiqua lege Regia (hæc & lex Imperii appellatur *in l. Ex imperfecto. C. de Testam.*) omne ius, omnisque potestas Populi Romani, in Imperatorem migrauit, vt testatur Iustinianus. *l. 1. §. Cum enim. C. de Veteri iure enucleando. & § Sed & quod Principi Inst. de Iure nat. gent. & ciui. ac legitur in l 2 ff. de Orig. iuris. l. 1. de Constit. Principum. & l. vnica de Offic. Pref. pret.* Præterea quia Caius. *l. 2 ff. de Adoptionibus.* & idem Iustinianus *in Instit. sub eodem titulo §. 1.* arrogationem sub Imperatoribus per Principis rescriptum fieri consueuisse demonstrant. Quamquam Caius in suis Institutionibus (nisi hic alter sit Caius ab illo diuersus) ex quibus legem illam in Pandectas translatam esse affirmatur, arrogationis, quæ Principis auctoritate fieret, non facit mentionem, videturque eius contextus locupletatus additamentis eorum, qui Pandectarum libros composuerunt, vt ab eis aliis in locis esse factum, fuit a me obseruatum. Quin Imperatores Diocletianus, & Maximianus *in l. Impuberem C. de Adoptionibus*, arrogationem, quæ per populum fiebat, iuris esse antiqui aperte affirmant, his verbis, *Arrogatio etiam ex indulgentia principali facta, perinde valet apud Pratorem, vel Præsidem intimata, ac si per populum iure antiquo facta esset.* Vnde doctissimus vir Andreas Alciatus *in Comm. ad l. Derogatur. ff. de Verb. Signif.* quæ a Gellio de arrogatione afferuntur, iuris esse antiqui existimat. ac postquam Popul. Roma. omne imperium in Augustum transtulit, rescripto Principis opus fuisse dicit. Atque eadem fuit sententia Ioannis Ferrarii *in Annotat. in Institutiones*, vt alios etiam ex nostris Iureconsultis omittam, qui in eandem iuerunt sententiam, vel iam inde ab vsque Tiberii Imp. tempore veterem illum morem rogationem exolevisse affirmant. Sed hi lapsi videntur; nam Gellii de

Arrogatione, quæ sua ætate in vsu esset, clariora sunt verba, quam vt dubitationi locus relinquatur. Accedit eo quod curiata legis, quæ in comitiis fieret, in arrogationibus vsum etiam sub Imperatoribus perdurasse cognoscitur ex Dione libro 39 & 41. & Domitius Vlpianus, ac Appianus Alexandrinus, quos Adriani Imperatoris ætate floruisse constat, per populum Rom. fieri arrogationem, scriptum reliquerunt, alter lib. 3. Bel. ciu. alter vero in suis Instit. Quibus adstipulatur Galba Imp. apud Tacitum lib. 1. his verbis ad Pisonem. Sese, inquit, *priuatis lege curiata apud Pontifices, vt moris est adoptarum.* Quare secl... ... Francisco Hotomano, qui in Annot. *in Instit.* consuetudinem arrogandi per populum, Diocl. & Max. Impp. aut alterius paulo superioris Cæsaris ætate absoleuisse existimat. Gellius autem horum imperii annum primum (fuit hic ab vrbe condita 1038.) quo constitutio illa edita est, non multum præcessit. anno siquidem millesimo ab vrbe condita, caput primum libr. vltimi *Noct. Att.* vt ipsemet testatur, scribebat. Patet igitur quo pacto Gellii locus sit accipiendus, & comitiorum ius saltem, quantum pertinebat ad arrogationes celebrandas, etiam post initium a Tiberio imperium, & sub posterioribus Imperatoribus, licet nostri reclament, non penitus esse abolitum. Et si verisimile est illis temporibus comitia pendere consueuisse ab Imperatoris potestate, & arbitrio.

De fructibus arboris in confinio vel prope confinium natæ Caii verba in Pandectis, & Iustiniani in Institutionibus emendata. Doctissimorum quorundam virorum sententia reiecta, legibus aliquot declaratis. Agrorum terminos olim fuisse varios.

CAPVT VII.

IOannes Andreas Angelerius, ciuis affinisque meus, multa probitate atque eruditione Iureconsultus, ancipiti morbo implicitus, redierat ex agro Senensi, in quo apud Ioannem Iacobum Medicem, summum Imperatorem, ius dicebat, totiusque exercitus militares suborientes controuersias magna cum laude dirimebat. Hunc, cum morbus inducias quasdam iam concedere cœpisset, egoque a domesticis curis, & a respondendi cauendique militia sollicitudinis ac stomachi plena, interdum vacuus essem, officii ergo, ac hominis comitate incredibili, & doctissimorum sermonum suauitate pellectus, inuisere solebam. Cum autem vires adhuc illi imbecilliores essent, iis de rebus colloquebamur, quæ mentem exhilarare, mirumque inmodum oblectare solerent. Verum morbo sensim remittente, eoque iam valentiore reddito, nec a dissertationibus, leuioribus illis quidem, sed quæ fructu minime carerent, abstinebamus. Inter ceteras autem dissertationes aliquando quæstio incidit, De dominio fructibusque arbo-

bons

boris in agrorum confinio vel prope confinium enatæ. In qua multis vltro citroque intortis argumentis, eo tandem deuenimus vt receptam Iuris interpretum sententiam, amplecteremur. Sed cum eo sim ingenio, vt dum aliquid otii suppetit, controuersias huiusmodi, atque etiam grauiores iam plane obliuione sopitas, in animum reuocem, libuit modo ea de re, de qua quidam recentiores postea scripserunt, disserere.

Caius Iurisconsultus *in l. Adeo. ff. De acquirendo rerum dom.* sic habet. Si *alienam plantam in meo solo posuero, mea erit. Ex diuerso, si meam plantam in alieno solo posuero, illius erit; si modo vtroque casu radices egerit. Antequam enim radices egerit, illius permanet cuius & fuit. His conueniens est, quod si vicini arbor ita terram presserit, vt in meum fundum radices egerit, meam effici arborem. Rationem enim non permittere, vt alterius arbor intelligatur, quam cuius in fundum radices egisset. Et ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis est.* Hæc Caius: quæ in Iustiniani Institutiones, ab iis, qui eas cõposuerunt, in titulum *De Rerum diuisione* translata sunt. Additque Marcianus statim his Caii verbis nouissimis, *Pro regione cuiusq; prædii.* His adstipulatur Paulus *in l. Arbor. ff. De Communi diuidundo, & in l. Illud. ff. Pro socio,* inquiens, *arborem in confinio natam, quamdiu cohæret fundo, ex regione cuiusque finium, pro qua parte in fundo fuerit, vtriusq; vicini communem finitis partibus esse, ita vt in communi diuidundo iudicium non veniat.* Sed his maxime aduersari videtur Põponius *in l. Si plures. ff. Arborum furtim cæsarum.* eo loci, vbi in hæc verba loquitur, *Si arbor in vicini fundum radices porrexerit, recidere eas vicino non licebit, agere autem licebit, Non esse ei ius sicuti tignum aut protectum, immissum habere. Si radicibus vicini arbor aletur, tamen eius est, in cuius fundo origo eius fuerit.* Hactenus Põponius. Cuius verbis permotus Iacobus Cuiacius nobilis nostræ ætatis Iurisconsultus, in Notis suis in Iustiniani Institutiones, ad locum prænotatum sic inquit, *Est igitur vel de radice controuersia, vel de glande legenda.* Controuersia radicis, ita iure nostro definitur. si ex vtraque parte arbor in fine posita radices egerit, communis est. Quæ non est posita in fine, & si vtrimque radices egerit, communis non est. *l. Si plures. ff. Arborum furtim cæsarum. l. vltima. ff. Quod vi aut clam. &c.* Sed miror perspicacis ingenii interpretem hæc protulisse, cum in verbis, quæ ipse interpretabatur, & in prænotata. *l. Adeo.* manifeste habeamus, arborem prope confinium positam, si in vtrumque fundum radices egerit, communem esse. Idem namque est iudicium (quod & eruditissimus Ioannes Budæo in tractatu *De diuisione fructus arboris in confinio natæ monuit*) siue in confinio, vel prope confinium arbor exsistat, dũmodo vtroq. fundo radicibus cohæreat. Sane ipse Budæo, in diuisione fructus arboris in confinio vel prope confinium natæ, ratio-

nem habendam esse dicit aeris fundo superfusi, non radicũ, quod hoc in iure habeatur pro regula, eius esse cœlum, cuius est solum, & radicum progressus subterraneus semper in occulto sit, & ad regiones limiendas prorsus incertus: eam que ob rem apud Paulum in prænotata. *l. illud ff. Pro socio.* vbi habet, *Proque ea parte singulorum esse debeat, pro qua parte* IN FVNDO FVERAT. intelligit fundum, aerem fundo superfusum; vnde necessario deducit partes fructuum in solo singulorum vicinorum de cœlo esse: limitandas, perpendiculo demisso, secundum expansiones ramorum extremas. Sed & hic labitur, iuriq; nostro aduersa præscribit. Nam primum quantum attinet ad aerem solo superfusum, quod ille ... ecit, *legibusq; vltima & penultima ff. Quod vi aut clam* probat, ... rum est in solo, in quo sit ædificium constructum, cui impendeat arbor; non autem in agris culturis destinatis. Sic enim inquit Vlpianus in *l. priore. ff. De arboribus caedendis, Differentia duorum capitum interd. his haec est, Siquidem arbor aedibus impendeat, ut succidatur praecipitur: si vero agro impendeat, tamen vsque ad quindecim pedes a terra coerceri.* Hæc Vlpianus. Quam quam Iulius Paulus Sententiarum *l. b. 5. Tit. 7.* agris ædificia æquat his verbis, *Arbor quae in alienas ades, vel vicini agrum imminet, nisi a domino sublucari non potest, isq; conueniendus est vt eam sublucet. Quod si conuentus dominus id facere noluerit, a vicino luxuries ramorum compescatur,* & ... Deinde quod spectat ad radicum subterraneos progressus cæcos & incertos; respondeo Iureconsultos ac nomothetas aperte rationem habuisse radicum, eamque incertitudinem nihil moratos, modo constet arborem vtrimq; radices egisse, cuius rei ablaqueatione citra arboris interitum admoneri possumus. siquidẽ, terra non admodum est ... illa, crassiores radices statim producuntur, & quibus ex locis arbor sibi attrahat alimoniam, intelligitur. Maior autem radicum quam aeris habenda fuit ratio: cum ab his arboris vita, & feracitas pendeat, nec modico detrimento arbores, radicũ sulctu agros afficiant, eos namque ita exhaustos reddunt, vt frugibus, nisi stercorationis adiumenta accesserint, non sint idonei. Quamobrem æquum est, incommodum damnumque vicini, commodo ac vtilitate sarciri ac pensari. Et si ramorum arboris protectus, vmbra aliquid damni infert, quod tamen cum parui sit momenti, satis depulsum videtur, si a terra ad quindecim vsque pedes arbor sublucetur, altiusque coerceatur, vt Vlpiani verbis constat loco pridem citato, ex quo satis intelligitur, aerem fundo superfusum, quantum ad rem attinet, ad quindecim duntaxat pedum altitudinem domino fundi procedere. Accedat eo, quod si huius sententia vera sit, frustra Prætoris editum esset interdictum *in l. 1. ff. De glande legenda,* quo arboris domino conceditur, fructus, qui in vicini fundum deciderant, nimirum ex ramis in eum proiectis, tertio quoq. die legere atq. auferre. Vnde etiam satis liquet, verba

aiia

stia Pauli, *Proq; ea parte singulorum esse debeat, pro qua parte IN FVNDO FVERAT.* non esse, vt ipse voluit, accipienda Quod vel inde cognoscere licet, quia illud, *In fundo fuisse*, non solum ad arborem, sed etiam ad lapidem, qui per vtrumq; fundum extendebatur, a Paulo refertur. Ac nemini obscurum est, lapides intra terram oriri, *vt sensit Marcellus in l. Pr. regione. ff. de Acq. rer. dom.* (licet quibusdam locis & in terræ superficie, & in aquis ipsis fiant,) & alicubi etiam crescere, vt testatur Iureconsultus *in l. nouissima. ff. De fundo dotali, & in l. Diuortio. ff. Soluto matrim.* vt Alberti cognomento Magni *in libris de Mineral* Plinii *lib 36. c. 15.* & aliorum hic testimonia consulto omittam. Præterea nullus veterum iureconsultorum, quod equidem meminerim, huiuscemodi verbis, patulæ arboris ramorum, aut meniani, tigniue proiectū significat: verbisq; omnino vim afferre videmur, si fundum, pro aere fundo superfuso, accipiamus. Sane prætor, & Vlpianus *l. prætore. ff. De arboribus cædendis*, arborem vicini agro vel ædibus impendere, non in agro, aut ædibus esse dicunt. Sisenna vero de arbore, proiicere dixit, *vt legitur apud Macrobium lib. 4. Saturn. Verum*, inquit Sisenna, *atq; ingens erat arbor ilex quæ circum proiectis ramis, maiorem partem loci summi tegebat.* Vt enim inquit Iabolenus *l. Malum. ff. De verb. sign.* proiectum est id, quod ita prouehitur, vt nusquam conquiescat, qualia meniana, & subgrundia essent.

Igitur satis constat, radicum non autem ramorum habendam esse rationem. VERVM ad antinomiam præmonstratam redeo. Caius, Martianus, Paulus Iustinianusque manifeste decernunt, arborem in confinio natam, vel prope confinium positam, si etiam in vicini fundum radices egerit, communem esse. Contra Pomponius, *si arbor in vicini fundum radices porrexerit, ait recidere eas vicino non licere, agere autem licere, Non esse ei ius sicuti proiectum aut tignum habere.* Hanc contextuum litem dirimere volens eruditissimus Iureconsultus Franciscus Hotomanus *lib. 1. Obseruationum capit. 10.* ait Pomponium id sequutum, quod in aliis similibus caussis spectari solet, scilicet vt id, quod partis accessionisque loco est, ex eo, quod principale est, censeatur, quemadmodum in purpura, ceterisque omnibus traditur *in l. Sed si meis. ff. De acquirendo rerum dom. l. Cum aurum. §. Peruenimus. ff. De auro & arg. leg. l. Tigni. ff. de exhib. l. In rem actio §. 2. & 4. ff. De rei vindicat.* Cum igitur non modo longe maxima pars arboris, sed etiam potissima pars radicum, in meo fundo sit, quamuis in vicini fundum reliqua pars prorepserit radicum, arbor mea nihilominus manere debet, cum & si vicini fundo arbor partim alatur, ex potiore sui parte, vt in ceteris fit, extimanda sit. vt hac ratione Caii Iustinianique argumentum neutiquam obsit, quo dicitur, rationem non permittere, vt alterius arbor esse intelligatur, quā cuius in fundū radices egerit. Cuius viri sententia non videtur reiicienda,

In eo tamen lapſus videtur, quod putat radices non eſſe excinden-
das, ne arbori interitus afferatur, ſed ſi quid vicini interſit, nega-
toria cum actione vti debere, Ius mihi non eſſe immiſſum illud in
ſuum fundum habere, vt ei ſuum damnum vel in pecunia, vel in a-
liqua fructuum parte reſarciam. Eſt enim ſane quam manifeſtum,
ſi radices non multæ admodum, vtpote quarum ratio non habea-
tur, arbori, quæ magna radicum copia ſuffulta ſit, abſcindan-
tur, interitum ipſi non afferri: nec videri Pomponium demon-
ſtrare, non eſſe radices abſcindendas, & ſi dicat, vicino eas recide-
re non licere. Siquidem vetat, illas propria auctoritate abſcinde-
re, cum velit vt agat, *Non eſſe mihi ius in ſuo fundo radices habere,*
ſicuti proiectum, aut ipſum in eius ædificium immiſſum habere. Hanc
autem actionem his verbis dari ad rem, quam ita habere non cō-
ceditur, amouendam, demonſtrat idem Pomponius *in l. poſteriore,*
De arboribus cædendis, dum inquit, *Ex lege 12. Tabularum de adi-*
menda ea recte agere potes, ius ei non eſſe ita arborem habere. Sic
Pomponius. Traditque Vlpianus *in l. pen. ff. Vti poſſidetis,* interdi-
ctum, Vti poſſidetis, efficax eſſe ad vicinum compellendum vt
proiecta (his autem Pomponius comparat radices illas) & tecto-
ria tollat. Licet obſtare videatur quod de aquæductu dicitur *in l.*
Quemadmodum. §. 1. ff. Ad legem Aquiliam. Significat ergo Pom-
ponius propria auctoritate, &, vt dicitur, de facto, radices arbo-
ris meæ, quamuis fundo ſuo hærentes, vicino abſcindere non li-
cere, quemadmodum nec ei permittitur arborem, quam in confi-
nio plantauerim ſuccidere (nam eo caſu contra me actio datur, vt
arbor iudicis præcepto cædenda ſit, *vt in l. Seu & loci ff. Finium re-*
gundorum. præſcribitur) agere autem licere negatoria actione, vt
radices iudicis præcepto recidantur, ne quid detrimenti ſibi affe-
ratur: arborum enim radicibus, agrorum fœcunditas exhauritur.

Illud non leuem continet difficultatem, quod Caius, & Iuſti-
nianus inquiunt de vicini arbore, quæ in meum fundum radices
egerit: eam namque meam effici dicunt, mox vero ſubdunt, ar-
borem, quæ in vicini fundum radices egerit, communem eſſe. Ar-
bor vicini, quæ ita terram meam preſſerit vt in meum fundum
radices egerit, non mea ſed communis fore videtur, ſiquidem &
in vicini fundo, ex quo in meum radices produxit, radices eam
habere, negari minime poteſt. Cur ergo mea erit arbor, & non
etiam prioris domini? An fortaſſe quod potiores maioreſque ra-
dices, quibus illa ſemper nixa eſt, inſtruxerint, maiorque radicum
vis in meum fundum prorepſerit, vnde ex potiore parte in meum
ius ac dominium migrauerit? An hæc a communio abeſt, cum ſta-
tim de alia, verba illa ſubiiciantur? *Et ideo prope confinium arbor*
poſita, ſi etiam in vicini fundum radices egerit, communis eſt. Vtra-
que arbor in vicini fundum radices agit, at non vtraque commu-
nis ſit. Cur vna de re tot verbis, & cur, & diuerſa ſtatuuntur? Equi-
dem

dem, Caii, & Iustiniani contextum ex Cato desumtum, deprauatum esse arbitror, non enim diuersa sunt hæc, quod arbor ita terram presserit, vt in vicini fundum radices egerit, & quod prope confinium arbor posita, etiā in vicini fundum radices produxerit: Et hic hos nugamenta huiusmodi nobis obtrusisse, mihi non fit verisimile. De triplici namque hominis facto, vnico vero naturæ loquuti sunt. Scilicet *Cū alienam plantam alteri subreptam, in meo solo posuero: Cum meam in alienum transtulero: Cum alienam arborem non radicitus auulsam*, sed adhuc terræ hærentem, quæ prope confinium sit, ita in fundum meum inclinauero depresseroque, vt in eo coaluerit: Et demum, *Cum aliena arbor confinio adplantata, sponte, & solius naturæ opera in meum fundum radices produxerit.* Hanc autem germanum esse vtriusque sensum, deprauataque vtrobique esse verba, Pandectæ Florentinæ, aliaque vetusta exemplaria nos admonent, in quibus sic legitur, *HIS CONVENIENS EST QVOD SI VICINI ARBOREM ITA TERRA PRESSERIM, VT IN MEVM FVNDVM RADICES EGERIT, &c.* Hac recepta lectione, omnia recte habere nihilque absurdi obtrudi, manifeste perspicis. Verbum autem Premere, huiusmodi rei congruere Virgilius demonstrat, sic inquiens in Georgicis.

Quod superest, quæcumq; premes virgulta per agros
Sparge fimo pingui, &c.

Homines enim dum hæc agunt, terra premere arbores dicuntur, non autem arbores terram. Hæ namque cum coalescunt, terramue subeunt, radices in terram agere, vel terram comprehēdere, *vt in l. 3 ff. Arborum furtim cæsarum*, dicuntur. Huc accedit Venuleius *l. finali. ff. Quod vi aut clam.* eandem fere facti speciem proponens his verbis, *Si vitem meam ex fundo meo in fundum tuum deprehenderis* [*depresseris* castigatius legi arbitror] *eaq; in fundo tuo coaluerit, vtile est interdictum Quod vi aut clam, intra annum; sed si annus præterierit, nullam remanere actionē. Radices, quæ in fundo meo sint, tuas fieri, quia his accessiones sint* Hæc ille. Arboris autem appellatione, vites etiam contineri, satis liquet ex *l. prior. ff. de Arboribus cadendis. & l. 3 ff. Arb. furtim cæs. supra relatis.* Depresseris autem legendum esse ex itimo, monentibus, Glossula his verbis, *Depresseris*, id est propagaris. quam Ludouicus Russardus in codice manuscripto habere dicit, & prænotata Florentina lectione in verbis Caii, *TERRA PRESSERIM.* Vt minus admittenda videatur eiusdē Russardi, viri alioqui perspicacis, accerrimiq; iudicii, explicatio, in qua ita legitur, *Et forte deprehendere, ea formula hic dictum est, quæ defringere, & deplantare, vt sensus sit, Si sumseris vitem ex fundo meo in fundum tuum, id est in vsum fundi tui, vt scilicet in fundo tuo plantares. Ac præpositionis IN, hanc esse vim apud Latinos auctores, nemini ignotum est.* Hactenus ille. Nō enim

Venuleius id significare voluit, sed vitis propagationem ex meo in fundum suum a vicino clam factam. Cuius rei illud est argumentum, quod vite in fundum, eius depressa, aut propagata, vel si magis placet, deprehensa, h.e. deprehendendo inclinata, & suppressa, adhuc radices in fundo meo illam habere dicat; quæ tamen, cum alias radices intra anni spatium in fundum eius egerit, tamquam accessiones sint, mihi non prosint. Quanquam nec vitis, nec vlla alia arbor, ita depressa, nouas radices tot, tantasq;, tam breui temporis curriculo producere posse videtur, vt earum instar, veteres, & quæ adhuc fundo meo hærent, tamquam minores pauciores q; pro accessionibus habendæ sint. Iam igitur intelligis quæ sit Caii, Iustiniani, ac ipsius Venuleii sententia. Quamobrem etiam est restituendus locus ille in institutionibus de Rerum diuisione § *Si Titium.* hoc pacto, *VT SI VICINI ARBOREM ITA TERRA TITIVS PRESSERIT, VT IN EIVS FVNDVM, &c.* His recte iactis constitutis videndum est, cur Paulus *in citata. L. Arbor. ff. de Communi diuidundo, & in l. Illud. ff. Pro socio.* loquens de arbore, sic dicat, *Arbor, quæ in confinio nata est*; cum Caius *in l. Adeo. ff. De acquir. rerum dom.* idem quod & ille decernens, arborem prope confinium non natam, sed positam dicat. Et ego censuerim, id esse ideo factum, quod in confinio arbores plantare non consueuissent, & si a vicino plantatæ essent, ille eas amouere compellebantur, vt constat *in l. 2. & l. Sed & loci. ff. Finium regundorum.* Liberum enim oportebat esse spatium quinq; pedum a lege Mamilia præscriptum, quod inter vicinorum agros relinquebatur, cum per illud iter esset ad culturas, vel in eo circumageretur aratrum, qua de re sic habet Aggenus Vrbicus *in Com. in Iulium Frontinum, De fine, inquit, lex Mamilia quinque aut sex pedum latitudinem præscribit, quoniam hanc latitudinem vel iter ad culturas accedens occupat, vel circumactus aratri, quod vsucapi non potest. Iter enim non quo ad culturas peruenitur, capitur vsu, sed id, quod in vsu biennio fuit.* Hæc ille. A quo spatio Romani Imperatores præscriptionem summouerunt, vt patet apud Iulium Frontinum *in libro de Iure limitum. & in L. Quinq; pedum. C. Finium regundorum:* cui primi illuxerunt Petrus Crinitus *lib. 25. de Honesta disciplina cap. 4.* (hic tamen memoriæ lapsu, Iustinianum Imperatorem præscriptionem quinq; pedum in Digestis eliminasse dicit, cum in C. potius esset dicendum) & Marinus Becichemus Scodrensis Epistolicarum quæstionum *cap. 78* quas edidit a CHRISTI Seruatoris ortu anno millesimo quingentesimo sexto. E quibus Alciatus quæ primum de Quinque pedum præscriptione protulit *in Annot. in tres posteriores libros Codic. ad l. Quidam. de Decurionibus,* hausit, horum tamen nomine suppressis. Sed redeo ad rem.

Quamquam autem relinqui multis in locis solebat huiusmodi spatium quinque pedum, cuius præscriptio a lege Solonis, quæ

a Caio

a Caio refertur *in l. Finali ff. Finium regundorum*, & a Plutarcho in Solone commemoratur, defluxit, inque XII. Tabulas migrauit: & de qua mentionem facit Cicero *lib. 1. De Legibus*: nihilominus alicubi obsolescente consuetudine, minime videntur fuisse relicti quinque pedes. Cuius rei argumentum præbet illa vitis arborisq; vicini in agrum alterius deprehensio, vel depressio, & traductio; ac radicum arboris prope confinium positæ productio maxima, ex qua arbor communis efficiatur. Quandoquidem si quinque pedum spatium intercessisset, non admodum fuisset cuiquam integrum, vicini arborem in fundum suum quadam quasi propagationis specie deducere, nec arbor quamuis termino adplātata, tot tantasq; radices in alienum agrum effundere potuisset, vt tamq̃ ex æquo hinc inde radicum partitione facta, arbor efficeretur cōmunis. Illud hic non videtur omittendum, fuisse inter vicinorum fundos arbores, quibus fines præmonstrarentur, quas Iulius Paulus Sententiarum *lib 5. tit. 24* terminales appellat. Has notari consueuisse testatur Vrbicus loco præallegato, cuius verba quoniam ad rem nostram maxime conducunt, in lectoris gratiam referre libuit. Finis enim, inquit, multis documentis seruabitur, terminis & arboribus notatis, & fossis, & viis, & riuis, & vepribus, & sæpe normalibus: &, vt comperi aliquibus locis, inter arua marginibus quibusdam tamquam puluinis, sæpe etiam limitibus. Item petras notatas, quæ in finibus sunt, pro terminis habebitis. Si arboribus notatis fines obseruabuntur, videndum quæ partes arborum notatæ sint. Notæ enim in propriis arboribus a foras ponuntur, vt arbores liberas in parte a nota derelinquant. Si cōmunes sunt arbores, mediæ notantur & ad vtrumque pertinent. Hæc ille. Termini lapidei termino Deo dicabantur, & a vicinis, sertis coronabantur. Ouid Fastorum lib. 2.

Termine siue lapis, siue es defossus in agris
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes
Te duo diuersa domini de parte coronant,
Binaque serta tibi, binaque dona ferunt.

Tibullus vero de eodem Termino,

Nam veneror seu stipes habet desertus in agris
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Limites agrorum angustos fuisse & Varro demonstrat *li. 4. de Lingua Latina* his verbis, *Sæpe enim ad limitem, arboris radices, sub vicini prodierunt segetem.* Idem & limitarium viarum vsum arguit eodem libro sic inquiens, *Hinc fines agrorum termini, quod hæ partes propter limitare iter maxime teruntur. Itaq; hoc cum his in Latio aliquot locis dicitur (vt apud Accium) non terminus, sed termen. Etiam ambitus iter, quod circumeundo teritur. nam ambitus, circuitus. Ab eo XII. Tabularum interpretes, ambitum, parietis circuitum esse describunt. Et multo inferius. Huic origini magis concinunt luci*

vicini, quod ibi Lucus Fagutalis, & Larum, Querquetulanum sacellum, & lucus Martis, & Iunonis Lucinæ: quorum angusti fines, non mirum, iam aliis enim late auaritia nunc est. Hactenus Varro.

Controuersiarum; quæ super fructibus arborum affinium oriuntur meminit quidem Iulius Frontinus, sed nihil quod iudicem instruere possit est ab eo allatum, sic enim inquit *Est & controuersiæ genus, quod ad solum non pertinet, sed de arboribus, fructibusque earum, quæ in fine sunt, siue intra, nec ullam ad radicem habent controuersiam; quoties inclinatæ in alteram partem fructum iactauerint inter affines mouent disputationem.* Hæc ille. Quod attinet ad parietis circuitum, XII. Tab. pedes duos præscribunt Festus autem *lib. 1.* semipedem addit his verbis, *Ambitus,* inquit, *proprie dicitur, inter vicinorum ædificia locus duorum pedum, & semipedis, ad circumeundi facultatem relictus, &c.*

De parricidio, & pœnis, quibus antiqui parricidas afficiebant. Ouidii locus declaratur, & Constantini Imp. Lex illustratur. Modestini verba quandam lectionem a nonnullis allatam non ferre. Quo virgarum genere, & qua ratione parricidæ cæderentur.

CAPVT VIII.

PArentibus vbi a Deo Opt. Max. discesserimus, maxime nos debere, nisi quis humanitatem omnem exuat, nemo ignorat. Itaque non homines modo sensu quodam arcano, pietatis in parentes, sed etiam nonnullæ, quæ ratione carent, animantes, admonentur. Siquidem grauissimi auctores posteritati prodiderunt, ciconiam, vt infantiæ suæ vices rependat, vetulos parentes alere. vnde & pro iustitiæ symbolo auis hæc merito vsurpata est. Verum & si natura, & moribus erga parentes, omnes plane sic afficimur, nonnullos tamen reperias, qui ita se humanis cupiditatibus dediderunt, vel in iram exarserunt, vt parentes e medio sustulerint. Nam vt Principes viros prætercream, qui regnandi caussa parentes confoderunt, vidit nostra ætas Dynastas quosdam, leuissimis de caussis scelere hoc immani pollutos, e quibus ego deflere noui Claudium Vbaldinum e Montis Vicini Comitibus, manu promtum ac strenuum hominem, qui mox a suis, diuina ita iubente vindice, est trucidatus. Ipse quidem Solon legislator sapientissimus, cum, *vt Cicero in Orat. pro Roscio, & alii testantur*, interrogatus esset, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, id se neminem facturum putasse. quod ipsum & Romulum aliquando respondisse, Plutarchus scriptum reliquit. Verum illud dicit Cicero fuisse in caussa, vt parentum interfectoribus nullam priuatim pœnam maiores olim statuerint, quod non sana mente hominibus id accidere existimarent: Alcmeon enim, & Orestes matricidæ in furore versi traduntur.

Platonis

Platonis autem ætate cum iam in nonnullos, vt credere par est, scelus huiusmodi grassaretur, hac sanctione homines, quos natura in officio minime cõtineret, *Dialogo 11. de Legibus*, a parricidio patrando deterrere ipse nixus est. *Et qui cadis* (inquit *de parricidio* loquens) *huiusmodi condemnatus fuerit, tam a iudicum ministris, quam a magistratibus occidatur, trahaturq́ extra vrbem in statutum triuium nudus, vbi singuli magistratus pro vniuersa ciuitate, in mortui caput lapidem mittant, atque ita ciuitatem omnem purificent. Demum vltra regionis fines portatum, secundum leges insepultum eiiciant.* Hæc ille Ficino interprete. Minos apud Ouidium Scyllam, quæ patrem Nysum prodiderat, mõstrum appellat, inquiens,

Certe ego non patiar Iouis incunabula Creten,
Qui meus est Orbis, tantum contingere monstrum.

Idemque precatur, vt illa terra, & mari submoueatur,

Dii te submoueant, o nostri infamia secli,
Orbe suo, tellusq́ tibi pontusque negetur.

Quo loco ad parricidarum pœnam antiquæ legis Cornelia etiã antiquioris alludere videtur, cuius meminerit Valerius Maximus *lib. 1. cap. 1.* his verbis loquens de pœna, qua Tarquinius Rex quẽdam ob communicatum librum sacrorum mysteriorum affecerat, *Culeo*, inquit, *insutum, in mare abiici iussit: idq́ supplicii genus non multo post parricidis lege irrogatum est.* Sic Valerius. Et si non me latet Iacobi Cuiacii plausibiliorem esse sentẽtiam, qui legem pro more hic accipit, & amouendam esse negationem monentibus, vt ille ait, vetustis libris, existimat. Cui præter Liuiũ, & alios, Cicero etiam adstipulatur inquiẽs, vt supra relatum fuit, maiores nullam priuatim pœnam statuisse in eos, qui parentes interfecissent. Vnde probabilius dicendum sit, Ouidium ad Corneliam legem allusisse, quæ Pompeia prior sit. *l.* 2. §. *Deinde Corn. ff. de Orig. iuris.* & quam Imppp. Valent. Grat. & Valens *in C. Theodosiano lib. 9. sub Titulo* 15. antiquã fuisse dicunt: vel etiam ad ipsam Pompeiam. Primus autem, qui parricidium apud Romanos perpetrauit, culeoque insutus in mare præcipitatus est, Publicius Malleolus fuit: de quo Liuius, *Auctor ad Herennium, & Orosius.* Culeus autem, quo parricidæ claudebantur, bubulo corio fieri solebat, vnde inquit Satyricus ille,

Et deducendum corio bouis in mare, cum quo
Clauditur aduersis innoxia simia fatis

Præter autem simiam, vt satis notum est, cum parricida eodẽ culeo includebantur, vipera, gallus gallinaceus, & canis. *vt l. vnica. C. Qui parentes vel lib. occid. & in C. Theod. lib. 9. Tit. 12. ac Instit. De publ. iud* §. *Alia deinde.* cuius rei symbolicam rationem asserũt Cælius Rhodig. *in Antiq. lect. Stephanus Forcatulus in Necyomantia iuris, & post eos in Annot. in Instit.* Franciscus Balduinus ele-

gantissimus ac doctissimus Iurisconsultus, quibus nos in Annotationibus ad prænotatum Iustiniani locum non omnino assentimur. Constant. Imperator nō vnam viperam sed plures sociari parricidis consueuisse demonstrat inquiens, Serpentum contubernîis misceatur. quod ipsum & antiquus interpres C. Theodosiani existimat, dum sic scribit, *Cum ip etiam serpentes clauduntur, &c.* Cum alioqui vnus duntaxat includi serpens soleret, iuxta illud eiusdem Satyrici Poetæ,

Cuius extisio non debuit vna parari
Simia, nec serpens vnus nec culeus vnus.

Nisi forte Constantinus ipse, qui pœnam illam iam tum tempore Iulii Pauli in desuetudinem dilapsam (quod ipse testatur *lib. 5. Sent. Tit 26.*) reuocauit, plures addiderit pro vna vipera serpentes, aut plurali voce, pro singulari, vt aliquando fit a Latinis, vsus sit. Quod fecisse videtur Quintilianus in declamationibus his verbis loquens de parricidio, *Culeo*, inquit, *& serpentibus expianda feritas.* Franciscus Balduinus parricidas vase quodam, cui culeo nomen sit, includi solitos dicit. Iuuenalis bubulo corio dicit. Cui concinit idem vetustus interpres his verbis, *Facto de corio sacco, qui culeus nominatur, in quo cum missus fuerit, &c.* Ad serpentes quod attinet Cicero ipse *in lib. de Orat. & in Orat. Pro Roscio*, ex qua in citata. L. vnica sunt quædam a Constantino Imp. expressa, omnia prosecutus, quæ ad parricidii pœnam spectabat, nihil omnino de prænotatis animalibus. Quare fit mihi verisimile, nihil cum parricida intra culeum ab initio fuisse cōditum. Et si nō me latet Plutarchum scriptum reliquisse C. Villium post Tyberii Gracchi necem, tanquam seditiosum ciuem, culeo cum anguibus fuisse insutum.

Modestinus *in l. penultima. ff. Ad legem Pomp. de parric.* ante quam sacco parricidæ inderentur, fuisse ostendit in more positū, vt virgis sanguineis cæderentur. In qua lege M. Mantua Benauidius Clarissimus Iureconsultus contendit legendum esse nō *Sanguineis*, sed *Sagmineis*, atque ita quosdam legere refert Balduinus *in Annot. in Institut. ad §. prænotatum.* quorum minime reprobat sententiam Mihi nunquam fieri potest probabile, lectionem huiusmodi genuinam esse, cum sagmina, quæ, vt ex Plinio cognoscitur *lib. 22. cap. 2.* gramen significant, tam ad virgas conficiendas apta atque vtilia sint, quam ad lanceas satureia: ac ne absurdum putare, herba, quæ in remediis publicis, & sacris legationibus vsurparetur, ἱερὰ βοτάνη dicta, sceleratos, & impios homines fuisse cæsos Quamobrem, vetere lectione retenta, arbitror Modestinum significare nobis voluisse virgas ex sanguineis fruticibus, quorum Plinius meminit *libr. 16. cap. 37* non autem virgas ex percussu sanguine rorantes rubentesque, *vt Accursius, aliique accipiunt.* Hoc autem ligni genere cæsos esse parricidas, tanquam

quam omnium in felicissimo, nocentissimo, ac maxime infami, coniicere licet, ex eodem Plinio *libr. 14. cap 10.* in hæc verba loquente, *Nec virga sanguinea fœlicior habetur, cortex eius interior, cicatrices, quas præsanauere, aperit.* Sic Plinius Cuius quidem noxæ, exprimento admoniti pastores, muliones, agasonesque, etiam num per Italiam virgas huiusmodi & si ad cædendum aptissimas, nocuas tamen auersantur, nec iis iumenta aut pecora agunt.

Pestilentiis, quæ vrbes regionesque vastasse dicuntur, an & bruta absumta esse credendum sit. Hippocratis locus, qui multis auctoribus aduersari videbatur, quo modo sit accipiendus.

CAPVT IX.

MAgnas pestilentiæ vastitates, quæ exercitus, ciuitates, atque adeo prouincias ipsas internecino genere morbi aliquando depopulantur, optime descripserunt Homerus, Lucretius, Vergilius, Ouidius, Sillius, Lucanus, Seneca, Thucydides, Boccacius, atque alii. Hi fere bruta etiam cladi obnoxia, vt neminem latet, fecerunt. Nam vt ex his & vetustatis & elegantiæ nomine plausibile testimonium proferam, sic inquit Lucretius *libro vltimo*, pestem, qua Athenienses misere correpti sunt, & de qua late Thucyd. lib. 2. describens,

Multaq; humi cum inhumata iacerent corpora supra
Corporibus, tamen alituum genus atq; ferarum
Aut procul absiliebat, ne acrem exciret odorem
Aut vbi gustarat languebat morte propinqua.
Nec tamen omnino temere illis sedibus vlla
Comparebat auis, nec fortia secla ferarum
Exibant syluis, languebant pleraque morbo,
Et moriebantur, cum primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus ægram:
Extorquebat enim vitam vis morbida membris.

Liuius quoque *lib. 3. Dec. 1* pestilentiarum, quæ homini pecoriq; fœdæ essent, mentionem facit. sic & infra *lib 5. & Dec. 5 lib 1.*

Sed quotquot affirmant existimantq; peste, quæ mortales inuadat, bruta etiam esse correpta, aut corripi posse, errare uidentur: siquidem non omnibus animantibus, *vt Hippocrates ait*, omnia æque aut salubria, aut lethalia sunt. Tunc enim homines aduersa valetudine laborare ait, cum aer hic, quem inspiramus & exspiramus, ea cōtraxerit inquinamenta, quę humanā lędant naturam: hoc vero, aut illud animantium genus, cum infensum perniciosumq; suæ naturæ aerem hauserit. Hippocratis verba ex libro de Flatibus, si Latine loquatur, sunt infra scripta. *Communis ergo febris, propterea omnibus accidit, quod eundem spiritum omnes attrahunt: sicq; vt simili corpori, similes spiritus similiter permisti,*

similes gignant febres. Sed est fortasse qui dicat, Vt quid ergo non omnibus animantibus, sed alicui eorum generi incidunt hi morbi? Cui ego sic responderim, Differt corpus a corpore, natura a natura, & nutrimentum a nutrimento. Non enim omni animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda sunt; sed sunt alia aliis magis conuenientia. Quando igitur aer eiusmodi inquinamentis plenus est, quibus humana natura offenditur, homines ægrotant. Quando vero alteri cuipiam animantium generi aer inconueniens est, tum morbus illud genus corripit. Hactenus Hippocrates. Adde quod cum, Hippocrate eodem libro, Galeno *lib. 1. de Sanitate tuenda*, & Cicerone *lib 2. de Natura Deorum* attestantibus, præter spiritũ vel aerem ipsum, cibo etiam & potu tum hominũ, tum reliquorum fere animalium vita sustineatur, victusque in vniuersum nó sit omnibus idem, sed diuersus, atque ex alimoniis corruptis pernicies corporibus concilietur, non videtur fore vt eodem populari morbo vno eodemque tempore aliæ cum mortalibus animantes languescant. Vt errauerint cum Democrito antiqui, quibus persuasum erat, ex pecoris habitudine valetudineq; regionis hominibus salubris vel insalubris arcana cæcaque & commoda, & vitia posse deprehendi. quamquam idem, *vt opinor*, Democritus pestes hominibus solis exitiales esse alioqui demonstrat libri a se editi inscriptione, quæ legitur apud Gellium *lib 4 cap. 13.* estque in hæc verba, *περὶ λοιμῶν ἢ λογικῶν κακῶν.* hoc est, *De pestibus, aut rationalium malis.* Præterea cum nostra & parentum memoria pestes per Italiam non leues grassatæ sint, quarum nouissima, quæ Thusciam Anglarenseisque nostros inuasit, & ego infaustus correptus sum. Diuini tamen numinis benignitate ab interitu vindicatus, nullibi auditum est pecudes feraue eo morbo laborasse. Equidem in re nonnihil ancipiti dixerim, quod est ab Hippocrate scriptum, tunc vsu venire cum non maxima aeris corruptio peruagatur. Verũ aere plane vitiato, ac terræ lethalibusq; exspirationibus quasi putrescente, non homines modo, sed & animãtes, quæ spiritu minime caruerint, abolitum iri. Iam enim non quæ his aut illis duntaxat tẽperamentis hærere valeat, nora proserpet, sed eiusmodi erit, tum corpora illabetur, quod ægre a cuiusuis animantis natura possit repelli. Eam ob rem locis quibusdam halitum mortiferum exspirantibus, superuolantes aues interire, bruta speluncas spiritu ex tali refertas subeuntia, aerem pestiferum cum hauserint, interire animaduertimus. Quare intelligimus eo posse corruptionis aerem aliquando deuenire, vt hominibus brutisq; passim mortem inferat. Qui ergo ad animãdas quasdam pestes descripserunt, præsertim Poetæ, quos in rebus eiusmodi nõ vna ratione solemus taxari, nó ideo sunt reprehendẽdi, si & in bruta, præsertim in quædã præ ceteris morbo obnoxia, vim lethalem cladẽ non leuẽ dimanare asseuerauerunt.

Consue

Consuetudinem, qua ingredientes templa, lustrali aqua respergitur, etiam apud Ethnicos fuisse.

CAPVT X.

AQuæ, purgationis vim non modicam inesse, non solum Latini, sed & Græci olim censuerunt. Vnde illud apud Vergilium,

—— donec me flumine viuo
Abluero.

Item illud,

Spargens rore leui.

Qua de re Festus sic inquit, *Itaq; funus prosecuti, ignem supergrediebantur aqua aspersi, quod purgationis genus appellabant suffitionem.* Verum hæc satis cognita, & Sarracenis, Iudæis, Turcisque hodie qui toti abluuntur, vsu recepta. Illud certe obseruatione dignum videtur, Ethnicos illos licet rectæ fidei luminis exortes, tanquam essent Christianis dogmatibus addicti, quod est pie sanćteque apud nos in more positum, vt templum ingressuri, vel statim ingressi sacra aqua purificationis ergo respergamur, seruasse. Et si illi non sacram, sed simplicem aquam, putam tamen vsurpasse videtur. Huius rei testem habeo antiquũ auctorem Ethnicum in libro de *Morbo sacro*, qui Hippocrati vulgo adscribitur, cum tamen Galenus ex Hippocratis familia eximendum dixerit. Cuius verba Latinitate donata, quod Christianam pietatẽ planè præseferant, referre visum est operæ pretium, *Deus itaq;*, inquit, *est qui maxima, ac scelerasissima peccata purgat, ac purificat, & liberatio nostra existit: ipsiq; terminos templorum ac delubrorum Diis designamus, vt nullus, qui non purus sit, eos transcendat: Et ingressi respergimur, non velut qui inquinemur, sed si quod etiam prius scelus habemus, purificemur.* Hæc ille. Marinam aquam ad lustrationes vsurpatam, obseruaui apud Dionem *Ro. hist. lib.* 48. vbi ille de Virtutis statua, & apud Euripid. in Tauris.

Animas nostras corporibus egressas, deductoribus egere.
Quis eas deducat Ethnicos Mercurio id numeris tribuere.

CAPVT XI.

SActarum scripturarum interpres, pietatis atque eruditionis nomine inclytus Ioannes Chrysostomus, quo merito Græcia censetur, *Concione* 2. De Lazaro, *ad Luca Apostoli Euang. cap.* 16. vbi Lazari mendici animam ab Angelis in sinum Abrahæ conuećtam, ex Sanćtissimi Seruatoris nostri sermonibus refertur, animas nostras cum a corpore solutæ ad alia loca migraturæ sunt, deductoribus egere affirmat, quod ipsum & Homilia 29. *in cap.* 8. Matthæi Euang. literis prodidit. Priore loco in hanc sententiam loquitur, Nam si ciuitatem ciuitate vertentes egemus deductoribus, multo magis anima a carne diuulsa, & ad summã transiens

vitam, opus habebit viæ ducibus. Quapropter frequenter nunc emicat, nunc in profundum demergitur, metuitq; & horret cum est a corpore discessura. Nam cum semper nos stimulat peccatorum conscientia, tum vero maxime illa hora cum hinc sumus abducendi ad illa tribunalia metuendumq; iudicium &c. Quamobrem recte quidé in Missa pro defunctis Sanctus Michael Archangelus, qui Daniel *cap 10.* vnus est de primis principibus, & Ecclesiæ etiam, vt olim Synagogę princeps vocatur, piorum animas in æternum æuum perducere dicitur Hæc enim verba a sacerdote proferuntur, *Domine IESV CHRISTE Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorũ de manu inferni, & de profundo lacu. Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadat in obscurum:* Sed signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius. Verum Ethnici, qui non veritatem, sed veritatis vmbras aliquando sunt assecuti, & inanium deorum religione obstringebantur, id muneris Mercurio χθονίῳ (sic enim a Tragico Poeta in Aiace, & in Electra appellatur) id est, terrestri tribuebant. (Cicero *lib. 3. de Natura Deorum* Mercurium, qui sub terris habeatur, Valentis, & Phoronidis filium dixit) quem ideo πομπαῖον, hoc est, deductorẽ, vel emissorem dixere. Quare Aiax sibi necem inferre dum pararet, inquit,

Τοσαῦτά σ' ὦ Ζεῦ προστρέπω. καλῶ δ' ἅμα
πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον εὖ μὲ κοιμίσαι,
ξὺν ἀσφαδάστῳ καὶ ταχεῖ ποδήματι,
πλευρὰν διαρρήξαντα τῷδε φασγάνῳ.

id est,

Hæc te o Iupiter deprecor. voco autem simul
Emissorem Mercurium terrestrem, bene me soporare.
Cum immobili, & celeri saltu
Latus aperientem hoc gladio.

Plutarchus *Problemate 156.* vt a terra mortuorum cadauera, sic a Mercurio animas suscipi, creditũ esse testatur Vnde apud Valeriũ Maximum quædam haustu veneni moritura, fusis Mercurii libamentis, eiusq; inuocato nomine, orauit, vt se placido itinere in meliorem sedis infernæ partem deduceret. Horatius *Carminum lib. 1. Ode 10. ad Mercurium,*

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque leuem coerces
Aurea turbam, superis deorum
Gratus, & imis.

Vmbrarum ductorem creditum fuisse Mercurium, perspicere etiam licet apud Lucianum in Mort. dialogis, & in Mercurio. Seruius in explicatione eius versiculi lib. 6. Æneid.

Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno

Sci

Sit scriptum reliquit, Non dicit quis: sicut supra,

Dis, quibus imperium est animarum.

Sed alii volunt Mercurium propter hoc,

—— animas ille euocat Orco

Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit.

Et est ratio, nam νοῦς dicitur, id est, sensus, quo Philosophiam, quã hac indicas, intelligimus, quia ipse etiam inuenit literas. Hæc ille. quæ mihi non admodum probantur Equidem vanam hanc persuasionem inde apud antiquos ortum duxisse arbitror, quod ille tam superorum, quam inferorum legatus & præco sit creditus, vt apud Lucianum non vno in loco apudque alios est manifestum: Diis vero inferis obtemperare videretur, dum animas siue vmbras, quæ ipsis deberentur, ad eos perduceret. Aut fortasse quod Mercurius tãquam interpres quidem diceretur, quare nomen ἑρμῆς vnde illi linguas ob interpretationem attributas, & a discedentibus ex cœnis sacrificatas esse, testatur Athenæus *Dipn. lib. 1. cap. 9.* interprete autem maxime viderentur indigere, qui in ignota loca illa & formidolosa ituri essent. Qua tamen in re certi nihil statuo.

An hominum vmbræ sint, quæ circa sepulcra nonnunquam visuntur. Ethnicorum Theologorumque nostrorum hac de re sententia relata. De vocatis Dæmoniacis, & a Lycanthro pia correptis, qui in sepulcris degunt, & sepulcra noctu oberrant.

CAPVT XII.

DÆmones, seu etiam defunctorum hominum vmbras sepulcra incolere, & circum loca, quibus humana ossa continentur vagari, iam inde a priscis Ethnicis orta opinio, vulgo insedit. Multique sunt, qui & in agris, quibus defossa sint hominum cadauera, præsertim punitorũ, vique interfectorum & circa cœmeteria se non semel defunctorum vmbras vidisse, ac ex similitudine eorum, qui sepulti sint, agnouisse dicunt. Nec solum humana sub forma, sed etiam brutorum. Pausanias in Atticis. in Marathone, circa Miltiadis sepulcrum, virorum pugnas equorumq; hinnitus noctu auditos dicit. sic enim inquit, Calderino interprete, *Seorsum tumulus Miltiadis Cimonis F. qui demum mortuus est cũ prius Paron non tenuisset, eoq; nomine venisset in iudicium. Ibi per singulas noctes equorum hinnitus virorumq; pugnas audire licet. Sed nemo de industria adhuc spectare voluit, cui id fuerit vtile. Si vero quispiã noc de industria audiat; aut cum alioqui cõtigerit audire, dissimulet, nihil huic dæmonũ ira incommodi accidit.* Hæc ille. Nõ absimile est ꝙ ab Aristotele *in libr. de Mirabilibus auscult.* refertur, *In Lypara Æolica* (inquit ex interprete) *sepulcrum aiunt esse, circa quod cum alia prodigiosa eueniant, tum id, quod ea loca sine ire intoque nemini accedere liceat, vno ore perhibent. Sonitum enim tympanorum,*

cymbalorumque, & risum cum strepitu, plausumque manuum audiri manifeste, &c. Plinius quoque Cæcilius lib. 7. Epistolarum, epistola ad Suram, domum quandam Athenis fuisse scribit, in qua senis cuiusdam horrifica imago, catenis perstrepens conspiceretur, quæ maximum incolentibus terrorem, ex quo & mors sequeretur, incuteret; vsque adeo vt infamis monstroque illi vacua relicta esset: inuentumque postea ibi sepultum hominem, cuius ossa cum catenis superessent. Quia vero non longa est historia, & lectu non iniucunda, Plinii ipsius verba apponere libuit. *Illud,* inquit, *nonne & magis terribile, & non minus mirum est, quod exponam ut accepi. Erat Athenis spatiosa, & capax domus, sed infamis, & pestilens: per silentium noctis sonus ferri, & si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde proxime reddebatur: mox apparebat senex, idolon macie, & squalore confectus; promissa barba, horrenti capillo; cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatque. Inde inhabitantibus tristes diræque noctes per metum vigilabantur; morbus, & crescente formidine mors sequebatur. Nam interdiu quoque quamquam abscesserat imago, memoria imaginis oculis inhærebat, & longiorque caussa timoris, timor erat. Deserta deinde, & damnata solitudine domus, totaque illi monstro relicta, proscribebatur tamen, seu quis emere, seu quis conducere ignarus tanti mali vellet. Venit Athenas Philosophus Athenodorus, legit titulum, auditoque pretio, quia suspecta vilitas, percunctatus, omnia docetur, ac nihilominus imo tanto magis conducit. Vbi cœpit aduesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte: poscit pugillares, stylum, lumen, suos omnes in interiora dimittit: ipse ad scribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita simulacra, & inanes sibi metus fingeret. Initio quale vbique silentium noctis: deinde concuti ferrum, vincula moueri: ille non tollere oculos, non remittere stylum, sed offirmare animum, auribusque prætendere. Tum crebrescere fragor, aduētare etiam, ac iam vt in limine, iam vt intra limen audiri: respicit, videt, agnoscitque narratam sibi effigiem. Stabat, innuebatque digito similis vocanti. Hic contra, vt paululum exspectaret, manu significat, rursusque ceris & stylo incumbit. Illa scribentis capiti catenis insonabat. Respicit rursus idem, quod prius innuentem: nec moratus, tollit lumen & sequitur. Ibat illa lento gradu quasi grauis vinculis. postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem. Desertus herbas, & folia cōcerpta signum loco ponit. Postero die adit magistratus, monet vt illum locum effodi iubeant. Inueniuntur ossa inserta catenis, & implicita, quæ corpus æuo terraque putrefactum, nuda, & exesa reliquerat vinculis. Collecta publice sepeliuntur: domus postea, rite conditis manibus caruit. Et hæc quidem affirmantibus credo.* Hactenus Plinius. Scriptum Plutarchus reliquit *in Apophteg. Laconicis,* Laconem quendam noctu cum iuxta sepulcrum transiret, dæmonem visum esse sibi videre.

dere. Suetonius in Caligula. literis prodidit, cum Caligulæ cadauer clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum leui cæspite obrutum esset, hortorum custodes vmbris fuisse inquietatos, donec postea per sorores ab exilio reuersas erutum, crematum, sepultumque sit. In ea quoq; domo, in qua occubuit, nullam noctē ab incolentibus, sine aliquo terrore translactam fuisse, donec ipsa domus incendio consumta sit. Multa possem huc afferre huiusmodi, quæ mea memoria contigerūt, suntque etiam a me audita, & a viris fidei neutiquam suspectæ visa, sed breuitatis gratia illis supersedeo. Plato in Phædone auctor est, animas malorum hominum, & eorum, qui corpori obnoxii, corporearū rerum curis semper impliciti fuerunt, cōtagione corporea infectas ponderosum quiddam, & graue terrenumq; contrahere, quod eas continuo comitetur, & degrauet: eamq; ob rem ad visibilem locū metu inuisibilis atq; occulti protrahi: & quemadmodum & tunc ferebatur, circa monumēta sepulcraq; versari, & apparere. & circa hæc loca oberrare compelli, vt pœnas dent vitæ improbe actæ. Itaq; tamdiu circumuagari, quo ad cupiditate naturæ corporeæ comitante, rursus induant corpus. Idem in Cratylo ait mortuorum animas (vt opinor, puriores) suauissimis Plutonis orationibus demulceri, quod hic Deus sit sophista proculdubio dilectissimus, qui etiam ingentibus beneficiis eos, qui penes ipsum habitant, prosequatur, & virtutis auiditate detineat, ideoq; illas ad nos reuerti nolle. Macrob. *lib. 1. in Somn. Scipionis. cap. 9.* ad rem quod attinet hæc ex Platone deriuauit, *Hinc anima,* inquit, *quam in se pronam corporis vsus effecit, atq; in pecudem quodammodo reformauit ex homine. & absolutionem corporis perhorrescit, & cum necesse est, non nisi cum gemitu fugit indignata sub vmbras. Sed nec post mortem facile corpus relinquit, quia non facile corporea excedunt pestes: Sed aut suum oberrat cadauer, aut noui corporis ambit habitaculum, non humani tantummodo, sed ferini quoq; electo genere moribus congruo, quos in homine libenter exercuit, maultq; omnia perpeti, vt cœlum, quod vel ignorando, vel dissimulando, vel potius prodendo deseruit, euadat.* Hæc Macrobius. Non solum autem malorum, sed bonorum etiam animas, seu potius vmbras sepulcra corporum suorum incolere, credebant antiqui: quamobrem Ouidius *lib. 2. Fastorum,*

Vix equidem credo, bustis exisse feruntur,
Et tacita questi tempore noctis aui;
Perq; vias vrbis, latosq; vlulasse per agros
Deformes animas, vulgus inane ferunt.

Vnde vmbras, seu manes tumulo condere, cuius rei supra mentionem vidisti in Plinii verbis. Ouidius infra lib. 5.

Romulus vt tumulo fraternas condidit vmbras,
Et male veloci iusta soluta Remo.

Xxxx

Virgilius quoque lib. 3. Æneid. vbi de Polydoro,

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamq; sepulcro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

Impp. Theod & Valent. *in libro Legum nouellarum Tit 5.* dicunt animas amare sedem corporum relictorum, & nescio qua sorte tationis occultæ, sepulcri honore lætari. Lactantius Firmianus *lib. 2. Diuin. instit. cap. 2.* sua quoque ætate vulgo creditum fuisse dicit, mortuorum animas circa tumulos, & corporum suorum reliquias errare. Verum non animæ defunctorum fuerunt, aut sunt, spectra, & phantasmata, quæ circa sepulcra aut cœmeteria se noctu conspicienda præbebant aut præbent, sed Dæmones. Iamblichus *in lib De Ægyptiorum mysteriis, segmento. 8 cap 31.* ex Porphyrio refert, subdolum quoddam genus Dæmonum simulare animas defunctorum, Deos, & Genios quos ipse Iamblichus Cacodæmones, non bonos Dæmones esse contendit. Philostratus quoque *libr. 3. De Vita Apollonii Tyanei* commemorat, Dæmonem quendam, qui in pueri corpus illapsus esset, dicitur idolum se esse hominis in bello interfecti. Chrysostomus *Concione 2. De Lazaro ad cap 16. Luc. & Homil. 29. in cap 8 Matthæi.* interfectorum animas, Dæmones fieri, quosdam sua ætate existimasse ait, quod tamen ipse verum esse negat. Dæmonem vero rem hanc persuadere studuisse, vt Martyrum, qui violenta morte decesserunt, gloriam confoderet, obrueretque, ac vt maleficos ad tenera multorum adolescentium corpora trucidanda impelleret, ea quidem spe, vt in Dæmones illi euaderent, quibus tanquam famulis, & administris mox vterentur. Idem interfectorum animas vel etiam eorum, qui salute donantur, hic oberrare negat. Ego quoque Dæmoniacos nō paucos vidi, in quibus immundi spiritus, dum a sacerdote adiurarentur, se interfectorum quorundam animas esse mentirentur, eorumque veras voces, & arcanas quasdam res proferrent, ac sibi iusta fieri orarent. Scriptum Hebræorum Theologi reliquerunt, defunctorum hominum cadauera, in Dæmonis Zazelis potestate relinqui, de quo dictum sit in scriptura, *Terram comedes omnibus diebus.* & alibi, *Puluis terra panis eius.* Meminiq; me olim in recentiorum quorundam libris legere, eatenus censeri cadauera Dæmoni huic subesse, quatenus adhuc non fuerint iustis exequiis expiata & sanctificata: eamq; ob rem non sine caussa antiquos patres cadauerum expiationes excogitasse, vt quod valde immundum esset lustrali aqua aspergeretur, suffiretur thure, sacris orationib. exorcizaretur, & funalibus dum super terram esset illustraretur, ac demum sacro in loco reponeretur. Sed harum rerum plausibiliores ab orthodoxæ fidei auctoribus rationes afferuntur. Pausanias ex Delphorum interpretibus acceptum refert, *Dæmonem* ... *foren-*

infernum, quem Eurynomum dixerunt, qui mortuorum carnes absumat exedatque, ita vt vix nuda superſint oſſa. Sed hæc anilibus fabulis vix digna ſunt. Dæmones ad ſepulcra concurrere videri, teſtatur Chryſoſtomus *Homilia 35. ad Matthæi cap. 10* Theophilactus *in explicat. in Matthæum*, aliq; Theologi, aſſirmant ideo Dæmones circa ſepulcra verſari conſueuiſſe, vt vana illa hominum perſuaſio aſtrueretur, qua mortuorum animas in Dęmones verti creditum eſt. quamobrem & homines a Dæmonibus obſeſſos, quos Dæmoniacos vocamũ, ſepulcra incolere coactos. Matthæi namq; *cap. 8 Marci 5 & Lucæ 8.* huiuſmodi homines domicilia in monumentis habuiſſe legimus. Nõ ſolum aũt qui a Dæmonibus aguntur, ſepulcris obuerſantur, ſed etiam qui Lycanthropia, ſeu Cynanthropia laborant, vt minus fabuloſum eſſe videatur, quod eſt a Plinio ſcriptum *Naturalis historiæ lib. 8. cap. 22.* ſcilicet homines aliquando in lupos verti. De quo morbo Paulus Ægineta *lib. 3. cap. 16.* in hanc ſententiam loquitur, *Qui*, inquit, *Lycanthropia detinentur, noctu domo egreſſi, lupos in omnibus imitantur; & donec dies illuceſcat, circa defunctorum monumenta plurumque vagantur. Hæc comites ipſorum nota ſunt. Facies pallida, oculi ad videndum imbecilles, & ſicci, lingua aridiſſima, nulla in ore ſaliua, ſitis immodica, tibiæ quod frequenter impingant, exulceratæ, adeo vt ſanari nequeant. Tales quidem ſunt notæ. Speciem vero melancholiæ Lycanthropiam eſſe exiſtimare conuenit, &c.* Auicenna *lib. 3. Fen. 1 Tract. 5 cap. 20* morbum vocat Cutubut, & a bile aduſta, & melancholia prouenire, ſcribit, ac inter cetera hæc habet, *Species*, inquit, *melancholiæ, infirmum eueniens in Februario, quæ facit vt homo diligat fugere ab hominibus viuis, & cupiat appropinquare mortuis, & ſepultis, &c.* Hoc ego morbo correptum vidi Anglare Antonium Donchium, qui ſæpe ab Auguſtinianis aliiſque Æditiuis, in ſepulcris dormiens eſt inuentus, & qui mortuorum oſſibus domum ſuam plane compleuerat. Verum ad Dæmones redeo. Hos Peripatetici eſſe inficiantur (his adſtipulati ſunt Sadducæi, qui teſte Luca *cap. 23. Act. Apoſt.* ſpiritus atq; Angelos eſſe negabant) nõ enim alias concedunt eſſe ſubſtantias ſeparatas (vt Philoſophorum noſtrorum verbis cum Ciceroniani lectoris venia vtar) præter quam Deum, Intelligentias, cæleſtes orbes mouentes, animãque intellectiuam humanam, vt ſatis conſtat apud Ariſtotelem *lib. 12 Metaphyſ. & 3. de Anima.* Phantaſmata vero, & vita functorum ſimulacra, quæ noctu conſpiciuntur, nõ vere videri, ſed ſenſuum potius eſſe illuſiones, quæ accidant, vel quod ſpecies intra reuertantur vſq; ad particulares ſenſus, qua ratione nonnunquã aliquid nigrum vel album, vel animal eſſe videtur, quod vere non eſt, vt patet apud Auerroem 3 Collect. Gentilis Fulginas nobilis ſuæ ætatis Philoſophus ac Medicus, *Quæſtione 51.* commemorat, quendam amicum ſuum interdiu [illegible] e villa

reuertentem, semper conspexisse militem nigrum præcedentem, nellumq; præcessisse, vt famulus dixit. M. x vero eum, qui phantasma illud sibi videre visus est, in melancholica in incidisse venitnem. Aristoteles autem *lib. 3. Meteor. & alibi*, posteritati prodidit, nescio quem debili præditum visu, eo quod visus ob remissionem, ac debilitatem in aere, tanquam constipato & solido corpore obluctante, veluti in speculo reflecteretur, semper visum sibi videre idolum aduersum præcedere, nempe sui ipsius imaginem. Epicurus, & ex Epicuro Lucretius atque alii, non omnia nos vere pati affirmant, sed sensus sæpe decipi. Cuius Epicuri rationibus innixus olim Cassius, *vt Plutarchus in lib. Bruto scriptum reliquit*, in hanc sententiam allocutus est Brutum, qui monstrosam corporis feri imaginem noctu ad se ingressam conspexerat, & voce etiam se infensam fore prænuntiantem audiuerat. *Noster*, inquit, *o Brute, hic sermo est, quod non omnia vere patimur, neque vere videmus, sed mutabile, ac deceptibile quiddam nostri sensus est. Praterea intellectus est perspicax ad mouendum sensum, illumque e subiecto nullo mutare ad omnem formam. Imaginatio enim cera similis est. Anima vero hominis, quæ fingens, & ficta pariter habent, facillimum est per se ipsam idem variare componereque. Hoc ostendunt somniorum mutationes, quas breui momento phantasia vertit in multiformes passiones, & imaginum species. Moueri semper, naturale hoc est. motus autem vel phantasia est, vel quadam intelligentia. Tibi, o Brute, corpus natura triste elemat intellectum atque diuertit. Dæmones nullo pacto esse, credibile. neque Dæmones si sunt, hominum habent formam, aut vocem, siue potentiam, quæ ad nos pertranseat.* Hæc ille. Verum cum admiratione digna multa in his videantur, qui vulgo Dæmoniaci, seu fanatici vocantur, Aristoteles *in Problem.* ea melancholico succo ascribit. Andreas Cattanius Imolensis *in Tractatu de Causis mirabilium effectuum*, cum atrabilis ad tot tantaque mirabilia, quæ quotidie in laborantibus eo affectu animaduertimus, patranda satis non sit, ea reiicit in vocatum Intellectum agentem abstractorum infimum, in Intelligentias abstractas, atque motes cœlestes, quæ homini iungantur, & succum corporis, cœlesti (*vt eius verbis vtar*) dispositioni, ac stellis quibusdam respondentem. Nos vero cum sacris literis doceamur, Dæmones esse, qui in hominum corpora illabantur, sanctique Patres, & Orthodoxæ fidei Theologi, Dæmones ad antiquorum auctorum dos errores, hominesque decipiendos, ac alliciendos circa sepulcra versari, corporibusque humanis se insinuare affirment, Philosophorum Ethnicorumque ablegatis nugis, rectæ menti inhæremus, & quæ sanctæ Ecclesiæ scitis prodita sunt, sequimur.

Musica in humanos animos inque corpora ipsa vim esse maximam, ex his, quæ literis prodita sunt, quæq; indies v, ueniunt, demonstratur.

CAPVT XIII.

HVmanis animis musicos cõcentus mirum in modum imperare, vsq; adeo vt quorsum nobis libuerit eos permoueãt, ac quasi habenis deflectant, ex his, quæ ab auctoribus literis sunt consignata, quæque vsuueniunt quotidie, satis intelligimus. Plutarchus *lib. posteriore de Fortuna, & virtute Alexandri*, musicã ait viros non reddere, & eos, qui in ea rite educati sint, instinctu lymphatico, impetuque replere. Olimque Alexandrum ipsum, Antigenide tibicine Harmation nomon modulante, vsq; adeo mente captum modulamenti incitatu exarsisse, vt concussis armis proripiens sese, manus in astantes intenderet, testimonium Spartiatis præbens illud canere solitis. Viget enim in ferrum scite fidibus canere. Idem plane nostra memoria Hippolyto Medici, Cardinali amplissimo vsuuenit in Pannonia in exercitu Legato. Cú enim aliquando classes procinctæ essent, ac tubicines tympanistæque bellicum canerent perstreperentque, eo alacritatis generosique furoris processit vt bellicum nescio quid inclamans, stricto gladio, equum ante principia, quasi cum hoste congressurus, ad cursum concitasse dicatur. Et tanta est huiusmodi signorum vocalium vis, vt milites itineris tædium his fallant, laboremque solentur, & in prælio alacriores reddãtur, magnaque ad pericula impellantur: Ac nullo mortis terrore, quasi alienæ vitæ discrimine res agatur, per cædem & vulnera, sociis hinc inde procumbentibus moueantur. E diuerso, musicam animos quoq; sedare compertum est. siquidem Regum *lib.1.cap 16.* legimus Dauide cithara personante, Saulis a spiritu malo vexati emollitum esse furorem, adeo vt leuius haberet, spiritusq; ille ab eo recederet. Plutarchus *in libro de Cohibenda iracundia*, Lacedæmonios pugnaturis, concentu tibiarum, iram adimere consueuisse, testatur. quod antea Thucydides scriptum reliquerat: qua de re & Gellius ex Thucydide *libro 1. cap. 11.* qui Cretenses quoque prælia ingredi solitos refert, præcinente ac præmoderante cithara gressibus; Halyattemque Regem terræ Lydiæ, bellum Milesiis inferentem concinentes habuisse fistulatores, & fidicines, fœminasq; etiam tibicinas in exercitu, atq; in procinctu. Quibus de rebus etiam Athenæus Dipnos. *lib.12.cap 4. & lib.14.cap.11.* Idemq; hoc eodem *cap. 11.* complures ex Barbaris legationes de pace cum tibiis, ac citharis ad hostium animos emolliendos obire ac gerere commemorat, quod & Getæ, testimonio Theopompi Historiarum *libr.46.* factitarint. Aitque musicam, animi mœrorem amoliri ac depellere, & facilitatem, liberalemq; hilaritatẽ operari. quare Homerum in principio Iliadis Deos induxisse musica vtentes post de

Achille contentionem, cum contentiones seditionesque placari oporteret. Idem supra *cap.* 10 ad rem quod attinet, de musica in hanc loquitur sententiam, Comitio interprete. Mores enim instituit, iracundiam mitigat, minusq; rectis mentibus moderatur. Idcirco Clinias Pythagoricus, vt testatur Chamæleon Ponticus, cum & viuendi ratione, & moribus paulo esset difficilior; si quando ob iracundiam se grauem esse contingeret, lyram accipiens, eam pulsabat. Ad percunctãtes autem caussam, respondebat: Mitigor. Achilles etiam Homericus cithara leniebatur, quam sibi ex Eëtionis spoliis Homerus illi permisit, quæ illius iracũdiam posset cohibere. *Sic Athenæus.* Eandem rem ex Homero adnotauit Plutarchus in libro De musica; qui & illud ait, Terpandrum seditionem, quæ Lacedæmonios vexabat, musica sustulisse. Tanta autem prorsus est affinitas corporibus hominũ mentibusque, & propterea quoque vitiis, aut medelis animorum, & corporum, vt non solum animi, verum etiam corporis morbos musicam aut sedare, aut profligare, memoriæ datum sit. Athenæus *citato cap.* 20. Theophrastum refert scriptum reliquisse, in libro de Afflatione numinis, ischiadicos sanos fieri, si more Phrygio harmoniam aliquis indigena illis accinerit. Gellius *lib. 4. cap. 13.* creditum esse a plerisque, & memoriæ proditum dicit, lenibus tibicinum modulos, ischiadicorũ minui dolores. Mox vero ait, se in Theophrasti libris legisse, tibicinem scite modulateque adhibitum, viperarum morsibus mederi. Quem miror ad fidem confirmãdam eius, quod de ischiadicis retulit, eiusdem Theophrasti recens, si credere dignum est, ab eo lecti, testimonium minime aduocasse. Idem ex libr. Democriti, qui inscriptus erat περὶ λοιμ[illegible] λογικῶν κακῶν, id est *De pestilibus, aut rationalium malis*, plurimis hominum morbis tibiarum cantum medicinam fuisse refert. Plutarchus etiam ex Pratina commemorat, Thaletem Cretensem, sorte quadam a Pythio edita, adiisse Lacedæmonios, & eos tentem ope musica, eos pestilentia liberasse. Huc accedit Galenus, qui *libro 1. de Sanitate tuen. in cap. 11.* se quotannis ægros non paucos persanasse testatur solis animi motibus ad debitum modum reuocatis. Atq; huiusmodi sententiæ testem minime contemnendum esse dicit Æsculapium, qui multas scribi cantilenas, mimosque ridiculorum rerum fieri, & melodias quasdam instituerit iis, quibus vehementiores animosæ partis motus, corporis temperamentum iusto calidius efficerent.

Manes, seu potius Dæmones, olim etiam, æris tinnitu fugari, creditum esse, hunc vero cum apud nos tum apud Etruscos qua ratio adduci possit.

CAPVT XIV.

ÆRis tinnitu Manes seu potius Dæmones domo aliisque ex locis eiici, ex illimatis antiquos, nemini, qui paululum in hum-

Digitized by Google

humanioribus literis fuerit versatus, obscurum esse arbitror. Ouidius *Fastorum lib.5.*

Rursus aquam tangit Temeseaq; concrepat æra,
Et rogat ut tectis exeat umbra suis.
Cum dixit nouies, Manes exite paterni,
Respicit, & pure sacra peracta putat.

Idem manifestius demonstrat Alexander Aphrodis. *Problemata 43 lib.2.* dum loquitur in hanc sententiam, *Mouere*, inquit, *as ferrumq; multitudo, quoties Luna, aut Sol deficit, consueuit, quasi spiritus quosdam vitiosos velint depellere. Haud enim per id tempus lumina benigne terram aspiciunt, neq; beneficia delibatio inde manat, qua mali, infestique spiritus repelli possint & coerceri.* Hæc Alexander. Huius autem rei illam fuisse rationem puto, quod Manes silentium amare crederentur, vnde & silentes a Poetis dicerentur. Ouidius lib. citato.

Mox etiam Lemures animas dixere silentum.

Vnde quoties vmbræ huiusmodi loquerētur, exiguo potius murmure quam clara voce vti dicebantur. Ouidius eodem libro,

Vmbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque hac exiguo murmure verba loqui.

Quanquam *supra libr.* 2. manes per vrbis vias, & per agros, quod ipsis non fuisset parentatum, vlulasse dicit. Præterea Macrobius Saturn. *lib.5. cap 19.* Græcorum vetustissimos credidisse refert, æris sonos, rem esse validissimam. Inibi etiam ait, pleraque ænea ad rem diuinam adhiberi solita, præsertim in his sacris, quibus delinire aliquos, aut deuouere, aut denique exigere morbos aliquis voluisset. Produnt Christiani etiam scriptores, Dæmones sacri æris seu campanarum nolarumve tinnitu & sono depelli. Id Paulus Ghirlandus *in Tractatu de Sortilegiis* maleficarum mulierum, quas alii Lamias, nonnulli Striges, quidam Bruxas vocant, historiis recensendis, verum esse docet. Commemorat namque Dæmones, quibus illæ inuehant, campanæ, ante diluculum sonitu audito, fugam arripientes, eas statim deseruisse. Huius autem rei illa ratio est, quod campanæ sacratæ sint, & diuinis destinatæ vsibus, adeo vt eo nomine Dæmonibus earum sonus sit, inuidiosus, & formidolosus. Quamobrem cum a grandine tempestatibusque, quæ Dæmonum nonnunquam sæuitia cieri aduehique creduntur, frugibus, vineisque periculum imminet, campanæ non tam ad aerem scindendum & comminuendam tempestatis vim, quam ad abigendos propullandosque Dæmones eius auctores, pulsari solent.

Æmylus Probi locus in disquisitionem vocatus.

CAPVT XV.

IOannes Michael Brutus nobilis nostræ ætatis Historicus, in

quo præter antiquitatis cognitionem, multam elegantiæ, ingeniique animi candorem admiror, mensibus superioribus cum apud Iordanum Ziletum Bibliopolam essemus, me percunctabatur, an adhuc Basileæ cusus esset Æmilii Probi liber de *Vita excellentium imperatorum*, quem ego ex vetustorū exemplarium collatione a mendis non paucis repurgaui annotationibusque auxi, ac pro viribus illustraui. Aderat Arnoldus Arlenius vir de Græcis Latinisque literis bene meritus, ac communis amicus; Probique audita mentione, se eius libri calamo exaratum exemplar, quod Ferrariæ emisset, habere dixit. Huius legendi cum incredibilis me cupido incessisset, precibus ab eo contendi, vt libri saltem ad tantum dui tempus, quo percurrendi facultas esset, mihi copiam faceret. Hunc cum ille (quæ viri est humanitas) ad me misisset, auide legere cœpi. Titulus erat huiusmodi, *ÆMYLII PROBI DE IMPERATORIBVS EXTERARVM GENTIVM LIBER.* Finis libri, si epigramma Probi eiusdem, quod nos ex vetustis exemplaribus in epistola ad Gregorium Angelerium, & Paulum Ligurum posuimus, excipias, qualis in vulgatis codicibus. E scribæ vero penore subiecta verba, *Completum est opus Æmylii Probi Cornelii nepotis.* Post prænotatum titulum hæc se mihi statim verba obtulerunt, *Non dubito fore plerosque, qui Attici hoc genus scripturæ leue, &c.* Quæ lectio probabilior ea, quæ in omnibus reliquis codicibus, quos ego legerim, videri potest, cum illi sic habeant, *Non dubito fore plerosque Attice, qui hoc genus scripturæ leue, &c.* Quandoquidem non vtiquam friuolis argumentis iam fuit in citata epistola a nobis demonstratum, Æmylium Probum, Pomponii Attici coætaneum non fuisse: quin opus hoc Theodosio Imperatori esse dicatum; cuius rei epigramma illud ad Theodosium, præbeat testimonium. A principe autem Græciæ ciuitate suam scriptionem appellat Atticam, quod Græcorum Imperatorum vitas complexura esset, licet id non admodum proprie dictum videatur, cum sermone vtatur Latino non Græco. Sed dices, cum duos ille libros scripserit, quorum posterior, vt ipsemet testatur, vitas Romanorum Imperatorum contineret, ac præfatio ambobus communis fuisse credi possit, quos libri voce appellauerit inquiens, Et in hoc exponemus libro de vita excellentium Imperatorum. vt etiam titulus Alsiorum exemplarium demonstrat; rationi haud quaquam est consentaneum, Atticam dici scripturam, quæ æque & Græcos & Latinos Imperatores contineat. Respondeo præfationem hanc ad priorem duntaxat librum pertinere, cum in ea nulla Latinorum facta sit mētio, de quibus altera priuatim præfatione, quæ posteriori libro præfixa de more sit, loqueretur. Quod vero spectat ad illa verba, Et in hoc exponemus libro de vita excellentium Imperatorum. librū ego accipi puto non pro vniuerso opere (quod

alias

alias fortasse non sine errore feci) sed pro libro vno. Græcorum autem non addi mentionem, quia iam de Græcis agendum esse, sit dictum, nulla tamen muneris Imperatorii facta mentione, quę modo apponatur, ne de omnium promiscue insignium Græciæ virorum vita hic lector agendum esse crederet. Vides quantum hic collationis voculæ vnius momentum. Relatiuo ergo voci. *Attica*, præposito, omnia recte habere videntur, & quædam difficultates facessunt, quæ olim nos circumueniebant, dum Probū Theodosii ætate vixisse affirmaremus. Verum candidi lectoris esto iudicium, non enim hæc iudicandi, sed iudicis admonendi instruendique consilio attulimus.

Carnifices antiquis ominosos, ac magis quam nostra ætate inuisos fuisse. Diuum Cyprianum, erga carnificem, a quo erat feriendus, munificum fuisse, Caroli V. Imp. constitutione carnifices esse inuiolabiles.

CAPVT XVI.

CVm homo hominem, iniuria lacessitus, itaque incensus interficit, & si pœnam ad legum præscriptum meretur, nihilominus, quod iram, vindictæque amorem nobis natura conciliauerit, delicto, inuidiæ nonnihil decedit. Verum cum quis minime læsus hominem quamlibet nocentem pœnęque addictum mercedis gratia carnificinæ supplicio excruciat, aut necat, & si iustitię cuius Deus Opt. Max. auctor sit, iudicisque minister est, necessariaque eius opera homines iure sociati indigent; tamen quia excarnificandos, suppliciisque deditos misericordia vulgus prosequitur, carnifices ipsi in hominum odia incurrunt, nefastique ac ominosi omnibus sunt. Itaque Romani quamuis iustitiam seuere colentes, lictores ipsos magistratibus multis concesserint, qui fasces securesque, quibus sontes cęderent ac ferirent, præferre solerent; Censoriis tamen legibus, carnifices ipsos, his, vt opinor, magis odiosos nefastosque, foro & vrbis domicilio priuari iusserunt. Cuius rei testis sit Cicero, qui in Rabiriana Orat. sic loquitur, *Sed moreretur prius acerbissima morte milies Gracchus, quam in eius concione carnifex consisteret; quem non modo foro, sed etiam cælo hoc ac spiritu Censoriæ leges, ac vrbis domicilio carere voluerunt.* Hæc ille. Est etiam a Dione Chrysostomo scriptum in Oratione 31. Rhodiorum lege cautum fuisse, ne carnifex vrbem ingrederetur. Adeo autem carnifex infamis inuisusque erat, vt probri non vulgaris loco homines carnificis nomine vt nūc fit (quod apud Terentium & alios adnotauimus) peterentur. Atqui pietatis Christianæ affectu ducuntur, si munus suum carnifex citra iram, & cum sortis humanæ commiseratione obeat, neutiquam odio dignum censent. Quin non nullæ sunt nationes, quæ carnifices nullo pacto auersentur, nihilque eorum consuetudine dedecoris, malique ominis

Digitized by Google

inuehi existiment. Ipse quidem Cyprianus Martyr insignis de rep. Christiana lucubrationibus multis benemeritus, carnifices a quibus etiam cædendus esset, tantum abest, vt propriæ vitæ amore ductus, odio prosequeretur, vt in eos munificus exstiterit. Sic enim inquit Possidonius eiusdem Cypriani Diaconus in eius Mart. *Et cum peruenisset in locum, qui dicitur Sextum, quarto ab vrbe miliario, exspoliauit se birro, & tradidit carnificibus. Dalmaticam vero tradidit Diaconis, & stetit in linteis exspectans Speculatorem: & dum ille appropinquasset, iussit suis illi dare viginti aureos.* Hæc Possidonius.

Quod pertinet ad locum, cui Possidonius Sexto, nomen fuisse dicit (*vt hoc obiter adnotetur.*) Plutarchus in Galba, locum, in quo sub Cæsaribus animaduerteretur in sontes, Sestertium appellat. *Galba autem,* inquit, *caput, Patrobii Vitellii que seruis dono dederat. Quod illi accipientes, vbi multifariam pulsassent, & omni contumelia affecissent, abiecerunt, quo solent eos, quos Cæsares supplicio dedunt, is vero locus Sestertium vocatur, &c.* Suetonius de eodē capite, *Ab his Patrobii Neroniani libertus, centum aureis redemptum, eo loco vbi iussu Galbæ animaduersum in patronum fuerat, abiecit.* Hæc ille. Nunc ad rem. Deos Dæmonibus quibusdam quasi carnificibus vti, Ethnici credebant. Plutarch. in Probl. agens de Laribus, *An,* inquit, *illud verius est, quod a quibusdam Romanis dicitur, & Chrysippus opinatur, Dæmonia quædam mala circum ire, quibus dii quasi carnificibus, & scelerum vltoribus aduersum iniustos, & impios vtuntur?* Quæ opinio e sacris literis dimanasse videtur. Sic enim inquit Iesus filius Syrach, Ecclesiastici cap. 39. *Sunt spiritus ad vindictam creati, qui furiose vibrant flagella sua. Hi tempore perimendi, vim effundunt, & consummant iram creatoris sui, &c.* Quam sint hominum societati carnifices necessarii, optime intelligens Carolus V. Imp. Augustus, cum eos vulgi iniuriis ob officii vilitatem inuidiamque maxime expositos cognosceret, aulum eorum, qui ipsos cædunt, aut vim ipsis inferunt, capitis pœna prosequendum decreuit, *vt patet in Constit. De Cap. Iudiciis. Art. 97.*

Locus Aristotelis, sapientis Lyrici, Xenophontisque castissime restitutus, atque illustratus.

CAPVT XVII.

ARistotelis librum de *Arte dicendi* primum, cum aliquando Pisis feriatus legerem, in eum incidi locum, quo ille rationem demonstrandi cum absolueret, addebat, χρηστέον δὲ καὶ τῶν αὐξητικῶν πολλοῖς, οἷον, εἰ μόνος, ἢ πρῶτος, ἢ μετ' ὀλίγων, ἢ ὃ μάλιστα πεποίηκεν. id est *Vtendum est & multis augmentatiuis, vt puta, si vel solus, aut primus, aut cum paucis, aut quod maxime fecit.* Et paulo post, καὶ εἰς ὃν πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη, οἷον εἰς Ἱππόλοχον, καὶ Ἁρμόδιον, καὶ Ἀριστογείτονα, τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι. id est, *Et in quem prima commendatio facta.*

facta fuit, vt ad Hippolochum, & Harmodium, & Aristogitonem, in foro statui. Quo loco quantum attinet ad Hippolochi nomen & historiam, statim hæsitare cœpi, ac ideo Petri Victorii summę eruditionis viri commentaria consului. Sed me spes omnino fefellit: ille n. vt est ingenio candidissimo, fatetur ingenue, se in Hippolochi historiam numquam incidisse, & quis fuerit hic Hippolochus, aut quid laude dignum publica, & tanto honore gesserit, ignorare. Quare Cyriaci Strozæ de Græcis, si quis alius hodie Italorum est, Latinisque literis, deque Philosophia optime meriti mihi sententiam duxi esse exquirendam. Hic igitur consultus, locum esse deprauatum affirmauit, proque Hippolocho reponendum esse Antilochum, monentibus Pindaro, & Xenophonte, quorum prior sexta Pythiorum sic scriptum reliquisset,

Ἐγένετο καὶ πρότερον Ἀντίλοχος βιατὰς
Νόημα τοῦτο φέρων. ὃς ὑπερέφθιτο
Πατρὸς ἐναρίμβροτον ἀνα
μείναις ὀρχὸν αἰθιόπων μέμνονα. νεστό-
ρειον γὰρ ἵππος ἅρμ' ἐπέδα.
Πάριος ἐκβελέων δαϊχθείς. ὁ δ' ἔφεπε
Κραταιὸν ἔγχος.
Μεσσανίου δὲ γέροντος
Δονηθεῖσα φρὴν βόασε παῖδα ὅν.
Χαμαιπετὲς δ' ἄρ' ἔπος οὐκ ἀπέριψεν αὐτοῦ.
Μένων δὲ ὁ θεῖος ἀνὴρ πρίατο μὲν θανά-
τοιο κομιδὰν πατρὸς, ἐδό-
κησε τῶν πάλαι γενεᾷ ὁπλοτέροισιν
Ἔργον πελώριον τελέσαις
Ὕπατος ἀμφὶ τοκεῦσιν ἔμμεν πρὸς ἀρετάν. Id est,

Stephano Leono iuuene eruditissimo interprete,
Fuit & prius Antilochus generosus
Intellectum hunc ferens, qui occubuit pro
Patre. homines spoliantem ex
spectans ducem Æthiopum Memmona.
Nesto-
reum enim equus currum detinebat
Paridis ex telis sauciatus. hic gubernabat
Fortem hastam.
Messenii autem senis
Agitata mens clamauit filium suum:
In terram decidens autem verbum non proiecit ipsius.
Manens vero diuinus vir emit quidem morte
te curam patris. vi-
sus est veterum generatione iunioribus
Opus ingens perficiens
Summus circa parentes fuisse ad virtutem.

Digitized by Google

Xenophon vero in opere, quod de Venatione posteris legendum reliquit, de eodem Antilocho sic habet, ἀντίλοχ© δὲ τοῦ πατρὸς ὑπεραποθανὼν τοσαύτης ἔτυχεν εὐκλείας, ὥστε μόν© φιλοπάτωρ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀναγορευθῆναι. Id est, *Antilochus pro patre moriens, tantum gloria consecutus est, vt apud Græcos solus prædicetur patris amator.* Quamquam in Latina Omniboni Leoniceni versione, non *Antilochus*, sed *Antiochus*, vitio vt opinor typographi, corrupte legitur. Vides quid gesserit Antilochus: vnde tantum honorem meruerit. Quamobrem Cyriaco facile assentior, vt pro Hippolochum, Antilochum, apud Aristotelem scribendum sit.

An iure apud Ciceronem in libro de Amicitia a Biante remoueatur sententia de amicitia cum futura inimicitia suspicione coniuncta.

CAPVT XVIII.

LÆlius apud Ciceronem in libro de Amicitia, *Scipionem Africanum posteriorem negasse* dicit, *vllam vocem inimiciorem amicitia potuisse reperiri, quam eius, qui dixisset, Ita amare oportere, vt aliquando esset osurus. Nec vero illum adduci potuisse, vt hoc (quemadmodum putaretur) a Biante esse dictum crederet, qui sapiens habitus esset vnus e septem, sed impuri cuiusdam aut ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam reuocantis, fuisse sententiam.* Hæc quidem apud Laertium, qui vitas, mores, & sententias complurium Philosophorum satis accurate posteritati prodidit, non legitur. Quamquam autem in præsentia summi sapientissimique Imperatoris auctoritate frangor, illud tamen non censeo omittendum, quod Cyriacus Strozza, eruditissimus vir, aliquando se animaduertisse narrabat, eius sententiç auctorem hac ratione nixum videri, quod cum summa non in rebus modo, sed in humanis mentibus inconstantia atque instabilitas quotidie deprehendatur, & mutari hominum mores, quod & Scipio dicebat, soleant, vsque adeo vt qui naturæ arctissimo iure deuincti sunt, sæuissima inter se odia exerceant, vt non mirum sit si amici quandoque mutuas suscipiant inimicitias, consultius facturi videamur si mediocritatem sequemus, nos in amorem minime effundamus: ac præterea arcanas res, quæ cognitæ, ac in vulgus editæ, nobis sint damnum allaturç, non temere amicis credere debeamus, ne si illi aliquando nos odio prosequi cœperint, nostrorũ quasi auctores malorum simus, qui reticenda, fidelique silentio committenda protulerimus. Hanc autem sententiam patrocinio dignam, præsertim nostra hac ætate, qua, vt inquit Ieremias, omnis proximus mercator incedit, & fraudes intestinaque odia omnium fere hominum animos inuaserunt, vsus ipse vitæ optimus magister, amplexandam demõstrat. Quod si auctoritatibus res firmatur, videtur etiam Homerus (O-

dyss.

dyss lib 15. hac de re disserens, huic sententiæ adhæsisse, cum ait ad eiusmodi propositum confirmandum,

——νεμεσῶ μέν δὲ καὶ ἄλλῳ
ἀνδρὶ ξεινοδόκῳ, ὅς κ' ἔξοχα μὲν φιλέῃσιν,
ἔξοχα δ' ἐχθαίρῃσιν. ἀμείνω δ' αἴσιμα πάντα.

Id est,

——irascor autem & alii
Viro hospitali, qui eximie quidem diligit,
Eximie autem odit: meliora autem mediocria omnia.

Ceterum Euripides & si alia ratione, alioque argumento permoueri Phædræ nutricem in Hippolyto fecerit, eandem tamen cum secutum esse sententiam, eaque delectatum, versibus liquet infrascriptis,

χρῆν γὰρ μετρίας εἰς ἀλλήλους
φιλίας θνητοὺς ἀνακίρνασθαι
καὶ μὴ πρὸς ἄκρον μυελὸν ψυχῆς.
εὔλυτα δ' εἶναι στέργηθρα φρενῶν
ἀπό τ' ὤσασθαι καὶ ξυντεῖναι.

Id est,

Oportebat enim parcius, & mediocres
Mortales inter se iungere amicitias,
Nec intima animæ medullatenus.
Ipsosque mentis amores faciles conueniebat esse,
Vt & minui, & augeri, ac intendi quirent.

Verum ad Biantis dictum quod attinet, Gellius *lib. 1 cap. 3.* sententiam eandem calculo suo approbans, non Bianti, sed Chiloni tribuit, sic enim ait, *Chilonis, a quo disputatiuncula huius initium fecimus, cum alia quædam sunt monitu vtilia, atque prudentia, tum id maxime exploratæ vtilitatis est, quod duas ferocissimas affectiones amoris atque odii intra modum cautum coercuit. Hac, inquit, fini ames, tamquam forte fortuna osurus: hac itidem tenus oderis, tamquam fortasse post amaturus.* Hæc Gellius. Quem, dum verba illa supra, *His igitur finibus, &c.* desumeret, miror non animaduertisse rem, quam præ oculis habebat, scilicet non Chiloni, sed Bianti dictum illud esse tributum: nullumque ea de re verbum proferre. Nisi forte Scipionis ille secutus sit sententiam, aut Ciceronis locũ esse deprauatum existimandum videatur.

Ethnicorum mos obseruatus, qui sepulcris iam conditos defunctos, funalibus accensis honorare solebant.

CAPVT XIX.

DEfunctos, qui iam sepulcris conditi essent, in anniuersariis & parentalibus, luminum funaliumque frequentia honorari consueuisse, fuit olim a me apud Suetonium in Augusto obseruatum. Sic enim ille habet de eodem Augusto loquens, Huius Ma-

Digitized by Google

gabæ ante annum defuncti tumulum cum ex triclinio animaduertisset magna turba, multisque luminibus frequentari, versum compositum ex tempore clare pronuntiauit,

Κτίστου δὲ τύμβον εἰσορῶ πυρούμενον.

Id est,

Conditoris tumulum video flagrantem.

Conuersusque ad Thrasylum Tiberii comitem contra accubantem, & ignarū rei, interrogauit, cuiusnam Poetæ putaret esse: quo hæsitante subiecit alium,

Ὁρᾷς φάεσσι Μασσάβαν τιμώμενον.

Id est,

Vides luminibus Masgabam honoratum?

Hæc cum subnotassem, incidi postea in Hieronymi pii, & eruditissimi Theologi scripta contra Vigilantium Gallum, in quibus Vigilantii illius hæretici impia hæc contra Martyrum reliquias verba referuntur, *Prope*, inquit Vigilantius, *ritum Gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in ecclesiis: sole adhuc fulgente moles cereorum accendi, & vbicumque pulusculum nescio quod in modico vasculo pretioso est circumdatum, osculantes adorant. Magnum honorem præbent huiusmodi homines beatissimis Martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni, cum omni fulgore maiestatis suæ illustrat.* Hæc ille. Vides quæ pie fiebant, fiuntque etiam hodie, circa Sanctorū Martyrum tumulos, ex Gentilium prope, quem ipse obseruasset, ritu fieri, vesania ac hæresi correptum hominem dixisse. De facibus funalibusque, quæ in exsequiis olim vsurpabantur, nos alibi multa, quæ huc modo transferre non est operæ pretium.

Locus in commentariis Iulii Cæsaris quo ille pontis lignei in Rheno constructionem describit declaratur.

CAPVT XX.

SVblicium Iulii Cæsaris pontem, non tam artis, formæque nomine, quam præscriptionis obscuritate famosum, quo ille Rhenum iunxit, qua exercitum traduceret, multi illustres nostra, & parentum ætate contenderunt. Qui suas ad hunc usque diem inuulgauerunt sententias, sunt infrascripti, scilicet, Ioan. Iucundus, Leo Bapt. Albertus, Hieronymus Cardanus, Iul. Cæsar Scaliger, & Ioannes Buteo nulli eruditione, aut ingenii acumine secundus. Atque ii quidem ut in rempublicam literariam utilitatis non paruum inueherent, summa ope contenderunt, suntque ea de caussa bonorum omnium laudibus prosequendi, qui quod potuerunt sedulo præstiterunt, & si multorum iudicio rem non satis assecuti videntur. Horum exemplo & nos ducti, in hanc militiam nomen dedimus, eoque libentius si fieri possit subleuare pontis huius structuram breuibus declarare conabimur. Cæsaris verba

sunt

sunt hæc, *Rationem igitur pontis hanc instituit. Tigna bina sesquipedalia, paululum ab imo præacuta, dimensa ad altitudinem fluminis intervallo pedum duorum inter se iungebat. Hæc cum machinationibus immissa in fluminis defixerat, fistucisque adegerat, non sublicæ modo directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent: his item contraria duo ad eundem modum iuncta intervallo pedum quadragenum, ab inferiore parte contra vim atque impetum fluminis conversa statuebat. Hæc utraque insuper bipedalibus trabibus immissis, quantum eorum tignorum iunctura distabat, binis utrimque fibulis ab extrema parte distinebantur. Quibus disclusis, atque in contrariam partem revinctis, tanta erat operis firmitudo, atque ea rerum natura, ut quo maior vis aquæ se incitavisset, hoc arctius illigata tenerentur. Hæc directa iniecta materia contexebantur, ac longuriis cratibusque consternebantur. Ac nihilo secius sublicæ ad inferiorem partem fluminis oblique adigebantur, quæ pro ariete subiectæ, & cum omni opere coniunctæ, vim fluminis exciperent. Et aliæ item supra pontem mediocri spatio, ut si arborum trunci, sive naves deiiciendi operis caussa essent a Barbaris missæ, his defensoribus earum rerum vis minueretur neu ponti nocerent.* Hæc ille. Quæ ita explicanda atque excipienda esse censemus *Sesquipedalia.*] id est, sesquipedali crassitudine ut omnes putant. *Paululum ab imo præacuta.*] Non admodum præacuta, eo quod, ut est verisimile, alveus fluminis facile cederet, ac tigna illa admissurus videretur. *Dimensa ad altitudinem fluminis.*] Ut tamen haberetur ratio partis tigni cuiusque, quæ in alveum adigeretur, & auctus fluminis, si pluviis forte excrevisset. *Intervallo pedum duorum inter se iungebat.*] Transversariis scilicet, aut etiam fibulis e duriore materia, ut divelli nequirẽt, in scalarum morem copulabat: tanto intervallo relicto, quantum ad bipedales trabes excipiendas satis esset. *Machinationibus immissa.*] Nam propter magnitudinem ac pondus, sine machinis tigna illa bipedalia iuncta, in flumen immitti non poterant, ut qua oportebat alvei parte locarentur, & consisterent. *Fistucisque adegerat.*] id est, instrumentis ad defingenda altius tigna illa aptis, quæcumque ea fuerint, sive quæ machinis in capita tignorum demitterentur (quas nunc vulgo Mazzacastelios vocamus) sive multis ansis a quaternis aut pluribus hominibus sustollerentur ac illiderentur, ut malleis fieri solet. Cum enim alveus Rheni propter limum solidior non esset, ut in multis fluminibus visuevenit, huius etiam organi vi tigna licet sesquipedalia, Butcone quamuis reclamante, adigi potuisse existimamus. Quod autem alveus ad tigna admittenda minime esse contumax, ipsemet Cæsar innuit, ut diximus; qui tigna illa non admodum, ut alioqui oportebat, sed paululum præacuta fuisse dicit. Hanc verbi *Adegerat*, sensus a Butcone, & aliis quibusdam allatus, mihi non videtur germanus, si

apud Latinos auctores eius vsum spectemus. Namq; eo significatu vsurpant, vt intus agere atque infigere demonstret. Plinius lib. 16 cap. 10. *in arborem clauus ferreus adigatur, &c.* Quæ res satis est manifesta, vt minime hoc loco audiendus videatur Buteo. qui putat fistucis, idest, palis quibusdam, circa tignorum calces defixis tigna illa vi ac necessitate adacta dici, hoc est in sua sede coacta, & obfirmata. Quod nescio quam facile fieri posset, vbi flumen altius esset, adeo vt pali supra aquam non exstarent, atque ideo tundi, ac in alueum satis agi non quirent. Præterea non video, cur tigna, quæ sublicis ex inferiore fluminis parte tamquam antis confirmabantur, his palis indigerent; aut cur infra opere fere absoluto, sublicas obliquas (si vt Budæus facit, & locum illum accipiamus) circa tignorum calces, non Buteonis prænotatas fistucas, siue palos Cæsar defigat. Adde quod verbum *Adegerat*, vna cum verbo *Defixerat*, respicit has voces, *Prona, ac fastigata, sive fastigiata*; vt Cæsar tigna non ad perpendiculum, vt fieri consueuisset in sublicis, sed prona ac paululum inclinata, defixa ac in alueum adacta dixerit. *Pedum quadragenum.*] quadragenum dicit, non quadraginta, ratione multorum iugorum, quibus pons constare debeat, in quorum singulis, paria tignorum inuicem pedibus quadraginta distarent capitibus, non calcibus, vt trabium bipedalium, quæ immittendæ essent, & pontis latitudinem intelligamus. *Ab inferiore parte.*] hoc est in aquæ superficie, inquit Buteo non sine errore, vt mihi videtur, cum Cæsar fluminis partem intelligat post priora tigna, vt post vocem Quadragenum, cōmaponatur. *Bipedalibus trabibus immissis.*] crassitudine bipedali, quanta posset interuallo prædicto pedum duorum congrue excipi. quod Cæsar met explicat inquiens, *Quantum eorum tignorum iunctura distabat.* Dixit autem *trabibus*, in plurali, respiciens ad plura iuga non autem quod binæ trabes immitterentur, ne nimis superflua firmitas quæsita videatur. Nullus enim Mechanicus aut Architectus negaturus est, trabes bipedales in quadraginta pedum spatio transeuntis exercitus oneri ferendo esse. & si alibi contrarium affirmamus. *Binis vtrimque fibulis.*] Buteo autem non binas fibulas vtrimque, sed vncias ponit, quod miror ab eo esse factum, cum res satis sit aperta. Forma etiam fibularum magis operosa est, & infirma, quam quæ loco huic conuenire videatur, licet fibulæ in alios vsus ad subnectendas vestes, ad baltheos, ceteraq. huiusmodi, ea forma ac etiam circulari fere, fieri consueuerint. Ego fibulas pro clauis e ligno duriore accipio, quib. adactis tigna illa vna cū trabibus immissis, prius perforata configerent, atque vnita continerentur. Fibulas autem, a figendo dictas suspicor (figulam namque pro fibula veteres dixerunt) vel quod axiculum fibulæ, qui baltheo, aut rei huiusmodi per fibulam ductæ infigitur, referrent. Quod autem claui non absimiles ab Architectis Mechanicisque fibulæ

Digitized by Google

fibulæ appellentur, satis demonstrat Vitruuius *lib. 10. cap* 2 dũ de trium tignorum iunctura loquitur, quam infra *cap 3. fibulationem* vocat (licet Buteo & alii loca hæc aliter accipiant) & Oribasius *in libro de Machinamentis, cap* 4 dum ait, *fibulam in organo Fabri spatham distinere ad testudine, & fibulam continendi caussa in spatham atque radicem pertusam inseri.* & infra scribit, *fibulas infixas clauorum vsum præstare.* Idem quoque inferius *cap.* 8. fibulæ meminit, quæ infigeretur lateribus organi cuiusdam, ad continendos dentes tympanorum versatilium: eodemque capite fibula vtitur tanquam clauo ad continendum plinthium in scamno, eadem fere ratione, qua fibulis suis Cæsar vsus est ad continendas intra tignorum binorum interualla trabes bipedales. Capite demum 25 loquens de Fabri prænotati organo, sic inquit ex interprete, *Proposita pars radicis per vno foramine pertunditur, per quod fibula demittitur ne radix euellatur sed manens in foramine torqueatur.* Hæc ille. Vides fibulas Architectis Mechanicisque ipsis clauorum vsum præbere. Quæ testimonia cum sint satis, reliquis, quæ afferre possem, supersedeo. Sane Scaliger a nostra sententia non multum secessit, fibulas ipsas trabi ita infigens, vt non ipsas tignorum binorum summas partes cum trabe inserta perfoderent, sed hinc inde trabis duntaxat capita, vt intra fibulas binas vtraque tignorum paria media distinerentur. Quæ fibularum affixio ab hinc annos sexdecim ab Andrea Brugonio Mechanico præcellenti excogitata, licet Cæsaris sententiæ non nihil quadrare videatur, mihi non arridet, cum non multum præstet firmitudinis, nec ita arcte vt oportuit, tigna trabemque deuinciat. siquidem in Scaligeri fibulatione, si maior vis aquæ se incitauisset, in duas duntaxat fibulas vis omnis incubitura esset, scilicet vtrinque in interiores, exterioribus nihil adiumenti præstantibus: & vna solum detracta fibula iugo pontis multum roboris decessurum videretur. Quæ prospexisse pontis huius Architectos verisimile est. Minus etiam constructionis rationi & Cæsaris sententiæ quadrant Iucundi fibulæ quæ omnino a fibularum quarumcunque forma aut imitatione absunt & magis trabem suffulciunt, quam bina tignorum paria reuinciant & detineant. Igitur, vt ego sentio, dicendum videtur, vtrinque, id est, in vtroque tignorum pari circa extremas, id est summas partes, prope capita scilicet, ita fuisse fibulas, quæ clauorum vsum præberent, defixas, vt per tigna ac insertam trabem procederent, & arctius tignorum trabisque capita iungerent religarent, ac distinerent. Qua defixione ac iunctura, nulla in opere huiusmodi, meo iudicio, firmior, expeditiorque excogitari potest. Cuius etiam hic est vsus, vt trabem quamuis tignorum transuersariis vtrinque insidentem, ne superinducto ponder cedat, ac deorsum prolabatur, contineat. *Ab extrema parte*] id est suprema, siue summa, nam ca-pita tignorum significat, vt patet. *Distinebantur*] id est iuncta ac

illigata vtrinque detinebantur *Quibus disclusis*] Quibus tignis vtrinque separatim clausis, id est iunctis, ac fibulis illis defixis, arctius detentis. Claudere enim pro iungere & Vlpianus noster aliquando dixit. Quanquam non me latet & Scaligeri, ac Buteonis fibulis tigna claudi, sed tamen non ita valide ac ex vsu, vt nostris. *Sublica ad inferiorem partem fluminis.*] Iucundus, & Buteo, perperam locant sublicas. alter enim eas forma literæ X intra bina tignorum paria pronas, alter circa tignorum calces directas ad perpendiculum defigit, Cæsare quanuis reclamante, qui ad inferiorem partem fluminis adactas scribit, id est post inferiorem partem pontis, ad differentiam subiectorum vero oriun, *Et alia item supra pontem* &c. *Oblique.*] non recta post tigna, sed inais hinc inde partibus diuaricatæ supremis autem mutua inclinatione in tigna côuenientibus, vt non solum vim fluminis nixu ex perent, sed ne tigna ad latera possent deflecti, efficerent. Nihil etiam prohibet quominus dicamus, sublicas inferiori parte fluminis contra tigna defixas fuisse, ita vt inclinatæ singulæ singulis tignis posterioribus hærerent affixæque essent supremis partibus. *Pro ariete subiecta*] id est, vt quasi arietis ferire volentis, & in frontem maxima vi incumbentis, vicem, aut potius similitudinem singulæ exhiberent, perindeatque (*vt Plauti verbo vtar*) contra vim fluminis arietarent. Buteo male, vt mihi videtur, exponit Pro ariete, id est, ante arietem, vt sit aries machina, quę robustum cylindrum valide ferratum, e sublimi præcipitem demittit in capita sublicarum, quam Mazzacastellum nostri Itali appellât. perperam etiam accipit pro quolibet arboris trunco seu rate, vel naui, quæ fluminis impetu ferrentur in sublicas *Cum toto opere coniuncta.*] vt differrent ab iis, quæ supra pontem mediocri spatio defigebantur, & cû opere non iungebantur Vides igitur quæ sint pontis huius fibulæ, & sublicæ ad inferiorem partem fluminis pro ariete subiectæ: quæ duo, in hac pontis constructione difficultatem continebant. Potuissem ichnographia ac scenographia quæ dicta sunt, lectorum oculis subiicere, sed allata a nobis apertiora videntur, nisi hebes quis omnino sit, quam quæ delineationes schemataque requirant.

Apud Clementem Romanum, & Epiphanium per παλμῶν interpretem, & obseruationes, quod hominum genus, & quæ res significentur.

CAPVT XXI.

Clemens Romanus Constitutionum Apostolicarum lib. 8. c. 28 scriptum reliquit παλμῶν interpretem probandum esse tempore, & nisi pareat reiiciendum esse, vt de aliis multis hominum generibus ibi constituitur. Cuius vocis eo loco, significationem interpres, vir alioqui eruditissimus non satis assecutus, palmorum, vertit, nulla plane nisi absurda sententia

Eadem voce vtitur Epiphan. usin fragmento libri, quem Pena-

Digitized by Google

rion appellauit. sic enim ait ἀπηκηρύττει πορνείαν καὶ μοιχείαν καὶ ἀσέλγειαν καὶ εἰδωλολατρείαν, καὶ φόνοι, καὶ πᾶσαν παρανομίαν καὶ μαγείαν, καὶ φαρμακείαν ἀστρονομίαν, κληδονισμούς, παλμῶν παρατηρήσεις ἐπαοιδίας ἀ[illegible] καὶ δὴ καὶ ἐμμα φυλακτήρια. Quæ verba sic interpretatur Io. Heutenius, Scortationem detestatur, & adulterium, ac impudicitiam, & idololatriam; homicidium quoq; , & omnem iniquitatem, ac præstigiaturam & veneficium, astronomiam diuinationes, concussionum obseruationes, incantationes, appensa amuleta, quę & phylacteria dicuntur. Idemq; sic habet in vetustis margine, παλμῶν, forasse chiromantiam signficat. Cornarius vero loco concussionum, tremorum habet Sed omnes male verterunt, cum quid significaretur, non satis essent assecuti. Tu dicas significari *extispices* seu *extispicium*. nanque Aruspices olim, vt ex Ethnicis, ac etiam August no patet inspectione extorum & eorum palpitatione, futura prædicebant quæ res satis nota est. Vnde, apud Clementem ac Epiphanium vertendum erat palpitationum, quę vox extorum motui, quem antiqui obseruabant, maxime cōgruit. Et si non me latet vocem Gręcam alias etiam habere significationes, quæ locis his minime quadrent. Palpitatio nanque extorum est, præsertim cordis, ac venarum seu potius arteriarum. Plinius *li* 32. *ca.* 5. imponat supra cordis palpitationem mulieri dormienti. Gell. *li.* 18. *c.* 10 verba hæc ex antiqs medicis refert, σφυγμὸς ἐστὶ παλμὸς ἢ ζέσις φλεβὸς ἢ ἀρτηρίας. Idest, vt Gaza interpretatur, *Pulsus est subsultatio & palpitatio, vel ebullitio venæ, aut arteriæ*. Vides παλμὸν venæ aut arteriæ tribui. Aliis possem exemplis rem comprobare, quibus supersedeo, cum illa facile lectoribus in Græcis Latinisque auctoribus occurrent.

Libri Quarti, & vltimi Miscellaneorum, seu variarum lectionum

F I N I S.

INDEX RERVM VERBORVMQVE TOTO OPERE MAXIME MIRABILIUM.

A

ABerrigines, vnde dicti, Hart. 1. Dec. 7.
Abiegna trabs, non est πεύκη. Brod. 6. Misc. 9
Ablig are, pro ab vrbe amouere, Sig. lib. 1 Emend. cap 23
Abluebantur accessuri Deos. Frut. 2 Ver. 6
Ablu pulvinos, irrigationibus & tempestatibus pluuiis, Fru. 2 Verif. 22
Absque te esset. Frut. 2 Verif. cap. 1.
Aca, antiqua scriptura, pro aqua, Mur. 4. cap. 14
A censu, quid Ciceroni Epistola 1. ad Q. Fratrem Robor. Ann. 2 c. 21 Sigon. 1. Emend. cap. 30.
Accentus; veteres nō apposuisse dictionibus, Brod 6. Misc. 12.
Accipitraria venatio an vsitata antiquis, Gyrald Dial 6
Accipitres tentari morbo comitiali, Brod. 3. Misc. 23
Accusationis & maledictionis discrimen, Mur. 8. cap. 19
Aceruus splenis, pro splene tumente, Pith. 1. Sub. 19
acetum coalescere in regionibus Septentrionalibus Brod 5 Misc 31
acetum, inter condimenta, Mag 2. cap 9
ἀκινάκης, pro gladio Scythico, Brod 5 Misc 5
ἀχ... f. phasmatis species, Brod. 2 Misc 5
Achilles mortuus Achiuum, Mur. 19 cap 2
ἀκ..., medela, Hart 3 Dec 9 § 4
ἀκρ... Frut Ver. 8
ἀκροαματικῶς, ἀκρόαμα, quid Mur. 2. cap. 12
ἄχρηστον, adscribebatur paginis cum quid putaretur vitandum, χρήσιμον, cum quid vtile, Pith. 2. Sub. 3
acroamata ne adhibenda conuiuiis Mur. 6. cap. 15
Actum ne agas, vbi locum habeat. Mur. 19 cap. 8
actus pro eo quod Græci dicunt ἐνέργειαν, esse barbarum Mur 6. c. 19
acus marinæ prægnantes dissipuntur, Brod. 3. Misc. 28
ἀθάνατον, an æternum. Mur. 8 capit 3.
adiantinum folium, non respuere humorem, Brod 2 Misc 28
addicti corpus, quod legibus duodecim tabularum in partes sectū creditoribus distribueretur, non habuisse originem a Solonis, aut vllius Græci nomothetæ legibus, Mag. 1. c. 8
ἀδίαντον, quasi διὰ παντὸς ἄβρεχον Brod 2 Misc. 28
Adire manum alicui, pro deludere, Muret 19. c. 19
adiurare, exorcizare Pith. 2. Sub. 8
Admittere equū, quid sit, Mag 1. c. 7
adolescēs admodum, qui natu maior viginti duobus annis, imo etiam triginta quatuor Bed Loc. 5
Adonis interfectus a Marte an a Diana, Muret 5. c 7
adoptatio filiorum per arma Pith. li. 1. c. 2. per capillos, per barbam, per sacras preces, ibid.
adoptare cur posse spadones voluerit ultimis..., Mag. 2. c. 5.

Adora-

Adorationis ritus, Pith 2. Sub. 7
adoratio manu, qua digitorum inflectione facta, Gyr. Dial. 2. p. 377
adorantium habitus, Pith. ib.
adorabantur Dii politis penulis, Pith. 2 Sub. 7
adoraturi ad Solis ortum labia vibrabant, Pith ib (ibid.
adoraturi capita submittebāt, Pith.
aduocatorum ferinæ linguæ virus, Pith. 2. Sub. 11 canina facūdia, ibi.
aduocationem postulare, quid, Pit. 2 Sub. 20
adulteris deprehensis raphani inanum impingebātur, Hart 2. Dec 8 § 2
Ædibus sacris commendata pecunia publica, Brod. 4 Misc. 17
Ædiles cauebāt ne plebei homines spectarent in theatro inter Senatores, Brod 5. Misc. 13
Ædilium erat, Ganeæ auibus interdicere, Brod. 5 Misc 13
Ægytus petita non propter se, sed longinquitatē nauigandi a Phtisicis, Brod. 6. Misc 25
Ægypti fertilitas sterilitasue pēdebat ex inundatione Nili maiore aut minore, Mag. l. c 19
Æmilius Probus, minime Pōponii Attici coætaneus, sed Theodosii potius Imp. Mag. 4 cap 15
Æmilii Pauli Papiniani argētea vrna cum cinerib. eius, quomodo inscripta, Mag. 2. c. 11
Æmilii Pauli filius maior, adoptatus a Q. Fabio Max. Bēd. Loe. 1
Æolus cur rex ventorum, Ruf. Ant. cap. 22. pag 585
Ætas, aurea, ferrea, Brod. 1 Misc. 39.
Æther, pro igne, Brod. 6 Misc. 15
Æthiopis occursus an inauspicatus Brod. 4 Misc. 1
Æthiopia, quæ prope tropicū Cancri Ruf. Ant. cap. 43. p 396
Ætholi cur pugnarent altero pede nudi, Brod. 3. Misc. 8
Αἰτὶς ἐν πεφίλαις, quid Brod 6. Misc. 19
Æra quid chronographis, Brod. 6. Misc. 30
Ærarium Romæ in templo Saturni Brod 4. Misc 17
Æripes, qui nullo cursu, nullo labore fatigatur. Ceruus æripes, Brod. 2. Misc. 29. Taurus æripes ib
Æris Corinthii temperatura quomodo inuenta. Mur 5 c 5
Æris densandi, ars veteribus, Mag. 3. cap 3
Æris tinnitu manes olim fugari creditum est, Mag 4 c 14.
ἀγγεῖον πυρίβολον, non esse bōbardas nostratis aliene. Mag 1 Misc. c. 1.
ἄγειν ἐπὶ δόρυ, ἐπὶ ξίφος, ad dexteram ἐπὶ ἀσπίδα, ἐφ' ἡνίαν aut χαλινόν, ad sinistram notat, Brod 3 Misc 16
ἄγειν καὶ φέρειν, Robor. Ann. ca. 3. p. 32 Sigon 1 Em end. c. 5.
ἀγέλαστος πέτρα, Brod. 1. Misc. 33
aguati alii ab Gentilibus. Sigon lib. 2 Em. cap. 20
agnomen & cognomen idem, Sigo. lib. 2 Emen. c. 14
agnomina vnde ducta. Sigo. lib. 2. Emen. c. 19
agnomen cum cognomine vsurpatum, Sigo. lib. 2. Emen c. 51
agnominis vox a nullo ex vett. auctoribus prolata Rob. Ann 1. c 21
Agnus incursiosus, agnus curio, Tur. 2 Ver. 17
ἀγκύλον inde *Angulus* & *Anglia*, & *Angulare*, Mur. 13 c 17
agrorum limites, cuius angustiæ, Mag. 4. c 7
agros stercoratos Troiano etiam sæculo, Brod. 6. Misc. 13
ab interiectio an cum aspiratione scribenda, Stat. Obseru. cap. 22

Αἴας vocatiuus, Hart. 3. Dec. 7. § 16
Αἴθοπα οἶνον cur Homerus dicat, Brod. 5 misc. 31
Αἰγῖται, Æginenses, non Æginetæ, αἴγιον, Brod 6 misc. 15
Αἴγινα, αἰγινεῦς, αἰγινήτης, Brod. 6. misc. 15
Αἱμάτιον, garum, Mag. 2. c. 9
Αι pro αε veteres scripsisse, Muret. 6. cap 4
Αὐτοκάβδαλοι, homines nihili, Brod. 5 misc. 34
Αὐτολήκυθοι, qui, Brod. 5 misc. 34
Ἀλαβάρχης, nomen magistratus apud Alexandrinos, Brod. 4. misc. 2
Alabarchen dicendum an *Halabarcha*, Gyr. Dial. 29
Albatæ ne fuerint mulieres in luctu, Mag 3 c 14
Albogaleri forma, Sig. lib. 2. Emen. cap. 34
Alcestes medicinis Herculis sanata, cū iam deposita esset. Mur. 8 c 23
ἅλες, pro Venere & gratia, Brod. 6. misc 12
ἅλς ἰνδικὸς, saccharum, Brod. 4 misc. 22
Alis & Alid, pro, Alius & Aliud, Robort. 19
ab Alexandri obitu ad nostram ætatem quot annis. Brod 3 misc. 5
Alex, allex viri. Brod 6. misc. 10
Alexandria quot annis ab Ilio capto condita, Brod 3. misc. 5
Alexander Braccus carpitur in versione Appiani, Bend Dec 5
Alligati, seruorum genus, Pith. 2. Sub 9
alliorum caulibus & ceparum cęde- batur olim pueri ingenui. Har. 3. Dec. 5 § 2 (misc. 2
allium rusticorum theriaca. Brod 6.
allocutio: παρηγορία ἢ παραμυθία, Muret. lib. 2. Var. Lect c. 4
alloquendi verbum vsurpatum, vbi agitur de leuando ac minuendo dolore, Mur. 2. c. 4
alchimia, vnde dicta. Gyral Dial 8
Almone lauatur Mater Deum, Bro. 2. misc 26
Alopecis, quid, Brod. 4 misc. 25
Alphicus, quis. Alphos, quid cutis vitium. Gyral Dial 22
alter & trecentesimus &c. annus primusne annus an secudus. Robor. Supp. cap. 2. & seqq Sig lib. 1. Emē. cap 1 & c 16
Aluus materna, Frut 2 Ver 19
Ambacti, Gallica lingua serui, Pith. 1 Sub. 8
Ambarri, populi Galliæ, vbi, Pith. 1. Sub 8
ambitio cretata, quid Pith. 1. Sub 11
ambitio & auaritia malorū omnium quibus Resp Rom. cōflictata est, duo quasi fontes, Mur. 17 c 3
Ambitionis & auaritiæ, discrimina quæ Mur 16 c. 16
Ammonius anachoreta auriculam sibi abstulit, ne fieret Episcopus, Hart. 3. Dec. 2. § 7
amare extrema linea, quid, Mur. 10. cap. 18
Amaranthus, ornādis sepulcris frequentata, Mag 2 c 17
Amastris Hart. Decu 1. c. 2
amantes cur Lunam inuocare soleant, Hart. 2 Dec. 8. § 15
amātes aliqui. qui prima nocte nuptiarum, ædium lapsu perierunt, Mag. 3. cap 4
amantes e crepitu folii papauerini argumentum ducebant amoris, Hart. 3 Dec. 3. § 13
amatores, in gratiam eorum quos amabāt in symposiis aliquot cyathos libatos terrę infundebant, Hart. 1 Dec. 8. § 13
amici potissimum munus, vel pec-

care parantem retinere, vel cum peccasset, increpare, Mur. 11.c.15
amicum facilius facere est, quam inimicum, Mur.2 c.11
Amicum esse aliquid Diis, pro eis ita videri Mur.2.c.12
amissi, ter vocari consueuerant, Hart.3 Dec 8 § 24
ἀμνησικακῆσαι, Har 2.Dec.7.§.16
ἀμνηστία an sit verbum quo vtebantur Athenienses in discordiis sedandis, Mur. 2 c 14. videtur potius esse μὴ μνησικακεῖν, Mur.2.c.15
amor amicitiæ, quid Ciceroni, Muret 15.c 4
amor excubans in genis puellarum Mur 11.c 20
amorem magnum ostendere volentes, paratos se dicebant partem annorum suorum dare, Mur.9.c.1
per amorē quæ peccātur minus accipiuntur, Mur. Obl.c.7.
amoueri a Repub. quid Sigon. lib. 1. Emend c 23
amurca, quid Mag.2.c.9 medicamētis admisceri solita nō cibis, ibid.
ampliationis & cōperendinationis differentiæ, Rob. Ann.2 c.25
Amphion cur Dircæus dictus, Brod. 2 misc. 8
ἀμφιθάλασσος, *bimaris*, Mur.1 c.7
Ἀμφιπλήθουσα ἀγορά, Brod 4 misc. 33
Ἀναγκαία τύχη aliud Sophocli tragœdo, aliud Amphi Comico, Brod.1 misc 22
Ἀναγκοστροφεῖν, ἀναγκοφαγεῖν, quid, Brod 6 misc 17
ἀνακῶς, sedulo, Hart 3. Dec 9.§.4
ἄναξ vnde dictus, Hart. 3 Dec 9. §. 4.
ἀνέθηκεν, Diis dicauit, Brod.3.misc. 22
angarii Persarum, quid, Brod. 6. misc.6
Angeli an auctores patresq; Gigantum, Mag. misc lib 1 c.4
Anima, pro vita Mag 1.cap. 12. *Animam efflare*. ibid.
anima Socrati homo, Brod. 5.misc. 18
anima an post liminio in corpus redeat, Mag 3 cap 5
animæ an filio, quid, Mag. 1. cap. 12
animæ ne an circa tumulos & corporum suorum reliquias errent, Mag 4.cap.12.
animal brutum nullum inuidere homini, Brod.3 misc 10
animalia, aquatilia, cœlestia, terrestria, volatilia, Mag 1 c. 21
animalia multa præter canem insanire, Brod.3 misl.19
animalia cur maiora in mari quam in terra, Mag.1.c 5.
animalia vendentes promittebant, *esse, bibere, vt oportet*, Mag 4.c.3
animalia mutila ac morbosa non sacrificabantur Diis, Mag. 4. capit 4
animalia in igne degentia, Mur. 16. cap. 2
animas a corpore seiunctas, corporeis tamen affectibus obnoxias, putabant veteres Mag.3.c.5
Animas hominum in numerum Deorum relatas veteres Lares esse putauerunt, Pich 1 Sub 9
animas nostras corporibus egressas deductoribus egere, Mag 4. c 11
animas mortuorum non retinere potestates sensitiuas, Mag.ib.
animas pollutas circa sepulcra vagari, Brod.5.misc.11
animis impiorum vibices ac maculas inustas esse, Brod 1. misc cap 4
Ænianes, quid Hart 2.dec.2 §.10
Annominatio, quid, Stat.1.Obl.12

Anno trecentesimo altero, quingentesimo altero, sexcentesimo altero, vicesimo altero, an duos annos complectatur, an vnum Robor. Supp. c. 2. & seqq. Sigon. libr. 1 Emen. c. 1 & c. 16
annos suos alteri tribuere velle a moris summi, Mur 9 c 1
annos in feminis tantū spectatos in argumentum pubertatis, nō corporis habitum. Mag 1. c. 2
annus Met...nis, Pith. 2. Sub. 13
annus sexagesimus tertius cur periculosus, Brod. 6 Misc. 26
annuli vsus ad obsignandum, Rob. Annot. lib. 2 c. 17
annulis cōstructis stella aliqua fortunata ascendente, &c an vim aliquam habeant, Brod 3. Misc 21
annulus φαρμακίτης ἢ φυσικὸς. Brod. 3. Misc 21 (cap. 3
Anchisæ mors, varie relata, Mur. 13.
Androdes cur sexagesimus tertius vitæ annus dictus. Brod. 6. Misc. 26
ἀνδροφόνος, aliquid maius quā homicida, Mur. 3. c. 19
Antea, αἴθλιον. loci nomen Brod. 2 Misc 11
Antæi fabulæ, quid subsit, Ruf. Ant. cap. 18 p. 583
Antelogium quid. Mur 3. c. 13
Antesionides. Hart 2 Dec. c. 2 § 11
Antestari: quid Gyral Dial. 8
anthlia, machinæ haustoriæ genus, Pith. 2. Sub. 16
ἀντλία haustra, Pith. 2. Sub. 16
ad Antliam condemnari quid, Pith. 2 Sub. 16
Antiphon Rhamnusii, Thucydidis præceptor, Mur. 17. c. 7
antestari, quid Brod. 5. Misc 36
ἀντίδοσις quid Athenis circa instructionem triremium. Robor. Annot. 1. cap. 5. pag. 32. Sigon. 1. Emend. c. 5
Aphthæ, morbus oris qualis, Gyral. Dial. 22
apio ad passim tumuli sepulcrorum coronarentur, Mag. 2 c 17
apis ...ς, Frut 1 Ver 5
Apium, cur coronis toties adhibeat Horatius, veteribus aliquin feralis & ominosum, Mur. 16 c. 18
ἀπίχλαι ..., Brod. 3. Misc 23
Apollini sacrum factum ritu Græco capris albis auratis, Mag 5 c. 1
Apollodorus tyrannus, Muret. 16. cap. 7
Apollonius Tyanæus optima adhuc memoria cum centum haberet annos, Mur. 3. c. 1
ἀποφράς, vox minime Barbara, Brod. 3 Misc 17 ἀποφράς αἰγαῖος ib.
Appius, an semper prænomen, Sig. lib 2. Emen. c 16
apro cur non fieret res diuina Veneri, Mur. 3. c. 7
ἀψῖδες ἐγχυμοφόροι non tollebantur veteribus, Brod 5 Misc. 19
apta vincula, pro aptata, Fru. 1. Ver. 19 apta sarcinulæ, ib.
apta pennis πτερύγωτα, Muret. 14 cap. 3
Apuleium vixisse sub Pio Imp. Pith. 2 Sub. 10.
apum atque poetarum comparatio Mur. lib 8. Var. lect. c. 1
apum natura, ac genus multiplex, Mag. 1. Mis 3.
apum rex an sit sine aculeo, Brod 4 Misc 10
aqua aspergere, suffundere frigidam, pro maledictis incessere, Brod. 4. Misc. 32
aqua dulci vlcera squalida emolliri vdaque effici. Mag 1. c. 19
aqua ex Ægypto Romam delata, Brod 4 Misc. 2
aqua e niue, e glacie, Brod. 4. Misc 28

Aqua ex niue pessima & corpori perniciosissima, Mur.9.cap.9.
aqua lustrali aspergebãtur ingredientes templa, etiam apud Ethnicos, Mag 4 cap 10
aqua lustralis in tẽplis, qua adspergebantur intrantes, Brod.1. Misc. cap.38
aqua marina grauior fluuiali, Brod. 5 Misc 28
aqua marina vsurpata ad lustrationem Mag 4 cap 10
aqua Nili, aut alioqui limosa, quomodo corrigenda, Brod 4 Misc. 29
aqua superest, &c. Pith.2 Sub.11
aquam non nisi a castello ducere licebat, Mag.3 cap.8
aquarii signũ, idem cum Ganymede, Brod.2. Misc 21
aquarum ortus vnde. quẽ esse dicãt sacræ literæ, Mag 3.cap.15
aquarum leuitas quomodo deprehendatur, Brod.4 Misc 28. aqua marina fluuiali grauior, ibidem. pluuialis leuissima.ibid.
aquæ medicatæ, Gyral.Dial 15
aquæ ductibus deputatæ familiæ, Pith 2. Sub 16
aquæ salubriores quę, Brod.4 Misc. 28
aquæ turbidæ potus cauẽdus, Brod. 4 Misc.29
aquæ vim inesse purgandi, Mag. 4. cap.10
aquila in sceptris regũ, Hart.2.Dec. 8 § 30
aquilo vẽtus frigidus, Mag.1.cap.1. ad aquilonem obuersa, omniũ frigidissima loca, Muret.14 cap.14
Arabarchæ qui; Arabarchia, Gyral. Dial.29
Arabarches, nomen magistratus apud Alexandrinos, Brod. 4. Miscel. 2
Aracynthus Actæus mons, Brod. 2. Misc 8
Ἀραιὸν peronatus, cur. Mag 1 cap.3
Aræ prope sepulcra, & in ipsis aliquãdo sepulcris cõstructæ, Mag. 3 cap.1
Aras non euertebant veteres, Brod. 5 Misc 29
Arecostoma, Danubii ostium, Hart. 2. Dec.2 §.2
Arenarii, qui & Bestiarii, Brod. 4. Misc. 6
Aridæus, Alexandri Magni frater, tyrannus. mater ei Philinna saltatricula Muret.16.cap.7
ἀριθμεῖν, quid, Hart.Dec.1.cap.7
ἀριθμεῖν, pro venerari, Hart. 1. Dec. 6 §.1
ἄῤῥητον μίξιν, quid vocarint Græci, Brod 2.Misc.21
Aries cubitorũ triginta, insculptus sepulcro Isocratis, & cur, Mag 3. cap 1
Aries, symbolice pro duce, pro eo qui supremum locum meretur, Mag.3.cap.1
Aries, princeps signorum, Mag.3. cap.1
Aries cœlestis, sub se natos erroneos reddit, Mag 3.cap.1
Ariete cur sacrũ fiat Homero mortuo, Mag.3 cap 1
Arieti cur fingantur impositi Phryxus & Helles, Mag.3.cap.1
Arimaspi, cur dicti vnum tantum oculum habere, Mur.12 cap 8
Aristodemi liberi ob sortem liquefactam regno exciderunt, Hart. 2.Dec.3.§.15
Aristogitonis statuæ & Harmodii, an sint Porphyretici illæ, quæ visuntur in templo D.Marci Venetiis Mag.2. Misc.cap.6
Aristolochia ad morsus serpẽtium. Brod.2. Misc.2

Aristomenis cor pilosum, Mur. 12. cap. 10
ἄζειον, quid, Mur. 4 cap. 12
Aristophanes ἄζειος Mur. 10. cap. 17
Aristotel. lib. 4. meteor. *Ferrum arte domitum, ita liquescit, ut liquidū reddatur, & iterum densetur, &c.* Mag. 2 cap. 8
Aristoteles, quomodo & quare obierit. Gyral. Dial. 30
Arithmeticam primum Latinis literis illustrauit Apuleius, Pith. 2. Sub. 10
Arbor quæ in vicini fundo radices egit, cuius sit, Mag 4 cap 7
arbores an plantarentur in cōfinio, Mag. 4 cap 7
arbores e calido in frigidum clima translatæ sterilescunt, Brod. 6. misc. 25
arbores felices, duob. modis dictæ, Brod. 4. misc. 6
arbores infelices, quæ, Brod. 4. miscel. 6
arbores in mari rubro crescentes, Brod. 2. misc. 10
arbores in Apennini parte Septentrionali crassiores Mag. 1. cap 5
arbores terminales, qui, Mag 4 cap. 7
arbores quædam Diis amatæ, e quibus sibi statuas fieri vellet, Brod. 4. misc. 6
Arcarius Pontificalis. Pith. 1 Sub. 18
Arga, poeta improborum Nomorum, Sigon lib 2. Emen cap 72
ἄργας, serpentis genus quale, Brod. 1. misc. 20
ἀρχεῖον, ἀρχαϊκόν, simplex, agreste, Brod. [illegible]
ἀρχεῖον, forū iudiciale, Hart. 2. Dec. 7. §. 18
Archimedes, an auctor bombardarum bellicarum, Mag 1 miscel. cap 1
Archiatri, qui, Brod. 6. misc. 30
Archimedis quæ fuerit machina qua Hieronis nauem in mare deduxit, Mag. 2. cap 10
Archontæ, quid iurarent cum magistratum inirent, Mur [illegible]
Archontem recte verti posse, τῶ ἄρχοντι, Sigon. lib. 2. Emen. cap 77. qui magistratus Athenis, ibid.
arma priscorum ærea. Mag. 1 cap. 1
armis regi lustrabātur, Hart 3. Dec. 8 § 30
ἀρνεῖσθαι, ab agnis dictum, Muret. 10. cap. 3
Arrogationi adhibita lex curiata, etiam sub Impp. Mag 4 cap. 5
ἄρπαγὴ κατὰ τινός, Gyral. Dial. 9
ars siue ratio corrigendi veteres auctores, Robort. pag. 4
Artaba medica, Brod. 6 misc 30
Arteriam asperam non admittere potū, vt visum Alex. [illegible] 7
Arteriarum ortus a corde, non a cerebro, Brod. [illegible]
Arthritici dolores an sedētur versu vno Homeri, Brod. 6. misc. 20
Arundo Tritoniaca, tibia Palladis, Gyral Dial. 23
Aruspices vesicam lana victimarum vinctam igni iniiciebant, Hart. 2. Dec 8 § 13
Assæ cur dictæ nutrices, Mur 15. cap. 13
Asse liceri, pro pretiū rei extenuare & abiicere, Muret 14. cap. 3
ἄση priore syllaba correpta, Mur. 10. cap. 12
Asianæ delitiæ, Brod. 5 misc. 13
Asinus germanus Mur. 14 cap. 9
Asinus, etiam *lapis molaris*, Mur. 8. cap. 15
Asconius: *Cum in rem agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, petebant iudicem*, Pith. 1. Sub. 18

ἀσκώλια, ἀσκωλιάζειν, Brod. 4 miscel 7
ἀσκοὶ φατνοί, Ruf Ant.cap.48.pag. 57
Asticum, nullum locum esse Athenis vt voluit Paull Manutius, Robor.pag 25
Astomi, pomorum odore viuentes, Gyral Dial 17
ἀστραγάλαι Brod.6 misc.14
ἄσφαλτος, & πισσάσφαλτος, an idem, Brod 4 misc 23
ἀσφόδελος, quid, Brod.5.misc.20
ἄσπις nominis, eandem intelligi, Brod. 5.misc 20
Aspersoru forma expressa, Sigo.lib. 2.Emend cap.14
Aspides profugiunt a Psyllis, Mur.2. cap.2
Aspidibus obiiciuntur Psyllorū liberi, quo explorent coniugum pudicitiam, Mur.2.cap.2
ἄττα, inde forte Latinum *assa*, Mur. 15 cap.15
Atalanta vna, enūciatur secūda syllaba producta; altera, prima & secunda breui, Gyral.Dial.10
Atalantæ plures, & quot, Gyral. Dial. 20
Athanasius puer, Episcopum ludit, Mur.l.b.13.cap.9
Atheniensium in Pindarum liberalitas Mur 4 cap.1
Athenis licitū ducere sorores eodē patre, dum ne eadem matre natas, Mur.15 cap.5
ἄτη priore syllaba ꝓducta, Mur. 10. cap 12
Attoniti, qui, Brod.1.misc 31
Athleta, pro Olympionice, Mur. 15. cap 7
Atracidi, vnde nomen, Hart.2 Dec. 6.§.2
Auaritia & ambitio ciuitatū omnium duæ quasi pestes, Mur.17.c.3
Auaritiæ & Ambitionis, quæ differentiæ, Muret.16.cap 10
Aueniones mulieris cuiusdam qua- le monstrum pepererit, Mag 2. cap.20
Auertere animum, Mur 12 cap 15
Auertere, Fron 2 [illegible]
Auertuncatio [illegible]
Aues an terrestr[illegible]
qu[illegible]
Aues cratecapta [illegible]
Aūibus vlceratis [illegible] aspiciebantur veteres. Mag 4.cap 4
Audiis pro [illegible], Mur.15.c.16
Auctorum loca corrupta emendatur, aut coniecta, aut ex libris siue manuscriptis siue impressis, Robort.pag 16
Augustus an fuerit Iulii Cæsaris filius, Brod 1.misc.16. Quot annos natus cum Antonio & Lepido societatem inierit, ibid.
Aulædorū dignitas minor quā Citharædorum, Brod 4.misc.30
aurea mala, Virgilio, quæ, Brod. 1. misc.34
aureæ statuæ Delphis positæ ab Archontis Atheniensiū, quando & quam ob caussam, Mur 8.cap.18
aurem vellebant, cum quid volebant hærere in memoria, Muret. 12.cap.5
aureum vellus Phryxi, an quid ei commune cum Chimia, Gyrald. Dial.8
aurum Soli attributum, an eius vi nascatur, vbi potissimum nascatur, Brod. 1.misc 23
auris, memoriæ consecrata, Gyral. Dial 8
aurichalcum, orichalcum, Brod. 6. misc.23
Auster, ventus calidus, Mag. 1. capite 4 aliquando procellosus, ibid.

Austri origo, an e locis Antarctico polo subiectis, Mag.3.cap.6
ἀξίωμα pronuntiatum, Sigon.lib.2. Emen.cap.64
ἀξιώματα, quomodo Latine vocãda, Muret.6.cap.2
Axiocersus, Hart.2 Dec.3 §.6
Axones, legũ tabulæ Athenis, Brod. 4 Misc. 12.

B

B & μ literæ cognatio, Hart.Dec. 1.cap.2
β & υ nonnunquam cõfunduntur, Frut 1. Ver 17
Bacchus, minio pictus, Brod 3 Misc. 13
Bacides tres. Muret.13.cap.15
Baculum & peram ferebant philosophi Cynici. Brod 3 Misc.22
βαθυζώνους pro nobilibus & viripotentibus accipi, Mag.1. Mis cap.2
βαλανοβόρον cur vocarit cinædum Diogenes, Brod.1.Misc.22
Balistæ etiam iacula mittunt, Brod. 2 Misc.30
Balneatorum pretium, quadrans, Brod.3.Misc.24
Ban, Arrierebau, vnde dicta, Pith.2. Sub.20
Bandum, quid, Pith.2.Sub.20. Bandophori, ibid.
Bannum, legibus Longobardicis quid, Pith.2 Sub.20
Barbari, qui quibus, Mag 3.cap.13
βαρβαρικὸν, locus vel res barbarorum, Mag 1.cap.12
Barbaris cur vinum, oleũ, aut liquamina alia communicari noluerint Impp. Mag 3.cap.12
Bardi Gallorum, Pith.lib.1. Sub.c.3.
Baro in legibus Saliorum Ripuariorumq. pro viro. Pith 1.Sub.8
Baro, pro stupido, bardo stolidoq; Pith.1. Sub.8
Barones, qui nuncupentur, Gyral. Dial. 12
βασιλεὺς, aliquando nõ honoris vocabulum sed contumeliæ, Hart. 3 Dec.cap 10 § 4
Basternæ, vehiculi genus, Pith.lib.1. Sub. cap.5
Βάταλος, quid Brod.1 Misc.20
Batavi, equites præstantissimi, non Batali, Brod. 1.Misc.20
Βατραχὶς, quod genus vestis, Brod 6. Misc.7
Βατραχομυομαχίαν, non esse leue poema, Sigo.lib.2.Emend. cap 75
Belenus Apollo, quis, Pith. libr. 1. Sub. c 3
Bellerophon calumniis appetitus ab Antæa, quam reiecerat de stupro sollicitatus, Mur 1.cap.12
Bellicosi in ipso cõflictu spumas in ore agunt, Brod.3.Misc.23
Bello capti, nũ omnes ignaui. Mur. 14.cap.18
ad Bellum ituri reges, prius sacrificabant, Hart.2 Dec.8 § 9
Bellum indicebatur olim, hasta proiecta in agros hostium, Hart.3. Dec.8.§ 14
Βενδίδειος Dianæ, Brod 1.Misc 31
Beri, vestes quorum, Pith.1.Sub.16
Berna scribendum an verna. Pith.1. Sub 6
Bierna. Hybernia, Brod.6.Misc.16
Bestias quasdam esse, quæ in suum genus sæuiant, Brod.3. Misc.28
Beta pronunciandũ non Vita, Stat. Obseru cap.23
Βίβασις, saltationis genus quale, Brod 5.Misc.26
Biliosos sicca lippitudine infestari, Mag.1.cap.11
Bipennis, vnde dicta, Frut.1. Ver.8
Bis pueri senes, Brod 5. Misc. 4
Bisemutum, plumbum cinereum, Brod 6. Misc.23
Bistapia, quid, Mag.2.cap 14

Bitumen an auellatur filo menstruato, Brod. 4. Misc 23
Βλαβέρὸς, quæ, Ruf. Ant. cap. 82. pag. 618
Βλητοὶ, Brod. 5. Misc. 23. βλιτοὶ. ibid.
Blitomamantes, quid, Brod. 5. Misc. 23
Bobus domandis dies alius alio an idoneus magis, Brod. 4. Misc. 27
Boiaresses Aremorici, Pith. 1. Sub. cap. 3
Boiæ, an genus vinculorum, Brod. 2. Misc 10
Bombarda inuecta demum 1370, ab Bertholdo Schuuarso Monacho Germano, Brod. 2 Misc. 26
Bombardæ inuentor quis putetur, aut cuius ordinis Mag. 1. Misc. c 1
Bombarda, non quo passim traditur tempore excogitata, aut in bellicos vsus adscita, Mag. lib. 1. Misc. cap. 1
Bombyx setam texit, Brod. 2. Misc. 22
Bona dea, eadem cum Tellure, Muret. 14 cap. 2. eius opertum viris inaccessum, ibid.
Bonorum alia suapte tantum vi expetuntur, alia & per se & aliorum caussa: nonnulla aliorum caussa tantum, Mur. 4 cap. 18
Βοὸς κέρας, quid, Brod 6. Misc. 31
Bouem Ioui etiam immolari, etsi Homerici Heroes ei fere taurũ immolent, Brod. 6. Misc. 32
Boues etiã insanire, Brod. 3. Misc. 19
Boues nõ habere os in corde vt placitum Aristoteli, Brod. 6. Misc. 14
Βούλιμος, vnde oriatur in ventriculo, Mag. 2. cap. 1. an differat ab appetentia canina. Mag. 2. cap. 1
Βραχέα, breuia, vadosa maris spatia, Brod. 6. Misc. 24. Βράχεα, ibid.
Brauronia Dea, quæ, Hart. 3. Dec. 2. §. 4
Breuia, vadosa quædã in mari spatia, Brod. 6. Misc. 24
Briccola, machinæ lithobolæ superioris sæculi, Mag. 1. Misc. cap. 1
Britannia non fert vinum, Brod 2. Misc. 16
Brittones proxime accedere ad veterem linguam Gallorum, Brod. 2. Misc. 23
Buccellatus panis, qui, Brod. 4. Miscel. 11
Burgi, quid, Pith. 1. Sub. 14
Burgundiones vnde dicti, Pith. 1. Sub. 14
Burri seu Byrri, vestis genus quod, Pith. 1. Sub. 16
Byrris & Cucullis vti vetantur militum serui, Pith. 1. Sub. 16

C

Caballus, *Caballierii*, Brod. 2. Misc. 23
Cabirorum sacra in Samothracia, cuiusuis efficaciæ, Hart. 1. Dec. 6. §. 6
Cadauer foras spectabat, in collocatione, Hart. 1. Dec 8 § 17
Cadauera ante vstionẽ vncta, Mag. 3 cap. 10
Cadauera comburebãtur apud Romanos, quando is vsus cœperit, Mag. 3. 10
Cadauera cur antiquitus vngi solita. Mur. 3 cap. 19
Cadauera mortuorum lauari solita. Robor. Ann. lib. 2. cap. 5.
Cadauera virorum apud Colchos suspendebantur, mulierum terræ mandabantur. Hart. 1 Dec. 8. §. 14
Cadauera an etiam combusta apud Iudæos, Mag. 3 cap. 11
Cadmi & Harmoniæ nuptiæ a Diuis frequentatæ. Mur 4. cap 4
Cæde iusta patrata, Soli ensis eleuatus ostendebatur, Hart. 1. Dec. 8 § 15

Cædem cõſanguineam abſoluebat totius corporis membrorũ mutilatio, Hart 1.Dec.8 §.23
Cædes antiquitus taxata talentis auri duobus Hart 1.Dec.8 §.18
Cædes cõſanguinea mulctata exilio annuo, Hart.1.Dec.8 § 20
Cædes non ſponte perpetrata, expiabatur exilio, Hartung 1. Dec. 8 §.19
Cælare, cælatura, quid, Brod.6. miſcel 30
Cæleſtis, Dea Africæ, Pith lib.1 Sub. cap 4
Cæli intuendi cauſſa, hominẽ nõ eſſe figura ab ſtatura erecta, Brod. 6.miſc 14
Cæli nomen apud Latinos & ſingulare & multitudinis, Muret.15. cap.1
Calitus, num Latine dicatur, Mur. 15 cap.1
Calo miſſus, de eo qui videbatur inopinato, Mur.12.cap 7
de Cælo venire; quid, Realin. Annot.cap.4
Cælum a cælo differre, Brod 6. miſcel. 25
κρημνός, locus vbi abripiebantur malefici, Brod.6 miſc.22
Caiæ prænomen, an omnibus mulieribus commune, an nubentibus tantum, Sigon. lib 2.Emen. cap.16
C. Verres ex qua gente fuerit, Mur. 3. cap 8
Calanti,an promiſcue dicti Sophiſtæ In ...
Calantus, viri ac nomen, an ſectæ, Brod.1 miſc.11
Calcei lintei, Mag.3.cap 3
Calcei Lunati Arcadum, Mag 3. cap 3
Calcei patriciorum in formam Literæ C. Mag 3. cap.3
Calceis quibus vſi veteres, Mag 3. cap.3
Caldarium, balnei pars, vbi ſe calda lauabant, Robor. Ann. lib.2. cap.5
Caldum, pro *calidum*, Robor. Annot.lib 2. cap.5
Kalendæ intercalares priores, Brod 3. miſc 6.
Kalendariorũ corpora, Pith.2 Sub.4.
Calices amariores, pro vino veteri, Brod.1.miſc.cap 2
Caligis purpureis ſoli Impp. aureis conſules, ſericeis Patricii vtebantur in publico, Pith 1.Sub.16
καλλίνικος, genus cantilenæ quod, Mur 3 cap 11
Calliſtiches, qui, Brod.5 miſc.24
Calitha flammeola, *luteola*, Frut. 2. Ver 19
Calui Sacerdotes Ægyptiorũ, Gyrald. Dial.11
Camallorum, aliud non eſſe ab veſte vndulata, ſed a cumatili, Brod. 2. miſc.24
Cambire, Pith.1.Sub.19
καμινίτης, idem quod, *ἰπνίτης*, Brod. 5.miſc 21
Cãpagus regius, quid, Pith.1.Sub 16
Campanæ cur pulſentur cum tonat. Mag. 4 cap 14
Campania, Areiacenſis, Tullenſis, Pith.2. Sub.1
Cãpaniæ Gallicæ nomẽ apud vetuſtiorẽ paullo ſcriptorem non legi, Pith.2 Sub 1
Campanis, an & cur fugentur Dæmones, Mag 4 cap 14
Campe hirſuta, *inuoluulus*, Frut.2. Ver 19
Cancellarii nomen non admodum vetus, Pith.2.Sub 12. vnde ductũ, ibid.
Cancellarius idem cum Secretario, Pith.2.Sub.12

Can-

Cancellarius inter eos qui apparebant præfecto vrbi, Pith. 2. Sub. 12
Cancellarius qui hodie est, olim vocabatur sacri palatii quæstor, Pith. 2. Sub. 12
Cancellos agere, a cancellis, Pith. 2. Sub. 12
Cancri serpentibus infesti, Brod. 6. misc 28
Candidatis suffragium dabatur ciuium, tanquā si viri boni essent, ciuesque egregii, Robor. Annot. lib. 1 cap. 29
Canes calore ac siccitate in rabiem inflammari, Brod 6 misc 28
Canes immolati Hecatæ, Brod. 1. misc. 24
ex Cane puellam Hetruscam grauidatam peperisse fœtum seminatem, Mag lib 1. Misc. 20
Canicula dominante in cælis cur potissimum bibendum, Brod. 5. misc. 20
Canina appetentia, an idem quod βούλιμος. Mag 2 cap. 1
Canis viuens e magdalia, Hart. 2. Dec. 8 §. 4
Canistris ac sportulis cœnæ ac prādia inferebantur, Brod 6 misc. 17
Cantharides an exhibendæ alis detractis, Brod 3. misc. 17
Capedinis sacrifica is forma expressa, Sigon. libr. 2 emend cap 34
Caper fere in eis qui per ætatē coire possunt, Brod. 5 misc 22
Capere, pro *coarguere* ac *conuincere*, Mur 10 cap 15
Capilli detonsi, ad auertenda incātamina, Gyral. Dial. 11
Capilli Deo alicui, præcipue fluminibus voueri solitos, Gyrald. Dial. 11
Capitalis, pro *ingenioso*, Muret. 2. cap. 5
Capiti non parcere, quid, Mag. 2 cap 20
Capiti suo precabantur, in satisfactionibus, Mur. 12 cap 4
Capitibus illudere, Brod. 2. misc. 21
Capra, cur sacrificata Palladi, Mur. 3 cap 7
Capra, pro *indice*, Mag. 3 cap 1
Capræ & oues etiam obnoxię morbo comitiali, Brod. 3. misc. 23
Capræ Syriæ, præcellunt reliquis, Mag 3. cap. 1
Capris albis aur. ii sacrum factum Apollini, Mag 3. cap. 1
καρπὸν mederi sterilitati mulierum, Mur 12. cap. 9
Capti in bello, nū propterea ignaui habendi, Muret 14. cap 18
Caput tegebant antiquitus in sacrificiis, Brod. 5. Misc. 8 ratio quare, ibid
κάρη, neutrum non femininū, Hartung cent. 1. cap. 1 pag. 633
Carnes animalium non sanorum corporibus humanis morbos cōciliant, Mag. 4 cap. 4
Carnes assas elixis humidiores esse, an verum sit, Mag. 1. miscel. cap. 19
Carnifices antiquis ominosi, Mag. 4 cap. 16. foro & vrbe Ro. abstinebant, ibid.
καρωτίδες, an nerui collum continentes, Brod 6. misc. 14
Carotides, non esse neruos collum continentes, Brod 6 misc 14
Carpentum, insigne potestatis præfectis posteriorum temporum, Pith 1 Sub. 15
Casei coloris viridis apud Rhætos, Brod 4 misc 20
Caseus viridis, pro molli ac recente, Brod 3. misc. 20
κασσίτερος, an etiam *ferrum*, vt accepit Aristoteles, Mag 3 cap. 3

Castorem testiculos suos nō deuorare; vt placuit Solino, Brod. 3. Misc. 10
Castrantur sues, gallinæ, Brod. 5. Misc. 3
Castrati etiam mulieres, Brod. 5. Misc. 3
Castrati, Brod. 4. Misc. 21
Castrati cur adoptare non possint, cum possint Spadones, Mag. 2. cap. 5
Castrum. castellanus miles, Pith. 1. Sub. 14
κατὰ σταθμὴν, ad amussim, Hart. Dec. 1. cap. 7
Catadromus, spatium ad cursum. Brod. 3. Misc. cap. 7
Catamiti, quid, vnde dicti; quo discriminentur a pueris meritoriis. Mag. 2. cap. 3
Catapultis saxa iaciuntur, Brod. 2. Misc. 30
καθάρμα, quis, Hart. 2 dec. 8 § 21
καθήμενοι, quid, Brod. 1. Misc. c. 25
Catilina, an ter petierit consulatū, bis vero repulsam tulerit, Robor. lib. 1. Ann. cap. 4 p. 34 Sigon. 1. Emend. cap. 4
Cato, non ideo fortis quod manus sibi intulerit, Brod. 6. Misc. 29 cur se interfecerit, ibid.
Catonis seueritas quanta, Realin. annot. cap. 4
Catulire, σκυλακᾶν, Brod. 5. Misc. 22
Caudices, quid veteribus, Gyral. Dial. 26
Cautionis fragilitas, Mur. 9. cap. 11
Cebi, an cercopitheci, Brod. 5. Misc. 24
κῆπος, monstrum quale, Brod. 5. Misc. 24
Celetis equi apud Homerum mentio, Brod. 6. Misc. 3
κελάδεια quid, Brod. 3 Misc. 7
Κέλται, Galli, non Gallogræci, Brod. 6. Misc. 2
Census sine lustro, vbi annus funestus ob mortem consulis, Robor. Ann. 1 cap. 15
Centauros etiam ante bellum Troianum equis vsos, Brod. 6 Misc. 1
Centuriæ, partes tribuum, Sigon. lib. 1. Emend. cap. 35. pag. 225. m.
Centuriatum rogatores, quid, Sigon. lib. 1 Emend. cap. 12
Centurias, quæ erāt classium partes illarum lex, ex quibus conuocari solita sunt Comitia centuriata, nomina nō habuisse vlla quibus vocarētur, sicut tribus illæ xxxv. Robor. Ann. 2. cap. 31
Ceparum caulibus verberati olim pueri ingenui, Hart. 3. Dec. 1 §. 2
Cera vngebantur naues, Brod. 4. Misc. 13
Cephes genus mōstri, Brod. 5 Misc. 24
Cerarium, pecunia quæ, Mur. 11 c. 5
Cerastam, animal parere, Brod. 4. Misc. 11
κέρατα Syllogismorum species quæ, Brod. 2 Misc. 3
Ceratinæ ambiguitates, Brod. 2. Miscel. 3
Cercopithecis sua est cauda, non etiam simiis, Brod. 5 Misc. 24
Cerebrum palmæ, Mur. 13 cap. 12
Cereri in mysteriis porca sacrificata Mur. 3 cap. 7
Ceres a Neptuno in equum cōuersa compressa, Brod. 3 Misc. 21
κέρτα, ἐρίσμα ἰσχυρὰ Brod. [illegible]
Cernere, idē quod *decernere* aut *contendere*, Mur. 4 cap. 7
Certa fulmina, certa sagitta, Muret. 17 cap. 19
Cerui pennis formidatis capti Ruf. Ann. cap. 6 p. [illegible]
Cernuus vir, Hart. 3. Verisim. 9 § 5

Cernuus

Ceruus æripes, an acripes, Brod. 2. misc.29
Cestrophendones, quod teli genus, Gyral Dial.12
χαδησία, Hart. Decur.1.cap.2
Chaldæi, non ex artis, sed ex gentis vocabulo dicti, Mur.15.cap 6
χαλκιμβόλοι, χαλκήρεις naues, Brod. 4.misc.13
χαλκὸν τυρῶντα, cur dixerit Homer°, Brod.6.misc 27
Chaldæorum mendacia, Brod. 3. misc.5
Chalybs, ferri genus, quale, Mag 2. cap.8
Chamæleonem non ali aere, Brod. 6 misc.21
χαρώνεια, barathra quæ, Brod 4. misc.8
χαρώνειος θύρα. χαρώνειοι κλίμακες, τὰ χαρώνια, Brod misc 4 cap 8
Charybdis metaphorice, quis, Mur. 18 cap.7
χαυνόπρωκτοι idem quod εὐρύπρωκτοι, Brod.1. misc 36
χελώνια quid, Brod 3.misc.7
χλωίονθ, πῶς [illegible], Brod 1. misc.cap.10
Chiffra, qualis scribẽdi ratio, Brod. 4 misc.9
Chios certat de natale Homeri cũ aliis vrbibus, Ruf. Ant. cap. 19. pag.583
χιτώνιον ἰσχόμενον, Brod.6.misc 7
χλωρὸς calceus, quid, Brod. 4. misc. 22
χοῖροι, Brod 6. misc.1
Choreas agere circa puteum, prouerbium rei periculosæ, Mur. 12. cap 16
χρῆμα τῶν ἀδείων, θηλειῶν, νυκτῶν &c. Mur.6 cap.9
χρήσιμον adscribebatur marginibus paginarum, cum quid vtile dictu occurreret, ἄχρηστον, cum quid inutile, Pith.2 Sub.3
Chrestologus dictus Pertinax, cur, Pith.2.Sub.3
Chrestomathia, quid, Mur.19.cap.3
χρηστός, suauis, facilis, benignus, Pith. 2.Sub.3
Chrestus & Chrestianus passim auctores vett. dixere, pro Christus & Christianus, Pith.2 Sub.3
Chrismatis nomine, an veniat adeps animalium, Mur 19.cap.5
Christiani Romanis veteribus sub Iudæorum nomine comprehendebantur, Pith.2.Sub 3
Chunni, Pith 1. Sub 13
Chytra & *Chytron*, quod genus vasculi, Gyral Dial.8
Cibarius panis, cibarium oleum, vinum, pro viliori, Brod. 4 misc. 10
Cibi appetentiã, quinque motibus naturaliter fieri, Mag 2.cap.1
Cibi castrenses, qui, Brod.4. misc 11
Cibo potuque omni per plures annos, imo annorum decades, multos abstinuisse, exemplis probat Gyral.Dial.17
Cibum per stomachum descẽdere. Brod.6 misc.4
Cibum quoties die sumpserint antiqui, Muret.4 cap.12
Cibus linguæ motu, an ventriculi fibris in stomachũ detrahatur. Brod.6.misc.14
Ciceroniani, qui minime Ciceroniani, Muret.15 cap 1.
κιχώρειον, intubum, Brod.5. misc.36
κιναιδὸς, vulpes, Brod. 4. misc 28
Cinædorum exossis & eneruata in incessu mollitia. Pith. 1. Sub. 17
Cinnabarim nõ esse Draconis sanguinem, vt placitum Dioscoridi ac Plinio, Brod.[illegible].misc.1
Cinnabaris genera partim adulte-

rata, ac factitia, partim metallica, Brod 3.misc.1
Κιρκᾶν τινὰ ἐνῷεῖν, dare Circéses, Brod. 6.misc 17
Κισσᾶν, mulierum prægnantium, Brod 5 misc.30
Citharisare, pro citharam pulsare, Brod 2 misc 14
Citharista, & citharædus, diuersi, Brod.2 misc.14
Citharœdi honore aulędos antecellunt, Brod 4 misc.30
Citharædorum vsus contra morsus Tarantolæ, Muret.14.cap 6
Ciuilis modus, quid, Muret.11 cap 3.
Ciuile pro vsitato & ordinario, ibidem
Ciuis Romanus, qui ex ingenuo & ingenua ortus, Robor.Aun.1.c.20
Ciuitatibus liberis maior copia virorum fortium, quã iis quæ vnius dominatu tenentur, Mur 13. cap 14
Cicer frictũ ex melle edebant. Muret.1 .cap.15
Clausæ, clusæ, Interpositiones in limitibus imperii Rom. Pith. 1. Sub 14
κλέος, significationis ambiguę, Muret 6 cap.18
Clepere, pro *furari*, Mur 9 cap 19
Κλίβανος quid. κλιβανίτης ἄρτος, Brod 3.misc.21
Κλίνειν ἐπὶ δόρυ. ἐπὶ ξίφος, κλίνειν ἐπὶ ἀσπίδα ἐφ' ἥλιον aut χαλινὸν, Bro. 3 misc 16
in Cloacam descendere, Brod 3.misc 17
Cludere tragœdorum, Pith 2 Sub.11
Clypeum abiicere, infame, Mur. 9. cap.2
Coa in triclinio: Nola in cubiculo, Brod.3 misc 24
Coæ vestes, eædem cum Bombycinis, Brod.2. misc.22
Coccum differre a *purpura*, Brod. 6 misc.cap 8 quid sit *coccum* ibid.
Coclea hauriendæ aquæ instrumentum. Pith 2 Sub 15
Cœmiteria, vnde dicta, Mag 2 cap. 19
Cœnantibus stabãt serui ad pedes dominorum nulla exceptione, Muret.16 cap 6
Cœnas & prandia sportulis insũtuisse dimos, Brod 6 misc 17.
Cognatio pauperum a nemine libenter agnoscitur. Muret 2 capit. 6
Cognomen agnomini prælatum, Sigo. lib. 2 Emend cap 53
Cognomen prænomini prælatum, Sigo lib 2.Emend.cap 52
Cognomen sæpe nomini familiæ præpositũ, Sig.lib.2 Emen.cap 18
a Cognomine an argui etiam liceat, Sigon.lib.2 Emend cap 4
Cognominibus an vsæ feminæ, Sigon.lib 2. Emend.cap 15
Coitus voluptas maiorne in viris, an feminis. Brod.5 misc.27
κολίας Lacertus, Mag.2 cap 9
Colobiis non vtebantur serui, Pith. 1 Sub.16
Color niger, mortalis. eius vsus in luctu, Mag.2.cap.14
κῶλος aut κόλος quæ bestia, Brod.5. misc.15
Colubras videre, insanorum atque a Furiis agitatorum, Mur.14 capit.19
Colubrum siue *Colubrũ*, genus vasis quale, Pith 2 Sub 16
Columbæ partim feræ, partim placidæ, Mag 1 misc.cap 3
Combinare, Pith 2 Sub 14
Comæ primitiæ Numinibus consecratæ, Hartung 1 Dec 8
Comicorum epithemate licebat sceleratos exagitare & insectari, sic ut

ficut falubria Reipub consulere, Hort.2 Dec.8 § 10
Comicos histriones folitos quædã de suo in recitandis fabulis ad dere, Mur.3 cap 3
Comitiis centuriatis tria renuntiatorum genera, rogatores centuriarũ, præcones, & rogatores comitiorum, Sig lib 1 Emen cap 12
Comœdia planipedia, Brod.2.misc. 18
Compediti, vltimum seruorum genus, Pith.2 Sub 9
Compend.ũ, pro lucro, Stat. 1 Obs 5
Comperendinationis ius, Robort. Ann 2 cap.25
Comperendinationis & Ampliationis differentia quod, Robor Ann. 2 cap.25
Compita sedes & quasi domicilium Larum, Pith 1 Sub 9
Compitalia non certo sed incerto die conceptiua, Pith 1 Sub 9
Concid.re alicui corium, Frut. 2 Ver. 10
Conciliatores, proxenetæ, Muret. 11. cap.14
Conciliaturis operam dare. Mur.11. cap.13
Concubitus prima nocte, quinam exstincti, Mag.3 cap.4
Condemnatis tria afferebãtur, ensis laqueus & venenum, Hart. 2. Dec 8 § 5
Condemnandi verbum, non de iudice modo sed de accusatore, dici, Muret 19 cap.16
Cond.cere, pro denuntiare, Mur. 8 cap. 9
Conditione tua non vtor: formula qua discutiebantur sponsalia, Mag.2 cap 5
Conficere famam, ποιεῖν ὄνομα, Mur. 7 cap.16
Cõgesta mẽs, Claudiano quid, Brod. 1.misc cap.4
Connus fidicen, Brod 6.misc.9
Conõ Mathematicus, Stat.1 Obs.7
Conieciãdi Imperatores mos qualis Realin. Annot.cap 16
Consecratio, idem cum Apotheosi. Robor Ann lib 2 cap.28
Confect.rium, Mur.4.cap.13
Cõfiguare orationem, Pith.1.Sub.7
Confiptum, cõseptum, Frut.1.Ver.3.
Consilium qui dant, vt digni iudicentur quibus credamus, positum in tribus, Mur 8 cap.14
Consules, an se abdicarent, creato Dictatore, Robor. Ann.2 cap 28. Sigon.1 Emend cap 32
Consules item Galliæ aliquot ciuitatibus, Pith.2 Sub 18
Cõtulum nomina appensa vasis vinariis, vt constaret de ætate vini, Brod misc.1.cap 3
Contra aliquem, & In aliquem dicere, quid differat. Rober.lib.1.Annot.cap.37 Sigon.lib.1. Emend. cap.19
Contrariorum eandem esse vim ac potestatem, tribus modis intelligi potest. Mur.8 cap 7
Controuersari, Mur.lib.15 cap.1
Conuenæ, quid, Frutet 2 Ver.17
Conuiuæ, quoad fercula apponerentur, vasa aliaque quæ in aula erant, laudabant. Hart.1. Dec. 8. §. 19
Cõuiuatori schedula exhibita, quæ continebat enumerationem ferculorum apponendorum, Hart. 2.Dec 8 § 1
Conuiuiisne adhibenda acroamata, Mur.6.cap 15
Conuiuiis Græcorum an adhibitæ mulieres honestæ, Mur 7 caput 2
Conuiuiis Romanor. adhibitæ virgines.Mur.7 cap 2
Conuiuio finito, adeps a manibus

furfure abstersus, canibusque obiectus, Hart 2 Dec.8.§4
Conuiuium melius nec quam Græcorum συμπόσιον aut συμπόσιον, Muret. 6.cap 4
Cor quando salire aut palpitare videatur, Mur.19.cap.9
Coraces, machinationes idoneæ ad pugnas nauales, Brod.2. misc.30
in Corde boum equorumque non extare os, vt volebat Aristoteles, Brod 6. Misc.14
Corde quinā inuenti piloso, Mur. 12.cap 10
Corinthi æris têperatura, quomodo inuenta, Mur 3 cap.5
Corinthus Bimaris. Mur.1.cap.7
Coriolanus an sibi mortem consciuerit, Brod.2.Misc.23
Cornua victimarum inaurabātur, Hart.3.Dec.8.§.18
Coronæ myrteæ non a Latinis modo, sed & a Græcis impositæ sepulcris, Mag.2.cap 17
Coronis aureis donati olympionicæ. item Impp. re bene gesta, Mur. 15.cap.7
Corpora humana an quotidie decrescant, Mag.1. cap.4
Corpora cur in miram proceritatē amplitudinemq; excrescāt, Mag. 1 cap.5
Corporis bona malave talia sunt, vt nec ad laudem nec ad vituperationem cuiusquam valde pertineant, Mur.11.cap.10
Corpus quadratum, Brod.4 Misc 19
Corrigere rectum facere, Frut.2. Verisim 21
Cortices picearum literis impleti. Brod.4.Misc.15
Κορυδαλὸς cur ἐπιτυμβίδιος vocarit Theocritus, Brod.2 misc.28
Κορυθαιόλος, quid, Brod 5. misc. 30
Corui, an ore coeant, Mag.2 cap. 20
Costæ tot feminis, quot viris, Brod. 6.misc.14
Cothurni, calceamēta tragica Brod. 2.misc.cap.18
Cotio pro *cautio*. Mur.9.cap.
Coturnices an solæ animaliū præter hominem, morbum comitialem sentiant, Brod.3. misc.23
Cracens ne legendum apud ... an *Gracens* pro gracili, Frutec. ... Veris 9
κρίνον figura quæ, Hart.3. Dec ... 22
Craneum, Corinthi quid, Hart. Dec 7.§ 5
Crassarius legendū an *grassari*, Frutec.2. Verisim 9
Crate volucres decipere. Necari ... crate, quid, Brod 1 misc.28
Crateris Diarium iocosum, quo ostendit diuitibus maximos ... ptus fieri in res nihili, Muret. cap.20
Κρηδέμνον, quid, Hart.2.Dec.6 §
Κρείττων, pro Deo aut res in qua aliqua maior, Brod 5.misc.30
Crepida etymon. Mag 3 cap.5
Crepidæ, Senatorum primum, inde equitum, postremo mil... Mag 3.cap.3
κρηπὶς, quid. Mag.3.cap.3
Creta in circo, pro calce, Pith.1.S... 11
Cretata ambitio, quid, ibid.
Cretam alere serpentes, Brod. misc.11
Creusis Bœotiæ vrbs, Hart.2.Dec. § 8
Κρίβανος, κριβανίτης ἄρτος, Brod. misc.21
κρίνειν, non tantum iudicis, & accusatoris, Muret. 19. 16

nes Deo pascere, Gyral. Dial. 11
nes diis dicabantur, Brod. 3. misccel. 8
ines anteriores rasi Euboeensibus, Brod ibid. cur eosdem item rasorit Theseus, ibid.
ines templis vouebant vxores, ob reditum maritorum, Gyral. Dial. 10
ions, pro accusatione, Mur. 19. cap. 16
roco aspergebatur theatrũ, Brod. 5. misc 6
ρχόδειλος species Syllogysmi quę, Brod. 2. misc. 3
ρογμήκιμα, Frut. 2. Ver. 19
ρόσσαι, quid, Ruf. Aut. cap. 4 pag. 575
Crudis pilæ lusus noxius, Mag. 1. cap. 11
Crura, quæ, Brod. 2. misc. 24
Cubitura, Muret. 18. cap. 10
Cubitus geometricus apud mathematicos triplex, Hart 2 Dec 6. § 6
Cucumis more chelydri per graminis vmbras serpit, Frut. 2. Ver. 19
Culina, pro pauperum sepulchretis. Mag 2. cap. 19. aut certe loca quędam sepulcrorum diuitum, ibid.
Cupido falsus, miser, sordidus, Mur. lib. 1. cap. 4
Curiæ inseruire, Brod. 6 misc 10
Curio, quid, Brod 6. misc. 10. Curiones, ibid.
Currus, pro *naui*, Muret. 1. cap. 11
Cursores diurni ac nocturni Persis, Brod. 6. misc. 6
Custodia, pro eo qui custoditur, Mur. 12. cap 6
Cutem hominis non destitui omni sensu, Brod. 6. misc. 14
Cutiliæ, & Subcutiliæ, fontes qui, Gyral. Dial. 15
Cyaneus & cæruleus color, in funeribus puerorum adolescentium- que, Mag 3. cap. 14
Cynanthropia laborantes obuersare sepulchris, Mag 4 cap. 12
Cyneas, an medicus Pyrrhi regis, Hart. 2 Dec 1 § 13
Cynicis pera & baculum, Brod. 3. misc. 22
Cytheriaca, breui prima, Brod 4. misc. 8

D

D Litera in nominibus, *Decimũ* notat, nõ *Decium*, Robor. lib. 1 Ann. cap. 33 Sigon. 2. Emen. c. 24
D literã vocibus ante vocalem desinentibus antiquitus interdũ addi solitam, Mur. 15 cap. 18
Dacbryma, pro *Lacbrymis*, Frut. 2. Ver. 21
Dæmon, amator puerorum, Mag. 3. cap. 4
Dæmon cur Saræ Raguelis viros septem primo nuptiarum die extinxerit, Mag 3. cap 4
Dæmones, an sint animæ interfectorum, Mag. 4. cap. 12
Dæmones olim etiam tinnitu æris fugatos, Mag. 4. cap. 14
Dæmones sepulcra frequentent, Mag 4. cap. 12
Dæmonibus Deum vti quasi carnificibus, Mag 4. cap 16
Daimachus apud Eustathium lib. 2. Iliad. de stomomatũ variis generibus, Mag. 2. misc. cap. 8
Dain, platyceros, Brod 6. misc. 21
Damium, sacrum quod pro salute populi quotannis fiebat, in domo consulis Romæ, in domo Regis Athenis, Muret. libr. 19. cap. 11
Damnatorum pœnæ S. C. Tiberiano dilatæ in decimum diẽ, Pith. 2. Sub. 20
Danubius an ramum quendam aut subterraneas venas in sinum A

driaticum effundat, Brod. 6. miscel.16
Danubii caput e montanis Hercyniæ effunditur, longissime ab Rhodani ac Rheni fonte, Brod 6. misc 16
Daphne, vnde nomen &c. Gyral. Dial. 6
Dardanus magus. Dardaniæ artes, Brod.4 misc.10
Deæ Viriplacæ sacellum, cui rei Romæ. Mag 2 cap 15
δειπνίζειν, Brod 1 misc. cap 9
δειπνοδεῖν, Brod lib.1. misc cap.9
Decembri mense mortuis parentatum ab Decio Bruto, Mag.1. cap.9
Deceres vestes, nullæ amplius, Brod. 2. misc.22
Decet, cum datiuo, Mur.10 cap 13
Decimare legionem, quid, Brod. lib. 1. misc. cap 9
Decuria Senatoria, quid, Robor. pag.26
Deditiitii, quod libertorum genus, Pith.2.Sub.9
Deierare dæmonas Pith 2 Sub.8
δεισιδαίμων, δεισιδαιμονία, δεισιδαιμονῶ, hypocritæ, Brod 6. misc.18
δεῖπνον, quid, Mur.4.cap.12
Deiotari in liberos crudelitas, Mur. 8 cap.24
Deiurium pro iusiurando, Pith. 2. Sub.8
Deliberatio non est de rebus præteritis, Mur.12 cap 12
Delicati liberti, qui, Pith. 2 Sub. 9
Deliciæ, quid. eius etymon. regulæ deliciares, tectum deliciatum, quid. Mag 3 cap. 8
Delicta non nimium resecanda ad viuum, Mur 16 cap 4
δημ... fere in malam partem capitur, Brod.1. misc. cap. 6. alibi quando idem cum *Rhetore*, ibidem
Demensum Seruorum in mensem quaternorum modiorum, Brod. 2.m.sc 15
Demosthenes βάταλος & ἀργᾶς cur dictus Brod 2 cap.20 misc.
Demosthenem non fuisse abstemium, nisi cum philosophiæ aut orationibus scribendis vacaret, Brod. 4. misc 26 patrem eius non vendidisse cultellos. ibid.
Dentes, sensu præditi, Brod.6. misc. 14
Dentes non plures viris quam mulieribus, Brod.6 misc 14
Dentire, infantum, Pith 1. Sub.19
Deorum simulacra minio pingi solita, Brod 3 misc 13
Deorum simulacris cur alas affinxerit antiquitas, Muret. 14. capit.5
Deorum tutelariũ effigies in prora, aut in puppi, Muret. 10. cap. 19
Deos mutari putabãt veteres, cum conditio hominum mutabatur, Mur.16.cap 15
Deos rem non habere cum mulieribus, nedum procreare ex eis liberos Brod 6 misc 20
Depositus æger, quis, & cur sic dictus, Hart.3. Dec.8 § 29
Desperatio, transit in Audaciam, Mur.12 cap.6
Dextra apprehensa supplicabant, Hartung 1 Dec 8 § 5
Διαζωμᾶσθαι. quid Aristoteli lib.3. Rhetor Mur 7 cap 8
Dialectica sepimentum ceterarum artium, Stat 1.Obs.2
Dialecto mutari scriptionem, non significationem, Stat 1 Obs 2
Diana Βουβάστια, Brod 1 misc.32
Dianæ canistrum ferebant virgines

nes viripotentes, Hart. 1. Dec. 8. § 37
γυμνασμὸς quid, Mur. 4 cap. 11
... quid. Mur. 8. cap. 14
Dicentis mores plurimum valere ad persuadendum, Mur. 2 cap. 1
Dicis caussa, P th 2 Sub. 8
Dictamno an semen & flos, Brod. 1. misc. 30
Dictator creatus rei gerendæ caussa, Mur. 9 cap 7
Die natali suo defuncti legarant pecuniam, oleum, vinum aliaque diuidenda inter ciues suos, Mag 2. cap. 2
Dies ab antiquis cur distributus in horas duodecim, Mag 1. miscel. 15
Dies deinceps, die deincipiti, Frut. 2. Ver 17
Dies fasti, qui, Brod. 3 misc 17
Dies felices inserendis vitibus; domandis bubus, ad telæ licia addenda Brod. 4. misc 27
Dies longissimus in Italia quomodo quindecim & aliquot partiū horas complecti queat, si horæ æstiuæ, hybernæq; æquabantur, Stat. 1. Obs 9
Dies natales defunctorum honorati etiam apud Græcos, Mag. 2. cap. 2
Dies nefasti, ἡμέραι ἀποφράδες, Brod. 3. misc. 17
Dies noctesque semper constabant ex horis æqualibus duodecim, Stat 1 Obs. 9
Dies religiosi, Brod. 3. misc. 17
Digitorum nomina & officia recenset Gyrald. Dial. pag 376. & seqq.
Digitorumne nomina antiqui edicerint contra pauorem ac metus, Gyrald Dial. 2. pag. 376
Digitorum ossa, an medullæ experstia, Brod 6 misc. 14
Digitis vt olim numerabant, Gyral. Dial. 2 pag 376
Dii eas ciuitates vltro deserebant, quæ mox erant futuræ hostium, Mur 5. cap. 18
Dii quomodo leues, Muret 16. cap. 15
Dii tutelares euocati certo carmine ex vrbibus obsessis, a Romanis, Mur. 5. cap 18
Diis dedicatas res non tollebant euertebantve veteres, Brod. 5 miscel. 29
Diis indigetibus sacra facta ab peregrinatibus in terra peregrina, Hart. 2 Dec. 8 § 14
δίκη ξενικῶν, Mur. 9. cap. 20
Dilabi, noua significatio, Muret. 11. cap 5
Dilapidare hominum boumque laborem. D lapidare bona, Fruter. 2. Ver. 19
διμαχῖται, milites qui, Brod 2. misc. 23
Diocmitæ, milites qui, Brod 2. miscel. 23
Diomedis coniugi quis vitium obtrusérit, Hart. 3 Dec. 1. § 23
Dionysi vocabulo cur h neftatus a Trallianus Mithridates, Muret. 1. Var. 2
Diphthongi vocalesq; Græcorum sono ne discreto proferédę Hartung 3 Dec. 6. § 8
διπλασιασμὸς τῶν ὀνομάτων, Sigo. lib. 1 Emend. cap 34
διψᾶν, summopere cupere, Brod. 6. misc. 17
Diribere suffragia & dirimere quid differant, Sigon. libr. 1. Emend. cap. 14
Dissiptum, Frut 1 Ver. 3
Diuinandi ratio e cauda victimæ, Hart. 1 Dec 8 § 11

Diuisiones datæ natali die defunctorum. Mag. 2. cap. 2. sportulæ, pecuniç, oleum, crustum, vinum, aliaque id genus, ibid.
Dimisse, pro *Dimisisse*. Fruter. 2. Verif. 11
Diuortia aquarum, agrorum, fluminum, maris, morborum, Mag. 2. cap. 15
Diuortii etymon vnde, eius faciundi forma, & verba solennia, Mag. 2 cap 15
Diuortii primi Romæ facti, auctor quis, Mag. 2. cap 15
Diuortium etiã a Platone permissum, Mag 2 cap. 15
Doliis, an conderentur cadauera, Mag 2. cap. 18
Dolor & *Labor*, an apud Græcos distingui nequeat, Mur 19 cap. 4
Doloris ac voluptatis multę permistiones, Muret. 16. cap 1
Doloris magnitudinem, mentem quoq; ipsam sæpe turbare, Mur. 2. cap. 10
Dolosus Vlysses, in comendationẽ, Mur 18. cap. 4
Dolus alius *bonus*, alius *malus* apud Iurisconsultos, Mur. Var. lib. 18. cap. 3
Domi viuere iucundissimum esse. Mur. 17. cap. 8
Dominos nisi cupiditatib. suis imperent, ne seruis quidem suis imperare posse, Mur 6. cap 5
Domo, οἴκοθεν, Mur 10. 13
δίφθον, quid, Mur. 4. cap. 12
δρυοῦλα, catapultæ & scorpiones, Brod 2. misc 30
Dorum in Græcia, eadem fere pronunciatio quæ in Italia Bergomatum Mur. 2 cap. 20
δοχοθήκη partes quot haberet, Mag. 3 cap. 2
Draco pennatus apud Sanctones in Gallia cæsus, Brod 3. misc 1.
Draconis legibus omnia etiam inanima quæ forte e superiore loco decidua hominem interfecissent, e finibus Atticis, velut exilio, eiecta, Brod 5. misc. 12
Dromones, quæ naues, Pith. 1. Sub. 14
Druidarum Gallorum, religio quã cruenta, Pith. lib 1. Sub. cap. 5
Ducere pro inducere, Frut 1. Ver 5
Ductare exercitum, ductare mulieri, Muret 6. cap 7
Duere, pro dare Pith. 1. Sub. 19
Dum particula, appensa voci alteri quam *nihil*, Pith. 1. Sub. 19
δυνατῶ significatio quam laxa, Mur. 8. cap 8
Duodenarii numeri dignitas & vtilitas, Mag. 1 misc. 15
Duumuiri in municipio, tanquam Romæ consules, Pith. 2 Sub 18
Dux, Caroli Magni temporibus habebat sub se comitatus duodecim, Pith 1. Sub 8

E

E & I literarum familia cõmunis, Frut 1 Ver 16
ἠ particula destructiua, Ruf. Ant. cap 16. pag 181
Ebrii pœna, quando duplãda, Mur. 14 cap. 12
Ebrius dulci fortuna, ebrius curis, &c. Mur. 5 cap 16
ἐκάγης δ' εἶπεν, quid, Brod 1. misc 24
ἐκκλησίαι φυλετικαί, comitia tribunitia, Brod. 5. misc. 10. λοχίτιδες, centuriata, ibid.
Eclega, quid, Muret. 19 cap. 5
Eclogium dicendum, non *elogiũ*, neque *eulogium*, Mur. 11. cap. 15
ἀπαρέσκειν, pro displicere, Stat. Obs. cap. 26
ἴσχε γυναῖκα, ἴσχε αὐτὴν, quid, Muret. 6. cap 7

Effigies cerea defunctorum, Hart. 3. Dec 2 §13
Egelidum χλιαρὸν, Brod.1.misc 36
Εἰκῇ ἀδίμενοι Hart.2.Dec.7 §.3
Ἔγχει aquam infunde, Brod. 3. misc. 22
Εἶδος, quid, Mur.3.c.2
οἱ ναπέρες, qui Hart 3.Dec.7 §19
εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα, Mur.11 c.19
εἰς ἱερὸν μύθοι, qs prius enũciauerit, Muret.16 c 5
Eiurare cõsulatum, commercium, patrem & matrem, imperium, orationes, virum, Pith 2 Sub.8
Eius hac lege nihilum rogatur, Pit. 2. Sub 15
ἐλίκτας, Hart 3. Dec.7 § 20
Electra, sophismatis species, Brod.2. misc.4
Electrum non esse metallum, Brod. 6. misc. 23. quid sit, & quomodo fiat ibid.
Electrum, quid, Stat.1. Obs.10
Ελληνίζειν opponi χειρανίζειν, Brod. 1. misc 38
Ελλωνικὰ ὀνόματα, Brod.1.misc.38
ἕλιξ, quid sit, Mag. 2.cap.10. sit ne idem cum poly spasto ib.
Elucificare exitum ætatis, Fruter. 2. Ver. 13
Ευδέρνηθοι, Brod.1 mis.31
ἡμέρας ἀποφράδες, Brod.3 misc.17
ἡμιτάλαντον τὶ πυρὸν, quid, Ruf. Antex.c 11.pag 579
Empaler. Brod.misc.2.c.9
ἐμπεπλῆσθαι quid, Muret. 4. capit. 12
Ennaum aquor, Frut.2.ver.19
Ennii versus numeris restituti, Mur. 19.c.7
ἐν χρῷ, ἐν χρῶτι, ad viuum, ad cutem, Brod 3. misc 22
ἐν φανερῷ, quid significet, Stat. Obseru.c.25
ἔνορχα, immolatio quæ, Hart. 2. Dec. 8 §. 12
ἐντελέχεια au ἐνδελέχεια, Stat. 1. Obseru. 1
Entercini dies, Robor. 2. Ann. capit 39
ἐντεριώνη Robor 2. Ann c.39
ἔντερον, Robor.2.Ann.c.39
ἔνορχα, immolatio quæ, Hart.2.Dec. 8. §. 12
ἐπακτρίδες, naues quæ, Bro 6.m.s.26
ἐπίβαθρον, Hart 3. Dec 7 § 6
Ephiamns, nomen vnde, Muret. 3. cap.13
ἐπιδέρπτις, quid, Mur. 4. c 12
Epilepsia, quæ animalia tentet. Bro. 3. misc. 23.
Epirrhemate licitum vel salubria, reip. consulere, vel sceleratos exagitare, Hart. 2. Dec. 8 § 10
ἐπισημαίνεσθαι quid, Muret.1.c.19
ἐπιστρέφειν ἐπὶ δόρυ, ἐπὶ ξίφος, ad dextram: ἐπὶ ἀσπίδα, ἐφ' ἡνίαν aut χαλινὸν, ad sinistram notat.
Epithetorũ in poetica vs°, M.17.c.2
ἐπιτραπέζιοι. Hart.2.Dec 2 § 17
ἐπιχαιρεκακία, quid Mur.4.cap.13
ἐπώνυμοι, qui Brod.5.misc 5
ἐφαρμόττοντα fere animata, Mur.10. cap.10.
ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. Hart. 2. Dec. 8. § 16
Ephippia quid, Brod.4.misc 16
Epsilon, veteribus nominabatur ει, Muret 18.c.1
Equi maris, pro nauibus, Muret. 1. cap.11
Equi vectigales, Sigon.lib. 2. Emen. cap. 68
Equinum lac cum sanguine potari Brod.5.misc.31
Equitare Eurum per Siculas vndas, Muret 1.c.10
Equites ante Sullam, iudicarũt annos quadraginta sex. Robo .lib. 1. Ann.c.35

Equites equo publico, Sig lib. 1. Emend c. 18
Equites Romani militares, Sig lib 1 Emend. c. 18
Equites Rom. equo publico, quid, Sig. lib 2. Emen. c. 68
Equo mercatores omnes, haud etiam ordinis equestris, Sig. li. 1. Em c 18
Equos etiam infanire: podagra infestari, Brod. 3. misc. 19
Equos non habere os in corde, vt placitum Aristoteli, Bro. 6 mis 14
Equos subfodere, quid apud Cæsarem, Sig lib. 2 Emen. 60
Equuleus, quale genus tormenti, Br. 2. misc 9
Equum admittere, quid, Mag. 1 c 7
Equus militaris, quid, Sigon. libr. 1. Emen c 18
Equus publicus quid, Sig. lib. 2 Em. cap. 68
ἐρεδανὸν aliquando Græcis accipi pro Rhodano, Brod. 4. misc 8
ἐρευλεῖ, Hart. Dec. 1. c. 2
ἀρπάγη, Brod. 2. misc. 30
Eruca, Veneri excitandæ, Brod. 4. misc. 3
Eruditus puluis, quid Ciceroni, Bro. lib 1. misc. c. 1
ἐς πεδίον τ ἵππον, Brod 3 misc. 22
Escendere pro Ascendere, Muret. 14. cap. 3
Esse cum aliquo, mulierum, Muret 6. cap 7
Esse rerum liberarum, Frut. 2. Ver. 20
Essentia nomē a Cicerone nouatum esse, Mur 15. c 2
ἑταιρίσασθαι, quid, Mur. 4 c. 12
Eta nō erat in vsu vetustissimis Græcorum, Mur 18. c 1
εὐανθὴς, Brod. 5. misc. 15
Eubœenses cur crinibus anteriori bus rasi, Brod 3 misc 8
εὐδία quid, Mag 2 misc c. 1
εὐθηρος, Mur. 14 cap 14
εὐθυς quid Mag. lib 2. misc. c 1 vnde deriuetur, ibid.
εὐγενία ex quibus constet, Ruf. Anton. c 6 c. p. 602
Euonium, quid, Brod 6. misc. 12
Eupolis prima nuptiarum nocte thalami ruina extinctus, Mag 3. cap 4
εὐρυκέρως, ceruorum species, Brod 6 misc. 21
εὐρύπρωκτοι qui, Hart 2 Dec 8 § 1
Eunuchæ etiā in vsu antiquis, Mag. 2 cap. 5
Eunuchi occursus, inauspicatus vulgo, Brod 4 misc. 1
Eunuchi quomodo libidinosi, Muret. 10 c. 11
Eunuchi, si rem habent cum mulieribus, haud tamen fundunt sperma, Brod 4. misc. 21
Eunuchis cur Turcæ etiam caudam salacē ferro demetant, Mu. 10. c. 11
Eunuchis vestis versicolora, Pith. 1. Sub. c. 2
Eunuchorum varia genera, Brod. 4. misc 21
Eunuchorum vsus apud antiquos, circa quæ, Mag 2. misc. 5
Eunuchos etiam cum mulieribus congredi, ib.
Euripides an crebriore sigma literæ vsu delectatus, Brod. 3 misc 14
Euripus, vbi, & quid, Brod. 5. misc. 6
Eurymedes patronymicum nomē, Hart. 3. Dec. 9. § 1
Eurytion an perierit quod repererit vsum vini, Hart 3 Dec 5 § 3
Ex præpositio Græcis Latinisque tempus interdum significat, Stat. Obs cap 20
Exactæ merces, pro adultis, Frut. 2. Ver. 19
ἐξάγειν, Hart. Dec 1 c 6
Exanclare, non exantlare, Muret. 13 cap.

13 cap.17

Exemplo producto, non excusatur res mala, Mur.10 c.10

ἐξεταζέσθαι, Sigon. lib. 2. Emend. capit 2

Exequi, pro narrare, & ὁμιλεῖσθαι, Mur. 10 c.13

Exilium non irrogabatur ante 40. diem, Pith.2 Sub.19

Exilium sæpe idem quod *relegatio*, Mur.Obs.c 2

Exitium pro *Exitu* Frut 2.Ver 13

Exorcistæ Latine Adiurantes, Pith. 2.Sub 8

Excalceati, Senecæ, qui Brod. 2. misc 18

Excitari, voce. tactu, Sig.lib.1.c.44. Emend.

Excolubrandi verbum, nihili esse, Mur 14 c.19

Exsarcire, quid, Mur.7.c 13

Extempulo, pro *Extemplo*, Fruter. 2. Ver.11

Extulo, præsentis temporis, Frut.2. Ver.7

F

Fabam frictam ex melle edebant veteres Mur.17 c.15

Fabula stat. Fabula cadit, Stat. Obs. cap.26

Fabulis inuoluta Philosophiæ dignitas, ne multitudinis manibus tereretur, Rit.Ant.c 18 p 581

Facere contumeliam, an Latine dicatur Mur. 6.c.18

Faces in annuis funerũ parentationibus, Mag.4 c.12

Facibus significabatur Persarum regi q̃ erat lotio opus, Br 6. misc. 6

Facta aliorum in deteriorem fere partem accipi omnia ab aliis, Mur. 8 c 17

Factiosos etiam cũ laude nominari, tanquam *ἀριστοκρατικούς*. Mur.17.c.3

Factum bonum, Factum improbe, edictis & legibus quibusdam adiici solitum, Pith 2 Sub.2

Factum est quod imperasti, Muret.11. cap 3

Falcis ruralis, forma, expressa, Rob. Lib.1 Annot c.28

Falcula infantia Frut 2.Ver 21

Fallere etiã, qui sine vlla malitia aliquem in errorem inducit, Mur.8 c 14

Falx muralis quid, & cui usui, Sig. lib. 1.Emend.cap 11

Famæ adiiciebatur, quod incredibile videretur Mag.3.c 12

Fame dominante, immolabatur aliquis publice altus Athenis, Loemorum placandorum ergo, Hart 2. Dec.8 § 21

Fames Melia, vnde dicta, Brod. 6. misc.18

Fames quam βούλιμον καὶ βούπειναν vocant cur fiat fere in diebus frigidissimis Mag.3.c 21

Familiam ducere, quid, Mur.4.c 17

Fan. feriebant etiam audiendis legatis. Brod 4 misc 17

Fasciæ crurales, etiam auro redimiebantur, Mag 3.c 3

Fasciæ crinales, mulierum quę Mag. 3.c.3 mamillares, quæ ib.

Fasciæ crurales & pedules, quę, Mag. 3.cap.3

Fasciarum vsus in calceatu, Mag. 3. cap 3

Fascinatio, quomodo lingua, tactu, oculis contingat. Gyr. Dial.7

Fascino obsistebatur spuendo in sinum, Hart 1.Dec 8 § 32

Fascinum, pro membro virili, Gyr. Dial 7

Fascis iniustus militum Romanorũ, Brod 2.misc.15

Fastigium domus Cæsareæ, qd, Stat. 1 Obs. 4 (Annot c 12

Fausta, an prænomẽ *Corneliæ*, Rob.

Fausta Maximiani filia Crispū priuignum accusat, quod ei morem gerere noluisset: Mur. 1. c. 12
Faustus, an prænomen, & quidem peregrinum, Robor. Ann. 1. c. 24. Sig. lib. 2 Emen. c. 29
Fauete linguis, vox qua in sacris silētium imperatur, Mur. 15. c. 17
Fax prima, pro vespera, Bro. 4. misc. 33. cur sic dicta, ib.
Febris quartana, quos affecit reddit deinde constantius sanos, Reali. Annot. c. 6
Febris quartana an auertatur si supponatur capiti Iliados lib. quartus Homeri, Brod. 6. misc. 20
Februarius mensis solennis parentationi mortuorum, Mag. 1. c 9
Feles, fœtus suos deuorant, Brod 3. misc. 28
Feliciter. Feliciter quod agis; vox in gratulationibus. Mur. 9. c. 8
Felicitatis caussa virtus non opes, Mur. 9. cap. 5
Feminalia priscis nulla fuisse Romę Mag. 3. cap. 3. Scythis cur in vsu ibid.
Feminas sæpe infantes parere similes imaginibus quas videre in cubilibus suis, Mag 1. c. 20
Femur percutere, indignationis, Stat Obseru. c. 28
Fenestrarum lumina, vt per ea in viridia prospectus esset, Pith. 2. Sub 18
Ferri tēperatura, quo secaretur ferrum nō secus ac plumbum quomodo pateat, Mag 2. misc 8
Ferrum candens in aquam dimittitur, vt roboretur. Mag. 2. misc 8
Ferrum ignitum iurantibus gestabatur fidei faciendæ caussa, Har. 2. Dec. 8 § 18
Ferrum non erat in vsu veteribus, sed æs, Mag. 3 cap 3
Ferrum quo pacto depuretur, acriusque ad incidendum fodiendūque reddatur, Mag 2. c 8
Festus. *Lingulaca, genus est piscis, & mulier argutatrix*, Fruc. 1. Ver. 11
Fibrum non deuorare aut metu amputare testiculos suos. Brod. 3. misc. 10
Ficulū vasorum vsus in sacris, Bro. 5. misc. 19
Ficulnis lignis cremare, Brod. 3. misc. 21
Ficum etiam fulmine percuti, Bro. 3 misc. 2
Fidei solenne, Sigon. lib 1 Emend. cap. 56
Filiorū quam multiplices apud Romanos differentiæ, Robor. Ann. 1. cap. 20
Finitor, non potest habere secundam breuem, vt volebant Camerarius ac Lambinus, Muret. 17. cap. 14
Fistula pastoritia, quid, Muret. 1. capit. 19
Fistula pluribus cannis imparibus cōstabat, quæ cera cōiungebantur, Stat. 1 Obs. 6
Fistula Theocriti qua forma, Stat. 1. Obs 6
Flammeum nouę nuptę, coloris lutei, Fruc. 2. Ver. 19
Flamini cum illicitum fuerit audire funebres tibias, quomodo potuerit per religionem interesse funeri, Mag. 1 c 23
Flores verni, Frutet 1. Ver. 5.
Fluminibus crinem Græcos tondere solitos, Gyr. Dial 11
Fluminum Dii cur cornuti, Mag. 4. cap. 2
Fluuii obliquo lapsu angues imitātur, Mag. 4. c. 2
Fluuii per pingues terrarum venas profluentes, oleo perūcti videntur,

tur, Brod.5.misc. 28
Focus, sedes & quasi domiciliũ Larum, Pith.1 Sub.9
Fœdera in æs incidebantur, Brod 4. misc.12
Fœneratores Kalendis debita differebant in Idus, Pith.2. Sub 4
Fora capitalium caussarum cur sub dio, Brod.5.misc.12
Forma imperio digna, quæ, Realin. Annot.c.14
Formæ dignitas, quantum possit in animis multorum, Muret. 3.capit. 2
Foras betere, Muret.15.c.15
Fores veterum, non introrsum trahendo, sed in viam publicam pellendo aperiebantur, Mur.1.ca.17. hinc exituri eas intrinsecus percutiebant, ibid.
Foris tribus actitatæ caussæ Brod.2. misc.18. quænam ea.ib.
Forte dolatus truncus. Fortuitus cespes, Frut.2.Ver.19
Fortis, pro *bona*, pro *pulcra*, Frut. 2. Ver 19
Fortium virorum, in prœliis aut vincere, aut mori: capi ignauorum, Muret.14.c.18
Fortium virorum cur maior in nõnullis ciuitatibus, quam in aliis copia, Mur.13.c.14
Fortunam secũdam difficilius ferri quam aduersam, Mur.5.c 15
Forum maxime frequentatum hora quinta, Brod.4 misc.33
Fraga, an mora, Brod.1.misc.34
Frigidam suffundere, pro mordere &c. Brod.4.misc.32
Frigidarium, balnei pars vbi frigida lauabant. Robor. Ann. libr. 2.cap.5
Frigus qua ratione vrere dicatur, Mag 1.misc.17
Frigus quomodo vrat, Bro.2.misc.8
Frontem ferire indignationis ne, an admirationis, Stat. Obseru. cap 28
Frõtem ferire, indignationis, Mur. 9.c.10
Fronti notæ inscribi noxiis solitæ, Brod 4 misc.24
Fructus an non defluat, si arbori appẽdatur Homeri versus quidam, Brod.6.misc.20
Fructus arboris in confinio vel prope confinium natæ, cuius, Mag. 4. cap.7
Fugitiuorum frons inusta, Brod. 3. misc.22
Fuit Ilium. Fuit Phronesium. Sed hæc prius fuere, Mur.19.cap.3
Fulmine etiam percuti Laurum ac ficum, Brod. 3.misc. 2. item vitulum marinum ib.
Fumi vsus circa vinum, Brod. 1. misc. 13
Fumo celerius vetuscere vina, Brod. 1.misc 13
Fumosum, Fumosi magistri, Brod. ibid.
Funda semel circum caput agitanda, Brod.4.misc.27
Funãbulos elephantes Romæ quõdam visos, Brod.3.misc.7
Fundere pro perfundere, Frutet. 1. Ver.5
Funalibus accensis, sepulcro iam conditos defunctos honorabãt Ethnici, Mag.4.c.19
Funem ducere. Funem sequi, choreæ species, Brod.1.misc.29
Funere fortium virorum captiui necabantur, Hart 3 Dec. 8. §. 25.
Funus, ad tubam, ad tibiam ducendi, consuetudo, Brod. 4 misc.30
Furnum aliud esse a clibano, Brod. 5.misc.21
Furtorum quęstiones per lancem & licium, quales, Pith 1.Sub.c.2.

Fusus pro sagitta. Mur.14 c.18

G

GAllare vox gallans, gallulascere Frut.1.Ver 5
Galea triplicis coni Heroes a ceteris discriminati. Har.1. Dec 8 §.36
Galea grossa, naues forma onerariæ, Mag.1.cap 6
Galeæ militum tectæ pellibus ferarum, terroris incutiendi caussa, Mag 3 c 7
Galeria, ... & Centuriæ nomen, Robor Annot. 2.cap 3. Sig.lib 1.Emend.c 35
Galli frugum vinique dulcedine capti Alpes superarunt, Mag c 12
Galli, matris Deû, audito Phrygio tibicine statim in furorem aguntur, Brod 5.misc 13
Gallinæ anserum & anatum quoq; oua fouentes, Brod.3.misc.25
Gallici vulcus qui, Pith 1 Sub 11
Gallinæ castratæ, Brod 5.misc.3
Gallinas neque plumis oua fouere, neq; sympathia quadam, sed calore tantum, quem pennæ adiutant, Brod.3.misc.25
Gallis olim an intertexta facies, Pit. 1.Sub.11
Gallum & Gallam Romæ in foro sub terra viuos demitti solitos, Brod 5 misc 10
Gallus gallinaceus cur sacrificatus Nocti Mag.3.c.7
Ganymedes, idem cum Aquario, Br. 2 misc 21
Ganymedi raptus, quid mystice innuat, Ruf. Ant c 17 p 582
Garum sociorum e quo q. pisce cōficiatur, Mag 2 cap. 9
Garum, quid sit, Mag 1 misc c.9
Gellium nullius fuisse centurionis, nisi Grammatices, Mag. 2. misc.1
Γενεά, triginta annorum, Muret 10. capit 8
Γεγονέναι Aoristus trium temporum, Mur.12.c 13
Gens & familia quid sit, Sig. libr. 2. Emen.c.17
Gentiles alii ab Agnatis, Sigo.lib. 1. Emen c.20
Genu apprehenso supplicabant, Har.1 Dec.8.§.5
Genuæ pat na spectatur in quam Christus manum immisit cū iudæis sed non vera, Bro.5.misc 19
Germanica lingua vetus alia a Gallica veteri B. od 2 misc 23
Georgii Castriotæ ensis Pisauri visendus in armamentario Ducis Vrbin. M g 2 c 8
Gesum, Gessum ὅπλος ἀκοντίου. Gesa, hastæ viriles. Gesi, viri fortes, Frut. 2 Ver.22
Gigantes cur dicti Enachim, Mag. misc.lib.1 c 4
Gigantes in sacris literis, homines bellicosi præpotentesque, Mag. misc.1.cap.4
Gigantes iam non gigni ob senectam mundi, Mag.1 c 4
Gigantis cadauer inuentum in Sicilia, cuius proceritas iuxta proportionem symmetriæ vlnarum tres centum & amplius, Mag. misc. 1. cap.4
Gigātum proceritas & magnitudo, an fabulosa, Mag 1 b 1 c 4
Gigantum patres an Angeli, Mag. lib 1.misc.c.4
Gladii a fabris fimo equino oppleti, vt rubigine contracta inde atque detracta acriores fiant Mag 2.c.8
Gladii, Xiphiæ, Frut 1 Ver 11
Gladius Hispan ensis Bro. 1.misc.40
Glans iberica quæ, Brod 4 misc 14
Glastum, isatis Brod.5 misc.1
Glaucitices, omnes calamitosi, Har. 2 Dec.4 § 6

Digitized by Google

Globuli placentulæ quales, Muret. 17 cap 15
Gloriæ auiditas vbi viget, vel vltro præclare faciunt homines, Mur. 19. cap 18
Gnarigare, pro Narrare, Muret. 17. cap. 3
Gnarum, pro *cognito*, *ignarum pro incognito*, Mur. 11. c. 2
Gnatus & *gnata* scribendum, Stat. Obser. c 18
Gnobiles, pro Nobilibus, Muret. 17. cap. 3
Graculos tentari morbo comitiali, Brod 3. misc. 23
Græca verba Græco accētu esse ꝓferenda, Stat Obs. c. 16
Græcæ voces aliquando a Latinis scriptoribus literis notatæ Romanis, Mur. 1. Ver 3
Græcus & Græca in foro Boario viui demissi Romę, Brod. 5 misc. 10
Græcorū more facere, amare, Mur. 15 cap 4
Gradus theatri quatuordecim equiti adsignati, non sedebant in eis qui iudicram artem exercuissent Pith 2 Sub 17
γαῖα aliquando adiectiuum, Hart. 3 Dec. 7 § 13
Gramme, Grammica, Pith. 2. Sub. 14
Granaria ditiorum Puteolis, Muret. 7 cap 20
Grassari ne legendum an *crassari*, Frut. 2 Ver 9
Groma & Gruma quid, Pith. 2 Sub. 14
Gromatica disciplina, ad castrorū metationem, & mensuram agrorum, Pith. 2 Sub. 14
Gruma & Groma, quid, Pith. 2. Sub. 14
Grumi aliud a Grumatibus, Pith. 2. Sub 14
Guadum, quid Brod. 5 misc. 2
Gummi malagmatis plerunq; est additum, Brod. misc. 4 c. 5
Gyas an centimanus, Muret. 6. capit 13
Gyges centimanus, Mur. 6. c 13
Gypsati seruorum pedes, Brod. 2. misc. 17

H

Habeo laborare, odisse, operari, superuolare, &c Pith 2. Sub. 11
Habere mulierem, haberi a muliere, quid, Mur. 6. c. 7
Hac annona, Mur. 15. c. 19
Halabarcha dicendum ne an *Alabarcha*, Gyr. ibid.
Halabarchæ qui, Halabarchia, Gyral Dial. 19
Halinitrum, quid, Brod 6 misc. 11
Harmodii & Aristogitonis statuæ, an sint illæ porphyreticæ in D. Marci templo Venetiis, Mag 2. cap 6
Harpagones quid, Brod 2 misc. 30
Hasta proiecta in hostium agros cū indiceretur bellum, Hart. 3. Dec. 8 § 14
Hastæ, antiquitus religiosæ, ac pro Diis habitæ, Hart 3. Dec 6. § 1
Hastæ noctu, militibus tectæ, infixę tellure, Mag 3. c 2
Hastæ veteribus seruabantur intra columnas ligneas, Mag 3 c. 2
Haud vidi magis, formula Plautina Mur. 7. c. 16
Haud vidi magis, Mur 10. c. 13
Hauere, Pith. 2 Sub. 11
Haustra *αὐτλία*, Pith. 2. Sub. 16
Hebet corpus annis Pith. 2 Sub. 10
Hecatæ canes immolatæ, Brod. 1. misc. 24
Hecatæ cur canes adsignatæ, Reali. Annot c 13
Hecatæ quot mensib paratæ epulæ a diuitibus, quibus vescebantur pauperes, Hart. 1. Dec. 8 § 34

Heduicus. Heduus, Pith. 1. Sub. 13
Helciarii, qui. Brod. 4 misc 11
Helenæ sidus nauigantibusne exitiosum, Mur. 6. c. 11
Heluolæ vuæ, vnde dictæ, Heluus color, Heluinus, Brod. 4. misc. 25.
Heneti, Brod. 6. misc. 16
Herba aucta, an eadem cum *macta*, Fruc. 2. Ver. 21.
Herba Promethea, an ad dirimendas amicitias, Brod. 3. misc. 32
Herbis multis nomina ab inuentoribus, Brod. 2. misc. 2.
Hercules medicinæ peritus, ab eoq; sanata Alcestis, Mur. 8. cap. 23
Hereditas omnis diuisa in partes duodecim, cur, Mag. 1. misc. 15
Heri ferrum, hodie liber, vnde ductum videri queat, Mur. Obs. c 5
Heribannum, quid, Pith. 2 Sub. 10.
Hernici cur pugnarent altero pede nudi, Brod. 3. misc. 8
Heroes a ceteris discernebãtur galea triplici cono insigni, Hart. 1. Dec. 8. §. 36.
Heroi numeri, & *pedis Heroi*, quæ differentia, Robor. pag 22
Heroicus numerus, cur ληκτικὸς, Stat 1. Ob. 11
Himeræ mulieris de Dionysio somnium, Muret. 14 c 15
Hippagines, nauigia qualia, Robor. Annot 1. c. 2. p. 31
Hippocentauri an vnquam fuerint aut esse possint, Mag 1. c. 20
Hippodamine duo qui de optimæ Reipublicæ specie informauerint, Muret. 15 c. 18
Hippodamũ non bona fide videri reprehẽsum in repub. ab Aristo. Mur. 15. c. 18
Hippolyti mors ob calumniã Phædræ, Muret. 1. c. 12
Hippopotamus, parricida, Brod. 3. misc. 28
Hircum potissimum olēr, qui iam per ætatem coire possunt, Bro. 5, misc. 22
Hiræ, quid. Fru. 1. Ver. 3
Hirquitallire, quid, Brod 5. misc. 22
Historias Græcas Latinasque inter se aliquando dissentire, Brod. 1. misc 23
Hoc age. vox qua silentium & attentio imperatur, Muret. 15. c. 17
Homeri Margites, Sigon. libr. 2. Emend. c. 75
Homericis carminibus nullam vim inesse, Brod. 6. misc. 20.
Homero mortuo cur sacrificet arietes, Mag. 3 c. 1
Homerum pluris semper ciborum copiam quam Lautitiam facere, Brod. 6. misc. 1
Homerum Athenienses quo honore affecerint, Mur. 6. capit 6 eius carmina quinto quoq; anno in Panathençis publice cantata, ib.
Homerum cæcum non fuisse, Bro. 5. misc. 9. aut si, factum hoc iam seni, ibid.
Homerus, an multis seculis post bellum Troianum, Mag. 1. cap. 4 pag. 1274
Homerus cur a quibusdam habitus Syrus, Mag 3 cap. 1
Homerus in Io obiit. Mag 3. cap. 1. eius Epithaphium ibid. quale ib.
Homerus vagus, Mag. 3. cap 1. ideo patria eius incerta, ibid. sed nec parentes eius cogniti, ibid.
Homerus pro Deo habitus Mag 3. cap. 1 (cap 19
Homicida, αὐθρωποκτόνος, Mur. 3.
Homicidæ a sacris arcebãtur, Hart. 1. Dec. 8 § 21
Homicidium coactum aqua expiatum, Hart. 1. Dec. 8 § 22
Hominumne vmbræ sint, quæ circa sepulcra nonnunquam visuntur,

tur, Mag.4. cap. 12
Homo cur statura erecta, Brod. 6. misc. 14
Honestas, pro *dignitate* & *existimatione*, Mur.7.c.13
Honorarium vinum, quid, Muret.12. cap.5
Honos nomen significationis ambiguæ, Mur.6.c.18
Hora duodecima aliquid aggredi pro sero ac tarde nimis, Brod. 4. misc.33
Hora nona tempus erat reficiendi & curandi corporis, Stat. 1. Obseru. 9
Horarũ vmbræ in horologio scioterico veteribus obseruatæ, Stat. 1.Obs.9
Horas duodecim cur diei attribuerint antiqui, Mag.1.misc.15
Hordearium, quid Mur 12.c.5
Horæ duodecim dierum noctium quæ veteribus semper æquales, Stat.1 Obs.9
Horatius Cocles respuit populi Ro. donum viritim datum, Muret,19. cap 18
Horatius, lippitudine qua laborarit Mag 1.c.11
Hostia mystica, cur porcus dictus, Mur.3 c.7
Hostia eximia, quæ, Mag.4.cap.4
Hostiarum delectus non solum apud Ethnicos, sed etiã apud Hebræos, Mag.4.c 4
Hosticum, locus hostilis, Mag. 3 capit.12
Hyeme loca tepida præoptantur, æstate alsiola, Mur 14 c.14
Hyeme ventriculum nobis calidissimum propter αἰτιπερίστασιν, Mag. 1.c.5
Humanarum rerum, quam misera sit conditio pluribus disputatum Mur.16.c.15
Humor caussa incrementi maximi non solum in animalibus, sed etiam in plantis, Mag.1.c 5
Hybernia, Iuuerna, Ierna, Brod. 6. misc.16

I

I & η, itẽ οι & ει diuersimode pronuntianda esse, Stat.Obs c.14
Ianuarii Kalendis suas quisq; artes, auspicandi caussa, modice attingebat, Mur 18 c.13
Ianus, auctor pomærii, Mag 3.c.13
Ianus imus. Ianus summus, ib.
Ianus medius, quid & vbi, Mag. 2. cap.12
Iani, stationes fœneratorum, Brod. 2 misc.19
Iani templum, clausum, apertumue index pacis, aut belli, Mag. 2.capit.12
Ianitores Romani vinculis ad fores alligabant, Brod.4 misc.3
Iasoni Phæreo vomica gladio aperta Brod.1.misc 23
Idibus exigebatur. debitum Kalendis, Pith.2.Sub.4
Iduare, pro diuidere, Pith.1 Sub.19
Iduariorum corpora, Pith. 2. Sub.4
Ieiunium multos tolerasse per plures annos, imo annorum decades, exemplis palam factum, Gyral Dial 17
Igitur, idem quod *Tum*. Fr.2.Ver.14
Igniferi acies præcedebant ante pugnam, facesq; coniiciebãt in hoste, signũ prælii, Hart.1.Dec.8.§.40
Ignis crebræ translationes ad vitam in antiquis scriptorib Mur.7.c.6
Ignis semina esse in lapidibus Brod. 5 misc 36
Ilia ferjebãtur in indignatione præ dolore, Hart 1.Dec.8 § 8(.2 Sub. 1
Illidi pauimentis, tribunalib Pith.
Illim veteribus scriptum pro *illinc*, Mur.12.c.11

Illudere, in obscœnis, Muret Obser. cap. 7
Illustrissimus, vox Latina, Mur. libr. 15. cap. 1
Illuxit dies vltimus, Muret. 15. cap. 19
Imbellia, pro *imbec illitas*, Muret. 16. cap. 16
Imbibere, metaphorice vsurpatum, Mur. lib. 1. Var. Lect. c 6
Immolabatur Inferis sub Solis occasum, Superis, sub ortum, Hart. 2. Dec. 8 §. 12
Imperantis, eorumque quibus imperatur eadem prorsus vtilitas, Mur. 18. c 11
Imperator inaugurandus scito attollebatur in altum, Pith. 2 Sub 6
Imperatores victoriam suam nunciabant literis Lauro inuolutis, Brod 1. misc 33
Imperii paterni, & dominici differentia quæ, Mur. 7. c. 4
Impetritum, Mur. 10 c. 18
Impii habiti qui ex omnibus popularibus suis longissime ab impietate abessent, Mur. 10. c 17
Impiorum animis vibices ac maculas inesse, Brod. 1 misc. c 4
Imprecabantur capiti suo, reuocantes quę alicui male precati erant, Mur. 12. c. 4
In aliquem, & *Contra aliquem dicere* quid differat, Rob. li. 1. Ann. c. 37. Sig lib. 1. Emen. c 19
Inania pro *Inanitas*, Mur. 16. c 16
Inarime insula, an vero nomine dicatur, Rob. pag 25
Inauspicatū non esse occursum deformis viri aut Mauri, Br. 4 misc 1
Incautum iter, quid, Mur. 11 c 2
Incesti stuprique discrimen, Mur. 15 cap 5
Incomprehensibile, Ciceronis vox, Mur. 15 c. 1
Incuruare, in obscœnis, Mag 2. c 5
Indita templa, indita rupibus castella, Pith. 1 Sub 19
Indoloriam ne Cicero dixerit, an *Indolentiam*, Mu 15. c 20. ite 16. c. 16
Inedia, vt toleretur. Gyr. Dial. 17
Ineptia, æ. Latine dici. Muret. 18. capit. 9
Inescare hamis, Pith. 2. Sub. 11
Infantes nati, statuebantur nudi in terra, Brod 4 misc. 3
Inferorum vnda irremeabilis, Mur. 17. cap. 2
Inficetum, non *Infacetum* scribi oportere, Mur 8. c. 12
Ingenia aluntur libertate, deteruntur adulatione, Mur. 11. c. 1
Ingeniū sibi attribuere, inuidiosius, Mur. 12 c. 20
Ingrati actio apud vnos Persas, Mu. 12. cap 3
Inquisitionem per parietes agere, quid, Pith 2 Sub 19
Inscriptio Lugdunensis, in qua mētio *Tricassinorum*, Pith 2 Sub 1
Insularum fortunatarū descriptio, & situs, Mur lib. 5. Var. Lect. c. 1
Insuper habere, pro *negligere*, Mur. 12. cap. 8
Interficere torrem flammeum, Mur. 7. cap. 6
Internuculi, Pith. 2 Sub. 10
Intestinum non esse μονιτίερον, aut μονόμερον, Brod. 6. misc 14
Intra spem veniæ cautus, quid, Mur. 13. cap. 5
Intybum erraticum, Bro. 5 misc 16
Inuenustus, pro *in amore infelix*, Mu. 10. cap. 18
Inuidere, pro *non videre*. Fr. 1. Ver. 19
Io. Scotus ad miraculum vsque inediæ tolerans, Gyr Dial. 17
Iones, dicti Persis Athenienses, Bro 1 misc. 3
Iordanus Episcopus, quando vixe-

Digitized by Google

rit, Pith 1. Sub. 15
Ios certat cum aliis vrbibus de natali Homeri, Ruf Ant. c. 19 p. 583
Iosippus a Phutipharis vxore calumniis appetitus, quod eã repudiasset. Mur. 1. c 12
Iouem ὄμβριον venerati Græci, Bro. 2. misc. 21
Ioui Thebano capræ tãtum immolatæ, non oues, Mur. 8 c. 3
Iphicratis multa dicta, quibus clarus & excelsus ipsius animus ostenditur. Mur. 8. c. 22
ἱππὶς, ἱππῖται, quid, Brod. 5. misc. 21
ἱππαγωγοί, Hippagines, Brod. 2. misc. 25
ἱππάκη, caseus equinus Bro 5. mis 31
ἵππος εἰς πεδίον, Brod 3 misc. 22
ἵππῳ συγκαταγηράσκειν, Ruf. Ant. cap. 8 p. 577
ἱππῶναι, Brod. 6 misc. 6
Ischiaci an leuentur modulis lenib. vt placitum Gellio, Mur 14. c. 6
Isocrates tres, cuius sit παραίνεσις ad Demonicum indicatum, Mur. 1. Var. Lect c 1
Isocratis sepulcro cur aries insculptus, Mag 3. c. 1
Isocratis vitam qui scripsit, non esse Plutarchum, Ruf. Ant. cap 54 p. 599
Ister ne an Nilus fluminum omniũ maximus, Mur 13. c. 20
Istim veteribus scriptum, pro *Istinc*, Mur. 12 c 11
Italicæ mensæ, pro opiparis, Brod. 5. mis 33
Itiner pro *Iter*, & *Itere* pro *Itinere* vsurpatum Manilio ac Lucretio, Brod. 6. mis. 30
Itineri faciendo in singulos dies viginti millia passuum leges præscribunt. Pith. 1 Sub 13
Iudæi cur in prætorium ingredi, ne Pascha celebraturi polluerentur, noluerint, Brod. 5 misc. 12
Iudæi, Deo supplicantes, linteo caput obnubunt Brod. 5. mis. 8
Iudæi Hierosolymæ aditu prohibiti ab Hadriano, Pith. 2. Sub. 3
Iudæos sub aliis ducibus stipendia meruisse, Brod 2. mis. 31
Iudaicæ mulieres non castrabantur Br 5 mis. 3. eugiũ relecabatur, ibi.
Iudicandi verbũ, non de iudice modo sed de accusatore qui reũ peregit, dici, Mur. 19. c. 16
Iudicata res iterum non vocatur in iudicium, Mur. 19 c. 8
Iudices pedanei, seu imi subsellii, Pith 2. Sub. 19
Iudices qua ratione olim leuato velo caussas cognoscerẽt Mag 2 c 13
Iudicio non licebat experiri bis de eadem re. Mur. 19 c 8
Iudicium quinqueuirale, quale, mutatum per Impp. constitutiones, Pith 2 Sub. 19
Iudicum decuria quinta, quid, Sig. lib 2 Em c. 68
Iugera tria, cẽtum viginti passuum, Mur 14. c 4
Iugurtham, cum in triũpho ductus esset, desipere ac delirare cœpisse, Mur 2 c. 10
Iulii Celsi nomen vnde toties compareat in codicibus mẽbranaceis Rob. p. 16
Iulius Paullus, quando vixerit, Mag 3. cap 14
Iumenta qui vendebant promittere solebant, *esse bibere, vt oportet*, Mag 4. c. 3
Iunceum pectus, quid Terentio atque Ausonio, Gyr Dial. 21
Iunonis amiculum, pellis caprina, Mag 3 c. 7
Iupiter miniatus, Brod. 5. misc. 13
Iupiter ὄρειος καὶ ὄρειος, Br. 6. misc. 9

Iuramentum Græcorum cum Xerxis copiis congressurorum quod Mur.3.c.10
Iuramentum in obseruandis conuentionib. homines reddit diligentiores, Mur.7.c.3
Iuramentum Palici, Hart.2. Dec. 8. § 11
Iurare morbum, quid, Pith 2 Sub 8
Iuro, quæ vera etymologia, Mag.4. cap.1. dictumne a *iuuando*, an *iubendo*, ib.
Ius ciuile Romanum, bona parte sumtum ab Atheniensibus, Mur. 19 cap.8
Ius trium liberorum, Bro.5. mis 10
iusta, cur vocata parentalia, sacrificia, & funerandi solennitas, Mag. 2.cap.19
Iusta facere, peragere, soluere, Mag.2. cap.19
Iustitia a Iure dicta, non *ius* a iustitia, Mag.4.c.1
Iuuerna. ἰέρνη ἰουέρνια. Hybernia, Bro. 6.misc.16

L

LAbara, Cariæ ciuitas, Gyrald. Dial 25
Labari nomen, vnde petitum, Gyr. ibid.
Labarum vexillum Imperatorum quale, Gyr.Dial 25
Labi, noua significatio, Mur. 11. c.5
Labor & *Dolor*, an Græcis vnum & idem, Mur 19 c.4
Labiacum φίλυρμα βαμλιγόν. Pith.1. (Sub.7
Lac equinum vbi potetur, Brod. 5. misc 31
Lacerti cauda tantū in pretio Mag. ibid.
Lacerti, pisces qui, Mag 2. c 9
Lacertuli panes dulciarii, vnde eis nomen. Mag ibid.
Lacus, quarum summa aqua olei similitudinē habet, Bro 5. misc.28
Læna vnde dicta, Brod.1.misc.2
Lagea. Lagea iuuētus, Bro. 4. mis 25
Λαγγυδίων, quid, Brod. 4 misc 21
Lagus Ptolomæi Regis Ægypti pater, Brod 4.misc.25
Lamina candens circa supplicia, Brod.2.misc.10
Λάμπρος, veteris Musici nomē, Muret 9.c.5
Lancea ad iaculationem, Bro.3.misc 16. Gallicum vocabulum, ib.
de Lapide noxius, Brod. 6. misc.5
Lapides etiam crescere, Mag 4.c.7
Lapides terminales, coronati, vncti volati, adorati, Pith.2. Sub 14
in Lapidibus semina esse ignis, Bro. 3.misc.36
Lapis Assius, Brod. 6.misc. 11
Lapis coronatus, pro Sepulcrali, Pith.2 Sub 14
Lar Porsena, non Lartes. Sigon. lib. 2.cap 9. Emend.
Lares putabantur veteribus animæ hominum in numerum Deorum relatæ, Pith.1 Sub.9
Lares viales, Pith 1.Sub.9
Laricem vri, Brod.3 misc 3
Laridum stillans hodie inter suppliciorum instrumēta, Brod.2 misc. 10
Larum nomen vnde, Pith.1 Sub.9
Larum sedes, & quasi domiciliū focus, Pith.1.Sub 9 itē Cōpita, ibid.
Larix, arbor Thya, Hart 2 Dec 4 § 5
Larynx, quid, Brod 5.misc.30
Latercus, placentulæ quales, Mure. 17.cap.15
Laterem lauare, vnde ductum, Bro. 2.misc 28
Latex Lyæu. Hart 3 Dec 6 § 4
Lauandi in vnu omnium antiquitus etiam Regum nobiliumq; virginibus, Hart 3 Dec. 8. § 11
Laudare aliud liceat, aliud sequi, Mur.17 c.8

Laudunum clauatum, Pith 2. Sub.2.
Laureatæ literæ, Brod. 1. misc. 33
Lauri folia a vatibus concedi solita Real. Annot c 1.
Laurum fulmine percuti, Brod. 3. misc. 2
Laurum cur fulmine ici voluerint Pythagoræi, Brod. 3 misc. 2.
Laurus in igne posita, crepat, Gyral. Dial. 16
Laurus supposita capitibus dormientium, vera somnia gignit, Realin. Annot. c. 1
Λεσβίζειν, λεσβιάζειν, φοινικίζειν. Brod. 2 misc. 21
Λήκειν, ληκητικός, Stat. 1. Obs. 11
Lectis iniectæ pelles pilosæ, Mag 3. cap. 7
Legatarius partiarius, quis, Muret. Obs. c. 13
Legati audiebantur in fanis, Brod. 4. misc. 17
Legati genus olim quod fuerit *Partitio*, Mur. Obs. c. 12
Legatorum modus ciuilis, quis, Mur. 11 c. 3
Leges in æs incisa, Brod. 4. misc. 12
Leges in ligno incisæ primitus, deinde in ære, Brod 4. misc. 12
Leges XII. tabularum aliquid etiam hausisse ex legibus Faliscorum, Mag 1. 8
Leges Papias duas fuisse diuersas, Sigon lib. 1. Emend. c. 10
Leges Romanos accepisse, non solum ab Atheniensibus, sed & Lacedæmoniis, Mag. c. 8
Leges scriptæ & non scriptæ, quænā Gyral. Dial. 28
Legi obrogare, derogare. Legem abrogare, Pith. 2. Sub. 15
Legibus melior bonus princeps, & quare, Mur 18. c. 11
Λίγω pro κοιμῶμαι, Hart. 3. Dec. 7. §. 15
Λείπομαι, quid notet, Ruf. Ant. cap. 57. pag. 601
Lentum argentum. Lentus debitor, Mur. 3. c. 18. *Lentum negotium, Lentum soluere*, ib.
Lentulum modo cognomen, modo agnomē esse, refutatum, Sig. lib. 2 Emend. c. 47
Leones cur in Italia non pariant, Brod 6. misc. 25
Leonis os admodum fœtere, Brod. 6. misc 29
Λεωφόρος ὁδὸς μὴ βαδίζειν, Pythagoræorum, Brod. 2. misc. 20
Leonum nutrix Mauritania, Mu 17 cap 2
Λεπτά. quid, Hart. 2. Dec. c. 6. § 1
Lesbians, quid, Mag 2. c. 20
Leuatio Imperatoris in scuto cum inaugurraretur, Pit. 2 Sub. 6
Leuca Gallica, quot passus habeat, Pith 1 Sub. 13
Λεῦκος τοῦ χαλκοῦ τύπου τοῦ Κρητὸς υἱός, Hart 3. Dec 7 § 5
Leuctra tribus locis. Brod. 2 misc 11
Lex, ēt pro *mancipii lege*, Mag. 4. c 3
Lex Fannia, sumtuaria, Pit 2. Sub. 2
Lex Papia, Ciceronis temporibus primum lata, Sig. lib 2. Emen. c. 37
Lex Scantinia, contra impudicos, Pith. 2. Sub 2
Lex Titia, de muneribus, Pith. 2. Sub. 2
Leges Tutiæ, an Turiæ, seu Toriæ, Pith 2 Sub. 2
Lex Valeria, Pith. 2 Sub. 2
Lex vitiosa quæ, Pith. 2. Sub. 2
Liber inscriptus *De viris illustribus*, an legitimus sit, item, cuius, Gyr. Dial. 26
Liberalibus veteres in publico discumbere soliti, Pith. 1. Sub. 9
Libertatis duo genera: Iusta & Latina, Pith 2. Sub. 9
Liberti delicati, qui, Pith. 2. Sub. 9

Aaaaa 3

Libertini primi, secundi tertii ordinis, Pith. 2 Sub. 9
Libitina Dea, quæ Mag 2 c. 19
Libri elephantini, qui, Brod. misc. 4. cap 12
Libri manu exarati scriptura Longobardica, emendatissimi, Rob. pag. 16
Librorum inscriptiones cur *tituli* appellentur, Mag 1 c. 14
Libris cōscripta apud Romanos ars sacrificandi, Mag 4 c 4
Librorum inscriptiones & tituli rubro colore perscribebantur, Mag. 1. cap 14. hinc factum vt libri non pauci ad nos absq; titulo peruenerint, ib.
Librum *de Mundo ad Alexandrum*, non esse Aristotelis, sed nec Nicolai Damasceni, vt visum Petro Victorio, Mu. 2. c 8
Librum notitiæ Rom. imperii, non esse Antonini Imp. Pith 2 Sub. 1
Licinius, an olim fuerit prænomen, Robor. lib. 1. Anno. c 33. Sig. lib. 2. Emen. c. 28
Lictor primus, Rob. lib. 2. Ann. c 20 Sig. lib 1 Emen. c. 30
Ligneæ tabulæ cera oblitæ ad scribendum, Mur. 9. c. 6
Ligustrum quid, Brod 4. misc. 18
Limbus, in cœlo, quid, Mag 3. c. 13
Limum, antiquis idem quod transuersum, Pith. 1. Sub. c 2
Linea extrema, quomodo eadem & prima, Mur. 10. c 18
Linea extrema amare q d, Mu. 10. c. 18
Linguarium, quid, Mur. 12 c 5
Linguis fauete, vox qua in sacris imperatur silentium, Mur. 15. c. 17
Lingulaca, genus piscis quod Frute. 1. Ver 11
Lippis & crudis pila ludere cur inimicum, Mag. 1. c. 11
Littera pacta in cera, Frut. 2. Ver. 19
Literæ eiusdem crebra & continua repetitio orationis compositionem duram reddit & insuauem, Mur. 1 c. 15
Literæ laureatæ, Brod. 1. misc 33
Literarum nomen aliud, aliud vis earum ac potestas, Mur. 18 c. 1
Liuius an annotauerit ludos sæculares, Robo. Ann. lib. 1 cap. 6. Sig. 1. Em. cap. 5. pag 156
Loca ad hyemandum quæ commodissima, Mu 14. c. 14
Locis quæ quibus optima, Brod. 4. misc. 14
Locus Terentii Phorm. act. 5. sc. 7. *In lus ambula. PH. In lus.* illustratus, Mur. 3. c. 5
Logi Brod. 6 misc. 10
λόγος ὀρθός Brod 2. misc 4
λόγος ἐκκεκαλυμμένος, Brod. 2. misc 4
λόγος προσαγγελθείς, Sigon. lib. 1. Em. cap 38
λόγχη, ad iaculationem, Brod. misc. 16
λοίγιος ὥρα funesta hora, Hart. 2. Dec 2. §. 17
λοιμὸς & λιμὸς differre pronūtiatione, Stat. Obs. c. 24
Loque arit er. præpositiones loquelares Stat. 1. Obs. 11
Loti accedebant ad Deos, Fr. 2. Ve. 6
Lotus, pro fistula, Brod. 2. misc. 25
Lucere cereum, facem, Fruter. 1. Veris. 10
Lucerna sublata, nihil discriminis inter mulieres est, h. e. in tenebris æque sunt lasciuæ, Bro 6 mis. 18
Lucretiam minus fortiter fecisse, q ipsam se occiderit, Mur. 4 c. 2
Lucretiū an vocare debeamus poetam, Mag. 1 misc. 17
Luctus Ægyptiacarum fœminarū qualis, Har. 2. Dec. 8 §. 7
Luctum qua veste mulieres peregerint, Mag. 3. c. 14

Lum-

Lucubrationes antelucanæ nullæ nisi sub finem Autumni antiquis, Mur. 18 c.13
Ludi seculares non semper præcise factos anno centesimo, Rob. Annot. 1 c. 10. Sig 1 Em. c. 5 p 157
Ludi seculares primi, secundi, tertii, quarti, quibus potissimum Coss. facti, magna opinionũ varietas, Sig 1. Em c. 5
Ludificari, turpitudinis significationem habere, Mur. Obs. c 7
Ludus ad iudices, puerorum, Mure. lib 13. c. 9
Ludus duodecim scriptorum, Mur. 2. cap. 13
Lugdunensium virginum morbus, necem sibi ipsis consciscentium, Brod 5. misc 27
Luminibus frequentata sepulcra in parentationibus annuis, Mag. 4. cap. 19
Luporum speciem an induant homines, Mag. 4. c. 12
Lupos occidere capitale Atheni. Hart. 1. Dec 8
Luscinum non Luscinium scribendum, Sig. lib. 2 Emen. c. 47
Lusoriæ naues, quæ, Pith. 1 Sub. 14
Lustrationi accõmodata aqua marina, Mag. 4. c. 10
Lutetia Romam itercentum quinquaginta horis confectum, Bro. 6 misc. 6
Luteus color nouis nuptiis creber, Mag. 3 c. 5
Lycanthropia laborantes circa sepulcra fere versantur, Mag. 4 c 12
λύχνων ἡμμένων, Brod. 4. misc. 33
Lydia harmonia, in funere, Mag. 1. cap. 13
Lyncum vrinam non coire in duritiem calculi pretiosi, Br 3. misc. 10
Lyncurium, gemmæ species, Brod. 3. misc. 10
M & B. Literæ cognatio, Hart. Dec. 1. cap. 2
Macellum gulæ proceres haud sæpe intrabant ipsi, sed obsonatores ipsorum, *Mur.* 16. c. 19
Macrocephali, qui & quales, *Mur.* 12. c. 8
Macta herba, mactare infortunio, Fr. 2. Ver. 21
Macte animo, macte virtute, nõ esse aduerbialiter accipiendum, Fru. 2. Ver 21
Machæra Hispanica, Brod 1. misc. 40
μαχαιρίδιον πυκνὸν, Brod 3. misc. 22
Machina, aries, testudo, non Bombarda, Brod. 2 misc. 26
Machinæ petrariæ, Bro. 2. misc. 30
Magdalia, quid, Hart. 2. Dec 8. § 4
Magno, absolute positu, Pit. 2. Sub. 7
Magnes cur ferrum ad se trahat, Br. 3. misc. 29
Maiorum, minorum gentium Patricii, Dii, Pith 2. Sub. 7
Mala eo magis fugienda, quo diuturniora fore prospicimus, *Mur.* 16 cap. 12
Mala insana, hodierna, an veteribus nota Gyr. Dial. 13
Male ominata verba, Mur 19. c. 7
Malleoli, non sunt tali, Br. 6. misc. 14
Malugensis cognomen; an familiæ *Cornelia*, in qua erant *Scipiones*, Rob. lib 1. An. c. 29. Sig. 1 Em. c. 13
Manus sibi inferentes an fortes, Br. 6. misc. 29
Mare, Gallis *equum*, Brod. 2. misc 23
Mariculus dicendum non *Marculus* Stat Obs c. 14
μάμμη, quæ, Brod. 5. misc. 23
Mancipium, pro *lex mancipii*, Mag. 4. cap 3
Manes cur dicti *Silentes*, Mag. 4. c. 14
Manes, olim etiam æris tinnitu fugari creditum esse, *Mag* 4 c. 14
Manna, idem cum melle aerio, Bro. 4. misc. 22

Mantichora, monstri species, Brod. 5 misc. 23
Manes, Brod. 5. misc. 1
Manum alicui edere, pro deludere, Mur. 19. c 19
manum ori adhibere, honoris signum, Mur 10 c. 1
manus aliorum osculo inuadebant serui supplices, gratias agentes, &c Pith. 1. Sub. 7
manus ori admota in adorationibus, Pith. 1 Sub. 7
manus regum quomodo longæ, Br. 4 misc 3
Marchionum nomen, vnde, Brod. 2. misc. 23
Mare, an fons omnis humoris in terra, Mag. 3. c 15
Mare Myrtoum, apud Horat. pro quocunque mari, Brod 1 misc. 14
mare rubrũ. falso ita appellari, Bro. 3. mis 9. nomen ei ab rege *Erythra* Brod. 3. misc 9
mare Scythicum congelascere, Bro. 5. misc. 31
mariti pro puerperis curabantur apud Tibarênos, Hart. 1. Dec 8 § 35
marmor, pro disco marmoreo, Bro. 2. misc. 26
Marsyas tibiis Palladis elatus Phœbum suo exitio prouocauit, Gyr. Dial. 23
Martio mense vectigalia pop. Rom. redemtoribus & publicanis locari solita, Pith. 2. Sub. 4. item agri priuati colonis suis, ibid.
Martio mense caussæ hospitum externorumq; auditæ expeditæque Hart. 3. Dec 8 § 8
Massilia non tantum vna in Gallia, sed etiá in Africa, Brod. 3. misc. 27
Massilienses mores, pro *malis*, Mur. 12 cap. 17
Massilienses nũc corruptis moribus nũc cõtra fuerũt. Bro. 3. misc. c. 27
Mater Deum lauatur Almone, Bro 2. misc. 26
Mater Leonum. Ida, *Mater pecudum*, Thracia, *Mater siderũ*, Nox *Mater certaminum* Olympia, Muret. 17. cap 2
Materis, genus lanceæ, Gyr. Dial 18
Matrimonium non fuisse Atheniẽsibus cum sorore germana, Mur. 15. c. 5
Mauri præmuniti in bellis Leonum, Elephantorum Vrsorumque pellibus, Mag 3 c 7
Me, pro *mihi*, Frut. 1. Ver 16
Mecum, vt voles, amicitiam alicuius inimicitiamue flocci faciẽtis formula, Scat. Obs. c. 27
Media Peliamne recoxerit, an Æsona, Mur. 6. c. 10
Medi pro *Persis* sæpe positi, Mur. 11. cap. 3
medicatæ aquæ, Gyr. Dial. 15
Medici Ægypti, singulorum membrorũ, nõ omniũ. Hart. 2. De. 8. § 7
Medicis similes esse debere Principes, in animaduersionibus suis, Mur. 16. c. 4
Medicorum licentia cõparata cum auctoritate Iudicum, ex Plinio, Pith. 2. Sub. 19
Mediolano, vnde nomen, Brod. 2. misc. cap. 26
Medius fidius, an Iouis filius Hercules, Frut. 1. Ver. 16
μέγας λογοθέτης, qui hodie Cancellarius, Pith. 2 Sub. 12.
Mel aerium, idem quod Manna, Brod. 4. misc. 22
μελαμποδίδης, patronymicum, Har. Dec. 3. c. 7. § 2
Melancholicis musicã mederi, Bro. 4. misc. 31
Melanzana aut *Melagiana* Italorũ an veterib. nota, Gyr. Dial. 13
μέλι pro sacharo, Brod. 4. misc 22
Melia fames, Melos, Brod. 6. misc. 18

Melica gallina, pro *Melicis*, Frut. 2. Ver 21
Melior patre, pro *fortior*, Mur.5.cap. 16
μελίφρων πυρὸς. Brod.6 misc.3.
Membranarum vfus ad scripturam elegantiorem, Robort pag 17
Memini facere an *fecisse* dici contra Agrætium Grammaticum, Stat. Obseru.cap.15
Memoriæ admirabilis aliquã multa exempla, Mur.3 cap 1
Menander: ἥδιν πέπαυθας ὀδ᾽ εὐνὸν ἂν μὴ ... Brod 6 misc.19
Mendacia quibus quando vtilia, Mur.lib.18.cap.4
Menedemum Philosophum fuisse σκηνογράφον, nõ σκηνοῤῥάφον, Muret.11. cap.11
Menedemus actor, Asclepiades poeta, quomodo dicebatur, Mur. 11.cap 11
μηνιαγύρτης τέλεος, Hart.1. Dec.1 § 11
Mensæ italicæ Siculæ, Syracusanæ, pro prælautis, Brod 5 misc.33
Mense septimo nati vitales, octauo, nono, Ruf. Ant. cap. 21. pag. 585
Menses intercalares duo additi a Cæsare, Brod.3.misc 6
Mensis feralis, an *februalis*, Fruter. 2.Ver.19
Mensis primus, pro primo mensis die, Brod 1 misc.26
Mento apprehenso supplicabant, Hart.1.Dec 8.§ 5
Mensuræ & pondera cur diuisa in partes duodecim, Mag.1. miscel. cap.15
Mercurius cur Ἑρμῆς dictus, Mag.4. cap.11
Mercurio merum immolatum, tostæque linguæ antequam cubitũ iretur, Hart.1.Dec.8.§.38
Mercurio χθονίῳ datum deducere animas, Mag 4 cap.11
Mercurius nõ exsculpitur ex omni ligno Brod.4 misc.6
Mercurius ouium procurator, auctorque.Brod 6.misc 31
Merus pes, pro nudo, Gyral. Dial.10
Μηρός, vrbis nomen, Hart.1. cap. 7. § 5
Μισήρωον, quid, Brod 6 misc 14
μεσέντερον, quid, non esse intestinũ, vt putabat Cicero, Brod.6.misc.14
Messium tempore feriæ erant iudiciorum, Pith 2.Sub.20
Mesonautæ, qui, Brod.4. misc.11
Μεσόναυται, Brod.4 misc.11
Metalla plura esse quam septem, Brod.6.misc.23
Metium Suffetium scribendumne an *Mettium Suffetium*, Robor. Ann 2. cap.52. Sigo.lib.1.Emend cap 52
Meton Astronomus, Pith. 2. Sub.13. idem etiam *Meto*, ibid.
Metonis annus, Pith. Sub 2.cap.13
μέτρον ἀγλαΐην, quid, Brod 3.misc 15
Metuens solui penna. Metuens tingi Oceano Arctos, Mur.1.cap.8
Micciola, quid, Brod 4 misc 20
μικρολογία, Mur 9.cap.20
Milanion dicendumne sit an *Mimalion*, an vero *Mimalion* de Atalantæ proco, Realin. Annot.cap 12. Gyral. Dial.20
Miles Romanus, quanto sub onere incederet in expeditionib. Brod. 2 misc.15
Milesiæ virgines seipsas interficiebant, Brod 5.misc.27
Milesiæ virgines a strãgulatione sui reuocantur, quod abiicerentur insepultæ, Mag.2.cap.21
Milites pauperũ suorum sepulturã quomodo curarint, Mag 2 c 19
Militum corpora sepelienda ducibus: si non fieret, capital erat, Mag.2.cap.19

Mimi & pantomimi cur cinædi appellati, Pith 1. Sub 17
Mimus, ioci strophæq; mimorum &c Pith. 1 Sub. 17
Mineruæ simulacrũ ad Inachi flumẽ delatum lotumq; ab Argiuis die stato. Hart 2. Dec. 8. § 13
Mineruæ peplum, Hart 1. Dec. 8
Minio pingebantur simulacra Deorum, Brod 3 misc. 13
Missilia in vulgus spargi solita ab Impp. in theatro, tempore ludorum, Brod. 3. misc. 12
Mithridatem cur *Dionysum* honoris caussa vocarẽt Tralliani, Mur. 1. Var. 2
Modestia, pro tenuitate & infirmitate virium, Mur. 11. cap. 4
Modioli, rotarum cadi, Pith. 2. Sub. 16
Modus Phrygius, in funere vsurpatus, Mag. 1. cap. 13
Molaris Lapis, Brod. 6. misc. 11. ad turres mœniaq; construenda vtilissimus, ibid.
Moly herba Homerica, quænã sit, & a quo inuenta, Gyral. Dial. 13
Monumentum pro Templo, Brod. 2. misc. 27
Monosyllaba in fine versus, an eum vitient, Brod. 3 misc. 15
Morbi com.tialis caussæ quæ, Brod. 3. misc 23
Mores desidere. quid, Sigon. libr. 1. Emend. cap 50
Morientibus insitus pudor amorq; sui corporis, Mag. 2. cap. 21
Moeri pro *muri*. antique, Mag. 3. c 13
Moeri. pro *mu-is*. *moenire* pro munire, Mur. 19. cap. 2
Mortuorum sepulcra extra vrbem, Realin. Annot. cap. 10
Morituri morte violẽta, curam habebant vt honestè caderẽt, Mag. 2. cap. 21
Monstra nonnulla viuunt, nonnulla statim edita moriuntur, Mag. 1. misc 20
Monstra quæ nonnunquam pariant mulieres, Mag. 1 cap. 20 plura existunt in regionibus quibus mulieres perfœcundæ, ibid.
Mortem sibi conscisce:e ignaui, nõ fortis, Mur 4 cap. 2
Mortes sibi inferentes, non censendi fortes, Brod. 6. misc. 29
Montes quidem lauda, sed a planitie ne recedito, Mur. 17. cap. 8
Mortuorum peregre cineres vrnis in patriam relati, Hart. 2. Dec. 8 § 17
Mortui iuuenes albescẽte cœlo ante Solis exortũ a propinquis efferebantur, Mur. 13. cap. 2
Mortui pro Diuis habiti, Mag. 2. capit. 19
Mortuis gleba iniecta, Mur. 10. cap. 19
Mortuos propriis fere fundis sepultos, Real. Ann. cap 10
Mulieres aliquãdo alio quam Caiæ prænomine esse vsas, Sigon. lib. 1. Emend. cap. 35
Mulieres etiã castrari & incidi, Brod. 5 misc. 3 earum testes, ibid.
Mulieres eruditæ plerũq; libidinosæ, Mur. 8. cap 21. ratio quare, ibi.
Mulieres quomodo vsq duobus nominibus, Rob. Ann. lib. 2. cap. 10
Mulieres qua in veste lugere solerent, Mag. 3. cap 14
Mulieres Romanæ, an φαγρομηρίδες. Brod. 2. misc 24
Mulieribus an etiam prænomen, Robor. Ann. lib. 2. cap. 9. & 13
Mulierũ aliquot cognomina, Robor. lib. 2. Ann. cap. 15. 16
Mulierum libidinosarum quæ calumniatæ sunt eos a quibus spretæ ac repudiatæ erant, exempla octo,

octo, Mur.1.cap.12
Multas alias diphthongos, quę nūc vsurpari desierint apud veteres fuisse, Mur 6 4
Muria, quid, Mag.2.cap.9
Murina, inter dulcia, Mag.2 cap.9
Murina, quod genus potionis, Bro. 4 misc 19
Musæum dum ventos ex diametro pugnātes induxit, parum philosophorum regulas obseruasse videri, Mag.1.cap.17
Musica organa quæ inflantur, cur grauem sonum emittant, Mag.1. cap.13
Musicæ in humanos animos, inque ipsa corpora vis maxima, Mag.4. cap 13
Musicā etiam morbis aliquot mederi, Brod.4.misc 31
Musicis canticis an sanentur ischiadici, Brod.4.misc.31
Mutatio naturæ inimica, Mag 1.capit.5
μυκτὴρ μυκτηρισμὸς μυκτηριστὴς, μυκτηρίζειν, quid, Brod.4.misc.32
μυλίας, μυλίτης λίθος, Brod.6.misc.11
Myrrha, ad condituram vini, Brod. 4 misc. 20
μυῤῥίνη, μυῤῥίνης, Brod 4. misc.20
Myrtilo mortuo cur lætatus Alcæus, Brod.1 misc 21
Mytilenę vrbis amœnitas, Muret.9. cap.16
Myrtilum calumniatur Hippodamia, quod ei morigerari noluisset, Mur.1.cap.12

N

NAblum, instrumentum musicum, Brod.2.misc.14
Nænia omnium funerum communis, Mag.1. cap.13
Narbonensis prouincia sub se habuit Viennensem & Lugdunensem, Pith.2.Sub.1
Nardus Opistica, quid, Hart.3 Dec. 6.§ 6
Nasus incisioni dicatus, naso suspēdere Brod.4.misc.32
Nauci non putare, Pith 2.Sub.11
Naues ceratæ quædam, quædam æratæ, Brod.4. misc.13
Naues lusoriæ Romanorum in plerisque fluminibus, cui rei. Pith 1. Sub.14
Naues onerarias remis etiam agi olim consueuisse, Mag 1.cap.6
Naues rostratæ, vnde dictæ, Brod 4. misc. 13
Nauigare super maleas, quid Brod. 1.misc 35
Nauigantibus cur abire vrbes videantur, Brod 5 misc.36
Næuii ne *Triphallus*, an *Itiphallus* scribendum in Gellio, Frut. 2. Ver. 19
Nauim paruam lauda, sed merces in magnam imponito, Mur.17. cap.8
Nauium prora aut puppi collocabantur effigies Deorum tutelarium, Mur.10.cap.19
Nauis auriga, pro *gubernatore*, Mur. 1 cap.11
Nauis vento secundo, hora vna cōficit octo passuum millia, Brod.5. misc 5
Nauius an & prænomen fuerit, Robor.lib.1.Emend.cap.31.Sigo.lib. 2. Emend. cap.28
Nauius, an inter prænomina, Robort. lib 1. Annot. cap. 31. Sigon. lib.2.cap.28 Emen.
Neapolitanus quidā in Gallia lenis tēperatissimisq; ignibus oua perficiebat, Brod 3.misc.25. quod idē hodie vsitatum in Ægypto, ibid.
Necari sub crate, genus supplicii, Brod 1.misc.28
Negotiū, πρᾶγμα aut χρῆμα Mur. 2. cap.5

Νεῖκος, contentiosus, Hart.3. Dec.7. § 16
Νηλιτεῖς, insontes. νηλεεῖς, crudeles, Hart 3. Dec.7 §.14
Nemesis cur Adrastea dicta, Gyral. Dial.19
Nemesis, in Cyzico maxima veneratione culta, Gyral. Dial.19
Nemesis, quæ Dea, Gyrald Dial.19
Nepotis cognomen vnde, Sigo.lib. 2. Emen.cap.15
Neque viuus, neque mortuus sum, a pluribus vsurpatum esse, Muret. 17.cap 13
Νησαίας ὄζειν, Brod.6.misc.29
Nescia tributa, pro *incognita*, Mur.11. cap.2
Nestor trisec'lisenex, h. e. annorum nonaginta, Mur.10.cap.8
Neruorum ortus a cerebro, non a corde, Brod.6. misc.14
Nexi, duorum generum: qui volentes seruirēt, qui nolentes, Sigon. lib.1. Emend.cap 38
Nexo, nexi nexisti, Fruter.2.Ver.10
Nexu vinctus, obligatus, Robort. Ann 2.cap 35. Sigon.lib.1 Emend. cap.38
Nexum non amittere libertatem, Robor.Ann.2 cap.35
Nicandrum in Theriac. falso affirmare Salamandram nō vri igne, Brod.3.misc.3
Νικήσεις, prima longa, Hart.3 Dec.2. §.3
Niciensis gens supra Borysthenem, tertio die demum cibum capit. Gyral.Dial.17
Nigra veste quādiu vsi in luctu mulieres Romanæ, Mag 3. cap.14
Nihil vidi magis, Mur.10.cap.13
Nili aggeres contra alluuiones, quāta cura curati, Mag.1 cap.10
Nili aqua, noxia, Brod. 4. misc.29. nisi colata, ibid.
Nili nomen, vnde ductum. Nili irrigatio fletibus quotānis implorata, Mag.1.cap.10
Nili incremētum maximum cubitorū octodecim, Brod.6. misc.11
Nili & Euripi, qui aquarum ductus, Brod.5 misc.6
Nicolaum Damascenum, non esse auctorem libri *de Mundo ad Alexandrū* vt placuit Victorio, Muret 2 cap.8
Nilus an vnus omniū amniū nullas auras exspiret, Brod 3.misc.10
Nilus ne an Ister fluuiorum maximus, Muret.13.cap 10
N. vt D. interiecta aut addita ad vitandum hiatum, Mur.19.cap.7
Nobilitas generis, in laudibus magnorum virorum, postremū tenet locum, Mur.11. cap 10
Nocte prima nuptiarum exstincti ruina ædiūm, Mag 3 cap 4
Noctes diesque veterum horarum erant duodecim semper æqualium, Stat.1 Obs.9
Noctes serenæ, quæ vigiliis aptæ, & quando, Muret 18.cap.13
Noctua Atheniensibus captiuis inusta a Samiis, Brod 4.misc.14
Nodum in scirpo quærere, non in scrupo, Brod 2.misc.cap.25
Nola in cubiculo, Coa in triclinio, Brod.3.misc.24
Nolæ ignotæ priscis etiam ipso nomine, Brod.3.misc.24
Νομεῖς in naue, οἱ τ̄ πλοίων ἐγχειλια, Brod.1 misc.cap.10
Nomen duobus modis accipi pro genere ac specie, Sigo.lib.2. Emen. cap.14. & 22
Nomen malum, an præsumat etiā mores malos, Mur.17.c.14
Nomen sæpe ante prænomen prolatum ab antiquis, Robor.Ann.1. cap.24. & 31

Nomi-

Nomina ab Hebræis Chaldæisque imposita ab aliquo euentu & significatu. Gyral.Dial.4
Nomina auorum nepotibus indita, Hart.1.Dec.8 § 28
Nomina & verba an naturalem habeant significandi vim, prætereeam quæ eis hominum arbitratu imposita est, Muret.13.cap.7
Nomina imposita a gente, Hart. 2. Dec.8.§.3
Nomina omnia gentilitia, non finire in ius, Sigon. lib.2. Emend. cap.31
Nomina tria Romanis, Brod.5.miscel.10
a Nomine an argumentari liceat, Sigon.lib.2.Emend.cap 3
Nominibus tribus Senatores, duobus plebeios vsos refutatur.Sigo. lib.2.Emend.cap.23
Nominum duorum ratio,non a Sabinis.Sigon.lib 2. Emend.cap.8
Nominum inter se ordinem duplicem esse,Sigo.lib.2 Emen. cap.14
de Nominũ impositione late Gyral.Dial.4
Nomorum poesis quid, Sigo. lib.2. Emen. cap.72
Νόμῳ ἰλλιωτικῷ, Brod.1.misc.38
Νομος ὄρθιος, quid, Hart. 3. Dec. 9. § 7
Νόμου χάριν, Pith.2.Sub.8
Non ignauissimus, affirmantis, Stat. Obseru.cap.19
Non modo, pro *non modo non*, Mur. 10.cap.7
Non sternitur, affirmatiue, Stat. Obser.cap.19
Nonius in voce *Obscenum*, Mur.13. cap.19
Notarum auctor Mecœnas velocissime scribi per notas, Brod.4. misc 9
Notæ fronti inscriptæ noxiis,Brod. 4.misc.24
Nothis nec gens erat nec libertas, Robort. lib.1. cap 20. Annot. Sigon.lib. 2.cap.7.Emend.
Noti mox desinentis indicium, si magis ac magis augescat,Brod.5. misc 26
Νώροψ, cur χάλκος dicatur, Brod.6. misc.27
Noui homines, an dici queant etiam patricii,Robor.Ann.2.cap.53. Sigon.lib.1.Emen.cap 48
Nox apta amantibus, Hart 2. Dec. 8.§ 15
Nox mater, nutrixque siderũ, Muret 5.cap.2
Noxius de lapide,Brod. 6. misc.5
Noxius,quid,Brod.6. misc.5
Nuces frictæ ex melle in secundis mensis appositæ,Muret.17.c.15
Nudipedalia sacra,quid, Gyral. Dial 10
Nummus Cæsari inscriptus cum Elephanto anguem conculcante, an consecrationis symbolum,Sigon.lib.2 Emend.cap.34.p.284
Numæ cadauer cur non fuerit crematum,Mag.3.cap.10
Numerandi ratio per digitos, Gyral.Dial 2.pag 176
Numerare, pro venerari, Hart. 3. Dec 6 §.1
Numeri cap 19.*anima*,pro homine. Mag.1 cap 12
Numeris quæ nomina Pythagorici imponere soliti,Brod.5.misc.16
Numerorum veterum Latinorum Græcorumque figuræ & notæ, exprimuntur a Gyraldo Dialogo 3.
Nunciatio operis noui quando impune negligi queat,Muret. Obs. cap.14
Nuntii, qui Lutetia profecti centũ quinquaginta horis Romã peruolarint, Brod.6 misc.6

Nupta noua in altum tolli solita, Pith.1.Sub 6. virgo quidem, nō etiam vidua ibid.
Nuptæ nouæ flammeum, coloris lutei, Frut.2 Ver.19
Nuptiali sacrificio, fel victimæ eximebatur, & post aram abiiciebatur, Hart 3.Dec.8 § 6
Nuptiarum iura ante aras celebrari solita, Realin.Annot.cap 11
in Nuptiis puer coronatus spinis & quernis glandibus sportulam repletam panibus circumferebat, dicebatq; Effugi malum, inueni melius, Hart.2 Dec.8 §.16
Nutrix Leonū Mauritania *Nutrix Siderū* Nox. *Nutrices equorū bellicorum*, Syracusæ, Mur.17.cap.2
Nūs, fluuii nomē, Hart.3. Dec.2 § 17

O

OAxes, Cretæ flumē, Brod.1 miscel. c.39
ὠὰ ὑπηνέμια, κυνόσουρα & ζεφύρια nō producunt pullos, Brod.3.misc.25
Obducere, pro *ebibere*, Mur 9 c.10
Obedire, obaudire, Frut.1 Ver.11
ὀβελίσκου sutura, raro ad summū vsq; nasum procedit. Brod.6. misc.14
Obnuptio capitis, in suppliciis, Mur. 8.cap.9
Obsoniorum parandorum ars medico plurimum conuenit Mag.1. cap.19
Occidentes se, an fortes, Brod. 6. misc.29
Occisi hominis sanguis cur iterum e vulneribus profluat, superuentu occisoris, Mag.3.cap.5
Occursus Æthiopis, Eunuchi, hominisve turpis, an inauspicatus, Brod.4 misc.1
Oceanum nunquam intrasse Vlyssem, Brod.3.misc.4
Ochia, quid, Brod.5. misc.1
Ocquinifcere, quid, Mag.2.cap.3
Ocreæ e stanno, ob ferri inopiam, Mag 3.cap.3
Ocreis seu tibialibus & peronibus, vsi rustici, Mag.3 cap.3
Ocrisia mater Seruii regis, Hart.1. Dec.1 § 10
Octauius Mamilius dicendumne an *Octauus*. Robor.lib.1.Ann.cap.31
Oculi dextri palpitatio, dextri quid portendere putabatur, Muret.9. cap 6.
Oculissimum retinendum in Plauto, non *oculeissimum*. Muret.16. cap 13
Oculorum dolores meri potione soluti, Mag 1.cap.12
Oculus fascinans, Brod 1.misc.37
Odium ceutle, pro *commune*, Mur.11. cap 3
Oi pro *Oe* veteres scripsisse, Mur. 6. cap.4
οἴκοθεν ὁ μάρτυς. Mur.10 cap.13
οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, Muret.17. cap.8
οἰκτεῖον, ἀπὸ τοῦ ὄναρ, Mur.10 cap 3
οἶνον αἴθοπα cur Homer. dicat Brod 5.misc 31
οἶνος ἀνθοσμίας, Brod 5 misc.26
οἶνος αἴθοψ, cur dictum Eustachio, cur item Plutarcho, Brod.6. miscel.31
οἶνος μυρρινίτης, vt cōficiatur, Brod. 4.misc.4
οἶνος μυρρινὴς, Brod 4.misc.4
οἰωνιστής, quid Brod.6 misc.1
οἴχεται, sæpe reperiri sine participio verbo adiuncto, Muret.4 capit 19
ὄλβιος, quid, Hart.2. Dec.1.§ 8
Olea in Græcia & Italia fœcunda, in Germania & Britānia nil gignit, Brod.4.misc 6
Ollæ, ad bibendum, Gyral.Dial.8
Oliuæ foliis, Spartæ inuoluta cadauera, Mag.2.cap.18

Olor,

Olor, pullos suos deuorat, Brod. 3. misc. 18
Oleum cibarium, pro vili. Brod. 4. misc. 10
Oleum nunquam conglaciare; cōtra quam a Gellio proditum est, Mur. 13 cap 11
Oleum præbitū ab Imp. dedicationibus publicis, Mag. 2. cap. 2
ὁμόγνιον Iouem venerati Græci, Bro. 2. misc. 21
Omega, non erat in vsu Græcorum vetustissimis, Mur. 18. cap. 1
Omen scæuum. Pith. 2. Sub. 11
Omicron veteribus nominabatur ου, Mur 18. cap. 1
Ominis mali habitus occursus Eunuchi Æthiopis, hominis turpis &c. Brod. 4 misc 1
Onager pullorū suorum testes amputat, Brod 3 misc 28
ὄνειδος, significationis ambiguæ, Mur. 6. cap. 18
Ονειροπόλος quid Brod. 6. misc. 1
ὄνος, lapidis molaris superior pars, Mur 8 cap. 15
Operta Telluris. opertū Bonæ Deę. Muret. 14. cap. 2
Ophiogenes quomodo liberis natis coniugum pudicitiam explorent, Mur. 2. cap 2
Optabant quæ fieri non poterant, in indignationibus, Hart 3 Dec. 8 § 15
Oraculo accepto coronati domum redibant. Brod. 4. misc. 15
Oraculum acceptū, statim scripto mandabatur, Hart. 1 Dec. 8 §. 27
Oraculum relinquentes, ab domesticis flexis genib. excipiebantur, Hart 1. Dec. 8. § 6
Oraculū sciscitaturi tripliciter coronabantur, Hart. 1. Dec. 8. §. 26
Orchestra theatri, Pith. 2. Sub. 17
Oratio quibus nascatur in ore, non in pectore, Fruter. 1. Ver. 19
Orationes olim habitæ ad clepsydram, Pith. 2 Sub. 11
Orationi auctoritas aut accedit aut abscedit a persona dicentis, Mur. 17. cap. 6
Orationis cōpositio dura, vbi crebra & continuata eiusdem literæ repetitio, Mur. 1. cap. 15
Orba non necessario ducenda generi proximo: defungitur datione dotis, Mur. 19. cap 8
Orbis Lacedemonius, *orbis Libycus*, pro *mensa*, Mur 10. cap. 6
Orbis, pro *ditione* & *imperio*, Mag. 4. cap. 5
Orbis saltatorius quid, Brod. 5. miscel. 26
ὀρθροφοιτοσυκοφαντοδικοταλαιπώρων, Hart. 3. Dec. 3. § 16
Ore morigerari, Brod. 2. misc 21
Ore morigerari, in obscænis, Mag. 2. cap. 20
Ori manus admota in adorationibus, Pith. 1. Sub. 7
Ori manum adhibere, signum honoris, Mur. 10. cap. 1
Orichalcum aurichalcum, Brod. 6. misc. 23
Orion, cur fingatur raptus ab Aurora, Mur 13. cap. 2
Ornamenta fanorum, Mur 17. cap. 4
ὅρος, non finis sed definitio, Hart. 1. Dec. 7
Orpheus ne auctor amoris in mares, an Thamyris, Ruf. Ant. cap. 32. pag. 593
Orthius modus, quid, Hart. 3. Dec. 9. § 7
Ortum omne, an necessario etiam interiturum, Brod. 6. misc. 4
Os hominis, Mur 15. cap. 8
Oscillis aut ossisulis ludere, Brod 4. misc. 7
Osculo se salutabāt Christiani, Pith. 1 Sub. 1

Osculum Florentinum, quare, Gyrald. Dial.8
ὥσπερ ἐρύμην, in dicta caussa, Brod. 3. misc.22
Ostiarii serui, in catena, Muret. 16. cap.10
Ὀστομάχιον, ludicrum quale, Brod. 4. misc.7
ὀσφρανισμὸς. quid, Brod. 6 misc. 30
Ostrea Cyzici sapidissima, Gyrald. Dial.19
Otho Roscius legis theatralis auctor, Pith.2. Sub.17
Otii commendatio, Realin. Annot. cap.3
Οὐ σύ μοι σωϊκ' ἀφίης, Mur.14 cap 10
Οὖτις, cauillationis nomen, Brod.2. misc.5
Oua anatum & anserum fouent, item gallinæ, Brod 3. misc.25
Oua oblongane, an rotunda mares gignant, Brod.3. misc.25
Oua foueri a gallinis non sympathia quadam, non plumis, sed calore tantum a pennis adiutum, Brod.3, misc.25
Oua garo condiri solita, Mag. 2 capit.9
Oua, lustrationibus adhibita, Brod. 1 misc.25
Oues mina vel *opica*, quæ, Mur 9 cap. 15
Oui albumine pullus nascitur: nutritur vitello, Brod.3. misc 25
Ouibus impressa nomina Dominorum, Frut 1. Ver.15
ὄξος ἑψητὸν, acetum coctum, Brod. 6. misc 24
Oxus, oxybapha, Brod. 6. misc.24
Olympionicorum honor, Muret.15. cap. 7
Οὔτ' αὖ δίπτυχος διαμφίδιον αὖ. Ruf. Ant. cap 60. pag. 602
Οὐχ ὅτι, μὴ ὅτι, οὐχ ὅπως, non solum, non solum non, Mur.10. cap.7

P

Πάθος, an *fors*, Mur.8 cap.16
Pœnā æquiore animo ferunt, qui metuere, Mur 8 cap.2
Παγκράτιος nomen tragœdiæ Dionysii Metathemeni, Mur.9 cap.10
Pallantis corpus Romæ inuentum 1500 tantæ proceritatis vt murorum vrbis pinnas erectum, vertice pertingeret, Mag misc.1 cap 4
Palmæ fructiferæ in Ægypto & Syria, non etiam in Italia, Brod 4. misc.6
Παλμὸς, quid, Mur 9. cap.6
Palus, pro mare, Brod 2 misc 17
Pan sanguineis ebuli baccis minioque rubens, cur Brod 3 misc.13
Pan squillis cæsus a pueris, & quare, Hort.3. Dec cap 8 § 10
Pandectarum libros, non esse sine contrarietatibus, Muret. Obiect. cap.4
Παύσασθαι, abdicare, Sigon. lib.1. Emend cap 32 Robor. Annot. lib. 2 cap 28
Pandura, organum Musicum, *Pandurizare* Brod. 2. misc 14
Panchresta, Pith.2. Sub 3
Panmachus, qui in omnibus certaminibus exercitatus est, Brod 4. misc 8
Panis buccellatus qui, Brod. 4 misc. 11. eo vtebātur & milites, & nautæ, ibid.
Panis cibarius, pro vili, Brod. 4 miscel 10
Panis Doricus, quid, Hart. Dec 1. cap. 6
Panis, vnde dictus, Brod 1. misc.27
Papauer, cur dictum Virgilio cereale, Brod. 2 misc 29
Papauer, inter bellaria, Mur.17. cap 15
Papiniani honor, quo eum prosequuti Impp. Mag 2. cap.11

Paradisus, vox Syriaca, sed & vsitata Græcis, Brod.2.misc.14
Paradoxa & Thetica, an eadem sint Mur.18 cap.12
παραγγέλλειν, quid, Ruf. Antex. cap 3. p.574
Paranomasia, quid, Stat 1 Obs.12
παράσιτος, a παρὰ καὶ σῖτος, Hart. Dec. 1 cap.6
παρθένος, pro recenti, intacto, puro &c. Hart.3.Dec 7.§.13
παρεδρος, quis, Pith.2.Sub 12
Parentes qui interfecerint, regnandi caussa, Mag.4.cap 8
Parentibus plurimum debetur post Deum, Mag.4.cap.8
Pari oculorũ stetit Sex. Clodio M. Antonii ebrietas. Mur 16.cap.10
Parricidii pœna quæ, Mag 4. cap 8.
Paridis iudiciũ, quid sibi velit, Ruf. Ant.cap 53.pag 599
Parietes duos dealbare ex eadẽ fidelia, quid. Stat.1 Obs.13
Parodia quid, ex Hermogene disputatum, Stat.1.Obs 12
παρωνυχία, Pith.1 Sub.19
παροψίς, quid, Brod 5. misc.30
Partes, centumuiralium iudiciorũ hastæ, Pith.2 Sub.19
Partim, nõ semper geminari, Mag. 1.cap.7
Partus octimestris, est quidẽ, sed nõ est vitalis. Muret.15.cap.12
πάσσαλος prima syllaba breui est γάσσαλος, prima longa, est κασσαλῶσαι, Mur.2.cap.20
πάσχειν, inter obscœna, Brod.2 misc. 18. πασχητιασμός, ibid.
Passer Catulli, an intellectus obscænioris, Realin. Annot.cap 8
πασῶν κοινῆς. & κοινῇ πασῶν differentia, Muret.18.cap 5
Pastellum, quid, Brod.5 misc.2
Pastoritia fistula, quid, Muret.1. capit.19
πατταλεύειν, quid supplicii, Brod.2. misc.9
Patria est, vbicunq; bene est: quatenus recte dicatur, Mur.2 cap.3
Patricii maiorum minorumve gentium, Pith 2.Sub 7
Patricios etiam dici posse homines nouos, Sigon.lib 1.Emen.cap.48. Robor lib.2 Ann. cap 53
Paulla, an prænomen *Valeria*, Robor.Ann.cap 17 lib.1
Pauperum cognatio a nemine libẽter agnoscitur, Mur.2.cap.6
Pauperum sepulturæ loca antiquitus destinata, Mag.2.misc.19
Pausanii libri quomodo diuidendi, Hart.Dec 1 cap.5
Pecora notis signata, Frut.1.Ver.15
Pectita tellus, Frut.2. Ver.19. *Pecti pugnis*. *Pexa toga*, ibid.
Pecudes singulæ in Africa, in singulos annos terna parientes, Mur. 14 cap.13
Pecuniæ in templis deponebantur. Brod 4.misc.7
Pede altero nudo cur pugnarint Hernici & Ætoli, Brod.3.misc.8
Pedem ex vere prominentẽ soluere prohibitus Peleus, antequã veniret domum, Mur 3.cap.14
Pedes obligati, pro calceatis, Mag.3. cap.3
Pedes seruorũ gypsati, Brod.1.misc.17
Pedule quid, Mag 3 cap.3
Pedibus nudis rem sacrã facere, Pythagoræorum, sed desumptũ ab Hebræis, Gyral.Dial.10
Pedum numerus nulli animãti impar. Brod.4 misc.8
πεῖσις ὁμηρικὴ, quid, Hart. Dec.1. cap.6
Pelle visi vestitur Acestes, Mag 3. cap.7
Pelegonus pater Asteropæi. Hart 2. Dec.2 §.3

Pelles ad luctum. Pelles substratæ nouis sponsis Romæ. etiam lectis ditiorum instratæ. pellibus stratæ sedes, Mag 3.cap.7
Pelles murium vulpiumque, ad arcendum frigus, an *Zibellini* & *Armelini* nostrates, Mag. 3. capit.7
Pelles in vsu pauperiorum, non etiam ditiorum, Mag 3.cap.7
Peleus prominētem ex vtre pedem soluere oraculo prohibitus, antequam domum reuerteretur. Mur.3.cap.14
Peliamne recoxerit Medea, Mur.6. cap 10
Pellibus canum, induti Romæ Lares. Mag.3 cap.7
Pellibus quibus tegerentur in obsidionibus hybernis milites, Mag. 3.cap.7
Pelliceatū vestium quis vsus, & quo tempore fuerit apud antiquos, Mag.3 cap.6
Pellis caprina, amiculum Iunonis, Mag.3.cap.7
Pelliti Scythæ, Germani, Sardi, Lybistæ, Aquilonates, Mag.3. capit.7
Pellium vsus in capitiis, pileis, galeis, Mag 3 cap.7
Πεύκη, picea; non trabs abiegna, Brod 6.misc.9
Pennæ purpureæ appensæ funiculis ad concludendas feras, Hart.3. Dec 8.§.21
[illegible] pro acuto, Frut.1.Ver.8
P[illegible]lam Mineruæ, quid ei interereetur. & a quibus, Hart.1.Decur.8
[illegible] quid. Mur.11.cap 11
[illegible]am & baculum ferebant philosophi Cynici, Brod.3 misc.22
Periboea, quomodo cum matre Polycaste concubuerit, Gyral.Dial. 18
Perducere, circa venerea, Pith.1 Sub.17
Peregrinantes vt domum redibant, præmittebant qui vxoribus nūciarent aduentum, Mur.12 cap.7
Peregrinatio sitne vtilis, Muret.17. cap.8 cur eam non permiserit, nisi quinquagenariis, Plato. ibid.
Peregrinationem lauda, sed ipse te domi contineto, Mur.17.cap.8
Peregrinorum cadauera, quomodo sepulta, Mag.2 cap.19
περιχείρειν πλουσίους, pro ludibrio habere, Gyral.Dial 11
περιρραντήρια templorū, quid, Brod. 1 misc 38
περιτρέφεσθαι, an non purpuram æque ac prætextam vertere liceat, Robor. Ann 2 cap.28 Sigon.lib. 1.Emend.cap 32
Periurium vindicatum animaduersionibus Censoriis, Pith. 1 Sub. 18
Perones in vsu ciuibus Romanis, Mag 3.cap.2
περπερεύεσθαι, ostentare se, Muret.14. cap.7
Persæ damnaturi aliquem, inquirebant in vitā præteritam si plures inuenirent laudes quam culpas, absoluebant &c. Mur.8.cap.25
Persici apparatus, qui. Ruf Ant.cap. 34 pag.393
Persicæ deliciæ Brod.5 misc.33
Pertinax, pertinax digitus, pertinacia, in bonam partem, Frut.1 Ver.10
πεζαίτεροι, qui. Brod 5. misc 34
Pescia, pelles, quænam, Mag.3.capit.7
Pessulus ad quo mares sumus, Mur. 12 cap.9
Pestis tempore Athenis immolabatur aliquis superorum placandorum caussa publice alitus. Hart. 2 Dec 8 § 21

P. iii

Pestilentiæ malum, quale & quantum. bruta etiam aufert. sed an omnia?Mag.4.cap.9. an semper? ibid.
Pestilentias quinam auctores describant,Mag 4.cap.9
Petalium,quid. Brod.6. misc.10
πετρόβολος balistæ, Brod.2.misc.30
Phalandum pro *calo* vsurpabãt Hetrusci,Mag 3.cap.13
φάρυγξ quid. Brod 5. misc.30
φαρμακον ... qua sit virtute, Brod.3.misc 32
φαρμακος quis. Hartung. 2. Dec. 9. §. 21
φαρμουθι, Ægyptiorum lingua Aprilis,Hart.Dec.1.cap.2
Phauorinus Eunuchus in adulterio deprehensus,Mur.10 cap 11
Phœbum Admeti amore raptum, bubulcum factum, Realin.Ann. cap 2
Pharum a Nilo non abesse diei cursu Brod.3 misc.4
φιμόω, obmutesco. Hart. 2 Dec. 7. § 18
φωσφόρος,quid,&c. Hart.Dec.1 c.6
Pherenice proBerenice,Brod.4.miscel.8
Pherecydes Babyus,an Babylonius, Hart.3.Dec.2.§.6
ψευδόμενος,Syllogismi species,Brod. 2.misc 4
Philoctetem ab Hercule sagittas accepisse,Brod.1.misc cap.5
Philosophica cur fabulis inuoluerint antiqui,Ruf. Aut c 18 p.182
φοινικίζειν, quid differat a λεσβιάζειν. Brod.2. misc.21
φοίνιξ palma,Mur.13. cap.12
φιλόπονος: laboris amans; non doloris,Mur 19 cap.4
φιλίων, comparatiuus irregularis, Hart.3.Dec.7.§ 9
φιλοψυχία morbus poetarũ. Mur.9. cap.2
Phrenes,an expertes rationis,Brod: 5.misc 14
Phrygia harmonia, vehemẽtissima omniũ, eius vsus in orgiis Bacchi & Berecynthiæ, Mur.14 cap 6
Phrygio tibicine audito furunt sacerdotes matris Deum, Brod. 5. misc.13
Phryxne & Phrygia immolari solitã Romæ, Brod.5 misc 10
φρυγίς,φρυγίσιον,φρυγίδες Brod. 5 misc.18
Phthisicos longa peregrinatione curari,Brod.6.misc.25
πικρίς,intubum Brod 5.misc.36
Pigrare,Mur.15 cap.1
Pilæ lusus cur lippis & crudis noxius,Mag.1.cap.11
Pilæ, hastæque iactum ex superiorẽ loco in inferiora certiores graues oresque, Mag 2.cap.16
Pilæ Puteolanæ. Brod.5 misc.25
πιλίδιον,quid. Brod.1. misc.12
Pindarus multatus a suis, ornatus ab Atheniensibus, Mur.4.cap 1
Pinnæ cum squilla societas, Mur 5. cap.10
Piraticam exercere,minus turpe veteribus,Brod 6.misc.31
Pisces paruulos a maioribus deuorari multorum scriptorum testimoniis confirmatum, Mur.2 capit 9
Pisces persusi garo & oleo. Mag 2. cap 9
Piscibus non vescuntur Syri, Mag.3. cap 1
Pithaules, vtricularius, Brod 2 miscel 13
πιτυλίζειν,quid. Brod.5 misc.26
Pitissare, sæpius potare. Frut.2. Verisim.15
Pix, circa supplicia, Brod. 2 miscel: 10
Pixidiculæ nauticæ extremum per-

pendiculum magnete temperatum, cur se semper conuertat ad polum, Brod.3. misc.29
Placentam lucrabatur qui in Symposiis vigilasset in aurorã. Hart. 1. Dec.8 §.31
Placet hoc tibi? Satin hoc tibi placet? Muret.15. cap.8
Planipedia comœdia, planipedes. Brod 2.misc.18
Platani in Syria atque Ægypto fructum ferunt, in Italia nõ, Brod. 4.misc.6
Platonis atque Aristotelis dissensio in comparatione bonorũ, Mur. 4.cap.18
Platonis librorum de Republ. initium sæpius ab ipso variatũ. Mur. 18.cap.8
Platycerotes, in ceruorumne an caprarum specie habendi, Brod 6. misc.21
Plauti ἀπειρία accusata Asinariæ Sc. 1. Mur.10.cap.5
Plautina carmina, etiam Poluta, nitorem retinere, Brod.3.misc 15
de Plauto aliud iudiciũ Ciceronis, aliud Horatii. Brod.6.misc.2
Plenus auferendi casu adiunctus. Mur.17.cap.3
Pleiades, poetę septẽ insignes, Brod. 5 misc.15
πλωίειν pro conuitiari, Brod.4.miscel.32
πλωιοὶ. πλωιὲς, Brod.4.misc 32
Plistianax, Lacedęmoniorum regulus, Hart.1 Dec.2.cap.
Plumbum nigrum & album, Brod. 6.misc.23
Plumbum Saturno attributũ. Brod. 6.misc.23
Podagra etiã equos infestat, Brod.3. misc.19
Podale, quid. Mag.3 cap.3
Pœni, pro fraudulentis & periuris, Mur. 9.cap 6
πνιγόμενος pro πνιγεῖ, Hart. Dec.8 cap.7
πωλεῖν, ἀπὸ τοῦ πώλων, Mur.10.cap.5
πολυκέφαλον νόμον inuenisse Palladẽ, Gyral. Dial 13
πολυδίψιον, quid, Hart.2.Dec.6.§.5
Polycarpe & Polycaste, ipsa Terra, Gyrald Dial 18
Polysigma in oratione vitandum, Brod 3.misc.14
Polypi sese mutuo vorant, Brod 3. misc 28
Polypo pedes non septem, sed octo, Brod 4.misc.8
Polyspastum, quid. Mag.2.cap 10
Pomœrii inuentor, Ianus. Mag.3. cap 13
Pomœrii nomẽ vnde, Mag.3.cap.13. quid & vbi fuerit, ibid.
πομπαῖον cur vocarint Mercurium, Mag 4.cap.11
Pondera mensuræque cur diuisa in partes duodecim, Mag.1.misc.capit.15
Pontis lignei in Rheno a Cæsaris cõstructio, declarata. Mag 4 c.10
Poesis nomorum quid, Sigon.lib.1. Emen.cap 72
Poetarũ Latinorũ omnia ornamẽta a Græcis, Mur.17.cap 2
Poetarum primorum carmina, nõ dirigenda ad normam, Brod.4. misc.17
Poetarum & Apum comparatio, Mur 8.cap 1
Porcelli cur a seruis edi soliti, Brod. 6.misc 1
Porcus, cur dictus Tibullo *bestia mystica*. Mur.3.cap.7
Porta Metia extra eã habitabat carnifex, & ibi cõburebantur cadauera damnatorũ, Mur.9 cap.13
Portus Menelai, Brod.3.misc.5
Posca, idem quod oxycratũ, Brod. 4 misc.11

Potores an non inebrientur si primis poculis pronũtiarint versum quendam Homeri, Brod. 6. misc. 20
Potum non delabi per asperam arteriam in stomachum, Mag 1. cap. 17
Potum per asperam arteriam illabi, Brod. 6. misc 4
προίξιμος, Ruf Ant cap. 72. pag 615
Prandia ac cœnas sportulis inferẽdi mos Brod. 6 misc. 17
Præconis ius, præfectorum, Pith. 1. Sub. 15. status eius pro tribunali & officium, ibid.
Prædicatio Vatum, Stat 1. Obs 8
Præfiscini, idem quod *μὴ ἀβασκάνως*, Mur. 9. cap. 3
Prælucere spem, Frut. 1. Ver. 10
Premere arborem, virgulta &c. Mag. 4. cap. 7
Præmiis perexiguis decorata olim apud Gallos egregia facta, & cur, Mur. 19. cap. 18
Prænomen post nomen familiæ sæpe ab antiquis proferri solitum, Robor. Ann. 1. cap 23 & 31
Prænomen cũ agnomine sæpe prolatum, cõtra quam alii dixerint, Sigo. lib 2. Emend cap. 5
Prænomina an vnquam pro gentilitiis vsurpata sint, Sigon. lib. 2. Emend. cap. 43
Prænomina nõnulla integra scribi solita, nõ singulis, binis ternisve solum literis, Robor. lib. 1 Anno. cap. 30. Sigo. lib. 2. Emen. cap. 27
Prænomina quãdo imponerentur, Robor. Ann. lib 1. cap. 18. & 25. Sigon. lib. 2. cap. 30
Prima fax, quid, & vnde dictũ, Brod. 4. misc. 33
Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta, prænomina ne mulierũ, an cognomina, Robor. Ann. li. 2. cap. 12
Primo & primum indifferenter dicitur, Mag. 3 cap 9
Promethæo Thessalo vomica gladio aperta, Brod. 1. misc. 23
Princeps optimus nõ semper optimus vir, & contra, Mur. 16. cap. 4
Principem lege solutum esse, quomodo intelligendum sit, Mur. 18. cap. 11
Pro cum est interiectio, an scribenda sine aspiratione, Stat. Obseru. cap. 22
Probus, *Litera I, cincta vndiq; vocalibus in simplici dictione initiũ est syllabæ.* Stat. Obser. cap. 21
Procedere, pro *in vtilitatem cedere*. Mag. 4. cap. 3
Proci, adolescentes ea ætate, vt de vxore ducenda cogitare possint, Mur. 17. cap. 18
Procyon astrum, non magis est canis, quam aliud animal, Brod. 6. misc. 28
Produxe, pro produxisse, Frut. 2. Verisim. 11
Producere. ꝑductus, de venalibus, & de iis dicitur qui operas scenæ locant, Pith. 2. Sub. 17. item de prostitutis, ibid.
Productores an perductores scortorum &c. Pith. 2. Sub 17
Proferre res, quid. Pith. 2. Sub. 20
Profiteri nomina sua necesse: qui negligentia aut dolo malo non fecisset, ii sibi aut ciuitatem aut libertatem abiudicasse videbantur, Mur. Obs. cap. 12
Proiectum, quid. Mag 4. cap. 7
Proilium pro *prælium*, Muret. 6. capit. 4
Promenervare, an monere, Frut. 1. Ver. 16
Promethea herba, Brod. 3. miscel. 32
Prometheus ꝓ Deo habitus, Brod.

1. misc 18 eius ara. ibid.

P omisse, pro *promisisse*, Frut.2 Verisim.11

Propempticon, quid. Gyrald. Dial. 21

Propius est fidem. propius fastidium, propius inopiam, propior inuidiam, propius periculum, Mur 19 cap 17

προσπλοι, naues quæ, Brod. 6. miscel. 26

Prosicium, quod prosecatum porricitur Frut 2 Ver.22

Protumæ, Brod.6.misc 26

Protrepticum carmen, quid, Gyral. Dial. 21

Prouerbia fere mutila proferri solita, Mur.10.cap. 4

Prouerbium Quintianum, Hart.3. Dec.6 § 5

Prouinciarum diuisio sub posterioribus Impp quotidie pene mutabilis, Pith.2.Sub.1

Prouinciarũ Notitiam, non esse Antonini Imp. sed alicuius posterioris, Pith 2 Sub.1

Proxime Pompeium sedebat, proxime Deos accessit, proximum hostes, Mur.19.cap. 7

Pruinæ nomen, vnde, Mag. 1. cap. 17

Pua, Indis scabies Neapolitana, Brod 6 misc 28

Pubertas æstimata olim, non ex annis modo, sed & corporis habitu. Mag. 1 misc.cap.2

Publicius malleolus, primus parricida qui culleo insutus, Mag. 4. cap. 8

Pudor etiam comitatur morientem in iis quæ post mortem, Mag 2. cap. 21

Pueri bis, senes; & temulenti, Brod. 5. misc 4

Puellæ orbæ necessario nubebant genere proximis, aut ab eis dotabantur quinque minis, Muret. 10.cap.8

Puerorũ lusus quibus maximi momenti negotia pignificata sunt, Mur.lib 13 cap 9

Puerperæ apud Tibarenos lectos cedebãt maritis suis, eosq; curabant. Hart.1 Dec.8 § 35

Pugna sine missione, quid. Mur 17. capit 19

Pulchra, statim conspecta, omnium sibi amorem conciliant, Mur. 4 cap 4

Pullus, pullopremo. Mag. 2.cap.4

Puluerem eruditum attingere, non attingere. Brod 1.misc.cap.1

Puluis tritus & imminutus cur iniectus mortuis, Muret. 10. capit. 19

Puluerem in aliquem abstergere, extremi ludibrii, Muret. 2 cap. 20

Puniendis in delictis, qualem se gerere debeat princeps, Muret.16. cap.4

Pupilla gemina præditi, visus noxii, Brod.1.misc.37

Purpura apud Phœnices pretiosissima, Brod.6.misc.24

Purpura aliud a *cocco*, Brod. 1. misc. cap. 8. & quid sit *purpura*, ibid.

Purpura pro veste prætextata. Sigo. lib.1 Emend.cap.32

Purpureus color, diuersus a *phœniceo*, Brod lib.1. misc.cap.8

Puticulæ, quorum funeribus inseruirent, Mag 2.cap.19

Psephismata in Græcia fiebant sublata in altum manu, Mur 10. capit. 9

Psephodectæ, Brod.6 misc.30

Psylli, quomodo explorent liberos genitos, Mur.2.cap 2

πυῤῥίχην quis inuenerit, Brod 5.miscel.26

Pytha-

Pythagorę Palingenesia, Brod.1.miscel 6
Pythagorici quæ nomina numeris imponere soliti. Brod.5. miscel. 16
Pythagoricum iuramētum quaternarius, Brod.2.misc 6
Pythei cognatorum erga Pindarum illiberalitas, Brod.1.misc.29

Q

Quadratatia Clytemnestra, cur dicta, Brod 5.misc.24
Quadratū corpus quid. Quadrata figura quæ, Brod 4 misc 19
Quadrigæ vectigales, Sigo.lib.2. Emen. cap 68
Quandoque. Mur.11. cap.1
Quā ferus, pro insigniter fero, Frut. 2.Ver 19
Quam potius, pro *potissimum*, Frut. 2.Ver 19
Quamuis, pro *licet*, Frut 2 Ver.19
Q. N. T. S. Q. P. Quando negas te sacramēto quinquagenario prouoco, Pith 1 Sub 18
Quarta, an prænomen, *Hostilis*, Robor. Ann cap.17 lib.1
Quartana febri curatum, constantius postea valere, Realin. Anno. cap.6
in Quæstione status libri censuales & professiones plus obtinebant auctoritatis quam testes, Muret. Obs.cap.12
Quęstores parricidii, Frut. Ver 1.capit 1
Quid me fiet? Frut.1.Ver.16
Quinqueuiri de exilio tabellā dantes, quid Pith.2.Sub.19
Quinta, an prænomen *Claudia*, Robor. Annot cap.17.lib.1. Sigon.1. Emend. cap.8
Q. Claudiam, Appii Cæci filiā non fuisse, vt volebat Robortellus, Sigon.lib.1. Emend. cap.8
Q. Fabius an adoptarit filium maiorem Pauli Æmilii. Bendin loc.1
Quintus, *Sextus*, *Decimus*, in viris, non sunt prænomina sed cognomina, Robor. Ann. lib.2. cap.10. secus est de *Quinta*, *Sexta*, *Decima*, in fœminis, ibid.
Quot Kalendis. quotannis, quotmensibus, Brod 2.misc.15

R

Ῥαβδωνεῖς futura raro ad summū vsq; malum procedit, Brod. 6.misc.14
Rabirii Postumi pater, nō Curtius, sed Curius, Muret 17.cap 5
Receptitius seruus, quid, Frut.2.Verisim. 7
Radians, pro *Sole*, Mur.11.cap 9
Rha ponticum, aliud a Rhabarbaro Brod.4 misc 8
Ramus aureus, figurate quid, Hart. 2.Dec 6 § 6
Ranarum rhetorica, prognosticum pluuiæ, Muret.1.cap 20
Rapere, pro stuprare. Gyrald. Dial. 19
Redit hereditas, etiam quæ tum primum defertur, Muret.17.cap. 14
Reduuia, quid. Pith 1. Sub.19
Reges commendari a forma, imperio digna, Realin. Annot. cap. 14
Reges sacrificabāt antequam irent ad bellum, Hart.2.Dec.8 §.9
Reges quot annis Romæ regnarint. & an conueniat Liuio cum Halicarnassæo ac marmoribus Romanis, Robortell Supput. cap.1. & seqq. Sigon. Emend. lib.1. capit.1
Reginis Persarū regiones oppidaq; attributa, in strophium, in annulum, in cingulum, in sandalia, Muret 15.cap.10

Regum manus longæ, quomodo. Brod.4.misc 3
Rhetæ sacerdotes, Brod.3.misc.23
Rheni & Rhodani fontes non plus sex horarum itinere inter se distant, Brod.6 misc.16
Rhenonibus integebantur Lybissę, & Helotæ Spartanorum, Mag.3. cap.7
Rhodanum Græci aliquando reddunt ἠερίδανον. Brod.4. misc.8
Rhombus magicus, Hart. 3. Dec.2. § 10
Rei, impediri ne profiterentur petitionem magistratus, Sigon.lib.1. Emend. cap 41
Reta, pro plaustro, Fruter.1. Ver. 16
Relaxationes vtiles esse, Realin.Annot.cap 3
Relegatio, quāto mitior pœna exilio, Muret.Obs.cap.2
Rem gerere, pro *cum hostibus confligere*, Mur.9. cap.7
Remigibus ad bellicam classem vsi veteres etiam compeditis, nō solum voluntariis, Brod.2 misc 30
Remigrare ad argumentum, Mur.17. cap.14
Remo affigi, ad remum dari, Brod. 2.misc 30
Reo defuncto solutaque pœna quæ ad heredes non pertinet, quis de re pecuniaria iudex cognoscere debeat, Muret. Obseru. capit.1
Repudiatis coniugibus, dos restituta, Hart.1. Dec.8.§.10
Repudiorum caussæ apud quem magistratū diiudicarentur. Mag. 2 cap.15
Rerum prolatio, tempore feriarū. Pith.2 Sub.20
Res tuas tibi habeto: formula qua vtebantur in diuortio, Mag.2 c.15
Res prolatæ. cum lites & fori negotia cessant. *Res redeunt*, cum cursus agitur, Pith.2. Sub.20
Res voluptatum. τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν. Mur.6. cap 9
Rescribere, reddere, per mensæ scripturam dare, Pith 1.Sub 13
Resecrare, quid. Pith.1.Sub.10
ῥηΐδιοι γοναὶ: mali & illegitimi partus, non faciles, Brod. 2. miscel. 28
Resicari, Fruter.2 cap.22
ῥῆσις, Mur.14.cap.8
Restare, pro *resistere*, Frut. 2. Verisi. 18
ῥήτορες, male olim audiisse, vt & δημαγωγοὺς, Brod.1.misc.cap.7
Ricinum, vestis genus quale, Mag.3. cap.14
Rigidus Deus. *Rigor iuris*. *Rigores in agris*, vnde deriuentur, Frut. 2. Ver.21
ῥίον ὀλύμποιο, celi vertex, Ruf. Ant. cap.9. p.577
Riphæos montes, non reperiri sub polo arctico, Brod.3. misc.19
Robur, in carcere, Brod. 2. miscel. 10
Roma cur orbis compendiū dicta, Mur.17 cap.12
Roma cur communis patria dicta, Mag.4.cap.5
Roma totius habitatæ terræ compendium, Mag.4.cap.5
Roma τῆς οἰκουμένης ἐπιτομή. Pith.2. Sub.18
Romani populi omne ius atque omnis potestas, regia lege migrauit in Imperatores, Mag. 4. capit.6
Romanis, vbi de suis rebus scribūt, magis credendum, quam Gręcis. Mag.2.cap.15
Romæ a Romulo ædificatæ forma, Mag.3.cap.13

Romu-

Romulus & Remus vno ne vsi an duobus nominibus, Sig.lib. 2. Emend.c.6
Rosæ vius circa sepulcra, Mag.2.capit.17
Rostratæ naues. Brod 4.misc.13
Rota, hauriendæ aquæ instrumentum, Pith. 2. Sub. 16. item eculei genus, ib.
Rotam supplicium Germanis vsitatum, diuersum ab eo quod τροχὸν Græci vocant, Brod.2.misc.10
Rotæ aquariæ vsus etiam in suppliciis, Pith.2.Sub.16
Rustaria fascula, quæ. Fruter.2. Verisi. cap.21
Rustici non excitantur tubæ sono, vt milites, Mur.16 c.18
Rusticorum in stratis, pelles, Mag.3. cap.7
Ruber color alius a *ruso*, Brod. libr.1. misc.c. 8

S

SAbbatariorum ieiunia, Brod. 6. misc.29
Saberis populis cor densis vestitum pilis, Mur.12.c.10
Saccharum non tam inueniri concretione salis simili in arundinibus, quam exprimi, Brod. 4.misc. 22
Saccharum quid. vnde fiat, an Galeno incognitum, Brod. misc.4.capit.22
Sacella, non euertebant veteres, Br. 5.misc.29
Sacer, pro execrabilis, Fruter.2. Verisi.4
Sacerdotes hodie cur vertice raso, Hart.2. Dec.7.§ 17
Sacerdotes hodierni, cur coronam habeant in capite, Gyral. Dial. 11. pag.417
Sacerdotes non admittebãtur mutili aut deformes, Mag.4.c.4
Sacerdotum manus osculis excipi solitæ, Mur.lib.13.c.9
Sacra Diis facientes, caput antiquitus regebant, Brod 5.misc.8
Sacramento amissa pecunia, expendebatur in rebus diuinis sacrisq; Pith.1.Sub.18
Sacramento contendere quid, Pith. 1. Sub. 18. Sacramento rogare, ibid.
Sacramentum dependebatur & deponebatur apud Põtificem, Pith. ibid. fiebat etiam aliquando in caussis criminalibus, ibid.
Sacramentum, pecunia quæ in iudicium venit in litibus, Pit.1.Sub. 17
Sacrificia fiebant a Regibus antequam proficiscerẽtur in bellum, Hart. 2.Dec.8 § 9
Sacrificiis simulata pro veris accipi solebant, Pith.2.Sub.8
Sacrum pro populi salute in domo consulis, fiebat quotannis, Mur. 19.cap.11
Sæculum, γενεὰ, Mur.10.c.8
Samæna, captiuis Samiis inusta ab Atheniensibus, Brod. 4. misc. 24
Sagmen, herba quæ, Mag.4.c.8. ἱερὰ βοτάνη dicta, ibi.
Σαμβύκη, quid, Brod.4.misc.30. σαμβυκήστριαι, ib.
Samothracum numina, Har.3.Dec. 8.§.3
Sal, sales, pro Venere & gratia, Brod. 6 misc.12
Salamandram vri, Brod. 3.misc.3
Salamuria Anglarensium, vetus *garum*, Mag.2 c.9
Salis vsus Troiano seculo multis incognitus, Brod.6.misc.3
Saliteres, qui & quales, Mur 9.c.6
Salmoneus imitator fulminis, Mag. lib.1. misc.c.1

Salpista, non *Salpincta*, dicendum, Brod.2.misc 13
Sallamentarii, qui Brod. 6. misc. 8
Saltare, hilaritatis profusæ. Mur.19. cap 9
Saltatorius orbis, quid, Brod.5. mis. 26
Sandaraca diuersum a Sandyce, Br. 5. misc 1
Sandyx quid. Brod.5.misc.1
Sanguineæ frutices, virgæ. Mag. 4. cap.8
Sanguinis missio, cur inter ignominias militares, Mur 13.c.20
Sanguis in homine occiso refrixus, si adest interfector, iterũ manat, & quare, Mag 3.c.5
Sappho cur libidinosa, Muret. 8.capit. 21
Sapientiæ condimentum ętas, quomodo, Mur.15.c.13
Sarissa, eadem cum *picqua* Italorum Gallorumque Brod.3.misc. 16
Saturnus, cur Tartaro inclusus fingatur Ruf Ant.c.51.p.598
Scamillum, diminutiuũ a Scamno, Brod 1 mis 17
σκαφίον, num *ligo* Brod. 6.misc 16
Scarabæi cur futuri *folles pullaria* post obitum, si iuxta Pythagoræ παλιγγενεσίαν ad vitam redeant, Brod lib.1.mis c.6
Sceptrorum summitas insignita auibus, Hart.1.Dec. 8.§ 30
Scipio Africanus maior, quomodo υἱωνὸς L. Æmilii Pauli Bendin. Loc.2
Scipio vtebatur consilio Lælii in tãtũ, vt ille *actor* diceretur hic *poeta* Mur 11.c.11
Scirpus sine nodo, Brod 2. misc. 25. Claud.in Ruff.lib. . *Non quateret machina muros*, Brod.2.mis.25
Scorta etiam sexus melioris, Mag. 2. cap 3
Scoti sua natura inediæ famisq; tolerantissimi, Gyr. Dial 17
Scribæ librarii si quando vetustioris codicis scripturam satis certo ac liquido perspicere non poterant, aut si quando aliud in exemplaribus scriptum reperiebant, vtrũq; describebant, lectorum iudicio permittentes, vtrum verius videretur, Mur 15.c 16
Scribilita, *scriblita* Mur.17.c.14
Scriptores non semper eius gentis lingua in scribẽdo vsi, in qua nati sunt, Mur 15.c.18
Scriptores veteres non recentes, publice explicandos & sequendos, Mur.18.c.20
Scriptura cõmissa chartæ fenestratæ indagari nequit, Br.4 mis.9
Scriptura per notas, qualis, Brod.4. misc 9
Scrophæ, catulos suos deuorant, Brod.3.mis.28
Sculna, pro sequestre & arbitro, Pit. 1.Sub.18
Sculpere, sculptura, quid, Brod. 6. mis 30
Sculponeæ, calcei rusticorum, Frut. 1 Veri.11
Scythia non fere vinum, Brod. 2. mis. 16
Σκυζᾶν, catullire, Brod 5.mis.22
Secespita forma expressa, Sig lib. 2. Emen.cap.34
Secretarius idem cum Cancellario, Pith. 2.Sub.12
Secretum, in quo iudices caussas examinant. Secretarium, Pit.2 Sub. 12 Secretarium Senatus, ib.
Sedibus pelles iniectę, item tapetes, Mag.3 c.7
Sedum, quid, Frut 2.Ver.c.19
Σεισάχθεια Solonis Mag.1.c.8
Semen genitale an pmanet, magna sui parte e cerebro, Brod.4.mis 21

σεισά-

σπμα, quid, Mur. 8. cap 17
Seminum adultorum depastio qua ratione prohibeatur a diris animalibus Frut 2. Ver 19
Semiramis quo actu ad regnũ peruenerit, Mur 6. c. 7
Semiuiri, Matris Deum sacerdotes, Brod. 5. misc. 13
Senatores cur patres & patricii dicti, Sig lib 1 Em. c. 50
Senes, bis pueri, Brod. 5. misc. 4
Senex Acheronticus, quid. Plaut. Br. 3 misc. 27
Sententiæ non numerandæ sed põderandæ, Mur. 16 c 5
Sepeliri & Humari, quid. differant, Mag. 3. c. 10
in Septétrione cur homines immanibus corporibus, Mag 1 c. 5
Septo trãsuerso sauciato hominem necessario mori, Brod. 5. misc. 14
Septum transuersum, an expers rationis, Brod. 5 misc. 14
Sepulcra an colant & circumerrent vmbræ hominum defunctorum, Mag 4 c. 12
Sepulcra antiquitus sertis teniis laneis colorisiis adornata, Mag 2. cap. 17
Sepulcra circum, vagari animas pollutas, Brod 5 misc. 11
Sepulcra non euertebant veteres, Brod. 5 misc. 29
Sepulcra non solo apio coronata. vt visum Bap. Pio sed promiscue omni florum genere, Mag 2. c 17
Sepulcra religiosa Romanis, secus quam putat Sigonius, Rob Ann. lib 2 c. 38
Sepulcra, tãquam mali ominis, declinabantur, Br. 4. misc. 1
Sepulti Pythagorici, in foliis myrti, oleæ & populi nigræ, Mag 2. c. 18
Sepulturæ cura, maxima morientibus, Mag. 2. c. 21
Sepulturæ militum in castris, Mag 2 misc. 19
Sepulturæ species, iniicere puluerẽ, Mag 2. misc. c. 19
Sepulturæ summa religio antiquis quare, Mag. 2. misc. c. 19
Sepulturæ pauperũ militum, quomodo curatæ, Mag. 2. c. 19
Sequius, pro *secus*, Mur 16. c 19
Serenitatem non excludit frigus, Mag. lib. 2 misc. c. 1
Seres an bombyces habeant, qui sericum generent, Bro. 2. misc. 22
Sericæ vestes a Cois vestibus diuersę Brod 2 misc. 22
Sermones ii conîectandi, qui in animis languentibus excitant scientiæ cupiditatem, Mur. 12. c. 18
Serpens ne vna tantũ an plures insutæ cum paricidis. Mag. 4. c. 8
Serpentibus infesti cancri, Brod. 6. misc. 28
Serpentes esse in Creta, Br. 3. misc. 11
Serpentes quidam, membranaceis pinnis alarum instar vtentes, Br. 3. misc. 1
Serpentis occursus, ominis sinistri, Mur 9. cap. 4
Serta sertæ, fem. gen. Frut. 2 Ver. 10
Serui, antiquitus filiorum familias plerũq; & comites & inspectores vitæ totius ac morũ, Fru. 2. Ver. 11
Serui, cœnantib. ad pedes, Mu. 16. c. 6
Serui in bellum cur missi cum quæstoribus ac Ducibus Atheniensium, Hart. 3. Dec. 8 §. 1
Serui ostiarii, catenati, Muret. 16. cap. 10
Serui, qui in nostro dominio, cur *corpora* a Græcis appellentur, Mag. 1 c. 12
Serui quidam natura, quidam liberi, Mur. 15 c. 12
Serui vincti compediti, a libertatę iusta remoti, Pith. 2. Sub. 9

Seruitutis veræ caussa an in natura posita sit, Mur.15.c.12

Seruorum deméſum quaternis cõſtabat in menſem frumenti modiis, Brod 2.miſc.15

Seruorũ facies inuſtis notis ſignari ſolitæ, Brod.4.miſ. 24

Seruorum gradus tres, qui, Pith. 2. Sub.9

Seruorum pedes gypſati, Brod. 1. miſc.17

Seruorum quanta Athenis inſolentia, Brod.3.miſc.20

Seruum nec relegari nec deportari, Mur.Obſ.c.2

Seſamum, inter bellaria, Muret.17. cap.15

Setanium aut *Setania*, meſpili genus, Mur.9.c.13

Seueri vallum in Britannia, forma cluſuræ, Pith.1.Sub 14

Seueritas in eo Principe reprehendẽda, qui alia facit, alia iubet: nõ qui eadem facit quæ iubet, Mur. 16 c.4

Sexageſimus tertius annus cur hominibus periculoſus, Bro. 6. miſ. 26

Sextia gens alia a Seſtia, Sig.lib. 1. Emend.c.18.p.193

Sextus, item *Seſtertium*, locus ſupplicii, Mag.4.c 16

Σιβυλλιᾶν, pro more ſenum delirare, Brod.1.miſc.35

Sibyllinum ænigma de Dei nomine complectente numerum 1711. Hart Dec.1.c.6

Sicari. Fruter.lib.2.Ver.c.22

Sicelices. *Sicilire prata*, Fruter.2. Verif.22

Siculæ menſæ, pro opiparis, Brod.5. miſc.33

Siculorum ſermo permiſtus e vocibus Græcis Latiniſque, Muret. 1. cap 3

Sidera paſci humore terræ & aquarum opinione veterum, Brod. 2. miſc 17

Siene ſub Cancri tropico, Brod. 5. miſc.17

Si forte, εἰ τύχοι, Mur.16.c.9

Sigillaria, dies Sigillariorum, Brod. 3.miſc.12. item vicus Romæ, ibidem

Sigillaria, non eadem cum *teſſeris* in theatro ſpargi ſolitis, Bro.3.miſc. 12

Sigma, menſa ad effigiem illius literæ Græcæ, Brod 3.miſc.14

Signorum in bello vocalium, magnam eſſe vim, itineris, tædii laboriſque fallendi, item excitandi ad pugnam, Mag.4.c.13

Silani, tubi aquarum. Gyrald.Dial. 18

Silatum, pro ientaculo, Muret. 4. cap.12

Silua, dictio trium ſyllabarum, Bro. 2.miſc.19

Simia, cauda caret, Brod.5. miſc 24

Simia, inter Deos Ægyptios, Pith.1. Sub.10

Simulacra non fieri ex omnibus lignis, Brod.4.miſc.6

Simulacra Deorum minio pingi ſolita, Brod.3.miſc.13

Simus & *Simo* an fuerint inter cognomina, Robort.pag.21.Sig.lib. 1.Emen.c.2.p.140.& ſeqq.

Σινδὼν, Hart.2.Dec.c.2 § 28

Sinis, qui arbores curuare poterat, Hart.2.Dec.1 § 24

Sinties, vnde dicti, Hart. 2. Dec.7. § 16

in Sinum ſpuebatur contra faſcinũ, Hart.1.Dec.8.§.32

Siremps, Fruter.2. Veriſim.capit 3. *Siremps lex eſto*, ſolennia in legib. verba, ib.

Σιωύης

Σιcίνις, quæ species tonsuræ, Gyrald. Dial.cap.11.p.417
Si sciens fallo, veteri iurisiurando, quid sibi velit, Mur.8 c.14
Siticines & liciniistæ ad funus, Br. 4.misc.30
Siticines quem sonum incinere solebant, Mag 1.c.13
Sitire, pro vehementer cupere, Bro. 6.misc 17
Σιθμίτρειον, quid, Brod. 2.misc.15
S. V. B. Si vales benest. Muret.14.capit. 8
Smynderidis luxuria, Brod. 5.misc. 13
Socci, calceamenta Comœdorum, Brod.2.misc 18
Socrates cognominatus φροντιστής, Brod.5.misc.18
Socrates, fere fuit Christianus, Mur. 10.c.17
Socrates nudis fere pedibus, Brod.5 misc 18
Solla Gallorum, Tonga Belgarum an Lingulaca, Frut.1. Ver.11
Solenne aliquando substantiuum, Rob.p.26
Soli somnia si narrabantur, auerti mala putabant, Hart. 2. Dec. 8. §.6
Solitaurilia Romanorum, Brod. 6. misc.32
Solum, pro sepulcro, Mag. 2. capit. 18
Solo & Solon Pith.2.Sub.13.
Solon cur parricidio pœnam nullā posuisset, Mag.4 c.8
Soluendo non sum, datiui ne an ablatiui casus, Mag. 2.misc.7
Sorodæmones formidati veteribus Brod.4.misc.1
Sororum & fratrum nuptiæ licitæ ne Atheniensibus Muret.15.cap. 5
Sorores vxores ducere quatenus Atheniensibus licitum, Muret. 7. cap.1
Sortes ex calculis humidis tardius exibant ex vrna, citius sicci, Brod. 3 misc.26
Sortes quæ in vrnā coniiciebantur ex humo ficti globuli, aut calculi, nota quadam discriminati, Brod.3 misc 26
Sortibus quomodo olim vaticinarentur, Hart.3.Dec.8 § 4
Sophianarum mulierum circumcisio, Brod.5.misc.3
σπάνις, qui, Hart.2.Dec.7.§.6
σπόγγον, quid, Mag.2.c.8
σπαχῆον, Ruf. Ant.c.7.p.576
Spadones, quę species eunuchorum Brod 4 misc.21
Spadones cur adoptare posse voluerit Iustinianus, Mag.2.c.5
σπάω, quid, Mag.2 c.10
Spartam nulla alia re nisi auaritia perituram, oraculo editum, Bro. 2 misc.12
Spartanica herba esa Scythæ duodecim dierum tolerare inediam, Gyr.Dial 17
Spectra, an sint, Mag 4.c.12
Spectra an sint, & quatenus, Gyral. Dial.24
Spei & Metus naturalis quædam coniunctio, Mur.12.c 6
Spernere a se, Frut.1.Ver.4
σφιγκτὴρ, quid, Mag.2.c.4
Σφυρά, Brod.6.misc 14
σπινθὴρ, Mag.2 cap.4
Spiritum per asperam arteriam illabi, Brod 6 misc.4
Spinthria, vnde dicti, Mag.2.c.4
Spinturnicium, Pith.1.Sub.10
Sportulæ distributæ cum obsonio plebi lætitiæ gratia, Mag. 2. cap.2
Sportulis cœnas & prandia inferendi mos, Brod 6.misf.17

Sponsa noua domo egrediens, limen transiliebat, Brod. 3. misc. 27
Sponsa, Sponsi proximis vestes dabat tempore nuptiarum, Hart. 1. Dec. 8 § 7
Sponsi matres in nuptiis tædas præferebant ardentes, Har. 1. Dec. 8. § 9
Sponsione prouocare aduersarium, quid, eius formula, Pith. 1. Sub. 18
Sponsis substratæ pelles, Mag. 3. cap. 7
Spurii ac noti, an caruerint nomine gentis ac familiæ suæ, Robort. Annot. 1. capit. 20 Sigon. lib. 2. Emend c. 7
Spurius, inter prænomina Romanorum, minime ignominiosa, Rob. An. 1. c. 20
Squillæ cum pinna societas, Mur. 5. cap. 10
στρατηγοὺς Græcis accipi pro Prætoribus, Ruff. Anton. capit. 48. pag. 597
Stacta quid. στακτὴ, Brod. 5. misc. 7
σταγὼν, quid, Hart. Dec. 1. capit 6
Stancare sanguinem, Pith. 1. Sub. 19
σταυρωτὴρ, quid, Mag. 3. capite 2
σταυρωτὴρ, quid, Mag. 3. capite 2
Staphæ, seu stapedæ nostrates, veteribus incognitæ, Brod. 4. misc. 16
Stapiis, an vsi antiqui, Mag. 2. capit. 14
στέατοι, Saperdis oppositi, Fruter. 2 Ver. 4
Stator, Mur. 15. c. 8
Statura commoda quæ, Brod. 4 misc 19 statura iustam excedens quæ, ibid.
Stephani errata in citandis auctoribus, Hart. Dec. 1 c. 5
Stellæ, an cœlo labantur, Brod. 1. misc. 30
Stercutio, vnde nomen, Brod. 6. misc 13
Στιγματίαι, serui qui, Brod. 4. misc. 24
Stigmatis compungi seruile. Brod. 4 misc. 24
Stipitem adigere per medium hominem, supplicium Turcis familiare, Brod. 2. miscellan. 9
Stomoma, qua arte efficiatur, Mag. 2. cap. 8
Straboni contradicitur, arbitranti Vlyssem nauigasse in Oceano, Brod 3 misc. 4
Strategemata in bello, doli boni, Mur. 18 cap 4
Strophium, fascia pectoralis, Brod. 4. misc. 11
Subsellia in theatris quædam, quæ ab ipsis histrionibus locabantur, Muret. 17. capite 14
Subligaculum, quando in vsu, Mag. 3. cap 3
Subsicuerunt, Fruter. lib. 2. Verisim. cap. 22
Substantiua duo a Græcis coniuncta quid velint, Hart. 3. Dec. 6. §. 4
Suburæ habitatores non bonæ notæ, Muret. 19. capite 3
Sues castrandi ratio, Brod 5. misc 3
Suetonius Paulinus pater Suetonii Tranquilli Cæsarum Vita histo-

historici, Muret. 15. capite 11
Sueton. *congestisque pilis superpositis altissimam turrim*, Brod. 5. misc.25
Sueton. Othone capit. 10. *pater meus Suetonius lenis*, Muret. 15. cap. 11
Suibus alienas segetes depascentibus, dentes truncati a possessoribus fundi apud Cyprios, Hart. 3 Dec. 8 § 5
Sulphur. lustrationibus adhibitum Brod 1 misc. 25
Sumse, pro *Sumsisse*, Fruter. 2. Verisim. 11
Suo vetaurilia, Brod. 6. miscell. 32
Supercilium cum saliret prosperi aliquid portendi credebant, Muret 9. c. 9
Supplicandi ritus triplex, & quinam Hart 1. Decur. 8 § 5
Supplicaturis in manu corolla ex oliua vel lauro, Hartung. 1. Decur 8
Surdi, animalculi apud Cenomanos, mira natura, Brod. 4 misc. 31
Suri ὑποκοριστικῶς, Surculi, Fruter. 2. Ver. 21
Sus portæ Hierosolymitanæ incisa ab Hadriano Imp. Pith. 2. Sub. 3
σύσινον, liquor e lilio expressus, Muret. 19. cap 5
Susinum vnguentum, quale, Brod. 2. misc cap. 2
Συκίνος, quid, Brod. 3. misc. 21
Σύμβαμα & Παρασύμβαμα, quid Luciano, Brod. 1. misc. 51
σύμψαλμα, quid, Muret. 17. capit. 2
συνῶσαι, quid, Muret. 6. capite 7
συνωσιᾶν, pro συνῶσαι, Muret. 6. capit. 7
συνοικεῖν, Muret. 14. capite 8
Synthesis, quid, Brod. 6. misc. 7
Syracusanæ mensæ pro opiparis, Brod 5 misc. 33
Syri piscibus abstinent, Mag. 3. capit. 1
σύριγξ, fistula, Stat. 1. Obseru. 6
Syricum & sandyx idem, Brod. 5. misc. 1

T

Tabularum duodecim lex quando composita, Mag. 3. capit 10
Tabulas rerum familiarium, non conficere, hominis dissolutissimi, Sigon. libr. 1. Emendat. capit. 26
Tabulis æreis incidebantur, leges, fœdera, resque aliæ alicuius momenti, Brod. 4. misc. 12
Tabulis ne eburneis leges decemuirales in publico propositæ, an æreis, Brod. 4. misc. 12
Tædæ, circa supplicium, Brod. 2. misc. 10
Tæniis donabantur Olympionicæ, & re bene gesta Imperatores. Muret. 15. capite 7
Tæniis redimitæ vrnæ defunctorũ, Mag 2. cap. 17
Tamenetsi, pro *tametsi*, Muret. 11. cap. 17

Tannonius Pudens, Pith. 2 Sub. 11
Ταῦρος mederi mulieribus sterilibus Mur. 12. cap. 9
Tantalus felicitatem suam concoquere nequiit, Mur 5 c 15
Talus, an tigigas, Hart. 2. Dec. 8. §. 4.
Tapetes iniectæ sedibus, Mag 3. capit 7
Tarantolæ morsus Romæ innoxius in Apulia lethalis est, Muret. 14. cap. 6
Tarentula, musicæ auscultat, &c. Brod 4. misc. 31
Ταριχοπώλαι, Ταριχέμποροι, Brod. 6. misc. 8
Τάριχος, Brod. 5 misc. 30
Τάριχος, quid, Hart. 3. Dec 7 §. 18
Tarquitii libri de Hetrusca disciplina, Pith 1. Sub. 20
Tartarus ne aquarum omniũ Principium, Mag. 3. c. 15
Tauliantii, Brod. 4. misc. 23
Taureæ an genus vinculorum, Bro. 2. misc. 10
Taurus mõs magna ex parte aruus, Muret. 14. c. 11
Taurus nusquam Ioui immolatus apud Homerum, sed Bos, Brod 6 misc 32
Tegula colliciæ, an *Colliquiæ*, quid, Mur. 3. cap. 8
Tegulæ deliciares, tectum deliciatum, quid, Mag 3. c. 8
Teius, pro Anacreonte, Pith. 2. Sub. 11
Tela cur texenda in coitu lunæ, Br. 4. misc. 27
Telum si manu fugit, Mur 18 c 19
Telluris operta, Mur. 14 c. 2
Temese, Italica, Cypria, Brod. 1 misc. 14
Templa ingredientes lustrali aqua respersos & apud Ethnicos, Mag. 4. cap. 10
Templa non omnia sancta fuisse, Rob. Ann. lib 2. c 38
Tempestatis elegans descriptio e Varronis Marcipore, Muret. 4. cap 6
Templis committebãtur pecuniæ, Brod. 4. misc. 17
Tempus, quomodo & ἀμαθύνειν, & στρέφειν πάντα, Rut. Ant. 2. 4. p. 586
Temulenti, bis pueri, Brod. 5. misc 4
Τένοντες, nerui collum continentes, Brod. 6. misc. 14
Tennum amat nouerca Phylonome: spreta calumniatur. Muret 1. cap. 12
Tentoria Ducum olim pellicea, Hart. 3. Dec. 8. §. 17
Θεοφόρος, quid, Hart. Dec 1 c. 6
Ter inuocabantur amissi, Hart. 3. Dec. 8 §. 24
Ter quaterque beati, felices, Brod. 2 misc. 1
Terra, cur *Mater*, *lapides* autem *ossa* illius dicta Ouidio, Muret. 10. cap 2
Terra excipiebantur recens nati, Brod 4 misc. 3
Terræ tot odores, quot sapores vbique gentium, Brod. 4 misc 5
Terentii Comici, dies natalis & emortualis, Brod Loco 26
Tergore bouis sedebant Schytæ læsi, expertesque vindictæ, Hart. 3. Dec. 8 §. 23
Termino Deo dicati termini lapides, Mag. 4 c 7
Terrori incutiendo apta breuitas & obscuritas, Mur 5 c 17
Θηριομαχεῖ, arcuatii, Brod. 4 misc. 16
Θηρεὺς proprie de Leone, Mur 17 c 1
Τέρμα καὶ χαῦος, tam nos fabula sumus, Mur. 18 c. 18

Tertia

Tertia, an prænomen *Iunia*, Robor. Ann 1 cap. 17
Tertio & *tertium* indifferenter dici, Mag. 3. cap. 9
Tertiumne consul, an tertio dici oporteat, Mag 3. cap. 9
Tessera amicitiæ, hospitii, familiaritatis. Hart. 1 Dec. 8 §. 39
Tesseræ, in theatris spargi solitæ ab Impp. tempore ludorum, Brod. 3. misc. 12
Testes allipati, Pith. 2. Sub. 9
Testium ablatione non simul etiam mulierū amores auferri, Bro. 4. misc. 21
Τετραχωρ@ ἀνὴρ, Brod. miscell. 4. cap. 19
Thales Milesius quod premium poposcerit doctrinæ suæ communicatæ cum Prienense quodam, Mur. 12. cap. 12
Thamyris insanit, Hart. Decur. 1. c. 2
Thamyrisne an Orpheus auctor amoris in mares, Ruf. Ant. cap. 32. p. 593
Theatri Orchestra, qui locus. quatuordecim qui locus, Pi. 2. Sub. 17
Themistocles & Coriolanus, an sibi mortem consciuerint, Brod. 1. misc. 23
Theoctines, quis Demostheni. Bro. 5 misc. 21
Theon sub Iuliano in Gallia illustris, Pith 1. Sub 13
Theræ insula, quando enata, Brod. 5 misc. 35
Theriaca, an bibi queat, Muret. 4. cap. 14
Theriacam olim bibi solitam, verum non videri, Mur. 4 cap. 14
Thessali aliquando deliciis dediti, Brod. 5. misc. 33
Theseus cur anteriores capitis crines raserit, Brod. 3 misc. 8
Thesis quid. Mure. 18. cap. 12
Theta pro veruto adscriptum his quæ non probarentur, Pith. 2. Sub. 3
Thetica & paradoxa, an eadem sint, Muret 18. cap. 12
Thia insula quando enata. Brod 5. misc 35
Thlasiæ, Thladiæ, eunuchorum species, Brod 4. misc. 21
Tholi, cellæ figura qua, Stat. 1. obs. 4
Thræciæ notæ, Fruc 1. Ver. 10. Thræciæ parmæ, Thræcidicæ, ibid.
Thlibiæ, Eunuchorum species, Br. 4. misc. 21
Thura mascula, cur potissimum adolenda, Brod. 1. misc. 34
Thura tribus digitis foco iniecta, Brod 5. misc. 8
Thure litandi mos, Brod. 5. misc. 8
Thynna, prolem suam deuorat, Br. 3 misc. 28
Tiaba, Hart. 2 Dec. cap. 2. §. 28
Tiara recta solius Regis apud Persas, Hart. 3. Dec. § 8. 21
Tibarenæ vxores enixæ maritos in lecto pro puerperis curabāt, Har. 1. Dec. 8 § 35
Tiberium non T. litera significari, sed Ti. Sigo. lib. 2. emend. 25
Tibia canere non licet sine deformitate oris, Gyral. Dial. 23
Tibiæ in funere aduncæ, ex ebore, Mag 1. cap. 13
Tibiæ in funere frequentiores tubis, & cur, Mag 1. cap. 13
Tibiæ pares & impares. quæ dextræ item & sinistræ, Brod 5. miscel. 32
Tibia Serranæ, quæ. ibid.
Tibialia priscis nulla fuisse, Mag 3. cap. 3
Tibiam adhibitam puerorum funeribus tantum, *tubam* hominum prouectioris ætatis, falsum videri, Mag. 1. cap. 13

Trisyllaba sequente vocali, quomodo proferenda, Hart.3.Dec 6.§.10
Timagenis maledicentia insignita, Mur, 13.cap 9
Τιμαὶ τριπαίδος τῆς trium liberorũ, Brod 5 misc.10
Timasio Ægyptius a nouerca frustra amatus, calumniis appetitus Mur 1 cap 12
Titaresius amnis, Brod 5 misf 28
Titia lex de muneribus, Pit.2 Sub.2
Titius, lusor legis Fanniæ, Pith.2. Sub.2
Tituli cur dicantur inscriptiones librorum, Mag 1 cap 14. etymologia eius duplex, ibid.
Τιτυρισταί. Satyri, non fistulatores, isrod, 4.mif 30
Τιτυρος τιτυρισμός, Brod 4.mif.30
Togas deponebant Romani Saturnalibus, & syntheses induebant, Brod.6. mif 7
Tolleno, hauriendæ aquæ instrumentum, Pith.2.Sub.16
Tolleno, quid, Brod 3.mif.7
Tormentorum ex inferiore in superiorem locum ictus certiores, grauiores, Mag 2.cap.16
Tonsura & rasio capitis quibus frequentata, Gyral. Dial.11
Trabs Cypria, apud Horatium quæ dicatur, Brod 1 mif. 14
Trabucchi, machinæ lithobolæ, quæ Mag. 1.misc.cap 1
Tragœdia nõ introducebat ea quæ uclas erat intueri [illegible], ceu intus factum, enunciabat, Hart 2.Dec. 8 § 20
Tragici poetæ septem insigniores, [illegible] dicti, Brod 5 mif 15
[illegible], cur vocatus Æschines a Demosth. Brod 5 mif 23
[illegible], cur sumatur pro libidine [illegible] Brod.5 mif 22
[illegible], quid Brod. 5.miscel.22
Tranchea, Gallis aliud quam *Vallum*, Brod.1 mif cap 5
Transenna, quid Brod 4 mif 19. *inspicere per transennam*, ibid.
Tracæ, Pith 2.Sub.1
Treceni dies, trecenteni. Triceni, triginta, Brod.2.mif.19
Tribunatus plebis ineundi dies solennis IV. Id Decembris, Sigon. lib.1.emend.cap.18
Tribuni, decem creati, Mur 4 cap 3
Tribuni plebei antequam legem promulgarent, concionem habebant, Rob. Ann.lib.2.c 1.
Tribus ius non ab habitatione, sed notione censoria, Sigon lib 1.ca. 40 emend.
Tribuum distributio quatenus secundum loca & regiones vrbis, Robort. Ann.lib.2.cap.37 Sig.lib. 1.emend.cap 40
Tribuum nomina a veteribus amicognomẽ apposita. Rob An 2.c 38
Tribuum Rom ratio & distinctio, Sigon.lib.1.cap 40 emend.
Tricasses. Tricassium. Tricassini, Pith.2.Sub 1
Trichila, pergula compluuiata, Fru. 2.Ver.19
Τετραύλαι, in triremibus. Brod.4. mif.30
Τρίγωνον ἐντελὲς, quid, Brod 2 m 16
Τρίγωνον instrumentum Musicum, Brod.2 mif 14
Triremibus in Italiam non peruenisse Æneam, Brod.3.misc 4
Triremes Corinthi extructę primũ, aliquot post bellum Troianum secula, Brod.3. mif.4
Trispastum, quid, Mag. 2 cap.10
Τεταρτωνιστής, an tertiarum partium histrio, Robor Ann. 2.cap.35 Sig. lib 1.emend cap.36
Tritico multa placentarum genera facta

facta, Muret. 17. cap 15
Τριττὺς Græcorum, an Solitaurilia Romanorum, Brod. 6 mis. 32
Triumphum ducturi, vrbem non intrabant, Realin. Annot. cap. 7
Troia ter capta, Brod 4. mis. 27
Troianum agmen, Ruf. Ant. cap 41. p 395
Trophæa veteribus euertere nefas, Brod. 5 mis. 29
Tubarum funebrium forma quæ, Mag. 1. cap. 13. longa, lata, ibid.
Tubæ solum in funere potentiorum, Mag. 1. cap. 13
Tuberes, quid, & vnde nascantur, Brod. 4. mis 2
Tulo, tuli, Fruter 2 Ver. 7
Tulium & Tullium diuersa esse, Sigo. lib 2. emend. cap. 46
Tunica interior, Brod 6. mis. 7
Tunica molesta, quod genus supplicii. Brod. 2 mis 9
Tutela nauis, pro insigni, Brod. 1. misc. 10
Tutiæ leges, Pith 2. Sub. 2
Tutuli forma, Sigo. lib. 2 em ca. 34
Tutulus quid. Mag. 1 mis. cap. 14
Θύννον, quid, Muret. lib. 19. cap. 5
Τυμβαύλας, qui, Brod. 4 mis. 30
Θυννοσκοπεῖον, Brod 4. mis. 8. Thynnoscopi, ibidem.
Typographiæ inuētor Ioh. Gutenbergius Moguntinus eadem dicta ante annos mille extitisse apud Indos, Brod. 2. mis 26
Tympanum hauriendæ aquæ instrumentum, Pi. 2 Sub. 16 item eculei genus, ibid.
Tyrtæi carmina recitata Spartanis, cū pugnæ accinguntur. Mu. 6. c. 6
Τύχη ἀναγκαία: aliud Sophocli, aliud Amphi Comico, Brod. 1. miscel. 22

V.

Vacatio rerū iudicādarum statain messe, in vindemia, Pit 2. Sub. 10
Vacinia, cuius coloris, & quid, Brod. 4 misc. 18
Vadimonium aliud a sponsione sacramentali, Pith. 1. Sub 18
Valer. lib. 1. Prologo. *Reliquos Deos accepimus, Cæsares dedimus*, Brod. 2. mis. 26
Val Maximus lib. 3. cap. 3. *Mineruæ artem decorata & sacrosanctiora*, Ruf. Ant cap. 47 p. 596
Valetudinis desperatæ, ad ianuam collocabantur, & cur, Hart. 3. Dec. 8 § 29
Varones, militum serui, Pit. 1 Sub. 8
Varronis Liber 1 de re rustica, semel iterumq; tentatus, Fru. 2. Ver. 22
Varro apud Nonium: *Amiculo nigello, capillo dimisso sequeretur luctum*, Mag. 3. cap. 14
Varro lib. 4. de L. L. *de Sacramento, pecuniaque quæ in iudicium venit in litibus*, Pith. 1. Sub. 17
Vasa fictilia in sacris, Brod. 5. mis. 19
Vasarium, pecunia quæ, Mur. 12. ca. 5
Vasis fictilib aut ligneis promiscue, vtebantur veteres, Brod. 5 mis 19
Vasis sacrificalis forma expressa, Sigon. lib. 2. emend. cap. 34
Vaticinabantur de hostib. inspecto feile, Hart. 3. Dec 8 § 26
Vaticinia per sortes quomodo fierent, Hart. 3. Dec 8 § 4
Vdones, quod genus calciamentorum, Gyral. Dial. 27
Vectigal Parisiis, cui nomen [illegible] *lum regina*, Muret 1 cap [illegible]
Vectigalia pop Rom. [illegible] redemptoribus & publi[illegible] cari solita, Pith. 2. Sub [illegible]
Veia Veiatura. [illegible] 1. Ver. 16
Vellem que velles, [illegible] Mur 9. cap [illegible]
Velo leuato [illegible]

gnoscerent iudices, Mag.2.misc. cap.13
Velocasses, Veliocasses, Bellocasses, qui. Pith.lib.1.Sub.cap.3
Vena terra, Mur.10 cap.2
Venatores prædæ particulam arbori affigebant, Hart. 1.Dec 8.§.12
Venalia lauro antiquitus conspergi solebant, Hart.3 Dec.8.§ 7
Venatio accipitraria, an vsitata antiquis, Gyrald. Dial.6
Veneri crebro operati cur min' apti ad generandum, Mur.3.cap 14
Venonius historicus insignis, Hart. 2.Dec.1. § 9
Venti an supergrediantur montes altiores, Mag.3.cap.6
Venti contrarii ex diametro non spirant, Mag 1.misc.cap 17
Venti quatuor solummodo, noti Homero, Brod.5.misc.17
Ventorum indicium rubor lunæ, &c. Brod 3.misc 13
Venustas, ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς ἀδιαφορία. Mur 10.cap.18
Venus cur fingatur orta e spumis maris, Ruf. Ant cap.58. pag.601
Ver sacrum, quid, Pith.lib.1. Sub.c.6
Verba male ominata, Mur.19.cap 7
Vernarum nomen, cur pro conuiuio habitum, Pith.1.Sub.6
Veritatis vis emergere tandem, neque vllis machinis ita premi vnquã, vt opprimatur, Mur.8.c.20
Versibus Comicorum pedem aut syllabam non nunquam addidisse histriones, Mur.3.cap.3
Versus, in acclamationib. ad honorem & laudem, Stat.1 obs.12
Versus in monosyllaba desinentes an vitiosi, Brod.3. mis.15
Versus *ἰσόψηφοι*, qui Muret.14.cap.23
Verum, pro æquo, Robort. Supp.ca. 5 pag.7. Sigon.lib.1.emend.cap.2. pa.146
Vestales virgines carpentis vectæ in capitolium, Pith. lib.1.Sub.cap
Vestem purpuream a coccinia differre, Brod.1 mis. cap 8
Vestes Coæ, non *Ceæ*, Brod.2 mis.22
Vestes Coæ, & Sericæ inter se diuersæ, Brod.2.mis.22
Vestes purpureæ cur Laconibus in bello, Hart 3 Dec.8.§.12
Vestibus quibus in luctu vsæ mulieres, Mag 3.cap.14
Vestis discoloria, Pith. 1 Sub.cap 2
Vestis vndans, cuius, Brod. 2. mis 24
Vestis vndulata, idem quod Camallotum nostrum, Brod.2 mis 24
Vesperna, quid Mur.4 cap.12
Veturia, an & centuriæ nomen, Robor. Ann.2.c.32. Sig.1.em.c.35
Vibices ac maculas impiorum animis inustas, Brod 1.mis.cap.4
Vicinis, quid a quoq; fiat, minime ignotum, Mur.9 cap.12
Victimarum cornua inaurabantur, Hart.3. Dec 8.§ 18
Victimis antequam iugularentur, pili in vertice euulsi, Hart.2.Dec. 7 § 17
Viduæ nomen, vnde, Pith.1.Sub.19
Vigilare in auroram si quis poterat in Symposiis, auferebat placentam, Hart.1. Dec.8 § 31
Vina diffundebantur e doliis in amphoras, & cados, Brod.lib.1.misc. cap 3
Vina fumo vetustatem inducere docta, Brod.1.mis.13
Vina myrrhæ odore condita, Bro.4 mis.20
Vinariis vasis tabellam appensam, in qua scripta vini ætas, Br mis.1. cap.3
Vincti ꝙ genus seruorũ, Pit.2.Sub.9
Vindemiarum tempore, feriabantur iudicia, Pith.2.Sub.20
Vini dulcedine captos in Italiam irrupisse

irrupisse Gallos, Mag. cap. 12.
Vini cum aqua miscẽdi, ratio, Har. 2. Dec 7 § 11
Vini luculẽta cõmendatio, ex Varrone, Mur lib. 4. Var. lect. ca. 8
Vino immodico maximę debilitari corporis vires, Mur. 6. c. 12
Vinum, an generetur potens & calidum, in oris frigidissimis, Bro. 2. misc. 16
Vinum calidumne & siccum, an calidum & humidum, Brod. 2. misc. 16
Vinum cibarium, pro vili, Brod. 4 misc. 10
Vinum gelascere, Brod. 5. misc 31
Vinum optimũ sub Caniculæ tempus, Brod. 5. misc. 20
Vinum myrtite, an aromatite, Bro. 4 misc. 4
Vinum circumdata niue quomodo refrigeratur, Mur 9. c. 9
Vinum murratum, quid, Brod. 4. misc. 20
Vinum myrteum, ac myrsinitum differunt, Brod 4 misc 4
Vinum sili conditum, cur, Muret. 4 cap. 12
Vinum, sanguis terræ, Mure. 10. c. 2
Vipera antiquorum alia, quam ea quæ hodie vulgo spectanda exhibetur, Brod 3 misc. 11
Viperam quidem, sed non vnã quidem, animal parere, Brod. 3. misc. 11
Viperam feminam non auferre caput maris in os insertum, Brod. 3. misc. 28. nec adedi vterum ac latera a catulis, Ibid.
Viperarum morsibus tibiæ cantu mederi, Brod. 4. misc. 31
Virga sanguinea, quid, Mag 4. c. 8
Virg. Eclog. *Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula*, Stat. 1. obs 6
Virg 2. Georg. *totis vomit ædibus vndam*. Brod. 2. misc. 24
Virg. 2. Ecl. *Borea penetrabile frigus adurat*, Brod. 2. misc. 8
Virg. 6. Æn. *Qualem primo qui surgere mense, &c.* Brod. 1 misc. 26
Virg. 1. Georg. *Stellas præcipites cælo labi*, Brod. 1. misc. 30
Virg. 6. *nec funditus omnes Corporea excedunt pestes*, Mag. 3 c. 5
Virg. 3. Æne. *caeruleis mœsta vittis atraq; cupressu*, Mag. 3. c 14
Virg. 1. Georg. *Arctos oceano metuentes æquore mergi*, Brod. 5. misc 25
Virg. Æneid *sudibusue præustis*, Ruf. Ant. c. 61 p. 605
Virg Æn. *Crateras magnos statuũt, & vina coronant*, Ruf. Ant. cap. 49. pag. 598
Virg. 9. Æneid. *Et statuam ante aras aurata fronte iuuencam*, Hart. 3 Dec. 8. § 18
Virg lib. 12. *Dictamnum, caulem foliis & flore comantem Purpureo*, Brod. 1 misc. 30
Virgil. Eclo. 10. olim cantare periti Arcades. Brod 4 misc. 18
Virg. Ecl. 6. *satis est potuisse videri*, Real. Annot. c. 5
Virg. in Ciri. *Corycio glomerarem flammea luto.*
Virgilio assensus negatus, volenti triremibus peruenisse Æneam in Italiam, Brod 3. misc. 4
Virgilium, quod neque Homeri, neque Ciceronis meminerit, ingratum videri, Mur. 18. c. 15
Virg. l. cruditate laborabat, Mag. 1. cap. 11
Virgines virginipotentes canistrigerulæ Dianæ, Hart 1. Dec. 8. § 37
Virginum morbus, Brod. 5 misc. 27
Viride oleũ, viridis caseus, pro recente, Brod 4 misc. 10

Virtus ne gratior veniens in corpore pulcro, Brod.5 misc.35
Virtutes omnes quomodo Deo inesse putarint Platonici, Muret.7 cap 22
Virtus Catonis, Scipiada, pro Catone ipso, ac Scipiade, Mur.3 c 4
Vitta, insigne matronarum castarum, Pith 1 Sub.15
Vitam alicui suam largiri velle, amoris summi, Mur.9.c.1
Vites conserendæ cur luna crescête, Brod.4.misc 27
Vites etiam continentur appellatione arboris, Mag 4.cap.7
Vitiosa lex vitiosi magistratus, Pit. 2 Sub.2.
Vitis, insigne Centurionis, Pith.1. Sub.15.Sub vitem iacere, ibid.
Vitru lib.8. *cataβε*. Brod 1.misc.17
Vituli marini & Phocę nomine tãtum discrepant, Brod.4.misc 27
Vitulum marinum non resistere fulmini, Brod 3.misc 2
Viua lucerna, Mur.7.c 6
Vlyssem in Oceano non nauigasse, Brod.3 misc 4
Vlysses, plures an fuerint, Brod.3. misc.4
Vmbrę an circa sepulcra versentur. Mag.4 cap.12
Vndulata vestis an Cymatilis. Bro. 2.misc.24
Vnguenta ceram olere, nõ terram, Brod 4.misc 5
Vnguentarium, exactio, quæ, Mur. 12.cap 5
Vnguentum susinum, idem quod Græcis *κρίνινον*, Brod 1. misc cap 2
Vnguentum in potu additum Bro. 4.misc.4
Vnguentis cur adiecta cera, Brod. 4 misc.cap 5
Vnus pro mrũtibus, Mur.16.c 5
Vocalium apud Latinos nomina nulla sunt: apud Græcos quorundam, Mur 18.c 1
Volumina plũbea ad monumenta publica adhibita. Robor p.16
Voluptas ne & molestia simul in eodem esse possit. Mur.16 c.1
Vomitoria Theatrorum, vnde iis nomen, Brod.2.misc 24
Vopiscus, an cognomen, Sigon lib. 2 emend.cap.33
Vos vos, id est vosmetipsi, Muret 14.cap 5
Vota adsignata in statuis, Pith 1. Sub 7
Voturia tribus pro Veturia, Sigon. lib.1.emend.c.35.p.225 m.
Vrbes quibus solennitatibus condetentur veteribus Mag.3 c.13
Vrbium ædificandarum ritus apud Hetruscos, Mag.3.c.13
Vruæ ad sortes, Brod.misc.3.c.26
Vrsæ non merguntur sub Horizontem, quarum declinatio tollitur supra 38.gradum, Brod.5.misc.25
Vrsi Gothici musica mulcentur, Mur 12.cap 15
Vrsorum adeps tempore eo quo vrsi latent, exundat, Mur.13. cap.13
Vrinã nunquam natus esses, Hart. 3 Dec.8 § 15
Vtres vnctos transiliẽdi, ludus quis. Brod. 4 misc 7
V.& B. inter se confunduntur, Fru. 3 ver 17
V.& F. notissimæ affinitatis veteribus, Frut. 1.ver 12
Vulcanus cur a blandiente Iunone dicatur Claudus, Mur.11.c 10
Vulcanalibus, mense Augusto, lucubrationum auspicium, Mure 18 cap 13
Vulgare. pro *noto & triniali*, Mur.2 cap 5.

Vul

Vulnera lauari solita, Rob. Annot. lib. 2. c. 5
Vuæ heluolæ, quæ, Bro. 4. misc 25
Vxores Indicæ certabant inter se vt vna cum viris mortuis comburerentur, Real Ann c. 9
Vxori nuntios præmittebant Romani peregre redeuntes, Muret. 12 cap. 7
Vxorium, pœna quæ, Mur. 12. c. 5

Y.

ὑπεξίγησις, figura quæ, Hart. 2. Dec. 5. §. 8.
ὑπερμαλάω, Brod. 1. misc 35
ὑπεργησία, ὑπέργης, Brod. 6. misc. 27
ὑπὸ δόρυ πωλεῖσθαι, sub hasta vendi, Brod 5 misc 10
ὑπολύειν ἑαυτὸν, excalceare se, Mur. 19 cap. 3
Ὕσται, quid, Brod. 3. misc. 16

Z

ζηλόω feliçē duco, Hart. 2 Dec. 7 §. 1
ζημιῶσαι. Ruf. Ant. c. 62. p. 606
Zeta, locus suscipiendorum hospitum, Brod. 3. misc. 14
ζώγαι, qui, Brod. 4. misc. 11
Zythum, non est posca, Brod. 4. misc. 11. quomodo fiat, ibid.
Zopyri facta, non *talenta*, Hart. Dec. 1. cap. 7.

FINIS.

A011467101

Digitized by Google